VENERABILIS

GVIBERTI

ABBATIS B. MARIÆ DE NOVIGENTO

OPERA OMNIA,

PRODEVNT NVNC PRIMVM IN LVCEM; VNA CVM

APPENDICE

AD LIBRVM TERTIVM DE VITA IPSIVS, NIMIRVM

HERMANNI MONACHI LIBRI TRES,

De Miraculis S. Mariæ, siue de Reparatione Laudunensis Ecclesiæ; de Gestis Bartholomæi Episcopi; ac de Origine & Incremento Præmonstrat. Ordinis.

ITEM


Notæ & Obseruationes (vetustis monumentis refertæ) ad quosdam V. Guiberti Libros.

HIS ACCEDVNT

ADDITAMENTA

In quibus, Vitæ S. Geremari, B. Simonis Comitis Crespeïensis, & S. Salabergæ Abbatissæ: Necnon Hugonis Rothomag. Archiepisc. Libri tres Dogmatum Christianæ fidei contra Hæreticos sui temporis: Et Roberti de Monte Accessiones, atque Appendix germana ad Sigibertum.

Omnia studio & operâ Domni Lucæ D'Achery Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus IOANNIS BILLAINE, viâ Iacobæâ, sub signo S. Augustini.

M. DC. LI.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

AMPLISSIMO
D. D.
MATHÆO MOLÉ
SENATVS PARISIENSIS
PRINCIPI.

QVO tandem animo (*PROTOPRÆSES AMPLISSIME*) Guibertus *hic noster Orbem denuò lustrare gestiat, non satis mihi compertum minimé diffitebor. Iam per multa temporum curricula in Bibliotheca trāquilla statione positus dormierat inter mortuos liber Guibertus: quis suscitauit eum? Certè quidem non odit lucem qui summo labore & curâ permaximâ tot pestiferas æui sui errorum hæreseônque tenebras è mentibus hominum & coram & scriptis propulsare, atque diuini verbi, ac Theologicæ veritatis Præconibus facem præferre non destitit: vt coæuis verbo, sic & posteris nunc scripto, nouo quasi exortu affulgeat Sapientissimus Abbas; memor sapientissimi Regis effati, immò Sapientiæ increatæ:* Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque. *Attamen meminit* doctus *iste* Scriba, qui profert de thesauro suo noua & vetera, *quòd veritas odium pariat, quòd & omni seculo non desint* qui maledicunt diei; *quique fugientes lucem, priuata ne arguantur opera, aliorum insultant operibus. Quo pacto itaque tam diu-*

Eccli. 41. 17. Math. 13.

Iob 3. 8.

turnæ quieti vale dicere non timet? Quare nedũ lucentem, ſed arguentem audet hiſce temporibus aperire veritatem? Quantum capio (PROTOPRÆSES ILLVSTRISSIME) *idem quo vſus eſt dum in viuis ageret, nunc etiam adhibere conſilium ducit oportunum. Dum etenim Operi cuipiam extremam manum impoſuiſſet, velletque iuris facere publici, nihil habuit antiquius, quàm vt Procerum animos ſibi deuinciret, Patronóſque omni fide maiores ſuæ compararet Doctrinæ, quæ* (*licet SS. Patrum ſcriptis omnino conſentiens, quòd altis hærentes radicibus errores, mores peruerſos, ac nefarios vſus impeteret*) *paſſa eſſet periculum, ni prodeuntem ſublimior tutata fuiſſet authoritas; Quid ergo mirum ſi noſtra hac ipſa tempeſtate nonniſi cuiuſdam Vindicis acerrimi, ſapientiſſimique fretus auſpicijs, in publicum prodire detrectat? Verumenimuerò quem amabò ſtrenuiorem Te, ſapientiorémque deſideret ſolertiſſimus Abbas? Neque porrò in hac grauiſſimorum temporum procella, vbi anxiferas Amplitudinis Tuæ curas aduertit, quibus non modò reciprocati juris controuerſias, clientúmque res geris, ſed vniuerſi quoque Regni proſpicis ſaluti, ſuſpenſus hæret Tuis ſiſtere ſe liminibus; neque laſſo negotium faceſſere veretur: Si quidem quo pollet ingenij lumine Te nouit omni & animi, & virium contentione ſuperiorem euaſiſſe; ſciuit tantorum negotiorum mole recreari, nunquam verò deprimi inuictiſſimum* MOLE.

Nactus igitur Heroëm clariſſimum, virum Themidis in Throno reſidentem, atque adeò præſidentem; cum ingenij ſui fœtu multiplici liberiùs redit ad vitam Tuâ tutelâ ſibi ſuperſtes Guibertus; *& ſibi, ſuiſque Operibus, Te ſupremo Iudice lucem redditã magnopere gratulatur. Qua in re profectò haud eſt* Guibertus *vulgari prudentia præditus, qui ſub huius æquiſſimi Præſidis infulis ſolummodò ſe tutum exiſtimat, in cu-*

ius patrocinio, si viueret, versaretur: immò singulari sapientia illustratus, qui ob quorumdam liuorem de causa (nam

stant belli causæ) | Æneid. 7.

nonnihil deprecaturus apud MOLÆVM causam collocat ne cadat. Quis enim Iudici supremo, eidémque Iustissimo audeat refragari? Si Guibertũ *nullius reum arbitreris, insons erit; si Tuæ acceptus fuerit Æquitati, æmula virtutis inuidia, vel proderit, vel nocebit nihil; quippe id ratum, suisque absolutum numeris facilè cuique videbitur, vbi acerrimi Præses iudicij suo dignum assensu & nomine cõprobarit. Felix vtique, quod talem Patronum compererit; qui totus regiis publicisq; rebus addictus maximam autumat felicitatem si totum se in tuendis eruditis viris, & maxime arctiorem vitam profitentibus, libentissime offerat, impendat. Sic mortuum laudibus effero Antistitem, qui se suáque auet offerre benè beatéque viuenti, omniúmque iura videnti, Legum Antistiti.*

Vides igitur, Princeps Senatus Oculatissime, cur in Tuum, quin & Iustitiæ sinum, se recipiat Abbas Nouigentinus: Vides cur se tibi vnicè sistat, cur in Purpura tua decus ambiat, cur Authoritatem in Tua Sapiẽtia quærat, cur Tuum nomen in Operum suorum fronte deposcat: Rursus cum suo cultu Orbi vniuerso reuiuiscere conatur, & rescindere sepulturã suam tenebras. *Quidni se ad solem Orbis Gallici illicò conuertat? Solem dixero, qui tot augustæ Senatorum Coronæ* sidera oculat: *quem tot etiam purpurati Patres demirantur:*

Solémque suum, sua sidera norunt:

Tertul. de resurrect. carn. c. 12. Trebel in Claud. Plin. lib. 34. Æneid. 6.

Sicque Te iudicante, Te iubente oritur vt Lucifer nunquam passurus ecclypsim, nedum occasum.

Sin verò (quãuis plenè suis inscriptis causã perorauerit suã) sciolorũ censurã pertimescat, in quibus plurimùm malitiæ, sapiẽtiæ parũ; *ecquid mirũ si Te appellet sciẽtiarum omnium*

S. Bernard.

officinam, Intellectus humani finem, perfectionem & terminum, *&, quod res postulat, Iudicem reos seuerissimè punientem.*

Auerroes de Arist. 3. de anima.

Hæc ad votiuum munus Guiberto plus satis esse videbantur (PROTOPRÆSSES AMPLISSIME) licet illum causæ permultæ mouerint æquè graues. Mouit imprimis Tua in Deum Religio singularis, mira Iustitia, cœlestis Temperantia. Religio, quâ Deo obstrictus, religatus, ipsum intima mente veneraris, sequeris; & quâ, vt pote Primus Supremæ Curiæ Præses, ipsi cultum tamquam primo rerum omniū Principio, excelso animo haud quaquam desinis exhibere. Iustitia, quâ summum ius in Teipsum exercens, summo Iudici Te tuáque omnia refers. Temperantia, qua summo rerum Domino, dominium, quo sub Rege polles, demittis, parum est, submittis.

Quamobrem non mihi, non Guiberto, sed virtutibus Tuis debes, quòd Abbas se Tibi deuoueat, qui Te Deo totum deuouisti; debes, quòd supplex Nongentinus ad Iustitiæ tuæ Oracula recurrat, qui iusti Iudicis authoritati omnia debere, vicésque gerere profiteris; debes, quòd mortuus iterum per Te reuiuiscat; qui animum tuum vitæ & necis authori Deo iampridem consecrasti.

Mouit Tua in Regem & Patriam Pietas eximia, quam Religionem secundæ Maiestatis *appellauit Tertullianus: Vt verum sit quòd nihil hacce Tua Pietate præcellentius dici, aut excogitari queat: ipsa est enim quâ rerum labantem statum inter tot necis discrimina erexisti, succolasti, roborasti; ipsa est quâ inflexibili humero tantam rerū sustinens molem, immotum Galliæ regnum reddidisti, vtpote constantissimè suffultum huius Tuæ Pietatis partu triplici, Fide nimirum, Constantia,* P*rudentiáque velut solidissimis columnis. Inde*

Apologet. c. 35.

ſit vt non Tuam duntaxat, ſed immortalis memoriæ LVDO-VICI IVSTI Prudentiam demiretur: Hanc, Te cùm ſummum Senatus Principem elegerit; illam, cùm cuncta ſolerter egeris. Te Rex in dicundo iure quantus es effecit; Tu in Regem Natúmque eius optimum LVDOVICVM feliciter regnantem, exulato feroci diſcrimine, poteſtatem refudiſti. Sicque per Te qui nequaquam eſſe deſierat, quodammodo tutiùs Rex fuit, quando Metropoli Franciæ ſuo conciliata Principi, à quo minimè exciderat, Throno melius aſſeri viſus eſt.

At aliunde ſi Guibertum foueas, ſi fulgeat in ortu ſuo, Te iubente, quia noſter eſt, non magis quà ſis in Abbatem iſtũ beneuolentià, quàm incredibilem erga me, vniuerſóſque Congregationis S. Mauri Benedictinos humanitatem declarabis. Et verò quàm liquidò iamdudum declaraueris, non eſt quem fugiat. Accepimus (Præſes Humaniſſime) quæ fuerint familiæ noſtræ per Galliam initia, inſpicimus quæ ſint incrementa, ſuſpicimus vtrumque beneficium Congregationi noſtræ ab Amplitudine Tua ſtudijs aſſiduis impenſum: vtrumque ex Tua Benignitate velut ex fonte vberrimo ſcaturire, perennare, nobis gratulantur beneuoli, nec inuidi negant. Tu namque cùm Procuratoris Regij munere fungereris, curâ naſcentem excepiſti; inde vbi ad ſummum Iuſtitiæ Tribunal Tua Te virtus extulit, ne tum quidem Curatoris pro ea partes exuiſti; aſt maiori authoritate ſuffulciens, adoleſcentem iuuiſti præſidio; obfirmaſti operâ; iure protexiſti.

Inſuper placere ſibi mirificè venerandam veterum Scriptorum doctrinam pro ſua erga omnes vrbanitate mihi ſignificauit AMPLITVDO TVA: dum enim Epiſtolam S. Barnabæ à Menardo noſtro elucidatam, Tuo dicatam nomini, obtuliſſem, ſcrutandis Bibliothecis, antiquioris æui Do-

ctoribus è puluere excitandis, ac suo restituendis nitori, Tua præluxit (quæ mihi summa est) Authoritas. Proinde placebit & opella, quam in edendis Obseruationibus quantulamcunque collocaui; non quòd Guiberto lucem afferre queam, verùm quòd nimium splendorem, qui debiles forsan oculos perstringeret, moderari vtcunque nitor. Placebit, inquam, vtpote in Tuo Benedictino Congregationis S. Mauri solo sata, natáque, ad Te pleno ac solido iure refunditur; nimirum fundi dominum sequuntur fructus. Placebit tandem non quia edidi, sed quia iudicasti, imperasti. Tibi *enim* dedit Deus Summum rerum iudicium, mihi obsequij gloria relicta est. *Relicta est & cunctis Congregationis nostræ Alumnis, quod omnium votis defert, ac profitetur*

Tacit. lib. 6. post initium.

AMPLITVDINIS TVÆ

Deditissimus

F. Lucas D'Achery.

LECTORI.

LECTORI.

CVM multa quæ hîc præfari oporteret in Obseruationibus attexui, non est quod prolixo te Proloquio, Lector erudite, distineam. Hæc pauca te duntaxat præmonebo. Sæpè & multùm apud me dubius & anceps fui, num studium & operam in edendis Venerabilis Guiberti de Nongento Operibus collocarem, necne, erant enim & præ manibus vetustiora; affuêre interim viri doctrinâ, sapientiâ, & pietate clarissimi, quibuscum de antiquis Auctoribus tenebris hactenùs obuolutis confabulando, incidissem in præfatum Abbatem, Magni Anselmi discipulum; déque illius recondita literatura, doctrina, verborum venustate & eloquentia, nec semel sermones vltro citróque habuissemus, me sæpiusculè compellarunt & aliqui sunt obtestati, quatenus Benedictini Operum prelo committendorum, prouinciam ego Benedictinus susciperem. Quorum suasionibus impulsus ad opus actutùm me libenter accinxi, peruolui schedulas diligentissimè, curiosos antiquitatum exploratores conueni, omnes Bibliothecarum (ad quas patuit aditus) forulos, pluteósque partim ipse perlustraui, partim perlustrandos curaui; & quicquid menti, quod rem hanc illustrare posset, occurrit, conquisiui.

Ac primò quidem Libellum, *Quomodo sermo fieri debeat*:

Commentarios, seu *Moralium Geneseos lib. X.* Suppeditauit Bibliotheca Regia.

Tropologiarum in Osee, Amos, & Lamentationes Ieremiæ, Apographum perantiquum (Monasterij quondam Valcellensis Cong. Cisterciensis in diœcesi Cameracensi) à decennio germanus meus Eustachius D'Achery.

Tractatum de Incarnatione contra Iudæos:

Lib. de Laude B. Mariæ:

Opusculum de Virginitate: è codice MS. Collegij Parisiensis S. I. indicio R. P. Iacobi Sirmondi exprompsi.

Epistolam de buccella Iudæ data primùm in Bibliotheca V. C. Ioannis Bigot in Rothomag. Vectigal. Curia Senatoris, exscribi curaui: deinde ad bina MS. alterum Bibliothecæ Regiæ, Collegij Parisiens. S. I. alterum, contuli

De Pignoribus Sanctorum Libros tres mutuauit Bibliotheca Regia.

Cæterùm præfatos eiusdem Bibliothecæ, velut & Collegij Parisiensis codices (si coniecturis indulgere liceat) iuris olim extitisse Nouigentini Cœnobij, atque adeò Guiberti (quippe ferunt ipsius ætatem) initium cuiusque voluminis præmonstrat.

Historiam Ierosolymitanam, siue Gesta Dei per Francos primus euulgauit Iacobus Bongarsius vnà cum aliis eiusdem Historiæ Scriptoribus an. 1611. cui Collectioni titulum fecit ab Guiberto mutuatum, *Gesta Dei per Francos*. Nos verò in hac editione repetitâ Libros in capita digessimus. Sancti Remigij Remens. Codex manu peroptimâ exaratus, suppetias eorum, quæ in fine Libri noni alio ab auctore editi desiderabantur, iuit. Vsi quoque sumus altero Corbeïæ antiquæ MS. quo plerisque in locis næuos, qui Librarij fortean vitio, siue Typographorum oscitantiâ irrepserant, abstersimus. Versus ordinatim poëtico more disposuimus: adornauimus oras diuersis passim Annotationibus.

Postremò Abbatis nostri *Librorum de vita sua* apographum tantummodò inuenire fas fuit, graphicè quidem ac recentiori manu scriptum, sed mendis scatens quampluribus, inuersa verba, sententiæ interdum aut mutatæ aut prorsus sublatæ, vt nonnulla penitiùs inspicienti mihi fuerint vix non diuinanda; cætera verò quæ me præteriêre verba, eorum loco puncta suppleui, seu margini adscripsi quædam alia. Audiueram sanè & multoties repetitum agnoueram, autographum ad nostra tempora inter Ecclesiæ Laudunensis vetustos codices asseruatum, ac postmodum antiquæ rei perito viro D. Dey Doctori Parisiensi (qui pridem obiit) collatum; quas autem in manus posthàc deuolutum fuerit, omnem moui lapidem, quatenus comperire valerem, sed frustrà.

Et quum Guibertus tertio Lib. de vita sua potissimùm referat, quì ciues Laudunenses immanissimorum grassatorum more bacchati fuerint, dum non sexui, non ordini, non ætati vlli parcerent, cæde ac sanguine complentes omnia, quì Pastorem suum nece affecerint quàm acerbissimâ, quì Episcopale Templum incenderint, & alia id genus crudelitatum patrauerint; *Libros tres Hermanni Monachi de Miraculis S. Mariæ Laudunens.* instar Appendicis adiiciendos censui peroportunum; vtpote qui prolixam non modò continent reparatæ & Vrbis & Ecclesiæ Laudunens. Historiam, verùm etiam coætaneum Guiberto Scriptorem agnoscunt.

Præter superiùs enumeratos Guiberti fœtus, edidisse & *Capitularem Libellum de diuersis Euangeliorum, & Propheticorum voluminum sententijs*, notat ipsemet lib. 1. de Vita sua cap. 16. Ast alicubi haud dubiè in puluere & situ latere nunc vsque dierum; vel potiùs dixerim ab ipso parente suppressum, quòd minimè perpolitum, his ex verbis indidem subodorari libet: *Cui* (Libello) *huc vsque finem dare differo, quia his explicitis quæ in præsentiarum teneo, in similibus exerceri aliquotiens, Deo suggerente delibero.* Etenim vbicumque Libellum delitescere suspicabar, nisu inutili perquisiui.

Obseruationibus & Notis quædam Auctoris Opuscula, non tam mea sponte, quàm nutu eorum & authoritate, quibus votiuâ obedientiâ obstrictus non obtemperare mihi religio est, illustraui. In iis porrò quid præstiterim, paucis id absoluam.

Præ manibus esse vbi aduertissem plurima antiquitatis monumenta,

mediæ & Auctoris nostri ætatis maximè (Auctores enim nondum editos sæpiùs, alios perrarò ad testimonium cito) mentem induxi datâ occasione identidem ea internectere (præcipua Elencho infra posito recensuimus) ea de re nimirum, vt eiuscemodi mercium appetentibus, aliquousque, dum maiora parant Nostri, facerem satis. In iis animo proposui nihil non discussum, nihil non fidei optimæ euentilare. Scio nihilosecius ego, & probè teneo *neminem esse tam fœlicem, qui non subiectus sit errori, & hoc non dementis esse proprium, sed hominis.* Itaque, Lector Beneuole, æquanimitatis tuæ erit, siquæ errata, leniter & amicè castiges; Siquæ Cartharum, Diplomatum, aliorúmue similium displiceant, quæso illa ne facessant negotium: ecquis enim hominum votis omnium respondere quibit?

Quoniam haud ad solitam magnitudinem volumen excrescere animaduerteram, quædam ad illustrandos Guiberti Libros de vita sua Obseruationibus Additamenta subiunxi; nempe, *Vitam S. Geremari Abbatis* ex Monasterio Conchensi: *Vitam B. Simonis Comitis Crespeiensis*, quæ ex codice MS. Cænobij Vrsicampi ad me transmissa est: *Vitam S. Salabergæ S. Ioannis Laudu. Proto-antistitæ*, cuius quidem erat exemplar, sed adeò mēdosum, vt i spem eius euulgandæ prorsus abiecissem, ni præsto adfuisset noster D. Placidus Bertheau, eámque ipsam ope codicis MS. Vrsicampensis mendis propè innumeris, velut in marginibus cernere est, correxisset, emendasset. Quod meum fuerit consilium illas publicam in lucem vitas emittendi, habes paginis 596. c. 602. c. 652. c.

Deinde; insigne *Hugonis Rothomagensis Opusculum*, tribus Libellis distinctum, *contra Hæreticos sui temporis*. Istud cum blatis ac tineis rixans huc vsque, è codice MS. S. Martini Parisiensis exscripsimus, ac publici facimus iuris. Hugonis Elogia & Epistolas videbis pag. 687. & seq.

Præterea; *Roberti de Torinneio* (Torigny) vulgò de Monte Abbatis, (hoc est Monasterij S. Michaëlis de Monte-Tumba, siue in periculo maris) vocitati, *Accessiones, & Appendix germana ad Sigibertum*; necnon *Tractatus de Immutationibus Monachorum, de Abbatibus, & Abbatijs Normanorum, & Ædificatoribus earum.* Appendicis duplici ditatus sum exemplari, primigenio altero S. Michaëlis de Monte (quod infra pag. 715. prænotaui) altero Gemeticensis Asceterij: nonnulla ex parte posterius priori contractius, quæ verò in Montensi non extabant charactere Italico, atque asterisco, notatiunculâque margini adiectâ demonstratur. Verùm pretium operæ est, Lector, animaduertas, putà initio Codicis MS. (cuius pag. 715. commemini) necnon in Prologi, atque in ipsius Appendicis, qua de agitur, titulo prænotatum, quòd ad annum 1184. Appendicem Robertus protraxerit; qui tamen ad an. 1182. duntaxat illo Appendicis Prologo concinnasse profitetur: vnde subdubitari datur, vel Robertum posteaquam Prologum confecisset, fuisse vltra progressum; siue alium quempiam duorum annorum seriem, vnà & continuationem texuisse.

Quid me tandem causæ mouerit ad istæc euulganda quæris? nosces Anteloquio inibi præfixo pag. 715.

Cæterùm qui mihi fuerunt auxilio, eorum nomina, præter laudatos in hocce Proloquio, suis locis non omisi; tum vt fidem liberarem, tum maximè vti alienos labores, beneficia, grato animo commemorarem. At sunt haudquaquam prætereundi, imprimis VV. CC. Puteani fratres, multiplici eruditione celebres; quotquot opus fuêre codices & Regiæ & suæ Bibliothecæ ipsi solitâ comitate, próque innato non vulgari erga literatos affectu, commodarunt. Franciscus Duchesne, rei Historicæ non ignarus, inter alia Historiam Canonici Laudunensis propriâ parentis Andreæ Duchesne manu exaratam vltrò concessit. Et noster Philippus de Romagny, seriò & sine ambitione doctus, qui multum operæ ac laboris insumpsit, quà describendis diuersis in hoc volumine contentis Operibus, quà denique locis diuinæ Scripturæ annotandis.

Atque hæc de Auctoris Operibus, & Additamentis. Tu Lector vale, & iuuantem, aut certè volentem ama.

Paucula in anteceſſum dum integros de Vita ſua *Libros reuoluas, geſtorum Guiberti ſummatim oculis obycienda cenſui.*

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS VITÆ SYNOPSIS.

GVIBERTVS ex oppido Beluacenſi oriundus, ſplendore natalium poſthabito, Monachale collobium in Flauiacenſi, ſiue S. Geremari Cœnobio, diœceſis itidem Beluacenſis, induit; vbi apprimè cùm pietate, tùm literis eſt excultus: Sed & ſe potiſſimùm à S. Anſelmo Cantuarienſi, tunc Beccenſis Aſceterij Priore (qui Guibertùm amoris ergo ſæpius inuiſebat) inſtructum qua ratione intelligendæ, aperiendæque forent diuinæ paginæ. gloriatur Lib. 1. de vita ſua.

Guiberti religionis, prudentiæ, doctrinæ, famâ longè, lateque peruulgatâ, tandem à Monachis B. MARIÆ de Nouigento, in Territorio Laudu. ſito, prope Couciacum, Anno Dominicæ Incarnationis MCIV. eligitur in Abbatem: quo in munere per annos viginti, tam elucubrandis *variis* Operibus, quàm ſaluti animarum ſuis concionibus (quicquid Sacræ Scripturæ eſt interpretatus, in gratiam Concionatorum id egiſſe declarat) necnon confutandis Hæreticis & coram & ſcriptis inuigilans, adlaboranſque, præclarè, ſapienter, prudentérque ſeſe geſſit. Piè admodum in Dei Matrem affectum fuiſſe paſſim prædicant ſua Scripta. Naturæ conceſſit Anno reparatæ Salutis MCXXIV.

TESTIMONIA
DE GVIBERTO ABBATE.

MANASSES *Epiſcopus Sueſſionenſis in Charta infra poſitâ pag. 625.*

P*Raerat ſiquidem illi Monaſterio* (Nouigentino) *Domnus* VVIBERTVS *Abbas, qui Sapientiâ, & innocentiâ ſuâ nos ſibi valde conglutinauit.* Et poſt pauca: *Idem enim Abbas religioſo quo pollebat conſilio, &c.*

MARTYROLOGIVM *vetus MS. Laudunenſis Eccleſiæ.*

Hec & alia quamplurima ad tam immane ſcelus pertinentia memoratus Abbas (Guibertus) *qui his diebus preſens aderat, plena fide & veritate conſcripſit*, &c. Videſis in Obſeruationibus pag. 652.

CANONICVS *Laudunenſis in Chronico MS. de quo nos inferiùs. pag. 646.*

Hic (Galdricus) *dum aliquando à Dedicatione Eccleſia rediſſet, &c. dicentes vulgariter quod Abbas Vvibertus poëticè ſic expoſuit, &c.*

IOANNES *Halgrinus Cardinalis, de Abbatis-villa nuncupatus, Summæ MS. quam aſſeruat Bibliotheca S. Michaëlis de Monte, Guibertum diuerſis ſparſim locis citat ad hunc modum:*

Guibertus in Moralibus ſuper Geneſim, &c.

IACOBVS BONGARSIVS *in Præfatione.*

Guibertus Abbas Monaſterij B. MARIÆ Nouigenti, quod ſitum eſt ſub caſtro Codiciaco, in págo Laudunenſi: *ipſe titulo Operis & fine præfationis.* Vixit illâ ipsâ ætate, cuius Hiſtoriæ partem deſcribit; & ſcripſit Balduino, fratre Godefridi regnante: lib. 2. cap. 12. & lib. VII. cap. 21. Boëmundo marito Conſtantiæ Regis Francorum filiæ: *extremo lib.* I. Biennio, poſt Manaſſis Remorum Archiepiſcopi mortem: *extremo lib.* VI. Finem ſcriptioni impoſuit mortuo iam Boëmundo: *lib. vlt. cap.* 38. Anno poſt Geruaſij egregij Militis martyrium: *lib. eod. cap.* 40. Interpretem ſe profitetur alienæ hiſtoriæ: *lib.* 2. *cap.* 10. & 13. *Et ipsâ epiſtolâ ad Lyſiardum, & quæ eam ſequitur præfatione*: quod ipſum in eodem argumento factum Roberto Monacho, & Baldrico: *ſuprà.* Suppleuit, vt & illi, quæ deerant, ex eorum qui viderant relatione: *lib.* 2. *cap.* 3. *lib.* III. *cap.* 13. & *lib.* VII. *cap.* 24. & *vlt. &c.* Scribendi rationem ſubobſcuram ſecutus eſt, rudium & impolitè dictorum fugitans, vt ipſe loquitur, *princ. lib.* V. Operoſam verborum elegantiam vocat, *fine epiſtola ad Lyſiardum.*

Nobili loco natum inde apparet, quòd *lib.* IV. *cap. vlt.* hominem narrat militarem, equeſtri officio inſignem, parentum ſuorum beneficia tenuiſſe, iiſque hominium debuiſſe. Et *lib.* V. *cap.* 15. Guillelmi & Alberici Fratrum ex municipio agnomen exprimere prohibetur pudori ipſorum parcens, generis eorum amica ſibi conſanguinitate deuictus. Exprimit autem quod ille ſupprimit nomen Baldricus, & *Guillelmum de Grantemaiſnil* nominat; *pag.* 114. 28. *Non enim eorum*, inquit, *parcere debemus infamiæ, qui ſuæ, nimis formidoloſi, non pepercerunt famæ.* Græcis etiam notus: Annæ Comnenæ, Alexiade, eſt γυλίελμος ὁ γραντμανή. Tyrius *lib.*

VI. cap. 5 Virum inclitum dicit, de Apulia, qui Sororem Boëmundi habebat vxorem. Gallici interpretes plenius: *Magnum virum in Normandia natum, qui in Apulia multa loca tenebat.* De quibus plura in indicibus, si absoluere Deus dederit. Fulcherij Carnotens. Historiam non lectam ex auditu carpit. *lib. vlt. cap. 29. 30. 31. 38. & 39* Fine Operis excusat siquid minus à se diligenter sit explicatum, quòd & alia professione detineatur, & non visa timidiùs descripserit. Sed alia scripsisse testatur ipse, *initio lib.* v. & Epistolâ ad Lisiardum. *Expositiones Geneseos, & alia Opuscula tractatoria* commemorat.

Titulum quem Operi suo Guibertus, cæterà verè Scholasticus nos huic Collectioni imposuimus: GESTA DEI PER FRANCOS: quo excogitari aliud, nec aptius potest, nec verius. Vt Deum in cœlis dicimus, non quòd non & alibi, qui vbique; ita hæc GESTA DEI vocamus, non quòd non alia omnia, maxima, minima, moueat, regat & moderetur Deus: Sed quòd his tam manifestus ac præsens interfuisse videatur, quàm cœlum ac sydera insidet, &c.

PER FRANCOS autem Gesta dicimus; quoniam cùm in Regno Francorum captum expeditionis huius consilium; & Principum, militúmque longè maxima pars à Regno Francorum isset: Francorum ita seu virtus seu numerus excelluit, &c.

Sed GVIBERTVS Historiam incipit à successibus in Oriente orientis Mahometicæ perfidiæ, & auxilio Christianorum Occidentis Principum, per Epistolam Constantinopolitani Imperatoris ad Robertum Flandriæ Comitem, petito: quod Concilium Claromontanum præcessit: & deducit ad Balduini I. regnum, &c.

AVBERTVS MIRÆVS *in Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

GVIBERTVS Abbas Monasterij B. MARIÆ Nouigenti, quod situm est prope castrum Codiciacum seu Cociacum in pago Laudunensi; vixit illa ipsa ætate cuius historiæ partem descripsit, &c. *refert eadem quæ Bongarsius vbi supra, sed contractius.*

IOANNIS DE LAVNOY *Doctoris Parisiensis Notatio, Libris Guiberti de Pignoribus Sanctorum, qui manu exarati in Bibliotheca Regia asseruantur, præfixa.*

GVIBERTVS Abbas de Nouigento; pag. 129. Nominat se Dei Genitricis Ministrum ac seruum; pag. 1. Regere cœpit anno MCIV. quo decessor eius Godefridus in Ambianensem Episcopum consecratus est; pag. 29. Æqualis Radulpho Remensi, & Bartholomæo Laudunensi Episcopis; quos constat aliunde ad Ecclesiasticæ dignitatis apicem conscendisse an. MCXIV. Significat se scribere Ludouico VI. Philippi I. filio Rege, qui an. MCXXXVII. Calend. Aug. decessit.

GERARDVS IOAN. VOSIVS *de Historicis Latinis lib. 3. pag. 705.*

GVIBERTVS Nobilis Gallus Abbas Monasterij B. MARIÆ Nouigenti, quod in Laudunensi pago sub Couciaco situm est, an. MCX. claruit, ac reliquit Opus quod inscripsit GESTA DEI PER FRANCOS, &c. Præterea autem ait commentatum se esse in Genesim, sed simpliciore quàm hîc vtatur stilo, &c.

OPERVM V. GVIBERTI ABBATIS, & aliorum quæ in hoc Volumine continentur

ELENCHVS.

Notæ & Obseruationes ad quosdam Guiberti Libros.

In his præcipuè videre est

Additamenta ad Venerabilis Guiberti Abbatis Opera illustranda.

Addenda paginis 645. & 651.

Facultas R. P. Superioris Generalis.

IOANNES HAREL humilis Superior Generalis Congregationis S. Mauri in Gallia, Ordinis S. Benedicti, *Notas & Obseruationes* Domni Lucæ D'Achery eiusdem Congregationis Monachi, *ad quædam Opera Venerabilis Guiberti Abbatis B.* MARIÆ *de Nouigento*, à nonnullis præfatæ Congregationis nostræ Theologis examinatas & approbatas, typis mandari permittimus. Datum Parisiis in Monasterio S. Germani à Pratis, Die IV. Decembris MDCL.

F. IOANNES HAREL.

Approbatio Doctorum.

NOs infra scripti Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores, legimus *Notas & Obseruationes* Domni Lucæ D'Achery Monachi Benedicti Congregationis S. Mauri, ad Opera quædam Venerabilis Guiberti Abbatis B. MARIÆ de Nouigento; nihilque in eis reperimus Catholicæ fidei contrarium. Datum Parisiis die 25. Iunij, Anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo.

M. GRANDIN. C. GOBINET.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, literísque patentibus cautum; ne quis in Regno suo, aliísque locis Imperio suo subiectis, intra proximos Sex annos, à die Impressionis absolutæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendúmque quouis modo ac ratione attentet Librum, cui Titulus: *Venerab. Guiberti Abbatis B.* MARIÆ *de Nouigento Opera, vnà cum Appendice, nimirum Hermanni Monachi Lib.* 3. *de Miraculis S.* MARIÆ *Laudunens. Item Notæ & Obseruationes; &c. ad quosdam V. Guiberti libros. Additamenta: in quibus Vita S. Geremari, B. Simonis Comitis Crespeiens. & S. Salabergæ Abbatissæ: necnon Hugonis Rothomagens. Archiep. Libri tres contra Hæreticos sui temporis. Et Roberti de Monte Accessiones atque Appendix germana ad Sigibertum, &c.* Præter eos quibus Domnus Lucas D'Achery concesserit. Prohibitum insuper ex Auctoritate Regia nè quis eundem Librum extra Regni limites imprimendum curet, sine consensu eiusdem Domni Lucæ D'Achery, aut eorum quibus permiserit. Idque omne sub confiscatione Librorum, cæterísque pœnis in originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die vndecimo Martij 1651.

De mandato Regis

Signatum

FARDOIL.

Concessio indulti Priuilegij.

Supradictus D. Lucas D'Achery concessit Ioanni Bilaine Bibliopolæ Parisiensi, vti indulto Priuilegio ad sex annos. Datum Parisiis in Abbatia S. Germani à Pratis 29. Iunij 1651.

F. LVCAS D'ACHERY.

VENERABILIS

VENERABILIS
GVIBERTI
S. GEREMARI FLAVIACENSIS MONACHI, POST ABBATIS BEATÆ MARIÆ de NOVIGENTO,
AD COMMENTARIOS IN GENESIM
PROŒMIVM.

Patri, & Domino Sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopo BARTHOLOMÆO,

GVIBERTVS id fieri quod prætendit in nomine.

DVM, cuius nomini præsens opusculum dedicare debeam, quaquauersum considero, nusquam conuenientiùs, quàm tibi coaptari posse conijcio. Cui enim genus ex omnimoda constat vetustate, non sine Sanguinum Regiorum contiguitate clarissimum, cui nomen vbique loci ex ingenita dignoscitur liberalitate, cui cum Pontificij Sacramento gloriam Deus purissimi contulit cælibatus, & non sine humilitate profunda copiosæ deuotionis instinctum, illi planè cui pro tanta sui familiaritate indulta me fateor prorsus obnoxium, decreui apponere, si quid exercere potuero dignum, vt ex eius magnanimitate præmineat, quod ex mea aliquos lentitudine minus iuuat. Indidit tanto Deus capiti duos oculos syderibus clariores, dum à dextris habes * ANSELMVM *totius latini orbis magisterio prædicatum, cuius tam sincera est in scripturarum ac fidei assertione seueritas, vt plures veros suis probetur documentis fecisse Catholicos, quàm instituisse potuerit erroneus quispiam temporis huius hæreticos: altrinsecus* RADVLPHVM, *cuius ingenij ac doctrinæ sicut à præfato fratre non discrepauit alacritas, ita totius eum bonæ habitudinis æmulatur honestas. Si igitur indigno dignanter actore auctor es, hos precor post te potissimùm schedæ huius instituas dispectores, quorum iudiciis tantò animo securiore subsidam, quantò eos comperi partem claudicaturos in neutram.*

Bartholomæus Sanguine Regio ortus.

* Anselmus Auctor Glossę interlinearis, & Radulphus ipsius frater, viri doctissimi.

Fuère qui obiecerint, quare ad litteram Exameron facta, libriue sequentia primò non dixerim; quibus esset attendendum, quia Beato Augustino aut dissona aut paria texere insani capitis notam verens iure supersederim. Et quo modo assequerer tantæ majestatis historiam, cum Doctoris prædicti quæ dicuntur explanationes immò opiniones rarò intelligam. Ad mores ergo me contuli, in quorum ratiocinatione tantò tutiùs fuit licitum diuersari, quantò ab exemplari interno contemplationis subtilitas hæc eliciens, sine perfidiæ, aut falsitatis incursu potuit commentari.

Quare ad literam Genesim non elucidauit.

Porrò sub allegoricis sensibus non pauca pariter addidissem, nisi modum operis prætergredi timuissem. Planè petente quodam amico meo primum exinde libellum edideram, quod sibi fieri ad sermonis materiam faciendi ille poposcerat, vnde & laciniosiori quàm cætera oratione tractaui, & pauca qualiter fieri debeat sermo prætexui; reliqua autem ex eorum quæ cœperam experientia solà spe Diuina præsumpsi.

Cuius gratiâ cómentarium fuerit aggressus aperit in vita sua.

INCIPIT LIBER
QVO ORDINE SERMO FIERI DEBEAT.

Concionatoribus documenta longè vtilissima.

VALDE illi periculosum est à doctrina cessare, cui officium pertinet prędicandi: sicut enim damnabile est exempla prauitatis ostendere, ita etiam damnationi proximum esse constat eum, qui peccantes non vult docendo sanare.

Sunt autem super hac re diuersæ hominum quorumdam intentiones. Aliqui enim id facere nolunt victi superbiâ, alij fastidio, alij inuidiâ. Respuunt inquam prædicare præ superbia, & quod multi ambienter facere gestiunt, & pro sola iactantia, hoc isti ne Sermocinatores vocentur, quod infame genus hominum esse solet, quia pro suo ventre loquũtur, vnde à Gregorio Nazianzeno ventriloqui appellantur; ex tipo nimio dedignantur.

Apolog. orat. 1. Vêtriloqui Concionatores.

Inter quos si comparatio fiat, multò vtilior inuenitur, qui sibi soli noxius iactanter prædicat, & aliis quibus instruantur documenta ministrat, quàm is qui quod intelligit vtiliter tumidè celat, nec sibi bonus est, nec alios iuuat.

Prædicatorum inuidia triplex.

Inuidiâ quidam dupliciter à sacra Prædicatione retrahuntur, quia aliorum bonis moribus inuidentes, vnde meliorentur dicere nolunt, Scripturarum etiam scientiam quam habent, se habere dissimulant, nec dissercre eas auidis, & intelligibilibus auditoribus curant, verentes ne suâ doctrinâ in tantum proficiant, vt sibi discendo coæquari valeant, aut fortè præcedant.

Est & tertius inuidiæ modus, quo dum aliis benè prædicationi insistentibus inuidere quispiam incipit, ardentiùs ad loquendum se accendit, scripturarum obscuritates enucleat, alia quælibet, & minùs vsitata exponit, grauésque sententias depingere composito sermone contendit, non vt ad benè agendum audientes ædificet, sed vt gloriolæ cupidus scire super alios suum demonstret. Sed licet bona malè dispenset, & seipsum alios quærendo perdat, tamen quocunque pacto Christus annuncietur gaudendum est, & nemo sanè de fidei verbo tractans reiiciendus, quia in multis vtilis est mercenarius.

Philip. 1. 10

Sunt etiam qui bona loqui fastidiunt, quorum dum ab omni pia actione manus cessat, non est mirum, si à sanctæ locutionis studio lingua torpescat. Qui enim nil boni proponit agere, vnde quæso diu valeat in animo bona versare? Attamen sunt, qui benè ac continenter viuunt, sed quia pastoralem non habent in Ecclesia locum, æstimant se non debere fratribus sanctæ prædicationis verbum; quod valde absurdum est: Si enim per subiugale mutum, id est per Asinam, iuxta illud Beati Petri, Deus corripi voluit Prophetæ insipientiam, quàm multùm & penè absque comparatione dignior est humana natura ad docendum, & dandam coæqualibus disciplinam?

Quilibet doctus, licet non Pastor, docere debet.

2. Pet. 2. 16.

Loquamur itaque quicumque sacræ Paginæ notitiam adepti sumus, sicut ex Deo, hoc est Deum totius nostri Tractatus habentes originem, & coram Deo nulli præter Deo soli ex nostris Sermonis contextione placere quærentes. Si enim quicquid ad exhortationem pertinet animarum, non aliud debet sonare quàm Deum, vel aliunde quàm ex ipso quasi ex proprio suo fonte prodire? quid sacrilegij facit, qui de Diuinis rebus in quibus Dei sola quærenda laus est, suam præsumit quærere? Si furtum inter humana negotia probrosissimum est, quid criminis esse putamus, sua subtrahere Deo, & sibi arrogare?

Elatio, arrogantiaue fugienda.

Fugiamus etiam connumerari duobus illis pessimis & inordinatissimis, vt sic dicam, ordinibus, quos in Ecclesia non habemus vt fratres, sed toleramus vt hostes, quorum alter est malè facientium, alter verò benè facere nolentium. Hi designantur per duos Iudæ filios, HER, & ONAN, quorum primus neque in conspectu Domini, & ab ipso percussus vitam iniquorum, qui à Deo pro sceleribus puniuntur, designat. Secundus, qui semen fratris nomine suscitare noluit, & diuinitùs interimi meruit, eos, qui verbi Dei semine in cordibus fidelium, ad honorem Christi fructum boni operis procreare respuunt, significat, qui non minùs damnationi succumbunt, quàm hi qui mala ipsa efficiunt.

Nam si iuxta Beatum AMBROSIVM, qui non repellit à socio iniuriam si potest, tanto est in vitio quàm ille qui fecit, quid obstat dicere, quòd similem prorsus reatum incurrat, qui peccantem attendit, & corrigere recusat? Iuxta Apostolum sanè non solùm qui faciunt, sed & qui facientibus consentiunt, digni morte dicuntur.

De offic. lib. 1. ca. 36.

Rom. 1. 32.

Licet ergo non sit Episcopus, aut Abbas, seù qualibet potestate præmineat, agat tamen iuxta Beatum Augustinum pro perso-

na quam portat. Christianus est, si Christianè viuere vult, sicut in se, ita quoque in aliis Christianum nomen clarificet.

23. 3. In Deuteronomio etiam ita legitur. Moabites, &* Ammanites non intrabunt in Ecclesiam Domini etiam post decimam generationem vsque in æternum. Et de singulis causas subiiciens, de Moabite quidem ait, quia Israëlitis cum pane & aqua egressis ex Ægypto non occurrerit; de Ammanite verò quia Balaam ariolum ad maledicendum eisdem conduxerit.

* Ammonites.

Quid per Moabitem, & * Ammanitem, nisi supra memoratum duplex hominum genus; scilicet prodesse nolentium, & malè agentium? vbi enim dicitur, quia cum pane & aqua non occurrerit, culpatur, quia prodesse noluerit. Vbi autem dicitur, quia Balaam aduersus Israël conduxerit, arguitur, quia nocuerit. Hi non intrant in Ecclesiam Dei, quia Corpori Christi, quod est Ecclesia, nunquam sociantur, non solùm qui in malis operibus exercentur, sed etiam qui spiritualibus epulis ac poculis alios pascere pigritantur.

* Ammonitem. Ibid. 4.

Absit enim vt in tanto corpore non dico membra mortua, sed saltem minima vngula inutilis aut otiosa habeatur. Licet autem decimam generationem attigerint, id est in Baptismo Trinitatis fidem se habituros spoponderint; & septiformis Spiritus sub Pontificali dextera munus acceperint, certum est quod pro animi nequitia in Domini corpore esse non possint. Denarius numerus ex tribus & septem constat, & ideò Trinitatem cum septem charismatibus signat. Quamuis ergò Ecclesiastica Sacramenta cum verè fidelibus accipiant, extra fidelium tamen chorum pro sua inutilitate vti mortua membra iacent, qui quidem Israëlitis non nocerent, nisi Balaam mercede conducerent, quia fratribus molesti non essent, nisi primum diabolo seipsos darent, & cum ipso postmodum facti vnanimes contra bonos bella miscerent.

In quo planè notandum est, quia quicquid mysticum in Ecclesia fit, non minus reprobis, quàm Electis secundum dispensationem commune sit & Baptismus, & Eucharistia, & Spiritus datio: non melius quantùm ad vtilitatem suscipientium administratur à probis, quàm datur à reprobis. Etsi enim Spiritus Sanctus effugere dicatur, fictum notandum tamen quod interponitur *disciplinæ*. Effugit autem quantum ad suam ipsorum salutem, qui viuunt indignè; adest verò quantùm per ipsos omni miseria squalentes, aliis largissima ministrat suæ dona gratiæ. Canalis aquas accipit, sed ad hoc solùm, vt alias transmittat, & hi non dissimiliter habent alteri, sed non habent sibi. Spiritum verò disciplinæ non habent, quia in labore hominum non sunt, & cum hominibus flagellari non merentur; & cum extra disciplinam sint, secundum Apostolum adulteri & non filij sunt.

Sacramenta æquè à bonis ac reprobis ministris porrecta prosunt suscipientibus. Sap. 1. 5. Mali ministri quid agunt. Psal. 72. 5. Heb. 12. 8.

Ipse est Spiritus, qui cum sit bonus docet nos bonitatem, in bono scilicet ac simplici nos affectu constituit, & sic nos deinde disciplinam docet, vt non fatigemur, cum à Deo arguimur, quia cum ab ipso iudicamur, correptio est, vt non cum mundo damnemur, & per hoc multa iam scientia & discretio acquiritur, vt sciamus temporales glorias æternos subsequi luctus, & flagella momentanea bonis compensari perennibus. Spiritum disciplinæ non habuerunt Herodes, & Antiochus, qui spirituali eos in aliquo amore inter flagella tetigerit, aut de Deo eos aliquid (quia à discendo disciplina dicitur) discere fecerit, sed duplici contritione hîc & in futuro conterendos in sua obstinatione dimisit.

Disciplina à discendo.

Hæc per excessum diximus, vt discrepantiam inter bonos & malos in solo tantùm animi habitu monstraremus. Is habitus nihil est aliud, quàm bona voluntas, & pius affectus, simpléxque conscientia, qua nihil felicius esse Christiani docuêre Authores. In hoc si volumus, à peruersis diuidimur, hac specialiter re ab eorum sorte discernimur. Hæc est illa vestis nuptialis, qua qui non induitur, à sacræ mensæ consortio emittitur.

Bona voluntate nil felicius. Ambros. In Psal. 28. v. 1. & lib. 2. off. c. 1.

Cæterum alia omnia, quæ exteriùs exhibentur, sicut boni ita & mali dant & accipiunt, iisdem Sacramentis imbuuntur, & imbuunt, eadem miracula faciunt. Simus igitur Sanctæ Ecclesiæ membra, non mortua, sed congruum Dominico corpori officium reddentia, vt sicut in Sacro-Sanctis mysteriis exteriùs peragendis sumus bonis consimiles, simus etiam introrsum affectu & effectu totius pietatis æquales. Sit liber noster, ex quo nostræ procedat textus orationis, pura conscientia, ne dùm lingua aliis bona annunciat, peccati memoria nos intus mordeat, quæ locutionis impetum occulta confusione præpediat. Sermonem præcedat oratio, vt animus feruens amore Diuino ardenter, quæ de Deo sentit, enuntiet, vt sicut apud se intrinsecus ardet, sic auditorum corda inflammet. Sermo namque tepidè languidéque prolatus, cum nec ipsi, qui profert, placeat, mirè mirum esset, si cuiquam placeret, & ab eliso & iacente dictus alios erigere posset; cùm proculdubiò experti simus huiusmodi verbum non animos audientium sedare solere, sed opprimere fastidio, & ad iram grauiter irritare. Cùm itaque rationis acumen minùs in nobis vigere senti-

Optima Concionatoris exercitia. Sermo tepidè languidéque prolatus nulli placet.

mus, & loquela nostra obtunditur, & quod dici debeat non abundat, & mens in arcto posita defectum patitur, vt æstimo ad nullius vtilitatem extunc sermo porrigitur.

Verbosiùs dicta tædiũ generant, nilque boni efficiũt.

Nam si quando verbi copia exuberat, & ad cordis placitum lingua progreditur, longus nimiè fieri sermo non debet, quantò minus cum nec memoria suppetit dicendorum, & locutio præpeditur, & animus torpet. Apud Beatum Ambrosium legitur, quia sermo tædiosus iram excitat; & cùm eadem sæpius replicantur, vel vltra modum diuersa dicendo tenduntur, fieri inde solet, vt tædio victis omnia pariter, prima, media, & vltima auferantur, & quæ prodesse pauca poterant, nimia & indiscretè effusa in fastidium, & penè quodammodo in odium vertantur.

De officiis lib. 1. c. 22.

Nam sicut victualia sobriè sumpta ad corporis nutrimentum in corpore permanent, immoderatè verò vorata in detrimentum vergunt, & vomitum prouocant, & qui semine legitimo & parcè modestéque edito coniugi miscetur, prolem creat, qui verò semine fluit, nihil vtile efficit, sed carnem fœdat: ita qui nimiè verbum profert, & id quod auditorum cordibus insitum erat, & proficere poterat, aufert. Cum ergò & grandis animi feruor prædicanti adest, & multiplex tractandorum materia memoriæ non deest, facundiæ quoque possibilitas & ornatus necessitati superest, penset eorum qui tacitè audiunt imbecillas vires, meliúsque fore vt pauca & gratè suscipiantur quàm innumera, ex quibus nulla retineantur, finémque facere non differat, vt rursum cum sermonem facturus est, alacres eos non fastidiosos inueniat.

Quare breuitati studendum.

Præterea & aliud intimandum est, vt scilicet dùm illiteratis leuia & plana prædicat, literatis etiam quæ sibi conueniant sublimiora aliqua intermiscere studeat, & dum his quæ capacitati suæ placeant propinat, ita explicet, & vt ita dicam quadam circumlocutionis mola conterendo exponat, & quod durum ac difficile etiam doctis prius videbatur, ita lucidum & apertum reddat, vt idiotis ac simplicibus perspicuum quod dicitur esse queat. Sicut enim puerulis lactis alimentum familiare est & valde necessarium, vt sine lacte non posse viuere credatur infantes, nec soli tamen eo vtantur infantes, sed infractis panum crustis etiam quibuslibet grandæuis præstet cibum, sic plerumque cum vulgo simplex doctrina proponitur, & aliquid tamen propter intelligibiliores, vbi eorum exerceantur ingenia, ibidem interseritur, ita pascere consueuit hebetes, vt etiam solidioris additamento victus, id est interiecta ponderosiori sententia delectare soleat sapientes. Solent etenim in tractatibus Euangeliorum sententiæ de veteri Testamento adhibitæ auditores reddere magis intentos: quia dum quidpiam eorum auditui nouum insonat, animos quasi ex quadam voluptuosa sonoritate innouat. Hoc his contingere solet, qui scripturæ secreta libenter inquirunt, & semper discere quærunt. Placere etiam nonnullis comperimus simplices historias, & veterum gesta sermoni inducere, & his omnibus quasi ex diuersis picturam coloribus adornare.

Quomodo concionator auditorum captui consulere debet.

Dicendum etiam nobis est, quis tractatus doctori præcipuè habendus sit. Quatuor sunt Regulæ Scripturarum, quibus quasi quibusdam rotis voluitur omnis sacra Pagina; hoc est Historia, quæ res gestas loquitur; Allegoria, in qua ex alio aliud intelligitur; Tropologia, id est moralis locutio, in qua de moribus componendis ordinandísque tractatur. Anagoge, spiritualis scilicet intellectus, per quem de summis & cælestibus tractaturi ad superiora ducimur. Verbi gratia Hierusalem secundum Historiam ciuitas est quædam; secundum Allegoriam sanctam Ecclesiam significans; secundum Tropologiam, id est moralitatem, anima fidelis cuiuslibet, qui ad visionem pacis æternæ anhelat; secundum Anagogen cœlestium ciuium vitam, qui Deum Deorum facie reuelata in Sion vident, signat. Ex his igitur quatuor modis licet omnis fieri possit, aut certè ex singulis, tamen si quid vtilius est ad curam interioris hominis, pensetur magis commoda ac intelligibilis in tractando, moralitas esse videtur.

S. Scripturæ quatuor regulæ. Historia. Allegoria. Tropologia. Anagoge.

Allegoria sanè dùm in Propheticis, Apostolicísque libris disquiritur, penè nihil aliud quàm fidem ædificat; quia scilicet dum multifariàm multisque modis olim Deum loquentem in Prophetis attentè legimus, Christiani temporis Sacramenta indubiè prænuntiata ibidem comperimus. Dei verò gratiâ iam fides omnium cordibus innotuit, quam etsi inculcare sæpius ac retractare auditoribus oportuit, non minus tamen, immò multò crebriùs ea, quæ mores eorum instituere possint, dicere conuenit. Faciliùs enim & securiùs de virtutum natura disserimus, quàm de fidei Sacramentis, de quibus valde moderatè aliquibus loquendum est, disputamus. Error namque minùs intelligentibus ex nimis profunda prædicatione generari potest: ex morali autem institutione maximè solet acquiri discretionis vtilitas.

De fidei Sacramentis moderatè loquendũ.

De moribus verò semper vtilis sermo.

Quamuis itaque allegoricus sensus, si aliquando sermoni admisceatur, plurimùm esse soleat gratiosus, & si dicuntur, & verè aliquotiens dici debent aliqua, quæ ad fidem & intelligentiam Scripturæ Sacræ nos imbuant, tamen tota verbi nostri vigilantia de

De motibus animi fusè.

motibus interioris hominis, idest cogitationibus habeatur, quarum passio tam omnibus communis est, vt tractatus huiusmodi nulli, vt arbitror, possit esse obscurus, præsertim cum vnusquisque intra seipsum quasi in libro scriptum attendat, quicquid de diuersis tentationibus prædicatoris lingua retractat.

Et de vitiorum natura & fuga.

Non magis autem de origine aut custodia virtutum, quàm de concatenatione & fuga vitiorum fieri admonitio debet, vbi doctor quæ sint naturalia, & quæ extra naturam vitia; quæ etiam ex aliis generentur, & quàm perniciosa ex seipsis, & ex eis, quæ ab ipsis propagantur, sint, dum diligenter ac distinctè docet, fructum immodicæ vtilitatis exhibet. Cum enim scripturarum abdita simplicibus ac idiotis exponuntur, citò suis elabuntur memoriis, quia qui assueti sunt solis rebus corporeis, mirum non est si in spiritualibus, quæ non vident, cùm etiam in corporalibus, quæ sentiri à se ac videri possunt, non habent vires recordationis. Sunt sanè aliqui ita animales, vt vix aliqua nisi materialia, & quæ bestiis etiam sunt conspicuà comprehendant, & motus etiam necnon & vitia corporum ac animorum suorum, quæ indesinenter in semetipsis patiuntur, omninò nesciant, donec ab aliis audiant, quæ cum audierint vtinam firmâ relectione contineant.

Quàm vtile sit de vitiis tractare.

Dixi sanè, verúmque dixi non minus prodesse aliquotiens, si fiat tractatus de natura vitiorum, quam si fiat de natura virtutum. Si enim vitium non cognouero, quomodo sinceritatem virtutis amabo? Et vitium quomodo fugiam, nisi bonum, sanum, & integrum aliquid, cuius adipiscendi ac fruendi gratiâ ipsum vitium fugiendum sit, sciam? Sunt olera, sunt & cicutæ, vnum vtile est, alterum mortiferum: si ergò sit aliquis, qui olera quidem libenter comedat, sed inter olera, & cicutas distantiam nesciens, cicutas sicut olera comedendas credat, quid sibi prodest aliquandiu oleribus vsum fuisse, si post modum per ignauiam suam cicutas comedendo, contigerit sibi amentiam & mortem incurrere?

Debet itaque vniuscuiusque vitij origo diligenter discuti, vt dum quid sit vitium apertè cognoscitur, contrarium eius, quod est virtus, quasi granum distinctum à palea euidentius agnoscatur, & tantò studiosiùs vita, quod est virtus, ametur, quantò cautiùs vitium, quod est mors euitatur.

Quæ prædicatio vtilis?

Nulla enim prædicatio salubrior mihi videtur, quàm illa, quæ hominem sibimet ostendat, & foras extra se sparsum in interiori suo, hoc est in mente restituat, atque eum coarguens quodammodo depictum ante faciem suam statuat.

Sed fortè quis interrogat, quomodo hæc scire valeat, de quibus secundum interiorem hominem tractare debeat: Cui respondeo, quòd exceptis Beati Gregorij moralibus, & libro illo qui de institutis, & collationibus Patrum à quodam Cassiano, qui & Ioannes dicitur, scriptus est, quorum lectio vtilitatis immensæ studiosis lectoribus fructum præstat, cæterísque sanctis auctoribus, qui de huiusmodi nos instruunt, illud præcipuè omnibus sui custodiam habentibus, & contra vitia resistentibus valere ad cognitionem discretionémque vitiorum existimo, vt sollicitè contra cogitatuum & actuum suorum fluxa desideria se accingant; in quibus si fideliter certant, nihil est vbi tantùm de morum qualitatibus discere queant.

Ad virtutes adipiscendas, & vitia euellenda conditiones.

Qui enim per solas voluminum quorumlibet lectiones exteriùs instituì de his quærit, tantò citiùs obliuiscitur, quantò per experientiam ea quæ legit, aut audit, intra seipsum non relegit. Experientià autem nihil menti humanæ vtilius est, quia in sua conflictatione dum instanter perseuerat animus, & aliquotiens de victoriæ suæ fœlicitate lætatur: dum quoque rursus animi mutato statu contra cordis, aut carnis suæ tentamenta lassatur, & qui contra prauos appetitus cor impenetrabile se habere gaudebat, iam emollito rigore illo vitiorum æstus se posse tolerare diffidit, dum inter spem & metum mens nutabunda vacillat, Deo occasiones subministrante resurgit; & de lacu illo instabili, in quo cœca & quasi ebria ferebatur, ad soliditatem tandem cogitationis diû circumacta reuertitur.

Quibus mediis Deus hominem conuertit.

Occasiones autem resurgendi, dum in lucta tentationis, aut in torpore mentis positi sumus, Deus nobis administrat, cum aut rationi nostræ spiritum cumpunctionis suggerit, scilicet pensare nos faciens miseriam nostræ voluntatis, aut Deo ipso dispensante, cum laudari ab aliquo nos audimus, aut sermonem exhortationis ad alios facere cogimur, ac per hæc ad nosmetipsos videndos, qui simus, vbi iaceamus, reducti ingemiscimus; seu certè cum per alterius sermonem facientis viuum eloquium, siue per Diuinæ Paginæ lectionem à langore animi excitamur, seu quibuscumque aliis modis innumerabilibus & omninò insperatis ad bené agendum reuocamur.

Quid attédere debeat qui propriæ studet perfectioni.

Confitendum igitur est Domino, his maximè qui descendunt mare, idest humiliantur tempestate tentationis, sed tamen sunt in nauibus, hoc est in directione piæ intentionis, quia etsi fluctuant tamen non merguntur, *facientes operationem in aquis multis*, idest inter collisiones atque concursus, quos carnales ac spirituales impetus aduersum se acerrimos faciunt, in hoc bonæ operationi

Psal. 106. v. 23.

inseruiunt, quod nec studium repugnandi deserunt, nec malis oppressi foueam desperationis incidunt, sed rationis intuitu in Deum, qui potens est eruere, sese proijciunt: isti *opera Domini & mirabilia eius in profundo*, idest in dejectione animi, in obscuro fluctuationis, in timore peccandi *viderunt*, id est experti sunt. Magnificè enim tentati magnificentiùs sunt erepti, gratias magnificentissimas debent.

Ibid. v. 24.

Cum ergò hæc euadentes pericula secum pensant, quid de bono statu in quo erant positi; aut per nimiam securitatem, quâ se sine magno timore & cautela posse putant integram religionē tenere; aut per ineptam lætitiam, quâ de suis bonis, & bonorum perseuerantia plus iusto lætantur; aut per contemptum, quô aliis quasi infra se longè pro sua torpida vita iacentibus indignantur; aut in tentationem; aut in desidiam & torporem delabi meruerint, & nunc succumbendo, nunc superando passionum, idest desideriorum suorum fornacem euaserunt, multa mira valdéque vtilia sunt, quæ in istis rebus sibi contrariis comprehendi ab eo qui tolerat, possunt, quæ etiam intelligibilem animum vehementer etiam sine literis atque libro instruunt.

Perquàm vtiliter proficit, qui tentationū exercitio & iugi virtutum praxi est edoctus.

His ac similibus quilibet docendi habens officium, subtiliter si velit institui, in seipso primùm potest, & post modum quod bellorum internorum experientia docuit, multò copiosiùs quàm dicta nobis valet, secundum quod sibi euentuum suorum commoda & incommoda memoriter tenenda impresserunt, erudire salubriter & alios potest. Potest quilibet iners, & qui militiam nunquam exercere vel cœperit, quia bellantes viderit, vel bella narrari audierit, de bellis multa dicere, sed longè dissimiliter ille bella rememorat, qui in bello pugnauit, & impugnatus est, qui militaria fecit & passus est.

Sic fit & in spiritualibus, dum aliquos, quæ in libris legerint, vel ab aliis audierint, audimus satis facundè eloqui, sed longè alterâ authoritate de congressu spirituali ille tractat, & quasi digito quod dicit ostentat, cui testis eorum quæ ore pronunciat conscientia astat. Et quidem valde proficit literatis, si ea etiam quæ ipsi norunt, eloquenter sibi dicantur; sed si minùs accuratè, fastidium, & contemptum eis pariunt: vnde cum literatis atque illiteratis pariter positis commonitorium facimus, aliqua minus vsitata attamen intelligibilia vtrique parti proferre debemus, vnde eorum tœdia, qui ea quæ dicimus satis sciunt, remouere possimus. Quod fit, cum Sancti Euangelij lectiones exponendo, quippiam aliter quàm vsitatæ expositiones habent moraliter inducimus, & quasi quodammodo de veteri maceria superliniendo nouam reddimus.

Sunt planè quædam Euangeliorum capitula, solummodò à Patribus allegoricè tractata, & ad Iudæorum Gentiúmque personam exposita, quæ tamen si aliquis perspicax, & Scripturarum studiosus, secundum aliarum regulas interpretationum scrutari velit, vix aut nunquam alicubi intellectus deerit, sed quocunque legentis spiritus & voluntas ierit, illuc pariter & rota, idest Scriptura Sacra præsto aderit: Sed tamen licet eis, qui valenter Sacræ Paginæ scientiam habent, summopere hoc genus exercitij valeat, præsumendum nulli est, nisi ad plenum variis modis locutionum, sub vna eademque re, diuersitatibus significationum longo vsu didicerit allegorias solere componi.

Præsumendum, inquam, nulli nisi literis sagaciter imbuto, & sub eisdem, vt dixi, rebus, ac nominibus multiplicia sentire prorsus instructo: Verbi gratiâ, petra, fundamentum, aqua, & cœlum, herba, & lignum, sol, & luna, & innumera alia, cùm multa in scripturis significent, attendendum est ei, qui in aliqua sententia obscura exercetur, cum aliquod talium nominum occurrerit, quot modis in scriptura accipi soleat, vt puta, aurum diuinitatem, aurum sapientiam, aurum vitæ claritatem significat; & consideratis omnibus, quod magis viderit congruere loco illi, quem retractat, securus apponat. Ita paulatim in dies sumptâ fiduciâ cum per significantiarum cognitiones viderit sibi sanctam scripturam arridere, iam ad maiora progrediens, quæ quondam se nunquam attentaturum præsumere posset, spe etiam semper meliorum prouocatus aggreditur, ad quæ penetranda testimoniis sacri eloquij cateruatim sibi occurrentibus non minimum confortatur. Duobus autem hoc fieri solet, exemplo scilicet atque ratione; exemplo scripturarum, vt dixi, præcedentium; & ratione, videlicet cum exempla minus adsunt, & per considerationem naturæ illius rei, de qua agitur, aliquid allegoriæ, vel moralitati conueniens inuenitur, sicut de lapidibus gemmariis, de auibus, de bestiis, de quibus quicquid figuratè dicitur, non nisi propter naturarum significantiam profertur, in quibus etiamsi nulla pagina aliquotiens attestatur, per naturæ tamen inspectionem licenter coniicitur.

Quomodo sese habere debeat in obscurioribus Scripturę locis.

GREGORIVS NAZIANZENVS vir mirabiliter eruditus, in quodam suo libro testatur, se id habuisse consuetudinis, vt quicquid videret, ad instructionem animi allegorizare studeret. Quod acumine rationis si facere assuescat aliquis, non modò in voluminibus diuinis, sed etiam penè in his omni-

Assuescendum creaturas, quæ oculis se obiiciunt, ad morum instructionem reducere.

bus, quę subiacent oculis comparationes satis idoneas in exemplum, & significantias vtiles illarum quas ex vsu assiduo nihili pendimus rerum vberrimè inuenit, quę tantò vtilius cogitantur, quò beneuolentiâ illis ampliore dicuntur, tantóque sunt gratiosiora, quantò minùs auditoribus vsitata.

Possent & de his, quæ ratione adinueniuntur, plurima tractari, sed vereor, ne si de hac re loqui inciperem, verba supra modum extenderem, & nescio si ea tam lucidè possem explicare vt cuperem.

Auditoribus Prædicatorum gloriæ ac lucri cupiditas nocet permaximè.

Proficere præterea præcipuè audientibus solet eius qui loquitur sincera & absque vlla laudis cupiditate intentio, vbi sola eorum qui auscultant in diuinis rebus eruditio quæri intelligitur & salus, vbi peculiaris gloriæ de grandi eloquentia non auertit eos, nec potest notari typus. Nihil enim magis offendere consueuit auditorem, quàm quod causâ pecuniæ aut ostentationis scit suum, seù æstimat disputare prædicatorem.

Irritat qui talis agnoscitur, non prædicat, quia quò dicta sua venustiore ornare conatur eloquio, tantò acriore astantium pectora ad contemptum (pro dolor!) etiam eorum quæ benè ab eo dicuntur, & maximè sui ipsius vexat fastidio, quæ tamen quouis fastu enunciarentur, supplici deberent vti diuina excipi animo.

Hæc qualiter tractare debeas, vir amantissime, iuxta inopiam meam dixi, nunc deinceps, de quibus aliquando sumere possis loquendi materiam, Deo aspirante, fari exordiar.

Quænam sunt peccatoribus obiicienda.

Omni homini in confusione vitiorum summerso satis quidem vtile est supplicia inferni quàm sint horrenda edicere, & cum illo ineffabili suo horrore quàm sint infinita narrare. Sicut enim in cœlesti regno positis nihil beatitudinis deerit, sic è contrario in æternum damnatis nihil miseriæ, nihil quod ad pœnam pertineat deesse poterit. Et cum sine vllo vel momentaneo remedio crucientur, illud præcipuè & incomprehensibiliter cruciat animos perditorum, quod nec saltem post mille millia annorum spem habent tormentorum euadendorum, sed mortem immortalem passuros se sciunt in sæcula sæculorum. Spes enim & sanè aliquotiens falsa refouet mentes in aduersis constitutas, sed ibi nec vera, nec falsa erit, quæ eos consolari possit. Sed hominem animalem, id est bestialiter viuentem, cuius sensus in his quæ corporaliter videt toti inhærent, quia non capit quę Dei sunt, ita terrenæ voluptatis consuetudo excæcat, vt nihil eum, quod de futuro sæculo sibi dicatur, deterrere queat, & si aliquando deterreat, quia quod dicitur adhuc non sentit, citò à mente excidat.

Pœna dãnatorum.

Diuersa diuersis vitiis remedia sunt adhibenda.

Obiicienda ergò ei sunt quę in præsentiarum inter malè faciendum, & pro malè faciendo tormenta anxietatum ac timorum patitur, & quod nihil inde nisi laborem & & dolorem turpissimum consequatur. Verbi gratiâ, furto quis assuetus est, cupiditate itaque cuiuslibet rei victus, non dico à timore nocturno, vnde ego satis extimescerem, sed ne à membrorum quidem amissione, vel ab ipso exterritus suspendio, quod se non euasurum scit, si deprehendatur, vadit furatum: timet sanè, & truci tremore concutitur, sed vi cupiditatis euincitur. Conuictus itaque talis furcis appenditur.

Dicam & de incestu, sed verbo nobilis illius Boëtij commodiùs dicam. Quid, ait, de voluptatibus loquar? quarum quidem appetentia plena anxietatis est, satietas verò pœnitentiæ. Quid hoc verius dicto? torquetur in concupiscentia flagitij positus, æstuat cogitans qualiter prauum affectum ad nequiorem ducat effectum, & dum cognosci quod agit, timet, diro & intolerabili cruciatu vritur; & dum æstus sui impatiens expedire se nititur, velit nolit vsu proprio superatur. Dum feruet desideriis, queritur aduersum se grauiter de bello, quod tolerat, & se miserrimum clamat, ita vt seipsum fastidiat, & viuere tædeat. Et expleto quod cupiit, quæ torturæ? Qui gemitus? Quàm sera pœnitentia tunc infœlicem hominem sequitur?

De Consol. lib. 3. Prosa 7.

De quo sine dubio dixerim, quia si tantùm veracis tristitiæ, & fructuosæ pœnitudinis post perpetrationem peccati haberet, quantùm post effectum libidinis aut alicuius criminis, & in ipsa etiam excogitatione antequam perpetret primum angustiæ quomodo scilicet efficiat, dehinc mæroris quo ex satietate peccati ad horam, donec scilicet solitus feruor redeat, fastidium consueuit pati, maximum & omni acceptione dignum Deo fructum suæ contritionis offerret. Sed verum est prorsus, *quia filij sæculi huius prudentiores*, & vt sic dicam viuaciores *sunt filiis lucis in generatione sua*. Dicitur enim Apostolis: *vel Iudam non videtis quomodo non dormit*, non quod melior foret Iudæ Vigilia Apostolorum somno, sed quod illius in malo sagacitas Apostolis adesse deberet in bono. Et Paulus humanum dicens propter infirmitatem carnis nostræ, sicut nostra exhibuimus membra seruire iniquitati, si non ampliùs, sic saltem exhibere nos vult ad seruiendum sanctitati.

Luc. 16. v. 8.

Rom. 6. 19.

Nouerat acrimoniam & sagacitatem humanæ mentis ad malum, qui si tantumdem bonorum studiosi essent, magnæ laudis titulo digni forent. Obiiciatur ergò talibus sub quibus aculeis & tortionibus miseras transigant voluptates, obiiciatur turpis opinio,

quâ sola seù apertis siue non apertis reatibus infœlicium sordidatur honestas. Si itaque mala futura quia non ante oculos aut à lateribus ea habent, adhuc timere dignantur, timeant saltem pro tantilla voluptate tam rabidis cruciatibus agitari, de quibus nihil sibi contingat, nisi honestatis periculum, perditionémque lucrari: quæ inquam voluptas ad apis similitudinem, vt præfatus author ait, mel in ore, id est in suggestu ipsius delectatiunculæ gerit, sed aculeum in cauda, quia post modum quicquid dulcedinis infimæ hausit, Sæuæ suspicionis acerbitate exoluit.

Boët. vbi sup. Metro 7.

Dicit Sanctus Gregorius, quia nihil simplici mente fœlicius: contra quod quidam ait, quia mens malè conscia propriis semper agitatur stimulis, dum malefacere gestiendo, aut malefacta timendo intestinis creberrimè crematur incendiis. Si igitur consulit æternæ perditioni, vel præsenti consulat A verecundiæ, & conuersus ad cor discat resistere consuetudinibus prauis, sollicitè videlicet inquirens, quid distet inter carnem & spiritum, immò quid sit caro & spiritus. Frustrà enim miles armis instruitur, nisi animum acrem habeat, quo hostibus reluctetur. Et quid prodest virtutes carnalibus aduersas lasciuiis agnoscere, si ratio iners & torpida ad impugnãdas eas non velit assurgere.

Moral. in Iob. lib. 12. cap. 21.

Sola ad virtutes acquirendas theorica parum prodest.

Sumamus itaque quiddam veracis historiæ in exemplum, cuius dum secreta discutimus, plurimæ institutionis nobis instrumenta aperimus. B Nec nos res nouas moliri in hoc quisquam existimet, sciens quia si secundum Poëtam:

licuit sempérque licebit
Signatum præsente notâ producere nomen:

multò magis liceat omnibus Sacræ Paginæ scientiâ doctis saluâ fide, & iuxta veterum regulas interpretum, Scripturarum per sensus varios disquirere vbertatem. Dicamus igitur.

EXPLICIT PROŒMIVM.

INCIPIT MORALIVM GENESEOS LIBER I.

CAPVT PRIMVM.

Vers. 1.

IN principio creauit Deus cælum, & terram. In principio conuersionis nostræ intra nosmetipsos in duo quædam sibi valde contraria diuidimur, quæ in nullo benè viuente pacem vel momentaneam inter se vt puto reperiri possunt habere. Sunt autem caro, & spiritus. Caro autem hoc in loco, & sæpè aliàs cum pro vitiis carnis ponitur, in malo accipitur. Homo namque à Deo ita conditus est immunis ab omni superfluo, & inordinato animi & carnis suæ motu, cum tanta harum duarum partium concordia creatus est, vt nil in se prorsus molestiæ pateretur, donec Diuinum imperium serpenti obtemperans transgrederetur: quo pacto illicò contrariam dominio mentis sensit carnem. Et iustum quidem fuit, vt quandiu ipse Deo obedienter subiiceretur, nullam repugnantiam sui aduersus se pateretur, nec minus iustum fuit, quod cum Deo subiici nollet, nec seipsum sub suo iure haberet. Vnde & cum de vetito comedissent, ambo sibi dicuntur Perizomata, idest circumcinctoria texuisse, quia videlicet hi, qui priùs nihil concupiscendo viderant, jam æquo iudicio turpiter stimulari in alterutrum sentiebant.

Caro identidem pro malo.

Perizomata, j, circumcinctoria. Gen. 3. 7.

Extunc ergò in nobis concupiscentialis inobedientia regnat, quæ etiam nolentes ad motus nos indecoros inuitat. In his igitur qui chaos vitiorum deuitâtes, principia conuersionis beneuolendo fecerunt, Deus cælum, & terram creat, quia Spiritum, idest rationem, & terram, id est carnalem affectum, quæ priùs confuso in corde fidelium commixta ferebantur, ordine discernit & suscitat, & cælum quidem superius statuens, cuiusdam ei principatus dignitatem tribuit, de cuius nutu terra cum suis omnibus sperare debeat. Sicut enim de cælo lumen infunditur, & ex discursu nubium vbique terrarum pluuiæ ministrantur, ex quatuor quoque ventis cæli terra perflatur, ita de ratio- A ne, quæ summa nostri pars est, intelligentiæ, rectæ intentionis, discretionisque claritas procedit, in ea Patrum antiquorum cœlestes enubilantur, seruatur & aliis tradendæ sententiæ, ex quibus cum compluti, & alij fuerint, sui etiam corporis terram, idest omnes sensuum suorum partes, hac spiritualis scientiæ plenitudine ad bonis operibus fructificandum irrigat, & quatuor spiritualibus, principalibusque virtutibus, prudentiâ scilicet, iustitiâ, fortitudine, temperantiâ B quicquid vitiosi est humoris, quasi cuiusdam auræ potentis impulsu abstergit & siccat. Sicut enim si benè attendas, terra nihil penè est, nisi de cœlo quicquid boni gignit accipiat, ita corpus nostrum omni sterilitate boni & miseria peccati squallidum remanet, nisi ratione regatur. Ratio verò nihil aliud est, quàm intellectus, ex quo Dei & Angelorum similes efficimur, quo ea quæ Dei sunt sapimus, quo etiam solo in vita hac à bestiis differimus, hoc animalitatem no- C stram, id est carnalitatem, quam cum bestiis habemus communem, regere & ordinare debemus.

Habemus igitur cœlum in nobis quo in cœlestia suspiremus; habemus è contrario terram, qua ad appetenda infima pecorum more demergimur. Hæc sibi secundum Apostolum inuicem aduersantur, vt quæ bona cupimus facere, sæpiùs non possimus. Cum itaque ad Deum conuertimur, rationem, quæ sub affectu carnali quasi ancilla or- D dine præpostero, & valde peruerso iacebat, erigimus, & contra eum, qui seruili audaciâ dominæ suæ insurrexerat, perpetuum certamen exercere proponimus. Tunc ergò primùm in nobis cœlum ac terra creatur, cum duûm istorum intelligentia, & ordinata secundum iustitiam differentia in animo haberi incipit. Sed ipsam terram qualiter explicet sequentia videamus.

Gal. 5. 17.

Terra autem erat inanis & vacua. Terram, vt dixi, vel corpus nostrum, seù affectum

Vers. 2.

carnalem debemus istic accipere. Carnalis vero affectus inanis verè dicitur, quia nihil solidum, stabile, vel constans, quantùm ad se pertinet, habet, sed sicut caro subtractis ossibus tota concidit per se stare non valens, ita pars nostri inferior, scilicet animalitas, nisi adsit ratio quæ regat, nil ponderosum, nil vtile, sed totum vanum, turpe, & incommodum agere nouit. Quæ inanitas præcipuè ad interiorem pertinet hominem, ad deterioris videlicet affectus ipsius partem, cum longè à Deo cogitatio eius & cura versatur, & aut otiosum prorsus est, aut noxium quod meditatur. Cùm ergò sit in vagabundo cordis appetitu inanitas, & à Diuino, vt ita dicam, semine miseranda sterilitas, restat vt sequatur necessariò in operum bonorum exhibitione vacuitas, quia valde mirum esset, si vitalem succum arbor à radicibus perdidisset, & arefacta introrsum folia fructúsque produceret. Terra ergò primò inanis interius, & vacua ab vtilitate exterius. Qui de terra est, ait, de terra habet esse, & ideò habet de terra loqui, quia si conderet homo quid à se habeat, nil prorsus inuenit, nisi quod absente Dei gratiâ asinum iuuat. Quid enim est homo, non dico sine ratione, sed sine Deo, qui clarificat rationem, nisi pecus? Ratio namque nisi amori Diuino adiuncta, versutia potius sæcularis & diabolica dicenda est, quàm ad aliquid boni valens prudentia. Hæc cum Deo inspirante legem iuxta Apostolum spiritualem scit & amplectitur, carnalem tamen affectum patitur vanitati subiecta non volens; vnde & quod operatur non intelligit, id est non approbat, non diligit. Per spiritum enim, id est rationem, quæ cum Deo sentit, & ex Deo, & cum Deo videt, attendit bonum quod fieri conuenit, desiderat facere, sed caro renititur, & venundatus, id est alienatus homo à potestate sui per consuetudinem peccandi, quod non vellet per spiritum, facit per affectum, & ex eo quod inuitus facit, ex hoc ipso legi Dei quoniam bona est, consentit.

Ioan. 3. 31.

Et vt probetur magis hæc terræ inanitas, addit ibidem Apostolus. Nam cum dixisset: *Nunc autem non operor ego illud, sed quod habitat in me peccatum*, id est non ex mea rationali voluntate procedit, vt malum faciam, sed ex necessitate prauæ consuetudinis. Adiecit: *Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Omnis enim creatura sine Deo in quantum ad verum esse pertinet, nihil est, & si expers sit summi boni, per se nunquam bona est. Omnis autem natura quia à Deo fit, bona est; Diabolus enim secundum hoc bonus est, sed ex suo pessimus est. Vnde verum est quia terra quantum ex se habet inanis est, nulla vtilia cogitans vacua est, nihil idoneum vsui fructificans. Inanis ergo interius, & vacua exterius.

Rom. 7. 17.

Ibid.

Dicunt Authores nostri, quod in veteri translatione non dicitur, *Inanis & vacua*; sed *Inuisibilis & composita*. Quod optimè moralitati consonat. Mens enim hominis in peccati profunditate constituti, cum per consuetudinem peccandi ad reprobum sensum peruenit, ita amore vitiorum, quibus assuetus est, prægrauatur, vt omnino seipsum attendere nesciat, & in qua corporis dehonestatione & animæ perditione iaceat, prorsus non videat. Talis est enim reprobus sensus, vt in tantum mentes periturorum excæcet, vt cum sint in fœtore miseriáque, & omnium se videntium despectu ac horrore positi, beatos se solos, & verè ab aliis honorandos pro sua prosperitate, & bonis prouentibus, quibus super alios fœlices fore se gloriantur, æstimare audeant. Hi sunt de quibus Salomon ait: *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Quod maximè sensus reprobi proprium est.

Gen. 1. 2.

Prou. 2. 14.

Antequam itaque Deus inter cælum, vt suprà diximus, distinguat & terram, terra erat inuisibilis, quia antequam in corde cuiuspiam criminosi discretionis gratiam daret, affectus carnalis quàm sordidus, quàm execrabilis esset, non Deo, quem nil latet, sed sibi ipsi, qui patitur, penitus inuisibilis est; quia sicut ebrius quod patitur nescit, ita vitiis plenus quid sit honestum, quid non honestum discernere nequit. Sicut namque viuus & mortuus si aliquo in loco sint positi, viuus quidem mortuum videre potest, sed mortuus viuum non potest, ita homo quispiam, cuius rationaliter animus viget, vitia quàm detestabilia videre potest, qui vero in profundum malorum iam venit, & iam contemnit atque desperat, quid sit virtus, quid modestia, quid bona cætera non considerat: furor enim est illis, scilicet peccatoribus, *secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.* Furor est reprobus sensus, qui in amentiam versos irrationabiliter, & vt ita dicam, porcinè viuere miseros cogit. Qui secundum similitudinem serpentis videlicet aspidis est, quia sicut aspis cum presenserit incantatorem, alteram aurium terræ affigit, alteram verò caudâ obturat, ne incantantis carmen obaudiat; sic isti cum verba sacri eloquij, aut cuiuslibet prædicatoris audiunt, quæ de contemptu voluptatum proferunt, mox ad memoriam pristina sua delectamenta reducunt, quibus quasi cauda aurem cordis obducunt, & præsentia quibus feruent & inhiant pariter attendunt, quibus totum suum intellectum in terrena deprimentes contra Deum se vocantem obstruunt.

Psal. 57. 5.

Hi terra inuisibilis sunt, quia seipsos in qua peste sunt pensare non norunt: repleti namque iniquitatum obscurati sunt terræ domibus, id est proni ad proprias libidines, nil scire nisi quod carni dulce sit quærunt, & ad Diuina videnda oculos animi perdiderunt. Et quia nondum nec seipsos aspicere præualent, iure terra quæ inuisibilis præmittitur, incomposita subinfertur. Nisi enim intuitum suæ internæ considerationis aliquis amittat, nunquam ad exteriora mala, & incomposita, & inordinata opera procedit. Sicut namque cœcus ea, quæ corpori suo adhærent, vestes scilicet suas & cætera disponere nitidè ac decenter, & sordes appositas euitare nescit; ita is qui mentis per vitia cæcitatem incurrit, actus turpes, & indignos, quorum studio flagrat, interiùs moderari penitus nequit. Legitur apud Salomonem: *Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso.* Nisi enim introrsum à Deo apostatasset, ad incongruos ac reprobos gestus exterioris hominis non venisset. Caueatur igitur primùm cæcitatis occasio, ne fortè superueniat obscænorum operum effusio.

Psal. 73. 20. — Prou. 6. 12.

Sed vnde hæc prodeant, vigilanter sermo Diuinus intimat. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Potest ad literam dupliciter ita dici. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, id est super profunditatem aquarum, quæ propriè vocatur abyssus: vel super faciem abyssi, id est plusquam in abysso. Abyssus allegoricè mens humana dicitur, quæ quantæ sit quàmque *incomprehensibilis* profunditatis, omnis homo nouit, cui inscrutabilem altitudinem, instabilitatem fluctus, perturbationem sui cordis experiri contigit. Euenit enim etiam in bonorum cordibus, cum caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem confligit, vt in tanta densitate cogitationis sit animus, vt ipse vix in seipso deprehendere possit, in quo sit statu, vtrùm sequatur impetum carnis, an impetum spiritus.

Legat qui vult pleniùs id nosse Beati Augustini tractatum super *Abyssus abyssum inuocat.* Et in cordibus iniquorum quod putamus est baratrum, quę tenebrarum immensitas, si mentibus electorum tanta inest obscuritas? Si *super humum populi* Dei iuxta Prophetam ascendunt *spinæ* curarum sęcularium, *& vepres* desideriorum carnalium, *quantò magis super domum gaudij ciuitatis exultantis?* Quod est dicere, si hi qui nil aliud in hoc mundo charius habent, quàm suam à Domino flere peregrinationem, flere sæculi præsentis ęrumnam, molestias & tumultus, nebulásque animorum patiuntur, quantò grauius illi, qui totis pręcordiis flagitia sitiunt, auaritiâ anhelant, libidinibus sordent, inuidiâ tabescunt, superbiâ turgent?

Psal. 41. 8. — Isaiæ 32. 13.

Ex his itaque tenebris illa, de qua supra tractauimus, inuisibilitas & incompositio oriuntur. Sed sunt quidam, qui licet Babyloniam hanc, id est mentis confusionem per scelera multa inciderint, tamen quiddam rationis residuum, quasi ex grandi igne scintillam retinent, ex qua miseriæ illius pauendam nimium voraginem, in qua demersi sunt, considerare valent. Et cum sint aliqui prorsus extincti, qui, vt dicitur in Psalmo; *dormiunt in sepulchris*, id est prauâ consuetudine sunt depressi, quorum Deus non est memor amplius, quos profectò ad proprię reuocando lumen cognitionis nunquam reuisit: sunt tamen hi, quos prędiximus, oculo etsi multum turbato, non tamen penitus excœcato, qui caput de abysso eleuantes clamare soleant: *De profundis clamaui ad te*, & cętera. His conuenit quod sequitur.

Psal. 87. v. 5 — Psal. 129.

Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Aquę in Sacra Pagina aliquotiens voluptates carnis significant. Vnde & in Euangelio, Spiritus de homine exiens per loca inaquosa ire dicitur. *In diluuio* igitur *aquarum multarum*, id est in fluxu multorum carnalium desideriorum constitutis mentibus Dei Spiritus superfertur, quia adhuc igniculo discretionis viuente considerat infœlix animus quas patitur miserias; & sicut de Rege Babylonis legitur, quia coram Sedechia Rege Iuda filios eius occiderit; ita dum quisque attendit à Diabolo per vitiorum immissionem opera sua bona interfici, & destrui, cum quanto rugitu hæc aspiciat dici non potest, quia se videt omninò perire, dolet, mallétque mori, & tamen contra insitas medullis concupiscentias & consuetudines non valet vllo modo resistere. Sub persona horum multa in suis lamentationibus Hieremias Propheta deplorat. Sunt qui ollis carnium delectantur in Ægypto, & exerceri sponte suâ operibus luti & lateris: sed sunt rursus alij, qui coacti ac mœrentes ab exactoribus vrgentur ad sordida, & fragilia opera, quæ signantur per lutum & laterem, & Pharaoni, id est diabolo famulantur inuiti, qui clamant cum Psalmista ad Deum: *Miserere mei Domine, quoniam inueterauì inter omnes inimicos meos.* Quorum Deus interiorem gemitum audiens educit vinctos funibus criminum, ad hoc vt sint in fortitudine prauis suis motibus resistendi; similiter eos qui exasperant ad hoc erigit, vt cum Dauid audire debeant? Inueni viros secundum cor meum, quorum perire facit memoriam iniquitatis cum sonitu blasphemiarum, quibus aduersus Deum solebant perstrepere, qui vertit impios, & iam non sunt impij, & habitantibus in sepulchris obliuionis exclamat: *Lazare veni foras.* Id est pestilentem illam peccati temulentiam digerens

Luc. 11. 24. — Psal. 31. 6. — Iere. 52. 10. — Psal. 6. v. 7. — Act. 13. 22. — Ioan. 11. 43.

æstu acerrimo pœnitentiæ edormisce, & qui quasi mortuus, excors, & elinguis in barathro vitiorum iacebas obclusus *veni*, id est accede ad eum qui te vocat interiùs per peccati deplorationem; vt *foras*, id est in aperto iam prodeas per bonorum operum exhibitionem. Ipse namque videt afflictionem populi sui, & descendit, id est compatitur ad miserendum eis, & dicit eis:

Vers. 3. *Fiat lux, & facta est lux.* Quid ergò dicemus debere intelligi per lucem, nisi illud primum bonum, quod his qui conuertuntur ad cor datur. Quid est autem primum bonum, nisi timor Dei, qui dicitur *Initium Sapientiæ*? (Psal. 110. v. 9.) Sapientiam verò lucem appellari non vno, sed multis scripturarum locis aduertimus. Quod si ipsa lux est, & initium eius timor Dei est, timor profectò, quia pars eius est, idem quod totum est, lux scilicet est. (Timor quid efficiat.) Sapiens enim: *Proposui*, inquit, *pro luce habere illam.* (Sap. 7. 10.) Et alter: *Miserere nostri*, ait, *Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum.* (Eccl. 36. 1.) Et exponens quam lucem adiecit: *Et*, id est, *immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te*, id est super vitia nostra, quæ non permittunt à nobis exquiri te. (Ibid. 2.) *Vt cognoscant*, id est vt cognoscere nos faciant, cum euicta ac depressa, te opitulante, fuerint à nobis, *quia non est Deus, nisi tu*? (Ibid.) (Ibid.) Sed videndum est, cum superiùs diximus eos, qui vitiis opprimuntur, timore suæ perditionis vrgeri, vnde iste timor sit melior, qui à nobis appellatur lux.

Sunt qui timent, ne in suis deprehendantur flagitiis, qui timor magis ad malè agendum incitat, quàm retrahit: Sicut enim Poëta de talibus ait:

Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis: Sic & nos secundum eundem sensum possumus dicere, quia quò occultiùs peccatum committitur, eò vehementiùs in animo committentis desiderium excitatur. Nam quod latenter fit, & quod prohibetur ne fiat, libentiùs perpetratur. *Nam concupiscentiam*, ait Apostolus, *nesciebam*, id est non adeò grauem expertus eram, *nisi lex diceret: Non concupisces.* (Rom. 7. 7.) Dicit etiam quidam Sapiens: *Timor nihil est nisi præsumptionis adiutorium*, scilicet quia cum in animo timore quis æstuat, æstus ipse, qui de seruili totus timore constat, plus ad effectum sceleris prouocat, quàm retardat; & est proditio cogitationis auxiliorum, id est ostendit, quod ipsis peruersis cogitationibus ad malum anhelantibus timor ipse auxilietur, scilicet vires præbeat. Timent itaque deprehendi, timent proditioni etiam suæ aliqui, sed quia ex gratia Dei non est, quia ex amore non constat, vitiorum ardorem non superat. Filij Israël pœnas quas lex minabatur timentes, nec metu pœnarum, nec carnalium præmio promissorum à legis præuaricatione teneri poterant, quia nullo Dei amore ad benè agendum animos applicabant, sed totum coacti seruiliter non spiritu adoptionis agebant. Timor ergò ille quem dicimus lux est, qui & tenebras obscœnæ cogitationis discutit, & pariter ad amorem virtutis accendit.

Qui igitur primò sine fructu de suo torpore dolebat, de quo se excutere non poterat, quia sine luce gratiæ cœlestis erat, iam dolet, nec dolor vacuus est, quia vnctio Sancti Spiritus, quæ eum docet de omnibus & roborat, adest. Antiqui quando exercebantur ad palæstram, vngi consueuerant, ideo videlicet vt per nuda, & ex vnctione madefacta corpora labentibus eius, qui colluctabatur, manibus minùs teneri luctator posset. Nudi autem, id est à sæcularium rerum amore* præpediti & vncti, id est Diuinæ dilectionis dulci suauitate delibuti diabolo duellum indicere iubemur, cuius tantò minor est, fragiliorque in pugnando constantia, quantò feruidior in corde pœnitentis inuenitur compunctionis gratia. (f.* expediti)

Vers. 4. Factâ autem luce *Vidit Deus quòd esset bona.* Quid est vidit Deus, nisi quia videri fecit. Dicitur & de Centurione. *Audiens Iesus miratus est.* (Lucæ 7. 9.) Vnde miratus est, per quem omne mirum creatum est, præter quem nihil mirum est, nisi quod mirum voluit nobis ostendere, quod ad commune exemplum à fideli homine dictum est. *Vidit* ergo *lucem quod esset bona*, id est videri fecit, quàm bonum esset, timori & amori mentem mancipare Diuino. In deliciis & voluptatibus educati quid sit miseria nesciunt, & in squalloribus ac spurcitia enutriti, quid sint deliciæ ac fœlicitas nesciunt. Quid boni habeat sanitas, languor ostendit, ait quidam, cognoscimus quid habuimus, postquam habere desinimus. (Quid boni sanitas habeat, languor ostendit.) Cùm igitur post innumera flagitia ad Deum reuertimur, & vitia in virtutes commutamus, tunc primùm animaduertimus, in quo pestilentiæ barathro iacuimus, & quò vehementius de perpetrato facinore erubescimus, tanto copiosius ad priorem vitam boni operis nouitate contegendam æstuamus. Et non modo timor est, ne deprehendamur in vitiis, sed etiam si impunè peccare liceret, amore iustitiæ semel prægustatæ iam peccare nolumus, quæ ad præsens in tantum nos remunerat, vt etiam metu jam perditionis abiecto securitatem gloriæ consequendæ tribuat. Sequitur.

* *Et diuisit inter lucem, & tenebras.* (al.* Et diuisit lucem à tenebris.) Quid est diuisit nisi discretionem habere inter vitia virtutésque docuit? Quanto enim arctius in virtutum custodia persistimus, tanto perspicacius his contraria quælibet cognoscimus. Sed

Optima discretio.

Sed alia est quædam valde notanda discretio, quâ scilicet acutè, & indesinenter attendere debemus, quid ex nobis, & quid ex Deo habeamus. Quod mirabili arte pietas nobis Diuina sæpè insinuat. Nam in nostræ conuersionis initio tantam lachrymarum vbertatem, tantam orationis nobis Deus plerumque largitur instantiam, vt iam humanam nobis videamur transgredi naturam, & imitari contemplando Angelicam. Quod cum aliquandiu nobiscum agitur, de nostro profectu supra quàm iustum est gaudere intra nos præsumimus. Sed Deus nostram mirâ dispensatione retundit superbiam, & nos qui errraueramus in solitudine, id est sine Deo irrationabiliter, & bestialiter vixeramus, ad viam quærendæ ciuitatis, cuius artifex est Deus, postquam suâ gratiâ reducit dicens: *Non * habetis hîc manentem ciuitatem, futuram inquirite.* Et aliquid supernæ dulcedinis prægustare facit, subtrahere solet gratiæ vbertatem, & esurire, & sitire interiori siti ac fame, & in malis permittit tabescere, sed totum eruditioni nostræ, vt ostendat nobis quod ipse ait: *quia sine me nihil potestis facere?* Et tamen non nos derelinquens vsquequaque, cum ad se quærendum, sicut sponsa in Canticis per noctes dilectum quærere dicitur in *lectulo*, intentos & vigilantes viderit, animas tandem inanes & esurientes bonis exsatiat, & vincula tentationum, quæ Deo ad horam secedente ingruere solent, sui spiritus redeuntis igne dissoluit. Quid illud, quod anima nostra omnem sacræ lectionis escam, de qua vires compunctionis hauriebat, ita alquando abominatur, vt vsque ad portas mortis, id est vitia per quæ itur ad mortem appropinquare videatur. Sed ille qui tentat nos, non vt perdat, neque vt sciat, sed vt scire nos faciat si diligimus eum, mittit verbum, id est saporem verbi sui in nos, & sanat, eripítque de interitu. Hæc Deus in nobis agit, vt bona ex ipso, mala ex nobis nos habere nouerimus, & sic inter lucem & tenebras diuidimus.

Mira Dei in electos prouidētia.

al. * Habemus Heb. 13. 14. Inquirimus.

Ioan. 15. 5.

Vers. 5.

Appellauitque lucem diem: & tenebras noctem. Est quædam summa lux, quæ illuminat omnem hominem, rationem scilicet cuique dando. Appellat itaque, id est eligit lucem, cuiusque scilicet hominis rationem, eam faciendo diem. Quomodo diem? Dies, vt ait quidam, est sol super terram, sol sub terra nox est. Ratio igitur nostra si velit esse lux, sicut esse debet, solem sibi præponat, id est terrena desideria amore & exemplo Christi deprimat, vt dies etiam dici queat; Nox enim iniqui non essent, nisi Christum atque rationem suam infimis cupiditatibus supponerent. Appellare sicut vocare accipi in scripturis bifariè potest. In bono: *vocaui ex nomine Beseleel.* In malo: *vocauit famem super terram*, & affatim aliàs. Vocat tenebras noctem, quando eos, qui præposterè viuunt, & voluntariè peccant, tradit in noctem, id est in reprobum sensum. Vocat autem in quantùm venire permittit, vt est: *Et ne nos inducas in tentationem.* Rectus verò vitæ modus est, vt carnis motus subiiciantur rationi, at ipsa ratio primum subdatur Deo.

Quid dies & nox.

Appellare & vocare bifariè sumuntur. Exod. 31. 2.

Psal. 104. v. 21.

*Et * factus est vespere, & mane dies vnus.* Quid est vespere nisi aduersitas, quid mane nisi prosperitas? * *Exitus*, inquit, *matutini in vesperam, & vespere in matutinum delectabis*; id est delectabiles facies, quia diligentibus Deum spiritus omnia cooperatur in bonum, siue scilicet in aduersis, siue in prosperis. Vespere igitur & mane fit dies vnus, quia Sancti siue malis premantur, siue honoribus cumulentur, idem sunt, & semper in eis perseuerat idem splendor Diuinus.

al. * factúque

Psal. 64. v. 8.

al. * Exitus matutini & vespere delectabis.

Potest & aliter dici. *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Vesperum habemus in præsenti, quia etsi benè viuere contendimus, nihil tamen perfectæ claritatis habemus; *ex parte* enim *cognoscimus, & ex parte prophetamus*; in quibusdam enim & humanâ ignorantiâ, & tentationum violentiâ caligamus, in aliquibus verò & Diuinâ cognitione, & vsu experientiæ quasi quodam lumine suffundimur. Vespere ergò nunc habemus, mane in futuro, vnde licet incongruè ad literam, ad sensum tamen optimè primò vespere, dehinc mane ponitur, quia per exercitium corporis, quod corruptibile aggrauat animam, peruenimus ad matutinam supernæ intelligentiæ claritatem. Dicitur namque Deo: *Dies super dies Regis adiicies?* Dies modo nobis in huius sæculi vespere sunt, in quibus Deo seruimus, sed his superadiiciuntur alij, quibus iam indefectibili luce innouati ipsi nostro Regi Deo famulemur, & hi tamen vnus dies sunt, quia vnum efficiunt, vni videlicet obsequium Deo reddunt.

1. Cor. 13. 9.

Psal. 60. 7.

Potest rursus idem dies vnus timor intelligi, qui quidem, vt supra diximus, initium Sapientiæ cum sit, & ex amore constet, in aduersis ac prosperis idem nos semper illustrat, & primus quo ad sapientiam perueniatur gradus esse dignoscitur. Vnus autem idem dicitur quia primus est.

Vers. 6.

Dixit quoque Deus: fiat firmamctum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Aquæ multotiens in sacris literis scientias significant, vt est: *Sitientes venite ad aquas.* Hoc in bono. *Et aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Hoc in malo. Geminam enim esse scientiam satis liquet, alteram Diuinam, sæcularem alteram. Sæcularem quidem diffinit Apostolus Iacobus terrenam, id est terrenis inhiantem, animalem, id est ea sola, quæ bruta ani-

Isaiæ 55. 1

Prou. 9. 17.

Duplex scientia.

malia appetunt, exquirentem. Diabolicam A vero dicit, quia ad hoc solum vacat, hoc triumphum, hocque gloriam deputat, vt alios decipere valeat, ex aliorum damnis sua lucra efficiat, ex pauperum lachrymis opes congerat, ad vltionem sui cautè alteri malum infligat, & quod peius est gratis mala perpetrat, & se audacter perpetrare exultat. Hæc sapientiæ nomine in Scripturis valde abusiuè appellatur, sicut lex, sicut iudicium, quæ cum bona semper esse debeant, aliquando tamen dicuntur lex mala, iudicium prauum. *Sapientia autem quæ de sursum est,* B primò, vt idem ait, *pudica est*, quia ex sua pulchritudine nulli præter Deo soli placere amore adulterino desiderat, cui vitio tota sapientia, immò vt rectiùs appellem astutia, vel versutia humana commilitat. *Deinde pacifica*, quia non verborum strepitui, vel litibus instat: sed se tranquillè regens, aliorum sibi beneuolè corda conglutinat. *Modesta* est etiam, quæ nihil nos indiscretè facere sinat. *Suadibilis* quoque dicitur, vt obstinationem penitus fugiat, & facilè rationi obtemperans nulla credenda discredat, quæ tantæ poten- C tiæ est, vt absque ea nemo quicquam virtutis efficiat.

Sapientiæ à Deo effectus qui. Iacob. 3. 17.

Duobus autem modis accipimus sapientiam. Sapientiam Dei dicimus Christum, qui per quendam ait sapientem: *Ego ex ore altissimi prodiui.* Sapientiam etiam rationabilitatem ac intellectualitatem à Deo in Angelis, & hominibus creatam, quæ dicit: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Hanc in nobis illa ex ore Dei prodiens sapientia creat, quæ nostro adiuncta animo vires ad veritatem cognoscendum, & honesta gerendum submi- D nistrat, & in nostra faciens infirmitate virtutem, quicquid in nobis fragile ac vetus est, solidat & confirmat. Huic inquam annexa mens nostra sumpto ex ea adipe interiori, & exteriori pinguedine fit ratio. Ratio autem ab eo quod est ratum, id est firmum dicitur, quia nil eo firmius, quod cum ratione fit. Ratio vero nisi supernæ illi sapientiæ innixa, tota versipellis, noxia, ac peruersa est, nec etiam ratio dici potest. *Firmamentum* itaque fit, quotiens diuinæ prudentiæ se adiungit, quia ex ipsa vires sumit, quibus superiores E aquas sitiendo sustineat, & inferiores sub dominio rationis deponat. Superius namque spiritualis scientiæ mysteria non tam localiter, quàm vt sic dicam mentaliter habemus, ad quæ bibenda, immo totis sugenda desideriis inhiare debemus, quæ cælesti nos institutione informent, mores ædificent, vitia sedent, augeant exercitia, fastidiis obstent, inuitent præmiis, supplicia suggerant, & contemplationis acumine in omnis veritatis educant altitudinem. Superius, inquam, non

Sapientia bifariàm accipitur. 1. Cor. 1. 24. Eccli. 24. v. 5. Eccli. 24. v. 14.

Quid ratio.

per localitatem, sed per dignitatem. Vnde Apostolus: Quæ sursum sunt quærite, & sapite. Subterhabemus vitæ sæcularis astutiam, quæ bona corporis exquirere, animæ negligere, fraudes iurgiáque amare, & quicquid saluti contrarium est appetere prædicat ac tenere. Horum duûm media ratio currit, quæ à superiori armata contra inferius tam fideliter ei quod sibi præest, & à quo sufficientiam constantiæ accipit adhærere contendit, quantum sub sui iuris arbitrio animalitatem, id est corpus suum, & ea quæ prudentia carnis, quæ ab Apostolo mors dicitur, à se exigit, habere subdita cupit.

Coloss. 3. 1.

Per hoc itaque firmamentum aquæ supercælestes, id est, vt ita dicam, superrationales & inferiores, ad infima videlicet nos deuoluentes diuiduntur, quia ex Dei amore firmatum nostræ mentis ingenium, & superno intellectui se subiiciendo aspirat vt decet, & indignis affectibus se præfert, vt dominum authoritate quâ debet. Talis eius esse debet vigor atque integritas, vt quicquid ad diuinam sapientiam attinet in verbo, aut opere pro nulla spe commodi alicuius temporalis ab eo fiat, & si aliquid etiam pro corporis sola necessitate, aut etiam non necessitate, sed prauâ voluntate fit, id se ineptè ac fallaciter pro diuini obsequij studio facere cœcus sui ipsius arbiter non credat. Ita mihi inter aquas firmamentum consistere debere ac posse videtur: sed idem firmamentum à Deo vocatur cælum. In cœlo mysteria multa clauduntur, quod menti non immerito nostræ assimilatur, vbi quicquid animæ saluti, remedio atque consolationi aptum est, quasi in thesauro vsque ad tempus oportunum, quo res exhiberi illud exigat, custoditur, quod pleniùs supradiximus, cum de cœlo ac terra ageremus.

Factum est ergò *vespere, & mane dies secundus.* Primordia nostra secundum Beatum Gregorium mixta sunt malis, & licet mane nos illuminet piæ erga Deum deuotionis, creberrimè tamen inuoluit obscuritas pristinæ, immò naturalis consuetudinis. Obtenebrascit animus ex vitio terrenæ molis, ne superbiamus ex gratia, Deo id dispensante pro nobis, sed rursus irradiatur ardore compunctionis, ne defluat in barathrum desperationis, aut criminis. Sicque dum alternatim ascendendo vsque ad cœlos, & descendendo vsque ad abyssos manu supernâ remigante deducimur, fit vt per hæc discrimina ad hoc, vt simus sine discrimine & timore etiam discriminis, ad vitam scilicet cœlibem veniamus. Et is dies secundus est, quia à timore, qui primus gradus est, pietas secundus est. Pietas autem ad Dei cultum pertinet, vt est illud Apostoli: *So-*

Vers. 8.

Ad Tit. 2. 2. *briè, & iustè, & piè viuamus.* Quod sic exponitur. Sobriè in nobis, iustè ad proximum, piè ad Deum. Vnde & impij propriè dicuntur alieni à fide. Quæ verò major pietas, quis ex nobis ad Deum major affectus esse potest, quàm totam mentis intentionem in diuinæ sapientiæ sinum reclinare, & nos in huius mundi negotiis, in quibus sequidam plurimùm valere & sapere gloriantur, imbecilles & fatuos facere? Is post Dei timorem idoneus & competens valde gradus est.

Sed quæstio grauis hîc oritur, cur cum pridie & reliquis sequentibus diebus dicatur; *Vidit Deus quod esset bonum*, hodie prætermittatur. Sed scimus quod de diabolo dicitur, quia in veritate non stetit; qui quandiu summæ veritati inhæsit, in quantum illi conjunctus est, veritas & ipse fuit. Qui enim adhæret Domino, vnus est Spiritus. Et de eo in Iob scribitur: *Habitent in tabernaculo eius*, (Iob 18. 15.) scilicet impij, *socij eius, qui non est.* Quis est qui non est, nisi diabolus, qui in quantum à vero esse decidit, iam esse etiam destitit. Quomodo enim est, qui tam infœliciter est, immò qui ęternaliter in morte sine morte est. Quod idem & de nobis sentimus, qui quia à Dei visione in primis parentibus lapsi sumus, de veritate in vanitatem deuenimus, & veraciter esse perdidimus, nisi quod Dei solâ gratiâ nostro tamen sudore durissimo, ac conflictu restitui credimus. Hinc dum ad glutiendam saliuam capitis nostri, ad prægustandam videlicet sapientiam conditoris nostri magnis suspiriis elaboramus, nosmetipsos nobis valde contrarios positos experimur, & in salutis opere neminem viciniorem, infestiorémque hostem quàm nos patimur. Conqueritur inde Psalmista: *Quantas ostendisti mihi tribulationes, multas & malas.* (Psal. 70. v. 22.) Et alibi sub spe futuri boni lætatur *Pro diebus, quibus humiliatus est, annis quibus vidit*, (Psal. 89. v. 17.) id est expertus est *mala.* *Cum ergò dies mali sint,† & mundus in maligno positus, (*Eph. 5. 16. † 1. Ioan. 5. 19.) & hunc conflictum inferiorum aquarum, in quibus est superbia aduersus superiores, quibus constat humilitas & sanctitas in valle lachrymarum, in lacu miseriæ, sæculo scilicet præsenti toleremus; Propheticâ, Apostolicâque linguâ hoc non vitam, ac patriam, sed exilium mortémque denuntiet, quomodo videat, id est videri faciat Deus bonum, quod vitari & credi à nobis vult deceptorium malum. Apostolus clamat: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*; (Rom. 7. 24.) & nos tortiones, quas ferimus, pugnæ carnis in spiritum, & spiritus in carnem bonum putaremus? Et si bona vtcumque agimus; quia in fluctu, & peccati periculo semper sumus, vt illa Noë columba, quia hîc requiem non habemus, ad Noë, id est Christum, qui requiescere nos faciat, suspiremus. Et rectè die secundo quia bonum sit non videmus, quia postquam primi diei in paradiso habiti, in protoplasto perditi gloriam amisimus, istuc deuoluti dolores, non bona reperimus. Quod satis aptè signat in Sabbatho Paschali post Alleluya Tractus, qui cantari solet, qui laborem sæculi huius post lætitiam paradisi nos incurrisse docet. (In Sabbato S. quare Tractus post Alleluya.)

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida. (Vers. 9.) Aquæ quæ sub cœlo sunt sæcularis versutia, quæ in solis negotiis forensibus & ad decipiendum maximè callet, & sub jugo tamen intelligentiæ nostræ restringitur. Hæ congregantur in locum vnum, quia totæ Deo, qui locus noster est, in quo viuimus, mouemur, & sumus, velint nolint sollicitudines nostræ, quæ vagæ & instabiles antea diffluebant, seruire coguntur. Loca Dei, immò locus fideles quique in Scripturis dici solent, sed multò magis propriè Deus, extra quem nec nos, nec aliquid est, locus noster vocatur. Qui quia quos excipit sibi viuificat, vnus rectè dicitur. Tota autem nostra, quam de sæculo possidemus, prudentia, tunc plenè ad Deum conuertitur, cum ad agendas Ecclesiarum causas, & extrinsecas curas, quas litterati viri minus scire solent, zelo & amore deseruiendi his, qui contemplationi inseruiunt, quò liberiùs Deo vacent sæculares quique accinguntur. (Prudentia sęcularis quæ Deum intendit.) Hi non ad decipiendos pauperes suo iam vtuntur ingenio, sed aurum & argentum quod de Ægypto extulerunt, ad extruendum Dei tabernaculum in solitudine, id est extra turbas vitiorum deuota mente expendunt. Hi sunt cilicia domus Dei, qui sæcularium curarum pulueres tolerant, vt hyacinthus, & purpura sanctarum mentium nihil exterioris inquietudinis ferant, sed suo indesinenter proposito instent. *Et appareat arida*, inquit; per hoc namque quod conscientia pridem fluida ad Deum constringitur, terra cordis nostri à cogitationum superfluarum ingurgitatione siccata iam ferendis boni operis frugibus apparet apta.

Et vocauit Deus aridam terram, congregationes aquarum verò appellauit maria. (Vers. 10.) Terra ab humore carnalis petulantiæ auaritięque leuigata, apta quidem cultui ac fructui est diuino, sed congregationes aquarum sub iure rationis non se voluntariè cohibentes, amarissimos tentationum fluctus in nobis exsuscitant. Vnde & maria vocabulo valde congruo appellantur. Maria enim amaritudo interpretatur. Inde atrocium irarum, libidinum & aliorum motuum tempestates, quæ dum animi imperio coërcentur, quasi freti cuiusdam feruor subbul-

liens prosilire nituntur. Sed Dei pietas huius pugnæ exercitia non irremunerata relinquens, videt, id est videri facit à nobis, quàm bona salubriaque sunt quæ agimus, & ex eorum consideratione ad meliora gerendum ipso aspirante excandescit animus. Vnde suo inuisibili nutu dicit, id est prosperum effectum bonis affectibus tribuit.

Vers. 11. *Germinet*, inquit, *terra herbam virentem & facientem semen.* Terra germinat herbam, cum cor cuiusque fidelis ab omni lasciuia mundi sudum, verbi Dei semine conuersationis initia emittit. Quæ herba virens est, quia succo spei æternæ viuit. Quicquid enim pro fauore humano fit, marcidum ac sterile est.

Et facientem, inquit, *semen.* Semen facit quisquis id religiosi propositi, quod aggreditur, opere efficaci exequitur. Aut certè herba virens, semen facit cùm quisque id boni quod agere apud se inchoat, aliis etiam ex beneuolentia vt se æmulentur prædicare non cessat.

Et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. Quid per lignum pomiferum, nisi arduum vitæ institutum de piis initiis ad sanctiora progressum. Sed quid agit sanctitas, si de sua aliis nulla est probitate vtilitas? Per hoc enim quod in teneritudine exordij nostri bona, quæ gustare cœpimus, libenter aliis propinamus, fit pia Dei largitate, vt proinde ad meliora prouehi mereamur, vndè dicitur, *Fructum faciens iuxta genus suum*; id est Deo lucrifaciens proximum. Genus nostrum natura humana est. Iuxta genus ergò nostrum fructificamus, cum eius, quæ in nobis est donationis, docendo & orando participes & proximos facimus. Dicitur enim in Iob: *Et visitans speciem tuam non peccabis*; quod idem est ac si dicat: facies fructum iuxta genus tuum. sequitur, (Iob 5.24.)

Cuius semen in semetipso sit super terram. Semen nostrum opera nostra, quæ pro fructu cœlestis brauij hîc jacimus, sunt. Quod semẽ in nobismetipsis habere jubemur, ne bona gerendo cum adulatorum fabulis vngimur, quasi palea exteriùs inuenta fauoris vento rapiamur. Sit itaque virtus nostra granum, non exeat cordis horreum. Sed non ita interiùs fructus noster contegatur, vt ad exemplum proximi non prodatur: *Sit super terram*, id est veniat ad corporalis operis euidentiam. Potest enim & bonum fieri, & laus oblata contemni. Quæ sequuntur præcedentium repetitio sunt.

Vers. 13. *Et factum est vespere, & mane dies tertius.* Quid tertius iste dies nisi scientia, quæ post timorem, pietatemque ad sapientiam tendentibus tertius gradus est? Nihil enim spirituali scientiæ magis competit, quàm sæculi astutiam reprimere, & cum benè egerit, alios ad sanctitatis studium prouocare. Scientia enim iuxta Beatum Gregorium pertinet ad doctrinam, sapientia verò ad vitam, cui satis vespere & mane conuenit, quia rarus omninò est, qui intelligentiæ lumen vbique Scripturarum habere queat; habent namque sacra eloquia corpus, & quasi vesperam in integumento litteræ, habent animam & quasi mane in splendore moralitatis ac allegoriæ.

(Timorem, pietatémq; sequitur scientia.)

(Rarus qui totius Scripturæ habeat intelligentiam?)

Vers. 14. *Dixit quoque Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem.* Duo ista luminaria Christum & Ecclesiam interpretari satis idoneum est, secundum illud: *Dies diei eructat verbum*, & cætera. Christum quidem propositum exemplo, & imitationi fortium dicimus: Ecclesiam verò in suis mediocribus membris iuniorum, minúsque potentium exemplar positam non absurdè sentimus. Tolerabilius sanè oculis infirmis est lucernam sub laterna attendere, quàm solis jubar in suæ sphæræ virtute videre. Solem namque in potestate diei tradit Deus, cum viris intellectualitate præditis contemplationis dona largitur. Videmus sanè quosdam in vtroque sexu virginitate professâ, mundanarum rerum possessionibus pauperiem Christi præponere, Deo vacare. Porrò sunt aliqui, qui nec mundum deserere, nec cœlibes viuere, neque ad plenum Deo vacare possunt. Vnde & lunam ac stellas in potestate noctis dat. Dat enim nobis qui summa præsumere non audemus, nec Noë, id est Rectores; nec Daniel, id est Cœlibes imitari possumus, vt Iob benè operantem, misericordiæ studentem sectemur, & qui ad reclinatorium aureum, id est ad beatam requiem per ascensum purpureũ, scilicet per martyrium peruenire non speramus, per media saltẽ propter filias Hierusalem charitate constrata attingere valeamus. Qui igitur agnum illuminantem à montibus æternis quocumque ierit sequi non audet, montes ab eo illuminatos attendat, & si non in omnibus, vel in aliquo eos vt membrum Ecclesiæ censeri debeat, prosequi contendat. Post hæc autem cum fiunt, videlicet cum hi ardua perfectáque eligunt, illi leuiora proponunt, dies nóxque diuiditur, quia in studiis quæ quisque appetit, vitæ qualitas declaratur. (Psal. 18. v. 2.)

Vers. 15. *Vt sint in signa, & tempora, & dies, & annos*, & illuminent terram. Signa, & tempora quod dicitur, nil ampliùs valet, quàm si diceret, vt sint in signa temporum, vt est illud: *Pateris libabat, & auro*: hoc est aureis pateris. Christus, & Ecclesia signa sunt temporum, quia quicquid egêre vel agitur, aliud videtur in re, aliud portenditur. Christus, & qui sunt eius in præsenti dum vi-

uunt, mundi tolerant opprobria, ac ærumnas, & si ab his qui sæculi pascuntur gloria requiratur, cur ista ferant: quia, inquiunt, *tempus* nostrum *nondum aduenit, tempus autē vestrum semper est paratum.* Tempus glorificationis Sanctorum in præsentiarum non est, quia non habent hîc manentem ciuitatem, sed locum, quo ipsi qui aurum esse delegêre conflentur, & vbi pressuris contundantur, vt in templum Regis sine securi & malleo extruantur. Tempus verò peruersorum dum hîc agunt semper in promptu est, quia nec deest vnde transitoriè honorari possunt, si fortuna arriserit, nec honoribus ipsi desunt. In malo autem & in bono nomen temporis poni solet, & vulgò etiam dici quibusque quibus sunt mala prouentura fœlicibus. Vos habebitis, inquiunt, tempus vestrum: vnde in Psalmo: *Et erit tempus eorum in sæcula.* Hîc gloriæ, illic habituri sunt tempus miseriæ. Tempus autem post finem sæculi huius non est iuxta illud in Apocalypsi: & tempus vltra non erit. Sed tempus, & sæculum vnimodè solet poni pro eo quod est vita. Vnde Apostolus: *Ambulastis aliquando secundum sæculum mundi huius.* In Psalmo etiam dicitur: *Posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultus tui,* id est vitam nostram. Vsualiter etiam de aliquo dicimus: malum sæculum ducit ille. Per hoc igitur, quod Christus in diebus carnis suæ probra potiùs appetiit, quàm honores; & Ecclesia adhuc sponte paupertatem tolerat & labores, signum est quod in his temporalibus bonis noluit defigere mentes, sed ad futura se extendunt, quæ retrò sunt obliuiscentes, quorum & fieri vtpotè æternorum delectantur & conantur hæredes.

Ioan. 7. 6. — Psal. 80. v. 14. — Tempus pro sæculo. — Eph. 2. 2. — Psal. 89. 8.

Et dies, & annos. Dies sunt singulæ quæque virtutes, quæ per manifestationem spiritus dantur ad vtilitatem, non modò genera linguarum, vel interpretatio sermonum, sed quod salubrius est patientia, benignitas, misericordia, charitas, & castitas. Qui harum quamlibet attigit, diem habet; qui verò omnium perfectionem habuerit, quod in Apostolicis viris fuisse non discredimus, quandiu etiam præsens durabit sæculum, etsi raros admodum tales; tamen aliquos non defuturos speramus: aut ipse est annus, vel potiùs habet annum. Sicut namque ex multis diebus annus, ita ex multiplici virtutum lumine vir quilibet dignoscitur constare perfectus. Concinit huic sensui quod filia Iob dies vocatur, & Iob ipse plenus dierum obisse perhibetur.

Iob 42. 14. — Ibid. 16.

Vers. 16. Facit itaque Deus luminare maius, quod illuminat minus, quia Verbum caro factum sui cognitione illustrat Ecclesiam, & Ecclesia sui exemplo & doctrinâ illuminat terram, id est terrenorum terram amantium conscientiam.

Et stellas. * *Et posuit eas in firmamento cœli,* * *vt præessent diei ac nocti.* Firmamento cœli, id est virtuti animi debent impressa non solùm Christus, sed & Ecclesiæ vniuersalis concordia, in qua sunt alteri alterorum membra; Nec solùm attendenda vniuersalitatis sanctitas, sed & singulorum, qui per stellas figurantur peruidenda simplicitas. Quæ præsunt diei ac nocti, quia & ad virtutum custodiam nos muniunt, & de cautela vitiorum, doctrinæ ac operationis ipsorum consideratione nos instruunt. Non enim sumus noctis, neque tenebrarum: sed diei ac luminis.

Vers. * 17. & * 18.

Vers. 19. *Et factum est vespere & mane dies quartus.* In eo quod præmittitur & sæpè dicitur: *vidit Deus quod esset bonum*, licet plura diximus, id præcipuè notare debemus, quòd dum suorum in nobis munerum Deus incrementa largitur, & à nobis è contra quantos nos de quam nullis fecerit aspicitur, maxima in mentibus nostris humilitatis summa generatur. Videt Deus quod bonum sit, quandò quid fuimus, & quid simus, nos humiliter attendere facit. Et ex ipsa cœpti boni consideratione animum nostrum ad meliora succendit. Vnde cum Apostolo nos cogit dicere: *Gratiâ Dei sum id quod sum.* Dies quartus, gratiarum spiritualium scilicet fortitudo gradus est quartus. Quid enim magis animum roborat, vnde ampliùs fortitudo nutritur, quàm cùm ipsum Deum, electósque eius attendimus prospera despicere, mundi aduersa nusquam formidare? Quod si extra disciplinam sumus, & cum hominibus flagellari nolumus, adulteri, & non filij sumus. Fortitudo igitur vespere & mane in aduersis & iocundis tantis pullulet de exemplis, & mentium nostrarum vigori per hæc fortiter excitato fastidij omnis cedat obscuritas.

1. Cor. 15

Potest & per luminare maius ratio, per luminare minus voluntas, per terram carnalis affectus intelligi: sicut enim à sole luna illustratur, & à luna terra, sic voluntas nostra prorsus comparabilis lunæ, quia nunquam in eodem statu permanet, & sæpè deficit, nisi à ratione forti moderamine regatur, ad consensum carnalis appetitus, qui semper sordibus inhiat, creberrimè deducitur. Sed quia sicut à patre filius à parasitarum societate restringitur, ita illa spiritui parere compellitur, fit inde, vt ipsum carnis motum & ipsa compellat, quatenus sibi famuletur. Hæc itaque ordinata modo quo diximus, scilicet voluntate factâ appendice rationis, & carnali affectu posito sub imperio iustæ voluntatis necesse est, vt hæc cum stellis, id est cum omnium nostrarum clari-

tate virtutum affigantur firmamento cœli, ei videlicet, cuius verbo, immò per quem Verbum ipsi facti & firmati sunt cœli, & quorum virtus est spiritu eius oris.

Vers. 20. *Dixit quoque Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamentu cœli.* Quid per reptile, nisi subtilis alacritas animorum ad intelligendas & penetrandas obscuritates Diuinorum Librorum? Aqua autem Diuinæ Scientiæ copia est: *Extendens*, inquit, *cœlum vt pellem; qui tegis aquis*, & cætera: & illud in bono intelligi potest: *Pisces maris qui perambulant semitas maris.* Producunt aquæ reptilia, cum sacræ Scripturæ vsu suo corda nostra reddunt ad reperiendum acutissima, & ad exoluendum celerrima, in quibus quasi procreamur, & in earum naturam conuertimur in tantùm, vt sine his viuere, nil præter has gratum cogitare possimus. Quid enim indignius, quid molestius animæ viuenti, vt secundum textum loquar, & de mortuis quos sæcularia pascunt taceam, quàm à diuina lectione vacare, & diem sine studij fructu transigere? Sunt igitur reptilia viuentia, qui huic sanctæ Scientiæ quasi vndæ purissimæ sua immergunt pectora. Scientia autem est de moribus, & de his, quæ in vsibus aguntur humanis qualiter fieri debeant honestè tractare, & eadem proximos edocere.

Psal. 103. 3. Psal. 8. 9. Quàm noxium lectioni diuinæ non incumbere. Quid Scientia.

Volatile verò super terram eos qui sapientiæ studet, & contemplationis excellentia terrenis omnibus supereminent intelligimus. Sapientiam autem diffinimus in cognitione æternorum, in intelligentia Dei: contemplationem verò bifariàm dicimus, dum scilicet argutè intendimus inter vera & falsa, virtutes ac vitia, vtilia & inutilia, & in speculatione diuinæ Majestatis, & ciuium supernorum gloriæ. Hi qui istis contemplationi videlicet ac sapientiæ dant operam, sicut illi quos prælibauimus, qui scientiam affectant, ex aquis, id est Scripturis originem sumunt, quia his innutriti discunt qualiter se in spiritualiũ sensuum inquisitionibus exercere debeant. Sed licet se super terrena pennâ sanctæ cogitationis efferant, sub firmamento tamen necesse est vt se deprimant. Firmamentum hoc in loco potest intelligi virtus Angelica, quæ aliis ruentibus in beatitudinis sede perpetuâ firmitate consistit. Qui cum semper videant faciem Patris, iuxta Euangelij dictum, tamen quia creatura sunt, Creatoris sui majestatem comprehendere nullatenus possunt. Et cùm ne modicum quidem peccandi affectum, vel carnis pondus habentes, quo aggrauentur à Deo contuendo, ipsum aliquatenus videre, sed nunquam peruidere sinantur. Quid homo peccator, quid corruptibili mole depressus ibi videat, vbi ex parte spiritualis etiam natura caligat? Ipsa enim cum ad Dei comparationem corporea sit quia circumscribi potest, quod Deus non potest, quia non est idipsum quod Deus, non valet comprehendere quod est Deus. Pensemus itaque & si sit aliquis adeò sanctus, qui per speculum & ænigma scintillet in illud supremum lumen, quàm infra illam dignitatem Angelicam iaceat, cuius natura quamuis purissima, tamen creata, in Deum minùs videat. Sub firmamento igitur volemus, quia etsi de diuinis tractemus, quia longè ab eorum perspicacitate distemus, in omni contemplatione nostra pensemus, nec nos ad eorum comparationem, immò æqualitatem, in hac vita peruenire posse præsumamus.

Sapientia. Contemplatio bina. Firmamẽtum quid. Mat. 18. 10

Possumus & per firmamentum Humanitatem Saluatoris, quæ immortalis & impassibilis ex resurrectione & quasi firma iam facta est, intelligere, sub qua multò probabilius est & tutius imaginãdo animum intendere, & ad eam pij æstu desiderij suspirare, quàm illuc oculus & lippiens dirigatur, vbi aliquid de Deo inconueniens cogitetur, & vnde intentio spiritualibus minùs assueta, dum se ad nimis ardua præsumptiuè erigit, ad phantasticam cogitationem deuoluatur. Etenim non imaginationis grossitie, sed spirituali prorsus acie Deus videtur. Deus namque Spiritus est. Verbum ergò carnem factum contemplemur, per quam amando à terrenis eleuemur.

Firmamẽtum aliter.

Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ iuxta species suas, & volatile secundum genus suum. Quid cete grandia nisi Doctores clarissimi, quorum capacissima plus omnibus miramur ingenia? Quid Augustinus, quid Hieronymus, quid denique Gregorius nisi monstra suo & nostro sæculo fuère ingentia? à quibus, vt breuiter dicam, non dico tot, & tanta inueniri & teneri, sed quod mirabilius est, tam innumera potuere conscribi, quæ vix media possint à nobis non dico capi, sed vel simpliciter legi? Quis gloriosi Origenis dicta in quinque librorum millibus relegat? Quis Areopagitæ Dionysij mysteria dignè intelligat? Sed hæc diuina spectacula Lectoris animo rectiùs pensanda omittimus, quàm pauca, immò nulla, quantùm ad id quod se res habet proferamus. Facit Deus huiusmodi insignia, sed & animam viuentem, id est eos, qui ex fide viuunt, qui & si non operantur, fides tamen eis iuxta Apostolum reputatur ad iustitiam: facit & motabilem, eos scilicet, qui non solùm ad credendum viuere, sed ad benè agendum motus alacres dare nouerunt. Sunt

Vers. 21. Dionysius Areopagyta libros scripsit.

namque qui fidei solius Sacramento saluentur, vt infantes, quibus aliorum succurrit credulitas, & hi quos Christianismum excipere mortis vrget necessitas: sunt & alij quos ad rectè viuendi studium instigat pura voluntas, & æterni præmij cupiditas. Illi igitur viuentes, isti motabiles. Sed omnes ex aquis oriundi sunt, quia ex sacræ Scripturæ prædicationibus & affectum benè cogitandi concipiunt, & ad effectum quæ benè conceperant ducunt. Habent & reptilia hæc species suas, & volatilia genus suum, quia quique & benè credentes, & iustè viuentes, & subtiliter contemplantes varia possident pro suo modo gratiarum charismata, quæ diuersa in vna intentione faciunt proposita.

Vers. 22. *Benedixitque eis Deus dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auésque multiplicentur super terram.* Ac si Deus attendens exercitia nostra, quibus de bonis meritis ad potiora merenda inardescimus, patenter dicat: Crescite intelligentiâ, & alter alterum sacris eloquiis imbuendo propagamini, & aquas maris, id est plenitudinem Scripturarum allegoricis, & moralibus commentando replete sensibus, & hi quos penna speculationis subleuat, & in discretione spirituum, & contemplatione mysteriorum cœlestium spiritualis amoris flagrantiâ sint super terram, id est terrenæ cupiditatis illececebris abstrahantur. Maris autem aquæ sacra Pagina non inconcinnè confertur, quia ipsa est, quæ Ioannis in Apocalypsi amaricat ventrem, & accendit eò magis bibentis sitim, quò ampliùs bibitur; vnde & sitientibus vt ad aquas veniant ab Isaia clamatur. Videt etiam Deus quod sit bonum, quia ex delectatione acceptorum munerum intuitum nostrum prouocat ad appetitum meliorum.

Apocal. 10. 10.

Isaiæ 55. 1.

Vers. 23. *Et factum est vespere & mane dies quintus.* Et diuinæ gratiæ gradus quintus, consilium, Et cui negotio magis est conueniens consilium, quàm sacræ Paginæ quæstionibus disquirendis? Nusquam enim periculosiùs erratur, quàm si à regulis & sensibus Patrum veterũ recedatur. Teneatur ergò eorum vsquequaque sententia, qui de sacri eloquij obscuris qualiter essent inquirenda scripserunt, & ab eis à quibus quæritur, eodem Spiritus feruore quæratur, quo ab illis qui eam reperêre quæsita cognoscitur. In omni nostra causa quasi laterales habeamus, qui nos suis tueantur consiliis, ne certam jaculemur sententiam in rebus dubiis, ne cum intelligentia non suppetit, auctores arguere velimus quasi nimiæ obscuritatis, aut rusticitatis, quod horrendi est criminis. In quibus scilicet tractatibus etsi vesper aliquando patimur defectionis, aut caliginis, crebrâ instantiâ meditandi, & æstu amoris diuini comitante mane poterimus adipisci intelligibilis lucis. Vix enim in vapido animi statu summum aliquid quis attingit, aut nusquam, quod expertus sum ex meipso, qui, quod tepidus non posse ab aliquo credidi, animatior solitò facilè irrupi.

A Patrum veterũ regulis haud est recedẽdum.

Vers. 24. *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas.* Terra multis in locis, & specialiter mens cuiusque fidelis, & generaliter omnis Ecclesia dicitur, ob fertilitatem scilicet, cultibilitatemque, quia diuini præcepti ligonibus colitur, & bonorum actuum ferax dignoscitur. Ecclesia quidem animam viuentem Deo jubente producit, quia Salomon ille verus etsi sexaginta sint Reginæ, tamen octoginta habet concubinas, & adolescentularum non est numerus. In populo enim Dei, etsi non omnes sua dimittunt, si virgines esse non possunt, mediocrem tamen Deus suis statuit locum, ex quo si rectè viuatur, salus optata obtineatur. Ideò in domo Patris mansiones multæ sunt, ideò stella à stella differt in claritate, quia in hac peregrintaionis valle diuersi valde inter nos sunt ordines vitæ. Sunt enim animæ quædam, scintillam quidem etsi non ardoris ad agiliter operandum, saltem ad benè volendum habentes eleemosynas libenter impendunt, Ecclesiasticis officiis piè intersunt, & alia mediocria bona deuotè facientes, à capitalium se malorum sorde iuxta posse continent. Viuunt ergò quantùm ad Dei amorem vel fidem attinet. Iumenta autem sunt inquantùm bonæ consolationis aut humanitatis cuilibet opem ferunt.

Sed notandum quod dicitur in genere suo, quia habemus *donationes secundum gratiam differentes*, alius sic, alius verò sic, quas multotiẽs & vario modo locis pluribus retexit Apostolus. Vnde & dicit, quia etsi membra nostra diuersum in corpore officium habent, tamen officiorum concordiâ, & vicario suffragio vnitatem seruant. Quod ibi dicit membra, hîc dicitur genus vel genera. Ministeriis autem apta animalia jumenta vocantur, quæ non incongruè quorumdam sæcularium vitam signant, qui etsi in quibusdam terrenis acclines sint negotiis, à propria tamen valde libertate frænantur, quantum aliorum misericordiis inseruire conantur. Quem sensum juuat, quod talia à terra plurimùm suspenduntur.

Rom. 12. 6.

Ibid. 4.

Habet etiam Ecclesia reptilia, quia quosdam in se continet, qui ita mundanis curis, ac voluptatibus injacent, vt nullo virtutis interuallo à temporalibus distent. Attamen viuunt, & hoc solâ fide, quâ opitulante cum

pedem non habeant operis, labuntur super terram industriâ intelligentiæ viuacis; sciunt se praua agere, transitoriis inhiare, spe tamen in seipsis misericordiæ consequendæ ingemiscentes, saltus super ea quibus inhærent consueuerunt dare. Tradunt auctores quòd reptilia, quæ in hoc loco serpentes intelligimus, vitalem animam principaliter in capite habeant, ita vt si toto reliquo abscisso corpore, quibusdam saltem palmi mensura iuxta caput de corpore ipso resederit, ex ipsa quæ capiti manet viuacitate mori non possint. Cui valde simillimum est quod nostræ fidei documenta tenent, quia peccator cuicunque errori implicitus, etiamsi in ipso mortis momento ingemiscens pœnituerit, saluandorum iam moriens parti pertinebit; sic enim scribitur: Peccator quacumque hora ingemuerit, saluus erit; fide enim salui fiunt, sicut Apostolus ait; *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium*, reputatur fides eius ad iustitiam. Ipsi corpus, id est opera non habent, at verò capite, id est fide viuentes, ex ipsa vnica, vnde semper viuant, operantur sibi. Cui astipulatur quod serpentes pro tuendo solo capite totum corpus periculis obijcere solent. Sic isti contemptis temporalibus quæ possident plerumque timore Dei, aliquando mortium suarum articulis, seù quibuslibet periculis caput, id est Christum, vel Christi fidem sibi saluant, monachum faciendo, seù aliàs benè viuendo.

Rom. 4.4.

Per bestias terræ quidam intra Ecclesiam figurantur ferali animo & crudelitate insignes, qui licet per potentatum sæcularem quem gerunt multa mala perpetrent, tamen ad cor redeuntes sæpiùs de Dei iudicio valde extimescunt, & plurima beneficia proinde impendunt. Quæ si humiliter agunt, nec de bono opere securitatem peccandi accipiunt, etsi à mundiali cura prorsus expediri non possunt, aut metuunt, dicere non audeo, quod huiusmodi desperandi sint. Quis Nabuchodonosor nequior, cui à Propheta dicitur: *Redime misericordiis pauperum peccata tua?* Et si Idolatræ & Gentili prædicare pœnitentiam Daniel non neglexit; & Niniues populo non solùm infinitis sceleribus obruto, sed & veri Dei prorsus ignaro idem alius Propheta prædicat: vbi satis mirandum est, quòd his qui fidei scientiam non habebant pœnitentia nunciatur: & si inquam his, quantò magis proderit Christianis? Et quis desperet de fidelibus, si spes tanta datur & impiis? Hos in Ecclesia Deus quemque secundum propriæ vitæ gradum instituit, vt nobis insinuet, quia si ad summum eius discipulatum, id est imitationem facultas niti non est, sciamus saltem quia minùs potentibus medius locus sit. Ipse enim qui dixit, cum virginitatem sub eunuchorum nomine laudaret: *Qui potest capere capiat*; idem dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes*, & cætera: non dixit: nisi vendideris, non intrabis in regnum cœlorum. Quod namque dixit: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; idem est ac si diceret: Non potest me perfectè imitari, à quo constiterit terrenas diuitias affectari. Qui enim se discipulum cuiuspiam profiteri constituit, eo facit intuitu, quòd in eo vnde magistrum habere vult, cupit eidem conformari; & cum magister aliquis sit, & multos circumquaque eundo doceat, non tamen vocari consueuerunt discipuli, nisi qui eius lateri specialiter obambulant, discendi solummodò causâ.

Dan. 4.24

Mat. 19. 12.

Ibid. 21.

Luc. 14. 33.

Habet ergò aqua quæ producit ex sapientiæ scientiæque salutaris plenitudine volatilia, hoc est viros eminentes speculationis alâ, habet terra, id est Christi Humanitas simplicium animos quasi jumenta, reptilia, & bestias, qui si in lumine verbi oculum figere nequeunt, Christum tamen pro peccatoribus Incarnatum redimendis, fidei ac spei contuitu constanter attendunt. Cum enim diei verbum eructare pertineat, nox nocti scientiam consequenter indicat, habet Ecclesia hos in se viuentium status, qui pecora iure ad eorum comparationem, qui rationaliter se agunt, dici meruerunt: vel etiam respectu pietatis ita dicuntur, quia hominum, id est rectè sapientèrque viuentium vsibus quasi domestica animalia famulantur. Nil enim est quod non in animantibus, & rebus etiam inanimatis in aliquo hominibus vtile sit. Sub qua specie dum montes Deus de suis superioribus irrigat, per eosdem potum bestiis, & onagris administrat, & ex eisdem fœnum rursus herbamque hominum seruituti conuectat. Qui enim montes in quibus fœna creantur ob fastum vocati sunt, iidem ibidem bestiæ ob ferocitatem dicti sunt.

Psal. 18.2.

Habet quoque fidelis anima etiam quæ ad summos vitæ emerserit gradus, immò patitur in se hos acerbissimè motus. Insunt namque non modò nobis, qui vix initia conuersionis habemus, sed Sanctis ac intelligentissimis, Paulo scilicet Apostolo, suique similibus jumenta, id est oneriferæ huius nostræ mortalitatis hebetudines, quibus interioris hominis obtunditur, & crebrò grauatur alacritas, dum videt aliam legem in membris suis repugnantem legi rationis, propter quæ innumera, quæ magis sentiri, quàm ab aliquo dici possunt, exclamat tota spiritualis Ecclesiæ multitudo: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Insunt & reptilia infimæ & prorsus car-

Rom. 7.24

nales quæ nos inclinare solent cupiditates, quibus ventre repimus, id est affectu inhæremus terrenis voluptatibus, & titillationum frequentiâ lubrici ac molles instar colubri attenuato animi rigore efficimur. Dum enim virtutum fastigia attigisse nos credimus, ne nos gratiæ vbertas eleuet, propitio Dei iudicio stimulus carnis ab Angelo Sathanæ nobis qui nos colaphizet immittitur, & sic dum de supercœlesti cogitatione ad plusquam terrena, vt sic dicam, meditanda delabimur, quid de nobis sine opere Dei simus in nobis ipsis aduertimus.

2. Cor. 12. 7.

Nec desunt bestiæ, bestiales videlicet mores, insolentiæ, iræ, & rancores, quæ etsi sanctos viros vsque ad perpetem impellere non possunt discordiam, magnas tamen ad tempus in eorum cordibus generant turbas, & dum vetant interioris ferociam murmuris prodire in verbum, ardentissimos intra se æstus cogitationum sibi inuicem obijcientium, & cum grandi strepitu conuitia referentium patiuntur. Vitia autem pariter vix aut nunquam quempiam tentant, sed vicissim nos pulsant, sopito scilicet voluptatis incentiuo desæuit ira, ira ad tempus quiescente efferuet luxuria, his rursus quasi edomitis surrepit inanis gloria, siue superbia.

Hæc autem tria, quæ præmisimus sub specie iumentorum, reptilium, ac bestiarum, & in Psalmo satis congruè sub figura alia denotantur: *Holocausta*, inquit, *medullata* offerimus tibi *cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis*: Holocausta offerimus, cum quicquid ex nobis sumus, in Dei amore consumimus: medullata eadem sunt, cum sine charitatis interiori pinguedine virtutum nostrarum ossa non sunt: Aridus est enim ramus bonæ actionis, si non habet succum diuinæ ac mutuæ charitatis: cum incenso, id est incensione, consumptione videlicet totius ceruicositatis, quæ suprà per bestias, hîc per arietem designatam scimus: holocausta offerre debemus, quia si diabolus rex est super omnes filios superbiæ, & filius tanti monstri, seruusque diaboli Deo munera defert, quid ipsi Deo videri poterit ingratius, turpius, indignius? Sic tamen dico, donec in ipsa mortis profunditate jacere deliberat. Offerimus boues, cùm omne pondus, & circumstans nos peccatum, quod nos aggrauat, & animales hebetésque nos in his quæ Dei sunt, reddit, feruore, acumine rationis, & spirituali viuacitate mutamus, & mutando quantùmpa titur natura consumimus. Hi per jumenta designantur superiùs. Hircos in Dei placatione incendimus, cùm in carne nostra, & intimis animæ affectibus petulantiæ fluxa dispergimus, quæ, vel potiùs qui hirci scilicet sunt figuratè reptilia quæ protulimus, quæ tota secundum cuiusque animalis naturam dicta sunt, quia aries superbum ac bellicosum est animal; bos verò ponderosum, & hebes; vnde dicitur de stulto apud Salomonem: *Sequuntur eam quasi bos ductus ad victimam*: Hircus autem petulcum & lasciuum; vnde Ouidius de Galathea: *Tenero lasciuior hædo.*

Psal. 65. 15.

Prou. 7. 22.

Hæc itaque hisque similia cum ab eis, qui supra expositos virtutum dies habent, magnæ authoritatis calce premuntur, dùm siue in dexteram declinare nesciunt, aut sinistram, id est dum neque virtutum prouentibus extolli, quod est dextera, nec vitiorum impulsibus destitui norunt, quod est sinistra. Deus qui nostris aggratulatur profectibus, augmenta semper exaggerat gratiarum, & illud tandem in nobis perficit, ad quod omnis noster agon & desiderium tendit. Quicquid enim boni arripimus, non ob aliud planè agimus, immò agere debemus, nisi vt diuinæ imaginis quam amisimus conformitati reparemur. Deus igitur quos vt benè agere vellent gratiæ dono præuenit, & gratiam suis piis studiis subsequentes ad perficienda quæ voluerant, iuuit, ad summa iam suæ similitudinis consortia euehit, dicens:

Vt ita dicam, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Imago & similitudo cum ab aliquibus idem esse credatur, plurimùm aliquando inter se distant. Imago propriè dicitur quod pingitur, vel sculpitur causâ alicuius memoriam repræsentandi, etsi non simile illi pro quo fingitur sit. Similitudo autem indifferenter in cunctis quæ sibi similia quouis modo sint, dicitur, etsi altera alterorum causa facta non sint. Possem dici imago Patris mei, etsi sibi specie non conuenirem, quia Pater meus causa vt essem mihi fuit. Vnde & hoc modo imago pariter & similitudo de re vna dici queunt, si propter eandem & facta sint, similiáque sint. Virgilius tamen inducens Andromacham de Ascanio loquentem ait.

Vers. 26.

Imago diuersimodè.

O mihi sola mei super Astianactis imago?

Quem reuerà pro similitudine imaginem dixit, & imaginem adhuc ideò forsan, quia formam, licet illius filius non esset, ex eius consanguinitate trahebat. Imaginem Dei Adam habuit in anima, ex ea parte, qua æterna est, quia ille naturaliter æternus est, ista collatiuè: Imaginem namque determinant in æternitate similitudinem in moribus. Imaginem autem Dei nos in eo perspicuè habere dicere possumus, quod sicut Deus omnem implens mundum sic omnibus generaliter adest, vt singulariter tamen rei cuique totus propriè inesse sentiatur, ita anima nostra incorporata

ipsum corpus quidem implet, moueri, & viuere facit, ordinatissimè regit, & sicut de Deo dinosci non potest, vnde cœlo, quàm terræ præsentior æstimetur, sic ipsa nullatenus magis in capite sentitur quàm in minimo pedis digito. Læsus quispiam in vtrolibet non dissimiliter angitur; tota enim in singulis quibusque membris anima reperitur, quàm grauiter læsus in vngue doleas nosti: habet corpus vbique spiritum, vti mundus habet vbique Deum. Deus autem ratio vniuersalis est, quâ tota machina miro, ac incomprehensibili administratur ordine, vbi nihil extraordinarium fit, nil sine causa, nil inconueniens rectè sentientibus videatur. Quod itidem & homini constat datum, dùm suum exteriorem per interioris hominis intellectualitatẽ disponere possit, vt nil in sui operis exhibitione ineptum, aut turpe valeat inueniri. Viuit Deus, & sapit, vitalem per se & viuificam in carnali massa indidit animam, quæ pondus suum foris reddit vegetum, semet verò ex participio cœlestis luminis intrò prouidam possidet. Imago ergò Dei sumus, ipsius gloriæ, & honoris facti sumus non nostri meriti, aut vtilitatis causâ, vtpotè qui non nobis egebat, sed nos fecit, vt ipso beatè frueremur. Causa nostrûm, sicut & omnium creatorum fuit, vt scilicet glorificaretur ex nobis, non quò nostrâ glorificatione proficeret, sed quò eum & ex sui consideratione, & ex mundi totius mirabili propter nos institutione glorificando gloriosior homo fieret. Nos itaque illi quo nos & mundum regit ordini confirmando,... scilicet nostri ipsorum existentes, vitiis principando, & cum virtute omnia nostra gerendo supernæ imagini comparemur. Similitudinem suprà diximus in moribus debere putari, quia sicut Deus est amor, iustitia, pietas, munditia, & quicquid boni dici aut cogitari potest, ita omnis gratiæ, & sanctitatis capacem hominis animam fecit. Vnde & summo nostro, quod nos videlicet habere conueniat bono ab Ioanne dicitur: *Sicut ille*, inquit, *est, & nos sumus in hoc mundo*. Deus naturaliter pius sic deitatis plenitudine nobiscũ versans, misericordiæ viscera nulli negat, vt solẽ suum super bonos & malos aperiat, & non minùs, immò multò satiùs impiis sua munera licet corporea, tribuat, quàm his quos iustè viuere constat. Sicut igitur Deus est, & nos sumus in hoc mũdo, quia sicut nemini sibi etiam prorsus infenso beneficij sui subtrahit largitatem, sic nos erga eos, qui nos oderunt habere necesse est charitatem. Sunt multa prætereà satis ardua, quæ de hac Dei imagine differi possent, sed ad alia properantes sufficere mediocribus ista putamus.

[1. Ioan. 4. 17]

Et præsit, inquit, *piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersæque terræ, & omni reptili quod mouetur in terra*. Cum benè de se merentes Deus ad sui, qui nihil aliud quàm virtus est, conformitatem eleuat, adhoc vtique fit, vt illustratione superna, quâ quisque accepit subtilitatem ingenij, in Scripturis moderari discat, quod pisces maris significant; & volatilibus cœli præesse nouerit, id est contemplationis acumen cautissimè librare in diuina sciens, nihil imaginarium, nil sensuale de Deo senserit, & cum post magnitudinem reuelationum, tentationum acerbitas, quod penè semper consueuit accidere, subsecuta fuerit, bestiæ irarum, superbiarum, terrenorumque motuum, id est cupiditatum, reptiliaque libidinum, rationalis memor imperij seruitium mox imponat corpori, & suæ vendicans libertatis dignitatem super hæc exerceat potestatis. Mare Scripturam intellige, quæ sapientiæ sale salsa ad sitim spiritualem nos prouocat, & commotionis magnæ strepitum in cordibus pœnitentium concitat, mentésque amaricat, vbi inter minarum moles timidus peccator ac si inter fluctus exæstuat. Piscis autem huius maris ingenium naturale, quod eius abdita inuestigat.

[Per mare Scriptura.]

[Vers. 17.]

Creauit, ergò, *Deus hominem: ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos*. Rectè primò dicitur homo singulariter creatus, postmodum masculus, & fœmina creati, quia ante præuaricationem idem in se, & nusquam diuersus homo erat, vni suo Conditori vacabat, nil à se, nil à Deo extraneum cogitabat; postquam autem contempto authoris jugo sui iuris esse voluit, & Dei visione, quâ crebrò reficiebatur, caruit, & seipsum non habuit, quia nunquam postea plenè suis motibus dominari etsi voluit, potuit; quia etsi spiritum, quod est masculus ad fortiter sentiendum aut agendum penitus non perdidit; Eua tamen rebelle, & indomitum animal, nunquam voluntati spiritus voluntariè acquiescit, sed semper virtutis studio dura resistit. Eua autem est caro nostra, quę suggerente diabolo lenocinatur rationi, & inflectit ad consensũ appetitus inhonesti. *Adam enim*, vt ait Apostolus, *seductus nõ est, sed Eua, vnde & virum seduxit*. Primò in homine quædam fuit identitas, sed ex peccati pœna accidit demũ diuersitas, vt in duo diuideretur humanitas.

[1. Tim. 2. 14.]

[Vers. 28.]

Et benedixit eis: Crescite, ait, *& multiplicamini, & replete terram*. Tunc crescimus, & multiplicamur, cum replemus terram, id est cum boni operis exhibitione exteriorẽ nostrũ hominẽ nusquam vacare permittimus. Aut certè crescimus, cùm ex incremẽto sanctę actionis spe meliore ad superna porrigimur. Multiplicamur autem, cùm virtutũ numerositate fulcimur. Et ita repletur terra, cum sensuum nostrorum vniuersitas secundum quod cuique competit ad pia occupatur exercitia.

Et subijcite eam. Subijcimus terram, cum nostræ ditioni obtemperare compellimus Euam, vt non ordine præpostero ancilla, id est caro rationem præcedat dominam.

Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Pisces dici item possunt astutiæ sæculares, quibus hominum ingenia callent ad vestigandas semitas maris, id est negotia sæculi. Volucres etiam accipi queunt elatæ superborum cogitationes, quibus tantò quisque sublimiùs euolat, quantò vanis inflatus euentibus de se gloriosiora cogitat. Animantia verò quid sunt nisi animositates, quarum millia infinita cordibus solent humanis obrepere? Cui consonat quod animus, vnde animositas est, Græcam habens etymologiam à nomine quod est ventus, deriuatur. Et quid animositates, quas tot támque varias ineptásque patimur nisi ventositates congruentissimè dici debent, quæ quidem inania nos appetere faciendo vsque ad crepitum nos inflant, & nil nisi peccatum explicant? Hæc mouentur super terram, hoc in est terra; super enim crebrò ponitur in veteri pagina pro in, vt est: *si memor fui tui super stratum meum*, hoc est in stratu meo. Mouentur animantia in terra, quando ad illicitos motus fatuæ cogitationes illiciunt corpora nostra. *Super terram*, id est carnem nostram præcedere sanè possunt, & in his, quæ sibi sunt contigua, quasi quidam latrones prædas agere, sed Regem imperiosum, rationem videlicet, absit vt vllatenus queant subigere.

Psal. 62. 7.

Vers. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Primò ad litteram interjaciendum, quòd omninò ante diluuium illi primo tempori esus carnium in vsu non fuit. Significatiuè autem licet secundum quod diximus in tractatu diei tertij possint hæc intelligi, & iuxta ea quæ in aliis expo-sita sunt diebus, quæ ad vescendum illi, qui iam noua creatura est, data dicuntur, id est ad imitandum intellectualia illa quæ ibi describuntur, quorum exemplis tanquam pabulo debeat sustentari, tamen & aliter forsitan si elaboremus exponere poterimus. Herbâ quia breuis, & ad manum contigua est, quælibet corporalia bona possumus accipere, vt est ieiunare, hospitio inducere, eleemosinam dare, nescios erudire, & cætera quæ humanitas habet egentibus exhibere, quæ quidem satis bona sunt, sed tamen sine adminiculo aliquarum spiritualium virtutum nulla. Possunt enim & bono & malo animo fieri, & ideò si benè, id est non amore laudis, aut per inuidiam, vt scilicet alterius obnubiletur bonum, ista ac similia fiant, valde vtilia sunt. Sed tamen semen afferre debent, quæ victum boni exempli spirituali creaturæ præbent. Semen herbâ etiam moriente solet esse residuum, vnde reparetur genus. Quid herba nisi bonum opus, quid herbæ semen, nisi boni operis præmium, cuius intuitu & alij ad benè gerendum præcipuè prouocantur. Potest bonum opus aliquando videri, sed in Dei oculis præmio caret, quia agentis intentio etsi non pro laude, seù per inuidiam, vt diximus, est, tamen bona quæ agit non desiderio æterni muneris exercet, sed vt à Deo sibi præsentis sæculi prosperitas vberiùs cumuletur. Vnde dicitur: *Oratio eius fiat in peccatum*, id est pro solis temporalibus oret. Et ibi: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Et Iudæis carnalibus nihil in lege nisi temporale promittitur. Hæc herba vt semen habeat, mutetur intentio, quatinus ex eo alij suscitentur: solent enim intentiones aliquorum iudicio Dei iusto aut apertis flagitiis, aut apostasiâ quâlibet patescere etiam in præsenti; & ideò fructus inde nullus est. Nam vix adhibentur exemplo, quorum finis reprobus est.

Psal. 108. v. 6.

Psal. 48. 19.

Per ligna pomifera spirituales, quæ non nisi bono animo fiunt, signantur virtutes; nec malis communes esse queunt, vt sunt charitas, humilitas, patientia, & aliæ, quæ & magnum in se robur habent constantiæ, & gloriam excellentiæ, & vtilitatem fructus de imitatione. Et quęque tamen harum sementem infra se habeat, vt non pro externis rebus, sed pro salute sui ęterna, bonum ipsum quod agitur fiat. Volucribus ergò id est eminentia sanctitatis prędítis, & animantibus quibusque, scilicet ex fide viuentibus, qui motus habent bonæ actionis, in terra, id est in exhibitione corporea dantur ad vescendum, ad mores videlicet, animúmque suum piis exemplis talium roborandum.

Potest & per herbam quę res leuis est actiua vita signari, quę omni Dei populo patet; per ligna verò summa vitę contemplatiuę, in qua pauci literatorum, illiteratorum verò nescio an quis mentis pedem affigere possit. Hoc in Deuteronomio intelligitur per id quod prohibetur, ne quis vel in arbore, siue terra posita oua, seù pullos capiens in nido matrem his incubantem pariter rapiat, vt longo mereantur viuere tempore. Et est sententia: nostra mens cum aut oua bonę cogitationis, & propositi fouet, aut bonę sed teneræ adhuc operationis pullos vsque ad congruum perfectionis robur nutrit; si

Deut. 22. 6.

quis experiendo peruideat, & piam voluntatem, & opus religiosum tenere imitando potest, sed matrem, id est conscientiam operantis à bono cœpto dimouere, aut dehortari non debet, si æternùm fœliciter viuere volet. Per terram autem actualis, per arborem verò vita contemplationis, quod istic per herbam & arborem diximus figurari.

Vers. 31. *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Videt, vt diximus supra, & sæpius est, videre nos facit. Videre autem nostrum sicut ipsius Dei approbare est, quia dum summam virtutis attingimus, ita in naturam vertitur boni amor, vt si etiam impunè peccare liceret, nunquam animus à recti tenore gradum deflecteret. Videmus ergo bona quæ Deus indidit nobis, id est intelligimus. Vnde & sextus dies occurrit, & pariter eregione sexta gratia Spiritus intellectus illuxit. Cum Deus suæ hominem imagini configuratum, vt inter pisces, & volatilia, rursúmque reptilia discreturus intellectualem quandam cathedram haberet, iura iudicij possidere iussisset, quatinus quibus transitoriè vti, quibusve æternaliter frui deberet, sciret; & quæ in se rapere, quibus se informare, quæ sibi subigere, quibusve dominari oporteret, agnosceret. Quid eminentius post dignitatem spiritualem dare ei potuit, nisi vt Angelorum quodammodo suppares faceret? Si enim dicimus quòd in hoc bestiis præeminemus quod loqui possumus, respondeo quidem ex parte verum fore, sed si aduertimus, profectò inuenimus quia vix nobis aliquid inuicem disertiùs loquendo intimamus, quam illæ secundum suum modum gestu ac vocibus. Non ergò hæc differentia magnè laudanda est, sed illa summoperè, quâ per intelligentiam Dei, & bonorum Angelis concordamus. Hæc est quæ ab Apostolo appellatur discretio spirituum, quâ videlicet intellectuali palato sapimus, quid à Deo nobis superuenit, quid spiritus malignus suggerit, quid carnis petulantia ex se naturaliter parit. Operi itaque diei huius nil omninò aptius competit quando homo præficitur disponendis creaturis, quàm quod lumen pariter adest clarissimum discretionis.

1. Cor. 12. 10

Caput II. Vers. 1. *Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Cœli perficiuntur, quando mentes fidelium totis rationis viribus diuinæ sapientiæ applicantur. Terra perficitur, cùm totis sopitis peruersis motibus rationis voluntati caro subijcitur. Sed quis in carne mortali positus hæc ad perfectum expleat? Nemo Paulo melior, qui videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis, qui sequitur si comprehendat, qui à se non arbitratur comprehendisse. Et quis adeò socors Pauli perfectioni deroget? Ipse enim nihil sibi conscius est, sed non in hoc iustificatus est. Perfectos autem dicimus sanctos viros, inquantùm patitur corporalis infirmitas, in qua quia diù sunt fieri non potest, vt ad eam animi, carnísque possint attingere pacem, quam aut habent Angeli, aut habituri sunt post resurrectionem sancti. Ornatus autem eorum est, quicquid ad virtutem animi, aut honestatem corporis, aut per horum opera dierum innuitur, aut aliàs legendo reperitur.

Rom. 7. 23. Phil. 3. 12. 1. Cor. 4. 4.

Vers. 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit die septimo ab omni opere quod patrarat.* Quando nos quippiam operamur, ipsâ die quâ perficimus, ipsâ potiùs quàm sequenti nos complesse opus dicimus. Et quid significat, quòd Deus non sextâ, sed septimâ die opera explicat, nisi quod vitæ præsentis sancta quæ per nos efficit exercitia, non in hoc tempore, quæ sexta dicitur ætas, sed in septima, in qua sabbatismus animarum populo Dei restat, cum præmium reddiderit, tunc terminat. Nam quandiù in hoc degimus sæculo, à benè agendo requiem non possumus habere, nec debemus. In septima autem mundi ætate à labore laxamur, quia iuxta illud Iob: *In septima non tanget nos malum*: vbi mensis, id est perfectio beatitudinis erit ex perfecti laboris mense, & sabbatum æternæ requiei nobis, qui requieuimus à peruerso opere. In hac ergò vita tempus est agonizandi, illic nobis restat æternitas coronandi. Vanum enim nobis debet videri ante illud mane vltimum, quo Dei misericordiam cum Psalmista sumus audituri, quo Deus illuminabit abscondita cordium, in securitatem aliquam de bona nostra actione surgere, id est erigi: sed postquam in hac conualle lachrymarum, quę locus est auro Arabiæ, id est humilibus electis, in quo conflentur, & iuxta Danielem dealbentur, sederimus, in humilitate scilicet nos depresserimus, tunc surgendum, id est ad gloriam aspirandum nobis est, qui in his quadraginta annis desertum Idumeæ inhabitando, de quo clamat Dauid: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*; solo spiritualis mannæ pabulo, Scripturis scilicet Sacris delectamur, & panem tamen doloris manducamus, quia totus noster lectus in nostra infirmitate versatur; & panis ille pro quo reprobi iuxta Hieremiam, *Pretiosa quæque dederunt*, pro temporali videlicet voluptate insumenda suam ipsorum salutem, vel animas vendiderunt, in vita nostra fit nobis abominabilis: heu nobis conclamantes, quia incolatus noster prolongatus est, phrenesin gaudium sæculare putantes, & coronæ causam pressuras, atque dolores. Ad hanc igitur septimam

Iob 5. 19. Psal. 142. 8. Dan. 11. 35. Psal. 62. Thren. 1. 11 Psal. 119. v. 20.

ſeptimam diem, id eſt perfectiſſimam lucem cùm peruenerimus, in ſupremo gradu, qui eſt ſapientiæ, pedem animi locabimmus, quia irradiati ſine fine, & vllius interpolatione ſpiritualis veſperi Deum ſapiemus, Amen.

Explicit Liber primus Moralium.

INCIPIT LIBER SECVNDVS MORALIVM IN GENESIM.

SVPERIORI commento poſtquam Deus cœlum, terrámque diſcreuerat, quid diebus quibuſque fecerit, cœlo, terrâque procedere tractatum eſt. Sequitur ergò myſtica narratio dicens:

Verſ. 4. *Iſtæ generationes cœli, & terræ, quandò creatæ ſunt in die, quo fecit Deus cœlum, & terram.* In die, inquit, id eſt in illa mentis illuſtratione, per quam de obſcuritate confuſionis vitiorum cœlum quod eſt ratio à terra, carnali ſcilicet ſuſcitatur affectu, iſta quæ ſeptem diebus, ſeptem vtique Sancti Spiritus chariſmatibus agi poſſunt, in interiori homine generari incipiunt. Quando creatæ ſunt, id eſt quando horum bonorum ſemina per conceptum bonæ voluntatis menti renouandæ injecta ſunt.

Verſ. 5. *Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, & omnem herbam regionis antequam germinaret.* Facit Deus virgultum, id eſt fortia virtutum opera antequam oriantur in terra, id eſt antequam exhibeantur per manifeſta corporis exerticia, quando ad benè agendum in terra, id eſt antequam exhibeantur per manifeſta corporis exercitia, quando ad benè agendum inſpiratur fidelis anima, ſed tamen præpediente adhuc veteris hominis affectu, vel vſu, non præualet animus ad opera. Fiunt ergò priùs in propoſito. Inde dicit Apoſtolus: velle mihi adjacet, perficere non inuenio. Facit & omnem regionis herbam, antequam germinet, quando minora & infirmiora bona Deo animante concipimus, quæ tamen vt cupimus patrare nequimus. Poteſt & per herbam viror deſiderij ſuperni accipi, in quo per pios actus viuitur hîc ſpe, donec in regione viuorum germina proferat integræ viſionis in re. Per virgultum etiam contemplatiua, vel ſpiritualia ſtudia ſentire poſſumus, ob robur ſcilicet ſui, ac altitudinem, quæ nunc à nobis grandi labore coluntur, antequam in illa, quam mites poſ- A ſidebunt, terra, æterna videlicet & incorruptibili ſtabilitate ſponte nunquam deſitura oriantur. *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram.* Cum primùm nobis pia voluntas immittitur, non tanta noſtræ rationis gratiæ, id eſt pluuiæ ſpiritualis vbertas infunditur, vt terreni affectus duritia in nobis ad boni efficaciam vſquequaque ſoluatur. Initia enim noſtra mixta ſunt malis. Vnde rectè ſubditur: *Et homo non erat qui operaretur eam.* Quia enim differt Deus infuſionis plenitudinem, B fragilitas operum deſignat non eſſe hominem, qui corpus non ſubjugat & excolit per rationis authoritatem. Non eſt enim dignus hominis nomine, qui viuere non didicit integrâ ratione.

Verſ. 6. *Sed fons egrediebatur de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ.* Mirâ ſubtilitate cuique penſandum eſt, an verè bona ſunt, quæ bona habere ſe æſtimat. Nam ſi pro ſæculi C honeſtate quid fiat, quod Dei reſpectu non fit bonum quis dicat? Meritò Deus non pluerat, & homo qui terram operaretur non erat, quia fons humanæ calliditatis ex ima intentione ſcatens, exterioris hominis habitum, vniuerſam ſcilicet ſuperficiem terræ rigabat. Hæc eſt ſæcularis honeſtas, quâ dum quique quaſi prudenter ſe contegunt ſub colore magnæ religionis, nihil agunt. Vnde dicitur: *Filij Agar qui exquirunt ſcientiam, quæ de terra eſt.* (Baruc. 3.23) Huic ſenſui optimè capitulum (Ioan. 2.6.) D Euangelicum de ſex hydriis moraliter coaptatur. Quia namque de terra fons erat, non interiùs, ſed ſuperficiem terræ rigabat. Sunt ſanè bona plurima, quæ diſcernuntur, quia Dei ſunt intentione ſolâ, vt ſunt pietas, largitas, caſtitas, & cætera multa.

Verſ. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Cùm ergò humana ſcientia exteriùs ſe bonis componendo moribus ſine Dei contuitu nihil efficiat, pius auctor gratuitò formaturus totum hominem, terram noſtri

pectoris vnda gratiæ necesse est, vt infusa emolliat; tali enim limo nec aliter homo, qui Dei fert imaginem, verè constat: sed huic illa inesse facies debet, quam sibi Dominus contuendo lauare præcipit, & quam sibi Sponsus ostendi postulat. *Ostende*, aiens, *faciem tuam, quia facies tua decora.* Cui spiraculum vitæ adhibetur, vt spiritu suo deficiat, quâ paupertate beatus fiat, & eo repleatur, qui se in terram rectam deducat, os emundandæ per confessionem conscientiæ aperiat, vt spiritum disciplinæ, qui fictum refugit, excipiat, os denique ad bona docendum dilatare studeat, vt id cœlestis anhelitus placitè illapsus adimpleat. Inspirando namque trahimus, & emittimus spiritum. Vnde dicitur: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Et factus est homo in animam viuentem: sicut corpus sine anima viuere non præualet, sic anima si Deo inhabitare careat, deteriori pessundata morte iacet; facto igitur limo, & dato in facie eius spiraculo totus iam viuidus constat homo. Sinceritas enim faciei illius, quâ Deum cognoscimus, quâque à Deo cognoscimur, quo contra minus sinceris quibusdam clamantibus, *Domine aperi*, dicitur, *nescio vos*; vbi pallorem defectionis habeat quæ penes se vitalis spiritus arras portat.

Cant. 1. 14.

Psal. 118. 13.

Matt. 25 12.

Vers. 8.

Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis ab initio, in quo posuit hominem quem formauerat. Paradisus voluptatis, serenitas est sanctæ conuersationis, in qua cum virtutum vndique surculi prouehuntur, & spei immarcessibilis gramina vernant, surgit inde aquilo & temperies accedit australis. Paradisus enim Græcę, Latinè dicitur hortus. Si autem secura mens quàm turpis culpa non mordet, iuxta Salomonem quasi iuge conuiuium est, nam malè conscia sibi propriis semper agitatur stimulis: quid simplicis animi testimonio gloriosius, amænius. Sed is paradisus habetur à principio. A quo? nisi ab ipso primæ nostræ conditionis exemplo? Pensemus in quanta mentis requie, antequam peccaret homo, constitit; & sciamus hunc esse paradisum intellectualem, terreno meliorem, quo nos Deus poni si velimus cupit.

Prou. 15. 15.

Vers. 9.

Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue. In soliditate itaque illa homini constituto producitur omne lignum, fortitudo, & eminentia quorumque rectorum operum. Pulchrum visu, dum lux lucet nostra coram hominibus, vt videant, id est instruantur ad vescendum suaue, dum per operum imitationem Dei glorificatione pascuntur; fructu enim tuo vescitur quisquis ad benè agendum tui consideratione confortatur. Sed suaue quomodo est, cum arcta sit via, quæ ducit ad vitam, & omnis disciplina in præsenti sit mœroris? Reuerà imperfectis ac rudibus arcta, sed fructum pacatissimum iustitiæ postea reddet exeacitatis in ea. *Iugum enim meum suaue est*, & cætera. At de qua humo hæc prodeant intendamus. Ab humo dicitur humilis. Humilitas ergò humus habeatur, & satis constat, quod hæc, quæ prætulimus sine hac virtute fieri non posse credantur. *Superbis* nempè *Deus resistit, humilibus dat gratiam.* Ideò iustus vt lignum quod plantatur secus decursus aquarum; impij vt puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Matt. 5. 16.

Matt. 7. 14.

Hebr. 12. 11.

Matt. 11. 30.

Iacob 4. 6.

Psal. 1. 3.

Lignum etiam vitæ in medio paradisi. Lignum vitæ sapientia est, sapientia autem tripliciter dicitur: sapientia huius mundi, quæ & astutia est: Sapientia creatrix, quæ est Dei Filius. Hæc duo breuiter perstringit Apostolus. *Non enim*, ait, *cognouit mundus in sapientia Dei*; per sapientiam subaudis mundi Deum. Sapientia rursus vocatur in Angelis, ac sanctis hominibus diuinitus illustrata ratio. Hæc est quæ loquitur: *In Hierusalem potestas mea*, & cætera. Hæc robore, fructu, & vmbrâ suis vitæ ministrat alimentum, si tamen in medio consistat paradisi, vt non eam à Regia sede, quâ circumstantem disponit exercitum, carnalis tyrannicè extrudat affectus, sed media internis currens vti medulla ossibus succos vitales attribuat.

Sapientia triplex.

1. Cor. 1. 21.

Eccli. 24 15

Lignum quoque scientiæ boni & mali. Hæc est voluntas nostra. Voluntas autem est motus animi cogente nullo ad aliquid efficiendum, vel appetendum. Si enim cogitur quis, voluntate non ducitur, diabolus verò neminem suggestione compellit, sed potiùs quod desideretur obtendit, & sine molestia, aut vi spontaneam mentem trahit. Solâ ergò secundum hunc modum voluntate, non necessitate peccamus, & liberos nos seruituti addicimus. Voluntas itaque cum ad bonum, & ad malum circumferri valeat, hîc & in sequentibus in malo accipitur: Scientia enim, id est experientia boni, & mali permaximè in malo præstat. Aliud est namque scire quia fornicatio peccatum est, aliud experiri per opera qualitatem eius. Porrò in experientia mali multò magis bonum quàm sit bonum quod habebatur, agnoscitur, quàm in boni obseruantia vllâ malum cogitatione sciatur. Quid namque boni sit sospitas, meliùs discitur languore magistro. Lignum est cuius robur stoliditas, fructus infectio, & vmbra cæcitas. Voluntate igitur abuti, tangere est scientiæ lignum boni, & mali.

Quid voluntas.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradisũ. Fluuius iste sacri eloquij copiosa scientia, rerumq; moraliũ alta cognitio

Vers. 10.

est: Qui paradisum irrigat, quia per quotidianas institutionum doctrinas vires ad benè agendum piis animis subministrat; si enim sapientiæ studio attinet de Deo, & cœlestibus agere, & statum vitæ præteruolare commune quantũ hominis est, scientiæ proprium est, ea quæ inter nos actitantur iustâ moderatione disponere; vitia, virtutésq; discernere, fideliterq; eadẽ quibusq; disserere. Vnde subditur: *qui diuiditur inde in quatuor capita.* Voluptatis nostræ quidã locus non localis Deus est, quem quidem generaliter omnia, sed illi tantò specialiùs, quantò spiritualius incolũt, qui solùm in ipso delectantur, ex hoc ipso fluminis impetus egreditur, qui nequitias spirituales præcipitat, & diuiditur in quatuor capita, quæ sunt principales quatuor virtutes, è quibus cæteræ omnes sumunt exordia.

Vers. 11. *Nomen vni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Euilath.* Phison interpretatur os pupillæ. Ore autem loquimur, pupillâ videmus. Per quod intelligitur prudentia, quæ & ipsa dicitur, quòd porrò videat. Vera autem prudentia est, quâ subtiliter quæque conijcimus, ad quos possint deuenire prouentus, vnde nasus Ecclesiæ turri comparatur, dum imminens malum prouidendo declinatur, & virtutis studium sui merito successus amatur. Cuius fertilitas tunc penitùs approbatur, cum quòd benè prospicimus, & aliis insinuare satagimus, vt pupillæ officium, & oris agamus. *Euilath* interpretatur dolens, vel parturiens. Dolet qui præsentis sæculi ærumnas, & exilium ægrè fert, qui cum pauper fuerit, & coram Deo effuderit precem, dicit: *Percussus sum vt fœnum*, & sequentia. Parturit, qui licet stellis coronetur duodecim, lunámque sub pedibus habeat, ac sole amiciatur, cruciatus tamen ait: *quod operor non intelligo,* id est non approbo. *Video enim aliam legem in membris meis*, & cætera. Et alibi: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc,* scilicet bona opera cum dolore operatur. Circuit autem Phison, id est munit non puluerem, quem proijcit superbiæ ventus à faciæ terræ, id est Christi, sed terram, stabiles scilicet, ac solidos qui dolent se non habere hîc manentem ciuitatem, & clamant parturientes puerum, qui rapiatur ad Deum, & ad eius thronum. In hac terra, hoc clausa munimine nascitur sanctarum animarum aurum, & hoc optimum; quia si bona est sancta rusticitas, quàm dignior est docta sanctitas. Sic enim dicitur: vbi nascitur aurum.

Prudentia quæ. Cant. 7. 4. Psal. 101. 5. Apoc. 12. 1. Rom. 7. 15. Ibid. 23. Rom. 8. 22. Gen. 2. 11.

Vers. 12. *Et aurum terræ illius optimum est.* Maximum est enim non sibi soli, sed omnibus studere prodesse. In auro enim & splendor est, & pretium; pretium ergò ex religione, splendorem habent in eruditione. *Ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Bdellium secundum quosdam arbor est aromatica, colore nigra, magnitudine oliuæ, folio rubi, fructu caprifici similis. Sunt aliqui Physon, id est prouidi, sunt Euilath inter obstacula benè agendo validi, sunt terra perseueranter immoti, quorum aromata piæ fluunt opinionis, & licet sint elatæ palmarum, nigræ tamen quasi coruus, vel studio humilitatis, vel memoriâ veteris conuersationis, eos exquirere nituntur, qui charitatis ac misericordiæ, quod signatur oliuâ, actibus eminent, & cum Paulo Apostolo ad eam quam consecuti sunt gratiam, folio rubi, id est verbo Dominicæ Passionis, quæ pro peccatoribus facta est, & alios prouocant. Lapis autem onyx ab vnguis similitudine sic dicitur; vnguem autem meum attendo eâ parte, quâ surgit, arcuato quodam primùm albore suffundi, in medio cernens mixtum candore ruborem, superiùs vbi carnem excedit sinceriter elucere. Primus candor noster ex baptismo est, qui tamen arcu diuinæ Scripturæ, diuiníque iudicij quasi jugo restringitur, sed postmodum rubore miscetur, passionum scilicet euincendarum incursione turbatur, donec carnis carcere exemptus liberâ cœli luce fruatur, fructu verò caprifici est similis, qui vbi permaturuit ater est, quia cum sancti viri ad perfectum charitatis attigerint, & vitia mortificant, vitàmque, si suppetat occasio, sanguinis effusione consummant: fusus namque nigrescere solet sanguis.

Vers 13. *Et nomen* * *secundo fluuio Gehon: ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Gehon interpretatur pectus, vel præruptum; per pectus potest accipi fortitudo, quæ nullis quæ prouiderit prudentia terretur, aut cedit aduersis. Quod enim brachiis non possumus, pectoribus aut impingere, aut trahere solemus. Vnde & quibusdam animalibus major inibi vis est; & Archiepiscopis sub hoc typo pallium isthic insidet, vt alios præcedendo fortiter trahant. Præruptum autem non abs re dicitur, quia si fortis in aduersa fore desideras, priùs opus est, vt quæ tibi præ oculis temporaliter blandiuntur abrumpas. Per Æthiopiam verò, quæ nigros habet populos, contraria figurantur, vti prospera candidis & nunc, & apud veteres signabantur. Circuit ergò Gehon illam, quia ambit, & ampla sub sementis authoritate constringit, quicquid exteriùs molestiæ ingruit, quicquid Æthiopicæ terrenitatis incurrit, copiosi fluento consilij circumgyrat, & abluit.

* al. fluuij secundi.

Palliũ Archiepiscopi fortitudinem designat.

Vers. 14. *Et nomen fluminis tertij Tygris: ipse vadit contra Assyrios.* Tygris interpretatur sagitta. Per

sagittam temperantia non inconcinnâ ratione accipitur, temperantia autem contra voluptates carnis emittitur. Arcus namque quod est stoliditas corporis interiori virtute curuatus, contra nebulas concupiscentiæ sagittam temperantiæ si dirigat, quatenus videat quod feriat, pennâ virtutum non careat, interius intentionis directione præmineat, subtilis ingenij acumine quasi quodam ferro temperanda diuidat, ne dum sanè prouidet, saniusq; tolerat, minùs sanè fisus de se nimiū actus suos discernendo componat. Nam est inepta abscidenda voluptas, non penitùs subtrahēda necessitas, nec quis dum se valere existimat, aliorum mentes contemnat inualidas. Hæc nos temperantia, quæ & discretio quasi arcum sagitta prçuolare debet, ne quid superueniat, quod nos inconsultos offendat. Istud Dei flumen repletum aquis non circuit Assyrios, sed vt hostes vadit in ipsos. Rectè enim Physon Euilath, Gehon Æthiopiam circuire dicitur, cum ille muniat, alter iuri subijciat nostro, & circumcludat aduersa, & specialiter voluptas ad vnguem oppugnetur exclusa. Dicitur enim: *Fugite fornicationem*, quod est dicere, fugite lapsus opportunitatem; medullitùs enim injacet nobis hoc vitium, ideò cautiùs insequendū; hoc est namque Assur, quod Aula interpretatur. Aula, quia regum, aut potentum domus est, voluptas sæculi intelligitur, nec immeritò; in aulis enim totius obscœnitatis videmus esse gurgustia. Vnde est; *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*, id est qui fluxa amplectuntur, domestici dæmonum sunt. Hi sunt Assyrij, id est aulici, quorum non minùs persequenda sunt exempla, quàm ipsa in nobis vitia. Vitia etenim, quæ pudor sæpe reprimit, exemplum nequam acrius exsuscitat, & nutrit. *Fluuius verò quartus ipse est Euphrates.* Qui & interpretatur frugifer. In quo intelligitur iustitia, quâ Deus super omne diligitur, & proximo sua regula non negatur. Hæc est fomes, hæc est frugi tribus prælibatis, aliisque quibusque virtutibus, & spiritualibus vti succus & medulla arboribus. Diffinitur autem, quia habitus est animi communi vtilitate seruatâ suam cuiq; tribuens dignitatem. Vbi perfectum quiddam insonat, sic erga quemque se habere frugaliter, vt generalis non deseratur vtilitas. Quod non aliud est, nisi vt quisque sic honoretur, vt est, vtque meretur, ne vnius vel paucorum aspernatione seù cultu omnibus scandalum generetur. Euphrates igitur frugem vitæ fert, quia iustus in iustitia sua quam operatus est, viuet.

(1. Cor. 6. 18. — Matt. 11. 8. — Iustitia quid.)

(Vers. 15.) *Tulit ergò Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Tollit Deus hominem, cùm eum suæ propriæ adimit voluntati. Ponit in paradiso voluptatis, cùm suam inspirans facere voluntatem insinuat, quia se nosse viuere, sibi seruire regnare sit. Operamur verò paradisum, cum bonorum studiis operum regno cœlorum vim facimus, cum quærimus ipsum, & iustitiam eius custodimus, cum inani gloriæ inter benè agendum aditum obstruimus.

(Vers. 16.) *Præcepitque ei Deus dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Ex omni ligno paradisi comedimus, quando vitam omni refertam virtute transigimus. Ligno scientiæ boni, & mali non vescimur, cum voluntate nostra in experientiam peccati, quâ bonum quod habebamus plenius agnoscitur, non abutimur. Sed de his superius ac satis dictum est.

(Vers. 17.) *In quacumque enim die ex eo comederis, morte morieris.* Comedimus, cum prauæ delectationis etiam sine actu extrinseco saporem excipere consentimus; sed quia virtus peccati mors, id est delectatio esse dignoscitur, morte morimur, cum à statu piæ intentionis diuini desiderij exclusione deijcimur. Sed quare in die cum nox peccatum sit, dies aliquotiens pro qualibet prosperitate assumitur; vt est: *In hac die, quæ ad pacem tibi.* Et peccare volenti, cum prosperè facultas arridet, dies quidam in obscurum rediturus elucet. Solet & per diem intelligentia, sicut & per noctem ignorantia accipi. Quidam verò quantitatem cuiusque criminis ad plenum intelligentes peccant, de quibus est: *Descendant in infernum viuentes.* Aliqui id metiri nesciunt, cæcique ruunt, de quibus dicitur: *Sicut oues in inferno positi sunt.* Tantumdem itaque quis moritur, quantum quod admittit intellexisse probatur.

(Luc. 19. 42. — Psal. 113. 17. — Psal. 48. 15.)

(Vers. 18.) *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sui.* Hominem qui suæ motibus carnis rationis imperio præsit, nec peculiariter euagatur, hîc sentimus. Inde super Psalmum, Canticum Moysi hominis Dei. Cum spiritus, & homines boni, & mali Dei sint. Homo hîc ob sui integritatem ponitur, ob quod & Dei esse dicitur. Illic etiam: *In die illa nutriet homo vaccam boum*: Sed ista hominis puritas si iugiter, aut etiam aliquandiu ei insit, summum eius periculum esse potest, teste Paulo, cui datur stimulus, ne reuelationibus extollatur. Etsi enim cœlum sancti vocantur, silentium tamen in cœlo vix mediâ horâ conceditur. Solus ergò homo foret, si hanc silentij quietem haberet. Non est autem bonum, ne pariat sibi arrogantiæ typum. Denique fit à Deo sibi adjutorium similis sibi, dum fragilis originaliter ipse, non naturalium etiam fragilitatum immersione continuâ, ex peccati pœna ad sui notitiam reuocatur. Cum sit enim passibili corpore

(Isaiæ 7. 21. — 1. Cor. 12. 7.)

ne de mentis aliquo statu superbiat, patitur A immolestias passionis in mente; vnde commonitorium circa se habet, quod se adjuuet sibi per fragilitatem simile. Porrò Deus id facit, cùm fieri iusto iudicio permittit.

Vers. 19. *Formatis igitur Dominus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* De humo Dominus volatilia cœli ac animantia terræ format, dum contemplationis, & actualis vitæ bona per humilitatem tentationum, nostríque cognitionem B ad supercæleste exemplar expressius nobis instaurat, suíque & Angelici habitus imaginem format. Adducit autem ad Adam, cum hæc disponenda & curanda nostræ imperio rationis addicit. Vt videret, Adam scilicet ipse, id est discerneret, quid vocaret ea, id est quibus quasque virtutes qualitatum distributionibus insigniret. *Omne enim quod vocauit Adam, animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Nomina quibusque substantiis ex earumdem qualitate, & etiam aliis non substantiatis rebus imponi solent. Nomen verò C pro opinione, vel æstimatione sæpè ponitur, vt est: *Nomen bonum melius est, quàm diuitiæ multæ.* (Prou. 22. 1.) Vocat itaque Adam animas viuentes, id est vitalia virtutum studia subtili ad intelligendum indagatione disterminat. Sunt autem animæ, quæ non viuunt, quia sunt opera exterius vitæ nomen habentia, sed introrsum per cenodoxiam mortua. Ita namque nos moderni de virtutum scientia cogitamus, vti ab his qui veri fuere Adam patribus accepimus. Sed quàm subtiliter ipsum, quod est Adam nomen, hîc inducatur D attendendum. Adam secundum quod in sequentibus legitur, vir, & mulier à Deo vocati sunt, & interpretatur homo. *Qui adhæret Domino*, iuxta Apostolum, *vnus spiritus est*, (1. Cor. 6. 17.) & animalitas nostra plenè subnixa intellectui, reuerà iam excoctâ fragilitatis mollitie homo est. Rectè igitur postquam in nostra facere Deus incipit infirmitate virtutem, postquam volatilia cœli, id est spirituales gratias, ac animãtia terræ, scilicet eas, quibus humana illustratur actio honestatis sanctæ, sciẽtias, atq; bestias terræ suis Adam appellauerit E nominibus, id est calliditates, vel ferocias dæmonum, seu vitiorum variis conijcere nouerit disquisitionibus; tunc inquam rectè primò inducitur Adam, scientiâ videlicet ac opere noster iste perfectus. Sed in his gratiarum collationibus non est adjutor, qui suæ sibi humanitatis humilitatem præ oculis statuat, sed virtutum hinc & inde ad votum exuberante copiâ mens sibi penè plusquam humana videtur. Ne itaque hæc se statio depellat in lapsum, dat ei prouidentia diuina similem, cuius titillatione frequenti suam commemoretur attendere conditionem. Inde dicitur: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Et deinceps.

Immisit ergò Dominus soporem in Adam, & tulit vnam de costis eius, & ædificauit costam in mulierem. (Vers. 21. & 22.) Sopor Adæ immittitur, quando ingens, Deo ordinante, calor deferuescere, ac tepere aliquantisper permittitur. Vbi costa lateri eius adimitur, cum dispensatiuę tentationis ingruens quasi quidam improuisus latro virtutem aliquam, de cuius firmitate fidebat, euellit. Deus autem facit eo vsu, quo fieri sinit; à latere minus cauemus, quia minus ibi videmus, & ideò costam illud boni de damno cuius minùs sibi timet, accipimus. Solemus etiam & latera eos, qui nos adjuuant, vel muniunt appellare, vt est: *Latera Aquilonis*; &, *Sedebo in lateribus Aquilonis*, in Psalmo scilicet, ac Isaya. (Psal. 47. 3. Isaiæ 14. 13.) Illud ergò magis hostis impetit, quo magis nos muniri conspicit, & in quo minùs nos circumspectos attendit. Vnde sub optimo improuidæ mentis typo percutitur in carcere Petri latus ab Angelo. Obdormiente ergò Adam, id est in nimia securitate constituto costa eripitur, quia incautus à virtute deseritur. Sed notandum quod additur: *Repleuit carnem pro ea.* Per carnem, quæ mollis est, intelligatur remissio; solet namque hostis noster, cum quippiam arduum cœperimus, quasi ratiocinando suggerere: si huic, quod aggressus es, proposito tam intensè incubueris, tædio sanè, vel imbecillitate victus ad hoc subsistere non poteris. Sic igitur modum operi tuo pone, vt interualla pio ludo, ac remissioni indulgens, ad id post tempus libentiùs, alacriusqúe valeas redire. Cui sensui concinit quod dicitur, *pro ea.* Quasi enim pro quodam conseruandæ religionis suffragio hæc dicere se simulat. Dum itaque gratè venenata suscipitur ratio, quasi pro remedio fastidij non respuitur ruinæ causa remissio. Sic virtutis locum supplere dignoscitur caro. Denique *ædificatur costa, quam tulerat Dominus de Adam in mulierem*, quia ex occasione virtutis ad tempus amissæ nascitur in animo moles tentationis immensæ; parumqúe putatur quicquid vtilitatis pridem de habitu virtutis sensum est, quia internæ debilitatis impulsus, iam vltra vires totius rationis est: ædificat itaque, id est ædificari permittit ex costa Deus mulierem, quia ex bono nostro diabolus tentandi nanciscendo materiam, quasi ex fundamentis imaginationum educens ad exteriora verborum, demúmque ad summam operum, cuiusdam fœdæ teneritudinis fabricam in animo fluctuantis erigit: sed *Deus qui non patitur nos tentari supra id quod possumus*, (1. Cor. 10. 13) hanc ad nos adducit, quia sub iure nostro per rediuiuam rationis poten-

tiam, omnem mentis fluxum quasi seruum A refugam redigit. At de ipsa reuocata iam cautior Adam noster quid sentiat audiamus.

Vers. 23. *Hoc nunc os, inquit, ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago* * *quæ de viro sumpta est.* Quod est dicere, hoc quod de muliebri inconstantia ad regulam regressum. Nunc os, id est virtutis robur ex ossibus quod est ex virtutum societate recepit; &, id est etiam caro de carne mea est, quia concupiscentiæ fluxu animi fortitudinem in carnalem habitum transferente, de carne B peccati quæ aggrauat animam, caro, id est debilitas, ac mollities praui appetitus, qui nos tentat, exorta est, & quod fuit pridem ossis firmitas, improuiso cordis motu fit carnalis affectus infirmitas. Inde iure est vocanda virago, quia de viro, id est intellectu vires, vnde constanter agat, fragilitas nostra accipit, & tamen fœminina segnitie statum virilem, nisi circumspiciatur, euertit. A meliori ergò parte virago vocetur, vt non rationis viribus fœmineè abutatur, sed licet aliquotiès ex virtutis occasione nascatur, C non vir præposterè ipsam, sed ipsa eum irrefragabiliter subjecta sequatur.

*al. quoniam

Vers. 24. *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Propter hoc, inquit, relinquet is, qui à bestiali semotus est vita patrem diabolum, matrémque concupiscentiam, & adhærebit vxori, id est voluntati suæ rationabiliter regendæ, & erunt duo intellectus videlicet ac voluntas in carne vna, id est in affectu vno: affectus etenim noster quia in eodem statu nunquam sæcularibus D inhians figitur, mox vt Deo vacare incipit, velit nolit ad vnum sistitur. Sunt itaque duo in carne vna, cum præfata duo quasi regni sedem sibi ponunt in tertio, & ad idem duo gradiuntur concorditer affectione locata. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius, & non erubescebant.* Voluntas cum in sanctis viris spiritui est concors, cum ipso spiritu à rebus forinsecis sese expoliat à tunicis cupiditatum, maximéque ab ipsa intentione laudis exonerat. Sed cum hæc contemnunt, & nihil in mundo videri gestiunt, E sæpe eos vilissimi quique despiciunt. At verò non erubescunt, quia quantò veriùs se pauperes factos gaudent, tantò si proinde vilipendantur etiam abs quolibet improbo acceptius habent.

CAPVT TERTIVM.

Vers. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Deus.* Quod ita continuandum est; abruptè enim positum videtur illud, sed nudi erant, & non solùm pro sua nuditate spernebantur exteriùs, sed etiam serpens, qui spiritu ac voluntate in bono commanentibus per terrena fugax elabitur, carnalis scilicet affectus callidiùs duo illa circumuenire consueuit, quàm aliæ passiones motuum terrenorum, quæ per animantia terræ signantur, facere per se queant. Quantò namque vicinior atque interior, tantò ad irrependum fallendúmque efficacior. Iste est qui serpit in membris vt repugnent legi mentis, cum velle adiaceat illi, & condelectetur legi Dei secundum interiorem hominem, sed isto obnitente perficere non inueniat: sed multi voluntatem & affectum quicquam discrepare non putant; audiant ergò Psalmum: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas*: quod est ac si dicat: Vellet anima mea affectare iustificationes tuas; cum enim Apostolus diceret: *Voluntas mihi adiacet*, & adderet, *perficere non inuenio*, idem est ac si poneret, affectum non inuenio, serpit enim hac illac. Vult infirmus comedere, sed non afficitur; afficitur sobrius nimis comedere, sed non vult: idem in multis probare facile est. Voluntas itaque quasi filia matri quantò rationi est propinquior tantò pedissequa, id est affectu dignior. Hæc licet lubrica & magis labilis materno tenetur imperio, illa publicæ obscænitatis victima * crebris hanc quàm iuniorem, & ideò seductibiliorem comperit, matris ratiocinantis diuellere conatur à tergo. Et ideò primùm hîc aggreditur mulierem, ipsam scilicet voluntatem.

Rom. 7. 18. Ibid. 22. Psal. 118. 20 Rom. 7. 18.

Fortè * crebriùs hanc quàm iuniorem seductibiliorem comperit, & ideo matris.

Vers. 2. *Cur, inquit, præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno paradisi?* Consuetudo est personarum penitùs obscurarum, vt procaciter & tumidè quælibet summa discutiant. Vnde & Deum primus omnium creatorum serpens iste nominat, & Deo quod nunquam dixit, imputat. Non enim hominibus omne paradisi lignum vetuit Deus, sed vnum tantummodò, quod totum mirâ rabie dictum ita exprimitur. Cur, inquit, Deus cùm sit Deus, & diuinitatis dignitate nec velit peccare, nec possit, nobis terrenis, & corpore, & animo passibilibus tot præcepta mortali importabilia naturæ inuexit? Dum enim experientiam nobis mali ademit, simul omnia vitæ ligna, virtutes scilicet, quibus vteremur, abstulit, Si enim quid sit malum nesciero, bonum quod huic auersatur quo-

modo amabo? Per experientiam sanè morbi custoditur auidiùs integritas sanitatis. Malum ergò iubere nescire, bonumqúe facere, idem est ac si quis videns ac in tuto constitutus cæcum iubeat à sagittis cauere. Hanc carnalis ratiocinationem affectus sequitur satis tepida responsio voluntatis, qua sibi solam mali consensionem, id est tactum, comestionem, id est actum, quia saporem ingerit rei sensæ, perhibet interdictam.

Vers. 3. *Præcepit*, inquit, *nobis Dominus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Sanè vbi à tactu & ab esu morticinorum lex prohibet, à mortuorum profectò operum fauore ac effectu nos arcet: sed hanc typicæ muliebritatis mollitiem ille surreptor inferens vndâ adhuc fortiore molliuit.

Vers. 4. & 5. *Nequaquam*, inquit, *moriemini. Scit enim Deus, quia in quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum, & malum.* Cum, inquit, cuiuscumque experientiæ causâ, quæ duntaxat cautelæ, & industriæ capessendæ sit, labem culpæ admiseritis; hoc enim quacumque die significat, quia plurimum quoquo modo indeptæ prudentiæ nos lumen insigniat, discretionum vestrarum aperientur obtutus ad deinceps præcauendum, vt dij demùm ex boni per contractionem malorum integrâ scientiâ existentes, nequaquam morte æternâ, quæ antonomasticè mors dicitur, Dei amissione moriamini, cum memores in peccando malignitatis expertæ vlteriùs iam non peccare velitis, & nec etiam quadam diuina in vobis transfusâ potestate possitis.

Vers. 6. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulitque de fructu illius, & comedit,*

* Vers. 7. *deditque viro suo, qui comedit.* * *Et aperti sunt oculi amborum.* Sed ne præterisse videar, scit inquam Deus, id est approbat, quia quacumque die, id est cuiuscumque intelligentiæ nanciscendæ, non solius vitij gratiâ vitium subieritis, vos nihil mortale merituros, sed perspicaciores ad cautelam futuros. Affectus suggestionem lentè susceptam delectatio approbat voluntatis, quia vidit, id est desiderauit, immò concupiuit mulier, stolidæ voluptatis, quod ex consensu cogitando induruerat lignum, bonum, id est iam miseræ palato mentis saporum ad perpetrandum, exterioribus oculis pulchrum, delectabile iuxta imaginationis aspectum, tulitqúe, id est audaciam sumpsit, diuturnis delectationum caloribus enutritum fructum executionis faucibus operis degustare. Post peccati enim actum sapit diu in memoria quod fuerit delibatum, & dentibus extrinsecæ administrationis teritur, vnde pereunti animæ pudibunda saturitas inuehatur. Mulier prior

A comedit, quia prima voluntas suggerenti affectui ad consensum nequitiæ se inflectit, atque viro propinat idem, dum eiusdem venenosæ dulcedinis facit sedulâ instigatione participem rationem. Aperiuntur amborum oculi, dum cognoscunt vnde lapsi sint, quóque deuenerint: aperiuntur etiam, dum illud cuius notitiam vix, vt sic dicam, somniando attigerant, velint iam nolint quod semel gratanter ebiberint, præ oculis scriptum atque expressum portant, & peiori multo quàm priùs, & inuiti aliquotiens ruminatione retractant: & iusto iudicio fit, vt se hinc volentes expedire non queant, qui sponte cecidêre, cum stare facile poterant. *Cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Se iam nudos esse comperiunt, quia iustitiæ operibus se fraudatos & cœlesti protectione cognoscunt, & expositos se maligni spiritus vento conspiciunt. Folia ficus consuunt, quia ad contectionem nequitiæ verba religiosa prætexunt: sed quia ficus folia non sunt vti plerarumque rotunda, sed aperturis hiantibus anfractuosa, & quasi linguas habentia, & aspera, possumus per asperitatem continentiam veterem, quas specie tenus post lapsum seruat, accipere; per folij tenuitatem hypocrisis subtilitatem, quæ tamen grauia contegere vitia vsquequaque nequeunt, quia ipsa linguas habent, nam

Arte superductum violat quandoque pudorem
Impietas contacta diu, nec passa recondi;
Vt lux clara vitrum, sic penetrat faciem.

Vers. 8. * *Cúmque deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi, cùm audissent vocem eius.* Vox Domini deambulantis in paradiso est increpatio, vel memoria præteritæ iustitiæ iam non stantis; nil enim aliud iustitia in nobis quàm Deus est, post perpetrationem peccati in mente, quia ipsa de se queritur ratio lapsa, ad auram scilicet post meridiem, æstu tentationis per effectum suum iam deferuescente, & spiritu hominis secundum Dei sensum pro sui defectu singula cordis loca lustrante: sed non est creditus cum Deo sentiens spiritus eius. *Abscondit*, enim, *se Adam, & vxor eius in medio ligni paradisi.* Lignum paradisi affectus est animi, cuius medio absconditur, quisquis in eius praua consuetudine ne ad Dei respiret notitiam, libertate vndique egrediendi negatâ sepelitur: Hunc enim vocat Apostolus peccatum, quia non inuenit in carne sua bonum. Sed non Adam totus homo ille qui quondam, sed Adam quod interpretatur terrenus, vel terra rubra, terrena videlicet sapiens, & corporis addictus passionibus, & vxor eius, id est vo-

* Et cum audissent vocem Domini Dei perambulantis &c.

Psal. 77. 8.

luntas, quæ olim sibi iuncta indiuiduo Dei gratiâ agglutinante complexu, nunc adeò disparata tantò animi diabolo mediante discessu, quantò viro suo non iam supernæ rationi, sed terrenæ astutiæ in temporalium amore bonorum arctiori copulata consensu, diuinæ voci post terga monenti obaudiunt, sed obduratione quâ diximus se mentis abscondunt. Quod si accipimus ligni positum pro lignorum, sicut cynomiam, & ranam pro ranis, & cynomiis Sacræ Litteræ ponunt, profectò in medio lignorum paradisi nudus se celat, quisquis malè agens sanctorum virorum societate se palliat. Vnde ipsis à quibusdam dicitur: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur*, id est quia ex nostro opere obtenebrascimus, vestræ nobis familiaritatis impendite gratiam, vt si non ex nostra, saltē ex vestra luce fulgeamus.

Matt. 25. 8.

Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Adam vbi es? * *Qui ait: Vocem tuam Domine audiui in paradiso, & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Vocat Dominus Adam, cum rationem cuiuspiam post casum interiùs conueniens prouocat ad pœnitentiam. *Vbi es?* inquit, locum quo jaceas attende, qui non alius quàm superbia est, qui olim humilis stare didiceras? *Vocem tuam*, ait, *Domine audiui in paradiso.* Audio quid jubeas, pia scilicet studia repetere, paradisi virtutum antiquarum damna deflere, sed vereor austeritatem pœnitentiæ, & hanc nuditatis penuriam nouis operum vestibus operire, & ideò interim per exterioris subornationem habitus pudorem meum decreui abscondere.

Vers. 9 & * 10.

Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quod de ligno, de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? Quod est Deum homini dicere: Quomodo scis te meâ protectione desertum, nisi quod te nosti per tui me excessus offendisse reatum? Reus enim etiam absentem, & ignarum Dominum timere solet: sed spiritui cum Deo sentienti quid humana pertinacia referat, audiendum.

Vers. 11.

Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Fragilis, inquit, nutabilisqúe voluntas, quam rationi indidisti humanæ hæc monuit, hæc intulit. Tu qui tot intoleranda homini præcepisti, prouidere debueras, vt statum voluntatis inflexibilem haberet ad passiones, quæ menti ingruerent, respuendas.

Vers. 12.

Et dixit Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Conuenitur eodem auctore voluntas, sed humanitùs in affectum deriuat offensas. Tu, inquit, ô Deus cur tam labilem dedisti voluntati affectum, qui non solùm non adjuuat à bono deuios, sed etiam illicit; & exorbitare facit diuina conuersatione perfectos? Quomodo frænatur ab improbo, qui non plenè cohiberi præualet etiam ab integrè probo? Quod totum est: *Serpens decepit me.* Verum querimonias in se ineptè fusas Deus intellectu correcto ad respectum causationemqúe non sui, sed prauæ affectionis intorquet. Dicit ergò Deus rationis instinctu per terrena serpenti: * *Quia fecisti hoc maledictus es inter cuncta animantia, & bestias terræ.* Quia, inquit, fidelium seductioni incubas, execrationi esse debes inter vitalia virtutum studia, quæ signantur per animantia & bestias terræ, ferocias carnis, scilicet vitia. Tu bona enim dissipas, tu crimina instigas. Super pectus tuum gradieris. In pectore cor habemus, & in corde rationem. Affectus itaque super pectus ambulat, quando sibi imperium rationis vsurpat, vnde quid faciat dextra, jubetur nescire sinistra. Super pectus etiam vadit, dum appetitum quasi naturaliter ad ima deprimit. Aliter benedictio in sacro eloquio, sicut pro multiplicatione ponitur, ita maledictio pro defectione. Inter omnia igitur animantia, vitia vtique carnis mansuetiora, vt sunt in cibo, potu, somnoqúe excessus; & bestias, crudelia scilicet, & horrenda, affectus iste, qui origo eorum est, habeat æternæ defectionis exitium. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* id est in omni prosperitatis, quæ per diem signatur, specie terrenis pasceris, qua præcipuè contra vitam fidelium viuis. Qui terram manducat, quantumcumque comederit, plus sibi comedendum quàm potuerit comedere restat, sic his qui cupiunt quantumcumque obtineant cupienda restabunt.

Vers. 13.

* Vers. 14.

Matth. 6. 3.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Hoc fit quotiens voluntas nostra diuinę innititur rationi, & tunc appetitus carnis apud ipsam respectum non inuenit, quia semen sancti quo fœcundatur spiritus, diabolicæ suggestioni prorsus infensum, infinitam inter vtrumque discrepantiam facit. *Ipsa conteret caput tuum.* Caput, id est initium praui appetitus fuit, cōmuni vtilitate relictâ, videlicet Deo, quædam sibi propria velle. Vnde Dominus eum, qui ad se venit, non ejecturum foras perhibens, causas addit, quia non venerit facere voluntatem suam. Recta voluntas hoc caput atterit, quando in quantum præualet nil sibi turpiter proprium relinquit: dum enim à primo homine priuatum quiddam petitur: à paradisi sereno demittitur: sequaces secundi Adæ totos se Dei placito contradentes in cœlis admittuntur. *Et tu insidiaberis calcaneo eius.* Calcaneum quæ est finalis pars corporis intentionem accipimus, quæ omnium actionum est finis. Dum igitur Dei voluntati nostram postponimus, dum clande-

Vers. 15.

Matt. 6. 37.

stina & aperta vitia abdicamus, in bonorum A nostrorum intentione tendiculas præcipuè ponit quæ gerimus, vt quos flagitio irretiri non valet, saltem affectualis improbitas popularis fauoris aliqua respectione commaculet. At iam ipsa voluntas quid de se etiam sentire debeat, diuinitùs ratione magistra exaudiat: dicitur illi:

Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. Multiplices ærumnas patitur, qui bonum quod fieri debere videt, & facere volet, vanitati subjectus velit nolit, quod desiderat efficere, mortali obsessus conditione non B valet. Vnde vnus, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Melius id experiendo dicitur, quàm dicendo. Conceptus multiplicantur, sed in dolore filij pariuntur, quando ipsa tantilla bona sine magna cogitationum concertatione non proponimus, & destituta carnis impulsibus cum labore reponimus, sed etsi cum aliqua delectatiuncula spirituali incipimus, quis edicat, quo dolore & clamore parimus? Sed hæc si partui primùmque conceptui sufficere cupit, *sub viri potestate*, id est rationis, vtpote C disciplinæ indigens necesse est, vt sit, cuius damno iuuenilis quædam lasciuia voluntatum cohiberi possit: verum ne mentis ipsa principalitas, quæ obniti debuit cupiditatis excessibus, immunis abiret, Adam sub figura eius arguitur.

Rom. 7. 24.

Vers. 17. *Quia*, inquit, *audisti vocem vxoris tuæ*: id est quia qui subijci tibi debuerat prauus tuo cordi appetitus intinniit, & iura mea peccati admissione præterit, terra in opere tuo maledicitur, quia mentis tuæ stabilitas, quæ Dei agricultura est iuxta Apostolum, à benè D operandi studio defectui nutabilitatique subjecta præpeditur. Terra enim, quia cæteris solidius elementum est, pro stabilitate ponitur. *In laboribus comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ.* Terram cum labore comedimus, cum animo à sua mobilitate ad horam restricto, Dei aliquantula inspiratione ad aliquid luminis sentiendum solidamur. Nam sicut eo statu pascimur, sic peregrinantes ex hoc deficimus, quia siliquis vtendo, nobis non nisi pondus ingerimus, sed cum labore id agimus, quia cum Iob, antequam come- E damus, suspiramus, & hoc cunctis vitæ nostræ diebus, id est quotiens vitam nostram vnicam Christum intelligimus; per dies enim intelligentiam signari supra diximus. Illum autem intelligimus, cum illi singulariter interno sapore iuhiamus. Cum labore inquam comedes; nil enim sine labore restat mortalibus etiam in terrenis; quia *spinas & tribulos germinabit tibi.* Tu menti propriæ cultum impendes, sed illa inter colendum originario & actuali corrupta tabo spinas auaritiæ, tribulosque libidinum feraciùs germinabit. Sicut namque densioribus horrent aculeis tribuli, quàm spinæ, ita animi plurimorum luxuria frequentius stimulantur, immò naturaliùs, quàm cupiditate, & comedes herbas terræ, quia molles & lasciuas cogitationes, & desideria carnis tuæ patieris gratanter excipere, ipsis quasi pabulo te fouere.

1. Cor. 3. 9.

Iob 3. 24.

Vers. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Per cutis poros ab internis sudor emanat. Vultus autem à voluntate dicitur, quia in vultu potissimùm voluntas cogitantis apparet. In sudore itaque vultus panem comedimus, quando ab animæ occultis omni voluntatum exhausta mollitie, & inde lota, qua Deum videamus facie, qui de cœlo descendit, vescimur intrinsecus pane. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Pani illi vescendo intendimus, dum in terram, stabilitatem scilicet ac impassibilitatem illam supercœlestem redeamus, de qua dolo diaboli ad luendas miserias sumpti sumus. Potest panis & alio accipi pro perfectione modo. Puluis triticeus, qui farina dicitur, aqua conspergitur, multo versatu ad duritiam massa deducitur, admoto dehinc igni sudus ad integrum panis efficitur: ita nos quondam ad omnem dæmonis flatum cessibiles vt puluis eramus, diuini spiritus vnda infusi sumus, sed quia primordia nostra tenera ac fluida sunt, crebris tentationum reuolutionibus induruimus, demùm trituris passionum ad purum corda excoquentibus digni esu fidelium, id est exemplo tandem efficimur. Cum sudore ergò ad hunc pertingimus panem. *Puluis es*, enim, *& in puluerem reuerteris.* Cum mobiles naturaliter in morem pulueris simus, si adhunc consummationis panem, vel terram substantiæ redire satagimus, necesse est vt in puluerem reuertamur, id est peccatores nos confiteamur. *Auferes*, ait Psalmus, *spiritum eorum, & in puluerem suum reuertentur.* Sudâ ergò factâ ab omnis vitij humore nostra voluntate, quasi sudore vultus ad huius panis gustum vel existentiam deducimur; ad aquosa enim loca septemplex spiritus ingreditur.

Vnde vultus.

Psal. 103. 29

Vers. 20. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eò quod esset mater omnium viuentium.* Ad hunc itaque statum correptis moribus, iam noster Adam nomen vxoris Euam, id est certa discretione, vitam, voluntatem scilicet iustæ rationi subjectam, & boni fructu operis iam ex ipsa subjectione fœcundam; sine bona enim voluntate nulla bona quæ gerimus habent vitam. Ipsa namque nostris vitalibus studiis exordium ministrat, & vt ita dixerim, animam. Eua interpretatur vita, quæ si benè geritur à ratione, Deo siquidem primùm ratione subnixa spiritus vitæ est cunctis actibus sequentibus ipsa.

Vers. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Dum igitur ordinem quem prætulimus in interioris hominis habitu, quæque sectantur per vehemens sanctitatis exercitium, non solùm prioris gratiæ recipit gradum, sed etiam indumentum meretur pelliceum, id est in passibilem peccati memoriam, & post lapsum: facta sanè peccati experientiâ nil magis molestare animum solet, quàm eius memoria. Sed si hæc sine desiderij passione contigerit, non solùm, non officit, sed etiam ad compunctionem nimis, cautelamque proficit. B In tunica pellicea corium cum vellere esse consueuit. In corio itaque memoria mortui operis, in vellere insensibili virtus intelligitur impassibilitatis, quibus pro merito perseuerantiæ intellectus munitur cum secunda voluntate.

Vers. 22. *Et ait: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* * *Qui adhæret Domino vnus spiritus est*, iuxta Apostolum. (* 1. Cor. 6. 17.) Licet igitur non nos debeamus sinere delabi in malum, tamen de quo quo modo lapsis si constanter pœnituerimus, dicit Deus, ecce C Adam quasi, id est reuerà vnus ex his, qui mihi specialiter inhærent, ac vniuntur factus est, qui ad veram boni cognitionem per experientiam mali attigit; vt quodammodo nec velit, quantum in homine est, peccare, nec possit. Solemus enim de re quàm multùm nolumus dicere, non possum hoc facere. Et abundant exempla satis fortiores aliquos fuisse post casum quàm ante fuerint. *Ne fortè ergò sumat de ligno vitæ & viuat in æternum*, * *Emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* (* Vers. 23.) D Lignum vitæ hîc in malo positum accipimus stultitiam sæcularis memoriæ, quâ temporaliter aliqui celebrari volentes, scriptis digna agere desiderant, militiâ, pöësi, & cæteris artibus sese nobilitant, per quæ diu memoriis mortalium viuant. Hoc religiosis quibusque surrepit, vt eleemosynis, nouitate beneficiorum, extructione Ecclesiarum sibi famas in posterum struant. Ne ergò hoc præsumant stoliditatis genus, quod per lignum non incongruè designatur, emittit Deus eos de illa præcipua ac voluptuosa florulentia mentis, quæ nullius peccati patitur E morsum, vt pristini contagij se jugiter compungente memoriâ, operum acri exercitio bonorum terram, id est impassibilem illum repetat statum, de quo sumptus est, à diabolo scilicet detractus.

Vers. 24. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ejecto itaque Adam ab illa innocentis sinceritate animi, ante paradisum, id A est conscientiæ considerationem Cherubim collocatur, quod vermiculata pictura, vel quasi plures, vel multitudo scientiæ interpretatur. Vermiculus & naturâ rubet, & quælibet rubricat. Pictura verò signum est, non veritas. Per vermiculum itaque, qui est colore sanguineo, peccatum figurari potest, quo infecti sumus, & alios infecimus. Cui Propheta concinit: *Si fuerint peccata vestra rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* (Isaiæ 1. 18.) Per picturam peccatorum repræsentationem, quæ memoriter, non veraciter nobis inesse debet, quod totum est malorum quæ egimus imaginationes, immò recordationes per humilitatis respectum nobis debere semper inesse. Et quasi de pluribus, immò quasi plures non tamen reuerà nos putemus. de his videlicet, qui multiplicati sunt super numerum, vt sic speremus, quatenus sine timore non simus. Ideò ponitur pictura, ideo quasi vt neutrum sine altero sit, vt timendo speremus, & sperando timeamus. Vnde iam meritò hæc sequitur multitudo scientiæ, id est discretionis, vt nos per virtutes à vitiis disparemus. Quod ita connectitur: criminum quæ commisimus semper memores, quibúsque alios corrupimus, timere debemus, ne non ad numerum electorũ, quod est quasi plures, pertineamus, & idcirco ad discernendos à malis nos actibus inuigilare debemus; vnde & flammeum gladium atque versatilem teneamus. Gladius cùm rectè ad feriendum tenetur, vtrinque acumen habet in ferientem, & in eum qui feritur, per quod accipitur cura nostri ac proximi, vt cum aliena curare satagimus, nostra mordaciter feriamus. Sed in omni nostra actione obstinaciam fugiamus, quia versatilis esse debet gladius, flexibilis scilicet si ratio poscat & remissus. Flammeus verò, vt hæc quæ erga nos, & proximum gerimus, sincerus regat affectus: omnibus sanè elementis purior ignis suâ naturâ dignoscitur, cum ergò qui fuerimus olim sollicitè attenderimus, cum de futuro an electi simus non minus præcauerimus; cum denique in nostrorum temperantia operum multitudinem scientiæ obtinuerimus, cum curam non minùs nobis, quàm proximis impendimus, & hoc conscientia, pura exhibuerimus, cum inquam ista ante paradisum mentis nostræ constituerimus, omnem aditum ad viam ligni vitæ, id est ad cogitationem sæcularis famæ, quâ in hominum memoriis superstitiosè viuere delectemur, obstruemus.

CAPVT QVARTVM.

Vers. 1. **E**T *cognouit Adam Euam vxorem suam, quæ concepit, & peperit Caïn dicens. Possedi hominem per Deum.* * Vers. 2. *Rursúmque peperit fratrem eius Abel; fuitque Abel pastor ouium, & Caïn agricola.* 1. Cor. 15. 54 Si Apostolus vbi dicit: *Absorpta est mors in victoria*, carnale desiderium mortem appellat, cur non Eua quæ dicitur vita, bona voluntas vocetur? Cui Adam benè cognitæ, id est inhianter amatæ, quia amor ipse, vt ait quidam, notitia est, semen Dei verbi quo benè agere concipiat, suggerit, vt pariat Caïn, id est possessionem: possessio autem rationalis nostræ voluntatis exterior homo noster est, cui regendo ac colẽdo præposita est, vnde & sequitur: *Possedi*, inquit, *hominem*, non meis viribus, sed *per Deum*. Quo ad arbitrium animi edomito non humano nisu, sed Dei auxilio; linguam enim nullus hominum domare potest, & si partem nequit, quomodo totum potest: gignitur Abel, qui dicitur luctus, vel vanitas, quia iam tunc amarescere incipit vita præsens, quæ vanitas tota est menti, quæ à Dei gaudio abest. Dicitur etiam Abel vapor, vel miserabilis: Abel namque interioris hominis dicimus virtutem sicut Caïn exteriorem accipimus hominem. Ipse enim interior luget se vanitati subjectum, ipse licet corporali miseriâ coerceatur, vaporem virtutum multiplicem emittit ad Deum. Virgula enim fumi est ex aromatibus, celeriùs sane subest cuilibet, & exercere ieiunia, vigilias, rerum distributiones, patiẽtiam, humilitatẽ, charitatem intrinsecùs obtinere. Illa namque fauor humanus plerumque subleuat; hæc verò teste Deo solummodò acta grauiora sunt. Et ideò Caïn ante Abel non incongruè nascitur. *Diligenter*, ait Salomon, *exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.* Prou. 24. 27 Abel pastor est ouium, quia auctor ac nutritor est homo interior charitatis ac simplicitatis operum, quod in qualitatibus perspicuè elucet ouium; mite enim ouis est animal, & fertile vellerum. Caïn est agricola, quod euidenter significat corporis exercitia. 1. Tim. 4. 8. Corporalis autem exercitatio, iuxta Apostolum, ad modicum vtilis est.

Vers. 3. *Factum est autem post dies multos, vt Caïn offerret de fructibus terræ munera Domino.* * Vers. 4. *Abel autem de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum; & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* * Vers. 5. *Ad Caïn verò, & ad munera eius non respexit.* Post dies multos, id est post illos æternos dies indefatigato animi æstu eundo, quos horum breuium dierum contemptu rectè prosequimur, qui tanquam custodia in nocte habentur, de fructibus terræ,

A id est carnem terendo exteriùs efficimus bonis; sacrificia Deo laudis offerimus, sed hæc extrinsecus facta, & humano fauore infecta vt assolet non respicit, quia cor offerentis eâ quâ consueuit Deus, gratiâ non tangit, nec bonorum quorumque iudicio sicuti nec ipsi Deo gratum sidit. *Illumina*, inquit, *faciem tuam super seruum tuum.* Psal. 118. 135. Hilarem scilicet affectum super ea quæ operor te habere ostende, vt videantur, & glorificeris. Solent etiam putari ineptè facta, quæ Deo non placent, ab idiotis hominibus. Abel de primogenitis B gregis sui offert, quando primæuis virtutibus interior homo redolet. Primus enim homo sine omni maceratione carnali plenus spiritualium bonorum à Deo est conditus, vnde licet ob carnis postmodum culpam restringendam necessarius fuerit labor corporeus, tamen si patientia, humilitas, simplicitas illi postponatur, totum prẹposterum mox habetur, & vulgi laude surripitur. In grege autem ouium mansuetudo, innocentia, & pietas pro largitione velleris accipitur. Hæc sunt primogenita, quæ Dei imaginem humanæ principaliter menti insculpunt; hæc cum C offeruntur, quasi suæ propria similitudinis à Deo agnita respiciuntur: sed primò respicitur Abel, post munera eius, quia prius à Deo pensatur agentis intentio, post eius actus. At animus noster cui magis ad efficiendum in promptu sunt corporea quàm spiritualia, quia & viciniora sunt laudi, dum meliora ac probabiliora Deo, ac bonis quibuslibet; sed tamen difficiliora sibi interiora attendit quàm exteriora: irascitur, carnali scilicet voluntate turbatur, & vultus eius concidit, quia voluntas bona interna gerendi, exterioris au- D ræ appetitu obruitur: sibi namque commodiora putat, quia ad tempus, & ad oculum placent.

Vers. 6. *Quare*, inquit *Dominus*, rationaliter scilicet nobis suggerendo, *iratus es*, id est quasi de spiritualium impossibilitate ad furorem desperationis permoueris: Vers. 7. *& quare concidit facies tua*? id est in habitu mentis vt quid destitueris? *Nonne si benè egeris*, in occulto videlicet, *recipies* in futuro, etiamsi nulla laus hu- E mana tua opera subsequatur in hoc sæculo: *Sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit*, hoc est si intentionem opinionis causâ, peruerteris, statim in ipsa animi prima suggestione peccati opportunitas diabolo administrante apparebit: sed ne diabolum illatæ violentiæ te excusando coarguas, *sub te erit appetitus* ipsius peccati, & tuo suberit arbitrio dominari illius. Verùm ratio diuinitùs non illustrata quia inanis est Caïn, id est corporale nostrum studium ad sacrilegium cenodoxiæ contrahit Abel, quicquid vtique introrsum spiritualis pinguedinis est: sacrificiũ

enim Abel de adipibus, id est de interna gratia constat, vt nil in hominis opere lateat, nisi quod carnis oculis placere vt laudetur queat. *Egrediamur* ergò, ait Caïn, *foras*. Quia durum nimis est tantis tótque spiritualibus adipiscendis, quæ ad plenum nemo assequitur, insistere, saltem his aliquantisper omissis ea extrinsecùs exerceamus, quæ interim nostro honori & commodo valeant prodesse. *Cúmque essent in agro*, id est in exteriori exercitio, cordis intuitu, iam ab interna consideratione diducto, consuetudine fauoris, animi rigore mollito, à superficie forensium operum quasi Abel à Caïn opprimitur tota simplicitas internorum. Cúmque Deus de intestina morte rationis voce conqueritur, humana respondet nequitia, *Nescio?* Quia de quibus non curamus, nescire nos, cum reuerà sciamus, respondere solemus. *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Id est nunquid hæc quæ nemo obseruare sufficit, ego solus spiritualia prorsus custodire proposui? Hæc homicida animus, & carnalis gloriæ mole obrutus refert. At contra ratio licet sibi cum Deo sentienti nequaquam credatur, de apostasiæ immensitate conqueritur. Pensa, ait, quàm criminosè egeris. Nam *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Vox verbum præire solet, vt vmbra veritatem. Vocem ergò accipiamus dolorem illum, qui de peccato in cuiuspiam corde exoritur, quem tamen nulla pœnitentiæ efficacia quasi verbi veritas subsequitur. Vox enim hæc apud Deum potiùs est irritationis, quàm pacis. Quæ clamat de terra, quia de rationis, quæ sibi firmiter admodum terræ insita est, scientia huiusque fructibus feracissimè pascimur, videt quàm praua committat. Ratio namque etsi ad nequam intorqueatur affectum, non tamen penitùs quo bona, & mala discernat amittit oculum, sed *scienti bonum, & non facienti peccatum est illi.* Clamat verò, quia Dei auribus horribile insonat, quòd diuina & sancta opera extrinsecùs ostentat, & se diaboli delubrum scienter interiùs dedicat. Clamor est enim vbi tota impuritas sine redargutione scientérque, & ex industria peragitur. Hæc est vox sanguinis fratris, scilicet ex eadem olim voluntate progeniti, interni videlicet boni: sanguis autem peccatum est. Vox ergo sanguinis clamat, cum peccati querimonia per mentis arrogantiam despecta, Dei patientiam acriter inquietat.

Vers. 8. — Vers. 9. — Vers. 10. — Iacob 4.17.

Nunc ergò maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Ergò innitens terrenis, & in sola superficie per hypocrisim factis operibus maledictus eris, id est cognito tuæ vanitatis figmento execrationi habeberis. Quæ terra de manu tua sanguinem ore aperto suscipit, quia terrenus affectus cupiditatis propriæ capacitate laxatâ, de manu, id est de forastici operis gloria gauisus mortem interioris hominis, id est sanguinem inhianter suscipit. *Cùm operatus fueris eam*, id est cum corpus jejunio, vigiliis, * aliasque attriueris; *Non dabit fructus suos*, terrenæ scilicet quam postulas laudis, quia *vagus super terram eris.* Quod est ad omnes tentationum impulsus etiam in euidentia operum tuorum instabilis de vitio sanè in vitium delaberis. *Profugus* etiam eris, dum terræ conscientiæ exigente reatu ad omnem nutum timori subjacebis: fuga namque animi timor est; solet quoque qui fugit præcedere eum, qui subsequitur, séque fugat: Insecutor noster diabolus est, qui nos tripliciter insectatur, dum aut nos tentat, aut illecebras opportunitatum nostris cupiditatibus administrat, aut præmia perpetratis iniquitatibus subscribendo connumerat. Accusatur autem plerumque fallaciter impulsionis, quia præcedit praua cogitantis adinuentio diaboli instantiam impellentis, vnde cuidam dicitur: Mittam te sicut pilam in terram latam, quia pila cum jacitur, plus currit aliquotiens quàm velit is, à quo mittitur, & alibi: *Fugit stultus nemine persequente*: & rursus: *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Hoc igitur modo quilibet hypocrita profugit, dum tentanti cedit, aut tentantem præuenit. Ista dum mens ratiocinando quasi Deo in se loquente simul præuidet, aut pedetentim experiendo persentit, quia vnctionem Spiritus non accipit, inter se, ac Deum parietem desperationis obtendit.

Vers. 11. — Vers. 12. — * Forte aliisque. — Isaiæ 22.18. — Prou. 28.1. — Thren. 1.6.

Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Tanta est, inquit, contexio vitiorum, vt expediri à me nequeat vllâ congestione bonorum. *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra.* Frustra nempè niterer; eijcis enim me à facie terræ, id est à cognitione mei, fraudando me videlicet gratia tua, vt in reprobum lapsus sensum terram, id est peccatorem me diffitear; peccanti enim dictum est: Terra es & in terram ibis, peccata scilicet mea non videam, & hoc hodie, id est quandiu intelligentiâ discretionis fruor. Quod est dicere: Cum me excæcando alienum à te, & à me ipso facias, injustum valde videri potest, quod cum adhuc de meis indoleam erratibus, facis, vt etiam à facie tua abscondar, id est à videnda gloria tua tanquam impius in futuro tollar, vagum & profugum me efficiendo in terra, labilem per vitia, ac totius boni refugam me fieri permittens per euidentia opera. *Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Ille me inuenit, qui esse meum, id est vitam vestigando reperit, & occidit, si criminum meorum quantitate perterritus spem veniæ mihi adimit,

Vers. 13. — Vers. 14. — Gen. 3.19.

adimit. Sed notandum qualiter in Deum ſuas homo intorqueat nequitias. Tu, ait, eiicis me à facie terræ, ideſt tu curam mei mihi aufers, & hoc vt à facie tua abſcondar, quod eſt à tui viſione ſecludar, & ideò ab hominibus iam deſperatiſſimus dicar.

Verſ. 15. *Nequaquam, ait Dominus, ita fiet, ſed quicunque occiderit Caïn ſeptuplum punietur.* Non qui te occiderit, ſed qui Caïn occiderit. In quantum nempè tui poſſeſſio es, inquantum te caſtigas, & in ſeruitium corpus redigis, quia quâ intentione id facias neſciens, te hypocriſis culpa damnauerit, ſeptuplum punietur, exterioris, & interioris ſcilicet operis tui peremptione reus habebitur. Septenarius quippe numerus in quatuor & tria diuiditur. Quatuor elementis corpus, tribus principalibus motibus intellectu, memoriâ, voluntate anima conſtat. Qui ergò hominem licet hypocritam, licet vitioſum, quem tamen neque certò hypocritam, nec reuerà vitioſum comperit, præiudicio damnat, corporalium, ac ſpiritualium eius bonorum, etiamſi nulla ſint, quantùm ſuâ intereſt, ſeſe homicidio obligat; idem ſanè veraciter bono cuilibet facilè irrogaret, qui illi incognito indiſcretè conuitium infert. *Poſuitque Dominus Caïn ſignum, vt non eum interficeret omnis, qui inueniſſet eum.* Ponit Dominus ſignum in Caïn, dum neque hominum ſignatas interim, ideſt contectas patitur eſſe nequitias, vt à nemine digna morte æterna eorum in hoc ſæculo aliquotiens iudicari poſſit iniquitas. Si enim abruptè iudicaremus, dignum vitâ multotiens morti addiceremus.

Verſ. 16. *Egreſſúſque Caïn à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Quia itaque in ſua Caïn ad tempus latet conſcientia, ſecurus egreditur à facie Domini, ideſt fauores per humanos ſparſus non æſtimat mala, quæ occultè agit, Deum habere in notitiam, aut hæc diſſimulare ſcientem, piéque ignoſcere: habitans in terra profugus, figens ſcilicet in terrenis animum, nec illam quærens ciuitatem, cuius opifex eſt Deus, hærens infimis, ſed vbique vitiorum diffugiens, quo ſeminat affectus, verſatur circa orientalem plagam Eden, quod interpretatur deliciarum. Non igitur moriente, vt de orientalibus eſſet, inter quos magnus erat Iob, & veri orientis lumine luſtraretur, ſed ad orientalem plagam, ideſt ad ſimulationem intentionis eorum, quorum conuerſatio in cœlis eſt, & quibus viuere Chriſtus eſt. (Philip. 3. 10. Philip. 1. 21.) Deliciæ autem Sanctorum ſunt ſacra eloquia, in quibus ſe potiſſimùm delectari, ſéque ea tractare libenter oſtentant, & inde hypocritæ ſpiritualibus ſe Scripturæ dictis quaſi quâdam orientali luce clarificant. In his deliciis in cantico amoris ſponſa chariſſima vocatur, vnde idem cum terrena prorſus, & opera totius obſcuritatis affectent, de videndo Deo, & contemplatione cæleſtium ſubtiliter eloquendo, ac ſi cuiuſdam voluptuoſæ claritudinis gloriâ circumfuſi intima ſua palliare ſolent, & verbo præferre libet, quod mentibus atris nequaquam ſapiendo patet.

Verſ. 17. *Cognouit autem Caïn vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Enoch.* Licet ad orientalem deliciarum partem Caïn habitare videatur, habet tamen vxorem, illam ſcilicet, quæ ad cœnam Dei vocatos ſui occaſione deuocare ſolet. *Vxorem*, ait, *duxi; & ideò non poſſum venire*: (Lucæ 14. 20.) Vxor autem hæc eſt voluptas quâ in tranſitoria poſſeſſione & laude conuoluitur, licet alia ſimulet, & ſinceriora affectare videatur. Vnde & paulò ſubter eiuſdem Caïn generatione contexta Noëmma mulier extrema attexitur, quæ voluptas interpretatur, in qua finalis reproborum intentio denotatur. Hanc cognoſcit quiſquis pro dulcedine præſentium poſtponit beatitudinem futurorum, hanc cognoſcit, miſerè vtique experitur, qui ſi ſemper durare poſſit, nunquam aliud ſæculum ſe velle fatetur. Inde concipit, & parit Enoch, ideſt dedicationem, quia tantus, & tam peſtilens mundi amor mentis in nobis efficit obſtinationem: facimus enim dedicationem, cum ad ſæculi oblectamenta perſeueranter amanda animi oſtendimus obfirmationem. *Et ædificauit ciuitatem; & vocauit nomen eius ex nomine filij ſui Enoch.* Ciuitas ædificatur, cum ſibi ſimilium homini cuilibet nequam conuenticulum aggregatur. Ex nomine filij vocat, cum ad eandem peſſimi propoſiti deſtinationem impœnitens ſequacium cor prouocat. Multa ſuper his, & quibuſdam quæ ſequuntur dicerem, niſi Beatum Auguſtinum, & Patrum aliquos inde tractaſſe ſcirem. Hîc autem, & aliàs euitaui Hebræorum nominum congeriem.

Explicit Liber ſecundus Moralium.

INCIPIT LIBER TERTIVS MORALIVM IN GENESIM.

Vers. 31. Capitis quinti.

NOë cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth. Noë fuit filius Lamech. Lamech disciplina dicitur: Noë requies. Ex disciplina ergò requies oritur, quæ etsi in præsenti mæroris est, pacatissimum tamen fructum iustitiæ reddet exercitatis in ea. Intellectualis enim iste Lamech sic de Noë cum eum generat ait: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Nam cum per exercitium certaminis deuenitur etiam in hoc sæculo ad requiem aliquantulæ impassibilitatis, tunc reuera Noë, quem complexu disciplinæ genuimus, consolatur nos à perpessis laboribus, dum non aërem verberantes, ad aliquid imperij, vel quietis pertigimus, & exuberantiâ gratiæ terræ maledictis, idest defectionibus corporeis super excreuimus. Sed gradus quosdam habet hæc requies. Dicitur autem Lamech, quando per *Ch* scribitur, hebraïcè percussum, vel percutientem sonare: disciplinam verò tantùm, cum pro elemento ponitur, & scribitur finaliter per *D.* Percussus autem rationalis est animus, qui in Iob, & Psalmis sagittas sibi infixas passibilitatum queritur, & tentationum iaculis penetratur. Isdem quoque percutit, cum ingruentibus fortiter earum molestiis repugnando resistit. Noë autem quod est requies gignit, cum ad victoriæ tranquillitatem peruenit. Habet, inquam, requies ista gradus; priùs nempè exteriùs ab opere prauo quiescimus demùm, sed valde difficiliùs tamen à peruersa cogitatione cessamus. Vnde quingentorum annorum Noë perhibetur. Per quinarium numerum exterioritas ob quinque sensus accipitur, per centenarium perfectio figuratur, quod est exterioris beneficij plenitudine à nequam studiis cessare. Anni autem diuinorum lumina, & hilaritates officiorum sunt, quibus iste mentis status, qui in canticis floridus dicitur Ecclesiæ lectus, impletur.

Ibidem. Vers. 29. — Iob 6. 4. — Psal. 37. 3. — Cant. 1. 15.

In hoc itaque Sabbatho gignitur Sem, Cham, & Iapheth. Sem interpretatur nominatus: in quo intelligitur fides, vbi nomen quod benedicetur super terram, & in quo solo oporteat nos saluos fieri accipimus. Hoc ex vsuris & iniquitate redemptorum honorabile nomen coram ipso: Si enim hi qui in Christo sunt resurgent primi, ob dignitatem videlicet nominis Christiani, vt quid ambiguum habeatur, quod & ipsi quoddam potentius præmium in cœlis obtineant ex participio insignes tanti nominis. Vnde in baptismo nomen quisque fidelis accipit, in quo ad exequenda Christi signa spiritualis militiæ professione subscribit. Sed qui sic de ignominia Babylonis fugiens nominatur, sibi Cham opus est, fœdere germanitatis addatur, qui calidus interpretatur, vbi spes non inconcinnè notatur: Si enim calor ab ignis natura trahitur, & ignis originaliter ad superna progreditur, per calorem ergò iure spes accipitur, quæ feruore charitatis ad Deum inhianter intenditur. Cui Iapheth adiungitur, qui latitudo dicitur, per quod euidenter charitas intelligitur, quæ non minùs per inimicos, quàm per amicos spatiatur. Hæc itaque tria, quæ latitudo, longitudo, sublimitas ab Apostolo memorantur, à nobis cum veri Noë esse cœperimus, id est cum boni exhibitione actus ab inutili conquieuerimus; feriari enim à malo, nec tamen bonum aggredi, ipsum malum est, tunc verè prodeunt, quia nec absque bono opere fides stat, nec sine fide spes, nec sine vtroque charitas præstat.

Psal. 71. 14. — 1. Thess. 4. 15.

CAPVT VI.

CVmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filios procreassent. * Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. Virtutum igitur succrescente studio homines non modò multiplicantur in terra, sed super terram, quia densissima in animam humanorum motuum feruntur examina, nec talia, quæ facilè rationis deprimantur potentiâ, sed quæ terram, id est mentis firmitatem subiugare possint ad vitia.

Vers. 1. * Vers. 2.

Virtus namque non probatur, nisi hoste vincto. Sed iidem homines filias procreant, cum fragilium mollitiem cogitationum internis aspectibus frequenter obiectant. Filij Dei has vident, cum intellectualium excellentia sensuum ad suggestionum illationem quasi ad meretriciam lenocinantium speciem contemplationis declinat aciem. Quid namque sunt imaginationum delectationes, nisi quædam pulchræ, quæ nos illiciunt, facies? Has filias rex Pharao fouere vult, cum iubet interfici mares. Ex omnibus his, quas eligunt filij Dei sibi sortiuntur vxores, quia iuxta quod conspersioni aut libidini propriæ adiacet, rationales motus appositas animo petulanter agglutinant voluptates, de quibus infamis prodeat obscænâ scilicet operâ proles; alijs enim auaritia, alijs superbia, plerisque luxuria ad manum magis est.

Exod. 1. 17.

Vers. 3. *Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est.* Requiem nostram vitiorum turbante cõgressu, quam nos gladio, & arcu, idest discretione, & prouidentiâ nostrâ obtinuisse putabamus, experientiâ mediatrice loquitur nobis introrsum Deus, non permansurum videlicet spiritum suum in homine in æternum, idest vim rationis in humano corde non perseueraturam, nec enim expedire, quia caro est, idest fragilis, & de suo statu sibi pariens ex ingenita mutabilitate ruinam. Superbit enim si probè quicquam sibi egisse videatur, sicut pauper si subitò ad inelaboratas peruenerit opes. Necessaria ergò est spiritus ista desertio, si tamen non sit omninò iuxta quod Dauid non se derelinqui vsquequaque rogat in Psalmo. *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Per centenarium suprà diximus plenitudinem figurari, per vicenarium numerum duplicitas designatur, vt est, *Si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Et in Apocalypsi: *vigies millies, dena millia.* Duplicitas autem non hypocrisis hîc à me accipitur, sed illa violenta impuritas, quæ per necessitatem peccandi ex malorum irruentium admixtione contrahitur: secundum quam non habitura est in futuro Ecclesia maculam, aut rugam, non quod in præsenti rugam hypocrisis habeat; hæc enim fit penitus extorris ab ipsa, sed quod nunc occupatione tentationum, & carnis contractior, minúsque libera videatur ad Deum. Centum ergò ad integritatem bonæ voluntatis, viginti habemus ad eam, quam prætulimus, impuritatem actionis, dum iuxta Apostolum quod nolumus malum hoc agimus; vel viginti etiam ob transgressionem diuinæ legis, dum operamur, quod non approbamus, repugnante lege membrorum legi mentis. Et aliter: Octies quindeni centum viginti complent. Per octonarium temporalitas, per quinarium corporalitas, per denarium spiritualitas accipitur. Quandiu igitur temporaliter viuimus, spirituale studium nostrum forinsecâ sensualitate deprimitur, quasi denarius quinario superatur, quatenus quid sit dies, idest virtus humana ab homine agnoscatur, quæ altitudo diei ob breuitatem gloriæ in Psalmo vocatur.

Psal. 118. 8. — Lucæ 14. 31. — Apoc. 9. 16. — Rom. 7. 19. — Psal. 55. 4.

Vers. 4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis.* In his virtutum exercitiis, quas per dies intelligimus, gigantes, idest superbi motus animi in mirabilibus super se ambulantes super terram erant, quia in superficie corporis bona exhibentur, quæ menti inaniter elatæ typos de laudum suarum gratulationibus inferant. *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt; isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Filij Dei ingrediuntur ad filias hominum, cum nostri intellectuales motus, quos Iob vocat robustos fortitudine, qui à Deo in nobis generantur, se immergunt ad experiendos fluxus carnalium desideriorum. Sed isti sunt potentes à sæculo, quia postquam spurcitiæ totius illapsi fuerint barathro, potissimùm in eorum cordibus regnat sæcularis deuotio, vt nulli videantur desperatiores in mundo, quàm hi qui aliquando visi sunt vixisse Deo. Tantò enim deterioribus vitiis se inserunt, quantò de arctiore proposito ad sæculi luxus auidiùs proruerunt: isti sunt viri famosi, quia humanam excedentes, diabolicámque imitantes nequitiam, & de crimine sumentes audaciam, vnde & gigantes dicuntur, postquam lapsi in reprobum sensum fuerint, prauæ opinionis peius quàm alij nequam fœtore vulgantur.

Iob. 36. 19.

Vers. 5. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis eorum intenta esset ad malum omni tempore,* * *pœnituit eum, quòd fecisset hominem in terra.* In hac desperatissima Babylone constitutis videt Deus, idest videre eos facit, quàm nequiter carnalium effectibus operum instent exterius, quàmque iugiter proponant nequiora interiùs. Videt itaque, idest discernit, demúmque pœnitet Deus. Si enim pœnitentia bonum est, & idipsum bonum non à nobis, sed ex Deo est. Ergò non ab re dicitur, pœnituit eum, cum non nisi nos pœniteat. Quòd fecisset hominem super terram, eum qui resipuit pœnituit, quia interius suum cum exteriori, quod est totus homo, dum his quæ superficie tenus videntur rebus applicuit, de exteriori ad interius, idest ad spiritum reuersus ingemuit. *Et tactus dolore cordis intrinsecus*, præcauensque in futurum: * *Delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ ab homine vsque* * *ad volucres cœli, à re-*

* Vers. 6. — * Vers. 7. — * al. Ad animantia.

*al. Volucres cœli.

*ptili vsque ad * animantem.* Tangi dolore, in futurum præcauere, & alia non Dei passiones, sed Dei in nobis sunt actiones. Qui itaque pœnituit, intrinsecus tangitur dolore cordis, vt non momentaneus vel ad oculum sit dolor compunctionis, sed penetret medullas animæ, abdita scilicet intentionis, & futuras præcaueat obligationes, ne verbum iteret orationis: Si enim fleat quis, nec quod fleuit corrigat, se potiùs ludere, quàm dolere intrinsecùs monstrat. Hominem pro carnalitate poni vsus Scripturæ est. Delet ergò hominem, qui per imaginationes sibi insculptum carnalem affectum quasi caraxatas tabulas obliterans deplet, quem creauit, idest quem ad robur explendarum passionum de carnis motibus excitauit. Creas enim, vt dicitur græcè, caro est, vnde creare deriuatur, & artocreæ, & creagræ vocantur. Sed hic à facie terræ, idest ab intentione, & amore terrenorum abolendus est, ab homine, ab his scilicet animæ motibus, quæ sunt quasi rationem habentia, vt sunt honestas, & modestia non pro Deo sed sæculariter habita, vsque ad animantem, vsque ad extirpandam videlicet cupiditatem, quæ ad terram quidem inclinatur, sed causâ necessitatum excusatur, & quasi suspenditur, à reptili flagitiorum cœni fœtoribus immersorum vsque ad volucres cœli, idest hypocrisis fastus, qui vanitate feruntur, pessumdandos, in qua omnium extinctione comprobatur, quod sequitur: *Pœnitet enim me fecisse eos.*

Vers. 8.

Noë verò inuenit gratiam coram Deo. His itaque malis cessantibus cœpta mentis requies à pristinis semota tumultibus spirituali coram Domino, hoc est in intimis, vbi solus Deus videt, serenitate perfunditur. Vbi enim requiescit Spiritus Dei, nisi super quietum, cuius mens vitiorum strepitu non obsurduit, & humilem, qui de eorum victoria non superbit?

Isaiæ 66. 2.

Vers. 9. *Vers. 10.

Hæ generationes Noë: Noë vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis. * *Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth.* Generationes nostræ sunt cogitationes, intentiones, & opera, & si qua sunt quæ intrò oriuntur. In his iustus est, qui sic secundum scientiam humanitùs ad se, & ad proximum gerenda disponit, vt eorum, quæ ad Deum dignoscendum obseruandúmque attinent, meminerit, quibus sapientiæ habitus congruit. Perfectus est, qui etsi vniuersa complere non possit ad integrum, cor tamen beneuolẽdo ad ea capessenda habet plenum, nullâque ex parte mutilatum; Cum Deo ambulat, qui ab his quæ irradiata diuinitùs ratio agenda suggerit, nullo modo discordat: tunc demùm tres filios generat, cum liber à forensi labore Deo per fidem, spem, charitatémque vacat. * *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.*

Vers. 11.

Vers. 12.

Cúmque vidisset Deus corruptam terram; omnis quippè caro corruperat viam super terram, dixit ad Noë. * *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum; & ego disperdam eos cum terra.* Ab homine vsque ad animantem, à reptili vsque ad volucres cœli terra est corrupta, idest à propria stabilitate distracta mens ad voragines totius nequitiæ prostituta delabitur. Omnis enim caro corruperat viam suam, quia mollities carnalis appetitus dissiparat, infecerátque illam ad cuius debet dirigi regulam, & quæ vera rectè eundi via est, scilicet rationem, & hoc super terram, idest non solum intra mentis abdita, sed & vsque ad euidentia, quæ per corpus, terram scilicet nostram, administrantur prauitatis exempla. Cum ergò hæc Deus vidisset, idest videnda in quibus versaretur mala cœco peccatori proposuisset, per internæ aspirationis monitum illi suggerit quid facto opus esset, si Noë intellectualis fieri vellet: finis enim vniuersæ carnis venit coram me, consummatio vtique omnigenæ corporis voluptatis fit, si veniatur coram me, hoc est in placito meo. Quod namque mihi animo sedet, hoc coram me, & præ oculis habere volo. Quo contra: *Quoniam*, inquit, *pones eos dorsum.* Cum itaque ad Dei placitum venitur, quicquid carnis luxus expostulat ex templò respuitur. A facie eorum animantium, scilicet, hominum atque reptilium, idest intentione cupiditatum, atque libidinum, facie enim & intendimus, atque intendimur. Repletur terra iniquitate, quia dum homo interior desideriis turpibus innititur, homo exterior terra videlicet operibus nefariis efficiendis indifferenter exponitur. Disperdit autem eos cum terra, dum mansorem, scilicet animam, & corpus, terrenam proculdubiò mansionem, quantùm suâ vtrorumque interest, à terrenis negotiis eliminat.

*Vers. 13.

Psal. 20. 13.

Vers. 14.

Fac tibi arcam de lignis læuigatis, mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecùs, & extrinsecus. Arca dicitur ab arcendo, sicut & arx arcis. Facimus igitur arcam, cum talem paramus conscientiam, quæ à se impuros appetitus arceat, & piæ voluntatis operisue mysterium sub fidei signo retineat. Sed hæc de lignis læuigatis instruitur, cum virtutibus terrenæ laudis amore, carnalísque affectionis mole exutis conscientia suffulcitur. Mansiunculas in arca facimus, cum quarumque Sanctarum professionum proposita instituimus, cum namque in aduersa præstruimus patientiam,

ad libidines sanctimoniam, sicque quibusque suam profectò inuenimus intra nos ad singula, quæ nos foueat fugientes, domum factam. Notandum verò quòd & mansiunculæ à manendo, & diminutiuè dicuntur. In mansione ergò certa stabilisque perseuerantia, in diminutione humilitas accipitur, in quibus ad omne ingruens periculum constant discreta profugia. Bitumine linitur intrinsecùs, & extrinsecùs, quia charitatis gratiâ etsi exteriùs beneficia proximis impertitur, non tamen introrsum ipso charismate Sanctorum animus exinanitur: beneficentia quippè iuxta Apostolum exteriùs, interiùs quantùm ad vnanimitatem attinet, vti communione non obliuiscuntur: alterutrum namque sine altero, aut parùm, aut nihil est. Bitumen autem tenacis admodum naturæ est, & inter aquas indissolubile: obsequium enim parit & contrahit sibi amicos, & charitas cum terribilem faciat Sanctorum mentem, vt ordinatam castrorum aciem, nullo vitiorum impulsu, vel fluxu irrumpitur; quia verò & bitumen ex limo est, humilitatis gratia figuratur, quâ omnia benè acta condiuntur.

Heb. 13. 16.

Vers. 15.

Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, triginta cubitorum altitudo illius. Per ternarium trinitas: per centenarium integritas; per cubitum operis firmitas; per longitudinem intelligitur intentionis prolixitas: Non ergò malè agendo de Dei misericordia speremus, sed firmis integrisque operibus innixam ad Deum, qui Trinitas est, intentionem animi porrigamus. Possunt etiam per trecentos cubitos tres illi præcipui perfectique processus accipi, quos Dominus dicit: Petite, quærite, pulsate: petite scilicet orando, quærite legendo, pulsate operando: quæ dum continuo effectu exequimur, spes profectò nostra ad eum pro quo id agitur iustè intenditur. Quinquagenarius numerus septem septies ductis, vnóque addito cum constet, per se tamen requiem signare consueuit, vt est Iubilæus, vt etiam quòd quinquageni ad esum septem panum dispertiuntur. Per latitudinem autem contemplationem accipimus, quâ in Dei visione quantulacumque spatiamur; *Angusta est* enim *omnis creatura videnti creatorem.* Sed si ad hanc attingere cupimus, à prauo opus est opere quiescamus, & septem, idest corpus, & animam nostram septiformi gratiæ subigamus; corpus enim vt aliàs diximus quatuor elementis, anima tribus principalibus motibus constat, quæ faciunt septem. Cum igitur nos intus, & extra spirituali gratiæ addixerimus, tunc demùm ad illum vnum toto amore contuendum magnâ cordis amplitudine, Deum scilicet veniemus. Postquam itaque in Dei cognitione laborauerimus, necessarium est, vt etiam triginta altitudinis cubitos in nostri consideratione metiamur: sexies quini triginta fiunt: Per senarium verò numerum perfectio accipitur, quia Deus sex diebus sua perfecit opera; & hoc ipso homo signari potest, qui die factus est sextâ: per quinarium intelligitur forense ingenium ob notitiam quinque sensuum; continetur autem ter in trigenario denarius. Quod totum est nos debere exterioris hominis nostri scientiam ad contuitum primæ nostræ originis, ac dignitatis conuertere, & cogitationem, locutionem, operationémque diuinæ legis præceptis, quæ decem dicuntur, instituere. Altitudo ergò hæc summa nostræ conditionis est, cui crebrò debemus intendere, quàm perfecta à Deo facta sit.

Matt. 7. 7.

Gregor. dial. lib. 2. c. 35.

Vers. 16.

Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius. Fenestrâ in domos admitti, & excludi solet lumen: per quod potest discretio non absurdè intelligi, quâ & malum ratiocinando repellimus, bonúmque dignâ electione recipimus: hac non solùm tenebras, sed & lumen cum officit arcemus, quia cum ex memoria bonorum quæ egimus inepta lætitia, seù fiducia nobis innascitur, peccatorum veterum ad animum mentio quasi quædam vmbra meritò reuocatur. *Pone*, ait Isaias, *quasi noctem vmbram tuam.* Creat etiam super omnem locum montis Syon nubem per diem Deus, in cubito summitas horum omnium consummatur, quia in requie sempiterna summitas, idest finis elaboratæ perfectæque conscientiæ sperari iubetur; à cubito enim accubitare dicimus. Vnde in Canticis reclinatorium aureum, & in Euangelio: *Faciet illos discumbere* dicitur; ibi enim perficiendum sine labore est, quod hîc exercetur; in Hierusalem enim votum reddetur. *Ostium autem arcæ pones ex latere deorsum, cænacula & tristega facies in ea.* Ostium arcæ os nostrum debemus accipere, quo panduntur secreta conscientiæ: ostium namque ab ostendendo dicitur, vnde iubetur non poni sub modio lumen, vt qui ingrediuntur, qui scilicet confabulando ad nostri notitiam admittuntur, videant, idest doceantur, vnde est: *Non omnem hominem inducas in domum tuam,* quod est non omnibus prodas mentem tuam. Hoc ostium ex latere ponimus, dùm contra surripientes fallacias cauti vndecumque prospicimus, quæ tacere, quæ loqui debeamus: deorsùm quoque ponimus, dùm aut nimis alta scrutari refugimus, aut quæ dicenda sunt, congruâ mentis, & linguæ humilitate proferimus: cænacula faci-

Isaiæ 16. 3.

Cant. 3. 10.

Lucæ 12. 37.

Lucæ 11. 33.

Eccl. 11. 31.

mus, dum tota nostra desideria à terrena delectatione suspendimus: tristega verò à tribus videntur dici statibus: status autem nostri tres reuerà sunt. Primus in visione corporea: secundus imaginationum memoriâ: tertius intellectuali prudentia; & habent proprias trinitates etiam, quas prosequi longum est, horum singula, quorum qualitatibus quisque diligenter pensatis, duo prima pro sui vtilitate postponat, & cum Paulo Apostolo ad tertium cælum, intellectuale scilicet mysterium sese proripiat: dicitur enim à plurimis in tertia homines habitasse camera, nec id iniuriâ: nam & visiones, & imaginationes corporum cum bestiis habemus communia, sed cum Deo, & Angelis participamur rationis gloriâ: dicitur quoque prima statio fuisse stercoraria, quò fimus scilicet inibi degentium animalium, & hominum exponebatur: secunda Apothecaria, quo victui vtrisque apta seruabantur: tertia mansionaria, quo soli homines versabantur: primus etiam noster status in vocatione confessio peccati est: secundus in iustificatione executio vitalium operum est: tertius in glorificatione, quandò soli electi in regno erimus, est.

Vers. 17. *Ecce ego adducam diluuij aquas super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum: vniuersa quæ in terra sunt consumentur.* Aquæ diluuij cœlestis est scientia sacramenti, quâ diluuntur super terram, idest in corpore nostro cuiuslibet obscæna peccati. *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, & mundabimini.* (Ezech. 36. 25.) Hæc aqua, idest sapientia adducitur super terram, quando spiritualis dignitas tenore iustitiæ exuperat carnem: omnis caro, in qua spiritus vitæ est subter cœlum interficitur, cum membra nostra quæ sunt super terram, & adhuc viuunt, vigentque in nobis mortificantur, vt dicere possimus cum Paulo Apostolo: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* (Galat. 2. 20.) Hactenus autem ea mortificantur, non vt prorsus interimantur, quatenus in nullo regnare feruntur. Subter cœlum autem spiritus viuit, cùm licet pressus rationis imperio, quæ cœlum ob diuina, quæ continet, mysteria vocatur, tentationis nos flatus impellit. Per hunc itaque saporem sapientiæ vniuersa quæ in terra sunt consumuntur, dum mundialis feruor affectus superni amoris vndâ restinguitur, in quantùm carni spiritus præualere permittitur.

Vers. 18. *Ponámque fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum.* Fœdus suum nobiscum ponit, cùm extinctâ oblectatione sæculi docet interiùs nos gustare, & videre, quia adhærere bonum est sibi: per fœderis huius vim in quorumdam fit Sanctorum cordibus tanta constantia, vt si nulla essent inferni supplicia, nunquam tamen acceptâ desistere vellent iustitiâ. Ingreditur Noë noster, & filij eius arcam, dum libera à vitiorum inquietudine mens cum suarum prole virtutum interiori contenta testimonio intra conscientiæ abdita se abscondit, cui miro concinit modo, quòd Maria cum duobus discipulis ad monumentum manè venisse describitur: (Ioan. 1.) vxor nostra voluntas est, quæ annexa fideliter rationi pietatis operibus fœcundatur: vxores filiorum sunt illæ, quæ singularum quarumque professionum destinationibus subiacent voluntates. Vna est Ecclesia, licet multæ dicantur ob situm; ita plurimæ sunt dictæ voluntates, licet vna sit ob differentiam, quas volumus rerum: distinctæ autem ponuntur per se Noë, & filij, scilicet vxor, & vxores filiorum, quia subtili omninò astu discernenda sunt spiritus noster, ac eius opera, tunc demùm voluntas eius principalis ad Deum, promiscuarumque voluntatum examina; sunt enim in quibus confunduntur omnia; hæc omnia igitur, voluntates videlicet executionum, ac executiones voluntatum intra mentem iam p[...]cidam reconduntur, quæ non inaniter fo[...]spargitur, sed intrinsecùs in Domino gloriatur.

Vers. 19. *Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt viuant tecum masculini sexus, & fœminini.* Ex quibuslibet cupiditatum generibus, ex quacumque fragili affectualitate nascentibus bina in arcam inducimus, in quibus est fœmina, & masculus, cum fluxos, & quasi fœmineos carnis motus ex necessitate peccandi velimus plerumque nolimus animo admouemus, sed tamen illicò iuri illos masculi mancipemus, rationis videlicet, cuius vi ad regulam constringantur, vt viuere nobiscum, idest vt vitij virus non infundere sed ad vitam pertinentia, & sentire nobiscum, & agere cogantur. Sic enim Adam, & Eua connectitur.

Vers. 20. *De volucribus iuxta genus suum*: idest de superbiæ motibus, quocumque modo, aut sæculariter, aut sub typo religionis superbiatur, de iumentis in genere suo, de cupiditatibus scilicet quacumque concupiscatur in causa, & ex omni reptili terræ secundum genus suum, idest ex omni flagitij genere, quo per carnis peccatur desideria: bina de omnibus ingrediuntur nobiscum vt possint viuere, luxui profectò quælibet apta, & culpæ cum intra nos cogitando admissa fuerint, iugo statim deprimuntur virilis animi, vt ad vitam nobis valeant, dùm benè vtimur, tentatione prodesse. Hæc tria peccandi genera

etiam Ioannes Apostolus memorat, ac si vniuersorum criminum materiam, omne quod in mundo est asserens, aut concupiscentiam carnis, aut concupiscentiam oculorum, aut superbiam vitæ.

1. Ioan. 2. 16.

Vers. 21. *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi, quàm illis in cibum.* Ex omnibus escis quæ mandi possunt apud nos comportamus, cum multifariam multisque modis à patribus dicta & facta ad exemplum vitæ institutionémque conferimus, quibus ac si pabulo nos fouemur, & illa quæ nos vrgent prauitatis incentiua compescimus, & hæc veluti pascimus, dum horum suggestioni vitalia Sanctorum dicta, factaue rependimus.

Vers. 22. *Fecit ergò Noë omnia quæ præceperat illi Deus.*

CAPVT VII.

Vers. 1. **D**Ixitque ad eum Dominus: *ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Postquam multo sudore thesaurum effoderimus, iuxta illud Iob sepulchrum nos inuenire gaudemus, quia cum corpora omnimodo cruciatui ob Dei seruitium exposuerimus, nil maius à Deo in hoc sæculo nos obtinere posse putamus, quàm vt ad aliquam mentis impassibilitatem pertingamus, vt scilicet quæ Deus fieri iubet cum expleuerimus, intra mentis requiem à forensi pugna liberi cum omni nostro spirituali peculio abscondamur. In hac enim spiritualium generatione filiorum, quâ & mulierem saluari dicit Apostolus, non solâ corporis maceratione videt, idest approbat Deus iustitiam nostram.

Iob 3. 22.

1. Tim. 2. 15.

Vers. 2. *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena, masculum, & fœminam: De animantibus verò non mundis duo, & duo, masculum, & fœminam.* Septena, & septena quatuordecim faciunt: septem autem pro spirituali gratia, aut pro toto interiori scilicet, & exteriori homine poni solet: opera ergò nostra subdito corpore, & anima diuino spiritui per decalogi obseruantiam, Euangelica attingunt fastigia, & animalia fiunt munda, sed tamen necesse est, vt sint masculus, & fœmina, quatenus in quantùm animantia, & fœmininæ mollitiei sunt ad ambienda temporalia, adsit præsto quasi quædam rationis authoritas, quæ reprimat masculina. Bona itaque nostra quolibet modo acta, vix integrâ puritate nitent; & quid mirum, si immunda animantia multò magis hoc masculi regimine egent? quæ duo sunt, quia quæ in hoc mundo cupimus ab vnitate Dei, & hominum nos diuidunt, aut duo, & duo, idest quatuor, quia temporalium amore desideria nostra carnalia animantia non munda defluunt, nisi ea ad lineam munditiæ, scilicet Deum intelligentiæ fræna reflectunt.

Vers. 3. *Sed & de volatilibus cœli septena, & septena, masculum, & fœminam, vt saluetur semen super faciem vniuersæ terræ.* Si per animantia actualis vitæ bona, per immunda verò motus illiciti, sed salubriter ratione correcti, per volatilia cœli non incongruè contemplatiua signatur excellentia; quæ per gratiam euictâ corporis lasciuiâ Deo degustando libratur super æthera. At qua de causa hæc intellectuali Dominio submittantur, additur, vt saluetur semen super faciem omnis terræ, quia nisi ille imperet, voluntasque semen, & origo est boni operis, illicò depereiens nullum probabilem profert fructum in superficie terræ, idest exterioris hominis; seminis ergò salus ex imperio rationis.

Vers. 4. *Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quam feci à facie terræ.* Septenarius pro plenitudine accipitur; quadragenarius quia ex quatuor, & decem conficitur; temporalem excursum, qui quatuor diuersitatibus constat, quo anima sub Dei lege se exercet, significat; ipsa enim ob decem principalia mandata decalogus appellatur. Post prælibatas itaque virtutum dationes, adhuc se Deus post septem dies, idest post spiritualium plenitudinem gratiarum quadraginta diebus, & noctibus spondet pluiturum super terram, in hac scilicet vita, quâ Dei præceptis obeditur inter aduersa, & prospera, quæ diebus, ac noctibus figurantur, nostri carnalis affectus diuina infusione se mollitu rum duritiam: & in ipso delet omnem substantiam, quam fecit, de superficie terræ, dùm animæ voluntatem carnalibus desideriis, quasi quibusdam accidentibus substantem, in quantùm fluida, & talium capax est, à facie terræ, à cogitatione videlicet mentis iam solidæ obliterat. Hanc autem substantiam fecit, quia malo nostro merito fieri permisit.

Vers. 5. *Fecit ergò Noë omnia quæcumque mandauerat ei Deus.* Postquam præsens sæculum ita viluerit, vt *sicut tenebræ eius, ita & lumen eius* sit, tunc Noë noster plenè attingere incipit, quæ Deus mandauit; quadraginta enim diebus, & noctibus pluit. * *Erátque sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram.* Concinit statibus nostris sacra historia, dum quos tentationum æstus post quingentos annos Noë iste passus sit, enumerat, & quibus floruerit bonis iam non minus introrsum quàm videtur extrinsecùs integrâ requie perfectus, quod significat sexcentesimus notat; etsi enim quiescimus aliquando à prauo opere, bella tamen

Psal. 138. 12.

* Vers. 6.

grauia toleramus in mente: sed perfectus qui senario, & centenario satis astruitur plenus virtutum, quæ annorum collectione monstrantur; diluij illustratur aquis, quia *in maleuolam animam non introibit sapientia*; *nec habitat in corpore subdito peccatis*; ait enim: Concupisti sapientiam, idest contemplationis excellentiam? Serua mandata: bestia namque tangens montem obrui iubetur; vt ergò iustificetur adhuc iustus, aquâ infunditur lustrationis, vt aliquatenus altitudinem diuinæ attingat visionis, & subsidat spiritui terra carnalis affectionis. * *Et ingressus est Noë, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij*. Si filios, idest bona opera procreamus, videndum nobis est, vt vxores habeamus, idest voluntate benè agendi non careamus, ne cum multùm seminauerimus, parùm inferamus, hoc est cum pro Deo plurimùm laborauerimus, parùm mercedis obtineamus, quia non ex amore, sed seruiliter timendo id egimus. Et volendo ergò operantes, & operando volentes intra conscientiam nos tegamus, vbi à strepitu inutili quiescamus, & aquis sapientiæ potemus, quibus & diluamur.

Sap. 1. 4. Eccle. 1. 33. Exod. 19. 13. * Vers. 7.

De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur super terram, * *duo, & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus, & fœmina, sicut præceperat Dominus Noë*. * *Cùmque transissent septem dies, inundauerunt aquæ diluuij super terram*. Hæc superiùs tota tractata sunt, excepto eo quod dicitur, ex omni quod mouetur super terram: quod in malo sic accipitur, vt motus nostri carnales, qui super terram, idest rationis statum progredi volunt, intelligantur, de quibus est: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non quæcumque vultis illa faciatis*: aut in bono, vt spiritualis alacritas nostra accipiatur, quâ super terram, idest animalitatem nostram promouemur, quæ in quantum coram Deo minùs plena sentiuntur, ad lineam correcta intelligentiæ penes Deum recondita intra arcam seruantur cordis; & sic post indultam plenariam diuinorum gratiam munerum venitur ad gloriam contemplationum.

Vers. 8. * Vers. 9. * Vers. 10. Gal. 5. 17.

Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: * *& factæ sunt pluuiæ super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Tres isthic gradus sed non sine re positi sunt, dies, mensis, & annus: à die ergò incipiamus. Denarius ad præcepta, septenarius, quia septem sæculum diebus voluitur, attinet ad temporalia. Septimum decimum diem habemus, cum desiderabilia super aurum Dei habentes mandata, sæculi omnia per hæc transcendimus, & bonæ voluntatis die ad meliora contendimus. Mensis primus professio est euidens religionis: secundus assecutio est, internæque habitu prætenditur virtutis. Senarius vt diximus ad hominem; die enim sextâ homo factus est: centenarius, qui transit in dexteram, pertinet ad contemplationem: Nisi enim transgrediamur hominem, non pertingimus ad diuinæ speculationis subtilitatem. De die igitur ad mensem, de mense venitur ad annum, quia post conuersionis initium promouemur ad incrementa virtutum, ex quarum rursus collectione aggredimur finem omnium Deum contuendum, ad quod cum deuenire contigerit, magnæ fontes rumpuntur abyssi, quia recessus conuersationis humanæ ad liquidum aperiuntur per donum scientiæ, & homo sibi pridem incognitus dum vim discretionis accipit, quasi fontem de abysso altissima multiplicem inuenit, dum naturas passionum & humanorum morum abdita discernere prudenter, & perspicere nouit; *Abyssus* enim, iuxta Psalmum, *abyssum inuocat*, & Scriptura sæpe cor hominis ita significat: fons itaque illi abyssi magnæ rumpitur, cui sui ipsius notitia per intelligentiam aperitur. Cataractæ, idest fenestræ cœli illi patent, cui ad capiendum spiritualis gratiæ lumen oculorum intellectualium acumina vigent. Ex his fontibus, idest scientiæ originibus, & cœli cataractis, lucifluis scilicet internæ sapientiæ rimis: super terram fit infusio pluuiarum, supernarum scilicet vbertas gratiarum, quibus à denario legis Euangelij quaternarium attingentes, dies prosperitatum tenebras æstimamus, lucémque arbitramur aduersitatum noctes.

Vers. 11. Vers. 12. Psal. 41. 8.

In articulo diei illius ingressus est Noë: vsque ad id vbi dicit, *sicut præceperat ei Deus*. In articulo diei illius, idest in subtili custodia bonæ voluntatis expertæ ac nutritæ antiquitùs, Noë quietis cultor internæ cum tribus principalibus ingreditur virtutibus conscientiam, cum sua, & filiorum vxoribus, idest cum suo & omnium suorum operum proficiendi appetitu: filius enim sine vxore est, cuius studium ad meliora intentum, & cupidum non est. Animalia, iumenta, & volatilia vti in primo tractatu, & in isto expositum est. *Et inclusit eum Dominus de foris*, idest circumscribit nos scripturarum vbique dictis, ne pro aliquibus forsitan probè gestis feramur extra nos vento cuiuspiam vanitatis: de foris autem, quia ab eorum omnium, quæ oculis materialiter subiacent, concupiscentia nos arcet.

Vers. 13. 14. 15. 16.

Factúmque est diluuium quadraginta diebus, Vers. 17.

& quadraginta noctibus super terram, & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra: * *vehementer inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ.* Cùm in tantùm mens nostra sapientiæ fluentis alluitur, vt à nobis compleatur *gaudia pelle*, [*Pelle timorem, nec dolor adsit, spémque fugato,*] quod sæpè diximus innui per quadraginta dies & noctes; multiplicantur inferiores ac superiores, quibus scimus, & sapimus, aquæ; & ex sui ipsius notitia ad videnda diuina progressam, quasi duabus alis, timore videlicet sui, & amore Dei, ad æterna quærenda omni posthabitâ terrenitate suspendunt animam; & in tantùm vsu cogitationis, & dilectionis exuberant, vt quicquid loquimur, quicquid denique in superficie terræ, idest sensualitatis efficimus, nil aliud quàm illum vitalem spiritualis prudentiæ succum, cuius amore fragramus redoleat.

* Vers. 18.

Porrò arca ferebatur super aquas. * *Et aquæ præualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo.* Aquis superfertur arca, dum mens pro fundamento sapientiæ innitens ad instinctum eius quasi ad normam dirigit opera sua; & aquæ præualent super terram, quia ad nutum suæ inspirationis matrem operum quasi discipulam regunt, & constringunt sibi conscientiam. Opertíque sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo, quia cum in illud lumen luminum, Deumque virtutum aliquantisper scintillare permittimur, quicquid in virtutibus celsitudinis habere nos putabamus, contuitu tantæ gloriæ, quasi lucerna in sole illicò operitur: & quid dico de visione maiestatis, cum dicat sub vniuerso cœlo? sub cœlo montes operiuntur, cum ea, quæ sub Deo, qui cœlum est, sunt, considerantur, & ex eorum prospectu quicquid sumus, vel esse possumus vile videtur. Quis enim, vt de aliis taceam, ex contuitu perminimi Angelorum sibi ipsi non sordeat? Sed notandum quod cum dicitur, sub cœlo, additur vniuerso; aliquas enim Dei similitudines licet habere dicamur, in tantùm tamen ipsum vniuersum cœlum eminet à comparatione creaturæ, vt in his ijsdem rebus,* super quibus imaginem quasi ferimus eius, proprietatum eiusdem consideratione non modò nil habere, sed omninò nil esse credamur.

* Vers. 19.

f. * quibus super.

Vers. 20.

Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. Quindecim ex septem, & octo constant: septenarius ad spiritualitatem, idest sapientiam: octonarius ad temporalitatem, idest scientiam, quæ tempori necessaria est, referatur Quicquid itaque subtilitatis, & discretionis, ac intelligentiæ humanitùs elaborasse videbamur, contemplationis gratiam Deo infundente penitus opprimitur; & nec scientiam in administrandis temporalibus, nec sapientiam in cœlestibus dignoscendis habuisse nos comperimus. Quindecim cubitis aqua superexcellit montibus, quæ sciendo, sapiendóque exerceri possunt virtutibus, cubito porrectæ ad Deum intentionis eminet maiestas speculationis; brachio enim, cui inhæret cubitus, & operamur, idémque ad metiendum intendimus.

Vers. 21.

Consumptáque est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniúmque reptilium, quæ reptant super terram: vniuersi homines, * *& cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.* * *Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli: & deleta sunt de terra.* Deo interna nostra suæ visionis radiis illustrante, caro, quæ super terram mouetur, idest carnales motus, qui terræ, rationis scilicet stabilitatem fluctuare cogebant, consumuntur: volucrum superbiæ: animantium cupiditatis: bestiarum ferociæ, & furoris: reptilium libidinis: scilicet quæ nostris furtim cordibus irrepunt, homines, idest illa quæ pro sola sæculi honestate quasi rationabiliter gerebantur, & omnia quæ spiramen terreni desiderij intra nos proferre conantur, & omnis praua voluntas, quæ quasi fundamentum ineptis cogitationibus substat, & rationi, quæ ob firmitatem terra dicitur, indignè superstat, ab his quæ rationabiliter quasi defenduntur, vsque ad ea quæ tam pecualia sunt, vt defendi non possint, tàm cœno repens luxuries, quàm hypocrisis cœlos petentis rabies, à subito aquæ cœlestis illapsu amittunt suas, nostras videlicet pectora sedes, non quòd prorsus deficiant, sed quòd ad tempus Deo nos inuisente quiescant.

* Vers. 22.

* Vers. 23.

Remansit autem solus Noë, & qui cum eo erant in arca. * *Obtinuerúntque aquæ diluuij terras centum quinquaginta diebus.* His ita extinctis, beatâ quâdam solitudine cum suarum centuriis virtutum Noë noster iam placidus remanet. Aperuit enim dilecto pessulum;* cœnátque cum ipso. Aquæ diluuij terras obtinent, cum membra nostra, quæ sunt super terram, vel ipsas nostrorum sensuum partes sapientiæ regimina possident: per centenarium perfectionem: per quinquagenarium diximus figurari requiem Ad centum quinquaginta itaque peruenit dies, cum cuilibet supernis imbuto respectibus perfecta, licet ad modicum, tribuitur animi requies: ter etiam quinquaginta, centum quinquaginta sunt, nec verè vnquam quiescimus, donec ad Trinitatis visionem venia-

* Vers. 24.

Cant. 5. 6.

* Apoc. 3. 20.

nus, quam dùm in præsenti aliquantisper A sæculo delibamus, sine quadam licet perfunctoria cordis requie, id attingere omninò nequimus.

CAPVT VIII.

Vers. 1. *Recordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* * *Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluuiæ de cælo.* (* Vers. 2.) Diximus cùm *non est bonum esse hominem solum* exponeremus, quia non paruum animæ constet esse periculum, si ad votum suum quietis, & contemplationis potiatur excellentiâ. Recordatur ergò Deus nostri, cum dispensatiuè nobis subtrahit gratiam muneris, reuerà si aliquandiu nobiscum perseueraret nocituri. Animantium, ac iumentorum meminit, cum spiritualium bonorum animæ nostræ insitorum, & quæ corporaliter exhibemus beneficiorum, ad salubrem humilitatis memoriam nobis efficaciam subtrahit: iumenta exteriora, & quasi grossiora opera dicimus, nam iumenta pro corporibus poni solent, vt est: Iumenta eorum in morte conclusit: (Psal. 77. 50.) animantia autem, quia ab anima dicuntur, interiora bona, vt est charitas, & cætera. Adducit Deus spiritum, tentationis scilicet motum, sed dum terra, caro videlicet, aut mens nostra, insperato flatu quatitur, cataractæ, idest subtilis diuinæ maiestatis intuitus aquis superni illapsus imminutis obcluditur, quibus de immensitate illa cœli, de quo dicitur: à summo cœlo egressio eius, (Psal. 18. 7.) parùm quid attingebatur: quin etiam magnæ D fons obturatur abyssi, dùm ipsa in nobis deficit consideratio, & notitia nostri, & turbata quies animi nec se valet capere, neque mysteria Dei, nam passionum incursu auertitur diuini placiditas stillicidij.

Vers. 3. *Reuersæ sunt aquæ de terra euntes, & redeuntes, & cœperunt minui post centum quinquaginta dies.* Aquæ de terra reuertuntur, cum de corde non iam cœlestia, sed terrena versanti intellectualium origines cogitationum E sublatæ ad statum veterem reuoluuntur: sicut enim glacies cum diuersis ex causis congelascit, & liquatur, semper tamen aqua est naturaliter, sic cogitatio nostra licet contemplatio ex accidenti vocetur, semper cogitatio est: Aquæ igitur ad se de terra, idest ob terreni immersionem affectus reuertuntur, dum quæ contemplatiuæ fuerant cogitationes relabuntur ad id, quod humanitùs esse solent: sed ad solitum mortalitatis vsum relapsæ, & per ingruentia tentamenta in deterius semper euntes redeunt, quia ad memoriam persensæ semel dulcedinis speculationisque dum sapor reducitur, sæpiùs ingemiscunt, vnde cuidam dicitur: *Memor esto vnde excideris?* (Apoc. 2.) & post centum quinquaginta dies minui incipiunt, quia nisi aut indulta ad horam silentia contemplationis transferint, aut perfectio quietis ex incursu molestiæ alicuius exciderit, vbi se immergat, quæ nostram imminuat prudentiam, tentatio reperire non poterit.

Requieuitque arca mense septimo, vicesima & septima die mensis super montes Armeniæ. (Vers. 4.) B Dum aquæ post dispensatiuam amissionem rediuiuæ nobis spiritum recogitationis, ac castigationis infundunt, mensis septimus agitur, quia diuinarum memoria illustrationum, in quibus quondam sabbatizauimus, interimque dum recordamur, aliquantisper sabbatizamus, ad cor reuocatur: mensis namque dierum collectio est, & septimus sabbathum est: sed si mensis septimus bonum quid insonat, vicesima & septima dies mensis quicquid boni præcinuimus turbat; per viginti enim duplicitas, per septimam C identidem requies, per diem bona voluntas exprimitur; suppetit egò bona ad sabbathizandum voluntas, dùm quàm sit bonum securam habere conscientiam recolimus, sed cum ad appetitum carnis respicimus, hoc illicò dupliciter non sincerè velle probamur; *Vult enim*, ait Salomon, *& non vult piger*, (Prou. 13. 4.) dum bonum exequi vellet, si sine vlla carnis continentia fieri posset, cum secundum hoc eum nolle penitus constet. Super montes autem Armeniæ arca requiescit, quia in Sanctorum exemplis, qui verè pro excellentia, & stabilitate montes dicuntur, & maximè in illorum qui post lapsum aliquid sanctitatis attigerunt, talium torpidorum conscientia se reflectit. In alia translatione super montes Ararat legitur; Ararat enim hebraïcè, Armenia vocatur, & hoc ipsum mons vulsus interpretatur; mons autem vulsus sanctitas est destituta. Cum itaque tentatur cuiuspiam religiosi animus, occurrunt menti montium vulsiones, Sanctorum scilicet lapsus, qui tamen ad hoc, vt montes vocarentur, redire studuerunt reparatis viribus; in his arca immoratur, quia horum casus, & postmodum resurrectiones quasi ad imitandum possibilia cogitare delectatur.

At verò aquæ ibant, & decrescebant vsque ad decimum mensem. (Vers. 5.) Aquæ eunt, & decrescunt, dùm spiritualis à nobis prudentiæ cogitatus recedunt, sed quia spiritus vadens (Psal. 77. 39.) quidem per se sumus, sed per se non rediens, ad decimum mensem intendendo deficiunt. Mensis decimus licet minùs vsitata hæc interpretatio habeatur, humanæ conditionis

ordo non absurdè accipitur, qui nouem creatis Angelorum ordinibus decimus est creatus; cum ergò illecebræ animum carnales vrgent, non modò eos, qui per Adæ præuaricationem factâ necessitate peccandi graue quippiam commiserunt, in exemplum admittendæ prauitatis adhibet, sed ipsos principes generis nostri Adam, & Euam, qui Dei fruebantur alloquio, & nulla suæ carnis incentiua patiebantur, attendunt quam facilè ruerint, & hæc damna excusatione digna pro naturali fragilitate prætendunt. Si illi, inquit, hoc, aut illud egerint, ego homuncio quò robore resisterem? Dum ergò mensem, idest numerum quasi dierum claritatem in decimo illo peccatore Adam scilicet considerant, sub tantis auctoribus se posse peccare, cum & ipsi peccauerint, excusabiliter putant. *Decimo enim mense, primâ die mensis apparuerunt cacumina montium.* In ipso namque primo statu, quem decimum diximus mensem, primâ die, idest in ipso fœlicitatis introitu, apparuerunt cacumina montium, idest superbi fastus illorum generis nostri principum: solent sanè aliqui sic dicere: Si illi in superbia ac auaritia, quæ naturalia non sunt vitia deliquerunt, nos qui in cibo, ac potu, corporis voluptate, quæ originaliter medullis nostris insita sunt, peccamus, quid mirum facimus? cacumina igitur montium sic attendunt, dum illorum vitiis se defendunt.

Verſ. 6. *Cùmque transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram arcæ dimisit coruum.* * Verſ. 7. *Qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* Quadraginta dies transeunt, dum intelligentia, quam ex Decalogi, Euangeliique obseruantia habentes claruimus, superueniente nequitiæ nocte priuamur. Et tunc Noë fenestram arcæ aperit, cum animus sensualitatem corporis pessimâ libertate ad haustum cuiuslibet voluptatis quasi fenestras expandit. Coruum dimittit, cum appetitum ad quælibet turpia effrœnem ire sinit. Iste egreditur, idest extraria concupiscendo vagatur, & non reuertitur donec aquæ siccentur; idest nunquam si sibi liceat ad rationis iura colligitur, donec quicquid pietatis ac gratiæ constat interiùs, qui humor in nobis est diuinus omninò exsiccetur in terra, hoc est in mentibus.

Verſ. 8. *Emisit quoque columbam post eum, videre si iam cessassent aquæ super faciem terræ.* * Verſ. 9. *Quæ cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad Noë in arcam.* Licet carnalis affectus facilè huc illúcque labatur, ratio tamen gemebunda prosequitur, & pensat, licet malè implicita obniti non valeat, per quæ affectio sua vitiorum volutabra distrahatur, & quantùm cordis facies ab interna teneritudine quasi sine pluuijs terra obduretur. Sed cum adhuc religionis feruente memoria, & pudoris humani obsistente repagulo, pes columbæ, idest affectus rationis peccandi opportunitatem, locum videlicet, quo requiescat non inuenit intra conscientiæ arcam, quasi concupiscentiæ pœnitens se recipit, vnde sequitur: *Aquæ enim erant super vniuersam terram. Extenditque manum, & apprehensam intulit in arcam.* Spiritualis pondus prudentiæ solet reprimere diutiùs ineptos motus animæ. Aquæ ergò adhuc imminent terræ, quæ vetant sui reuerentiâ hominem ad illicita exire. Extendit manum, exerit fortitudinem operum, & rationem quadam animi nouitate correctam intrudit, vt sola interna curet, in arcam, hoc est seipsam. Dum enim mentem pudet aliquotiens euagationis suæ, instituit irata sibi arctioris propositum vitæ: hoc est quod dicit eum columbam apprehendisse.

Expectatis autem vltra septem alijs diebus rursum dimisit columbam ex arca. Verſ. 10. * Verſ. 11. *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Intellexit ergò Noë, quòd cessassent aquæ super terram. Pudor humanus non est extinctio criminis, sed dilatio. Etsi enim animositas ad horam videtur contrahi, intentio tamen præstolatur, immò vltra se prouidet opportunitates peccandi. Septem diebus præsens sæculum defluxit, quibus intelligere possumus fluxum mentis: septem dies expectantur: defectui scilicet, & alij quàm illi quadraginta, quibus mores legaliter, & nouo, & veteri instruuntur, quia remissioris conscientiæ, cum memoria cœlestium intepuit, tempora prouidentur, vt ad patranda flagitia nullus Dei timor refragetur. Columba itaque, idest ratio, quæ reuera sine felle nequitiæ est, si ratio est, ab arca emittitur, cum irrationabiliter in affectum cordis transitur. Prima emissio delectatio est, secunda consensus, tertia peccati effectus. Quandiu enim mens in cogitatione fluctuat, prauos suos motus, aut Dei metu, aut humano pudore quâdam rationis reductione reuerberat, donec imaginationum illecta blanditiis cedat. Redit ergò, non vt errata corrigat, sed ad vesperam, vt Dei calore, ac luce sponte deficiat, & ramum oliuæ in ore suo referat, idest sententiam diuinæ misericordiæ cogitationis superficie, hoc est ore, non intentionis voto promittat, quòd pœnitentibus plusquam nonaginta nouem iustis Deus aggaudeat. Cuius rami virent folia, quia cordis aspectibus hæc verba videntur superna pinguedine viuida, vbi lapsis si redeant maior quàm iustis promittitur gratia; & quòd quosdam permittat Deus cadere, vt glorio-

fiùs exemplo multorum faciat resurgere: redit igitur à dispersione sua, vt hæc animo cum fuerit consulta respondeat; & sub spe veniæ ad flagitia inflectat; intelligit ergò miser animus spirituales in se aruisse aquas, & tamen consilio, quod malum non dubitat, aures impendit infectas.

Vers. 12. *Expectauit nihilominus septem alios dies, & emisit columbam, quæ non est vltra reuersa ad eum.* Dies septem superiores ad defectionem mentis retulimus. Nec absurdum rursus est, si per hos septem tempus ipsum, idest temporis opportunitatem, quo conceptum facinus peragitur, intelligamus. Et hoc igitur, B & illud Noë expectat, dum aut defluere se introrsum malè patiens tolerat, nec obniti tentat, aut commodum tempus ad ea quæ concupiit exequenda considerat. Sed columba coruum secuta non redit, quia ducem præpostere ratio adhibens sibi affectum, postquam in sceleris ruit effectum, ad illa iam amanda, quibus semel libens imbuta est, per se non reditura ampliùs cor depressit immersum.

Vers. 13. *Igitur sexcentesimo primo anno in primo mense, primâ die mensis imminutæ sunt aquæ super terram.* Per annum, qui vniuersitas quædam C temporis est, communis sæcularium conuersatio intelligitur: per mensem status, & habitus vitæ cuiusque hominis exprimitur: prima dies illa, quæ potissimùm in mundo regnat intentio, voluptas scilicet corporis accipitur. Cum ergò à sexcentesimo, à perfecti videlicet operis proposito, in peccatum quis labitur, primum demigrat in annum, idest ad pristinæ conuersationis ac cohabitationis ritum, quem primitùs habuit, quo licitè peccare licuit, postremóque primum D decidit in mensem, priorem scilicet, vnde quondam exierat, viuendi habitum, & morem, contingítque diem, vt intendat carnis, non Dei facere voluntatem, & imminuuntur aquæ super terram, quia quò ampliùs insolentiæ carnis excrescunt, tantò minus animalis iam factus homo capit ea, quæ Dei sunt: non tamen omninò aquæ etsi imminuuntur cessant, quia socordiam iniqua gerentis per spiritus impetum aliquotiens increpant.

Et aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, viditque quòd exsiccata est superficies terræ. * *Mense secundo, septimâ, & vicesimâ die mensis arefacta est terra.* E Noë tectum arcæ aperit, cum quilibet per euidens prauitatis opus quid nequitiæ intus gerat ostendit: aspicit, vidétque, quòd exsiccata sit superficies terræ, dum videndum spectandúmque præbet apertè, quòd nil diuinæ dulcedinis resederit non modò in intentione, sed in ipsa, quæ rationis est superficies cogitatione. Si verò

* Vers. 14.

A mensis est primus, prioris nostræ in sæculo vitæ modus, mensis secundus habeatur, postquam per apostasiam ad id regressi fuerimus, cordis impœnitentia, & obduratio; septima referatur ad gratiam; vicesima ad hypocrisis duplicitatem; dies quoque ad industriam. Nam cum obstinationis hebetudinem inciderimus, & cum Deo inimica nos agere nouerimus, ex industria tamen secundum eius nos gratiam viuere sub hypocrisis integumento simulauerimus, tunc reprobum sensum nos incurrisse sciamus; & dum spurcitias pio habitu subornamus, nullo nostri ad pœnitentiam pudore prouocati, nec inferius, nec superius irriguum iam habemus; arefacta est enim terra penitùs: sed si miretur quis nos diem, mensem, & annum sub mali typo posuisse, agnoscat diem pro noxia in scripturis sæpius aut Scientia, vel prosperitate poni, & si dies ponitur, collectio talium, vel etiam summa dierum, quòd est mensis, & annus, quare non itidem ponatur? Suppeterent de his exempla quàm plurima.

Vers. 15. *Locutus est autem Deus ad Noë dicens:* * *egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.* * *Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus, quàm in bestijs, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite, & multiplicamini super eam.* Qui educit vinctos in fortitudine, eósque qui exasperant, qui habitant in sepulchris, quocumque modo peccemus piis semper exundat visceribus, lapsum igitur desperatúmque iam internâ allocutione cor visitat, & vt ad se redeat incitat, ac si ei dicat: Qui in peccati apud te lates conscientia, egredere confessione factâ, viámque tuam mihi reuela; quæ enim arguuntur, manifestantur ab his, qui fiunt lumina. Tu, inquit, & vxor tua, non illa quæ arcam intrantibus adest voluntas bona, sed concupiscentia, quæ ex ingestu fœcundata diaboli peperit tibi peccata: Tu, inquit, & vxor tua, idest de scena vitiorum teipsum primò elimina, demum de ea, cui subiacuisti confitere concupiscentia; Multi namque sua facilè fatentur mala, sed ipsi non exeunt à consuetudine praua: Sic filios, idest opera nequam prode, vt nil in te residere patiaris de iterandorum eorumdem operum delectatione: Tu, inquit, & vxor, filij, ac vxores; accedenti enim ad confessionis auroram, veteris concupiscentiæ se nubilum ingerit, & operis cuiusque noxij consuetudo, ac si quædam importuna iugalis adiungit. Cuncta animantia, idest cupiditatum desideria, quæ penes te latent ex quolibet affectionis modo progenita, tam in superbiæ sæcularis, quàm inanis

*16. * Vers. 17. Psal. 67. 7. Ephes. 5. 13.

inanis religionis volatili quadam extollentia, & iræ furoríſque beſtialis ſæuitia, necnon luxuria, quæ præpoſterè cum ſubeſſe debeat ſuper corda, eſt reptilis, educ tecum, ut confeſſio non fiat peccatorum ſine correctione noſtrûm, nec noſtrûm correctio, niſi præuenitur confeſſione malorum.

A *Et ingredimini ſuper terram*, tu videlicet, tuáque ſtudia iam prorſus in iuſtitiam commutata, poſtquam vos fœdâ exueritis conſcientiâ, neceſſe eſt, vt ingrediamini ad interiora, quæ proieceratis, vt ſcriptum eſt in vita veſtra, vt ſola de internis gaudiis ſit vobis cura, ad hoc ſcilicet, vt conſtabiliamini iam ſuper terram, pro fundamento habeatis rationem, vt non circumferamini per aliquam tentationem. Creſcite ergò ſuper hanc radicati in contemplationis, quam amiſiſtis reparantes vos altitudinem, & multiplicamini ad proximum per charitatis amplitudinem: emittuntur igitur ab arca animantia, ideſt concupiſcibilitates, quibus animamur ad noxia, anima enim naturaliter concupiſcibilis eſt, & iumenta ſenſualitates videlicet, quæ motus animæ quodam incentu ad malum adiuuant, & cogitationes, quæ quaſi angues indifferenter lubricæ per intima reptant, & cætera vt ſupra expoſita conſtant.

B

C

Verſ. 20. *Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare:* * *Odoratúſque eſt Dominus odorem ſuauitatis.* Altare illud nil congruentius mihi eſſe videtur, quàm humilitas; ſicut enim niſi in altari hoſtia nulla valet, ſic Deo virtus, niſi cum humilitate nulla placet: hanc ædificamus, cum à fundamento intentionis ad parietes cogitationis peruenitur, & ad exhibitionem operis, quaſi ad ſummam culminis: non autem cuncta pecora, ſed de cunctis tulit pecoribus: pecora mihi videntur poſſe intelligi actiua opera noſtra quæ in dilectione fraterna exercemus, quæ quidem, non vt deberemus tota peragimus, ſed tamen de omnimodo genere pietatis aſſumimus, quia deſiderium ſi facultas ſuppeteret illa vt iuſſa ſunt explendi omnia habemus. Per volucres quicquid ſpiritualis ſubtilitatis eſt in diſpiciendis diuinis, humaníſque rebus exprimitur. Et hæc ſunt munda, dum quidem illa ſine fauoris humani peraguntur aura; hæc verò inquiruntur ſine erroris macula. Nec mirum, ſi munda, quia holocauſta igne ſcilicet ſinceræ orationis ac compunctionis excocta; in feruore enim ſpiritus plenè diſcernimus, an pura ſint, an recta, quæ agimus; ibi ergò ea incendimus, ideſt probabilia reddimus; vnde & Dominus dicitur odoratus, quia à Domino nobis eſt diſcretionis, ac pro-

*Verſ. 21.

D

E

uidentiæ virtus; odores namque nare diſcernimus, réſque porrò poſitas olfactu præſentimus, vnde & apud Terentium quidam olfeciſſe dicitur, quod conjiciendo præuiderat: ex odoratu igitur vtraque præfata virtus accipitur, quod Dominus dicitur feciſſe, quia idem in nobis facit ipſe: nempè cum per elationem ac ſecuritatem in vitium lapſi, iam ad Deum redituri humilitatis in nobis altare erigimus, & quicquid durum, quicquid malè humidum in mentibus eſt timoris igne crememus, quis edicat quid diſcretionis, prudentiæ, ac ſanctæ ſuauitatis ex virtutum ſuauitate intrò haurimus? ibi enim guſtatur quàm ſuauis eſt Dominus.

Et ait ad eum: nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & humani cogitatio cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Non igitur vltra percutiam omnem animantem ſicut feci. * *Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas, & hyems, nox, & dies non requieſcent.* Maledictionem pro defectu poni ſolere diximus, & conſtat, ac ſi diceret: nequaquam maledicam, deficere profectò vlteriùs non permittam terram, ideſt ſtatum humani cordis, propter homines, propter quorumlibet utique exempla Sanctorum, qui homines, rationabiliter ſcilicet ſeſe regentes vocantur, vt eſt: reſpiciet homines, & dicet: peccaui. Dum enim ſuper montes Ararat arca requieſcit, per coruum ſuggeſtoriæ euagationis columba emittitur in delectationis excurſum, operíſque conſenſum. Deo itaque nobiſcum aſpiratoriè loquente poſt lapſum ſentimus quâdam internâ calliditate de ruinæ experimento ſimilem vlteriùs nos fortiter iam poſſe cauere defectum; ex alterius namque quamuis Dauid, quamuis Salomonis caſu facere ſuum eſſe dignoſcimus ex damni ſumma dementiæ extremum: eſt quædam pueritia nuper ad conuerſionem venientium, quos in ſuis Deus primordiis à bellis temperat vitiorum, vt filios quondam Iſraël, cum ex Ægypto exiſſent, noluit eis illicò incutere moleſtias præliorum: pueriles enim erant ſecundum hunc typum animi eorum. At cum ad aliquod virtutis robur venerimus, & tentationum caloribus vexari cœperimus, adoleſcentiæ ſpiritualis tempus ingredimur: vnde dicitur: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Cauemus ergò defectum, & defectionis exemplum, quia cum colluctatione, quæ nos impugnat vitiorum inſurgentem ex virtute quaſi ex adoleſcentia deprimimus typum, dum ſenſum exteriorem, & cogitationum imaginationem ſemper niſi ratione frænentur prona ſentimus ad malum: dúmque

* Verſ. 22.

Iob. 33. 17.

Eccle. 2. 1.

propriæ metu fragilitatis anima suspecta tenetur, nunquam ad id detrimenti deducitur, vt animantia omnia, vitalia scilicet studia in se penitùs perimantur.

Cunctis itaque diebus terræ, idest omnimoda intelligentia terrenitatis ac infirmitatis nostræ, dum scilicet eam diligenter attenderimus, sementis, idest nostræ conuersionis initia, & messis, quod est summa perfectionis aliquam à tentationum nunquam requiem inueniuntur habere molestia, siue in frigore torporis, & negligentiæ desidamus, seu ab aquis niuium, iuxta illud Iob, ad æstum, idest ad calorem religionis nimium veniamus, vel mentis aliquantula instar æstatis serenitate pollentes, vel nubilosâ animi ægritudine ad modum hyemis cœcutientes, aut nocte aduersitatum pressi, aut die prosperitatis effusi quocunque statu vixerimus, sine maligna, dum spiritus hos regit artus, titillatione esse non possumus, vt nunquam de peccati immunitate gaudentes, iterare peccata velimus.

Iob 24. 19.

CAPVT IX.

Vers. 1.

Benedixitque Deus Noë, & filiis eius dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ.* Et super omnes volucres cœli cum vniuersis, quæ mouentur in terra. Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Et omne quod mouetur, & viuit erit vobis in cibum.* Ad obtinendam internam requiem Noë, idest spiritui nostro, & filiis, operibus videlicet eius, benedictionis, idest exuberantiæ consilium datur. Crescite, ait, spe, sed ne id inaniter faciatis, multiplicamini bono priùs opere, & replete terram, spiritualibus scilicet officiis occupate sensualitatem vestram, & terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, idest super vitia, quæ ex animalitate nascuntur, non quod ipsa substantiata sint, vt terreri ac tremere queant, sed quod ad spiritus auctoritatem vitiosa terreri conscientia vsque ad tremorem debeat corporis, & super omnes volucres cœli, idest super omnem dæmonum superbiam, cum vniuersis, quæ fœdè ac carnaliter mouentur in corpore vestro. Omnes pisces, qui perambulant semitas maris, omnis scilicet ingenij sagacitas, quæ discernat quasque mentis versutias, manui, idest operi vestro quasi quidam adminicularij adiuncti sunt, quiquæ agenda sint suggerunt; & omne quod pij operis habet motum, & ex fide viuit, vobis proponitur imitandum.

*Vers. 2. *Vers. 3.

Quasi olera virentia tradidi vobis omnia; A * *Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis.* *. *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis. De manu viri, & fratris eius requiram animam hominis.* * *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippè Dei factus est homo.* Olera virentia, idest cruda apud nos esui apta non sunt; quasi olera ergò virentia prædicta omnia à Deo nobis traduntur, cum non pro sæculari honestate, ac scientia peraguntur, nec humanæ delectationis aqua, B & ambitionis igne cocta soluuntur, sed pro sola internæ spei viriditate tenentur: Sic igitur allegoricè accipiatur. Carnem autem cum sanguine non comedimus, si carnalis cuiuslibet culpam ad instituendæ exemplum vitæ non assumimus; sanguis enim peccatum est: non inquam debetis imitari peruersa, cum de manu cunctarum bestiarum, idest de opere cunctorum dæmonum, qui ad peccandum vos impulêre, constet à me exigi supplicia, & de homine, qui ea perpetrauit exigitur pœna: sanguis animarum mors est ipsarum; mors autem earum C assensus delectationum. De manu viri, idest pastoris, cui virilis inesse debet animus ad restringendam fœmineam in subditis mollitiem, vnde & annulum, quia sponsam habet gerit Episcopus: quæritur anima hominis, vt cui præesse inpræsentiarum consensit, illi tam in corporis, quàm in animæ tanquam cum Deo inde acturus necessitatibus non desit: de manu fratris anima quæritur, si ea quæ proximo debetur iuxta nos posito homini à nobis cura non impenditur; si enim negligentiâ nostrâ pereat, à nobis iure requiritur: D sanguinem humanum effundit, qui aliquem in conceptu peccati fluctuantem suasionibus ad perpetrationem cogit; fit autem id non solùm suadendo, sed & exempla præbendo: penset ergò seductor, quam Deo supplicij debeat vltionem, qui Dei in homine destruxit imaginem.

*Vers. 4. *Vers. 5. *Vers. 6.

Aliter: sanguinem humanum effundit, qui alterius latens vitium detrahendo detegit: qui itaque vtrumlibet egerit, sanguinem proprium fundendum nouerit, quia E qui vel alium seduxerit, vel crimen cuiuspiam emiserit, idipsum infligendo patitur, quod alteri inflixit: nec id iniuriâ, nam dignus est discriminis, qui iudicium sibi diuinæ vsurpat, & honorem inuidè infamat imaginis, quique nœuum eidem irrogat corruptionis: ad imaginem namque Dei factus est homo. *Vos autem* ab his extorres pestibus, *crescite* piis operibus, *multiplicamini* intellectibus, *ingredimini* ad Dei oculos, ne mulceamini vulgi fauoribus, *super terram,*

Vers. 7.

idest Christum constabilimini funditus, & & implete eam, ipsum scilicet sanctis pascite actibus, qui esurit salutem vestram.

Vers. 8. *Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios* * Vers. 9. *eius cum eo:* * *Ecce ego statuam pactum meum* * Vers. 10. *vobiscum, & cum semine vestro post vos:* * *& ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum tam in volucribus, quam in iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, &* * Vers. 11. *vniuersis bestiis terræ.* * *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.* Cum talibus, inquit officiis vos applicueritis, ecce nec mora, statuam pactum meum vobiscum, peculiari vos mihi in amore astringam, & post vos, idest postquam corporeâ morte defeceritis, cum semine, bono videlicet opere vestro pactum beatæ perennitatis stabiliam; vnde Psalmus: *Et filij eorum vsque in sæculum sedebunt super sedem tuam*: habemus filios opera, filios filiorum operum præmia. Noë itaque, idest spiritus noster fœdus diuinum suscipit, dum se arctiùs diuinæ voluntati subiungit; cum operibus nostris post nos pactum stabilit, cum per remunerationis gratiam ea sibi placuisse in futuro ostendit. Ad omnem animam viuentem, volucres scilicet, iumenta, & pecudes, & bestias pactum initur, dum per arcæ egressionem, peccati videlicet confessionem; Lazaro enim dicitur: *veni foras*, ea, quæ fuerant superba, cupida, & lasciua, atque crudelia ad regulam modestiæ ducta, fiunt vtilia; boni namque corruptio fit * vitia. Et hæc per confessionem lota fiunt iterum virtus, & superna concipiunt pacta quæ quidem præteriti lapsus semper animum deprimente memoriâ permanent indiuulsa, vt non interficiatur omnis caro diluuij aquâ, idest non tanta habeatur contemplationis excellentia, quæ vniuersa ad plenum subruat carnis certamina, quatenus dum crebris perurgetur motibus, semper seipsâ humilior confugiat sub Dei misericordiæ alas mens deuota; diluuium enim dissipans terram est, virtus speculationis humilitatis respectum in mente destruens. Ne magnitudo sanè reuelationum extolleret Paulum, datur sibi stimulus.

Psal. 131. 12.

Ioan. 11. 43.

f. * vitium.

2. Cor. 12. 7.

Vers. 12. *Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobis-* * Vers. 13. *cum in generationes sempiternas.* * *Arcum meum ponam in nubibus; & erit signum inter* * Vers. 14. *me, & inter terram:* * *Cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus:* * Vers. 15. * *& recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima, quæ carnem vegetat; & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuersam carnem.* Arcus colore rubeo, simúlque viridi constare dignoscitur. Arcus sacra Scriptura est, de qua sagittas suas ardentibus efficit Deus. Per colorem igneum timor, qui nos discruciat; per virorem accipitur spes, quæ pascuæ supercœlesti inhiat: quæ duo cum indesinenter nostra occupauerint corda ex arcu Dei procedentia, fit signum fœderis in nubibus, idest indicium diuini amoris in cogitationibus, quò benè inter nos, ac Deum conueniamus, proficiendo in virtutum generationes, quæ nos ad beatas euehant sempiternitates; cum enim sic timetur, vt tamen non desperetur locus, vbi superbia, seù ignauia concrescat, non in animo reperitur. Dum itaque cœlum, mens videlicet, nubibus, idest cogitationum nebulis obducitur, arcus iste per quem corda charitate vulnerentur, quasi lucifer in tenebris apparescens inducitur. *Et recordabor*, inquit, *fœderis mei vobiscum*, idest recordari vos faciam sponsionis vestræ, quâ mihi vos pro vestrorum venia peccatorum, & præmio vitæ æternæ seruituros obtulistis. Hoc fœdus initum est etiam cum omni anima, non quam caro portat, sed quæ carnalitatem regit, & cum paralytico grabatum baiulat, & dum spes timoris prouidentiâ temperatur, si qua supernæ aspirationis exuberantia aliquando suppetat, non valebit intantum, vt tumor inde nascatur, quia carnalium memoria operum ab animo Deo dispensante nequaquam deletur; eritque arcus in nubibus, quia cor nostrum sacri eloquij est locus, & videbo eum, idest continuâ meditatione versantibus exponam illud clarè videndum, & recordabor fœderis, idest recordari faciam spiritualis eos, quâ mihi annectantur, dulcedinis, fœderis dico sempiterni, quod interim dum viuimus nos Deúmque constringat, sed in futuro specialiter vniat. Hoc pactum ad vniuersam carnem, idest humanitatem, quæ est super terram, idest quæ supergreditur seipsam.

Psal. 7. 14.

Erant igitur filij Noë, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth. Porrò Cham ipse est pater Chanaan: Tres isti sunt filij Noë, & ab his disseminatum est omne hominum genus super vniuersam terram. Ex nostro spiritu spiritualiter fides, spes, charitas procreantur, vt supra sub personis trium filiorum dissertum est. Hi egrediuntur de arca, quando de putenti per confessionem egredi nos compellunt conscientia: talia dicta in scripturis abundant, vt est: *possedit agrum de mercede iniquitatis*, idest possideri fecit. Porrò Cham ipse est pater, & auctor Chanaan, qui interpretatur motus eorum. Dum enim multotiens quàm sit ardua nostri executio propositi consideramus, & necessariam cœptorum bonorum perseuerantiam attendimus, ex desidia, & desperatione laboris fit

Vers. 18.

Act. 1, 18.

motus, ac mutatio eorum, scilicet operum: nam fides cum exercetur per officia charitatis, & spes delectari nititur inuisibilibus bonis, ab ipsorum contuitu, operis victa fastidio, visibilibus, quæ magis in promptu sunt, amouetur illecebris. Cham itaque pater est Chanaan, quia spes proprio defectu, non quòd bona æterna discredat, sed quòd ea consequi præ laboris mole diffidat, potissimùm mentis studia mouet, ac mutat: Chanaan enim dicitur mutatus. Ab his tribus nostris spiritualibus filiis omne hominum genus, idest omnis species rationabilitatis super terram humanæ conditionis infunditur.

Vers. 20. *Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.* * Vers. 21. * *Bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo.* * Vers. 22. * *Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras.* Spiritus noster requiei amator internæ vir agricola est, cum vires ingenij ad exquirendas sacræ paginæ agri videlicet spiritualis fruges exerit: terram exercet, cum corpori per exactiones laborum imminet: vineam plantat, cum corporalem per se attendens exercitationem ad modicum vtilem, pietatem, spiritualia scilicet bona in Dei dilectione fundat, vnde palmites internæ virtutis effundat: bibit vinum, cum degustat cœleste desiderium. Hoc iuxta Zachariam germinat virgines vinum. (Zach. 9. 17.) Inebriatur, cum terrena obliuiscens ad superna sola cogitanda gaudia extenditur; sed cum ad cœlestia sapienda porrigitur, quæ sit miseria humanæ mortalitatis tunc primò magísque cognoscitur: in tabernaculo ergò se nudat, qui stolâ impassibilitatis, ac immortalitatis spoliatum se etiam in ipso corpore, quod tabernaculum vsitatè in scriptura dicitur, pensat; iuxta Paulum enim quandiu *in hoc sumus tabernaculo ingemiscimus grauati*, (2. Cor. 5. 4.) aut ex ipso gustu gloriæ, quàm sit virtutis egena mens cogitat. At dum sæpè & fragilitas inter labores corporis, & grauia ad expiandum peccata occurrunt menti, spésque minor ob sui in hac parte remissionem frater appellatur, verenda animi patris scilicet sui contemplanda prætendit, & difficultatem, immò impossibilitatem pœnitentiæ contuitu verendorum idest peccatorum obiiciens fidei, & charitati, quarum ratio aliquotiens extra nos euagatur, quasi duobus foras positis fratribus nuntiat, & vt à proposito desinant, quasi subsannans patris qui proposuit ignauiam cogat.

Vers. 23. *At verò Sem, & Iapheth pallium imposuerunt humeris; & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui: faciésque eorum auersæ erant, & patris sui virilia non viderunt.* Sem, & Iapheth pallium imponunt humeris, quando fides, & charitas sui ratione reuiuiscentes nimietatem verecundiæ, quæ mater est desperationis, dissimulantes non prorsus reiiciunt, sed se ponunt à tergo mentis. Vnde dicitur: incedentes retrò, quia etsi pudorem in quantum nimius est reiiciunt, tamen per memoriam præteritæ vitæ retrò incedunt; non enim abolenda est peccati verecundia, sed temperanda; facies autem auertuntur, quando de desperatione tētati, ad anteriora, spem scilicet æternorum, quæ pœnitenti promittuntur, intellectuales oculi diriguntur; operta igitur patris virilia non indiscreto pudore videnda operiunt, cum fides, & charitas correptâ iam sibi spe suis vtentes viribus, fructibus pœnitentiæ dignis contegunt. Sed notandum, quod hîc pater Chanaan solummodò vocetur Cham, vbi suggerit prauæ motionis culpam.

Vers. 24. *Euigilans autem Noë ex vino cum didicisset, quæ fecerat filius suus minor,* * Vers. 25. * *ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis:* * Vers. 26. * *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius.* * Vers. 27. * *Dilatet Deus Iapheth, & inhabitet in tabernaculis Sem, sit Chanaan seruus eius.* Ex vino, idest ex gratiæ dono Noë euigilat, cum animus comperto suggestionis dolo contra eius tentamenta restiturus se suscitat. Minor autem filius rectè dicitur, quia fides in aliquo difficilè labitur; hæc verò per excusationes impossibilitatum citissimè congelascit, & per ipsam pariter charitas, nisi adsit ratio, refrigescit; congelascit inquam, hęc enim est ouum Euangelicum, quod materno charitatis calore fouetur, vnde & Cham calidus dicitur, cui virus scorpij aduersatur. Maledictum pro defectu solere poni sæpe numero iam diximus; Chanaan ergò deficiat, idest motus instabilitatis absistat: serui fratrum sunt ratio, voluntas, & affectus, quæ fidei, spei, & charitati obediunt, vel quæcumque interiùs, vel exteriùs bona opera fiunt. His quidam militibus succenturiatus aiebat: (Matt. 8. 9.) Dico huic: vade in exhibendum actuale officium, & vadit; & alij veni ad spiritualitatis studium, & venit; & seruo, idest affectui vago, fac hoc, & facit. Articulus iste, quod est *hoc*, de re, quæ præsens est, solet dici. Fac igitur *hoc*, idest ea age, quibus tibi, idest animæ tuæ præsens sis, & quia articulus demonstratiuus est, *hoc*, ea age, inquit, quæ tibi à ratione agenda non extra te, sed intra teipsum monstantur: Si igitur serui sunt hi, quis digniùs erit horum seruus quàm Chanaan, idest mutabilitas atque motus, vt non imperet, aut in vllo resistat, sed ad coronam seruiat virtutibus.

Benedictus Deus Sem; in fide vtique, quæ per Sem accipitur, Dei benedictio, idest augmentum diuinæ cognitionis emineat, & subijciatur ei prauæ mutabilitatis motus. *Dilatet Deus Iapheth*, idest si charitas amicos attingit, vsque ad ipsos etiam inimicos se Deo dilatante propaget: tabernacula militantium, ac peregrinantium propriè sunt: fides verò cum sit sperandarum interim substantia rerum, cum ad illas res ventum fuerit prorsus deficiet. Militat itaque, & peregrinatur Sem, fides scilicet in præsenti, sed iners eius militia iudicatur, si charitatis contubernio priuetur. Si ergò volumus non mori fidem, habitet Iapheth in tabernaculis Sem, ornemus scilicet dilectionis opere credulitatem, & subsit nobis spei nunquam labefactandæ motus.

Vers. 29. *Vixit autem Noë post diluuium trecentis quinquaginta annis; & facti sunt omnes dies vitæ eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est.* Per annos conuersatio sancta exprimitur, quæ ex virtutum, quasi ex dierum collectione conficitur: per trecentos fidei, spei, & charitatis, de quibus modò egimus, perfectio accipitur: per quinquaginta requies, in qua per harum exercitia virtutum ac si quadam iubilæi remissione à nequam studiis cessatur: & fiunt tamen omnia quæ gerimus, quàcumque religionis luce fulgeamus, imperfectè à nobis, quod per nongentos annos, qui denarium minus habent, intelligitur, quia in conspectu Dei omnis viuens non iustificabitur, licet humano iudicio videatur: hinc est forsitan, quod author nescio quis in versu offertorij nouies repetit, *vt videam bona*, denarium illum quærens summum, bonum perfectum, qui datur laborantibus in vinea: quod etiam hîc intelligitur per quinquaginta non iam in tempore, sed requies sempiterna: & mortuus est, quantùm ad mundi huius vitia.

Explicit Liber tertius.

INCIPIT LIBER QVARTVS MORALIVM IN GENESIM.

CAPVT XII.

Vers. 1. LOcutus est Dominus ad Abram, *dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi,* * Vers. 2. *benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* Patri excelso quod interpretatur Abram, idest spiritui paternâ mentem auctoritate recturo, & à terrena vilitate leuando, inspiratoriâ Deus locutione hæc suggerit: *Egredere de terra tua*, idest excutere de terrenitate tua, vel qui apud te in peccato submersus es, exi confitendo de peccatrice conscientia, & de cognatione imaginationum, cogitationum, carnaliúmque luxuum, quæ ex eadem exoritur terra; *& de domo patris tui*, de ipsa scilicet exteriori conuersatione mundi, quam possidebat pater quondam noster diabolus præsidens atrio suo in modum fortis armati; non enim cohiberi potest mobilitas intimi hominis, nisi extra fugiatur cohabitatio mundi. Veni ergò in terram, quam monstrauero tibi, in eam videlicet corporis, ac animi soliditatem, quam tibi insinuabo, aut per internam suggestionem, aut per sacræ paginæ lectionem, faciámque te in gentem magnam, virtutum videlicet numerositate te instruam, vbi gratiæ spiritualis multiplicitate benedicaris, & nomine, idest eximiâ opinione ad cœlestis patris laudem magnificaberis.

Vers. 3. *Benedicam benedicentes tibi*, multiplicabo vtique hos, qui prædicando, exempla præbendo tuis adminiculantur augmentis, & cognationes terræ, non illius de qua iuberis exire, sed à me tibi intellectualiter demonstrandæ spirituales cordis progenies non tantùm famæ vulgaritate, sed in te benedicentur, in tui scilicet interni habitus, ac operis veritate. Est autem cognatio ipsa virtutum ex sese prodeuntium quâdam concatenatione facta gradatio. *Maledicam maledicentibus tibi*, inquit, ea profectò quæ damnum tibi defectionis incutiunt vitia carnis tuæ redigam in defectum.

Vers. 4. *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus; & iuit cum eo Loth.* Cum egrediente, vt expositum est, Abram it Loth, quia rationis auctoritatem iustum est vt sequatur carnalis affectus, qui sæpius in nobis

declinat à recto, naturalis vitij consuetudine vinctus: Loth enim interpretatur declinans, vel vinctus. *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Aran.* Aran interpretatur res cum arca. Per arcam cupiditatis capacitas notatur, per rem ea, quæ concupisci possunt, figurantur: quidam dum conuertuntur, res quidem abdicant, sed habendi appetitum, idest arcam non abnegant: De Aran ergò exit, quisquis cupiditatem, & quæcumque possunt concupisci respuit. Septuaginta quinque cum egreditur annorum est, dum per septenarium gratiæ decalogum legis implens, quinque corporis sensibus integrâ virtutum quasi annorum collectione præest.

Vers. 5. *Tulitque Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui, vniuersámque substantiam quam possederant, & animas, quas fecerant in Aran, & egressi sunt, vt irent in terram Chanaan.* Sarai dicitur princeps mea, & significat voluntatem, quæ in morem coniugis vnita Abram, idest marito spiritui, & Loth filio fratris sui, affectui utique, qui ex corporali semine, cui quædam cum anima naturalis germanitas inest, gignitur, recto ordine cum ita constiterit ducitur: cum his itaque Abram noster tollit vniuersam substantiam, quam pariter possederant, dum omnia quæ intellectui nostro terrestria iure substant, in potestate habemus, nec ab eis regi nos seruiliter patimur, sed nos ea quasi paralyticus grabatum regimus. Vnde Iob: *quia* inquit, *non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me.* (Iob 21. 16.) Quod enim ratio damnando possederit, profectò & voluntatis, & affectus statim imperio suberit. In Aran fiunt animæ, dum vitalia ac spiritualia bona peraguntur perfectâ mundi abrenuntiatione. Egrediuntur ad terram Chanaan, dum morum quam professi sunt adipiscuntur solidam mutationem; Chanaan enim dicitur mutatus.

Vers. 6. *Cúmque venissent in eam, pertransiit Abram terram vsque ad locum Sichen, & vsque ad conuallem illustrem.* Attingentes igitur conuersionis efficaciam, pertransit spiritus noster terrenæ habitationis, quæ se aggrauat, molem, & venit ad locum Sichen, idest obedientiæ perseuerantis stabilitatem; Sichen enim interpretatur humerus, & humero quoque portamus, per quod obedientiam rectè accipimus, cuius imperio humiliter ferendo curuamur: locum autem animi immobilitatem dicimus: sed si obedimus, ad conuallem illustrem, idest humilitatis nobilitatem necesse est veniamus, vt non coactitium prælatis, & etiam minoribus, sed ambienter spontaneum seruitium impendamus.

* Vers. 7. *Chananæus autem tunc erat in terra.* * *Apparuitque Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.* Quò itaque Deo, & sæculo illustriores sumus, tantò humiliores esse debemus. Sed Chananæus est in terra, quia spiritus cenodoxiæ, & ineptæ typus verecundiæ desæuiunt in affectione terrena. Chananæus enim dicitur negotiator, quod est inanis gloriæ venalitas, quæ maximè bonis actibus se ingerit, cum etiam quilibet ex ipsa sua humilitate superbit. Dicitur quóque Chananæus erubescens, pudor scilicet humanus ad viliora imperia sese menti incutiens. Hi tunc erant in terra, dum in nostris præcordialibus bonis feruerent sub conscientia. Apparet ergò Dominus Abram, cum se excelsum, sed humilia tamen respicere euidenti illustratione edocet rationem, & ad talibus resistendum de suis viribus diffidentem spe confortat victoriæ dicens: semini tuo, idest operis tui merito, si persistas, subiiciam terreni affectus quam fateris motionem. Ibi denique altare ædificamus, cum specie ista superandi spem quoque non in laude inani, sed præmio cœlesti cæterarum materie virtutum adiectâ construimus. Nullum enim nostrum est bonum, si non sit spei diuinæ innixum, sicut sine altario sacrificium.

Vers. 8. *Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Bethel, tetendit ad tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai.* Bethel dicitur domus Dei. De loco altaris ad montem promouemur, cum non solùm de vitiorum victoria non desperamus, sed etiam quarumque virtutum excellentiam appetimus: Is mons versus Orientem domus Dei situs est, quia quicquid virtutis habemus, ad Christi conformitatem inhiat, Christi visione irradiari hîc, & in futuro desiderat, qui est verus Oriens domus Dei, idest minister luminis mentibus fidelium, in quibus est habitatio Dei: tabernaculum isthic tendimus, cum ad Deo militandum appetitum spiritus prouehimus. Ab Occidente Bethel habemus, cùm defectui nostro, qui aliquotiens surrepit, vel etiam desperationi, domus Dei supercœlestis decorem, vel præteritæ actionis puritatem opponimus: ab Oriente verò habemus Hai, vel etiam secundum aliam translationem Gai, cum virtutum, quasi ex nimij gloria luminis lasciuiente successu, quæstionem animo de inferni, vel peccatorum quorumlibet, quæ in nobis fuerunt, aut esse possunt, confusione inducimus; Haï namque quæstio, Gaï dicitur confusio: quod totum est: *In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum.* (Eccle. 11. 27.) Ædificat etiam hîc Abram altare, dum inter victorias cir-

cumspectus ad Deum suæ mentis hospitio A inuocandum, spiritus noster firmâ iam post spei tenorem radicatur charitate: Hæc enim sunt altaria tua Domine virtutum, in quibus turtur nidum reperit, passérque domum; Vnde & subiungitur.

Psal. 83. 4.

Vers. 9. *Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem.* Ad meridiem pergimus, cum ad plenarium deuotionis feruorem obtinendum contendimus: vadimus, cum animi propositum opere exercemus; vltra verò progredimur, cum ad maiora gerenda exardescimus pij desiderij ambitu, B quàm facere præpediente fragilitate sinamus.

Vers. 10. *Facta est autem fames in terra; descenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi.* Post tantam gratiæ exuberantiam necesse est, vt tentatio subsequatur, ne in superbiam gloriæ nimietas delabatur; fit ergò fames in terra, cum fit in mente diuini saporis inopia: descendit in Ægyptum, cum spiritus noster tribulationis se coangustantis humiliter inspicit detrimentum; Ægyptus namque dicitur tribulatio coangustans: ibi C peregrinatur, cum in feruore tentationis iuxta Apostolum qui ad probationem fit, mens à se paulisper alienata vagatur; nec id iniuriâ; *præualuerat enim fames in terra*, idest dominabatur diuini egestas consilij in conscientia.

Vers. 11. *Cúmque propè esset, vt ingrederetur Ægyptum, dixit Saraï vxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier,* * Vers. 12. *& cum viderint te Ægyptij dicturi sunt: Vxor illius est; & interficient me, & te reseruabunt* * Vers. 13. *Dic ergò obsecro te quod soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat* D *anima mea ob gratiam tui.* Postquam igitur ad mentis caliginem, quod Ægyptus, quæ dicitur tenebræ, sonat, peruenerimus, in ipso adhuc tentationis incerto Saraï, nostræ scilicet voluntati adhuc ab imperio non diuulsæ mariti rationis, dicimus: Certum est quòd bona cupias, & habitu honestatis quasi quadam specie beneuolendo non careas, licet opere exequi nequeas, sed si Ægyptij, carnales videlicet, qui te contenebrant, motus, aciem tibi suæ impugnationis, quia eis contraria voles, intenderint, vxorem te E meam, idest rationis meæ amore te ductam æstimantes, mihi spiritui acrius insistent, tentationibus obruent, & te sibi, vt iam non nisi carnalia velis, contrahent; non itaque resistere tot malorum impulsibus valeo; cedam ergò, vnde & sororem te meam vt dicas obsecro, idest eadem sentias quæ & ego, vt obrutâ auctoritate mariti idem sapiant voluntas carnalis, & ratio, vt benè sit mihi quantùm ad tempestates animi, quas suggestioni consentiens euasero, & viuat anima mea, idest sentiat vita mea, quid dulcedinis habeat sæculo inseruire secundum placitum arbitrij sui.

Vers. 14. *Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis.* * Vers. 15. *Et nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Ingredimur Ægyptum, cum bonæ intentionis amisso lumine obscuritatem incidimus mentium: Ægyptij mulierem quòd pulchra sit vident, cum corporales motus, qui aliquotiens etiam sine cogitatione naturaliter, & sponte citantur, piæ voluntatis pulchritudini inuident, & sollicitando vrgent; etsi enim plerumque erramus, omnino tamen nos errare dolemus, quia iuxta Apostolum quod nolumus malum, hoc agimus: Principes Pharaoni nuntiant, cum hi quibus dicitur: tollite portas principes vestras, sensus exteriores nostri affectui carnali de residuo pij desiderij conquesti intimant; per Pharaonem enim carnalis rectè affectus accipitur, qui dissipans, vel discooperiens eum, haud dubium, quin spiritum destruens interiùs, & detegens veste virtutum interpretatur: illam autem laudant, cum sagacitatem ingenij, & habitum corporis ad sæculi captanda commoda adulatoriè suggerendo prædicant: In domum Pharaonis mulier transfertur, cum mollis iam eneruísque voluntas perseueranter actura cum affectu carnali inducitur; per domum enim diuturnitas intelligitur mansionis.

Rom. 7. 19.

Psal. 23. 7.

Vers. 16. *Abram verò benè vsus est propter illam: fuerúntque ei oues, & boues, asini, & serui, & famulæ, & asinæ, & cameli.* Oues fatuitatem, boues nequitiæ ponderositatem, asini petulantiam, serui proteruiam, famulæ seductibilem, & ad oculos solùm humanos timidam conscientiam, asinæ cogitationem continuâ pollutione fœcundam, cameli prrauum, ac distortum appetitum, & ad motum totius peruersitatis acclinem; camelus namque à curuitate græcâ deriuatione vocatur. Benè autem exteriùs, non interiùs Pharao Abram vtitur, dum non veris, sed imaginariis, idest temporalibus bonis pro voluntate corrupta ratio ab affectu delinitur.

Vers. 17. *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Saraï vxorem Abram.* * Vers. 18. *Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei: quidnam est quod fecisti mihi? quare non indicasti, quòd vxor tua esset?* * Vers. 19. *Nunc igitur ecce coniunx tua, accipe eam, & vade.* Pharaonem Dominus flagellat, dum quandoque à suarum effectu libidinum torpentem affectum præsentium futurorúmque malorum Deus consideratione exterritat: eius percutit domum, dum temporalis timore vltionis, vel æterni iudicij, perseuerandi in malo

quem proposuerat destruit appetitum; & hoc fit propter vxorem Abram Saraï, scilicet donec voluntas quasi coniugi proprio reddatur rationi: vocat Pharao Abram, quando affectus iam humilis sibi applicat rationem. Cur, inquit, ô intellectualis censura iudicij, voluntatis non cohibuisti lasciuiam, & tibi iure subditam siuisti tam leuiter distrahi à te per ineptæ meæ affectionis fraudulentiam? Pacatis itaque meæ irritationis cunctis incursibus accipe eam, idest forti continentiâ à modo tibi restringe connexam, sed tamen post modum quantocyùs vade, idest in melius proficere stude: Declina à malo, & deinde impiger facito bonum.

Vers. 20. *Præcepitque Pharao super Abram viris, & deduxerunt eum, & vxorem eius, & omnia quæ habebat.* Cap. 13. Vers. 1. *Ascenditque Abram ex Ægypto ipse, & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Loth cum eo ad australem plagam.* Pharao super Abram viris præcipit, cum Dei timore compunctus carnalis appetitus virilibus rationis sensibus auctoritatem propriæ opitulationis adiungit: deducunt eum, & vxorem, & quæ hàbet, cum ad expediendam intellectualitatem, subiungendámque intellectui voluntatem, & residuam animæ bonitatem, quicquid est virium sibi animus exhibet: ascendit Abram cum suis, vxore, & Loth ex Ægypto, cum spiritus noster emigrat à mundi huius desiderio, & voluntate ac affectu suo à pristina declinatione correcto ad australem concedit partem, ad spiritualis scilicet vitæ feruorem. Cant. 4. 16. *Surge*, inquit, *Aquilo, & veni auster.*

Vers. 2. *Erat autem diues valde in possessione argenti, & auri.* Postquam à peccati torpore ad ardentioris studij instituta consurgimus, argento scientiæ ditamur, quia discretionem spirituum, vitiorúmque naturas, humanæ etiam conuersationis varios status tantò altiùs cognoscimus, quantò & hæc aliquando passi, iam nunc Deo iuuante nos euasisse gaudemus auro sapientiæ locupletamur, cum iam Dei contemplatione satiamur, & virtutum seù quorumlibet mysteriorum intelligentiâ perlustramur. Potest & sapientia ad religionis excellentiam, scientia verò accipi secundum Ecclesiastici documenti sagacitatem,

Vers. 3. *Reuersúsque est per iter, quo venerat à meridie in Bethel, vsque ad locum vbi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel, & Haï:* * Vers. 4. *in loco altaris quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini.* A meridie in Bethel venimus, cum à calore benè operantis fidei ad solum domus Dei, quod est Bethel, decorem diligendum, exquirendúmque attingimus: domus autem Dei, aut mens nostra, aut illa intelligitur, in qua multæ esse mansiones perhibentur. Porrò per idem iter, quo venimus, de Ægypto reuertimur, cum per eadem virtutum exercitia, à quibus defluximus in culpam, regredimur in gratiam, scilicet vsque ad locum vbi fixeramus tabernaculum, idest vsque ad sinceræ humilitatis stabilitatem, quæ sanctarum mentium in præsenti locus est, sicut prauarum superbia, vbi spiritualem nos acturos, dum spiritus hos regit artus, spopondimus militiam, in loco altaris, quod inter Bethel, & Haï priùs fecimus, in fide videlicet Christi totum hoc agentes, in quo quasi fundamento spem bonorum nostrorum præmij fixè locauimus, sine qua tanquam altari non offerimus. Hinc Bethel, idest supercœlestis domus Dei contemplatione gaudentes, illinc gaudia Haï, idest tartareæ confusionis intuitu moderantes, sicque nobis nomen Domini, quod est IESVS, idest saluator, inuocantes.

Vers. 5. *Sed & Loth, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula.* * Vers. 6. *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul. Erat quippè substantia eorum multa, & non quibant habitare communiter.* * Vers. 7. *Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Loth.* Loth, idest affectui nostro, quandiu rationi quasi Abram inhæret, greges sunt ouium, numerositas videlicet simplicium ad se, & beneficarum ad alios cogitationum; non enim modò sibi, sed & alijs vellera ferunt oues: sunt armenta, fortia scilicet virtutum opera: adsunt denique tabernacula, dum sciens hîc se non habere manentem ciuitatem, cogitat in hoc sæculo se versari ac si in quadam castrorum militia; sunt namque militantium, vel peregrinantium tabernacula: non potest tamen eos terra capere, vt simul habitent, quia terrenitas, quæ aggrauat animam non patitur intellectualitati irrefragabiliter, ac indiuiduè quãdiu in hac carne agimus appetitum consentire carnalem: Gala. 5. 17. *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Nam substantia, idest motuum, qui menti iure substant, infimorum discrepantia non fert corpus, & spiritum semper in Dei placito sentire communia; hinc ergò fit indesinens inter pastores vtrorumque gregum rixa, dum & cogitatio rationabilis per virtutis pasci cupit studia, aut per sacræ paginæ dicta; carnalis verò temporali saginatur gloriâ: pascunt rationales motus lachrymæ corporales quæque ioculatoria; multa igitur inter vtrosque discordia: Psal. 41. 4. *Fuerunt*, inquit, *mihi lachrymæ meæ panes.*

Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa. * *Dicit ergò Abram ad Loth. Ne quæso sit iurgium inter me, & te,* * Vers. 8.

inter pastores meos, & tuos: fratres enim sumus. A Vers. 9. * *Ecce vniuersa terra coram te: si tu ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Eo tempore quo pastorum intra nos cœlestium scilicet atque terrestrium iurgia conferuntur, Chananæus, atque Pherezæus in nostra terrena affectione versantur: Chananæus interpretatur reuersus est, Pherezæus superans, vel disseminatus: dum enim neque noster appetitus post momentaneam pacem quasi ad solita bella reuertitur, cogitatuum, delectationúmque semina animæ insperguntur, B quibus ipsa multotiens superatur: loquatur itaque Abram ad Loth, ne inquit ratio ad affectum tam contraria exercere ac monere studeas honestati, cum ex vna prodeuntes mente quodammodo nos vinciat germanæ ad inuicem pietas conditionis: & vbi tanta naturæ est vnitas, sibi alterutrum inuidere, subuersionis dolos obtendere, quæ dementiæ extremitas? *Ecce vniuersa terra coram te est*, idest vniuersæ terrenitatis appetitus in promptu est: si tu sinistro[illegible]m per flagitiorum conuexa processeris; virtutum mode- C stiam, quod est dextra, vt dici solet rostro, & vnguibus me defensuram noueris? quòd si de ipsa dexteræ, scilicet virtutis custodia per elationis impetum me tentare delegeris? ego ad sinistram peccatorum à me olim commissorum intuitu cordis pergens, conceptos reflabo tumores aculeo discretionis.

Vers. 10. *Eleuatis itaque Loth oculis vidit omnem circa se regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Deus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradysus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.* Loth oculos erigit, cum carnalis appetitus ex ipsa re- D rum mundialium cupida consideratione superbit: videt non Iordanem, idest descensum eorum scilicet iniquorum, quo per amorem visibilium in inuisibilem labuntur interitum, sed omnem quæ circa est regionem, idest ipsius peccati circumstantiam, sæculi scilicet huius iocunditatem: descensus sanè peccatum est, regio circa descensum, gloria temporalis: hæc vniuersa irrigatur vti paradysus Dei, quia fallax animi cupiditas ad vtendum bonis transitoriis sine vllo criminis incursu confingit sibi inesse gratiam E honestatis, & his, quæ quasi quædam sunt paradysus ob nimiam sui speciem Dei manu consita, licitè mentem, & vsum debere attribui: hæc honestatis fiducia fons ille est, qui in initio huius libri legitur totam terræ superficiem irrigasse: porrò regionem irrigamus, vt potè paradysum Dei, quia mundum nos posse religiosè, continentérque tenere pollicemur, vt potè tam pulchrè satum verbo Dei: sed is qui paradysus à nobis falsò iactatur, processu temporis fit Ægyptus, idest tenebræ, & obduratio cordis, non aliis tamen quàm venientibus in Segor, per animi scilicet fluxum delabentibus in lasciuiam; Segor enim dicitur vitula, vel meridiana; in quibus intelligitur prauus animi æstus, atque petulantia: dúmque de bono, quod non est, confidimus, in vera, quæ nobis insunt, mala corruimus.

Elegitque sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo. Vers. 11. * *Abram verò habitauit in terra* * Vers. 12. *Chanaan: Loth moratus est in oppidis, quæ erant iuxta Iordanem, & habitauit in Sodomis.* * *Homines autem Sodomitæ pessimi erant coram Domino nimis.* * Vers. 13. Hæ totæ igitur, quas prælibauimus, mentis fatuæ præsumptiones fiunt antequam Deus in nobis Gomorrham, idest populi seditionem, quod non est aliud quàm vitiorum turbulentiam subuertat, & Sodomam, cœcitatem videlicet de vitiis orientem: hâc namque vtrâque subersâ mox mundi nobis displicent vniuersa. Recedit Loth ab Oriente, cum post aliquantulæ pacis quietem, quam in primordio conuersionis aliquotiens experimur, Deo bella permittente salubriter nobis insurgere, affectus noster resilit ab ea, cui priùs assenserat, rationis luce: regionem Iordanis eligit, quia per continuos appetituum motus gloriam qua destituatur attendit: aduersus alterutrum diuiduntur, dum contraria spiritui semper à carne quæruntur: Abram habitat in terra Chanaan, dum ratio cum Deo sentiens semper affectat morum quam professa est mutationem: Chanaan enim mutatus dicitur: Loth moratur in oppidis circa Iordanem, quia dum confidit in virtute suæ honestatis, quasi quibusdam fictilibus oppidis paulatim defluente propositi simulachro, ad hoc venit, vt habitet in Sodomis, in conformitate videlicet vitæ sæcularis: Sodoma planè dicitur similitudo eorum, idest malorum, & pessimus coram Domino, idest in interiori homine habitus ipsorum, licet coram hominibus æstimetur aliqua probitas eorum.

Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Loth: leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & ad Meridiem, ad Orientem, & ad Occidentem: omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo in sempiternum, faciámque semen tuum sicut puluerem terræ. Vers. 14 Spiritui nostro vitiorum lenocinio resistenti, spem meliora merendi intimâ Deus allocutione attribuit. Leua, inquit, oculos, ab inferiorum vtique concupiscentia specierum intentiones cogitationum dimoue, & vide, à loco, idest à statu animi in quo nunc agis, Aquilonem tenta-

tionum, quæ torpidam reddunt mentem; Meridiem spiritualis gratiæ, quæ fidei parit in nobis per opera digna calorem; Orientem diuinæ contemplationis, quæ radios subtilium intellectuum recessibus tuæ suggerat mentis; & Occidentem actiuæ procurationis, quæ sicut ortum oriens, ita occubitum suscipiat solis, finem scilicet, perfectionémque charitatis, quæ à diuino amore initium accipit exercendæ ad hominem pietatis. Postquam itaque aquilonem obtinueris, tria sequentia mox habebis, & pariter omnem terram, idest terrenitatem, quâ suspectus ne in eam incurras teneris: * *tibi dabo*, immò *semini tuo*, idest quòd tibi vitia subdam non tuæ naturæ ascribas priuilegio, sed gratiæ meæ, & bonæ actionis, quam per gratiam meam assecutus es, merito, quod est semini tuo; opera enim bona semina sunt nostra, vnde est: *Et semen seruorum eius possidebit eam.*

Vers. 15. *Psal. 68. 37.*

Vers. 16. & 17. *Faciámque semen tuum sicut puluerem terræ.* Puluis cum sit de terra, sine damno terræ à terra tollitur: bona nostra opera cum sint ad omnem ventum mobilia tentationis, sine aliquo Christi, qui terra nostra est, à quo pascimur, & sustinemur damno, vel commodo, & adhæremus illi, & deficimus ab ipso: hoc ergò semen sicut puluerem facit, cum leuitatē nostri totius boni nobis indicat, nisi humore spirituali respergatur, & quia non pro se, sed pro nobis ipsis laborare iubemur: iuxta Euangelium sanè dicere præcipimur, cum bona fecerimus: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus: hoc semen aliquis, etsi puluerem numerat, numerare non præualet, quia etsi instabilitatem quam patitur plenè metitur, tamen odio, vel amore apud Deum propter eadem opera ignorat omninò an dignus habeatur, dum nescit quanti ab ipso pensentur; surge ergò ab omni inertia, terram conscientiæ, & corporis tui circumspiciendo, ac deprimendo perambula, secundum longitudinem perseuerantiæ, & latitudinem charitatis, & sic, Deo dante, quæ vitij quondam erat, fiet nostri ad integrum hîc, & in futuro iuris.

Lucæ 17. 10.

Vers. 18 *Mouens igitur Abram tabernaculum venit, & habitauit in conualle Mambre, quod est in Ebron; ædificauitque ibi altare Domino.* Mouet tabernaculum, cum spiritus noster in procinctu vitiorum positus, ad destinatæ Dei militiæ se promouet exercitium: habitat deinde in conualle Mambre, idest in humilitatis se deprimit vilitate, per quam refloreat ingenij perspicacitate, & exin bonarum, & malarum rerum diuisione. Mambre enim diuisiones, & perspicua sonat: nec immeritò: Nam *superbis Deus resistit*, humilibus gratiam dat, & super humilem, ac quietum spiritus pausat: sed hæc conuallis diuisionum est in Ebron, quod participatio mœroris, aut augmentum sempiternum dicitur: nil enim eorum, quæ prætulimus obtineri potest, nisi omnis terreni gaudij repulsione, & augmenti sempiterni desiderio in regni Dei, & iustitiæ eius quæsitione. Dicitur etiam Ebron visio sempiterna, in quo intelligitur diuina contemplatio, hîc quidem incipiens, sed in futuro perficienda, vbi mentis nostræ altare spiritualibus victimis plenum constabilitur, & coëuntibus omnium Sanctarum artium partibus in modum ædificij ad intelligentiam vsque diuinitatis porrigitur.

Iacob. 4. 6. *Isaiæ 66. 2.*

Capvt XIV.

Vers. 1. *Factum est in tempore illo, vt Amraphel Rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti, & Chodor Lahomor Rex Elamitarum, & Thadal Rex Gentium*, * *inirent bella aduersum Bara Regem Sodomorum, & contra Ersa Regem Gomorrhæ, & contra Sennaab Regem Adamæ, & Semeher Regem Seboïn, & contra Regem Balæ; ipsa est Segor.* * *Omnes hi conuenerunt in vallem syluestrem, quæ nunc est mare salis.* Per hos quatuor, qui aduersus quinque bellum inierunt Reges quatuor principalia mala, delectatio scilicet, consensus, ac operatio, necnon etiam consuetudo à nobis accipitur, quæ aduersus exteriorem appetitum, qui rectè signatur per quinarium, magnâ congressionis mole luctantur: & hoc illo fit tempore, quo Loth in oppida declinauit Sodomæ: per quinarium inquam ea, quæ sensualitati adiacent, figurantur: appetitus namque noster, cùm sit naturaliter bonorum appetens factus, corruptibiliter interiorum negligens exteriora quærit: ab his itaque prædictis regibus ab vsu reficiendæ necessitatis compellitur ad libidines explendæ superfluæ voluptatis. Quinarius etiam ex quaternario constat, & monade, quasi quodam superiori præside, vnde & affectus noster temporalium gloriæ, quæ quaternario figurantur, præstare principali maiestate debet. Est igitur primus Amraphel, qui interpretatur *dixit vt caderet*, quod præcipuè ad delectationem, quasi ad casus deliberationem attinet: Secundus Arioch, qui dicitur ebrius, vel ad solitudinem redigens, in quo accipitur consensus dementia, consilij expers, atque Deo cultore repulso solum sibi hominem relinquens: tertius denique est Chodor Lahomor, qui & ipso nomine quasi decorum manipulum sonat: manipulus fructus est operis: fructus autem praui operis ipsa voluptatum suauitas est: non ergò decorus, sed quasi decorus manipulus est, quia non vera species, sed fallax, & imaginaria dulcedo in talibus operationibus est. Porrò quartus Rex gentium est, quia reprobus sensus ex

Vers. 2. *Vers. 3.*

criminum consuetudine est, & sicut Rex exercitum, ita ipse sibi contrahit omnium flagitiorum cœtum, quasi agmen multarum gentium.

Ineunt isti bellum aduersus nostrum carnalem affectum, ac si flammæ admoueant ventum, sub suo eum imperio attrahentes: primus itaque nostræ defectionis motus quasi quidam Rex non regens, sed deprimens in Sodoma est: Sodoma verò muta dicitur: muta est mens nostra, cum nil dignum ratione respondet ad delectationis ludibria: Gomorrha seditio populi, in quo intra mentis vrbem cogitationum nequam effrænatio tumultuosa notatur. Adama interpretatur cruores: sanguis autem tunc cruor solùm vsu latino dicitur, cum à corpore decurrere videtur: cruores ergò sunt peccata, quæ in opus prauum ex interna seditione procedunt: Seboïm capra, vel dammula, vel statio eius in mari, in quo intelligitur ipse noster affectus, qui cum mutus ex Sodoma, seditiosus ex Gomorrha, fuerit denique transgressor ex Adama, iam quasi capra, quæ arduorum est appetens, spe inani subleuatur ad supera, dehinc in morem dammulæ, quæ pauidum est animal, ne habita perdat, timore descendit ad infera; sicque statio eius fit in mari, dum nunquam à recto animi statu indesinentium impulsu motuum desinit fluctuare: sequitur igitur iam Bale, quæ interpretatur absorbuit, vel præcipitauit; nam his anima ad vitæ destitutionem præcipitata miseriis, quodam obliuionis absorbetur barathro, vt iam vix meminisse velit, in quo sit posita tempestatum salo. Super his itaque omnibus Reges sunt, dum carnis motus cogitationum agmina sibi contrahunt. Reges quatuor aduersus quinque se erigunt, dum prædictæ defectiones animi alias in affectu nostro remissiones, & nequitias, aut etiam easdem ipsas exaggerant, & accendunt. Vnde sequitur: quia omnes hi conuenerunt in vallem syluestrem, idest omnis negligentiæ examina coiërunt in mentem humilem; sed ab excellentia sanctitatis deiectam, & syluatico quodam horrore peccati, multimodâ obscuritate, & incuriâ obtectam: inde fit mare salis, idest ex hoc innascitur animæ, repulsâ Dei sapientiâ, prudentia carnis: sal enim quia hoc loco maris dicitur, astutia accipitur: mare non incongruè sicut sæculum, ita & caro dicitur, quæ semper æstuat desideriis: prudentia autem carnis, quæ ab Apostolo mors vocatur, in solis voluptatibus exercendis, ac exquirendis gloriatur. (Rom. 8. 6.)

(Vers. 4.) *Duodecim annis seruierunt Chodorlahomor: & tertio decimo anno recesserunt ab eo.* Per Chodorlahomor, quem diximus quasi decorum manipulum appellari, voluptatem, quæ fructus totius nequitiæ, & quasi quidam decor est, intelligimus figurari: tria verò quater duodecim faciunt; duodecim itaque annis illi seruimus, cum trinitatem mentis, rationem scilicet, voluntatem, ac memoriam voluptati, quæ in regnis vitiorum præeminet, quasi sub quaternario temporalitatis huius addicimus. Duodecim etiam annis illi seruimus, cum mentis, vt diximus, trinitatem, & corporis quantitatem eidem quâdam annuali perfectione subiicimus: sed tertio decimo ab eo recedimus, cum Deum, qui vnitas est, præsidem, ac rectorem nobis in corpore, ac anima instituimus.

(Vers. 5.) *Igitur anno quarto decimo venit Chodorlahomor, & reges, qui cum eo erant, percusseruntque Raphaim in Astaroth, Carnaim, & Zuzim cum eis, Emim in Saue Cariathaim,* * (Vers. 6.) *& Chorræos in montibus Seir, vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine, & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar.* * (Vers. 7.) *Reuersique sunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades.* Postquam in conualli Mambre Abram figit tabernaculum, dederamus regi nequissimo voluptati repudium; hæc enim præcellit in regibus, quia nil voluptate cordibus hominum dominatur tenaciùs: at animi rursus vt assolet tepescente statu, & denarium diuinæ legis quaternario temporalitatis supponente, memoria voluptatis, delectationis, consensus, consuetudinisque pristinæ accincta suffragiis, percutit Raphaim in Astaroth, idest imbelli sua teneritudine, qua nullis motibus obstat, excitat, & commouet gigantes, quod interpretatur Raphaim, idest superbos dæmones, ad faciendam lapsuræ menti explorationem: Astaroth sanè, faciunt exploratores, dicitur. Percussio autem ista non interemptio est, sed securæ, ac nimiùm de se fidentis animæ concitatio; solent enim vasa percuti, vt muscæ; vel apes inibi quietè considentes suscitentur, vnde & percussum dicitur latus Petri in carcere: post explorationem ergò infirmæ mentis, quæ ad omnem memoriam ad vitia concalescit, percutitur, idest mouetur Carnaim, quod est cornua, in quibus signatur repugnandi contra memoriæ suggestionem confidentia: solent nempè securè aliqui in cogitatu delectari, de suis fisi viribus, quod prauo possint operi reluctari.

Percutiuntur ergò cornua, dum ad delectationis venenum dulciter hauriendum fallax permittitur ad effectum sceleris repugnantia: cornibus enim se defendunt animalia: sed Zuzim, qui & Zomzommim aliàs dicuntur, cum eis pariter excitantur; vitiosa

enim cum sit nostra natura, vitiorum semina in se portat, & hæc ipsa, donec excitet vis tentationis, se pati ignorat: Zomzommim autem dictio integra, Zuzim verò per concisionem est dicta; Zomzommim itaque dicitur, quæ est hæc aqua, vel præparati in acie: dum namque cornua, idest fortitudinem repugnandi contra praua opera mens fallaciter erigit, & primæ delectationis mollitiem leuiter ducit, repentè concrescentibus cogitatuum corporaliúmque motuum ventis, quasi quædam glaciei duritia admoto igne resoluitur, & dicere apud se iam relapsus ab illo tanto robore cogitur, quæ est hæc aqua, idest vnde mihi ex insperato tot támque fluxa desideria? Cum proprios enim motus sub suo habere se putaret iure, subitò attendit contra se præparatos in acie. Emim etiam in Sabe commouentur, dum horrenda quælibet non modò naturalia mala à captiua mente iam proponuntur: Sabe captiua interpretatur, vel vepres: vepres autem desideriorum, quæ nos lacerant, carnalium multiplicitas sunt: in emendatioribus non Sabe, sed Saue, vel etiam Sauhe habetur, quod dignè vel eleuatio interpretatur, sonans vtique, quòd dignè hos incursus propter elationem suam anima patiatur: non solùm verò in vepribus, idest in corporeis motibus, sed etiam in Cariathaim, quod est in ciuitate syluarum, quo signatur inculta, & obsessa prauitatibus mens, horribilitas nequitiarum excitatur: Chorræi etiam in montibus Seir isto certamine irritantur, quia sensus exteriores, quos Chorræi significant, in altitudines superbiæ de exuberantiis perpetratarum libidinum gloriosè extolluntur: Chorræi nempè de foraminibus interpretantur, & corpus nostrum sensibus suis, vti quibusdam aperturis foraminum, rerumforensium tactibus permeatur.

Seir verò hircus dicitur, in quo fœtor luxuriæ accipitur: vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine, ab iisdem regibus itur, quia ipsa tumoris eorum rabies, qua de suis malefactis gloriantur, sub rediuiua flagitiorum quorumlibet ferocitate, reflexa consternitur in campi morem, & quicquid diuinæ memoriæ in mente resederat, redit in solitudinis horrorem: in solitudine planè est, quisquis sine Deo habitatore est: Pharan verò interpretatur ferocitas eorum, haud dubium, quin vitiorum, quæ mentium munitiones campestri quadam infirmitate compellant. Reuertuntur ad fontem Masphat, quod est contemplationis, ex quo haurimus rorem totius diuinæ, & humanæ rationis; fons enim noster, ad quem recurrimus, & ex quo sensualitatem nostram ad carnalia deficientem, quasi fatiscentes agros perfundimus, ratio est: Masphat autem contemplationem, vel iudicium sonat; ratio enim iudicat omnia, quia spiritus est, & à nemine iudicatur. Postquam igitur exterioris hominis per quælibet improbitatum genera membra corruperint, rationem, quæ sola superstes plerumque miseriam suam videt, & ingemit, extinguere appetunt, ne ipsa mala pensando doleat quæ sibi insunt: Occisis namque filiis, Sedechiæ oculi eruuntur: ipsa quoque ratio est Cades: Cades verò Sancta, vel mutata interpretatur; quæ enim Sancta fuerat, carnali appetitui resistendo, & à Loth diuortium faciendo, veræ perspicuitatis, idest contemplationis adempto sibi lumine commutata, regum pessimorum, qui post criminum reuolutionem ad hanc redeunt obsidendam, substituit ad tempus arbitrio. Percutiunt omnem terram Amalechitarum, quia affectum, voluntatem, intellectum, sensualitatémque Dei inimicorum iuxta Psalmistam terram lingentium non solùm ad cupienda, sed etiam adulationibus ad lambenda sæculi huius commoda irritant, & accendunt. Amalech etenim populus lingens dicitur, eos significans, qui quod vi nequeunt, hypocrisi, linguaque blandimento præripiunt.

Psal. 71. 9.

Percutitur etiam Amorrhæus, qui habitabat in Asasonthamar, idest excitatur inanis gloria Deum absque dubio amaricans, quia perseueranter obtinere se simulat vitiorum quorumque præsidia, indesinenti potiundo victoria: Amorrhæus dicitur amaricans: Asasonthamar autem vrbs palmarum, in palmis quoque victoriæ figurantur; honorem itaque Deo debitum de peccati victoria, cum sibi fallaciter mens arrogat, quadam idololatriæ, ac sacrilegij profanitate Deum amaricat, & dum aliquibus vitiis, à quibus ad horam minus impetitur, carere se simulat, de vrbica quadam munitione sui, & victoria glorians peccati, quasi Rex sese inhabitat; non enim omnia nos pariter vitia pulsant, sed cum nos malo capitali constringimur, ab aliis interim feriati, ipsorum quasi victores esse videmur, quibus tamen, cum causa redierit, promptâ mox voluntate subiicimur; hæc igitur tota, etsi non simul animo eius, qui tentatur, se ingerunt, tamen pedetentim per tentationis moras, delectando, consentiendo, agendo, visitando erumpere consueuerunt. Quinque ergò reges egrediuntur, & dirigunt contra quatuor aciem in valle syluestri, dum affectus noster, qui æternis debet intendere, quaternitatis, idest temporalitatis suæ motibus constipatus, delectari cogitando, ac videndo ista vult quidem, sed contra actum ipsius peccati quasi ad resistendum præparat rationis aciem, dum

dum sibi etiam ipsi nomine necessitatis leuigat rerum corporalium delectationem, quas tamen diligit non tam ad vsum, quàm ad libidinem: quatuor verò aduersus quinque consurgunt, dum id quod sub specie Dei creaturæ religiosè videbatur amari, spurcissimè hominem ostenditur delectari, vnde contingat in prauitatis consensum labi, & ab effectu in consuetudinem volui, sicque paulatim affectum cum his à quibus regitur animi torporibus, prædictis malorum suborientium gradibus inclinari.

Vers. 10. *Vallis autem syluestris habebat puteos multos bituminis.* Vallis non est aliud quàm ad ima demersio mentis, syluestris, incuria cogitationis, quæ in profundo cum ruerit criminum, bitumen inextricabilis inueniet obligationis; *qui* enim *facit peccatum, seruus est peccati*; Spiritus namque vadens per se, sed per se non rediens sumus: ex nobis habemus cadere, & ex solo Deo resurgere. *Itaque Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ terga verterunt; cecideruntque ibi; & qui remanserant ad montem.* Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ terga vertunt, cum conscientia ad peccati suggestionem imbellis, & muta, & quadam populari nequam carnalitatis suæ motuum seditione plena, quasi vna duobus acta regibus prouincia, auersa rationalitatis quam proposuerat acie, pessimæ patientiæ terga vertit, & clamantibus vitiis incuruare vt transeamus, totius rigorem inflectit rectitudinis, & incidunt puteos bituminis. Qui verò remanent ad montem fugiunt, quia dum cogitationes nostræ lapsus sui discrimen aspiciunt, ab his, in quibus labi deinceps possunt, priori casu correctæ ad virtutis desideria profugiunt.

Ioan. 8. 34.

Vers. 11. *Tulerunt omnem substantiam Sodomæ, & Gomorrhæ, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt:* * *necnon & Loth, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.* Ab anima pecualiter silenti, hoc enim Sodoma sonat, & secundum Gomorrhæ sensum constitutæ in turbulentia peccati substantia tollitur, cùm post ruinam fundamentum etiam bonæ voluntatis, & affectus pœnitendi adimitur. Vniuersa quæ ad cibum pertinent auferuntur, quando totius sacræ Scripturæ consilia, quibus reficimur, à mente tolluntur: postquam hæc fecerint, abeunt, quia sibi subdita prorsus infœlici anima, vt potè obedientem dæmones impugnare desistunt. Vnde autem Sodomæ restet pœnitudinis gerendæ substantia, cum Loth, idest affectus noster à bonis declinando distractus non habeat, cui bonæ voluntati innitatur, quæ sibi in modum nauiculæ substet, in quo ipse subsidat. Vnde sub cuiuspiam voce lapsi dicitur: *Infixus sum in limo, profundi, & non est substantia*: frater verò, cuius filius Loth est, corpus nostrum est, quod spitui nostro scilicet Abram mirâ germanitate connexum, carnalem in anima imprimendo à foris generat affectum, qui versatur in Sodomis, quia perseuerat si sibi liceat in negligentiis.

* Vers. 12.

Vers. 13. *Et ecce vnus qui euaserat nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi, fratris Eschol, & fratris Aner; hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* Vnus qui euadit Abram Hebræo nuntiat, quia memoria perpetrati facinoris, quæ sola interim non potuit, rationi se cum mordaci acerbitate ingerens, & sua conscientiæ malefacta proponens, suadet, vt transeat, idest Hebræi, qui interpretatur, transiens à vitiis, recedendo nomen impleat, qui quondam in conualle Mambre, idest humilitate discretionis matre commorari solebat, quæ conuallis Mambre Amorrhæi est, fratris Eschol, & fratris Aner, quia humilitas, quæ nos inter bonum, malúmque perspicaciter diuidere facit, amaricationis, & pœnitentiæ vt iam sit necesse est, qui pœnitudinis motus igneam quandam animi puritatem naturali germanitate sibi contrahit, vnde & altera quasi necessitudine mox fratris, idest affectus corporalis lucerna fiat. Amorrhęus enim amaricans, Eschol ignis omnis, Aner lucerna dicitur: ab amaritudine profectò pœnitentię peruenitur ad integrum feruorem puritatémque animæ, quæ obtinetur appetitui restricto sub ducatu rationis luciferæ; cum his namque sanctæ statibus mentis pepigeramus fœdus in initio quondam conuersionis, dum profiteremur tenorem religionis inter aquas baptismatis, ibi lampada accepimus, & mysterium candidæ vestis.

Vers. 14. *Quod cum audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos trecentos decem, & octo, & persecutus est eos vsque Dan.* * *Et diuisis socijs irruit super eos nocte, percussit eos, & persecutus est vsque* * *Soba, quæ est ad læuam Damasci, & vsque Fenicem.* * *Reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum cum substãtia illius, mulieres quoque, & populum.* Audit Abram captum Loth fratrem, cum spiritus noster multis malorum illecebris irretitus captiuam intelligit trahi in voragines colluuionum affectionem: per trecentos ob ternarium, atque centenarium perfectum accipimus trinitatis amorem: per denarium Dei mandatorum custodiam: per octonarium de beatæ resurrectionis remuneratione, quæ nos ad benè agendum roborat, spem; his ergò adminiculantibus quasi indigenis animæ nostræ vernaculis, ab omni vitiorum debito expeditis, persequimur ea quibus quondam obnoxij fuimus peccata, vsque Dan, idest iudicium, vsque ad dignum scilicet

* Vers. 15. * al. Hoba. * Vers. 16.

pœnitentiæ, quo peccata vlciscimur fructum; *Si enim nosmetipsos dijudicaremus*, Apostolus ait, *non vtique iudicaremur*: diuidimus socios, & irruimus super eos nocte, cum bona quæ agimus sicut rectè offerimus, ita rectè diuidimus; hæc enim quasi commanipulares habemus, & super ea quæ nos oppresserunt vitia per confessionem peccati opprimenda, quasi per agnitionem noctis nostræ irruimus: ea percutimus, cum regnandi eis in nobis vires debilitando adimimus, & vsque Soba persequimur, cum in ipsis bonis actionibus spem laudis transitoriæ nobis resecamus; Soba etenim secta dicitur à secando. Nemo sanè à malis abstinet, nisi ipsius etiam abstinentiæ typum, cum emerserit, resecet; hæc est scilicet Soba ad læuam Damasci, quia etsi fauoribus Sanctorum vita ab aliquibus tollitur, sunt tamen plures, quibus est oculus sanguinis, idest intentio peccati, & pios quosque ad læuam habent, idest aduersitatibus vrgent: Damascus autem oculus sanguinis dicitur; secta itaque sit à cupiditate fauoris. Nam cum laudari viri sancti incipiunt, nequam homines exinde ad inuidiam exardescunt: fiat quoque resectio erga hos ab omni surreptione rancoris. Soba etiam interpretatur mandatum; ad læuam ergò Damasci est Soba, quando principale charitatis mandatum extenditur vsq; ad diligendos eos, qui irrogant aduersa, huc vsque enim persequenda sunt vitia: vsque Phœnicem deinceps agenda sunt, idest vsque ad passionum omnium, quæ ex carnis corruptione nascuntur subactionem. Per Phœnicem quæ rubros gignit populos, & à rubore nomen accepit, corporis intelligimus desideria, quę ex sanguine oriuntur, vnde & color ille sanguineus, qui vermiculus dicitur, Phœnicium à plerisque vocatur: ita Loth reducitur, idest affectus noster cum spirituali substantia, necnon & populus cogitationum, & mulieres desideriorum fluidorum ad rationis imperium rediguntur.

1. Cor. 11. 13.

Vers. 17. *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor, & Regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis Regis.* Postquam Chodorlahomor, idest voluptatis motum cum suis complicibus, qui ex carne spiritúque prodeunt euicerimus, cum de bello reuersi fuerimus ad nostræ examinationis portam, occurrit Rex Sodomorum, idest pecuale quoddam silentium, suggestio scilicet securitatis pro victoria vitiorum; suadet enim vt sileat à ieiuniis, vigiliis, & animi custodia remissiùs iam quasi victor agat, idest vt iterum pecualiter muta contra peccati iurgium conscientia nostra viuat; Sodoma namque pecus silens dicitur; & hoc totum facit, vt in deiectione mentis, quod per vallem signatur nos detineat, quæ vallis regis est, quæ videlicet pessima, ac putens mentis humilitas rectori diabolo specialiter addicta est. Potest per vallem Saue, quod est eleuatio, superbia accipi, quæ cum in seipsa destituatur, regis est; quia diabolus filiis superbiæ principatur.

Vers. 18. *At verò Rex Salem Melchisedech proferens panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi,* * *benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cœlum, & terram:* * *& benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt, & dedit ei decimas ex omnibus.* Melchisedech ipse est noster intellectus, qui quia nos iustè regit, appellatur interpretando Rex iustus, iuxta quod Samaritanæ dicitur: *Voca virum tuum*: sed quia tepidum nil Deo placet, additur Salē, quod est perfecta, & consummata, vt cū sit Rex iustitiæ ipsi studeat inhærere perfectè. Is Sodomorum Rege remissa, & languida suadente, profert panem diuini eloquij cor hominis confirmantem, & vinum spiritualis gratiæ à mundiali negotio perpetuâ obliuione nos debrians; tale est enim sacerdotium intellectus, vt quicquid sine eo profertur sit friuolum; profert verò panem, & vinum per exhibitionem piorum operum, benedicit Abram, prosperos scilicet effectus suo ipsius merito sibi ipsi obtinet gratiam: per Melchisedech enim venitur ad Abram, licet in vnum coëant, quia per regnum iustitiæ venitur ad excellentiam vitæ: proficiat, inquit, rationalitas diuinæ celsitudini contuendæ, quæ creauit in ipsa cœlum contemplatiuæ sapientiæ, & terram actualis scientiæ, & multiplex potentiæ Dei sublimitas laudetur, qui vitia, quæ rationi hostiliter præerant, iuri ipsius defringenda resubdidit: hæc non tam verbo, quàm realiter dicta sunt. Dat Abram decimas Melchisedech ex omnibus, cum ipse intellectus sibi ipsi plenitudinem remunerationis acquirit, in nullo tepidè agēdo ex his, quæ superauit, omnibus; nec mirum sit cuique nos idem per Melchisedech quod per Abram voluisse accipere, cum innumera talia reperiantur in Scripturis, præsertim cum etymologia nominū arrideat loco, & Sodomæ regi præmisso, quod in Apocalypsi similiter agi constat per angelos, idem vno in loco significantes, quo contra eadem diuersum signant, vt est: *Regnabunt*, inquit, *Sancti cum Christo mille annis.* Et sub alio statim sensu: *Postquam*, ait, *consummati fuerint mille anni, soluetur Sathanas.*

* Vers. 19. *Vers. 20. Ioan. 4. 16. Apoc. 20. 6.

Vers. 21. *Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram: da mihi animas, cætera tolle tibi.* * *Qui respondit ei: Leuo*, ait, *manum meam*, opera mea referens ad Deum non pro temporalibus, sed propter ipsum excelsè attingendum, qui cœlum rationalitatis, terrámque affectualitatis meæ interiùs aspirata possidet, quod à filo subtegminis,

* Vers. 21. 22. 23.

opera ne effluant solidata constringimus: *Ne*, inquit, *dicas: ego ditaui Abram*, ne scilicet ex aliqua hypocrisis admissione, qua potissimnm vitiatur intentio, induxisse te mihi gaudeas spiritus opulentiam, idest de peccati victoria superbiam: excipiuntur quæ iuuenes comedunt, quia extra mercedis spem esse timendum est cuique, quod titillationes præsumptionis, aut lætitiæ de bono prouentu surripientis, sibi aliquotiens latenter abripiunt: iuuentus sanè pro superbia, & fatuitate poni solet: *Aner* autem, *&* *Eschol*, *&* *Mambre*, qui nobiscum veniunt, partes habent, quia inter bona, quæ ex Deo accepimus, ex parte nostra quædam improba admiscemus; partem ergò nostri accipiunt, cum piæ nostræ mentes sua in se additamenta puniunt. Cum bona ex Deo sint, partes humanæ admixtionis igne, & lumine diuino lustrati accipimus, idest forti continentia corripimus; quicquid enim ex parte nostra est, peccatum est.

Vers. 24.

Explicit Liber quartus.

INCIPIT LIBER QVINTVS MORALIVM IN GENESIM.

SCio quosdam non æquis oculis ea quæ dictamus attendere, & de rerum nouarum molitionibus coargutos, ad vitium quæ piè gerimus intorquendo, nos etsi latenter tamen mordacibus susurris impetere. Nouum planè est quod cudimus, in nullo dissoni à veteribus, aut fide, aut sensibus, quia secundum noui mandati charitatem agimus, & si ab aliquibus rodimur, cum his quos veteres, & antiquos vocitant, æquanimiter rodi nos patimur: Idem profectò suis tolerauère temporibus, vnde & nos scientes iuxta Apostolum eandem passionum tolerantiam ei, quæ in mundo est, nostræ fraternitati fieri, ex Deo tutiores cœpta prosequimur.

2. Cor. 1. 6.

CAPVT XV.

Vers. 1.

F*Actus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Postquam paternè internam familiam, cogitationes scilicet suas non timore seruili religiosus quisque regere cœperit, excelsus iure dicitur, qui ad benè agendum non terreno damno, aut commodo, aut etiam gehenna, sed cœlesti præmio ducitur: isti ergò postquam temporalia, quæ quatuor signantur Regibus contra quinque nostros sensus alios videlicet Reges bellantia percusserit, & decimas, idest victoriæ perfectionem Regi pacis Melchisedech, non sibi attribuerit, huic inquam patri verè excelso, per visionem, idest corde vigilanti, sed corpore à curis forensibus consopito inspirat Deus; Abram enim dicitur pater excelsus. Noli timere, inquit, quia tuus in omni ero tentatione protector, ne labaris, & magna merces in præmij largitione reponitur tibi. *Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi?* Quid præmij mihi polliceris, qui causas præmiorum bona scilicet opera negas mihi? Sancti viri quò magis se attendunt, eò se in suis actibus vilipendunt. *Ego vadam absque liberis*, idest nulla herili stabilitate mens mea consistit, sed seruili euagatione discurrit, nec ad libertatem iustitiæ, seù regni liberos procreat, sed ad iugum diaboli, ac sæculi opera, quæ sunt filij seruitura propagat.

Vers. 2.

Filius procuratoris mei iste Damascus Eliezer hæres meus erit, vernaculus meus: * *mihi autem semen non dedisti.* Procurator dicitur, quòd porrò curet, idest exteriùs, cùm Domino attineat grandia quæque curare interiùs; appetitus ergò carnis, qui exteriora procurat & filius eius opus eius est, qui hæreditatem nostram præmia scilicet quæ meremur absportat: illius opes absumptæ per filium procuratoris, idest per opera appetitus fuerant, cui dictum est: *Recepisti bona in vita tua*; Damascus namque sanguinem bibens, vel sanguinis oculus dicitur. Iste est, quem Dominus sinistram vocat, à quo cauere iubetur dextera, qui bibit iniquitatem, idest sanguinem quasi aquam, & oculum, idest intentionem habet ad peccata procliuem: Eliezer autem Deus meus adiutor, non quod Damascus in adiutorio altissimi commoretur, vt in anima saluetur, sed quod

* Vers. 3.

Lucæ 16. 25.

Matt. 6. 3.

Deum adiutorem in solis sibi corporalibus deprecetur, vnde est: *Oratio eius fiat in peccatum*, idest oret pro temporalibus solùm; Et: *Confitebitur tibi, cum benè feceris ei.* Vernaculus quippè est, non domum expetens manentem, sed quantulamcumque temporaliter mercedem, nec Dominum, sed Domini munusculum amat; mihi autem non dedisti semen, quia carnali meo appetitu terram lambente dignam æterna mercede in me non reperio actionem.

Psal. 108. 7. Psal. 48.19.

Vers. 4. *Non erit*, inquit, *Dominus*, *hic hæres tuus*, *sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.* * *Eduxitque eum foras*, *& ait illi: suspice cœlum*, *& numera stellas*, *si potes. Sic erit semen tuum.* Per vterum secretiorem nostri interioris hominis partem, rationalitatem debemus accipere, quam prouocat Dauid, omnia ait interiora mea benedicite Domino; & alibi. *In vita sua proiecit intima sua.* Qui ergò non de sensualitate vaga, sed de interiori, ac superiori nostra essentia intellectualiter emittitur actus, is est hæres noster, si volumus, quia ad ipsum qui origo ipsius est, quodammodo boni, si castè fiat, spectat retributio boni; is enim fructus post mortem restat: educit nos Deus foras, cum speculando facit nos carnis excedere angustias: suspicimus cœlum, cum etsi non peruidemus, aliquantisper tamen scintillamus in Deum: stellas attendimus, cum in ipso positas innumerabilium Sanctorum retributiones pensamus Cœlum autem vocari Deum creber in Psalmis vsus est, vt est: *Cœlum cœli Domino.* In hoc itaque nostra fixa sunt præmia, quæ etsi à nobis procul inde iacentibus putantur, forsitan minima, vti paruissima creduntur, cum maxima sint sydera, nec numerari, nec comprehendi valent quàm sint præcipua: sic erit semen tuum, idest etsi videas ad plenum quantum labores, videre nullo modo poteris in præsenti, quid in futuro recipies. Et vt certò hæc teneas, recole quia ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam. Vr ignis, Chaldæi quasi vbera, quasi feri, quasi dæmones. De igne igitur idest æstu libidinum, quibus Rex Babylonis nostrum contra se decoquebat rigorem, primum quasi vbera suggestionis, demum feritatem delectationis, ad vltimum quasi, idest verè dæmonicam rabiem operis, & consuetudinis inferens, nos Deus eruit, & terram, terrenam scilicet voluntatem nobis excolendam Euangelico aratro iniunxit, & vt cum mitibus in futuro impassibilem eam possideremus, sperare etiam iussit.

* Vers. 5. Psal 102.1. Eccl. 10. 10. Psal. 113. 16. Vers. 7.

Vers. 8. *At ille: Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?* Hoc est, vnde spem nunc habere queam, quòd cum mitibus possideam in futuro terram? * *Et Dominus: sume*, inquit, *mihi vaccam triennem*, *& capram trimam*, *& arietem annorum trium*, *turturem quoque*, *& columbam.* * *Qui tollens vniuersa*, *hæc diuisit per medium*, *& vtrasque partes altrinsecus*, *& contra se posuit: aues autem non diuisit.* Per vaccam, quæ graue est animal, sensualitas, quæ aggrauata nunquam aut vix leuatur ab imis: per capram quæ arduorum est appetens, & perspicax, atque calidæ naturæ, quod secundum physicam sapientibus attinet intellectualitas: per arietem, qui ceruicosum est animal, imaginatio carnalis accipitur, quia cornibus superbiæ spiritui reluctatur: potest & per arietem ratio, quæ dux est, & præuia nostri, per vaccam voluntas, quæ inter rationem posita, & appetitum carnis, nisi ratione frœnetur, seductibilis admodum vaccæ est: per capram obscœnum animal appetitus nequam; hęc & in bonum, & in malum ferri queunt, quia & ratio spiritualis contra humanam diuiditur, & appetitus, ac voluntas boni contra mala feruntur. Quid autem inter voluntatem, & affectum distet, in tractatu secundo diximus. Trium autem annorum esse iubentur, vt Trinitatis amore imbuantur, aut oratione, atque operatione, & tertia, quæ duo ista instruat, lectione perfectè firmentur. Per turturem, qui egregius magis est, Dei dilectio, quæ contemplatiuos facit. Per columbam, quæ gregaria est, dilectio proximi, quæ & actiuos nutrit. Natura igitur nostra peccandi necessitate corrupta, aduersum se necessariò in tribus prædictis diuiditur, virtutes verò hæ, & in se naturaliter eædem sunt, & nos etiam vniunt; caro enim concupiscit in spiritum, & spiritus in carnem: Spiritus autem Dei qui amor est, & in se indisiunctus est, nósque sibi subiungit.

* Vers. 9. * Vers. 10. Gala. 5. 17.

Descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram. Dæmones qui, quia in alta superbienbo feruntur, volucres vocantur, consternantur super mortificatione nostra, quę nunquam meliùs fit quàm diuisione illa, nec tamen irritare desinunt, sed Abram abigente diffugiunt. Sed notandum in pręmissis verbis quòd dicitur, *sume mihi.* Qui in suis siue externis, seù internis motibus laxus & fluidus est, hos opus est sumat, idest correctos potestate contineat, sed non pro fauore vulgi, at Deo, idest ad honorem Dei. *Cúmque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Sol occumbit, cum iustitiæ feruor in corde Sanctorum ad tempus Deo dispensante tepescit: sopor super eos irruit, cum inopinata repentè segnities animi oculos à sui ipsius prouidentia aliquantisper occludit:

Vers. 11. Vers. 12.

horror magnus, & tenebroſus inuadit, cum comes inertiæ tentationis inſolentia ſtatum cordis concutit, & quadam caligine conſilij penè lumen extinguit, quia quorſum diuertere debeat non inuenit, & dicitur ei.

Verſ. 13. *Scito præno ſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti quadringentis annis.* * Verſ. 14. *Verumtamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo, & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia.* Scintilla igitur rationis cœlitùs illuſtratæ ſuggerit, quòd bona ſua opera extraneum quid, & valde peregrinum paſſura ſint in colluctationum moleſtiis, dum accedenti ad Deo ſeruiendum cor ad tentationem parandum eſt, (Eccl. 2. 1.) & eorum in futuro differri mercedem; porta enim ferrea duxit Petrum ad ciuitatem: in (Act. 12. 10.) terra itaque non ſua ferant, vt in terra ſua duplicia poſſideant. Subiicimur hîc ſeruituti, dum corpori noſtro velimus nolimus ſumus tributarij, & conſtringimur neceſſitate peccandi, affligimur quadringentis annis, omni excurſu ſcilicet præſentis temporis, quod conſtat quatuor quaternitatibus notis; quatuor enim venti, quatuor climata, quatuor elementa, quatuor etiam motus, de quibus ſæpè agimus, inſunt homini: attamen gentem, cuius iugo deprimimur, id eſt vitia Deus iudicat, dum potenti ea in nobis ratione diſcernit, & temperat: ſed dum æquanimiter aliquandiu patimur, cum magnis patientiæ copiis quaſi aurum de camino ad coronam egredimur.

Verſ. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona.* * Verſ. 16. *Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque ad præſens tempus.* At antequam egrediamur, ad patres noſtros imus, dum eorum, quorum miramur exempla præiſſe, conferimus nos merito, & in pace vitiorum iam ſtatuti, & præſumptione iuuenili depoſitâ, noſtram humiliter vetuſtatem confeſſi ſepelimur, à ſæcularium ſcilicet turbidine negotiorum intra mentis antra recondimur: egredimur corporis morte ad præmia, ſed huc, id eſt ad terram, quæ promittitur poſſidenda, reuertimur generatione quartâ, quod eſt reſurrectione vltimâ; primò namque generamur ex carne, ſecundò ex baptiſmate, tertiò tranſitu ad requiem animæ, quartò corporis reſurrectione: ſed ſi animabus primam ſtolam iam habentibus differtur altera, patienter ſuſtineant, ſcientes nondum completas Amorrhæorum, id eſt amaricantium ſuis nequitiis Deum iniquitates, & hi bonis, quorum numerus expectatur, ita neceſſarij ſunt, vt ignis auro, & purgatis ad plenum per ipſos iuſtis ſiſtentur puniendi iudicio.

Verſ. 18. *In die illo pepigit Dominus cum Abram fœdus, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vſque ad fluuium magnum Eufratem,* * Verſ. 19. *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos,* * Verſ. 20. *Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque,* * Verſ. 21. *& Amorrhæos, & Chananæos, Gergeſæos, & Iebuſæos.* Cum ſol igitur diuinæ, vt diximus, compunctioni ad horam abeſſet, apparet clibanus fumans, id eſt æſtus interior tentationis aciem mentis obnubilans, & lampas ignis tranſiens, diuinæ videlicet rationis radius, ſed tranſeunter illuſtrans, & diuiſionem inter lucem, & tenebras ſubtiliter docens, & ad tempus deſerendo quòd ex ſe ſit homo ſalubriter intimans; in hoc die, in hac ſcilicet lampadis luce fœdus Deus nobiſcum paciſcitur, dum ex ſui perſeuerantia amoris ſpem nobis in conflictu victoriæ aſpirando pollicetur: ſemini noſtro, non nobis vtique ſterilibus daturū hanc terram, hos profectò quos patimur terrenos motus, id eſt propter bona noſtra opera ſenos nobis ſubditurum, à fluuio Ægypti, quod eſt ſcientia, quâ res Ægyptias, ſæculares videlicet diſcutere nouimus, incipient, & ad fluuium magnum Eufratem, ſapientiam ſcilicet, quâ diuina contemplamur inducens, qui interpretatur creſcens, nam de ſpeculatione proficit in rem: motus autem decem inſeruntur, per hunc numerum ſummam vniuerſalem figurando vitiorum. Cum ei dicuntur poſſidētes ad caput malorum auaritiam pertinet, Cenezęi, Zelotypi, & hoc ad filiam eius inuidiā: Cedmon, antiqua triſtitia; hæc enim duo ſunt, quæ antiquum in primis parentibus nobis inflixere mœrorem; inuidentia nempè diaboli per auaritiam ruerunt: Hethæi ſtupentes; ſequitur enim hęc reprobi ſenſus ſtoliditas: Pherezæi, ſuperantes, vel diſſeminati, ſcilicet turpes vbique iam motus, & illiciti: Raphaim, gygantes; hæc eſt ſuperbia, cum de criminum quaſi proſperis euentibus creſcit peccatoris audacia: Amorrhæi, amaricantes, nam talibus amaricatur Deus; Chananæi, erubeſcentes, vel negotiatores; nam his imbuti erubeſcunt de pœnitentia cogitare, vt potè quibus in exercendis vitiis diabolus dignoſcitur otia negare; negotium enim dicitur, quia neget otium: Gergeſæi, colonum eiicientes, ſeipſos ſanè primùm, & ideò alios ab inhabitatione ſuperna ad quam vocati ſunt eiicientes: Iebuſæi ergò ad vltimum dicuntur calcati, in illo videlicet lacu, qui calcabitur iuxta Apocalypſim extra ciuitatem, vbi (Apoc. 14. 20.) paſſuri ſunt æternæ damnationis preſſuram.

CAPVT XVI.

Verſ. 1. IGitur *Saraï vxor Abram non genuerat liberos, ſed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,* * Verſ. 2. *dixit marito ſuo: Ecce concluſit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ex illa ſuſcipiam liberos.* Duas eſſe in homine voluntates, vnam carnalem, ſpiritua-

lem alteram expertò nouimus. Saraï autem dicitur princeps mea: & voluntas nostra si reginæ innitatur rationi, princeps eius efficitur; hæc ergò iuncta Abram, idest spiritui, & cœlesti fœcundata semine, dignos libertate, vt potè quos veritas liberauit, liberos procreat; Sed animo in feruore tentationum à dulcedine superni peregrinante affectus, torpida iam voluntas dum videt ad votum sibi diuina non suppetere, quodammodo sic loquitur rationi suæ: Deus, inquit, munus gratiæ ad benè agendum mihi subtraxit, & dum ad spiritualia non præualeam, quæ ratio est, vt à sæculari etiam honesta aliqua actione cessare debeam: si itaque interna non potes, quia nonuult Deus, saltem vtile aliquid exterius administra, vnde iuuetur proximus, ne à fructu inueniaris omninò vacuus. Hæc est Ægyptia ancilla, sæcularis vtique cura, quæ Agar dicitur, idest aduena, quæ non in sanctis mentibus indigena est, sed aduentitia, procaciter se ingerens, non gratè suscepta.

*Vers. 3. *Cùmque ille acquiesceret deprecanti, * tulit Agar Ægyptiam ancillam post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan, & dedit eam viro suo uxorem.* *Vers. 4. * *Qui ingressus est ad eam: at illa concepisse se videns, despexit Dominam suam.* Multi cum ea quæ prætulimus sibi dicunt gratantiùs se diuinis officiis instituros inter agendas sæculi res sibi ipsis promittunt: post decem ergò annos accipitur Agar, quia transgresso diuinæ legis imperio, postquam in terra Chanaan, in soliditate videlicet morum mutationis conuersari deuouerant, totæ rationis vires in ingressu ancillæ, idest in experientia mundialis concupiscentiæ sese debilitant; Chanaan enim mutatum sonat, & terram, quia stabile elementum est, pro soliditate poni constat: quasi vxor ergò asciscitur, dum menti tenaciter agglutinatur, ast vbi aliqua cupiditate fœtatur, quia vtrumque fieri non potest, & Deo seruire, & sæculo incumbere voluntas spiritualis à carnali primò contemnitur.

Vers. 5. *Iniquè, ait Sarai ad Abram, agis contra me: Ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet, iudicet Dominus inter me, & te.* *Vers. 6. * *Cui Abram: Ecce, ait, ancilla tua, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarai fugam iniit.* Ac si pia voluntas proprij meticulosa lapsus rationi inferat: iniquitatis coargui debes, quæ ancillam, quæ meo suberat imperio, quasi quendam intra sinum sub te ambiendam cohibendámque susceperis, vt sic curaret forastica, quatenus intrò non minuereris, & modò ab ea contemptui me haberi non sine probro tuo pateris. Iudicet Dominus, idest discernat, quod est, discernere te faciat, quòd mihi potiùs quàm illi te inhærere conuenerat. Et ratio; si tua, vt asseris, ancilla erat, eam mihi ingerere non debueras; ancilla tui ergò eam tuo subiice, & si rationis vti libet imperio, ipsâ vti ancillâ vtere: affligit itaque eam Sarai, quæ dicitur ideò princeps mea, quia principium sumit omnis vigor rationis ab ipsa, quia crebris restrictionibus, & timoris Dei obiectu coangustat, sed illa fugam init, quia sub auctoritate magistræ tam potentis timendò à petulantia se contrahit.

*Cùmque inuenisset illam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, quæ est in deserto in via Sur, * dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis, & quo vadis? A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio. * Reuertere, ait, ad Dominam tuam, & humiliare sub manu ipsius.* Vers. 7. *Vers. 8. *Vers. 9. Angelus Domini, aut diuina inspiratio est, aut diuini monitio eloquij, quæ nos inueniunt, cum nos in nostra nequitia, cum non quæruntur à nobis, deprehendũt. Iuxta fontem autem aquæ sumus, dum illi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ, inhærere appetimus; qui fons in solitudine reperitur, quia diuinæ profunditas intelligentiæ, non nisi ab his, qui de euagatione forastica redierint ad cor, attingitur: sed solitudo in deserto habetur, quia non nisi cupiditatibus sæculi ad plenum desertis, hęc mentis quies, & vnitas perfectè sentitur; & hoc in via Sur: Sur interpretatur nigredo, vel angustia, vel fortitudo: per nigredinem cognitio peccati, comæ enim sponsæ nigræ quasi coruus: per angustiam commissorum pœnitudo, & deinde contra aduersorum molestias sequitur fortitudo. Dicit ergò Agar, quæ iam hîc interpretaris conuersa, & Sarai iam nosceris principis ancilla, attende quantùm differat inter id vnde venis, sæcularem scilicet excursum, & illud ad quod modò tendis, diuini præsidij confugium: à facie, inquit, idest à consideratione spiritualis voluntatis mihi præsidentis, & diuina mihi iudicia opponentis pertimesco. Reuertere, ait, ad illam, idest à qua immaturo adhuc timore diffugis, ad eius exequenda & amanda præcepta conuertere, & operibus eius in nullo suggruniẽs humiliter quasi manui eius subdita pare. Cant. 5. 11.

Multiplicans, inquit, *multiplicabo semen tuũ, & non numerabitur præ multitudine.* * *Concepisti, & paries filium: vocabisque nomen eius Ismaël, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuã.* * *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum; & è regione cunctorum fratrum suorum figet tabernacula.* Vers. 10. *Vers. 11. *Vers. 12. Si ærumnæ, & conceptus iuxta quod Euæ dictum est, tibi me permittente multiplicantur, ne extimescas, quia accedentibus ad Deum innumerabiles tentationum motus, quæ sunt semina carnis, exurgunt: concepisti ergò spem quarumlibet cupiditatum, sed tibi per confessionem est pariendum, nomẽque filij huius, idest discretio boni primi huius, quod est pœnitentia, Ismaël, idest auditio Dei vocatur, eò

quòd audierit, ideſt audiri fecerit, quod non eſt aliud quàm intelligi afflictionem tuam, ſupernæ ſcilicet indignationis incuſſum tibi à ſpirituali voluntate terrorem. Hic, inquit, primus conuerſionis tuæ ſtatus, homo quidem erit propter aſſiduos carnalium tentationum impulſus, ſed ferus propter viriles earumdem non fœmineâ lentitudine, ſed regiâ quâdam authoritate repulſus, manus eius, potentia vtique contra omnes animi, vel carnis aſſultus, & omnium rurſus eorum in eumdem dirigetur incurſus; & tabernacula, ideſt quandam militiæ deuotionem è regione fratrum ſuorum, motuum videlicet animalium ex eodem mentis gradu, qui vocatur appetitus ſecum progenitorum; ex hoc enim & benè, & malè appetimus: figet, ſcilicet fixâ indictione proponet, vt ſicut deſiderium corporis militat aduerſus Spiritum, ſic Spiritus ſuperequitare contendit idipſum.

Verſ. 13. *Vocauit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus, qui vidiſti me? Profectò hic vidi poſteriora videntis me.* * Verſ. 14. *Proptereà appellauit puteum illum, puteum viuentis, & videntis me: ipſe eſt inter Cades, & Barad.* Nomen Dei vocare eſt, ſecundum id quod introrſum diſcretionem nobis dando loquitur, de eius benignitate quâ nos videt, quia profectò noſtrum in quo eramus errorem nobis inſinuat, congruâ gratiarum actione æſtimare: anteriora Dei, viſio gloriæ eius eſt: In reliquiis enim tuis, ait Pſalmus, præparabis vultus eorum: poſteriora, æterna damnatio; percuſſit namque inimicos ſuos in poſteriora. Hîc ergò, ideſt in noſtri cognitione videmus, ſcilicet intelligimus, quàm triſte eſt quempiam poni dorſum, amittere vtique Dei vultum, cum tam malum ſit viuere quemlibet abſque Dei, & ſui ipſius reſpectu ſecundum prauum animum ſuum. Puteus autem eſt profunda vitæ noſtræ, & inſtantis, & præteritæ cõſideratio, de qua ſępiſſimè hauritur dulciſſimæ compunctionis inundatio: hunc igitur appellamus, quod eſt animaduertendo diſcernimus quandam vitalis intellectus originem, quo & nos ipſos cognoſcimus, eúmqueà quo cognoſcimur; hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcant te, inquit. Cades interpretatur mutata, vel ſancta; Barad benedictio; dum namque hinc ad morum veterum mutationem per quam attingamus ſanctitatem exercemur, & illinc ad conſequendam regni ſuperni benedictionem porrigimur, quaſi in quodam meditullio poſiti hac illácque diſtrahimur, & neutrum adhuc perfectè apprehendimus: ex hoc autem puteo vires ſumimus, vnde ad vtrumque tendamus: dicitur etiam Barad veriùs tranſlatum, grando: quod innuit conſcientiæ concuſſionem, quia mens hinc quidem per mutationem, ſanctitatémque quaſi defenditur, ſed per frequentem peccatorum, & humanitatis incurſionem accuſata, ac ſi quodam hinc inde cogitationum iuxta Apoſtolum accuſantium, aut etiam defendentium grandine moleſtatur.

(Margin: Pſal. 20. 13. — Pſal. 77. 66. — Ioan. 17. 3.)

Verſ. 16. *Octoginta, & ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Iſmaëlem.* Octonarius ex quaternariis conſtans refertur ad temporalia, quorum patimur in noſtris initiis appetitum: Senarius ad bonorum operum quæ agere deſideramus profectum; etſi enim benè exteriùs agere videmur, tamen plerumque grauiter intrò cupiditatum ſtimulis compungimur: Iſmaëlem tunc parimus, quando audiente, ideſt intelligere nos faciente ineptiam noſtram Deo, ad confeſſionem peccati perducimus fluxum carnalis affectus.

TOTVM CAPVT XVII. promiſcuè explicatur.

QVæ ſequuntur à multis etiam tropologicè ſunt tractata doctoribus, & ſunt quæ per ſe ſatis eluceant, ſparſim ergò minùs patentia vſque ad eum locum, vbi, *Apparuit Abrahæ Dominus in cõualle Mambre*, ſunt diſcutienda ſuccinctiùs. Verſ. 1. *Nonaginta nouem annorum eſſe cœperat*, cum ei nomen Deus immutat, quia ad centenarium diuinæ contemplationis, qui transfertur in dexteram, necdum homo interior peruenerat, qui cum pater excelſus, quod eſt Abram, propter quaſdam extrinſecas continentias, quas attigerat, ſibi videretur. *Ambula coram me, & eſto perfectus*, ei dicitur, vt non tam coram hominibus, quàm in interiori, quod eſt coram Deo proficere, & perfici ſtudeas. Cadit ad hæc Abram in faciem, quia qui ſe meriti putabat habere celſitudinem, de interna illicò indignitate reprehenſus ſuam erubeſcit fœditatem, quod eſt in ſcripturis cadere in faciem. Verſ. 4. *Ego*, inquit *ſum*, ideſt eſſentialiter immutabilis, & inde pactum meum tecum, ſi fortis, & ſubſtantiuus contra intima vitia ſis: non ergò te fruſtra iam glorieris excelſum, ſed patrem multarum proculdubiò gentium ſcias te conſtitutum, vt paternâ diſpenſatione regere noueris inteſtinæ inſolentiæ populum. Ponam te in gentibus, quia quo magis proueheris, tantò maiores patieris ſtrepitus, ſed ad hos deprimendos Reges, ideſt motus potentes rationis, qui hæc contineant ex te egredientur. Ero Deus ſeminis tui poſt te, prouiſor ſcilicet tui operis, & remunerator, cum temporaliter eſſe deſieris.

Verſ. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Ille ſanè qui ex quatuor elementis conſtans, corpus proprium ſuperauerit, & temporalia hæc totidem diſterminata nominibus virtutum, ac ſi dierum luce mutauerit, is inquam à prauarum admixtionum incurſibus vſquequaque purgabitur. Nota diſcretionem Apoſtoli in- Philip. 3. 2.

ter concisionem, & circumcisionem, nec illud excedat fœminas Pharaonem iussisse seruari, & masculos interfici, hîc de fœminis taceri, masculos circumcidi: & qui non fuerit de stirpe nostra iubetur circumcidi, quia sunt virtutes, vt ita dicam, plusquã naturales, vt sunt virginitas, & voluntaria mendicitas, quarum prima adeò excellit, vt in carne præter carnem viuere vt verè Angelica dicta sit: horum in superfluis præputia circumquaque cæduntur; iustitiæ enim nostræ quasi pannus menstruatæ in conspectu tuo, dicit Isayas. In carne autem nostra hoc fœdus æternum est, quia in carnali nostro affectu, qui superiùs terra peregrinationis, & Chanaan, quod à statu recto per eum euagamur, & mutabilitati subiicimur, appellatur: tenor continentiæ: qua Deo connectimur, necesse est obseruetur.

Vers. 14. *Masculus, cuius caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo.* Quod est dicere: fortis animus, nec fœmineâ mollitie degener, qui carnales affectus non absciderit, ex nimia suborientium vulgaritate desideriorũ, & propriâ animalitate peribit. Sarai autem idest voluntatem spiritui ac si marito annexam coniugem non vocabis specialiter extrinseci tui actus, quo excelsus tibi videris, & quem pro sæculi honestate exerces, principem meã, sed generaliter, & absolutè principem, totius scilicet piæ actionis magis tamen interioris, quàm exterioris ducẽ; propriè enim sibi principatur, quisquis bona non pro Deo, sed pro aliquo suo honore operans se cohibere videtur. Ex hoc spiritus, & voluntatis coniugio Isaac, spes videlicet superni gaudij nascitur, cui cœlestis multiplicationis illapsu benedicitur.

Vers. 17. Ridet in corde suo Abraham, & in faciem cadit, quia quo magis spiritualiter imbuitur, eò magis de interna sua eruditione gratulatur, & gratulans humiliatur: *Putasne*, inquit, *centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Quòd est recto ordine dicere: an sperabile mihi esse poterit, quòd voluntas etsi adhuc in nonagenario posita denarium perfectionis minus habet: velle enim sibi adiacet, perficere autem non inuenit, ad effectum desiderij ac si ad partum perueniat, & spiritus qui summam iam contemplationis attigit. (Rom. 7.)

Vers. 18. *Vtinam Ismaël viuat coram te.* Sed quid de virtutum excellentia loquor qui Ismaëlem, idest affectum carnalem sibimetipsi non Deo obedire volentem, mori inter vitia adhuc vereor.

Vers. 19. *Sara*, ait Deus, *pariet tibi filium: & constituam pactum meum illi in fœdus æternum.* Non solùm non morietur Ismaël cõcupiscentiis assentiendo, sed Sara, voluntas scilicet ipsa interiùs, exteriùsq; iam principans expuritate conscientiæ spei gaudiosæ fructum concipiet, ex quo amoris æterni soliditatem mens ipsa suscipiet.

Vers. 20. Super Ismaël quoque, quem tu tentationum molibus obrui trepidas, exaudieris: duodecim duces generabit, fidem scilicet Trinitatis cum Euangelici sermonis custodia ducatui suo interiori efficaciâ procreabit; quatuor enim ter, & tria quaterduodecim faciunt: & fides in ternario, mortua est sine operibus, idest sine Euangeliorum, seù quatuor virtutũ principalium quaternario: duodecim duces generat, si Apostolicam doctrinam affectus præcordialiter concipit & affectat.

Vers. 21. *Pactum meum erit ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.* Ad Isaac pactum stabilitur, cum spei nostrę ad amoris incentiuum ęterna Deus prę mia pollicetur: quem Sara tempore isto in anno altero parit, dum voluntas hac ipsa animi temperie, cum scilicet Deus secum rationis illustratione loquitur, & in anno, non modò isto, vbi adhuc decertatur cum vit... per plenitudinem luminosæ actionis, sed in altero, vbi neque strepitibus consopitis perficitur annualis solemnitas sperandarum æternæ beatitudinum contemplationis, spem prosequitur vsque ad exhibitionem & efficientiam digni & idonei operis; non enim est dicenda spes, si hãc vlla non commendat viuæ executionis res.

Vers. 22. Finito sermone ascendit Deus ad Abraham, cùm interdum sese dispensatoriè subtrahendo ostendit humano spiritui nequaquam suo subesse arbitrio diuinę aspirationis gratiam, sed de supernis à patre luminum hanc petẽdam.

Vers. 24. Nonaginta ergò annorum, & nouem Abraham circumciditur, dum ad dexteram diuinæ visionis, & gloriæ etiam in præsenti pręgustandam,

Vers. 25. quæ prælibatio quędam futuri denarij est, oculus spiritus expurgatur. Centenarius namque, vt dictum est, transit in dexteram, quam hîc assequimur aliquando speculantes beatitudinis nostræ Deum summam. Ismaël quatuordecim annorum cicumcisus dicitur, quia carnalis affectus per decalogi obseruantiam, & Euangeliorum custodiam ad puritatis virtutem adducitur.

Vers. 26. & 27. In ipso die mares omnes domus eius circumciduntur, quia in eadem qua hæc Deus menti ratiocinando loquitur aspiratione, quicquid virtutis interius est, quasi palmes, qui fert fructum, vt magis afferat, sedulâ eget emundatione; alienigenæ, & hi qui non sunt de nostra stirpe eadem exponuntur sententia, quòd prę misimus supra, de reliquis tractabimus infra.

CAPVT. XVIII.

Vers. 1. *APparuit autem Dominus Abraham in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei.*

Vers. 2. *Cùmq; eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Postquam Abraham, idest pater videns populum, discernens scilicet turbas cogitationũ, Ismaël, idest sibi non Deo obedientẽ circumcidit affectum, Ismaël enim dicitur obediens sibi, & vernaculos ingenita sibi naturaliter bona, & emptitios, labore quolibet acquisita, & alienigenas, vitia

vndecumque contigua, illa examinans, ista prorsus abscidens, apparet ei Dominus in conualli Manre. Conuallis humilitas est: Manre diuisiones, vel perspicua sonat; in humilitate enim constituti perspicaciter diuidimus, idest discernimus, & quid sumus, & quid agere debeamus. Tabernaculum autem est obsequium, quo Deo militamus: in quo ostium est, quia ibi spes ex hoc egrediendi ad requiem est: in hoc sedemus, quia in hac spe perseueranter quiescimus, nam dormitur inter medios cleros, & sedere perseuerare est, vt illud, *In cathedra pestilentiæ non sedit*: in ipso feruore diei, hoc est in eodem quo circumcisio prædicta acta est mentis spirituali intellectu. Eleuat oculos, cùm ad intellectualia sola contuenda erigit cordis obtutus ab omni infima imaginatione seclusos. Tres viri sibi apparent stantes, cum sensualitas, imaginatio ac intellectualitas ad momentum dum mens tenditur in diuina subsistunt, & propter nos, idest iuxta nos ab externa euagatione cessando, dum Deus ab humili mente persentitur, se deprimunt.

Psal. 67. 14.
Psal. 1. 1.

Quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terra. * *Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum:* * *sed afferam pauxillùm aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore.* Cùm animales habitus nostros superuenienti gratiæ substare conspicimus, in occursum eorum currimus, dum studium nostri liberi arbitrij ad excipiendum quod influit præparamus, & hoc de ostio, de spe scilicet, quâ in superna mens inhiat tabernaculi, idest militiæ nostræ habemus: adorat ergò in terra, humiliatur conditionis vilitate cognita. Si, inquit, oculorum spiritualium scilicet donorum tuorum gratiâ me dignaris, ne momentaneè vt aliquos soles me attingas, sed sic adesto vt immoreris, méque aliquandiu consoleris, afferam pauxillum aquæ, idest elaborabo quippiam compunctioni aptum, & gratiæ, vt vobis ô sensualitas, imaginatio, ac intellectualitas pedes lauentur, mobilitatis videlicet vestræ, qua per terrena labimini peccata mundentur, à quo discursu saltem dum modò suppetit sub arbore quiescite, idest sub Spiritus Sancti, quæ ab æstu vitiorum vos protegat, vósque alat, respirate virtute.

* Vers. 3.
* Vers. 4.

Vers. 5.

Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, posteà transibitis. Iccircò enim declinastis ad seruum vestrum: Fac, inquiunt, *vt locutus es.* Buccellam panis ponimus, cum sacræ scripturæ aliquid, vnde reddatur feruidior, animo ruminandum offerimus, vt inde viuaciùs fortiori factâ ratione Deo vacemus. Posteà transibitis, idest, cùm cordis voto satisfeceritis, ad tempus vt assolet subtrahere oblata poteritis, ideò namque ad seruum vestrum, Deo rigorem vestrum inflectente, declinastis: serui autem nostrorum omnium motuum sumus, quibus tam sedulò obseruandis inseruimus: assentiunt igitur diuinæ rationi.

Vers. 6.
* Vers. 7.

Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram: dixitque ei. Accelera tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. * *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero. Qui festinauit, & coxit illum.* Cum ergò oportunitas, & habitudo animi ad Deo supplicandum arrident, festinet Abraham, quem pater videns populum interpretari diximus, quia paternâ pietate, ac legitimâ potestate populo videt, idest prouidet, festinet inquam spiritualis iste Abraham in tabernaculum ad Saram, quæ iam hîc interpretatur virtus, ascitâ vtique sibi voluntate bonâ sine qua quicquid agimus non est virtus, diuinam aggrediatur militiam, dicâtque ei secundum rerum efficientiam. Sata, inquit similæ tria, purum videlicet exteriorem hominem, puram interioris memoriam, subtilitatem contemplationis denique puram, ad vnam Dei placiti intentionem commisce, & fac panes, nitidos scilicet viuendi institue mores, quos tamen ignis veteris, sed extincti cinere, quod est peccati, in te qnondam regnantis memoriâ, contra insurgentem superbiæ typum preme. Armenta Dei sunt, virtutum quarumque fortium proposita: armenta autem dicuntur ab armis, quia inde antiquitùs arma, loricæ, galeæ, fiebant, & scuta: ad hoc armentum spiritualis quisque Abraham deuotionis celeritate concurrit, & vitulum nouum scilicet, attamen intentionis grauitate maturum, abiectâ sæculari vetustate, atque obstinatione tenerrimum, & sine voluntaria carnalitatis ac negligentiæ admissione optimum arripit principalis cuiuslibet virtutis institutum; Sancti enim licet cunctis videantur florere virtutibus, gratiis tamen quibusdam innituntur specialibus; diuisiones enim gratiarum sunt, prout cuique impertitur spiritus. Hunc damus puero, quando illius noui hominis Christi bonum nostrum examinandum ac si ad veram regulam mancipamus exemplo: qui festinanter coquit, cum quicquid nobis ex nobis accidit duritiæ spiritus sui flamma velocius mollit.

1. Cor. 12. 4.

Vers. 8.
* Vers. 9.
* Vers. 10.

Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis. Ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. * *Cúmque comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua? Ecce,* ait, *in tabernaculo est.* * *Cui dixit: Reuertens*

veniam ad te tempore isto vitâ comite, & habebit filium Sara vxor tua: Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. Butyrum tollimus cum beneficia charitatis aliis impendenda aggredimur: lac sumimus, cum innocenter in nobis ipsis viuimus; Sunt enim qui sibi innoxiè viuunt, sed aliis nihil pietatis impendunt: butyrum autem non solùm esui suaue est, sed & alia impinguat, vnde & obsequium charitatis significat: idem in Propheta sentimus, vbi legitur: *Butyrum, & mel comedet*, & cætera. Cùm igitur boni sumus in nobis, & bonitatem impendimus proximis, tunc rectè vitulum sanctæ cuiuspiam professionis, coctum igne puritatis inferimus: coram eis, ingenio scilicet, memoriâ, & sensibus nostris, vt hæc sibi inuiscerando ac si cibum reficiantur ex his: comedunt ergò, & tantò acriùs de sui status humilitate queruntur: vbi est, aiunt, Sara vxor tua? ac si diceretur: Si tu modò Deum tibi inclaruisse aliquatenus sentire cœpisti, pensa vbi Sara consistat, idest quænam insit firmitas tuæ nuper illuminatæ voluntati; quò enim altiùs reficimur, eò arctiùs quidnam simus contuemur. Ecce, ait, in tabernaculo est, quia se contra vitiorum examina militare, conscientiæ proficere incipientis responsum est; ipsa namque infert, ipsa refert: *Cui dixit.*

Isaiæ 7. 15.

Notandum est quòd cum superiùs dictum sit, quia comederunt, & dixerunt: vbi est Sara? nunc dicitur, quia singulariter dixit: vbi intelligatur nos non absurdè moraliter aliud accepisse Dominum apparentem, aliud tres viros stantes,

Dixit ergò Dominus: prima Dei apparitio homini in conuersione. Qui tamen à nobis non nos deserens vsquequaque digreditur, dum per experientiam nostri, peccatíque victoriam nos erudit, túncque ad nos gloriâ opulentiore reuertitur: ne itaque de suo imbecilli statu interior homo quæratur, si vita comes fuerit, idest si in vitæ proposito perseuerauerit, & tempus idem, idest temperies vt sic dicam eadem, habitudóque animi perstiterit; in feruore enim diei Dominus ea locuturus apparuit, postquam inter tentationes conuersationis vnitatem tenuerit: Saræ filius datur, quia voluntati iam non nouitiæ, sed viriliter militari quadam audaciâ contra vitia desudanti spes non vt priùs timida, sed delectabilis, & certitudine plena, ratione cœlitùs illustrata promittitur: Sara adhæc risit, quia voluntas nostra etsi ad bona nitatur, ex propriæ tamen infirmitatis consideratione quasi subsannans quæ à spe sibi sunt destinata diffidit, vnde & post ostium tabernaculi dicitur risisse, vt intelligatur sui laboris diffidentia ab spe paululùm decidisse: filios autem nostros, spes nostras ob posteritatem scilicet solemus vocare. Sara itaque filium non habet, quandiu animus passionum nebulis obscuratus quantò inferiùs timet, minùs superius amans, minus etiam sperat, in seipso adhuc fluctuabundus hæret: at Domino post tentationum nos inuisente triumphum, cum plena hilaritas cordi infunditur, suscipit profectò Sara filium.

Erant autem ambo senes, prouectæque ætatis, & desierant Saræ muliebria. * *Quæ risit occultè dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Ac si voluntas diceret: Ego inueteraui inter omnes inimicos meos in terra aliena, & vir meus spiritualis scilicet intellectus non iam sapit nisi veteri homini congrua, in cassum contemplationis diuinæ acquirendæ voluptati à me impenderetur opera, cui prima deest compunctionis gratia: muliebria autem menstrua sunt, quæ cum fieri mulieribus desinunt, parere desistunt. Quid ergò per menstrua nisi internarum animæ sordium per confessionem vacuefactio? Cùm namque voluntas nec perfecta sibi inesse conspicit in confitendis reatibus conuersionis initia, postquam iuxta propriæ considerationis humilitatem senectutis typicæ intra conscientiam prouehitur inertia, non habet ex se, nec circa se inuenit, vnde sibi nascitura præsumere possit eius, quæ per intimam à Deo aspirationem promittitur, sinceræ, & intrepidæ spei gaudia: qui enim nihil meretur, si præmia sperare iubetur, nisi respiciat ad gratiam, non tam de promisso gaudet, quàm quia non meruit irrideri veretur.

Vers. 11. *Vers. 12. Psal. 6. 8. Baruc. 3. 11.

Sed Dominus ad Abraham loquitur dicens: *Quare risit Sara vxor tua, dicens, num verè paritura sum anus?* * *Nunquid Deo est quicquam difficile? Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vitâ comite, & habebit Sara filium.* Ac si Deus apertè diceret: Si de tua infirma homo voluntate dubitas, cui cùm nec velle ad benè agendum adiaceat, perficere non dico, sed nec incipere inuenias, Dei omnipotentiam cur desperando subsannas, cum præ oculis tot eius in omni peccatorum genere misericordias habeas? Vita quam tibi inspirando contradidi, sit perseuerantissima in omnis boni operis exhibitione comes, & sic in hoc eodem tempore, hoc scilicet ipso interioris tui hominis feruore perdures, vt semper horum subsidio motus carnalis voluntatis studeas rationi subiugare rebelles, & tunc ad remunerandos me ad te reuertente triumphos, clarissimæ tibi spei oriatur proles: priùs exerce medicinam, qua febribus careas, post tibi virtutum suggeram dapes, quibus ab infirmitate, quæ febribus contracta est reualescas: si

Vers. 13. *Vers. 14.

feceris pro ſalute tui quod condixi, quod & factu facile eſt, incrementa de quibus deſperare videris tibi ſubminiſtrare difficile mihi non eſt. Victa conuenienti ratione voluntas, ſe quaſi non deſperaſſe diſſimulat, & iam ad meliora gerendum pollicitationum maieſtate ſuccenſa, erubeſcit cogitando replicare quæ ſenſerat, quam tamen verus teſtis vt ad pœnitentiam ipſius ineptæ deſperationis prouocet, intellectus improperator accuſat: vnde dicenti: * *Non riſi: riſiſti*, inquit. A *Verſ. 15.

Verſ. 16. *Cùmque ſurrexiſſent inde viri, direxerunt oculos ſuos contra Sodomam, & Abraham ſimul gradiebatur deducens eos.* Cùm non niſi ab humilibus, & diuino timore contractis ſenſibus, & quodammodo ſedentibus superni conuiuij dulcedo guſtetur, rectè ſurrexiſſe dicuntur, cum ad externa ſtudia ſollicito animi rigore tenduntur. Sodomam autem oculos dirigunt, cum ad ſimilitudinem ac conformitatem carnalium motuum, vel hominum, intentiones figunt; Sodoma namque ſimilitudo eorum, aut cæcitas, aut pecus ſilens interpretatur: poſt conformitatem ſanè vitij, aut ſæcularium, incurrimus cœcitatem cordium, & diſtractâ ſenſualitate cum imaginationibus in luxum, venitur ad pecuale ſilentium, dum nulla rationis congreſſio fit contra carnis aſſultum, ſed perniciosâ pace tenetur ad cuiuſpiam peccati dominium; ſileat enim, vſu ſacræ paginæ teritur pro quieſcere, & non reſiſtere, vt eſt: *Sileat omnis terra à facie Domini.* Abraham autem hos deducens ſimul graditur, dum ratio viſu, & cogitatu phantaſtico perpulſa ad procliuia facinorum ducitur, ſcit errorem ſuum, nec præ infirmitate renititur, hoc fieri ſolet, ſcire ſcilicet ſuos, ac ingemiſcere lapſus, antequam cœcitas omnimoda innaſcatur mentibus. B C D Habac. 2. 20.

Verſ. 17. Vnde & Dominus non ſe poſſe celare Abraham quod geſturus eſt profitetur, cum in gentem magnam, ac robuſtiſſimam futurus ſit, quia ipſi noſtro ſpiritui per vitia violenter acto, quædam plerumque infunditur ſuæ futuræ ruinæ ac reſurrectionis prouidentia, & dum ſe videt ſpargi per crimina, ſpem tamen introgerit, Deo præſtante, ad priſtina benè agendi ſe rediturum exercitia. Propter Abraham enim adducit Dominus quæ locutus eſt omnia, dum propter interiorem animi de ſua quam attendit, nec euincere ſufficit prauitate rugitum, quaſi Iſraëli in Ægyptia ſeruitute clamanti, victoriæ aliquando ſubminiſtrat auxilium: Suſcitat enim viduæ Dominus filium, matris miſeratus affectum. E 3. Reg. 17. 22.

Verſ. 20. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* * *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Gomorrha populi ſeditio, vel timor dicitur; in mente namque euerſa, populi, carnalium vtique tumultuum ſeditio, & ex prauæ conſcientiæ obiectu timor non Dei, ſed hominum ſuſpicio verſatur. Ex Sodoma ergò, & Gomorrha, cordis ſcilicet cæcitate, ac flagitiorum ſeditione clamor oboritur, cum pudore depulſo quicquid nequam, & impudicum eſt intra animum, aut etiam exteriùs exercetur: is multipliciter aggrauatur, dum diuturnitate conſuetudinis induratur. Deus verò ad Abraham hæc loquitur, cum ab ipſo noſtri nobis peccati immanitas intimatur. Inde & deſcendit, ideſt ex ſuperbiæ noſtræ faſtu deſcendere nos facit, & videt, noſtra nos ſcilicet deſideria an opere ad plenum expleuerimus, videre nos facit; ipſa namque clamor ſunt in auribus Dei: vt ſciam, inquit, vt ſcire profectò faciam, in quam deſtitutionem miſera mens ruerit, quid appetierit, quid appetitum quoque peregerit. *Verſ. 21.

Verſ. 22. *Conuerterúntque ſe inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc ſtabat coram Domino.* Dum exterior homo noſter iam cogitatione peruerſâ ſæculo conformari deſiderat, inde, ideſt ex ſui ipſius neceſſe eſt humili priùs conſideratione, quam Deo ad Abraham noſtrum loquente concepit, ab ipſóque Deo ſe conuertat, vt beſtiali vitæ, ideſt Sodomæ intendendo cœcutiat: ſed adhuc Abraham coram Domino ſtat, quià intellectus diuinitùs ſentiens intra ſeipſum in quæ mala properet gemebundus penſat: iſte Domino appropinquat, cum ſecundum Scripturas ſtatus quoſque mentis examinans, de ſingulis diſcutere apud ſe nititur, quid Deus ſentiat: *Nunquid perdes*, inquit, *iuſtum cum impio?* Ac ſi diceret: nunquid etſi ex carnis imbecillitate in vitium labor, ego ſpiritus qui condelector legi Dei, & ſecundum interiorem hominem viuere gratius habeo, ne videam, aut videns exequi cupiam quod iuſtum eſt, etiam cœcitate damnabor? *Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate peribunt ſimul?* Per quinquagênarium numerum pœnitentia accipitur, quod ex Pſalmo quinquageſimo apertè probatur: quinquaginta ergò iuſti ſunt in ciuitate, cum digni pœnitentiæ motus verſantur in mente. *Si inuenero*, inquit, *quinquaginta iuſtos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* In medio ciuitatis iuſti inueniuntur, cum compunctionis motus in ipſo cordis meditullio non ad horam, aut ex latere vt aſſoler, ſed perſeueranter, & cum integro vitia corrigendi voto naſcuntur: omni autem loco dimittitur, cum menti à ſua diſperſione collectæ, & Verſ. 23. Verſ. 24. Verſ. 26.

omninò iam factæ locali indulgetur, ne in deteriora labatur.

Vers. 27. *Loquar*, ait, *ad Dominum, cum sim puluis, & cinis.* * *Quod si quinquaginta iustis quinque minus fuerint inuenti? Non*, ait Dominus, *delebo, si inuenero quadraginta quinque.* Ad Dominum loquimur, cum de nostra prauitate apud ipsum orando conquerimur: puluerem nos fatemur, cum aut nos peccatores, aut ad omnem tentationis flatum instabiles nos esse cognoscimus; peccanti enim dictum est: puluis es. Cinis verò ignis absumpti indicium est, quod significat præteritorum peccatorum memoriam, quæ sicut cinis ignem, sic fouet & refricat vitij cuiusque calorem. Cinis itaque sumus, quotiens pristina nostra mala voluptuosâ recordatione nutrimus: sed non delemur, si quinquaginta iustis quinque minus habentes inuenimur, quia etsi perpetratorum nos pœnitet, & imbecillitas interioris hominis ad integrum restringere quinque carnis sensus non valet tamen diuinâ clementiâ tantillum pœnitendi appetitum non renuet, nec residuum bonæ introrsum voluntatis delet, cum mens minùs quàm conuenit sensualitatem non audaciâ, sed infirmitate coërcet. Quadraginta autem quinque in nobis reperiuntur, cum per gratiam Euangelij, quæ quaternario signatur, & ductu decalogi, qui denario accipitur, sensualitas interior, idest imaginatio plenè regitur; nisi enim sensus hi corporis arctiùs multò animæ inessent, nunquam eorum, quæ audiuimus, tetigimus, olfecimus, tantæ se ei memoriter delectationes immergerent.

(* Vers. 28. — Gen. 3. 19.)

Vers. 29. *Sin autem quadraginta inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta.* In quadragenario sumus, cum aut corpus nostrum quatuor subsistens elementis denario legis addicimus, aut quia denarius ex septem, & tribus constat, septenarius verò ex quatuor, & tribus, corpus nostrum quaternario figuratum, animámque ternario per quatuor Euangeliorum custodiam, aut quatuor principalium virtutum obseruantiam ad Trinitatis inducimus notitiam, quam nil aliud dicimus, nisi corpore, & anima Deo obseruandi diligentiam. Notandi autem sunt per numeros statuum gradus, in quibus à pœnitentia continentiæ proficit virtus, nec pia intentio peruersi actus merito exigente concutitur.

Vers. 30. *Quid, inquit, si inueneris ibi triginta? Non, ait, interficiam propter triginta.* Trigenarius ex sexties quinis constat: Senarius autem, quia sex diebus sua Deus opera peregerit, pro perfectione accipitur: quinarius verò non solùm ad exteriores, & intrinsecos sensus, sed etiam ad opera ipsa refertur; quinquepartita enim est corporearum rerum diuisio, in personam scilicet, quæ quippiam agit, materiam vnde agit, motum per quem facit, occasionem quare facit, effectum quod facit. Cum ergò ad perfectum sensualitatem, imaginationem, operúmque ordinem prout humanitati suppetit producimus, in trigenario pedem animi ponimus; non igitur in hoc statu interfectioni, sed saluationi locus est.

Vers. 31. Sequitur vicenarius numerus in quo adhuc non perit ciuitas: vicenarius ex septenariis duobus, & senario constat; per vnum ergò septenarium temporalia, quæ septem voluuntur diebus, per alterum nostrum corpus, & anima: per senarium spiritualis creaturæ accipitur gratia, cui quasi magistræ subiicimur restringendi nos, & quæque mundi concupiscibiliâ; homo enim factus est die sextâ: sub qua cum nos, & exteriora nostra posuerimus, ad regulam primam charitatis videlicet vnitatem peruenimus, in qua perire non possumus.

Vers. 32. *Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel. Quid si inuenti fuerint ibi decem?* Animaduerti debet, quòd semel se ad Dominum loqui cœpisse commemorat. Semel in scripturis pro eo quod est incommutabiliter positum reperimus; incommutabiliter igitur ad Dominum loqui incipit quisquis vitæ perfectioris institutum precibus, & studio operum perseueranter à Deo expetit: Denarius ergò ad extremum ponitur, qui in vinea laborantibus promittitur: hæc est illa vniuersalis perfectio, æterna scilicet, cui in futuro videndæ nunc insudatur, Dei visio, quæ est omnis plenaria fœlicitatis origo, sicut denarius quædam numeri constat certa perfectio, & sine quo aliorum, qui sequuntur, non fit numerorum vlla collectio.

(Matt. 20. 2.)

Vers. 33. *Abiit Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham; & ille reuersus est in locum suum.* Post hanc ergò conscientiæ illustrationem, qua quæ agenda nobis sunt in diuersis vitæ statibus, quasi Deo per attactum rationis nos alloquente vigilanter attendimus: abit Dominus, quia ostenso vitæ tramite relinquit nobis liberi arbitrij munus, & quasi secedens ad tempus experiendo nos permittit agere quæ volumus: præsidente itaque Deo menti nostræ supra nos sumus, recedente autem dispensatiuè ipso, ad locum nostrum reuertimur, quia ad eam animi torpidam habitudinem relabimur illicò, quam ex pura humanitate habemus, si enim perpendamus quid ex nobis simus, mendacium verbi, & operis solummodò in nobis aduertimus.

CAPVT

CAPVT XIX.

Vers. 1. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit & iuit obuiam eis; adorauitque pronus in teram,* * Vers. 2. * *& dixit: Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram.* Per duos Angelos sensualitas, & imaginatio accipitur, quæ rectè Angeli, id est, nuntij dicuntur, quia sensus exterior cogitationum nuntiat visioni, quę foris senserit, rursúsque imaginalitas refert intellectualitati, quæ sibi sensualitas forastica impresserit: hæc duo veniunt Sodomam, cùm curarum mundanarum irruunt cæcitatem, & vespere, diuinæ scilicet spei deficiente calore. Loth autem in foribus ciuitatis sedet, quia animus noster à linea iustitiæ iam declinans, & delectationum retibus vinctus, flammásque auari desiderij spirans, ad ingressus suggestionum segnis, & languidus torpet; aduersus hæc enim standum est, id est decertandum; cum enim dixisset Apostolus: *State in fide*, cōsequenter stationem illam exposuit dicens: *viriliter agite.* (1. Cor. 16. 13.) Ille itaque qui priùs Abraham propter à Deo illustratæ discretionis intelligentiam dictus est, postquam ad locum suum reuertitur, Loth dicitur, qui iuxta quod supra expositū est, declinans, vel vinctus, vel vtinam interpretatur, in quo vtinam illud aptè notatur, quod legitur, *in desideriis est omnis otiosus*; vtinam enim optantis est verbum; sedere etiam iudicantis est. Sedet igitur Loth in foribus ciuitatis, dum humana ratio à recto licet declinans, & vinculo concupiscentiæ tracta secundum sæculi honestatem, propriæ examinat introitum delectationis; dum enim sensus nostros, ac cogitationes in pecuale videmus labi silentium, nec in Dei auribus vitalem cuiuslibet bonæ actionis edere sonū, pudorem plerumque verentes humanum, restringimus petulantiæ nostræ fluxum, surgimus, idest, erigimus desidem ad hæc reprimenda animum, & adoramus in terrā proni, superbientem scilicet, ne pereffluat, in consideratione propriæ cōditionis humiliamus affectum. *Obsecro*, inquit, *Domini declinate in domum pueri vestri*, idest, intra conscientiæ secretum à forinseca vos euagatione restringite, vobísque rationis seruitium adhiberi permittite; ibíque manete, sub ea scilicet vos perseueranti instantiâ cohibete, pedes vestros lauate, sordes malitiæ, quas affectando terrena contraxistis, pœnitendo diluite: mane in viam vestram proficiscemini, radio vtique diuinæ charitatis vestris sensibus insulgente, Christum, qui via ad se tendentibus est, desiderij sancti passibus aggrediemini.

Qui dixerunt: minimè, sed in platea manebimus. * Vers. 3. * *Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum: ingressisque domum illius fecit conuiuiū, coxit azyma, & comederunt.* In platea manere gestiunt, quia arctam, & angustam viam, qua ad vitam tenditur, sensuum cogitationúmque nostrarum volubilitates refugiunt; lata ergò ad manendum diligunt, dum patere nugis quibuslibet portas mentis corporísque non metuunt, & vas omne sine operculo immundum esse secundum legem suggerenti rationi non assentiunt. Oppidò autem impellimur, cum timendo humanitùs ne pedetentim tepescendo labamur præ oculis hominum in aliquod graue flagitium, carnis frænamus impulsum, aut diuini etiam iudicij nobis opponendo metum, sícque tandem à publico incuriæ diuertimus in rationis asylum: sed his conscientiæ munimine sese fouētibus, orationis, lectionis, contemplationis conuiuiū suggeritur, expurgato malitiæ fermento, azyma sinceritatis, & veritatis sancti ad purū spiritus igne coquuntur, & hâc refectionis voluptate intrinsecùs, & extrinsecùs sensualitas vagabūda tenetur.

Vers. 4. *Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum eius à puero vsque ad senem omnis populus simul.* * Vers. 5. * *Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ eos huc, vt cognoscamus eos.* Imus cubitum, quādo in nobis quiescere incipit strepitus negotiorum forensium: priùs autem quàm ab his consopiatur animus, viri ciuitatis, feroces videlicet motus corporis domum vallant, idest scientiam coangustāt: per senes possumus intelligere originalia, per pueros actualia quæ super addimus, & adinuenimus etiam mala: verbi gratiâ cum libido naturaliter nobis insit, vt de cæteris taceam, nouitates quotidie libidinum, & præter solidam coëundi regulam commentatas miramur, & mirando dolemus: ex senibus pueri in dies oriūtur, quia ex ingenita corruptione nouus indesinenter vitij fœtor egreditur: sunt quoq; pueri quędam non naturalia crimina, sine quibus & ex parte fuisse traduntur ante diluuium tēpora, vt sunt auaritia, cenodoxia, cultuúmque externorum superbia, longo autem post tēpore reperta, immò producta, acriore nunc feruent insaniâ: senes verò gastrimargia, ira, tristitia, luxuria: hi itaque cum omni cogitatuum carnalium populo Loth euocant, quia delectationum præteritarum dulcedines, & earum rerum, quę impræsentiarum tenentur, amores rationi obiectant, & ad bona exteriora haurienda compellant: vbi sunt, inquiunt, viri, qui introierunt ad te nocte, tenera scilicet illa quondam interior exteriórque sensualitas tua, quam nunc sub virili robore constrinxeris, attende in quo statu sit, an in eo perseuerare tibi possibile sit, qui ad te noctu, idest improuisè introierunt, quod totum est ab exterioribus quæ sibi pertinent rebus curandis, ad spiritualia quæ sui officij non sunt,

nec ferri possunt, se intruserũt: educ eos huc, A exerens sensus ad exequendũ ordinem, vsúmque temporalium cui fruendo facti sunt, vt cognoscamus eos, vt nostri profectò notitiam iugi eis experiẽtiâ voluptatis addamus.

Vers. 6. *Egressus ad eos Loth post tergũ accludens ostium ait;* * Vers. 7. *Nolite fratres mei malũ hoc facere:* * Vers. 8. *habeo duas filias, quæ nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos & abutimini eis sicut placuerit vobis, dũ modò viris istis nihil faciatis mali, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.* Loth ad eos ingreditur, dum ad discutiendam à quibus interpellatur vitiorum qualitatem vis rationis exeritur: post tergum ostium accludit, dum mentis aditum his quæ retrò sunt, temporalibus scilicet anteriora petens, idest ęterna, obstruit, & in ipsa discussione peccati ne voluptas furtiuè surripiat, sese munit: fratres autem nostri ipsi sunt motus corporei, ex eadem qua & virtutes prodeunt mente progeniti; eadem enim terra quæ segetem generat, spinas, & tribulos pariter procreat: Nolite, ait, hoc malũ facere, ad euidens videlicet me flagitium prouocare. Duę filię mihi videntur posse accipi duo quædam, quæ magnã in bonis mentibus teneritudinem pariunt, habendi cupiditas, & opinionis amor, idest cenodoxia: vix enim aliquis in profectu positus tentatione quippiam habendi caret, vix iustus cenodoxiæ impulsu vacuus est, etiam quò iustior est; hæc ergò sunt, quæ rationis robur effœminant, vnde & filiæ sunt, quæ non cognoscunt virum, quia non experiũtur rationis dominium; dicitur enim cuidam: *voca virũ tuum,* (Ioan. 4.16.) idest intellectum: sunt namque innumeri, qui corporalia, & quæ vulgò probrosa sunt vitia magis vereri solẽt, vt sunt gulositas, àc extraordinaria luxuries, quàm spiritualia, vt auaritia, & superbia sunt, exhorrent. Hæc itaque educũtur, dum ab illa adhuc diuina nimis sapiente, & terrenis inhiante ratione voluntati dæmonicæ prostituuntur, quibus per eadem crimina abutitur: hoc se facturum spondet, dum viris, idest sensibus sese viriliter agẽtibus nihil fiat mali, idest scandali, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei, ab æstu scilicet carnalium appetituum, ad me rationem se contulerunt sancti Spiritus ibi protectionem habituri, qui tegmen capiti meo est in die belli.

Vers. 9. *At illi dixerunt: recede illuc: & rursus: ingressus es, inquiunt, vt aduena, nunquid vt iudices? Te ergò magis quàm hos affligemus: vimque faciebãt Loth vehementissimè.* Quod est totum ac si carnis appetitus sub specie vitiorum diceret ironicè rationi: recede ergò à bonorum temporalium vsu, quibus licitè inhærere poteras, ad intellectualitatis summã in qua perseuerare non queas, vbi & corporis sensus ridiculè nimis à suo officio abstinens occultare te putas? Ratio homini fateor data est, quæ sine vllis externæ rei cupiditatibus Deo vacare debeat. Et hæc vernacula, & vt sic dicam indigena homini est: tu autem aduentitia in cõscientiæ aditum quasi ancilla dominatũ imitans fallaciter ingrederis, quæ vitia spiritualia prosequeris, & corporalia pro solo pudore humano refugis, pensa quo animi robore sedem aduersus nos iudicij tenere poteris; non ergò tam aduersum tuos sensus machinas tentationis erigimus, quam contra reflandos tui tumoris nouos fastus; inde igitur Loth isti typico internæ tempestatis turbo cõgeritur.

Iam propè erat, vt infringerent fores. * Vers. 10. *Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lo-* B *th, clauserúntque ostium:* * Vers. 11. *& eos, qui erant foris, percusserunt cæcitate à minimo vsq; ad maximũ, ita vt ostium inuenire non possent.* Fores infringuntur, cum præcepta Dei, aut virtus animi, quâ Deus admititur, hostísque excluditur, in nobis diabolo pulsante lęduntur: sed manum viri mittunt, & Loth ad se introducunt, cum sensualitas vtraque reiecta naturali mollitie fortitudinem virilẽ exerit, & manu diuini auxilij rationem sibi astringens interiora petit, & ostium, fenestras scilicet corporis, quâ C mors subintrat, obstruit, sícque temporalia cuncta quæ nos irritant à minimis ad maxima vt potè contemnendo destituit, & cæca nullo videlicet quod abs quolibet probo concupisci debeat prosperitatis lumine fulgere ostendit: quæ cum fuerint iudicata omni cordis respectu ad tempus scilicet tentationis indigna, iam eis adulantibus ostium, qui surripiant non est in conscientia.

Vers. 12. *Dixerunt autẽ ad Loth: habes hîc tuorũ quempiam, generum, aut filios, aut filias? omnes qui tui sunt educ de vrbe hac?* * Vers. 13. *Delebimus enim locum* D *istum, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Dum ergò sensus nostri eius, quæ præ oculis est, terrenæ gloriæ seduci blanditiis timẽt, ipsa sua passione rationem docent, succidendos à se vniuersos mũdi affectus, generos, prauos scilicet homines, qui filias, idest infirma adhuc, & necdum plenè ad Deũ prona desideria nostra suis exẽplis, monitis, aut familiaritate ad terrena prosternunt, filios etiam, spem videlicet nostram in futurum transferendam, aut sæcularem potentiam, aut fortia mundi opera, vnde E Iob dicit mortẽ elegisse ossa sua, quæ masculorum solẽt signari personâ, omnes eliminari monentur à cõscientia; vident enim impossibile concupiscentiarũ ignem interiùs enutrire, & admotas ab igne voluptatũ paleas non abripi: extinguatur cupiditas, nec nocebit peccandi opportunitas: omnes de vrbe educimus, qui nostri sunt, cum à carnis desideriis rationalitatis insignia separamus, quasi à paleis granum: *Exeamus,* Apostolus ait, *ad Iesum extra castra:* (Hebr. 13. 13.) sensus autem locum delent, cum mundanarum rerum imaginationes, exterásque visiones quantùm possunt à se abo-

lent: locus noster hic mundus est, in quo conflatur iuxta Iob aurum, vallis lachrymarum locus quem posuit Deus. *Missi sunt*, vt perdant eum, quia creati, vel missi, à corporali scilicet voluptate emissi sunt, vt exterminent in seipsis mundi appetitum; praui enim desiderij vlulatus inde surgit ad Deum.

Iob. 28. 1.

Vers. 14. *Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, & egredimini de loco isto, quia Dominus delebit ciuitatem istam; & visus est eis quasi ludens loqui.* Generi possunt altiùs intelligi: diximus duas filias, auaritiam, & cenodoxiam, quia cum aliqui proficere in alicuius boni operis exhibitione cœperint, ad ambitionem honoris, aut pecuniæ, seù humani fauoris aspirant: hæ itaque filiæ, fluxæ mentis fluidi sunt conceptus, harum verò mariti, immò constupratores concupitæ rei sunt, vel externæ laudis obtentus; obtentis enim quæ cupimus, quasi in quadam libidinis expletione iocundamur: generi ergò filias accepturi, fructus sunt cupiditatis, & gloriæ inanis, qui expectantur venturi. Hos à Sodoma dehortamur, cum nil in sæculo sperare, & ab eius similitudine deformari monemus; surgere verò, torporem repellere, egredi, mores exuere dicimus, quia sic delebit in affectu nostro mundi amorem Dominus: videtur tamen eis quasi ludens loqui, quia discretio rationis non ad plenum à Deo illuminatæ, nil serium, nil stabile, aut certum carnis valet motibus suadere; non enim tangitur spiritus vnguine. Loth autem ad eos hæc locuturus egreditur, quia spiritus carnis illecebras etsi non operis, tamen cogitationis præuolatione istâ tractando trãsgreditur.

Vers. 15. *Cùmque esset manè, cogebant eum Angeli dicentes: Surge, & tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Quandiu turbam animi tentando patimur, nox est nobis, & moramur in Sodomis, in quadam scilicet cœcitate mentis: At Deo cordis irradiante sinum fit mane, & pristinæ illicò nos pudet cogitationis; ab ipsis enim iam cogimur Angelis, sensibus vtique nostris, qui pridem cogebantur imperio Loth idest rationis; coguntur namque ab Angelis, cum rationi ius ipsa suæ nuntiat necessitatis, non posse sensus cohiberi à concupiscentia in Sodomis, in cohabitatione videlicet sæcularis conuersationis; non enim potest quisquam non æstuare in flammis: Surge ergò, inquiunt, tu præuia ratio, idest ad vitiis resistendum erigere, vxorem, idest voluntatem tuam, quæ non hactenus iugo mariti, quod est intellectus, teneri se patiebatur, sed adulterinis passim amoribus distrahebatur, tolle, eam vtique quæ te malè tulerat, vti paralytico dicitur, tollere iam, hoc est regere disce, & pariter duas filias, vt profectò iam non terrena in Sodomis, sed cœlestia in diuinis cupias, & puritati potiùs, quàm inani foris gloriæ studeas, ne & tu pariter cum pecore silenti pereas.

Luc. 5. 24.

Vers. 16. *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarũ eius, eo quòd parceret illi Dominus.* * Vers. 17. *Posuerúntque extra ciuitatem,* * *vbi locutus est ad eum Dominus. Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.* Dissimulamus, cum bona, quæ & sensuum, ac imaginationum molestia nostro spiritui fieri conuenire nuntiat, differimus: apprehendũt manus eius, vxoris, ac filiarum, cum cogitationis, sensualitatísque dubia de se infirmitas auxilio rationis, bonæ voluntatis, piæ ad sancta opera auiditatis, cum spe gloriæ non inanitatis, sed æternitatis fortiter innituntur, sícque extra ciuitatem ponuntur, sícque à mundi desideriis alienantur. Salua, inquit Dominus rationi, quid facto opus sit insinuans, animam tuam, noli respicere post tergum, idest ne repetas ea, quibus * intulisti, contemnendo dorsum, nec sis vitiorum, quæ abdicasti, materiei contiguus, verbi gratiâ, noli esse affinis mulieribus, propter quod relabaris in peius, sed in montem, in quantamcumque scilicet virtutis excellentiam altiùs eniti potes emigra, ne ex mali confinio tibi oboriatur occasio saluti contraria.

* al. Ibi locuti sunt ad eum.

* f. indulsisti.

Vers. 18. 19. *Non possum,* inquit, *Domine saluari in monte, ne fortè apprehendat me malum, & moriar.* Vers. 20. * *Est ciuitas hic iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea, nunquid non modica est, & viuet anima mea? Ecce,* ait Dominus, Vers. 21. *etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es?* Non possum saluari in monte, in nimis arduo sanctitatis opere, ne apprehendat me elationis, aut apostasiæ malum, nedum onus super me leuare molior, retroactus inueniã casum: est ciuitas hîc iuxta, humilis pœnitentiæ firmitas in promptu arbitrij est sita, quæ cum sit parua, non captui meo nimis austera, ibi salubria captabo perfugia: nunquid non modica est? Ac si diceret: si ex superbia primæ perditionis origo processit, nonne per humilitatis depressionem ac modestiam saluari licebit? Viuat, inquit, anima mea, perseueret in statu alicuius boni operis vita mea. Suscepi, ait Dominus, etiam in hoc preces tuas, vt tam ardua vitæ instituta refugiens, modica, idest mediocria consecteris, licet iustum videretur, si Deus districtè iudicare disponeret, vt qui bona quæ potest agere dissimulat, illa etiam quæ agit perdere debeat; meritò namque ipsa pœnitendi affectio in homine subuerteretur, qui in aliis quibus potest virtutibus non exercetur: cum ergò statui nostro Deus licet tepido condescendit, apertè innuit, quia cum gratiam compunctionis nobis impendit, id paruum quod

gerimus non respuit, sic vrbem quam eligimus quamuis paruam non subuertit.

Vers. 22. *Festina, & saluare ibi*: idest si modica eligis, in his saltẽ exequendis sedulus,& alacer esto, festinè procurans in quo salueris. *Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Quandiu enim vitiis acquiescere, bestialiter silere dulce habemus in Sodomis, non potest Deus quicquam operari virtutis in nobis, nam vt filiis Zebedæi dicitur: sedere ad dextram, vel sinistram, non est suum dare superbientibus nobis; priùs enim secundum quod aliàs dicit: dæmonia eiicit, & sic demùm sanitates perficit, quod nequaquam nisi eiectis dæmonibus fieri possit; non enim adest auditio, nisi primò surditas excludatur: ingrediamur igitur sanctæ modicitatis asylum, vt abdicatâ obstinatione peccati, valeat Deus, qui nil iniustum facere præualet, medicinam nobis adhibere virtutum; iniustum namque esset, si diabolo hominem possidenti Deus pariter cohabitaret; impotens ergò ad hoc prorsus Deus est. *Iccircò vocatum est nomen vrbis illius Segor*: sol egressus super terrã & Loth ingressus Segor, Segor interpretatur meridiana, vel parua, parua ob humilitatem, meridiana propter in ęstu vitiorum obumbrationem; virtus enim altissimi, quæ nobis obumbrat, non nisi super humilem,& quietum illabitur, quo nomine spiritualis ista munitio ad quam cõfugimus, meritò insignitur: * sol, feruor scilicet tentationis ex insita corpori corruptibilitate egreditur super terram, idest ad ipsam corporalium motuum velimus nolimus efficientiam, sed Loth, ratio videlicet nostra subit quasi quoddam vmbraculum Segor, idest humilitatem.

Matth. 20. 23.

* Vers. 23.

Vers. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo:* * *& subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* * *Respiciénsque vxor eius post se, versa est in statuam salis.* Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham, cùm per instillationem supernæ monitionis fœtorem, qui signatur in sulphure, & cruciatum qui in igne, cœcitati, & seditioni vitiorum demonstrat nobis inesse. Bonum quantum in nobis est, quasi Deus nos habitans est: Dominus ergò, idest bonitas in nobis degens, à Domino haurit, quod nobis de cœlo, ratione scilicet diuinitùs tactâ ad subuertendos dæmones habitatores vrbium, sensuum vtique nostrorum pluit: omnem circa regionem, mundi affinitatem, & cuncta terræ virentia, terrenæ spei quælibet delectabilia, hac Deus infusione cognitionis extinguit, quantùm puteant, quantumcumque crucient criminum curæ, patenter ostendit. Post se autem vxor Loth respicit, cùm bona voluntas pridem medullitùs innixa rationi ad ea, quæ spreuerat, sæculi oblectamenta appetenda tepescit: post se respicit, cùm à cœpto statu deficiens infra se quippiam concupiscit: sed vertitur in statuam salis, cùm hanc apostasiæ hebetudinem animaduertens in se redarguit sapientia salutaris; nam suam ad plenum stoliditatem, quam statua signat, dignoscere, pars maxima est scientiæ, quæ notatur in sale.

* Vers. 25.

* Vers. 26.

Vers. 27. *Abraham consurgens mane, vbi steterat priùs cum Domino,* * *intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius; viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.* Abraham mane consurgit, cum Deo se illustrante ad altiora mens contemplanda se surrigit, in eundem regressa statum, in quo de mentium situ bonarũ per numerorum gradus altercabatur ad Dominum, vnde & nomen iam mens ipsa recipit Abraham patris videntis populum, quæ nunc vsq; Loth dicta est, ex quo ab integritate vincta cœperat declinare: stat autem cum Domino, quando per animi rectitudinem non dissentit ab ipso: intuetur Sodomam,& Gomorrham, atque regionis terram, cum flagitiorum turbulentiam, & sensus reprobi cœcitatem, eorúmque circumstantem materiam diuinitùs irradiata dispicit, vidétque ascendentem de terra fauillam, ab intimis sanè conscientiæ exurgentem pœnitentiæ compunctionem sibi necessariam solum iam intelligit, quasi, idest reuerà fornacis fumum, scilicet ardoris,& cruciatus interni signum. *Tange*, ait, *montes, & fumigabunt*, idest cordis dolorem per lachrymas euaporabunt. *Cùm ergò subuerteret Deus ciuitates regionis illius*, idest cùm vitia diaboli in homine habitantis munimenta subrueret, recordatur Abrahæ, rationem profectò facit suæ dignitatis meminisse, & Loth ipsam vtique humanitùs lapsam, ne in reprobũm euertatur sensum per vitia quibus subiacuit, dignatur liberare.

* Vers. 28.

Psal. 143. 5.

Vers. 29.

Vers. 30. *Ascenditque Loth de Segor, duæ quoque filiæ eius cum eo; Timuerat enim manere in Segor, & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo.* Loth ascendit de Segor, cùm humani timore pudoris ne scilicet palam lapsus probro pateat humanus intellectus in minoris vitæ proposito permanere veretur, & ad excellentius conuersationis institutum quasi ad montem promouetur: quę indigna, quam prętulimus, intentio, ex duarum filiarum, quas exposuimus, cohabitatione funestâ notatur: prædictis itaque ex causis in tepido quasi timens persistere viuendi modo, hoc est in Segor, transit in montem, ibi tamen in spelunca victurus, qui ferarum, & latronum est locus, quia qui tales comitiam prębent filiæ, crudeles nunquam deserit appetitus. *Dicit ergo maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ.*

Vers. 31.

Maior cenodoxia omninò rectè accipitur, quæ cum bona operetur, id non agit, vt Deus glorificetur, sed quasi quâdam idololatriâ, ac sacrilegio, vt homo præposterè honoretur: loquitur ergò cenodoxia ad cupiditatem, dum quod violenter rapi non potest, suggerit acquiri posse per sanctitatis simulationem: pater noster, animus scilicet, qui malo suo tales genitrice carnali affectione genuit, senex, inquit, est, ad vetera & temporalia pronus est, & nullus virorum intellectualium planè motuum, qui affectualem in nobis mollitiem regant, remansit in terra, in fructifera quondam, & cultibili conscientia, qui possit ingredi ad nos, irrumpere auidi cordis ad nos euertendos obstinationem, iuxta morem vniuersæ terræ, idest in qnantùm, vel iuxta quod necesse esset reparari morem scilicet pristinum vniuersæ conscientiæ: posset sanè ratio ingredi ad remordendam cuiuslibet mentem, sed non facilè ad innouandum viuendi morem. *Veni*, inquit, heus tu cupiditas, quia vim inferre ad ea quæ cupis obtinenda non præuales, agedum clam meis vtere officiis: * *inebriemus eum vino*, idest impleamus animum iocunditatis temporalis gaudio, dormiamúsque cum eo, totius scilicet obliuionis, & negligentiæ eius opprimamus prouidentiam somno, *vt seruare possimus semen ex patre nostro*, vt fructum vtique cuiuspiam temporalis commodi exigamus, vel delectationem alicuius peccati crebra in modum seminis propagatione iterandam eliciamus ex animo talium fœtuum affectibus inclinato.

*Vers.32.

Vers. 33. *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illâ.* Nox ista affectus conceptæ nequitiæ est. Ingreditur maior, dormítque cum patre, cum inanis gloria toto rationis assensu sibi contracto sui penitùs oblita abutitur mente: vnde dicitur quia non sensit, reatum videlicet suum ægrè ferendo, quando accubuit, cum scilicet cor ad nequitiam inflexit, & quando surrexit, idest cum in audaciam de criminis se perpetratione erexit. Impellit etiam maior, quod est cenodoxia, iuniorem proculdubiò cupiditatem, vt cum patre dormiat, quia postquam per hypocrisim infœlix quispiam prosperari se viderit, ad apertæ iam cupiditatis rabiem effrœnari dissimulata simulatione incipit, & cœco pectore ab eâ se inuolui permittit. Secunda nox est ex inolita peccandi voluntate reprobi sensus obstinatio; ex imagine namque fictæ sanctitatis, citissimè deuenitur ad apertæ opprobrium peruersitatis, quia vinum arridentis sibi in simulando gloriæ temporalis præcipitat animam ad furorem publicæ temeritatis, vt concubantes filias non sentiat, nec surgentes, spurcitias proculdubiò nullâ discretione doleat sese fœdantes, nec animos reprimat de eadem sua pollutione lætantes. Concipiunt ergò filiæ Loth ex patre, cum spem ingenita nobis vitia prauitatem quamlibet admittendi fouent susceptam ex animo iam labante.

Maior parit filium, cum cenodoxia ad deteriorem malè cœpta perducit effectum, vocátque Moab, quod est ex patre, non modo ex suo patre, sed absolutè ex patre, idest diabolo totius iniquitatis auctore, qui præcipuè periit, hominémque fefellit typo inanis gloriæ: dicitur etiam Moab exlex, quia hypocrita cum legaliter agere videatur, à diuina viuit in semetipso alienus lege, & tantò nequiùs, quo quantum ad humana spectat iudicia, nullâ damnari potest interim lege. Minor, quæ est cupiditas, generat Ammon; idest populi mei filium, illius videlicet, de quo dicitur: Obliuiscere populum tuum, in quo vtique concreuisti vitiorum tumultum. In filiis autem spem maximè propagationis habemus; propagatrix verò totius malignitatis quasi infiniti populi auaritia est, vtpotè quæ radix omnium malorum est: sed quomodo auaritia, vel cenodoxia generat seipsam, absurdum videtur, si matres & filij pro eodem ponantur; hæc ergò ratio est: filiæ quæ masculos gignunt, teneræ sunt primò mentis nutabundæ affectiones, quæ audacissimos magnæ presumptionis actus emittunt, & populos imitatorum exemplorum authoritate sibi congerunt, sicut illæ Moabitas, & Ammanitas egerunt.

Psal.44.11.

1.Tim.6.10

Explicit Liber quintus.

INCIPIT LIBER SEXTVS MORALIVM IN GENESIM.

Fastidivm laboris mei leuat, quòd à beneuolis, ac literatis studium meum probari considero; nec minùs suffragatur, quod intentionem eius vniuersæ si fieri posset Christianitatis lucrum scio: prætereà siue prosit, seù videatur inutile, aliquid me citra fidem ac morum honestatem dixisse æstimans, ex Dei auxilio prosequi cœpta destinabo.

CAPVT XX.

Vers. 1. *Profectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades, & Sur, & peregrinatus est in Geraris.* * Vers. 2. *Dixitque de Sara vxore sua: soror mea est. Misit ergò Abimelech Rex Gerare, & tulit eam.* Superbas mentes tantò intima sua iuxta quod legitur in vita sua certum est proiicere, quantò eas constat per exteriorum volubilitates effluere: de conualli itaque Mambre, de humilitatis profectò depressione, in qua discretionis vt potè intra se degens fruebatur lumine Abraham noster, iam sui oblitus numinis egreditur, & ad australem cupiditatum solibus decoquendus excedit terram, vt terram sapiat, & illic auaritiæ, ac libidinum aquis infusus, easdem iterum sitiat, iuxta quod Samaritanæ Dominus enuntiat. Inter Cades, & Sur habitat, dum hinc cogitatio intellectum, quasi quædam tinea eum à statu pio dimouens vastat, illinc memoria præteritæ quâ exhibuit contra vitia fortitudinis coangustat; Cades enim commotio tineæ, Sur fortitudo, vel angustia dicitur; potest & per Austrum tepor animi accipi, ex quo ingens consurgere solet feruor ad studia sæculi, vnde in Iob (Iob 6. 19.): *Considerate*, inquit, *semitas Theman, itinera Saba.* Peregrinatur denique Abraham in Geraris, cum à cœlesti torpens desiderio spiritus noster euagatur motibus superbis; Gerara nempè dicitur latinè colonum eiiciens, in quo præcipuè superbia notatur, per quam & Angelica, & humana natura à propria regione demittitur; subiugalis ergò illa Sara, voluntas scilicet rationi ritè addicta in sororem admittitur, dum in parilitatem pestiferam contempto dominio euocatur: nec mirum, si respuitur à voluntate dominium, cum suum ipsa ratio deficiens abiurarit imperium. Abimelech interpretatur pater meus Rex: Rex autem Gerare. Qui ergò rex, ipse pater hominem à Deo eiicientis superbiæ, diabolus scilicet, qui & pater mendacij appellatur, meus autem ad eos, qui sibi superbiâ, mendacióque pessimâ filiatione conueniunt refertur.

Mittit ergò Abimelech, & tollit eam, cum post aliquantulæ religionis studium suggerit diabolus humanæ voluntati quasi iam sibi debitæ prælationis affectum: vnde notari conuenit inter captiones vtrasque distantiam, quâ spiritualis nostra voluntas instar Saræ primùm à Pharaone in conuersionis initio distrahitur ad pristinæ sæcularitatis Ægyptum, & postmodum ab Abimelech Rege Geraræ non tam superatur, quàm ad horam agitata pulsatur, vnde & ab hoc intacta perhibetur, de superiore tacetur; veteris namque consuetudinis nuper relictæ memoria nos atrociter irritat ad vitia, sed Ecclesiasticâ vtilitate prouectis, quasi aliorum causâ profectus adipiscendi pastoratus quodammodo ex latere se nobis ingerunt desideria: multa itaque inter vtraque distantia. Sara denique tollitur, cum ad huiusmodi ambitionem cum fauore rationis voluntatis intentio transportatur.

Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait ei: En morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum. (Vers. 3.) * *Abimelech verò non tetigerat eam.* (Vers. 4.) Per somnium Deus ad Abimelech venit, cum mentem à corruptibilium, forasticarúmque rerum cura abstinemus, & solâ inuisibilium cogitatione tenemur, in quo tractatu, Deo præsente, quid sit Gerara, quid Rex, quid paternitas illa, videtur: fit verò nocte, dum in ipsa qua clarificari desiderat luce, obscuritas intellectualiter peruidetur superbiæ. Morieris, inquit, propter mulierem quam tulisti, mortis profectò supplicio addici mereberis, nisi à concepti fastus parturitione desieris, cum voluntatem rationis iuri ex debito subiectam tibi ô superba vanitas tuleris meretriciâ prostitutione ludendam: sed Sara à Rege non tangitur, cum voluntas superbi appetitus effectum non experitur; finis enim

notionis tactus est; nam à Rege tanguntur, qui honorum culmina quæ ambiunt quoquomodo assequuntur.

*Vers. 5. *Et ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? * Nonne ipse dixit, soror mea est, & ipsa ait, frater meus est?* Diuino timore attacta nostra ceruicositas, in seipsam refracta colligitur; colligitur inquam, dum de mundi sapientia, quæ non nisi laudem quærit aut commodum, quaque extra se spargebatur, ad fœlicis confessionem ignorantiæ quam consequitur iustitia restringitur. Cum, inquit, Domine, quicquid tumidè sapiebam te aspirante reflauerim, & iuxta Apostolum, stultum me fieri propter Deum velim, vt huius ignorantiæ cultu, quæ tamen sæcularium rerum est esse particeps supernæ sapientiæ quod iustitiæ summa est, possim, cum inquam hæc fecerim; nunquid ignorans hoc modo, sic denique iustus', interfici à te, qui iustitia es, meruerim? Nam si deliquerim, non diffiteor culpam, ex animi confusione mihi accidit, vbi nec intellectus præerat, nec voluntas parebat, sed potius rationi ipsa non modò indignâ quâdam germanitate parem se fecerat, sed etiam ratio eidem præposterè nimis obnoxia erat. *In simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc.* Simplicitas pro fatuitate poni solet; etsi, inquit, in hebetudine cordis, idest rationis incurri errorem, tamen mundam te seruante manum habui, ne in nequam excurrerem operationem.

1. Cor. 4. 10.

Vers. 6. *Dixitque ad eum Dominus: Et ego scio quòd simplici corde feceris, & ideò custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam.*

*Vers. 7. * *Nunc igitur redde vxorem viro suo, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues. Si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.* Quia, inquit, carnis infirmitate, & humanâ fatuitate peccasti, custodiui te, ne in opus excederes, superbia enim peccantibus & scienter puteus ruinæ patet, sed marito intellectui voluntatis vagæ subde ceruicem, quia Propheta est, idest prouidendi internæ, & externæ vtilitati princeps est, & cum à carnali liber affectu ad sibi prospiciendum ingenium exacuerit, quicquid aget, quicquid meditabitur, oratione dignum, & vitali præmio erit, quòd si distuleris, in obstinationis, & impœnitentiæ insensibilitatem, quòd est mors animæ, rues, & si quid tibi boni resedit, pariter amittes.

Vers. 8. *Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos suos, & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum: Timuerúntque omnes viri valde.* Abimelech de nocte consurgit, cum superbiæ motus, qui ex patre reuerà diabolo est, de concepta auaritiæ obscuritate se eleuat, quæ mentes prudentium excœcat, seruos suos, idest cogitationes, quæ in suggerendis sibi vanitatibus deseruiunt, ad rationabiliter sapere conuocat, & quæ sibi Deus inspirando innotuerit, intellectualiter narrat, vt diuinum eis timorem incutiat.

Vocauit autem Abraham, & dixit ei: quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis? Abraham vocat, cum totas intelligentiæ sibi illustrandæ vires acuminat, pensa, ait, quid egeris, cum ad te pertineat animales corporalésque turbas ob ingenitam tibi ingenij viuacitatem restringere, non nos motibus his humanitùs excedentes tam in te peccauimus, quàm tu in nos, qui tui authoritate arbitrij debueras rexisse nos: ac si diceret: si me, motum scilicet superbiæ ad horam admittere non debueras, regnum quare eius damnationis admittebas? ex hoc ergò grande tibi peccatum incubuit, non tam quia me, sed quia regnum superbi consilij diuturnitate susceperas. Vers. 9.

Quid, inquit, *vidisti, vt hoc faceres*, idest quam huius tui praui assensus rationem afferς. * *Cogitaui*, ait Abraham, *mecum dicens: fortè non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter vxorem meam.* * *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam vxorem.* Locus timorem Dei non habens, cor nostrum est tepiditate marcidum, quod regere non audet, nec defendere voluntatis coniugium, dum interfici se timet impetu tentationum, & tamen ait, eam quodammodo sororem non diffiteor, dum ex diaboli patris propagatione quasi Belial, quod est absque iugo liberam voluntatem abire patior, sed non filia matris meæ æternæ sapientiæ est, ex qua suscepi vxorem, cuius vtique originalia documenta tradunt me hanc non vt parem, aut dominam, sed habere maritali seueritate debere vt coniugem. *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: hanc facies mecum misericordiam, in omni loco ad quem ingrediemur, dices, quòd frater tuus sim.* De domo patris nostri educimur, quandò de conscientia, quæ patri diabolo conformabatur per confessionem egredimur; dicimus verò nostræ voluntati, vt nobiscum faciat misericordiam, cum quasi ratiocinando sibi suggerimus, vt non nimis arduam arripiat viuendi regulam, vnde ad locum dicitur ingredi, quia cum propositum tenuis alicuius vitæ mens languida cœperit aggredi, sine vllo meliorandi desiderio, ac si localiter intra idipsum vult contineri, & inde turpiter nolenti proficere contingit sæpe relabi: misericordiam itaque præbet, cum

Vers. 10. *Vers. 11. *Vers. 12. Vers. 13.

remissæ rationi voluntas fauet.

Vers. 14. *Tulit igitur Abimelech oues, & boues, seruos, & ancillas, & dedit Abraham: redditque ei Saram vxorem suam,* * Vers. 15. *& ait: Terra coram vobis est: vbicumque tibi placuerit habita.* Abimelech tollit, cum rationi tollenti diabolus superbiæ incentor, vel ipsa superbia non contradicit, vnde est: Et vinctis eius non aperuit carcerem, quod est clausit. (Isaiæ 14. 17.) Ratio autem oues tollit, cum ab intentione adipiscendi honoris impendendæ beneficia charitatis quæ operit multitudinem peccatorum, quod per lanigeros congruè designatur greges, funditùs abstrahit: boues verò exercitium prædicationis, seruos, & ancillas fortes dicimus & infirmas, & ad sæculum pronas sollicitudines cogitationis; aliud namque violentiâ possumus, aliud fragili adulationi inseruiendo tractamus: Hæc Abrahæ dat, cum habere volentem spiritum iam non impugnat: vxorem reddit, cum ab ipsius voluntatis irritatione quiescit: terra, inquit, est coram vobis, idest conscientiæ libertas vestris suppetit arbitriis, in quo tibi placuerit sanctitatis proposito conuersare, & habita.

Vers. 16. *Saræ autem dixit: Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, hoc sit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt, & quocunque perrexeris, memento te esse deprehensam.* * Vers. 17. *Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, &* * Vers. 18. *vxorem, & ancillas eius, & pepererunt.* * *Concluserat enim Deus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abraham.* Abimelech Saræ dixit, cum à suo impetu cessans, quæ subiecta sunt per effectus euidentiam videre permisit: heus tu, inquit, voluntas, mille argenteos fratri tuo dedi, idest ab omni cupiditatis suggestione quiescens, totius terrenæ facultatis abiiciendæ copiam non abnui tibi germanitùs iuncto intellectui, quæ abrenunciatio non tam modò rerum, quam cupiditatum in munimen erit tibi oculorum, intentionum scilicet tuarum, vt non grauentur pituitâ curarum, vt omnes qui tecum sunt, rationales vtique tui motus, seù virtutum studia, quæ nobis ac si quidam familiares adsunt, hoc immunitatis contegantur asylo, ad quæcunque pietatis proposita appetendo processeris, & licet in multam sanctitatis eminentiam aliquando perueneris, tamen à mea regione, quam semel expertus es, te à modo dirimens superbiæ te voragines semper irruisse memineris. Mille argenteos pro plenitudine totius terrenæ substantiæ accipimus, vt est, vir affert pro fructu eius mille argenteos: (Cant. 8. 11) Abimelech dat, cum non disturbat. Porrò Abraham pro Abimelech orat eúmque Dominus cum vxore, & ancillis sanat, cum spiritus noster pro incursu quem subiit superbiæ, Deo supplicat, cuius motum cum sua quæ sibi fœdè ac infructuosè substernebatur concupiscentia, & ancillari ac sordidâ petulantiâ Deus sanat, cum appetitus, & lasciuias animales ad potiùs in se delectandum conuocat, & pariunt, dum amorem benè agendi concipiunt; quandiu namque voluntas per desideria adulterina distrahitur, vulua domus, idest conscientię aditus ad diuini seminis vim tenendam obstruitur.

CAPVT XXI.

Visitauit autem Deus Saram, sicut promiserat, & impleuit, quæ locutus est. (Vers. 1.) * *Concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore, quo prædixerat ei Deus.* * Vers. 2. * *Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac,* * Vers. 3. * *& circumcidit eum octauo die,* * Vers. 4. * *cum centum esset annorum; hàc quippè ætate* * Vers. 5. *patris natus est Isaac.* Tandem igitur post hæc voluntatem victis vndecunque vitiorum impulsibus Deus visitat, qui vincenti se daturum edere de ligno vitæ spoponderat. (Apoc. 2. 7.) Conceptum spirituali desiderio filium parit, cum certam spem ex nimio mentis feruore resumit. Filios namque ob posteritatem, & nostri cum senuerimus substentationem, spes nostras vocare solemus. Hanc certam sine vllo iam peccati scrupulo spem beatus expertus erat Antonius, qui ait: *Ego iam non timeo Deum sed amo*: & hunc parit in senectute, idest exhaustâ omni iuuenili præsumptione, & circumsitâ dierum, idest virtutum multimodâ luce, & quo Deus prædixerat tempore, eâdem scilicet quâ spem perfectionis obtinendæ assumpserat Dei contemplatione. Is ab Abraham, ab ipso videlicet rationali contuitu vocatur, idest discretiuè intelligitur Isaac, quod est risus, & gaudium, quod per spei donum hîc iam intelligitur in pignore, ex quo nobis astruitur, nos idem longè tamen ineffabilius accepturos in re. Hunc denique circumcidimus octauâ die, quia intellectualiter colligimus nos ad integrum passibilitatum miseriis exuendos solummodò in resurrectione. Centum annorum id agimus, cum de sinistra præsentis sæculi expediti præuolare studemus ad amorem spémque futuri, quod est in dexteram transpositio numeri. Hac ætate Abraham intellectualis nascitur materia gaudij spiritualis, ætas verò nil aliud quàm prouectio est sanctitatis.

Risum, inquit, Saraï, mihi fecit Deus: quicumque audierit, corridebit mihi: (Vers. 6.) * *Rursúmque ait: quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* * Vers. 7.

Iure ait ita vocauerim, cum in hac Ægypto mœroris, & angustiæ loco, æterni me gaudij iam Deus fecerit habitus prægustare futuros. Quicumque audierit, idem videlicet palato cordis sapuerit, meis vtique gaudiis non inanibus ipsum nequaquam aggaudere pigebit. Quis ait opinari posset rationem illam in peccati olim ludibrio prostitutam, tam cœlestia sapere potuisse, & voluntatem, quæ sensualitatis vberibus solita erat menti ministrare libidinis cuiusque venenum, iam Scripturæ candoribus ac si lacte purissimo conceptæ spei educare desiderium, quod iam spiritui suo ab omni terrenæ conceptu leuitatis effæto protulit pia sola, sola sancta volendo.

Vers. 8. *Creuit itaque puer, & ablactatus est: Fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Duo virosa sunt vbera, quibus prauitas nostri nutritur affectus, sensualitas corporalium visioni acclinis, & ipsius imaginatio visionis, multò deterior apertâ rei visione præsentis: sunt & duo alia quibus interioris hominis vsque ad solidum promouentur initia, aut duo scilicet testamenta, aut geminæ dilectionis præcepta, quorum vsu dum spiritualis Isaac piâ coalescit infantiâ, vsque ad ipsum panem Angelorum quàm dulcis est sapiendum prouehitur, sublata primæuæ teneritudinis inertiâ. Dies autem ablactationis ipsa est diuinæ illustratio contemplationis, vbi fit illud ineffabile conuiuium non iam simplicitate lactis, sed apparatu sempiternæ soliditatis; cœnat enim Dominus nobiscum tunc, nósque cum illo.

Vers. 9. *Cúmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac, dixit ad Abraham:* * Vers. 10. ** Eiice ancillam, & filium eius; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* * Vers. 11. ** Durè accepit hoc Abraham pro filio suo.* Temporibus nostræ spiritualis infantiæ quamdiu opus lacte habemus, Agar Ægyptia nobis, idest affectio mundana obuersatur, quæ filium habet, quia spe aliqua mundiali non caret: spem autem per filios accipi sæpè diximus: is cum Isaac ludit, quia spiritualis nostri desiderij gloriam ad ludicra inaniaque deflectit. Sed sanctæ libertas voluntatis nolens spiritus gaudium adnullari, affectionem sæculi cum spe sua rationis authoritate, quod est Abraham iubet excludi. Durè tamen ratio accipit, quia etsi velle sibi adiacet, abiicere quod genuit leuitatis, facultatem non inuenit; spe enim etsi falsâ plerumque trahitur: sed filius ancillæ iure proiicitur, quia cœlestis regni, inquantum spes ancillaris desciuit ab eius amore, mercede minuitur. Hunc ergò crucifigi iuxta Apostolum mundo oportet, sed primitùs ipse mundus crucifigatur eidem; (Gal. 6. 14.) * Vers. 12. ** Non enim, inquit Deus, tibi asperum videatur super puero, & super ancilla tua. Omnia quæ tibi dixerit Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* * Vers. 13. ** Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Etsi ait affectionis catenâ protraheris, & vanâ spe afficeris, ne acidè feras hæc tota rescindere, vim spiritualis vt te monuerit exequere voluntatis, sciens ex æternitatis desiderio fructum indefectibilis lætitiæ ex Isaac scilicet non aliunde vocari. Filius verò ancillæ licet rudis adhuc aspiret in extera, postquam semen tuum fuerit, idest fructui sempiterno idoneum se exhibuerit, & carnalia seminare velle destiterit, in magnam cogitando, loquendo, agendo studiorum proborum gentem erit. Notandum autem quòd semen, & fructus esse solet spes quæque propagandi fructus.

Vers. 14. *Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius: tradiditque puerum, & dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabée.* Surgit Abraham mane, cum spiritus noster ex diuina luce ad cohibendos animi fluxus erigitur à proprio torpore: Panem, & aquæ vtrem scapulæ eius imponit, cum diuinæ charitatis pabulo, & scientiæ salutaris temperamento, mens mundanæ affectionis rigorem quasi iugo deprimit. Vter pro temperantia non absurdè ponitur, vnde & Deus quasi in vtre statuisse dicitur baptismatis aquas, cuius gratiam pro suscipientium causis & fundit, & retinet: aqua scientiam, panis charitatem affatim signare solet. Puerum tradit, eámque dimittit, dum cum totis affectibus nequam spes etiam quasque repellit. Porrò recedens à nobis in solitudine errat, quia in mente iam vnica, & à negotiis secreta iam appetitus carnalis nutat, sedem scilicet cordis non habens in quo localiter requiescat. Vnde per loca inaquosa, per fortes animi in quaque virtute status ambulare expulsus ab homine spiritus dicitur. Bersabée autem puteus saturitatis interpretatur; nam puteus, idest cupiditatum profunditas postquam ad saturitatem fastidij peruenerit, idque mens exhorruerit, tunc apud se iam solitaria fieri, Deóque vacare poterit.

Vers. 15. *Cúmque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat.* Vers. 16. ** Et abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus iacere.* Consumitur aqua in vtre, cum attenuatur vis scientiæ, & discretionis in mente: solet namque quidam motus quasi desperationis, & ex eadem desperatione defectus suboriri in animo: postquam cum spe sua repelli cœpit sæcularis affectio, Agar videlicet cum filio: attendit nempè difficultatem cœlestium sequendorum, & veretur grauiter penuriam terrenorum. Abiecit ergò

puerum subter vnam arborem, cum spem ponit innitendo super potentis alicuius personam, immò, vt sequamur historiam, abiecit, per apostasiam primæ bonæ voluntatis scilicet, ac si furibunda, & à Deo deficiens, homini cuiquam sese quasi meliùs iuuanda supponit. Arbor singulariter personam signat, vnde in Apocalypsi à quatuor Angelis obsistitur, ne ventus in aliquam arborem flare debeat: congruè ergò dicitur de arbore, quia ibi erat, ea enim quæ iuxta sunt & præsentialiter teneri, móxque negotio nostro queunt adniti, magis solent quàm æterna diligi. Abit itaque à boni cœpto propositi, sedet eregione procul, dum in expectatione temporalis quæstus flectitur status conscientiæ: fit verò procul quantùm potest arcus iacere, quia etsi fluxa sedeat, & cupida inspiciat, tamen & ex ratione ad Dei timorem se reprimens, ab ipso suo quo trahitur appetitu se abstinet, quantùm ipsius rationis quæ est signata per arcum, quia ad certum ac si sagittam id quod sentit emittat, potest exprimendo determinare sententia.

Apoc. 7. 3.

Dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contra leuauit vocem suam, & fleuit. * *Exaudiuit autem Dominus vocem pueri: vocauitque Angelus Domini Agar de cœlo.* Moritur puer, cum sæcularibus intenta prorsus à Deo interimitur spes: non vult itaque videre morientem puerum, cum carnalis affectio diuini timoris non inscia, non patitur contemptis cœlestibus se omnimoda spe ad sui perniciem ambire mundum. Vox carnalis est appetitus, desiderium mundialis quæstus; hanc ergò suam vocem eleuat, cum à temporali ad æternam affectum cupiditate exaltat: sed sedet contra, quia etsi secundum hominem inflecti quadam indigna se sessione videt ad infima, vbi pugnaciter stare decuerat, ex rationis tamen voto exclamat contra. Flet autem, cum interioris fluxus aquas, per animi iuges à se emittit angustias. Notandum verò, quòd non vocem matris, sed pueri Deus dicitur exaudisse, quia non appetitum, qui ex carne mouetur, sed spem, quæ paupertati spiritus intenta, & à præsentis sæculi gaudio iam destituenda est, exaudire Deus gratantissimè consueuit. Oratio namque pauperis cum anxiatus fuerit, & coram Deo effuderit precem suam iuxta Psalmi titulum, ad Deum quasi clamor peruenit. Vnde Angelus Domini de cœlo Agar vocat, quia sermo diuinus bona quæque nuntians de sacræ Scripturæ excellenti mysterio ad ea quæ aguntur intra nos consonans, de nostro statu interrogat. Hoc cœlum extenditur sicut pellis.

* Vers. 17.

Psal. 103. 3.

Quid agis, inquit, *Agar, noli timere?* Ac si dicat: Pensa Deum spem tuam in se ponentibus adiutorem fore, & ideo penuriæ cuiuspiam motu noli ab eo deficere; quod igitur agis insiste: *Exaudiuit enim Dominus vocem pueri de loco in quo est.* Exauditur, cum nostræ desiderium voluntatis spem de profundis attollere cupientis, de situ bonæ intentionis, quæ locus noster est, & esse debet, in quo dum constiterimus, ad verum esse tendimus, à Deo benignè accipitur. *Surge*, ait, *tolle puerum, & manum illius, quia in gentem magnam faciam eum.* Surge ab hæsitationis diffidentia, tolle spem ab imis ad supera, sit in ipsa supernæ spei manu, idest virtute continentiæ perseuerantia, quia talibus officiis in sanctarum operationum propagines est dilatanda.

Vers. 18.

Aperuitque oculos eius Deus: Quæ videns puteum aquæ, abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere; * *Et fuit cum eo: qui creuit, & moratus est in solitudine, factúsque iuuenis sagittarius.* * *Habitauit in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti.* Ad videndum puteum aquæ Deus eius oculos aperit, cum ad eum persentiscendum sapiendúmque qui fons est aquæ viuæ & origo sapientiæ ac scientiæ, Christum scilicet, qui nil aliud quàm quòd mitis est, & humilis corde, à se nos discere voluit, mentis velamen detegit: ambitu itaque votorum hunc adiens implet vtrem, reparat videlicet vires scientiæ intra animum iam vtique temperantem. Potat puerum, affectualitate enim ad Deum versâ, spei nostræ desideriis æstuanti idem impenditur gratiæ donum: fuitque cum eo, quia cum ad pietatis amorem solum vergit affectio, indiuidua spei mox comitatur deuotio, quod enim te consequi posse desperas miror si diu concupiscere queas, & spes crescit à transitoriis ad æterna, & moratur in solitudine dum remouet à se ad Deo soli se porrigendam strepitus conscientiæ. Porrò inde fit iuuenis sagittarius cum talium experientiâ casuum ad spiritus discernendos efficitur intellectus spei nostræ subtilis & disertus. Lignum namque corporis, dum chorda rationis inflectitur, vis inde spiritualitatis acuitur, & quasi ad certum sententiæ sagitta dirigitur, attamen licet solitudinis iam quietem appetat, aliquotiens in deserto Pharan habitat, horrorem vtique ferocitatis vitiorum molestum valde tolerat; mater enim suâ concupiscentia, quæ se quondam in peccatis genuit, vxorem illi de terra Ægypti accepit, carnem scilicet cuius lenocinio molliatur animi rigor, quæ ob terrenitatis propriæ pondus omni tribulatione coangustatur, admouit. Admouet sanè, quia indesinentibus stimulis ad malum vrget. Pharan autem interpretatur, ferocitas eorum, Ægyptus tribulatio coangustans.

Vers. 19.
* Vers. 20.
* Vers. 21.

Vers. 22. *Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecum est in vniuersis quæ agis.* * Vers. 23. *Iura ergò mihi per Dominum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ, sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi, & terræ in qua versatus es aduena.* Gloria victoriæ semper est affinis superbiæ, & cum opinionis aura discurrerit, impetit animum vis cenodoxiæ; eodem ergò tempore, ipso videlicet statu victricis animæ, quo se audacter aduersus prælibata mala extulit, loquitur Abimelech, & Phicol, superbia scilicet, ac cenodoxia spirituali suggestione ad Abraham. Deus, inquiunt, siue prospera, siue aduersa tibi irruant, in bonum tibi cooperatur, nec vllius vitij impulsu scias tibi posse perniciosum aut desperabile discrimen accidere, quem in tot mentis incursibus contigit diuinitùs victoriam meruisse. Iura ergò per Dominum, quod est dicere: Quoniam tantam Dei erga te experiris clementiam, securus opinionis tuæ quæ per omnium ora volitat excipe gloriam, vt potè qui certò nosse possis, quod non sine Dei voluntate lauderis, vnde per Dominum, idest per eam qua Deo inniteris fiduciam, mihi, inquit Abimelech, quod est superbia, pollicere, quòd nec mihi noceas, in tuis me operibus destruendo, nec posteris, laudem scilicet, quæ opera sequitur, abiiciendo, nec stirpi meæ, intentionem, quæ radix est operum, extinguendo. Abimelech interpretatur patris mei regnum, quod est superbia, cui regnat diabolus, vnde est, & ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Phicol dicitur os omnium, in quo accipitur inanis gloria, quæ se omnium quærit celebrare per ora. Gloria etiam diffiniri solet, frequens de aliquo fama cùm laude. Abimelech nobiscum misericorditer facit, cum temporalis exuberantiam gloriæ suggerit: idem sibi impendimus, cum ingestioni honorum prauâ delectatione fauemus. Porrò terræ miseremur, in qua versati sumus aduenæ, cum corpori nostro curam indulgemus, in qua exhibenda temporibus olim nostræ abstinentiæ non domestici, sed quasi extranei, & aduenæ fuimus. Abraham itaque, intellectualitas videlicet nostra his quàm simpliciter suggestis flectitur, & secundum ea se acturum pollicetur.

Vers. 24. *Ego ait iurabo:* * Vers. 25. *increpuit tamen Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant serui illius.* * Vers. 26. *Nesciui* inquit Abimelech, *quis fecerit hanc rem? sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui præter hodie.* Puteus aquæ, profunditas est discretionis ac intelligentiæ: Hunc serui Regis auferunt, cum praua superbiæ opera, quæ ipsi quasi Regi deseruiunt, cæcitatem nobis reprobi sensus immittunt: sed cogitatio superba cum hæc suæ suggestioni ac si increpando opponimus, se nescire quis fecerit hoc respondet, quia non suo reatui ascribi patitur, sed nec vllis argumentis sibi probari posse testatur, quod mentis perspicacitas per se obducatur. Præter hodie non audisse se dicit, quia nil se sapere, nil intelligere nisi hodie, idest lumen falsâ testificatione diuinæ in suis operibus glorificationis, & seruandæ honestatis, cum verè superbiat, & inaniter glorietur, perhibet. Hodie audit, quia quicquid sibi inest simpliciter totum ac lucidè intelligere se ac facere sine vlla reprobi sensus scientia, quæ vllis indiciis coargui possit, asserit.

Vers. 27. *Tulit itaque Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech. Percusseruntque ambo fœdus.* * Vers. 28. *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.* Abraham oues, & boues Abimelech dat, cùm intellectus noster admisso in se superbiæ regno simplicitatem animi, & charitatis beneficium, quod totum ob mitem naturam, & velleris impensionem in ouibus accipitur, & prædicationis laborem, quod in bobus notatur, ipsi videlicet consumendum superbiæ prodit potius, quàm commodat. Fœdus ambo percutiunt, dum mundi arridente gloria ratio, & superbia irrefragabiliter consentiunt. Notandum quòd Abimelech & Phicol, cum duo sint vitia, ita tamen sibi sunt annexa, vt nunquam à cenodoxia possit dimoueri superbia, illud quàm maximè quod Phicol princeps exercitus Abimelech dicitur. Cenodoxia namque totas superbiæ vires in se habere dinoscitur, dùm tantò rabidiùs per sanctitatis simulationem eleuari nititur, quantò visibus hominum humiliùs conuersatur: plus sanè sibi contrahit iniquæ valetudinis qui fictè, quàm qui superbit apertè. Per septem autem agnas intelligimus vniuersales Spiritus Sancti gratias: has seorsum statuimus, cum effluente alias animo has inter superbiendum, & vanè gloriandum conseruare discernendo censemus. Sed quid hæc agnarum sibi velit distinctio miratur Abimelech, quia constat superbiæ typum indignè semper ferre bonæ intentionis consortium.

Vers. 29. *Quid sibi*, inquit, *volunt hæ agnæ, quas stare fecisti seorsum?* * Vers. 30. *At ille: septem ait agnas accipies de manu mea, vt sint in testimonium mihi, quia ego fodi puteum istum.* * Vers. 31. *Iccircò vocatus est locus ille Bersabée, quia ibi vterque iurauit.* * Vers. 32. *Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti.* Ac si diceret. Sanctæ, & spiritualis meæ intentionis propositum quandiu tuis deseruire placebit nugis de manu mea, idest de me à spontanea deliberatione non extorquebis, sed quasi depositum alieni iuris conseruandum non consumendum accipies, solemus

enim scienter quædam in nos mala admittere, & tamen non deserere intentionem voluntatis bonæ, vt sit inquit in testimonium mihi ipsa pietatis affectio, quia quondam mihi discretionis ac scientiæ fontem carnalium ruderum quasi cuiusdam obsoleti lacus comparauerim repurgio. Puteus ergò iuramenti quod est Bersabée locus ille dicitur, quia ibi vterque iurauit, dum & aliqua mala intra mentis sinum ex industria recipiuntur; & tamen ne in reprobum ruere cogant sensum, ex aliqua parte respuuntur, spondente conscientiæ vitio se nullatenus extra regulam progressurum, conscientiâ respondente aditum sui gloriæ temporalis occursui vt potè honestæ rei non negandum, tamen citra omnem infamis culpæ reatum. Sed attendendum esset, quia modicum fermenti totam massam corrumpit: solemus enim aspicere aliquos in quibus & quædam mala patent, & bona tamen aliqua retinent, nec cogitamus, quia aliud est infirmitate aut ignorantia illos delinquere, aliud nos superba deliberatione peccare, aliud etiam naturalibus vitiis lædi, aliud non naturalibus, quod est superbia & cenodoxia sponte addici. *In maleuolam animam non introibit sapientia*, cum tamen peccatori per ipsam sapientiam inspiratur pœnitentia. (Sap. 1. 4.)

Bersabée itaque vocatur locus, dum in hac nefaria Dei, & diaboli intra vnam animam participatione, misera ratio figere nititur, quod fieri non potest, quasi localem statum: sed non est participatio luci ad tenebras, diffugit planè lux tenebras peccati. Ineunt fœdus pro puteo iuramenti, dum quidam qui nec carere vitiis volunt, & tamen ad flagitia non pro Dei metu, sed pro sæculi potius infamia deuenire metuunt, hos status intra se nunquam staturos stabiliunt, vt puteus non obruatur scientiæ, pro quo irrita mox futura & mens, & vitium sibimet iuramenta dedere. * Sed surgit Abimelech, & Phicol princeps militiæ eius, & reuertuntur in terram Philistinorum, quia peccati initium semel admissum semper seipso potentius surgit animi iam captiui vsurpans imperium, & ad terrenitatem nos cogit reuerti Philistinorum, idest potione cadentium, eorum scilicet qui vino gloriæ mundialis debriati à recto deuiantes sensu, in funesta malorum discrimina cadunt. (* Vers. 33.)

Abraham autem plantauit in Bersabée nemus, & vocauit ibi nomen Dei æterni, & fuit colonus terræ Philistinorum multis diebus. Plantat Abraham nemus, cum iam ad sæculi tractus animus voluptatem, incultas, inextricabili errore perplexas, & cæcas cogitationes fixâ iam deliberatione gignit: vocat tamen ibi nomen Dei, quia sæpius ad cor rediens apud Deum conqueritur de ruina, cui iam nu[...] inuitus subiacet sui: Vnde pulchrè additur æterni, quia etsi ex suæ granditate nequitiæ difficilis sua sibi videtur laxatio, æternum tamen reminiscitur Deum, qui antiquitùs mira in talibus egit, & nostris per talia temporibus non desinit. Vnde est: *Iesus Christus heri & hodie ipse est, ipse & in sæcula* huiusmodi vinctos soluere poterit: talium vox est: *De profundis clamaui ad te Domine*, & reliqua. Fit colonus terræ Philistinorum multis diebus, quò enim multiplicior diuinæ ad se dinoscendum illustrationis sibi in venerit intellectus, eò grauior aperitur menti tristitia de diuturnitate sui inter vitia incolatus. *Inueteraui*, ait quidam, *inter omnes inimicos meos*. Et: *Incolatus meus prolongatus est*. *Ego*, ait alter, *vir videns paupertatem meam*. (Heb. 13. 8. — Psal. 129. 1. — Psal 6. 8. — 119. 5. — Thren. 3. 1.)

CAPVT XXII.

QVæ postquam gesta sunt; *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham. Adsum*, inquit. * *Tolle*, ait, *vnigenitum filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque offer eum ibi in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi*. Ex hoc gestorum ordine venitur ad hoc quod tentat Deus Abraham. Notissimum est, hoc in loco tentationem non aliud quàm probationem intelligi; itaque tentat, cùm inter hæc omnia probando spiritum nostrum erudit, & examinat. Dicitur quodam in loco, quia septies cadit iustus, & resurgit, quod iuxta Hieronymum sic accipitur, iustos videlicet diuersis tentationum pulsibus cadere, sed tamen per affectum bonæ intentionis ad pœnitentiæ statum semper resurgere, & ideò iustitiæ nomen non amittere, quia non desistunt peccata munire, per quæ eruditi discunt postmodum fortiter stare. Vnde nemo miretur in his opusculis dum moralitatum interna disquirimus, quod præmissâ virtutũ quarumcumq; gloriâ, vitiorum aduersa subnectimus, arridente opinioni nostræ ipsius materiâ textus. Non, inquam, miretur quis, sed ita agi præsentis vitæ penset ærumnam, vt nil penè sit virtutis in homine, quod non aliqua aliquando peccati labefactatione lædatur. Tentans ergò eum Deus ex nomine vocat Abraham. Ac si diceret: si ad probationis meritum ex tua cupis impactione proficere, pater multarum gentium, idest pastor cogitationum multarum, quæ sunt origines operum, necesse est primùm studeas eminere. (Vers. 1. — * Vers. 2. — Prou. 24. 16.)

Adsum inquit, idest non mihi deero in tuorum executione dictorum. Tolle ait spem, quam

quam vnico affectu te prosequi decet ab infimis inhæsuram Isaac, id est risibus æternis, & vade passibus desideriorum in terram, solidam scilicet certitudinem visionis, diuinæ vtique speculationis. Visiones licet per corporum soleant fieri imagines, tamen in Prophetico actu quamuis per corporeas forsitan immò reuerà ostenderentur similitudines, tamen quantum ad eos à quibus videbatur spectat, ipsæ imagines quæ aliis erant, ipsis ad plenum per imagines significata intelligentibus apertæ contemplationes erant. Vnde est: *Tunc locutus es in visione sanctis tuis.* In hac autem visione quod est intelligentia contemplationis terram firmæ cuiusdam cognitionis inuenimus, quia vnde tepidi dubitamus, ad huius accedentes calorem certi illicò reddimur. Filium holocaustum offerimus, cum spem à sæculari scoria igne desiderij cœlestis ad purum excoquentes, Deo soli votis, & actibus exquirendo nitidam exhibemus. Mons qui nobis vnus, idest singularis à Deo monstratur, humilitas accipitur, sine qua & terra visionis exinanitur, & holocausti deuotio tota cassatur; nec absurdè mons intelligitur humilitas, cùm qui se humiliat eum exaltandum veritas perhibeat: hunc nobis montem indicat, cum specialiter super hoc Apostolis imperat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quisquis igitur ritè immolat, spem quæ bono surgit opere in excellentia humilitatis quasi fundamento stabiliat.

Psal. 88. 20.

Matth. 11. 29.

Vers. 3. *Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum, ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cùmque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus.* Abraham de nocte consurgit, cum cogitationum perplexitate, obscuritate ac incuria, quæ per nemus superiùs signata sunt, spiritus noster se sagaciter eruit. Asinum sternit, cùm corporis lasciuiam, quòd si sibi liceat asinum viueret, contigua semper castigatione restringit. Duos iuuenes cum Isaac filio secum duxit, cum voluntatem & affectum sibi ratio coniungit, quibus duobus nisi rationis grauitate frænentur, leuius in homine nil existit, vnde iure nomine iuuenum scriptura eos exprimit: spem quoque, idest Isaac eodem pariter voto secum trahit. Ligna concidimus in holocaustum, cum scripturarum exempla excerpimus, quibus acrius animi desiderium inflammemus. Ad locum quem Deus præcepit abimus, cum in dies proficiendo humilitatis culmen attingimus.

Vers. 4. *Die autem tertio eleuatis oculi vidit locum procul: * dixitque ad pueros suos. Expectate hic cum asino: ego, & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Primus dies eorum qui reuertuntur ad cor, benè operandi voluntas est: secundus certi destinatio propositi, sub qua professione videlicet viuat: solent namque talibus quædam ambages occurrere; aut eremi, seù reclusionis, siue monachatus, vel peregrinationis arripiendæ. Tertius dies, vbi ad certum proposuerint, destinata effectui mancipare: hac tertia die diuina præcipuè gratia solet conuersorum animis illucere; hac enim fiunt nuptiæ in Chana Galileæ, vbi transeunt mirè moraliter in vinum aquæ. In hac inquam cum pietas desiderij in fructum operationis dignæ proruperit, ab imis ad supera contuenda liberi iam sæculi pituita eleuantur cordium oculi, locúsque procul videtur, quia sapore quodam intimo post fluctus, & instabilitates præsentes ærumnæ, firmissima illa statio, quod est Deus, qui vniuersalis quidem, sed specialis sibi cohærentium locus est, & fide primo videtur, idest creditur, dehinc contemplando cognoscitur: procul aspicitur, quia longè est, ab eo quod Deus est, quicquid de eo humana cogitatione sentitur: pueri quibus loquitur Abraham, sensualitas ac imaginatio nostra sunt, quæ & pueriliter se agunt, & sapiunt, & corporalium vix vnquam consideratione recedunt, vnde & cum asino expectare illi iussi sunt; hi enim præ nimio sui pondere ad alacritatem nunquam contemplationis accedunt. Ratio verò naturali quadam pennâ sublimium potens cum puero, spei videlicet sanctæ iugi incremento illuc properat, dum bona cœlestia quæ intelligit sperando desiderat: Nam progressus animi ipsum est desiderium, spes etiam ipsa dicitur, quasi est pes, qua promouemur ad Deum; signatur sanè rectè per puerum, quia sicut puerum per nutrimentorum curam speramus crescere, sic spem per bona opera nemo est qui nesciat ad perfectam procedere securitatem gloriæ consequendæ. Postquam adorauerimus reuertimur ad vos, idest vbi diuinæ cognitionis quippiam attingentes, ex summa eius incomprehensibilitate quicquid sumus in nobis humiliter contraxerimus, ad humana rursum sapienda & tractanda redibimus.

* Vers. 5.

Vers. 6. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium:* Ligna holocausti tollimus, cùm sanctæ scripturæ dicta quibus ac si veri ignis fomento deuotionis nostræ flammas augeamus, gratanter

excipimus. Isaac filio nostro ea imponimus, cum spei nostræ ad superna gaudia instigandæ, de cœlesti fælicitate sacri eloquij verba quasi oleum flammis ingerimus. Abraham in manibus ignem portat, cùm ratio nostra feruorem interni desiderij sui per exhibitionem piorum operum prudenter ostentat. Portat gladium, dum discretionis regulam non excedit ipsâ administratione virtutum: si enim rectè offeras, & rectè non diuidas, peccasti.

*Vers. 7. *Cúmque duo pergerent simul*, * *dixit Isaac patri suo: Pater mi? At ille respondit: quid vis fili mi? Ecce*, inquit, *ignis, & ligna, vbi est victima holocausti?* *Vers. 8. * *Deus*, ait, *prouidebit sibi victimam holocausti fili mi?* Duo simul pergunt, cum indiuisibiliter & rationabile speramus, & sperabile ratiocinamur; hæcque vnum expetentia idem gerunt. Pater autem spei non absurdè intellectus dicitur, quia vnde spes prodeat ex ratione colligitur, & vbere charitatis admoto ab spiritus natura progreditur: spes intellectum compellat, dum carnalibus desideriis mota ad cœlestium desperationem patrocinium eius sibi aduocat: intellectus ipsam filium nominat, dum sibi quadam naturali vnione cohærere debere rectitudinis statum docendo determinat. Ecce inquit ignis, & ligna, ac si diceret: Ecce feruor benè agendi mihi iniacet, & scripturarum promissio confluentibus hinc inde testimoniis si perseuerauero grandis elucet, tot corporalium desideriorum irruente gelu, vbi reperiri poterit omnimoda illa consumptio mundialis affectus, vbi calor qui incendat Sancti Spiritus: Victima mens ipsa est, quæ tunc est holocausti, cum nil relinquit inconsumptum vitij: sed cùm ratio releuat spem, & spes crebrò consulit, & inter consulendum suscitare nititur rationem, vtraque necesse est referantur ad Deum victimarum prouisorem. Ex libero namque arbitrio nostro & plantamus, & plantata rigamus, sed nihil est quod inter nos agimus, nisi ex gratia incrementum det Deus.

*Vers. 9. *Pergebant ergò pariter*, * *veneruntque ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit.* Pariter pergunt, cùm eadem intentione cœlestia, Deúmque ambiunt, dùm nec spiritus sine rationabili spe est, nec spes sine spirituali rectitudine est. Ad locum venimus, quem ostendit Deus, cùm in Dei visione ad momentum quasi loco à nostra fluctuatione subsistimus, quod tamen non nisi præuia ipsius illustratione attingimus. In quo altare ædificamus, super quod ligna componimus, dum conscientiæ deuotionem cæterarum cœtu virtutum adminiculante erigimus, sacríque eloquij vndecumque dicta excerpimus, & cordis altari magis magísque incendendo cõgerimus. *Cúmque colligasset Isaac filium suum, posuit eum super struem lignorum.* * *Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* *Vers. 10. Isaac colligamus, cum spem in cœlestibus gaudiis positam soli Deo fixâ charitate astringimus. In altari super struem lignorum ponimus, cum piæ voluntatis, & scripturarum auctoritatis, omni altari sacratiùs, fundamentum ipsi substernimus: vnde enim meliùs roboretur, quàm vt mentis puritati, & diuinæ veritati innitamur? Extendere dicimus extra tendere. Extendit ergò manum, quisquis supernâ aspiratione delectatus vltra vires proprias conatur in contemplationis exercitium. Arripimus gladium, vt immolemus filium, dum tantâ constantiâ animi diuinum amplectimur verbum, vt præsentis mundi nos omninò quod fieri non potest interimere velimus ad vsum. Etsi enim dicitur: *Vacate, & videte, quoniam ego sum*, Psal. 45. 11. discernenda sunt sola vtique noxia, à quibus vacare debemus; secundum námque passiones peccatorum, quæ in ipsis mortificanda sunt membra super terram, non ad vtilium & naturalium negotiorum curam. Hanc ille Ioannes Abba paruulus, qui viuere conatus est, vt Angelus extenderat manum, dum omnino exuere voluit vitæ humanæ: immolasset planè filium, si inflexibiliter Deo soli speculando spei intendisset intuitum: spes námque funditus eximi à mundo potest, sed spei nostræ contemplatio semper intendi non potest: secundum hoc sanè reuertuntur animalia cum incedunt.

Vers. 11. *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens: Abraham, Abraham: qui respondit: adsum.* * *Ne extendas ait manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognoui, quod timeas Deum, & non peperceris filio tuo vnigenito propter me?* *Vers. 12. Angelus Domini de cœlo clamat, cum vox sacri eloquij bona nobis nuncians de scripturæ mysterio ac si de cœlo insonat. Scriptura sacra cœlum appellatur ob secreta diuina, quæ operit, vt est: *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam.* Psal. 149. 8. Abraham bis hîc vocatur, cum paulò superiùs semel nominetur: quod non ab re creditur, illic namque per tentationem semel vocatur, vt à concepta superbia conuertatur; hîc verò geminatur, vt non modò sancta anima à suo torpore conuersa credatur, sed ex

multo etiam pietatis cultu ad iuſtificationis gloriam perueniſſe monſtretur, vnde & vocanti reſpondet, adſum: vt ſanctæ paginæ dictis debitæ obedientiæ impendere ſe prodat officium. Ne extendas manum tuam ſuper puerum, ideſt ne citra virium poſſibilitatem imbecillium, quæ notantur per puerum, tuæ contemplationis exeras conatum. Neque facias illi quicquam: cum manum ſuper extendimus, aliquid illi ſcilicet puero facimus, id eſt aliquid ex nobis, & ex virtute noſtra addere humanæ noſtræ infirmitati credimus, cùm ſine Deo nil facere præter vitium valeamus. Manum ergò ne extenderis, onus videlicet, iuxta dictum ſapientis; ſuper te ne leuaueris, vnde mox ſuperbè aliquid tibi cum nil ex te facias agere videaris. Nunc cognoui, quod eſt, cognitum tibi feci, quia timeas Deum, dum parcere filio vnigenito nolueris, dum ſcilicet de ſpe ſæculari nil intra te reſidere protuleris, ſed ipſam ſpem vnigenitam feceris, dum nulli alij præter Deo ſoli eam intendere volueris; parcimus enim ſpei noſtræ, cum aliquid mundanum humanitùs in ea patimur remanere.

Deut. 12. 18.

Verſ. 13.

Leuauit Abraham oculos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus. Quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. * *Appellauitque nomen loci illius, Dominus videt: vnde vſque hodie dicitur, Dominus videbit.* Leuat Abraham oculos, cum ad ſcripturæ intonantis monita à propriæ propoſito nimietatis erigit ſpiritus noſter ſui intellectus acumina. Arietem denique inter vepres hærentem cornibus videt, cum ſacro ſuggerente eloquio ſuperbiæ ceruicoſitatem inter vepres cupiditatum occultè in animo ſuborientium affectatæ potentiæ cornibus detentam ſubtiliter intelligit. Solet namque nimium ſubtiliter contemplari volentibus, quaſi poſt tergum, vbi ſibi minùs attendunt, ſurripere ſuperbia, quæ ita cupiditati honorum, aut laudis, ac ſi veprium ſtimulis implexa potentiæ deſiderioue luti cornibus pendet, cornibus enim potentia ſignari ſolet, vt vix Abraham intellectualis hæc diſtinguat, niſi reſpiciat ad ſeipſum, & oculos leuet, quid ſibi videlicet irrepat, ex ipſa cui contemplandæ inhiat Dei contemplatione penſet. Contemplatio autem vt ſæpè diximus, non ſolum in diuina viſione accipitur, ſed etiam in conſideratione ſpiritualium rerum, & omni diſcuſſione veritatis, in qua cùm animus ſibi præminere videtur, multa pro ſuæ ſcientiæ quaſi reuerentia, ſuperbia, & prælationis affectandæ cogitatione plerumque mordetur. Hunc ergò arietem tumoris, & iactantiæ pro filio mactare debemus, dum non ſpei noſtræ intuitum quantum ad actiuam attinet vitam extingui permittimus, ſed vitium ſuperbiæ cum ſua ambitione omnimodâ ambuſtione conſumimus. Sic enim à Deo intelligentiam ſperare debemus ſpeculatiuæ, vt intentionem non diuerberemus actiuæ. Sanè occideretur filius, ſi ſpes noſtra ſolis cœleſtibus rebus intenta deficeret ab actualis vitæ negotiis vtilibus. Nam hunc locum, ideſt cordis ſtatum Dominus videt, ideſt approbat, cum quicquid ſuboritur elationis, mactat, & inde his qui diuinæ cognitionis hodie habent certâ diſcretione conſtat, quod in monte Dominus videat, quia in ſummo humilitatis conſtitutos futuri ſæculi gloria exaltat. Videt ſuos per iuge hîc adiutorium approbando, videbit æterno decore coronando. Vnde eſt: *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

Verſ. 14.

Ioan. 16. 22.

Vocauit autem Angelus Domini Abraham ſecundò de cœlo dicens: * *Per me metipſum iuraui dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non peperciſti filio tuo vnigenito:* * *benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris.* Poſt primam Angeli de cœlo vocationem, quæ facta eſt poſt tentationem, in qua poſt conuerſionis ingreſſum euocati per diuina eloquia proceſſimus ad iuſtificationem, ſecundò iiſdem cœleſtibus ſcripturæ monitis excitamur ad glorificationis ſpem. Per ſemetipſum Deus iurat, cum per veritatis tenorem ius in nobis rectitudinémque firmat. *Ego*, ait *ſum via, & veritas*; veritatem autem tenet quiſquis à peccati fallacia ſe continet: omne bonum in ſummo bono eſſe habet, peccati verò nulla eſt eſſentia, quia ſine Deo factum eſt nihil, ideſt peccatum, & homines cum peccant fiunt nihil quantùm ad eſſe verum. Quia ergò in nullo peperciſti carnali tuæ voluntati, vt ſpe boni mundialis eam gaudere permitteres, ſed vni Deo eam vnicornis more iuxta Pſalmum intendiſti, quia rem, ideſt vtilitatem non corporis, ſed ſpiritus ad gignendum vnius irreflexæ ſpei fructum, quod ſignatur per vnigenitum, feciſti; benedicam tibi, ideſtproueham te omnimodæ virtutis effectu, & multiplicabo ſemen tuum, merita videlicet operum tuorum, quæ hîc iuxta Pſalmiſtam ſeminantur in lachrymis, præmio cumulabo centuplici, vt qui ſuper pauca fidelis fueris, ſupra multa conſtituaris,

Verſ. 15. Verſ. 16. Verſ. 17.

Ioan. 14. 6.

Matth. 25. 21. & 23.

Pſal 125. 5.

Per ſtellas cœli, virtutes animæ accipimus, quæ in æterna beatitudine ſicut à cœlo nunquam diuiduntur ſtellæ, ſic nec ſeparari poterunt à Sanctorum mente. Per are-

nam maris littoream, corporis intelligimus impossibilitatem quæ erit post resurrectionem, quando iam securitatis littore constituti, à salo motuum liberi, sicut de arena salem fieri cognouimus, ita totam carnis grauitudinem, & corruptibilitatem sapientiâ nos inhabitante condiendam credimus. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, * *& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Possidet semen portas inimicorum, cum virtutes sub se obtinent vitia, quæ sunt portæ, per quas intratur ad consortium diabolorum, antonomasticè inimicorum. Omnes gentes benedicuntur in semine, cum bona nostra in præcipuo omnium seminum augentur charitate. Ipsa enim operit multitudinem peccatorum, & dicitur perfectionis vinculum.

* Vers. 18.

Iacob. 5. 20. Colos. 3. 14.

Vers. 19. *Reuersus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabée simul, & habitauit ibi.* Post subtilitatem diuinæ speculationis, fragili quadam necessitate relabimur ad vsum humanæ voluntatis, & affectualitatis, quæ nobis pueritiam incutiunt leuitatis. Bersabée puteus septimus dicitur. Abimus ad puteum septimum, cum ad consuetudinem reuoluimur interiorum, exteriorúmque sensuum, de qua voragine cum crebrò exhauriamus vndas suborientium cupiditatum, nunquam tamen quamdiu creatura subiicitur vanitati nolens, exhauritur ad purum. Septenarius enim ex quatuor, quæ corpus signant, & tribus, quæ animam, constat, per quæ sub additamento putei interioris exteriorísque accipitur sensualitatis incomprehensibilis instar abyssi profunditas. Hîc habitamus, dum & in profundis concupiscentiarum diuersamur, & tamen quasi Domini in domo seruiles strepitus dominando deprimimus. Habitare autem sæpe in scripturis pro eo quod est, dominari, ponitur, nec ab re quia habitare ab eo verbo, quod est habere, detortitium frequentatiuum est: his autem quæ habemus Dominari nos dicimus; sic ergò Bersabée puteo videlicet septimo notissimorum carnis & animi sensuum habitando dominamur, vt eorum euagationem cohibendo aliquantisper fluxa desideria quasi aquas ex infimis exportemus.

CAPVT XXIII.

Vers. 1. * Vers. 2.

Vixit autem Sara centum viginti & septem annos. * *Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron in terra Chanaan.* Per Saram, quæ princeps interpretatur, voluntas superiùs à me intellecta dignoscitur, eo quod rationis imbuta consilio, totius bonæ principium inueniatur esse actionis. Per centum viginti annos perfectio scientiæ ac operationis exprimitur. In centenario namque perfectio, in vicenario, vbi decalogi species geminatur, doctrina & executio diuinæ legis exprimitur: quæ rei vtriusque perfectio ad septenarium, qui spiritualium est figura charismatum deducitur, quia centum viginti credentibus, Sancti Spiritus gratia illapsa cognoscitur: requiescit enim super humilem, & trementem sermones Dei; hos itaque qui sciunt & faciunt Spiritus inhabitat, fictúmque deuitat: Secundum quod itaque his innuitur numeris viuit Sara, quia taliter se habens rectè principatur voluntas nostra. Sed postquam ad Bersabée reuertitur, puerísque coniungitur, in ciuitatem Bersabée moritura deuoluitur. Ciuitas anima est, Arbée dicitur quatuor. Ex animalitate autem, ex infima scilicet nostri parte, quatuor passionum miserias toleramus, idest metuere, cupere, gaudere, dolere. Quibus dum sæculariter occupamur, à diuini omnino cultus cura distrahimur. Hebron verò, quæ & Chebron, incantator interpretatur: hæc nempè funesta quaternitas incantatoris gerit officium, dum prosequi persuadet animam cuiuslibet horum desiderij cogitatuum. Quæ omnia in terra Chanáan fiunt, quia in terrena mente continuæ inquietudinis negotium excitando, perpetuæ damnationis parari humilitati non metuunt. Chanáan sanè negotiator, vel paratus humilitati dicitur. *Venitque Abraham vt plangeret & fleret eam.* Venit Abraham, cùm ratio nostra à dispersione sua regreditur ad sui ipsius curam: flet, cum fluxus interioris mollitiem quasi aquas ab intentionum oculis emittit: plangit, cum in exteriori habitudine ac si in voce exhibet cordis anxietatem, quâ sincerè intrinsecùs pœnitet: Multos enim hoc agere palam pudet.

Act. 1. 15. Esa. 66. 2.

Vers. 3. * Vers. 4.

Cúmque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Eth dicens: * *Aduena sum, & peregrinus apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum.* Surgimus ab officio funeris cùm erigimur in spem veniæ post exhibitionē pœnitudinis. Eth interpretatur formido, vel stupor. Ad filios Eth loquimur, dum cum nostris cogitationibus, quæ veluti quidam fœtus mentis nostræ sunt, postquam diuinâ formidine non solum tanguntur introrsum, sed etiam dum terra Chanaan esse verentur, idest externæ, & inutili humilitati parari refugiunt, vsque ad stuporem corporis hoc timore feruntur, de nostræ salutis interna commoditate tractamus.

Aduena, inquit, sum apud vos. Aduenæ sumus, qui nuperrimè ad cor redimus. Peregrini sumus, qui necdum intra conscientiæ sinum consedimus. Peregrinus autem à peragrando dicitur. Ius sepulchri ab eis nobis exigimus, cum debitam requiem intra nos ipsos ab ipsarum cogitationum naturali turbulentia conquirimus. Qui thesaurum effodiunt, iuxta Iob, gaudent, cùm inuenerint sepulchrum. Et iuxta hunc typum Maria foris plorat ad monumentum. Sepelimus mortuum, cùm nil in hoc mundo sperantem, iámque crucifixum intra mœnia rationis recondimus animum.

Iob. 3. 21.

Ioan. 20. 11.

Vers. 5. *Responderúntque filij Eth*: * *Audi nos Domine? Princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullúsque te prohibere poterit, quin in monumento eius sepelias mortuum tuum.* Filij Eth Abrahæ respondent, cum cogitationes timidæ consilio rationis aggaudent. Audi, inquiunt, nos Domine, idest intellectualiter nos discerne. Principatus enim Dei vices in nostris interioribus agis, vnde & in Apocalypsi cum Deo in throno, idest iudiciariâ potestate vincendo sedere permitteris, dum vtilia, noxiáque diuidis. Electa sepulchra quibus sepelimus mortuum actiuæ est, & contemplatiuæ vitæ secretum, licet quæque alia virtus sepulchrum dici possit, quâ se quisque à vitiorum tumultibus abscondit. Si inquiunt cum Deo sentiens principari legitimè inter nos volueris, nullus te prohibere poterit motus carnis, quia sopitis cogitationum pestibus, necessariò iam non erit peruersi molestia actus, quæ præpediat in monumento mortuum ponere, id est intra memoriam ad incitamentum pœnitentiæ, non ad refricationem malitiæ peccati licentiam coërcere. Monumentum autem à monendo, quasi monimentum dicitur. Peccatum verò mortuum dicimus, à cuius perpetratione deficimus.

* Vers. 6.

Apoc. 3. 21.

Vers. 7. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Eth*: * *dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ, vt sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite apud Ephron filium Seor*: * *vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui.* * *Do ei pecuniam dignam, tradat mihi eam coram vobis in possessionem sepulchri.* Abraham surgit, cùm de cogitationum assensu in spem arripiendæ sanctitatis intellectus se erigit. Adorat populum terræ, cùm deuotione humili excipit obedientiam cogitationis iam solidæ. Si, inquit, placet animæ vestræ, idest huic piæ animositati vestræ, quâ desiderium sanctæ conuersationis aspirastis, vt à pressuris forensibus foueam animum, audite me, ad meum obtemperate imperium, & intercedite apud Ephron, idest agite cum affectu vestro, qui tanquam puluis inutilis superbiæ vento à facie terræ proiicitur, quatenus det mihi speluncam duplicem, permittat scilicet obtinere sensualitatis, & imaginationis geminam caueam ferali quadam auiditate rebus corporeis inhiantem, nullius spiritualis scientiæ capacem. Ephron autem interpretatur puluis inutilis, in quo affectus instabilis. Is est in extrema parte agri, in his vtique quæ extrinsecus adiacent corpori. Ager autem corpus est excolendum cultro ingenij. Do ei pecuniam dignam, vinum scilicet illud, quod in Canticis dicitur, dulce dilecti labiis ad ruminandum, & gutturi eius saporum, scientiam vtique scripturarum omni diligentiâ, & meditatione dignam ei administro. Huic spretis sæcularibus curis, multiplicibus interiorum negotiorum impensionibus augmentandæ, & huc illúcque non continendo, sed erogando dilatandæ, intendere oportunum semper est & salubre affectui nostro. Coram vobis eam mihi tradat in possessionem sepulchri, videlicet cum sacræ paginæ pecuniam à me curandam pertractandámque susceperit, vt interioribus lucris studeat, cum ab exterioribus vacare cœperit, ipse appetitus quondam carnalis mihi eam tradat, mihi scilicet habere volenti speluncam duplicem nullatenus contradicat, coram vobis assentiente vtique vniuerso motu cogitationis, in possessionem sepulchri, vt liceat in tuto conseruare intra septa conscientiæ statum animi iam sæculo crucifixi.

* Vers. 8.

* Vers. 9.

* al. pecunia digna tradat.

Cant. 7. 9.

Habitabat autem Ephron in medio filiorum Eth. Respondítque Ephron ad Abraham, cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis eius dicens: * *Nequaquam ita fiat, Domine mi, sed magis ausculta quod loquor: Agrum tradam tibi, & speluncam quæ in eo est, præsentibus filijs populi mei, sepeli mortuum tuum.* Inter filios Eth Ephron habitat, cum cogitationibus metu diuino conterritis, affectus noster qui non ab re puluis dicitur inutilis, quasi quodam spirituali humore, ipsa eadem formidine ad earum sententiam se stringit, & solidat. Cogitationes autem filios posse dici ex sapientis verbo colligimus, qui vipereis cogitationes stultorum generationibus comparat, mentem, ait, comedunt matrem suam. In medio verò Ephron habitat, quia rationi innitens noster affectus iisdem cogitationibus ac si dux aliquis militibus vtiliter iam se munit, & constipat. Ephron Abrahæ respondit, cum affectus rationis monita gratanter accepit. Qui ingrediuntur portam ciuitatis audiunt, cum vniuersi animales nostri impetus, qui timorem Dei, qui porta ad Deum, & ad

Vers. 10.

* Vers. 11.

cordis ciuitatem redeuntibus est, experiuntur, proposito religionis obediunt. Nequaquam, ait, Domine scientiæ operosius mihi commendandæ scripturarum insistas, quia si nullus esset, qui me moneret, sermo diuinus, nullo modo tamen tepidus reperiri possem erga Dei voluntates exequendas: talia cogitamus, cùm ad tempus spirituali desiderio affectualiter inflammamur. Vnde additur, ausculta quod loquor, quia multò ampliora proponit aliquotiens, dum ad horam nouitia feruet affectio, quam velit aggredi spiritus huius nimiæ alacritatis moderator. Agrum, inquit, corporis tuo irrefragabiliter iuri subiiciam, sensualitatis, ac imaginalitatis geminam capacitatem, speluncam vtique duplicem attribuam præsentibus filiis, idest cogitationibus, non iam ab interiori sua oberrando cura remotis, sed ad pium officium astantibus & deuotis.

Vers. 12. *Adorauit Abraham coram populo terræ, & locutus est ad Ephron circumstante plebe: Quæso vt audias me, dabo pecuniam pro agro, suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo. Respondit Ephron: Domine mi audi. Terra quam postulas quadringentis argenti siclis valet: istud est pretium inter me, & te, sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum.* Abraham coram populo terræ adorat, cum cogitationum turba à sua dispersione reuersa, & ad vnum coacta, & quodammodo sibi ipsi coram facta, penes Deum ratio sese humiliat. Vnde & populus terræ dicitur, cum cogitatuum nostrorum mobilitas ad modum terræ aliquandiu stabilitur, & hæc plebs circumstat, dum Abraham Ephron loquitur, quia cogitatio in suæ feruore deuotionis constituta circumest, dum sua intima vndique prouidè munit, nec se à rationis oraculo diuidit, stat quoque, dum ad quoslibet vitiorum assultus spiritui obedire, & certare parata consistit. Est enim quasi proprium stare certantis. Quæso, ait, ne tuo moderno calori nimium fidas, precor audias, idest discere ne renuas, velox ad audiendum existas, sine scripturæ documento nil posse te facere credas, hanc ergò pro agro excipias, vt non in agresti, ac sterili corporis cultu, sed de spiritualis pecuniæ gratuleris prouectu. Siclus iuxta quod legitur, viginti obolos habet: obolus verò à similitudine obeli dicitur, quod est sagitta; siclus ergò viginti obolos continens, sacra pagina est, quæ decalogum scientiæ, & denarium, idest perfectionem nobis proponit operationis bonæ, quibus quasi sagittis vitia feriuntur animæ, hisque rursum mens tangitur vulneranda charitate. Vicenarius enim bis denarium habet. Quia autem quadringenti quatercentum continent, & quatuor Euangelia mundo abrenunciare, quod perfectum est, edocent, qui plenariæ scientiæ, & actionis integræ denarios, id est perfectiones habent ex scripturę legalis documento, perfectionis centenarium assequuntur ex quatuor Euangeliorum dictis, seipsos abnegando. Adolescenti namque, qui legem à primæuo custodierat, dicitur à Domino, vt si velit perfectus esse, quæ possidet vendat. Decalogum exterioris obseruantiæ attenderat, & ideò intellectualis decalogi eum sagitta non vulnerat.

Valet ergò terra corporis nostri quadringentis siclis, quia nil stabile, constans, aut validum in se habet, nisi sanctarum scripturarum à vitiorum iure redimatur impendiis: hoc inter rationem, & affectum est pretium, quia quotiens carnalium lasciuia prorumpit affectuum, & corporis indebitè vsurpat ad libidines agrum, nil spiritus noster conuenientius quod appetitui carnis opponat habet ad manum, quam scripturæ documentum. Sed quantum est hoc? Ac si diceret: licet aliqua quantitas tibi videatur aduersus corporis impetum scripturarum testimoniis abundare, appetitu tamen ad rationis tuæ arbitrium complacato, nil magnum est. Sepeli ergò mortuum, bonis vtique operibus tege corpus corruptiuum, ne per vitæ remissionem prodeat in fætorem criminum. * Audit hoc Abraham, cum sentientis cum Deo affectualitatis suæ gratè excipit beneuolentiam. *Appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Eth*; quia proponit intellectus affectui scripturæ diuinæ iustitiam, quâ suam dirigere vitam debeat, & quam per obedientiam filiorum Eth, cogitatuum videlicet nostrorum, diuino timore tactorum sequi deliberat. Et hæc moneta publica est, & probata, quia nulli nisi insano in dubium veniunt sacræ paginæ instituta. *Iudicia* enim *Domini vera iustificata in semetipsa.* Moneta quædam est, lex diuina, vbi mensura, numero, & pondere omnia Deus instituit, numerum quidem consiliorum vniuersitatis, mensuram omnium per singula, & per omnia singulorum contemperabilitatis, pondus, quod à pendendo dicitur ad contemplationem illius quæ finis est omnium veritatis. Ad hanc tota lex pendet, & Prophetæ: publica autem est, quia rudibus, & quasi publicis ingeniis naturaliter sinceritas iustitiæ cognoscibilis esse potest, probata verò, quia sine externis argumentis elucet, ac præminet per seipsam ipsa scripturæ sacræ puritas.

Vers.16. Psal. 8. 10. Matth. 22. 40.

Vers. 17. *Confirmatúsque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Manre, tam ipse quam spelunca, & omnes arbores eius*

*Vers. 18. in cunctis terminis per circuitum, * Abrahæ in possessionem videntibus filijs Eth, & cunctis qui Vers. 19. intrabant portam ciuitatis. * Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, qui respiciebat Manre: hæc est Hebron in terra Chanáan.* Ager quondam Ephronis, corpus scilicet olim subditum appetitui carnis, in quo duplex spelunca sensualitatis, ac imaginalitatis feruet ad insidias auaritiæ, ac rapacitatis, Abrahæ confirmatur in possessionem, dum quod in conuersionis initio non sine molestia obseruabatur, transit in delectationem per irremissæ deuotionis iugitatem. Porrò per speluncam sensus, & imagines non inconcinnè accepimus, quia vti leo, atque latro in spelæis latere dicit, ita affectus corporeis rebus inhians, intra, & extra præfata duo illa ac si quasdam concauitates obsidet. Non enim alia quàm corporalia norunt: hinc ille egreditur, vt concupiscat, per hæc ad illum corporalis libido ingreditur, vt suggerat. Postquam corporis fragilitas animi virtute firmatur, Manre quod interpretatur diuisiones, vel perspicua, respicit, quia postquam mens à vitiorum se fluxu restringit, perspicuitatem diuisionis, idest discretionis attingit; ipse ergò ager, & spelunca, vt præmisimus, interno vigore firmantur, sed & arbores in cunctis terminis, vniuersæ scilicet cogitationes fructum pij operis, & folia sanctæ locutionis emittentes, in omni sua intentione, quæ quasi quædam finalitatis prouisio in cunctis quæ agimus dignoscitur esse, solidantur.

Filij Eth vident, cum talibus negotiis cogitationum motus vlli non inuident: cuncti etiam qui portam ciuitatis intrant, omnes vtique rationales, imaginales, sensuales A quoque impetus, qui per portam diuini timoris (initium enim sapientiæ est) & peccatorum confessionis, ad ciuitatem Dei se colligunt, his commerciis fauent. Vnde dicitur: Populus eius, & oues introite portas eius in confessione: sepelit itaque Abraham vxorem in spelunca agri, qui respicit Manre, cùm auctore intellectu sensualitas, ac imaginalitas corporalis ad discretionis virtutem tendens, & sub agro spiritualis exercitij se continens, à visibilium delectatione rerum se cohibens, ipsam etiam interioris hominis voluntatem fouet, ac veluti intra B duo septa munit. Hæc est Hebron in terra Chanáan: Hebron interpretatur augmentum sempiternum, vel visio sempiterna dicitur, Chanáan verò mutationem sonat; Manre ergò, idest discretionis perspicuitas ad hoc vt fiat visio sempiterna, & augeatur semper, attingit, cum subtilitas dignoscendorum spirituum ad contemplationem vsque Dei proficit, quæ quidem hic incipit, sed ab ænigmate & speculo ad sempiternitatis augmentum, quod complebitur, cum facie ad faciem videre cœperimus, surgit. C Et hoc in terra Chanáan fit, vbi vera mutatio æternæ stabilitatis, terræ videlicet viuentium nil iam inesse nobis mutabile finit.

Psal. 99. 4.

1. Cor. 13. 12.

Vers. 20. *Et confirmatus est*, inquit, *ager* corporis, diuturna iam contra passiones vigilantia sub Dominio Abrahæ, scilicet rationis, & antrum conscientiæ contra imperium iustitiæ nullatenus murmurantis, vt possideatur iure monumenti, vt iugiter scilicet mentis memoriam moneant professionis, quam de propriæ fecerit mortificatione carnis, & recommemorent propositi sui: monumentum nempè & mortuum tegit, & à monendo vocabulum sumpsit.

Explicit Liber sextus.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS MORALIVM IN GENESIM.

SEPTIMVM in Genesi aggrediens, Deo aspirante, tractatum, Sancti Spiritus mihi deprecor adesse præsentiam, hoc deinde humiliter meum ex postulando lectorem, vt si qua minùs quam competit dilucidè posita, aut scripturarum exemplis minus quàm vellet fulcita, aut nimiâ breuitate contracta peruiderit, indulgeat meæ misericorditer nouitati, qui potius in hoc meo primo opusculo quidnam agere possem experiri volui, & meæ solius vtilitatis causâ cudere ista proposui, immò non cudere, sed ad memoriæ mihi reparationem cum ea relegero summatim tangere cupij. Planè multa testimoniis roborare potui, sed moræ impatiens nolui; Septiformi igitur spiritu accingamur ad cætera.

Commentatius in Genesim primum Guiberti opusculum.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. *ERat autem Abraham senex, dierumque multorum, & Dominus in cunctis benedixerat ei.* * Vers. 2. * *Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat.* * Vers. 3. *Pone manum tuam subter femur meum, * vt adiurem te per Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito:* * Vers. 4. * *sed ad terram, & ad cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.* Sepultâ eo quo adnotauimus modo Sarâ, intellectualis noster Abraham morum grauitate senescit, multarúmque virtutum diebus albescit, & ei omnem benedictionem, spiritualium videlicet charismatum prouectionem Domiuus infundit: Si ergò per Abraham ex eius coniectura nominis intellectus accipitur, quid per seniorem domus, qui præest suis omnibus, meliùs quàm benè agendi appetitus exprimitur, qui postquam rationis maturitati sedulâ seruitute connectitur, quasi præuius, & magister eorum, quæ piè gerimus, inuenitur. Per femur Abrahæ propagationem intelligimus spiritualis intelligentiæ, quæ diuinis lectionibus, & diutinâ conuersationis experientiâ dilatatur in mente: manum, inquit, tuam femori meo suppone, idest virtutem bonæ tuæ auiditatis, qua sanctis actibus inhias, sub intelligentia ingenij mei deprime, quia vim tuæ operationis ab origine debes rationalis expectare scientiæ, vt nulla tibi surripiat præsumptio alacritatis vanæ: femur sanè fons quodammodo propaginis esse dignoscitur, per quod ipsa intelligentiæ sedes non indignè veritas à nobis accipitur; inde ergò adiuratur appetitus noster per Deum cœli, & terræ, quia per humilem qua veritati summæ inflectitur depressionem ad ius rectitudinémque statuit, per eius cognitionem, qui intellectum dat paruulis, qui est Deus cœli, intellectualitatis nostræ, sua scilicet eam illustratione clarificans, & per ipsum cœlum pluuias voluntarias sacræ institutionis terræ, ipsi pio videlicet appetitui administrans, adiurat ne accipiat vxorem filio suo de filiabus Chananæorum, inter quos habitat, hoc est ne voluntatem fluxam secundum desideria sęcularium æternæ damnationis, humilitati parandorum, spei semel in cœlesti gaudio fixæ, ac si filio Isaac admisceat, vt de filiabus Hierusalem ad Chananitidas oculos reflectat. Habet filius vxorem, quando spes cœlestium à terrenis eleuat voluntatem, vt quod sperat non verbo, sed opere velit; filiam verò Chananitidem sibi annectit, cum ad mollitiem, lasciuiámque mundi superna alacritas se demittit. De cognatione Abrahæ vxorem accepturi ad terram proficiscimur, cum ad impassibilitatem in quantum possibile est animi, quæ vera stabilitas est, (hoc enim terra significat) contendentes, spiritualiter ad conformitatem matris nostræ Hierusalem supercœlestis, cum qua quondam homo noster exterior, dum rectè viuit, germanitatem habet, conuersari gestimus: vnde sicut in cœlo, ita & in terra fieri Dei voluntatem oramus: ex ea cognatione vxorem accipimus, cum moti desiderio beatè viuendi, piæ voluntatis gratiam magis amplectimur.

Psal. 118. 130.

Matth. 6. 12.

Vers. 5. *Respondit seruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, num reducere debeo filium tuum ad locũ de quo egressus es?* * Vers. 6. *Caue*, inquit Abraham, *ne quando reducas illuc filium meum.* Loquitur Abraham ad seruum, cùm ratio de quibusque gerendis informat affectum. Respondet hoc loco seruus Abrahæ, cùm ad hæc quę spiritus suggerit peragenda,

obijcit deſideratos effectus, quos putat non poſſe ſuppetere voluntati ſuæ: mulier enim tunc non vult venire ſecum in terram, cum mollis, & fluxa cogitatio magis eligit ſæcularitatum turbine circumferri, quam conſopito paſſionum fluctu ad terræ ſimilitudinem ſtabiliri. Reducitur filius ad locum, de quo egreſſus eſt, quando ſpes noſtra propter aliquam tentationis auram de cœleſtibus deſperando poſt ſe relabitur ad ſtatum veterem deſiderij ſæcularis, de qua olim egreſſa tempore conuerſionis eſt. Quare autem per filium ſpem accipimus, prædiximus, quia ſpem in ipſis & propaginis & ſolaminis ponimus, vnde & vulgi vſu ſpes eos vocamus: vnde Pſalmus: Et videas filios filiorum tuorum, ideſt fructus ſperationum tuarum. Ne, inquit, ad antiquarum volutabra voluptatum ſpei meæ aciem detorqueas, quia * *Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus eſt mihi, & iurauit dicens: ſemini tuo dabo terram hanc, ipſe mittet Angelum ſuum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.* Ac ſi diceret: Deus qui me intellectuali luce ædificat, qui tulit me de conſcientia peccati, quam in habitabat auctoritas diaboli, dum ei conformarer, ac ſi patri, ſiue de conuerſatione mundiali; dicitur enim atrium ſuum cuſtodire princeps mundi, & de terrenitate in qua, & ad quam ſumus ex eodem diabolo patre nati, qui ſpei collatione introrſum locutus eſt mihi, & iurauit, ideſt in Chriſtianitatis me iure conſtituit internâ ſponſione pollicens ſemini, ideſt bonæ tuæ actionis merito, quod in ſpe frugis æternæ ſeminaueris, terrenitatis huius ſcilicet corporis tui pondus ſubmittam, vt ſpiritualis alacritatis experiatur gratiam, Deus, inquit, qui & hæc fecit, & facturum ſe promiſit, ipſe Angelum diuini ſui eloquij, qui quæ agenda ſunt nuntiet, coram te mittet, ideſt præuium tibi faciet, & inde, ex eius videlicet documento videbis quam debeas eligere corporis, an animi voluntatem, ſpei vtique tuæ ac ſi filio admiſcendam. *Sin autem mulier ſequi te noluerit, non teneberis iuramento*, ideſt, ſi ſeductibilis, & laſciua cogitatio ſecundum appetitum iuſtitiæ quam habes corrigi renuerit, ius regulámque veritatis excedens, non vltra teneberis, ſed effrænis, vagúſque per vitia quæque laberis. *Filium tantùm meum ne reducas illuc.* Quod eſt dicere: & ſi habenis diuinæ legis teneri refugis, ſpem ſaltem ne penitus de cœlo deuoluas, & ſæculari labyrintho immergas.

[Pſal. 127.6.] [* Verſ. 7.] [Luc. 11.21.] [Verſ. 8.]

[Verſ. 9.] *Poſuit ergò ſeruus manum ſub femore Abraham Domini ſui, & iurauit illi ſuper ſermone hoc.* Seruus manum ſub femore Domini ponit, cum pietatis affectus veritatis præſidio, quæ locus totius diuini eſt ſeminis, fortitudinem ſuæ bonæ operationis debitâ ſeruitute ſubiungit: ſuper ſermone hoc iurat, cum ſecundum intellectus ſententiam affectus noſtri infirmitas ſeſe dirigit, & innormat. * *Tulitque decem camelos de gregibus Domini ſui, & abiit ex omnibus bonis eius portans ſecum. Profectúſque perrexit Meſopotamiam ad vrbem Nachor.* Per camelum qui ruminat, ſed vngulam non diuidit, & ab incuruitate ſua ſicut caminus, & camera nomen accepit, vita quidem ex magna parte diuinæ legis præminens obſeruantia intelligitur, ſed tamen ob indiſcretionem ſuam, quia necdum plenè inter vitia virtutíſque diuidit à perfectione diſtans, & ob hoc ſeſe congruâ humilitate propriæ indignitatis conſideratione inclinans: per decem itaque camelos, diuinæ legis, cuius ſumma decalogus eſt, amor & retractatio crebra accipitur, quæ dum auido mentis ore guſtatur, fideli eius ruminatione animi robur erigitur, & carnis deſiderium tenuatur, & dum ad vnguem ſe vt deſiderat perfici carnis obiectu non poſſe conſiderat, ex ſua mox quod actu non præualet humilitate reformat. Greges Domini, de quibus decem aſſumimus, cæterorum multitudines mandatorum ſunt, de quibus perfectiora accipimus, cùm Dei, & proximi charitatem, in quibus tota lex pendet & Prophetæ, tenendam eligimus. Vnde & ex omnibus Domini ſui bonis portans dicitur abiſſe, quia cui dilectionis virtus ineſt; in quantum ſibi adeſt, in tantum etſi non omnia adſunt, de bonis omnibus portat, cum charitatis officio, quæ vniuerſitatis bonorum materia eſt, corporis voluntatem ſubiugat. Abit, cum in meliora gerendi ſemper appetitum ſe extendit. Meſopotamia græcè, media inter flumina, Hebraïcè eleuata vocatio interpretatur: vocatur primò ad fidem, eleuatur verò vocatio per mundi abrenunciationem, vbi inter fluctus tempeſtatum mentis, & ſæculi neceſſe eſt commorari ſpiritu pauperem: per hanc Meſopotamiam ad vrbem Nachor, quod interpretatur requies luminis, pergimus, quando ad perfectionem charitatis per paſſiones proficimus, quæ lumen iuxta Ioannem Apoſtolum eſt, quâ verè quieſcimus, vel ad ciuitatem ſupernam, vbi lumen in lumine verius quieſcentes videamus.

[* Verſ. 10.] [1. Ioan. 2. 10.]

Cùmque camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ veſpere, eo tempore, quo ſolent mulieres egredi ad hauriendã aquam dixit: * *Domine Deus*, & cætera. Oppidum mundus eſt, cui fortis armatus principatur, & regnat. Vnde dicitur Apoſtolis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & meritò contra, quia in mundo preſſuram habebitis. Extra oppidum camelos facimus accumbere, cum bona noſtra opera, quibus diuinæ legi

[Verſ. 11.] [* Verſ. 12.] [Lucæ 11. 21.] [Matth. 21. 2.] [Ioan. 16. 33.]

congruimus, à mundi carnali pariter, & spirituali consortio separamus, dum vitia eius, & laudes refugimus. Iuxta puteum aquæ vespere accumbimus, cum deferuescentibus in nobis vitiorum caloribus ac si quodam meridie ad fontem aquæ viuæ, de quo qui biberit, non sitiet vltra, Christum scilicet bonis nostris operibus per sanctæ spei expectationem requiem inuenimus. Nam de aqua oppidi qui bibit, sitiet iterum. *Dum superbit impius, incenditur pauper*: dum mulieres egrediuntur ad hauriendam aquam, dum fragilia instar mulierum corda de praua sua, & occulta conceptione ad apertas exeunt malitias, vt hauriant non Christi, sed oppidi aquas, idest impleant in malis, non in bonis desideria sua, eo inquam tempore, quo largito sibi pœnitendi spatio abutuntur in superbia, student sancti quique extra oppidum sua facere opera.

Psal. 9. 23.

Vers. 12. *Domine*, ait, *Domini mei Abraham occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham*. Quod est dicere: Domine qui meæ Dominaris rationi, quam mihi te præside desidero hodie inhabitatione vtique tuæ lucis, qui dies vbique præsens, & semper es, opitulationis tuæ mihi præbe occursum, & eam quæ mihi præest non merito, sed misericordiâ clarifica rationem. * *Ecce sto propter fontem aquæ, & filiæ habitatorum ciuitatis huius egredientur ad hauriendam aquam.* Stat propter fontem, quando noster affectus haustu fontis æterni roboratus certat iam viriliter contra diaboli, & carnis impugnationem. Cameli accumbunt, & seruus stat, quia virtutis studia in spe sui præmij requiescunt, quamuis pius appetitus pro religionis defensione pugnando se exerceat: stando enim quisque certat: habitatores ciuitatis, motus sunt nostri rationales, ad quos regimen pertinet mentis. Hi filias habent, quando ipsi motus, vel virtutes ex suo prospero euentu vanarum cogitationum lasciuias generant. De ciuitate egrediuntur istæ ad hauriendam aquam, de interiori scilicet animi cura, excedunt ad horam ad affectanda laudis temporariæ gaudia.

* Vers. 13.

Vers. 14. *Igitur puella, cui dixero inclina hydriam vt bibam, & illa responderit bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum Domino meo Isaac.* Per puellam puritas, & nitor nouæ conscientiæ: huic vt inclinet hydriam ad bibendum dicimus, cum rationabiliter ad humiliandam sæculi cupiditatum in seipsa superbiam prouocamus, vt eam bibamus, idest ex toto in nobis consumamus. Hoc modo Israëlitæ vitulum comminutum biberunt, & draco datur esca populis Æthiopum. Respondet illa bibe, cùm rationi benè suggerenti hilaris obedit beneuolentia ad se castigandam conscientiæ. Camelis potum pollicetur, cùm virtutibus ex propriæ euagatione cupiditatis instaurat robur. Cum, inquit, tali modo mihi mens munditiæ amica arriserit, sciam procul dubiò, & perpendam non meo exercitio, sed gratiæ tuæ dono hanc præparari in me voluntatem, quæ associari mereatur Isaac, risui scilicet sempiterno, qui nunc ridet in spe, sed tamen seruit tuis Domine officiis militando.

Psal. 73. 14.

Vers. 15. *Necdum intra se verba compleuerat, & ecce egrediebatur Rebecca filia Batuël filij Melchæ, vxoris Nachor, fratris Abraham; habens hydriam in scapula*: * *puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro.* Verba absolutè aliquotiens inania quælibet vocare solemus, quæ nil aliud quam sonum habent: vnde est: Verba dat omnis amor. Antequam verba compleamus, ecce Rebecca egreditur, quia priusquam nubila nugarum ad plenum à corde excludamus, repentè ex nimio repulsionis labore, oboriente fastidio Rebecca, idest patientia (sic enim interpretatur) excedere deficiendo nititur. Beatus enim qui suffert tentationem: Batuël virgo Dei dicitur, in quo incorruptæ fidei status exprimitur, de quo Rebecca gignitur, quia dum credimus his, quæ ex fide sola tenentur, patientia inter mala præsentia pro spe æternorum in nobis procreatur. Vnde Batuël filius Melchæ, idest reginæ, vel regnaturæ dicitur, quia quod nunc in fide inter tentamenta persistitur, ex perfecta surgit gloria, quam credimus supercœlestis Hierusalem matris nostræ, iam ex parte regnantis, & post iudicij diem ad integrum regnaturæ. Melcha est vxor Nachor fratris Abraham, quia illa quæ iam regnat sponsa est eius, qui verum lumen est, in quo requiescunt, quicumque verâ pace quiescunt; & ipse Nachor frater est Abrahæ, quia lumen quod illuminat mundum, dum caro fit, frater factus est omnium qui per fidem nomen, & opera imitantur Abrahæ. Hydriam in scapula portat, quia pondus cupiditatum, quod talentum plumbi in Zacharia significat, quæ se violenter ingerunt ægrè tolerat: hydria cupiditatem, aqua significat voluptatem; grauatur ergò per voluptatum cupiditatem, decora in affectu, sine corruptione fauoris, pulcherrima in effectu, incognita viro, quæ scilicet audaciæ diaboli patere velit in nullo. Dicimus autem non quod hæc omnia iam sit, sed quod ad hoc esse contendit, sicut Ecclesiam sine ruga, & macula dicit Apostolus.

* Vers. 16. Iacob. 1. 12. Eph. 5. 27.

Descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. * *Occurritque ei seruus, & ait: Pauxillum mihi præbe ad sorbendum aquæ de hydria tua.* * *Quæ respondit: Bibe*

* Vers. 17. * Vers. 18.

Domine mi, celeriterque depoſuit hydriam ſuper vlnam ſuam, & dedit ei potum. Ad fontem deſcendit conſcientia, cum à cœleſti deſiderio deflectitur ad ſæculi huius fluxa. Implet hydriam, cum de infima eius gloria ſatiare nititur auaritiam. Poſt quæ reuertitur, quia qualibet expleta libidine aliquotiens animus admiſſi pœnitens ad ſe reducitur. Redeunti ſeruus occurrit, cum reſipiſcenti conſcientiæ virtutis appetitus alludit. Pauxillùm aquæ ad ſorbendum poſtulat, quotiens intellectualis affectus cupiditatum fluentis ſinum mentis deplere deſiderat. Celeriter ergò obtemperans hydriam ſuper vlnam deponit, cum ſibi ſcapulam iniqua patientia ad ima curuari carnalitatum mole reſpuit, ſed debitæ fortitudinis brachio voluptatum laſciuiam regendam ſuſcipit, & rationis ore conſumendam exponit. *Cúmque ille bibiſſet, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* * *Effundénſque hydriam in canalibus recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & hauſtam omnibus camelis dedit.* Mens tacta diuinitùs non ſolùm in vna qualibet re concupiſcentiam vi rationalitatis conſumi gaudet, ſed & omnibus camelis, ideſt humilibus virtutum ſtudiis datura & refocillationis locum, aquas omnis molliciei noxiæ ſe haurire ſpondet. Virtus enim non habet quò maneat, niſi vitij humorem ſpiritus ignis ſudum reddat. Aquam itaque in canalibus effundimus, cùm ſuperfluitatem ſæcularitatis per humilitatem cogitationum exinanimus. Canalis enim ob concauitatem ſuam humilitatem mentis ſignificat, vnde dicitur in canticis: *Comæ eius ſicut purpura regis vincta canalibus.* Ad puteum verò recurrimus, vt aquam hauriamus, hauſtámque camelis demus, cum ad conſiderandam totius noſtræ concupiſcentiæ maſſam aciem animi reducimus, vt à noſtris eam finibus extrudamus, & virtutum quarumque examina libidinum conſumptione paſcamus.

Verſ. 19. — *Verſ. 20. — Cant. 7. 6.

Ille autem contemplabatur eam tacitus, ſcire volens, vtrum proſperum feciſſet Dominus iter ſuum, an non. * *Poſtquam ergò biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes ſyclos duos, & armillas totidem, pondo ſiclorum decem.* Virginem taciti contemplamur, cum à ſtrepitu foraſtico mentibus conſopitis, quàm glorioſum ſit à peccati morſu immunem habere conſcientiam, intra nos ipſos perpendimus. In cuius pulchritudinis delectatione auſpicium quoddam accipimus, vtrum proſperum deſiderij noſtri curſum faciat Dominus, quia dum diuinarum ſpeciei rerum ſoli quærendæ intendimus, ibi profectò ac ſi in libro legimus, quid boni, quidue mali exequamur, quid nunc, quid in futuro ſortituri ſumus, ex aliqua parte præſagamur. Poſtquam igitur bibunt cameli, vbi ſcilicet à virtute humilitatis conſumitur, quicquid intra nos eſt vitij profert virilis feminea iam excluſa mollitie intellectus geminam Deo, & hominibus, quod per inaures ſignatur obedientiam, vt cùm Deo obſequi nititur his qui ſibi paternè præſunt, & fraternè adſunt, in auditu auris ornamentum obſequij non negetur. Non ſolùm enim patribus, ſed & omni humanæ creaturæ propter Deum ſubdi debemus. Obſequium verò iuxta poëtam parit amicos, vnde & totidem armillæ puellæ manibus adhibentur. Per armillas, quæ manibus, quaſi corona præminent, fructus boni operis accipitur, quod eſt pax primò ad Deum, dehinc ad proximum; pax enim belli exacti pretium, pax ſumma laborum eſt: manus verò opera ſignificat, quibus & Deo obſequimur, & proximo exempla præbemus: præmium autem operum etiam in præſenti, quaſi quidam ornans nos, ac muniens ambitus armillarum, amor noſter ad Deum, Deíque ad nos rurſúſque ex pio naſcens opere proximi ad nos, & noſter ad proximum. Inaures appendunt ſiclos duos, quia vera obedientia abſque humilitate & patientia exhiberi non poteſt. Aureæ ſunt, cum pro ſolo Deo imperia obedientiæ fiunt. Armillæ pondo ſiclorum decem ſunt, cum corpus noſtrum quatuor ſubſiſtens elementis, & anima tribus, intellectu ſcilicet, memoriâ, voluntate, principalibus donis pendent, ac prona ſunt ad vnius deſiderium Trinitatis: pondus namque, ac pondo à pendendo dicuntur, & quod pendet ad aliquid tendit, vnde & amantes pendere feruntur.

Verſ. 21. — *Verſ. 22.

Dixitque ad eam: Cuius es filia? Eſt in domo patris tui locus ad manendum? * *Quæ reſpondit: Filia Bathuëlis ſum, filij Nachor, quem pepererit ei Melcha:* * *Palearum quoque & fæni plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendum.* Dum conuerſationis noſtræ rigorem feruenter attendimus, ipſam conuerſionis, vel etiam intentionis noſtræ originem causámque ſolerter plerumque diſcutimus. Cuius ergò ſit filia tam nitens conſcientia, Deo ſcilicet, an diabolo propagante ſit edita diſquirimus, cum ne bona vt aſſolet praua intentione cæperimus, cautè proſpicimus. Domus diaboli hic mundus dicitur. Porrò hîc domus patris videlicet Dei non aliud eſt, quàm mens ipſa, quæ ſpiritualiter ipſo inhabitante dirigitur. Et ſicut apud diabolum diſpergimur, ita ad curam interioris hominis apud Deum verè patrem intra nos ipſos ac ſi domeſtici localiter commanemus. Locus autem fidelium charitas eſt, non horaria, ſed vt ita dicam manſionaria, vnde & Spiritus Sanctus die Pentecoſtes illabitur manentibus in eodem loco. Filia, inquit, Bathuëlis

Verſ. 23. — *Verſ. 24. — *Verſ. 25.

ſum: Bathuël virgo Dei dicitur: virgo autem nil conuenientius accipitur quàm veritas, quæ quia ex Deo eſt, nil eâ purius eſt; mens itaque pia Bathuëlis eſt filia, quia ex caſtitate veritatis edita, nulla recipit, niſi ſinceritatis monita. *Omnis* enim *qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Bathuël Melchæ eſt filius, quia veritas non niſi per rationem in nobis exoritur, quæ Melcha, ideſt regina iure dicitur, quia diuinitus illuſtrata noſtris rectiſſimè ſenſibus principatur, vnde & peperiſſe hunc Nachor dicitur, qui requies luminis appellatur, quia quicquid veræ cognitionis intra nos per Melchan, rationem ſcilicet, gignitur, ad auctorem profectò Deum, in quo vero lumine à negotio, ideſt peccato perambulante in tenebris inſipientiæ ſuauiter quieſcimus, refertur. Per paleas quod à grano decutitur, ea quæ in nobis ſuperfluunt, culpas ſcilicet intelligimus. Per fænum humanitatis fragilitas accipitur; paleas ergò, & fæni plurimum habet, quiſquis & culparum, & propriæ carnis iugi conſideratione non caret. Sed & locus ſpatioſus ad manendum in domo eſt, quia etſi corporis pondus patimur, & circumſtans nos peccatum, latum tamen penes nos conſeruamus charitatis mandatum, quod etiam complectitur inimicum, quódque operit multitudinem peccatorum, vnde dicitur: *Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.* Ad manendum verò eſt, ſcilicet ad perſeuerandum, vt non verbo, & linguâ, ſed opere diligamus & veritate, ideſt certa ſtatus noſtri immutabilitate. Quod enim mutatur, non eſt in veritate.

Ioan. 18. 37. — Pſal. 30. 9. — 1. Ioan. 3. 18.

Verſ. 26. *Inclinauit ſe homo, & adorauit Deum,* * Verſ. 27. *dicens: Benedictus Dominus Deus Domini mei Abraham, qui non abſtulit miſericordiam, & veritatem ſuam à Domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris Domini mei.* Quotiens affectui noſtro ſentimus benè agendi ad votum reſpondere voluntatem, humiliare debemus ad Deum noſtræ humanitatis rigorem, eúmque benedicere intellectualitatis noſtræ præſidem, qui miſericorditer ſuam cum operibus attribuit nobis fidem, & promiſſa complendo largitione præmij in fine exhibebit veritatem, & documentorum ſuorum tramite perducet in ſupercœleſtem domum Chriſti Ieſu, qui frater eſt omnium rationabiliter, & ſecundum mores fidelis Abrahæ viuentium. Dominus autem dicitur, quia affectui ratio dominatur, & Chriſtus frater huius Domini vocatur, quia his potiſſimùm, qui ſuis prauis motibus præſunt totâ germanitate connectitur.

Verſ. 28. *Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris ſuæ omnia quæ audierat;* * Verſ. 29. *Habebat autem Rebecca fratrem nomine laban, qui feſtinus egreſſus eſt ad hominem, vbi erat fons.* * Verſ. 30. *Cúmque vidiſſet inaures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis, hæc locutus eſt mihi homo: venit ad virum, qui ſtabat iuxta camelos, & propè fontem aquæ.* Matris domus ipſa rationis eſt quæ nos protegit virtus. Ad hanc currens puella nunciat, quæ audiit, dum conſcientiæ puritas in cunctis ſuis affectibus ad rationis examen totâ ſedulitate recurrit, ſeſéque illa iudicante diſponit. Rebecca dicitur patientia: Laban verò candor interpretatur; patiens ergò conſcientia candori æterno germanè coniungitur, niſi enim ſpes eam ſupernæ claritatis attolleret, inter preſſuras illicò tolerantia fæmineè laſſaretur. Is feſtinè egreditur ad hominem, vbi erat fons, quia contuitus ſollicitæ cogitationis exprimit, intellectualiter coram noſtris humanis affectibus, qui ſæculi imminent cupiditatibus, quæ ſit gloria lucis illius, cui nullus valet obeſſe defectus. Laban namque ad hominem egreſſio, nil aliud eſt, quàm aduerſus humanitatis motum ratiocinantis ſpiritus de ſententia ſupernæ claritatis expreſſio. Videt inaures, & armillas in manibus ſororis ſuæ, cum videndum proponit animæ patienti, & geminæ obeditionis Deo ſcilicet, & homini debitæ exercitium, & geminæ operationis fructum, quæ diuino itidem honori, & fraternæ exhiberi debet ædificationi, & ex hoc perpendere monet quæ corona debeatur tot laborum diſpendia ſuſtinenti: inaures obedientiam ſignificare teſtis eſt Iob reualeſcenti inauris data. Audit verba puellæ referentis, cùm intelligenter obaudire facit animam boni ſui apparatum appetitus afferentem ad emerendam cœleſtis gloriæ lucem. Venit laban ad virum, qui ſtat iuxta camélos propè fontem, cum accedit cœleſte deſiderium ad affectum iam viriliter decertantem, ob humilium virtutum defenſionem, contra mundi fluxum, ideſt puteum imminentem. Reprehendit me quidam fontem in mala ſignificatione accepiſſe, ſed meminerit fontem in malo accipi, vbi & vnde loquitur Dominus Samaritanæ. Cameli qualiter intelligendi ſunt, ſuperiùs diximus.

Iob. 42. 11. — Culpatus auctor à quodam, ob non genuinam de fonte interpretationem.

Verſ. 31. *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas? Præparaui domum, & locum camelis.* * Verſ. 32. *Et introduxit eum in hoſpitium, ac deſtrauit camelos, deditque paleas, ac fænum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum qui venerant cum eo.* * Verſ. 33. *Et appoſitus eſt in conſpectu eius panis.* Affectus noſter à Domino benedicitur, cum ad religionis augmentum intenditur. Is ingredi monetur, cùm à foraſtico ſtrepitu ad mentis quietem ſecedere per interni gaudij candorem trahitur. Intellectualis enim iſte laban domum, ac locum camelis præparat, cùm & à conſcientiæ domo peccatum

peccatum eliminat, & totius virtutis consi-A storium, bonam scilicet voluntatem in eadem domo locat: inducit in hospitium, cùm huius peregrinationis tempore pietatis opera non desinit intra mentis celare secretum, propter transitoriæ laudis incursum. Cameli destrantur, cum quælibet sanctitatis integumenta, quibus sessuro in nobis Deo fideliter cingebamur, humili à nobis æstimatione soluuntur, & ad futuræ beatitudinis emerendum candorem nulla putantur. Vel etiam eos Laban destrauit, cùm cœlestis amor ab omni peccati, & inaB nium cogitatuum pondere virtutum studia subleuauit. Dat paleas, & fœnum eis, cùm & reprobationis miseriam, & diuinæ electionis gloriam pijs proponit exercitiis, vt sic de spe electionis lætetur cor suum, quatenus de casu reprobationis extimeat nomen diuinum. Paleas reprobos, fœnum dici electos, exempla dabimus. Paleas vret igni inextinguibili, in Euangelio; & Vehemoth fænum vt bos comedit, in Iob. Inde ergò aquæ pedibus camelorum lauandis suggeruntur, quia de spe, & timore irriguum C superius, & irriguum inferius expiandis virtutum nostrarum superfluis affectibus ingeritur cælitus. Sed & camelos istos viri regunt, quia intellectuales nostri motus, quos robustos fortitudine Iob appellat, virtutum in nobis acta dirigunt. Panis itaque sic illi apponitur, quia diuinæ soliùs contemplationis affectui nostro iam tunc à negotiis consopito delectatio inesse dignoscitur, vnde & in conspectu eius panis appositus dicitur. Et notandum quòd priùs camelorum ac virorum pedes lauantur: postmodum panis apponitur, D quia nisi compunctionis gratiâ mens, & virtus à superfluis suis tota lauetur, nunquam diuinâ speculatione reficitur, quæ non nisi à mundi cordibus prægustatur. Antequam comedam suspiro, ait quidam, sed pane hoc sibi apposito se comesurum seruus negat, donec suos sermones exoluat, quia ad illum qui Angelos pascit edendum panem se sufficere non posse deputat, nisi conceptæ deuotionis affectum appetitus noster effectu piæ operationis absoluat. Hos panes, immò propter vnitatem Trinitatis E hunc panem amicus de via rediens ab amico improbè postulat.

Luc. 3. 17.

Iob. 40. 10.

Iosuæ 15. 19.

Iob. 3. 24.

Lucæ 11. 6.

Annuit Laban, vt loquatur, quia cœleste desiderium nos præcipuè iuuat, vt quod probè conceptum est, efficiatur. Verba autem pro rebus in sacra pagina maximè veteri solere poni, nulli dubium est. * *Seruus, inquit, sum Abrahæ, & Dominus benedixit Domino meo valde*, inquantùm scilicet sum affectualitas me subiicio rationi, cuius do-

* Verf. 34. 35. &

minio vbertatem Deus tribuit prouectionis, magnificatúsque est ad summam pertingendo virtutis, oues habens beneficientiæ ad proximum & in seipsa simplicitatis, boues, maturitatem morum, & gratiam prædicationis, argentum scientiæ & eloquij, aurum sapientiæ aut sacræ religionis, seruos corporalis contumaciæ legitimo suo addicens imperio, ancillas interioris lasciuiæ castitatis seueritate reprimens, camelos ponderositatis, ac inertiæ, & asinos stoliditatis ac ineptiæ, ad acumen diuinæ subtilitatis elimans. Quæ sequuntur vsque ad eum locum, vbi dicit: *Si facitis misericordiam, & veritatem cum Domino meo, indicate mihi*, satis superiùs tractata patent, nec replicanda sunt, cum tot discutienda restent. Est tamen quod etsi videatur esse dissertum, aliquem mouere possit, scilicet quod dicitur: *Veni hodie ad fontem aquæ.* Si enim fons aquæ, iuxta quod hoc loco penè vbique sensimus, in cupiditatis typo accipitur, contrarium videtur, quod additur *hodie*, sed *hodie*, idest per illuminationem gratiæ, ad fontem, puteum scilicet illum cæcæ concupiscentiæ venimus, dum Deo illustrante voraginem confusionis eius agnoscimus, vnde & stare, idest vigilanter decertare positus iuxta puteum perhibetur seruus. Etsi quia in bonam partem fontis nomen accipi solet intelligere diuersè velimus, hodie ad fontem venimus, quia non nisi per diem diuinæ cognitionis sapientiæ & vitæ fontem attingimus. Ipse enim Deus per seipsum quærendus est, *Ego* namque, ait, *sum via.* Ad Bathuël ergò, & Laban, ad gratiam videlicet Dei, quâ nil castius, nil integrius est, ex qua candor cœlestis desiderij nobis innascitur, vtrum misericordiam, & veritatem Domino nostro faciant dicitur. Ex gratia misericordiam peccatorum veniæ accipimus; ex veritate, quòd desideria nostra suspirant, supercœlestis candoris promissa recipimus. Inquantum ergò & vim in nobis gratiæ, & superni desiderij feruere sentimus, de futura nostra misericordia, & veritate agi nobiscum sciamus.

Ioan. 14. 6.

Sin aliud placet, & hoc dicite, vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram. * *Responderunt Laban, & Bathuël: A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quicquam aliud tecum loqui.* Quod est dicere: Si peccatis emerentibus non veniam, & beatitudinis promissæ impletionem, quod est gratia, & veritas, impendere mihi Deo per vos operante non libet, & hoc diuinitus inspirando innotescite, vt aut ad dexteram tendens potiori studio virtutis exercear,

Verf. 49.
* Verf. 50.

aut sinistræ me credens, de præteritis meis lapsibus pœnitendo compungar; habemus enim sinistram de contritione peccati, & dexteram de prouectu boni. Ad hæc gratia Dei cum eo quod genuit cœlesti desiderio, Bathuël scilicet Laban intellectualiter inferunt. A Domino egressus est sermo, ex occulti vtique censura iudicij, quasi sagitta ex pharetra per euidentis tuæ aspirationis munus Dei emicuit sententiâ, ex qua potes colligere, quòd ea qua interius per nos doceris vnctio, ad certitudinem tuæ futuræ prouectionis, immò perfectionis tibi habenda sit quasi pro quodam cœlesti oraculo. Non enim aliud tibi suggerere per incertum possumus, quàm quod velit ipse, cum simus indubitanter ab ipso.

Vers. 51. *En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij Domini tui, sicut locutus est Dominus.* * *Quod cum audisset puer Abraham, adorauit in terra Dominum.* * *Prolatisque vasis argenteis, & aureis, & vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere: Fratribúsque eius, & matri munera obtulit.* Si inquiunt dexteram virtutis eligis, ecce Rebeccam, idest patientiam præ oculis mentis tibi habendam cognosce, ad tentationem enim præparare, & per tribulationes regnum Dei intrare te necesse est. Si ergò vis proficisci, bonis vtique actibus promoueri, tolle ab infima intentione subleuans eam, ne pro præsenti proculdubiò retributione ferendam putes esse molestiam, sed filio Domini tui annecte eam, spei videlicet diuinæ ex intellectu magistro progenitæ, à quo inter ærumnas partuum osculum supernæ consolationis accipiat. Dominus hæc loquitur, dum vbique persecutionem patientibus cœlestia sola sperare monet. Audit hæc, idest intelligit affectus rationi deseruiens, & in terra, hoc est in soliditate humilitatis sine qua patientia non est, Deum excelsum tantò viciniùs, quantò humiliùs orat. Vasa argentea capacitas sunt sacri eloquij, & scientiæ. Aurea fœcunditas, ne scientia inflet, charitatis: vestes sanctitatis opera, quibus mortificanda tegimus super terram membra. Proferimus ista, cum proximis reddimus vtilia. Rebeccæ pro munere ea damus, cùm laboranti exinde patientiæ aliquid consolationis interim facimus. Fratribus, animi planè virtutibus desudanti spiritui viriliter adnitentibus, & matri charitati, quæ amat quod tolerat, eodem modo munera solatij offerimus. * *Initóque conuiuio vescentes pariter, ac bibentes manserunt ibi.* Affectus noster postquam conceptum humanitus tumorem, patientiam, ac humilitatem resslauit amando, conuiuium cùm præfatis omnibus init, dum quod in initio conuersionis ægrè tulerat, hoc, idest aduersa mundi solâ virtutis dulcedine tractus amplectitur, & desiderat. Vescimur ergò cum quicquid noxiè durum se menti obtulerit, dente rationis atterimus, & in vsum traducentes spiritualiter roboramur. Bibimus, cùm poculum gratiæ septiformis hauriendo eadem comesta condimus. Pariter manemus, cum à religione proposita, & ab his quæ præmisimus nullo modo dirimi patimur. Ibi quia locale verbum est, bonæ voluntatis statum significat, sine qua his cohabitare quis nequeat.

[Margin: * Vers. 52. * Vers. 53. * Vers. 54.]

Surgens autem mane locutus est puer: Dimitte me, vt vadam ad Dominum meum. * *Responderunt fratres eius, & mater: Maneat puella saltem decem diebus apud nos, & postea proficiscetur.* * *Nolite, ait, me retinere, quia direxit Dominus viam meam.* Puer mane surgit, cum debitâ sedulitate à mentis infantia in virile robur virtutis affectus efficax se proripit. Mane pro sedulitate poni testis est Psalmus: *Mane oratio mea præueniet te:* Et: *Castigatio mea in matutinis. Dimittite*, ait, *vt vadam ad Dominum*, idest vestræ infusionis vbertate meas dilatate angustias, vt dominatrici omnium rationi coniungar. Sed matris charitatis, cæterorúmque bonorum respondet effectus, vel decem diebus apud se manere puellam, per vniuersitatem vtique huius temporis, quod septem diebus agitur, trium quæ præcipuè molestant cum vsu virtutum exercendam patientiam cogitationis scilicet, locutionis, & operis, vt cùm hæc religionis iure defregerit, proficiscitur ad Isaac gaudij æterni iubilum. Denarius autem ex septem & tribus constat. Quare ait à vestra parcitate cohibeor, qui iam futuræ directionis meæ gloriam speculando prægusto?

[Margin: * Vers. 55. * Vers. 56. Psal. 87. 14. Psal. 72. 14.]

Vocemus, inquiunt, *puellam, & quæramus ipsius voluntatem.* * *Cúmque vocata venisset, sciscitati sunt, dicentes: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.* * *Dimiserunt eam, & nutricem eius, seruúmque Abraham, & comites eius,* * *imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Vocamus puellam, cùm matris & fratrum, secundum quod dictum est, aspirati consilio nostram an perseuerare velit in sanctitatis studio disquirimus conscientiam. Vocata aduenit, cùm rationis concionantis iudicio tota assistit: Desideriis igitur cœlestibus & Dei gratiæ, & charitatis affectui planè respondens, fratri scilicet Laban, Bathuëli, & matri, seruum,

[Margin: Vers. 57. * Vers. 58. * Vers. 59. * Vers. 60.]

idest pietatis sequitur appetitum, & in amplitudine contemplationis dilatanda laxatur, cum nutrice sua videlicet prouidentia, quæ ne quid nimis fiat procurare debeat, & ab excessu arceat, seruúmque Abrahæ, appetitum vtique intellectui vndecúmque subactum cum spirituali virtutum comitia liberè progredi gaudent, imprecantes, quod est imprecari facientes sibi ipsi animam, studium meliora gerendi, sibi iam germanè coniunctam. Soror nostra es. Ac si dicerent: Ex diuini communione germinis habes esse virtus nobiscum; Patientia enim nisi pro Deo stoliditas est, nobilitaberis fæcunditate virtutum: crescas in mille millia, promouearis scilicet perfectione omnimoda; hoc enim ista numerositas sonat, & semen bona proculdubiò opera tua possideant, idest subiugent portas inimicorum suorum, vitia profectò per quæ intratur ad consortia diabolorum, qui etiam vulgò antonomasticè notantur nomine inimicorum: hæc ipsa vitia & in Psalmis & Euangelio, portæ mortis, & portæ vocantur inferorum.

Psal. 106. 18. Matth. 16. 18.

Vers. 61. *Igitur Rebecca, & puellæ eius ascensis camelis secutæ sunt virum. Qui festinus reuertebatur ad Dominum suum.* Rebecca puellas habet comites, quia patientiæ nec humilis verecundia, neque simplicis temperantiæ desunt cogitationes. Ascendunt camelos, & sequuntur virum, cùm humilium fastigio virtutum pariter inn ituntur, & appetitum cœlestis boni quasi ducem virúmque, quo semper fæcundentur, sequuntur. Is festinè ad Dominum regreditur, quia ex natura virtutis ac si ignis ad excelsa ad eum, à quo datur insatiabili appetitus amore, conuertitur.

Vers. 62. *Eo tempore Isaac deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen viuentis, & videntis; Habitabat enim in terra Australi:* * Vers. 63. *& egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Cúmque leuasset oculos suos, vidit camelos venientes procul.* Hac animi tempestate votis vbique feruentibus Isaac per viam deambulat, quæ ducit ad puteum, dum spes superni gaudij per eum qui via ad se euntibus est, gradiendo proficit ad eius ipsius cognitionem, qui & ipse puteus, idest profunditas est, sapientiæ totius, & scientiæ thesaurorum cuius est nomen viuentis, & cùm sua & generalis omnium sit vita, nomen habet etiam videntis, seipsum scilicet qui est vita videre & alios facientis. In australi namque terra, idest in spiritualis feruoris ac soliditatis gratia habitabat, auster enim calidus est ventus, quem sponsus in Canticis ad perflanda aromata sua sollicitat. Sed post spiritualis excellentiam sensus ad meditandum in agro fuerat egressus, dum ad disceptationem passionum corporis, quod agri more nobis excolendum est, necessariò sublimitas deducitur intellectus. Egreditur in agro ad meditandum, vel iuxta quædam exemplaria, ad metandum, cùm de thalamo internæ speculationis, ad meditationem cogitur mens supernis imbuta gaudiis curę actualis, aut ad pręfigendum, sibi metas corporeæ restrictionis compellit animum subitæ molestia tentationis. Quod fit inclinatâ iam die, idest subtracta paulisper diuinæ contemplationis luce. Sed Isaac leuat oculos, videtque procul camelos, dum rursus à propriæ sensu fragilitatis ad diuinæ celsitudinem suscitatur visionis, vbi rediuiuę contemplatur iam regredi robur virtutis. Camelos autem virtutes dicimus, & quia ruminant, & quia à curuitate, idest humilitate vocantur, & si vngulam quidem non findunt, discretionis tamen signum ex gibbi sui partitione præferunt.

Cant. 4. 16.

Rebecca quoque conspecto Isaac descendit de camelo, * *& ait ad puerum: Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Ipse est, inquit, Dominus meus: At illa tollens citò pallium operuit se.* * *Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac.* Rebecca conspiciens Isaac, descendit de camelo, dum patientia visione intimâ perpendens super cœlestia, omne in se ipsa virtutis fastigium propriâ æstimatione deponit, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram iudicans gloriam, quæ reuelabitur in nobis; proprium itaque admirando compellat affectum. Quis est, inquit, tantæ humanitatis in Deo motus, quàm profundo mentis intuitu attendendus, qui per agrum, idest spirituale exercitium nobis ad se tendentibus gratuito occurrit semper auxilio. Solet autem etiam secundum ipsam deitatem humanus dici Deus, spiritus quoque humanus & stabilis appellari, verbis nostris necessariò ad diuina traductis. Per hominem ergò humanitas, idest pietas. *Apparuit*, inquit, *benignitas, & humanitas saluatoris.* Hic est, ait, affectus; Dominus meus, hunc vtique non immeritò præelegi dominatui, tantopere pium, qui & suam nos agriculturam efficit, & nobis resistentibus atque superbè auersis precaturus vt redeamus occurrit. Adhęc Rebecca citò pallium tollit, & se operit, quia patientia licet sibi pro Deo multa pati videatur, verecundię ornatum sumit, dum quę agit nulla ęstimat, & de pręteritis erubescit, vnde & insigniter hac ipsa humilitate ante Dei oculos se operit. Potest & per pallium quod inferiùs dilatatur, & superiùs angustatur, actualis, & contemplatiua vita accipi, quarum altera ad curam proximi lata est, altera ad Dei visionem acuitur. Narrat affe-

Vers. 64. Vers. 65. Vers. 66. Rom. 8. 18. Tit. 3. 4.

ctus noster quę gessit Isaac, cum quicquid agendo, vel contemplando efficere videtur ad emerendam cœlestis gaudij gratiam reportat.

Vers. 67. *Qui introduxit eum in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit uxorem, & in tantum dilexit, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat temperaret.* Isaac Rebeccam in matris tabernaculum inducit, cum cœlestis gaudij desiderium patientiam intra piæ voluntatis ambitum, quæ totius boni mater est, sibi commilitaturam, & à se sanctis operibus fæcundandam suscipit, & in tantum pro Deo iam se pati lætatur, vt dolor pœnitentiæ, qui ex defectu olim eiusdem bonæ voluntatis acciderat, nimij processu amoris certâ spe veniæ iam penitus leniretur.

CAPVT XXV.

Vers. 1. *Abraham verò aliam duxit vxorem nomine Cethuram.* Cethura dicitur thimiama offerens, vel copulata. Postquam Sara, voluntas scilicet, quæ princeps Abrahæ, idest rationis est, non quod rationi principetur, sed quòd ex eius consortio principium totius probitatis sit, postquam inquam hæc sæculo occidit, fit Cethura, dum ita toto desiderij ardore crematur, vt vita hominis Deo per internum indiuidui amoris fœdus copulata, ad Deum omni odore, sanctitatis confecta feratur. * Dat Abraham cuncta quæ possidet Isaac, quia quicquid intellectus in spirituali substantia fœneratur, totum ad cœlestis lætitiæ lucra multiplicanda confertur. * Filiis concubinarum largitur munera dum operibus rationabiliter quidem cæptis, sed minus legitima humanæ affectionis admixtione perfectis, non æterna, sed temporariæ prosperitatis ascribit præmia. *Et separauit*, inquit, *eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem.* Dum viuimus enim ad orientalem plagam, separare ab Isaac filio eos debemus, quia subtiliter discernendum nobis est, dum veri Orientis vitali luce perfundimur, ne opera humanitus facta ad intentionem mercedis supernæ permiscere audeamus. Filios concubinarum, opera affectualitatum corporalium, Isaac filium, spem cœlestis gaudij dicimus. Ordo autem est, dum viueret ad orientalem plagam, separauit eos.

* Vers. 5. * Vers. 6.

Vers. 7. *Fuerunt autem anni vitæ eius centum septuaginta quinque annorum.* * *Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum.* Per quinarium exterior homo noster, ob quinque suos sensus accipitur. Septuagenarius septenarium & denarium euidentiùs præfert in septenario, qui numerus spiritualis est, & ex quatuor, tribúsque constat, spiritus noster intelligi potest, qui quatuor principalibus virtutibus, & ratione, voluntate, affectúque præminet, & solus septiformi gratiæ capessendæ idoneus est, hunc septenarium denario adiicimus, dum animum sacræ documento legis imbuimus. Inde ergò ad centenarium qui transit, in dexteram ferimur, idest ad contemplationem Dei, quæ initium perennis iam beatitudinis est, conscendimus. Hunc vsque centenarium Abraham intellectualis viuere quoquo pacto sæculo potuit, sed in hoc constitutus deficiens cupiditatibus earum negotiis obiit, cùm plenus dierum, sacrarum scilicet luce multiplici scientiarum, & prouectæ ætatis, promotus sanè altis gradibus sanctitatis in senectute, non qua inueterauerit inter inimicos in terra aliena, sed qua permaturuit religiosæ conuersationis diuturnitate bona.

* Vers. 8.

Congregatúsque est ad populum suum, & sepelierunt eum Isaac, & Ismaël filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, & cætera. Isaac, & Ismaël filij Abraham sepeliunt in spelunca duplici, cum & spes cœlestis gaudij, & affectus iam Deo obediens non sibi quietis internæ rationem gratiâ contegunt, vt nec spelunca sensualitatis, nec etiam ipsius, quæ molestior esse solet, imaginalitatis spiritum Deo intentum prodant, sed eidem seruire à negotiis curarum parcendo, fouendo consentiant: cætera superiùs tractata quærantur. Sed antequam sepeliat, ad populum suum congregatus ordinatè satis dicitur, nisi enim à sua dispersione intellectus ad sibi vniendam cogitationum quasi vulgi multitudinem sese collegerit, nunquam sepulchrum illud quietem mentis attingit. * *Et post obitum illius benedixit Dominus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum viuentis, & videntis.* Benedicit Dominus Isaac filio post obitum Abrahæ, dum spei nostræ spiritualis lætitiæ exuberantiam multiplicat, postquam intellectus noster ex toto deficit in appetitu mundialis gloriæ. Iuxta puteum viuentis, & videntis habitat, cum interioris hominis gloriatio eum in quo est totius boni origo, & vnde haurimus totius spiritualitatis ac vitalitatis vndas, obseruando omni diligentiâ confrequentat. Illi enim rei assidere solemus, quam custodire, quáque frui cupimus: Sic ergò iuxta puteum habitat.

Vers. 9. * Vers. 11.

Anni vitæ Ismaël centum triginta septem. Deficiens mortuus est, & appositus ad populum suum. * *Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introëuntibus Assyrios;*

Vers. 17. * Vers. 18.

coram cunctis fratribus ſuis obiji. Per ſeptenarium temporalitas accipitur, quæ ſeptem diebus euoluitur. Tricenarius ad Trinitatis pertinet dilectionem, per piorum operum executionem, ſexies quini triginta complent. Sex diebus fecit opera ſua Deus, ſextâ etiam creauit hominem. Operum ergò ſenarius innuit perfectionem, quæ quinarij exteriorum ſenſuum cohibeat in æquitatem. Centenarius verò inſinuat, quia dexter eſt, Dei contemplationem. Quicquid itaque temporalitatis nobis ineſt, affectus noſter verus Iſmaël expendat in Dei non verbo, ſed opere integro dilectionem, ſi vult perfectum facere hominem, & Dei attingere viſionis beatitudinem. Is numerus eſt annorum plenitudo ſcilicet clara virtutum. Vnde congruè poſtmodum dicitur appoſitus ad populum ſuum, dum poſt tot claritudines ſanctitatis derelictis habitatoribus Cedar, ſolùm patriæ reuerà iam ſuæ ſupercœleſtis populo, conciuibus ſuis apponi nunc deſiderat, in re poſteà apponendus. Habitauit autem ab Heuila vſque Sur, ideſt, dominatus eſt motibus ſuis à principio conuerſionis, in quo omnis creatura ingemiſcendo parturit vſque adhuc & dolet: vſque Sur, ideſt vſque ad ſpiritualis fortitudinis contra omnia temperamenta robur, quæ tamen fortitudo reſpicit Ægyptum, ideſt tribulationis coanguſtanti tenebras, introeuntibus carnis affectibus Aſſyrios, ideſt aulicos, ſcilicet imitari volentibus quoſque voluptati deditos. Aulas namque omnium eſſe nouimus voluptatum volutabra. In domibus planè regum ſunt, qui mollibus induuntur: Heuila interpretatur parturiens, vel dolens: Sur fortitudo: Ægyptus tribulatio coanguſtans, vel tenebræ. Habitare verò pro eo quod eſt, dominari, in ſcriptura ponitur. Dum planè fortia quælibet agimus, & de mundi oblectatione quaſi de aulæ introitu tentamur, ad Ægyptum mœroris, & tenebrarum, quod totum mundus eſt, attendere debemus. Aſſur autem dicitur aula. Coram cunctis fratribus obit, dum omnibus piis animi motibus à ſua euagatione reuerſis, ſibíque ad ſecurandum præſentibus à forenſi diſtractione atque negotio beatè interit: vnde & ſuperiùs primùm defeciſſe, poſtmodum mortuus fuiſſe dicitur; niſi enim Iſmaël terrenæ ex toto affectualitati deficiat, peccati effectibus quomodo mori ad integrum queat.

Rom. 8. 22.

Lucæ 7. 25.

Quæ ſequuntur, aliàs iam dicta ſunt, excepto quòd quadraginta annorum Iſaac duxit Rebeccam, per decalogi videlicet impletionem ſummam Euangelij, quod quaternario ſignatur attingens ad patientiæ amplexus, quod eſt perfectionis faſtigium deuenit. Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eò quod eſſet ſterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, ſed collidebantur in vtero eius paruuli. *Quæ ait: ſi ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque vt conſuleret Dominum.* Poſtquam in conuerſionis primordio patientiæ leges amplectimur, ipſam ſterilem reperimus, quia etſi aduerſarios tolerat, his tamen benignè obſequi arduum nimis putat. Neceſſe ergò eſt, vt precemur Dominum, quò tribuat Rebeccæ conceptum. Igitur exaudimur, & iam geminos fætus concepimus, ſcilicet, vt quos toleramus, ſine ſcrupulo aliquo in gratiam admittamus, & cùm amauerimus benefacere his etiam cùm perſeuerauerint in malo, ac deſeruire curemus: ſed colliduntur in vtero paruuli, quia immenſa eſt congreſſio intra conſcientiam iſta facere molientis animi. Dum enim videt obſequium ingratè ab inimico ſuſcipi, mens ipſa cur talem diligat, indignatur ſibi. Amare ergò, & non amari, obſequium præbere, ſed deſpici, vtrumque grauiter indignatur ſibi, dum ſeruitium non ſuſceptum internum conturbat amorem, & amor ipſe nimis ægrè patitur officij impenſionem. Quid, inquit, mihi proderit huius bonæ actionis concepiſſe affectum, qui ad tam triſtem conſcientiæ vergit effectum? Sed petendum eſt intellectualitatis oraculum, vbi conſulamus Dominum.

A verſu 18. ad verſ. 23

Duæ enim gentes in vtero tuo ſunt, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúſque populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. * *Qui prior egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus: Vocatúmque eſt nomen eius Eſaü. Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & icciricò appellauit nomen eius Iacob.* Duæ gentes patienti animæ in conſcientiæ vtero ſunt, carnis ſcilicet cogitatus, & ſpirituales rationis motus, & ex ventre, ideſt, humana fragilitate, duo genera appetituum ſibi inuicem infenſorum, conditione corruptibilitatis vnitatis ſtatum præpedientе conſurgent, ſed populus populum ſuperat, maiorque minori ſeruit, dum animalitas quæ primò in omni homine regnat; priùs enim iuxta Apoſtolum quod animale, demúmque quod ſpirituale, ſpiritualitatis vt dignum eſt imperio ſubiugatur. Noli ergò, inquit, penes te turbari, ſi patientiæ præmio vis coronari. Qui prior egreditur, rufus erat, quia is qui primitus in nobis apparet motus, ex paſſione deſideriorum veniens, quaſi ex carnis, & ſanguinis origine eſt, concupiſcentialiter flammeus. Is enim color & ignis, & ſanguinis ſpeciem habet, vnde & æſtum concupiſcentiæ carnalis ſignificat. In morem pellis eſt hiſpidus, dum aſperitate influentium ſuperfluarúmue cogitationum

Verſ. 23. & 24.

* Verſ. 25.

1. Cor. 15. 46.

ac motuum semper est horridus. Per pellem verò memoriam possumus intelligere, quæ animalis iam mortui repræsentatio est: memoria ergò nostra tot affluit incursibus suggestionum, quanta pellis quælibet densitate pilorum. Esaü dicitur aceruus lapidum; carnalitas itaque nostra aceruus lapidum vocatur, dum pondus, & duritia spiritualium, corporaliúmque pestium indesinenter in illam congeritur, vt iam vix ad superna quærenda leuetur: sed protinus alter egreditur, qui plantam fratris manu teneat, dum spiritualis subsequitur zelus, qui plantam, idest intentionem praui desiderij, quæ quasi quidam finis & cogitatus, & operis est, fortitudine rationis euertat. Iacob itaque, idest supplantatorem patientiam hunc mater appellat, qui profectò quicquid mala præstolamur intentione subducat. Hoc est quod legitur, *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* Tempus partus quod superius nos prætererat, quo gemini in vtero reperiuntur, nil aliud conuenientius æstimo, quàm ipsas tentationis molestias, quæ quidem geminos edunt, dum primùm carnaliter titillant, postmodùm ad subuersionem nequitiæ Spiritum quasi pugilem virtutis exsuscitant. Vterus autem ipsa quo hæc celebrantur conscientiæ inuisibilitas est.

Gal. 5. 17.

Vers. 26. *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli.* * Vers. 27. * *Quibus adultis factus est Esaü vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem, vir simplex habitabat in tabernaculis.* * Vers. 28. * *Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus eius vesceretur, & Rebecca diligebat Iacob.* Nascuntur nobis paruuli, cùm ad plenum in præliis vitiorum exercitatæ carnalia ac spiritualia quæque patent discretioni nostræ. Isaac sexagenario nascuntur, cùm spei nostræ per integra perfecti hominis opera, quod sexagenario signatur, supernis gaudiis iam intentæ vtiliter hæc temperamenta ad probationis scilicet gloriam suboriuntur. Paruuli tunc adolent, cùm tepor suggestionis ad calorem nimiæ prorumpit inuectionis: sed tamen si carnalitas feruet, spiritualis necesse est, impetus vt contra ardentiùs ardere nunquam cesset: Paruuli sanè alter bonus, malus alter, & vterque si velimus bonus. Vnde & Esaü vir licet gnarus venandi sit, homóque agricola, tamen ab Isaac diligitur, eò quòd de eius venationibus vesceretur: venator multo suo actu nil aliud quàm carnem quærit. Agricola cum terram exerceat, frugem tamen exigit. Esaü itaque, idest carnis affectus sola corporis desideria quærit, sed tamen instar & ipse agricolæ cum carnis terram multis agat laboribus, magnos rationi nostræ ad superna respectanti, & ad ista pugnanti magnæ saturitatis ingerit gu-

A stus ex victoriarum prouentibus. Iacob vir simplex domi habitat, quem Rebecca vel ipsa amat, dum animus simplicitati, idest vnitati mentis vni vacare, vnum gaudens cogitare intendit, & domi habitans, conscientiæ vtique imperans, à patientia humanitus diligitur, quæ quasi muliebriter de propria quiete lætatur, dum Iacob simpliciter stabilito, nullo turbine interius propulsatur, dum minus prouidet quænam vtilitas ex tentatione nascatur.

Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cum Vers. 29.
B *venisset Esaü de agro lassus,* * *ait: Da mihi de* * Vers. 30. *coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom.* * *Vende mihi primogenita tua, inquit: cui Esaü: En morior: quid mihi proderunt primogenita?* * Vers. 31. Iacob pulmentum coquit, dum spiritualis vigor scientiæ aliquis, & diuinæ foco charitatis quicquid apud se duritiæ carnalis sentit emollit. Esaü de agro lassus venit, cùm in terrenis fatigata negotiis animalitas nostra ad conscientiam spiritualia disquirentem se colligit. Coctio verò est rufa, ipsa carnis, &
C sanguinis passionum coërcitio feruida: rubor enim sanguineus, aut carnales æstus, aut peccatum significat. Da mihi, inquit, de coctione rufa, idest auara mihi excoque desideria, & in meis me cupiditatibus lassabundum, vel ipsa famis pestiferæ depulsione exsatura: ob hoc namque Edom noster vocatur affectus, quia terrenis indesinenter angustatur passionibus. Edom nempè dicitur terrenus, vel sanguineus. Vende, ait, mihi primogenita, ne scilicet vlterius in meis aliquem moribus primatum priuatæ potestatis
D vsurpa, sed regiæ maiestatis imperio cedens spiritualitatis te sequi profitere vestigia. Quid mihi, inquit carnalis affectus, prodit contra rationem praua moliri ac indigna dominia, cùm nil mihi ex hoc acquiram, nisi mortis æternæ dispendia? * *Ait Iacob: iura ergò mihi. Iurauit Esaü, & vendidit primogenita.* * *Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abijt, paruipendens quòd primogenita vendiderit.* Iurat Esaü vendendo primogenita, dum ad ius rectitudinémque se confert carnis appetitus, accepto spiri-
E tualis libertatis pretio, subter rationis sese mancipando regimina. Panem ergò tunc accipit, & lentis edulium, cùm post auaritiæ famem pane charitatis reficitur, & passionum carnalium, quæ lentis rubore signantur, consumptione saginatur. Comedit itaque, idest forti quicquid in se noxiè durum est discretionis atterit dente; bibit, poculo scilicet spiritualis gratiæ; abit, virtute vtique proficit, & primatum nequitiæ spirituali seruitio postponit.

Vers. 33.
Vers. 34.

CAPVT XXVI.

Verſ. 1. ORtâ autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem quæ acciderat in diebus Abrahæ, abiit ad Abimelech Regem Palæſtinorum in Gerara. * Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne deſcendas in Ægyptum. Fames ſuper terram poſt ſterilitatem diebus Abrahæ factam oritur, cum diuinæ ſapor dulcedinis ad deprimendam terrenitatis noſtræ ſuperbiam ex victoria intumeſcētis vitiorum menti ſubtrahitur, poſt illam ſterilitatem, quam primùm ante concuſſionem conſcientiæ Abrahæ, hoc eſt intellectui priuatim infæcundus factus eſt, inſipidúſque panis vitæ. Priùs enim à Dei verbi guſtu ratio torpet, poſtmodum ex ipſa inedia grauiter conſcientia languet, diebus, ideſt intellectibus Abrahæ ſcilicet rationis hac nocte tabentibus. Iſaac ad Abimelech Regem in Gerara vadit, quia mens ſuperno pridem gaudio intenta ad patris ſui regnum quod eſt mundus excedit, vbi dum gaudere nititur, diabolum qui pater mundi amatorum eſt, Regem aduenarum, ſcilicet peregrinationem huius ſæculi pro patria amantium, & per hoc ad ſe propinquantium reperit. Abimelech patris mei regnum. Gerara dicitur aduena appropinquans. Apparet ei Dominus, dum errorem animæ oculis detegit intellectus. Ne deſcendas in Ægyptum, ne defluas videlicet ad conformitatem ſæcularium, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi: * & peregrinare in ea. A labore & onere ſæcularis negotij in ſolido humilitatis te deprimens conſopire, nec habeas hîc manentem ciuitatem, ſed futuram peregrinus inquire: oneratos ſanè & laborantes voco vt quieſcant, & diſcant quia mitis ſum, & humilis corde. Tibi enim & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, bonæ ſcilicet tuæ merito voluntatis, & operi tuo quod in ſpem frugis æternæ hîc ſeminas dabo cunctos corporis tui ſenſus poſſidendos, & rationis iure premendos. Hæ ſunt enim, quæ in Euangelio benè fœnerantibus attribuuntur ciuitates, & in Pſalmo latera domus appellantur, vniuerſæ videlicet corporis noſtri partes.

* Verſ. 2.

* Verſ. 3.

Hebr. 13. 14.

Gen. 16. 3.

Lucæ 19. 17. & 19.

Pſal. 127.

Complens iuramentum quod ſpopondi Abraham patri tuo. * Et multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, ideſt perficiam quicquid illud eſt, ſcientiæ ac rectitudinis quod certo certius inſerui ſcientiæ intellectualitatis, quæ tibi patrocinatur, & opera tua vel certè internam gratiam, de qua velut è ſemine proſerpunt eadem opera ſicut, ideſt vt potè, ſtellas, virtutes ſcilicet, quæ & cœlo mentis tuæ infulgeant, & terræ, peccatoribus, videlicet quibuſque lumen exempli prebeant. Daboque poſteris tuis vniuerſas regiones has, hoc eſt impaſſibilitati, & incorruptibilitati tuæ quæ poſt id quod nunc eſt in regeneratione tibi naſcitura ſunt, dabo omnes beatè obtinendas carnis & animæ diſtinctiones. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, in ſpirituali ſcilicet, qua interiùs vngeris gratia, multiplicabuntur quaſi ex vero ſemine omnes corporeæ ad cultum pietatis actiones, * Eo quod obedierit Abraham, ſpiritus videlicet tuus, voci meæ, ideſt ſuggeſtioni internæ, & cerimonias legéſque ſeruauerit, per abſtinentiam planè malorum, bonorum obſeruantiam attigerit. Cerimoniæ nempè à carendo quaſi carimoniæ dicuntur, quòd illicitis ad Dei legum cuſtodiam carere æquanimiter patiamur.

* Verſ. 4.

* Verſ. 5.

Manſit itaque Iſaac in Geraris. * Qui cùm interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, reſpondit: Soror mea eſt. Timuerat enim confiteri, quod ſua eſſet coniunx, ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem. * Cúmque pertranſiſſent dies plurimi, ibidémque moraretur, proſpiciens Abimelech per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua. * Et accerſito ait: Perſpicuum eſt quod vxor tua ſit: * Cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe? Timui, inquit, ne morerer propter eam. Si Abimelech patris mei regnum, diaboli videlicet, quod ſunt omnes amatores mundi, vnde & ipſum regnum Gerara, ideſt colonum eiiciens, dicitur, quia conformitas talium à cultu propriæ mentis in negligentiæ errorem hominem eiicit. Iſaac ibi manet, dum in ſæcularis gaudij contuitu mens pridem cœleſti intenta torpida iacet. A viris loci illius interrogatur ſuper vxore, cum à quibuſlibet virtutibus, vel ab ipſis rationis motibus locum, ſibi intra eandem conſcientiam viriliter adhuc vendicantibus, diſcutitur ſuper ſtatu voluntatis ſuæ, ſed ſororem ſuam eſſe reſpondet, dum non intellectuali iudicio, ac ſi maritali imperio, ſed pro liberæ poteſtatis arbitrio voluntatem ipſam ſe agere effectu magis quàm voce perhibet, dum tentationum molibus obrui veretur, ſi reſiſtere prauæ cuiquam licentiæ paret: Sic mentis ſpeciem aliquos inter moleſtias ſeruare tædet. Ibidem moranti dies plurimi pertranſeunt, cum cuiquam intepeſcenti multarum intelligentiarum ratiocinationes, & virtutum recordationes, ac ſi quędam dierum ſe altera poſt alteram ingerunt claritates. Abimelech proſpicit per feneſtram, cum ſæcularis quilibet ad patris diaboli attinens regnum, ſpiritualis cuiuſpiam ſtatum rimatur per feneſtram, ideſt per exteriorem ſenſuum habitudinem. Iocantem cum vxore ſua Rebecca videt, cum voluntate ad ius vxorium rationi ſubiecta, non ad

Verſ. 6.

* Verſ. 7.

* Verſ. 8.

* Verſ. 9.

sæculi lasciuiam, sed inter aduersa coniicit desideranter velle gaudere ad patientiam. Hunc talia molientem ille forsitan sæcularis aggreditur, & de re diuiua propriæ voluntatis infrænatione causatur: Si, inquit, rationabiliter tuis fluxis motibus principari decreueras, cur te quasi effrænem & liberum aperto operum tepore monstrabas? Timui, ait, ne molestiis impugnationum interimerer, si refragari cogitationum turbæ conarer: humanum ergò habeatur timuisse, sed diuinum iam fit vires contra vanitatem sæculi resumpsisse. * *Quare ait Abimelech imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum.* Sunt aliqui sæculares, & penè omnes, qui cum viros religiosos aliquantisper quibuslibet titubare collegerint signis, durè admodum reprehendant. Tu, inquiunt, qui sanctitatis speculum nobis fore debueras, offendiculi materias benè volentibus quare imponebas, dum voluntati tuæ, quam coniugis instar subesse decuerat, absque iugo abire sinens fræna laxas, exemplo remissionis tuæ in eandem qua voluntas tua impudica iam ruit lasciuiæ & erroris foueam, aliquis rudis & inscius præcipitari posset, & ex te tota peccati massa in nos rueret. *Præcepitque omni populo:* * *Qui tetigerit*, inquit, *hominis istius vxorem, morte morietur.* Postquam quasi ex amore iustitiæ correxisse iustum peccator videbitur, idem vbique gentium si poterit diuulgare sub eodem typo conabitur, vt ex hoc eius nequitia pallietur. Ac si diceret: Vir iste apud vos pro sanctitatis simulachro celebratur, sed sciatis crimen maximum illum incurrere, qui eius maliuolentiæ confæderabitur.

*Vers. 10. *Vers. 11.

Vers. 12. *Seuit autem Isaac in illa terra, & inuenit in ipso anno centuplum. Benedixitque ei Dominus.* * *Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* * *Habuit quoque possessionem ouium, & armentorum, & familiæ plurimùm.* In illa sua terrenitate Isaac seuit, dum de sæculari ad gaudium cœleste anima resipiscens, boni operis semine humanitatis casum contegit. Annus cuiuspiam boni perfectio intelligitur. Vti enim annus diebus, sic quæque virtus cogitationum, locutionum, operúmque piorum fulget adnisibus: in hac itaque virtutum plenitudine centuplum inuenit, dum æternæ remunerationis summam iam mente præsaga expectatam fideliter colligit. Benedicitur itaque, spirituali scilicet substantia augmentatur, locupletatur, sed tamen vt suæ semper fragilitatis meminerit, homo dicitur. Proficiens ergò virtute, atque succrescens spe jt, idest desiderio tenditur ad brauium vocationis supernæ donec infimas euincat cupiditates sanctitatis magnitudine. Habet possessionem ouium, & armentorum, dum & actualium, & contemplatiuorum bonorum sine laudis humanæ participatione obtinet multiplicitatem. Oues lanigeræ, & simplices cum sint, humilem beneficientię signant actum. Armenta fortia religionis opera, quæ & contemplatores subleuant ad diuina videnda viros, accipimus. Familia à famulando dicitur; familiæ itaque habet plurimùm, qui quantumcumque culmen attigerit virtutum, turbam tamen, licet velint nolint rationi famulentur, patitur cogitationum.

*Vers. 13. *Vers. 14.

Ob hoc inuidentes Palæstini, * *omnes puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, illo tempore obstruserunt, implentes humo:* * *in tantum vt ipse Abimelech diceret ad Isaac. Recede à nobis, quoniam potentior nostri factus es valde.* * *Et ille discedens veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi.* Palæstini, qui & Philisthæi, qui potione, idest superfluo haustu superbiæ cadentes, scilicet dæmones intelliguntur, ob diuinæ nobis gratiæ vbertatem inuidentes, puteos capacitatis ac intelligentiæ, quos memoria, voluntas, & affectus, & cæteri interiores motus animæ serui profectò rationis detractis inertiæ ruderibus parauerant, terrenæ cogitationis humo obruunt, & foramen, quo aquarum viuentium profunditas attingitur, subtilitatem scilicet ingenij, curarum molibus obstruunt. In tantum liuor dæmonum excandescit, vt per Abimelech, iniquum videlicet quempiam ad diaboli patris malorum regnum pertinentem, religioso alicui apertè dicant: recede à nobis, quia potentior nostri factus es valde, idest si excellentia vitæ nos exuperas, inter nos, qui sæculo adhuc deseruimus, ne appareas, sed procul à nobis & egregiè viue vt simulas. Torrens Geraræ, volubilitas, & impetus est humanæ vitæ, scilicet propinquantis aduenæ ad terminum peregrinationis suæ. Quò ergò magis pius aliquis molestatur à cupidis mundialis gloriæ; eò ampliùs concitatur ad considerationem labilitatis terrenæ, & in hoc prospectu figit statum mentis suæ.

*Vers. 15. *Vers. 16. Vers. 17.

Rursúmque fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos olim illo mortuo obstruserant Philisthijm: appellauitque eos ijsdem nominibus, quibus ante pater vocauerat. * *Foderuntque in torrente, & repererunt aquam viuam.* Abraham moritur, cum intellectus à Deo dirimitur: alij putei, quos obstrusos Isaac fodit, Dei cognitio, scientiáque quarumque virtutum, è quibus vitalem sumimus vndam, intelliguntur, qui per rationis defectum à dæmonibus obice terrenitatis opplentur, sed ad superna gaudia animo respirante, spiritualibus studiis, qui rationi

Vers. 18. *Vers. 19.

vero scilicet Abrahæ inseruiunt, exhausti, discretionis sedulæ curâ deplentur; hos iisdem nominibus, quibus & ante pater appellat, dum intantum sanctitatis apud Deum, & homines opinione sese insigniens magnificat, quantum subtilitas ipsius rationis fieri debere dictat. In torrente autem fodimus, cum transibilitatem huius temporalitatis discutimus, ibique aquam viuam inuenimus, quia mundi perpendendo excursum, fontem aquæ salientis in vitam æternam sufficere nobis ad gloriam contempto præsentium fluxu videmus.

Ioan. 4. 14.

Vers. 20. *Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersum pastores Isaac, dicentium: nostra est aqua. Quamobrem nomen putei ex eo quod acciderat vocauit calumniam.* * Vers. 21. *Foderunt & alium, & pro illo quoque rixati sunt, appellauitque eum inimicitias.* * Vers. 22. *Profectus inde fodit alium puteum pro quo non contenderunt.* Pastores Geraræ sensus accipimus carnis nostræ, qui nos sorbitiunculis sæcularis pascunt lasciuiæ. Pastores Isaac motus sunt contemplatiui, qui defectiones spirituali alimento reficiunt animi: carnalia ergò aduersus spiritualia iurgant, dicunt quod nostra est aqua, dum suadetur ab his, quod sæcularis spirituali omninò præmineat scientia, cuius in promptu est gloria. Noménque putei ex euentu vocat calumniam, dum ex ea intelligentia, quæ ex torrente discusso colligitur, insignis contra pastores Geraræ calumnia interioris hominis nunquam desitura mouetur. Alter qui foditur puteus, sacræ prædicationis intelligitur virtus, quæ vires ex torrentis defossione & potu vitalis aquæ sumens, tantò puriùs aliis propinat, quantò fonti viciniùs instat: pro hoc quoque rixantur, quia benè loquentibus propriæ actionis infirmitas si aliqua sit illicò obiicitur.

Appellat hunc inimicitias, nec incongruè quia iuxta Poëtam hoc tempore odium parit veritas. Vnde necesse est, vt inde proficiscatur, idest ad meliorem vitæ statum promoueatur, & puteum fodiat, egestis scilicet ab animo terrenis affectibus, non in superficie cogitationis, imaginationis, aut forasticæ visionis, sed in intimo intelligibilitatis purissimum viuendi fontem requirat. Ordo enim nostræ actionis ex internæ vena progreditur propositionis, vnde exempla aliis profluunt eruditionis; priùs ergò puteus doctrinę, postmodum foditur operationis iustæ, qui omninò iam caret contentione, quia tales præcipuam reuerentiam solent habere, quibus nil homines possunt obiicere: priùs inquam: *Anima* namq; *laborantis*, iuxta Salomonem, *laborat sibi, quia compulit eum os suum.* Propter officium sanè prędicationis, ne prædicans reprobus inueniatur, extendi admodum solet exercitium piæ operationis. Et contra: Abscondit, inquit, piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. Vnde & *vocauit nomen illius, latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.* Si latitudo charitas appellatur, charitas profectò maxima est, & in verbo pro salute proximi laborare, & vitam vt verbo competat sagaciter ordinare, vt & aliis valeat exemplo prodesse. Aliter: solet nempè in Euangelio desudantibus Deus mira gratia quò ampliùs insistunt dilatare intellectum ad sacri eloquij dignoscenda ac eloquenter enubilanda mysteria. Non dicit: Dilatauit me Dominus, sed nos pluraliter, quia quicquid vel in doctrina, vel in virtutis studio propagationis vir quisque pius assequitur, hoc non magis pro sua quàm proximi vtilitate à Deo sibi dari arbitratur. Facit nos Deus super terram crescere, cum aut super corporis desideria spiritu nos excellere, aut super terram, idest Christum, qui omnes alit fundatos, facit virtutibus eminere,

Prou. 16. 26.

Ibid. 19. 24.

Vers. 23. *Ascendit autem ex illo loco in Bersabée,* * Vers. 24. *vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte: Ego sum,* inquit, *Deus patris tui: Noli timere quia tecum sum.* Bersabée dicitur puteus saturitatis, vel puteus quintus. Puteus autem saturitatis plenitudo est contemplatiuæ refectionis, & quintus est; quia quaternarium totius temporalitatis dignitate transcendit. Dicitur etiam à quibusdam quod verum est, non puteus quintus, sed septimus, & benè resonat, quia sapientia spiritualium donorum septimus gradus est, vbi plenitudo vitę ac gloriæ est, quia Deus sapientia est. Ex illo igitur loco, prędicta scilicet amplitudine charitatis, non nisi in quo rectè statur ad Bersabée, idest haustum diuinæ visionis ascenditur. Ibi in ipsa speculi, & ęnigmatis obscuritate monet nos Deus non debere timere, ipse qui Abraham, intellectum scilicet nostrum, sua iam impleuit cognitione, nobis aderit in seminis, idest gratię multiplicatione, ad se contuendum non in nubilo, sed apertè. Vers. 25. *Itaque ædificauit ibi altare, & inuocato ibi nomine Domini extendit tabernaculum: præcepitque seruis suis, vt foderent puteum.* Altare ibi ędificamus, cum quantò magis Deum cognoscimus, tantò fortiorem benè agendi voluntatem semper meliorem auidi, sine qua omnis virtus angusta est, constabiliendo, hinc inde collatis virtutibus ad Deum erigimus: vnde & inuocato Dei nomine dicitur extendisse tabernaculum, dum non ad sui ipsius opinionem, sed ad Dei solius laudem operum effectibus bonę exerit voluntatis appetitum ad Dei militiam exequendum. Hoc enim signat tabernaculum: pręcipit seruis, vt fodiant puteum, cum interioribus, exte-

rioribúsque suis indicit motibus, vt scrutentur, quanti valeat gustare præsentialiter, si tanti valet per ænigmata speculari Deum.

Vers. 26. *Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, & Ocozath amici eius, & Phicol* *Vers. 27. *dux militum,* * *locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me hominem quem odistis, & expulistis* *Vers. 28. *à vobis?* * *Vidimus*, inquiunt, *tecum esse Dominum.* Geraris dicitur cornupeta eorum, in quo intelligitur nocendi appetitus, haud dubium quin dæmonum: hinc ergò, ex impetu scilicet suæ maliuolentiæ ad altare quod principalis locus est, veniunt Abimelech, qui dicitur pater meus Rex, vel regnum patris mei, in quo accipitur superbia, cui potissimùm diabolus imperat, vt potè rex super omnes filios superbiæ, & Ocozath, de quo nescimus qui fuerit, attamen complicem eius non dubitamus, in quo non absurdè intelligitur inuidia, superbiæ videlicet filia, vnde & tenens, vel comprehendens interpretatur, quia cor quod comprehenderit, sic teneat, vt difficilè renitescat. Hinc in alia translatione pronubus Abimelech dicitur, quia superbia gaudiis luxuriante carnalibus, liuor eius intemperantiis quasi quidam pronuba, idest supplementum nequitiæ comitatur; & Phicol dux militum, inanis gloria, totius peruersitatis firmamentum, qui interpretatur os omnium, quia in laudis humanæ præcipuè delectetur aura: hæc inquam tria, idest superbia, inuidia, inanis gloria homini terrena respuenti, & amanti cœlestia, speciali insecutione se ingerunt, & tantò perniciosiùs, quantò consulendi gratia sub amicorum nomine deuotius. Respondet tamen Isaac, eósque præuenit, ac si diceret: Quis mihi conuentus vobiscum, cum nil in vobis aliud, quàm lethale animæ meæ virus compererim, & sola vestra execrabilitas suo horrore ab ambitu sæculi me expulerit? Vidimus tecum, inquiunt, ipsâ operis euidentiâ Deum esse, & cum spirituali præcellas, omni temporali es dignus honore, quod multos obtinere cernis indebitè, cum tuæ religionis fauor diffundatur vbique. Attende ergò quòd tibi prodesse cupimus, ne renuas impendere aures benè consulentibus, perpende quod tibi nunquam damno fuimus, nec tuas prosperitates imminuimus, immò multiplici laude pollentem nunc vsque vigere permisimus. Fœdus itaque nostrum ne respuas, cum Deo multiplicante te augeri sentias, si monitis acquiescas: hæc æquipollenter dicta sensui eorum consonant.

Vers. 30. *Fecit ergò eis conuiuium, & post cibum, & po-* *Vers. 31. *tum* * *surgentes mane iurauerunt sibi mutuò. Dimisitque eos pacificè Isaac in locum suum.* *Vers. 32. * *Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annunciantes ei de puteo quem foderant, atque di-*

A *centes: Inuenimus aquam.* * *Vnde appellauit eum abundantiam.* *Vers. 33. Tribus illis conuiuium Isaac facit, cum ipsas vitiorum adulationes ratiocinationibus quibusdam auget, & nutrit. Post cibum, & potum surgunt, cum post fercula temporalis gloriæ, quæ potibus irrigantur consilij rationis humanæ, eleuantur in spem ambitionis explendæ. Mane sibi mutuò iurant, dum in ipso prosperitatis arrisu sese fidelis anima, & vitium confæderant. Mane, siue Aurora, & etiam dies pro secundis rebus ponuntur, vt est in Iob: Si (24. 17.) B subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. In locum suum eos pacificè dimittit, dum per affectus vanitatem euagari ea sine vlla spiritus obiurgatione permittit, sed in ipsa die, quæ ad pacem sibi, piæ cogitationis motus, qui rationi inseruiunt, interiori homini suggerunt se inuenisse aquam, se Dei aliquam gustasse notitiam. Vnde & appellat abundantiam, quia à temporalium appetitu se reuocat ad diuinæ perpetuitatis exuberantiam. *Et nomen vrbi impositum est, Bersabée vsque in præsentem diem.* Vrbs ista C supercœlestis Ecclesiæ frequentia est, quæ vitæ fonte nutritur, vbi lumen in lumine, & dies de die videtur. Bersabée sibi nomen imponitur, quia excandescens auaritiæ, vel cuiuslibet vitij sitis in hoc sæculo per contemplationem huius fontis æternâ saturitate extinguitur, in futuro tota saluatorum pars eius solâ infusione beata efficitur. Is enim puteus Dei scilicet notitia, pertingit vsque in illam diem indefectiuam præsentialiter videndam, quæ vna melior est in atriis suis, quàm millia dierum.

D *Esaü verò quadragenarius duxit vxores, Iudith filiam Béeri Hethæi, & Basemath filiam* Vers. 34. *Helon eiusdem loci:* * *quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ.* *Vers. 35. Esaü, qui interpretatur frustrà, inferiorem nostri partem carnalem scilicet signat affectum, vanitati intentum. Qui quadragenarius, idest temporalitati quæ quaternario signatur addictus, ducit vxores, lasciuiæ, mundialis cupiditatis. Iudith laudans, vel confitens: Béeri putei: Hethæus dicitur stupens. Confessio, E & laus, quæ Deo sola sæculi prosperitate refertur, filia est, fluxa videlicet, nil dignum virtute gerens, & filia puteorum, idest concupiscentiarum carnalium, quia ex gaudio obscurissimæ delectationis emergit. Confitetur enim pro nullo æternitatis amore, sed quia ad præsens benefeceris ei. Et talis confessio dum quasi deuotos se Deo arbitrantur, in reprobi sensus eos mittit stuporem, vt liberè sibi videantur posse omnis vitij exercere fœtorem. Basemath, in nominibus siue delinquens, vel deposita interpretatur, in quo intelligitur superbia, quę valde gloriatur in

nominum celebrationibus. Nomen enim in ſcriptura vſitatè pro fama ponitur. Quæ dum ſeſe inaniter extollendo delinquit, ad æternæ depoſitionis caſum tendit. Elom autem dicitur regio campeſtris, vel quercus: regio latitudinem vitæ ſæcularis innuit: campus incultibilitatem mentis oſtendit. Quercus cuius fructus porcos paſcit, operarios nequitię quibus dęmones aggratulãter portendit. Filia ergò talium ſuperbia, ex malis peſſima nata parentibus Eſaü, ideſt affectualitati iungitur, quæ & eiuſdem loci, ideſt prauæ ſecundum errores amplitudinis, agreſtis, & inaccurati peccatoris, peruerſi & à dæmonibus amati operis dicitur. Is affectus cum in ſæcularibus liberè per iſta diffluat in Iſaac, ideſt in anima de ſupercœleſti gaudio cogitanti, rationem cum in talia ſe pauliſper flectit, grauiter irritat, & conantem reſiſtere motibus Rebeccam, ideſt patientiam acerrimè vexat,

CAPVT XXVII.

Verſ. 1. *Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat. Vocauitque Eſaü filium ſuum maiorem, & dixit ei: Fili mi. Adſum*, inquit: * Verſ. 2. * *Cui pater: vides quòd ſenuerim, & ignorem diem mortis meæ:* * Verſ. 3. * *Sume arma tua pharetram, & arcum, & egredere foras?* Iſaac ſenectus, animæ eſt à ſpirituali robore defectus. Oculi eius caligant, cum eius mentis aciem à Deo deſideria praua reuerberant. Poſtquam ergò ingenium ab interna viſione ceſſat, in affectum cordis iuxta Pſal- (Pſal 72. 7.) mum illicò neceſsè eſt tranſeat, vnde & maiorem non dignitate, ſed quâdam temporalis vſus primæuitate, filium ipſum, ſcilicet affectum, aduocat. Fili mi? Ac ſi dicat: Cum naturaliter ex me prodeas, non eſt abſurdum, ſi meis votis inſeruias. Vides quod ab amore ſuperno defecerim, & diem, ideſt intelligentiam huius à Deo mihi illatæ defectionis ignorem. Sume ergò pharetram conſilij, vbi ſagittarum, ideſt ſententiarum copiam congeras, & arcum callidæ & inſidioſæ operationis, quo conceptas doloſitates excludas, & his armatus egredere foras, interiorum vtique negligens forenſes exerce curas: ſecundum hoc peccatores in Pſalmis (Pſal. 10. 2.), *Intenderunt arcum, parauerunt ſagittas in pharetra*, vt ſcilicet praui motus directas perimant rationes. *Cúmque venatu aliquid apprehenderis*, * Verſ. 4. * *fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.* Venatum vadens anima aliquid apprehendit, cum carnalia bona quærens quippiam ſibi competens deſiderij retibus aſtringit. Inde pulmentum facit, cum idem concupiſcentiæ igne coquens in voluptatis totum molliciem trahit: quicquid enim aut laborioſè, aut ſuauiter exercetur in ſæculo, finem ſuæ intentionis aliquam voluptatem habet. Affer, inquit, ſicut velle me noſti, vt comedam, ideſt ſicut humanum delectari coniicis quaque re affectum, ſic mihi infer, vnde meum nutrire debeam appetitum, vt anima mea tibi benedicat, antequam moriar, ideſt vt animalitas mea tibi multipliciter inſiſtat augendo, priuſquam ſuperueniente aliquâ pœnitudine ſæculari gloriæ interimar.

Quod cum audiſſet Rebecca, & ille abiſſet in agrum, vt iuſſionem patris expleret, (Verſ. 5.) * *dixit Iacob filio ſuo.* (* Verſ. 6.) Ratione igitur ad mundanum deflexa affectum, patientia ſcilicet Rebecca, quam amiſſio iam præteritorum exterret laborum, ſpiritualem reuocat appetitum, qui in terrenum iam euagans quæſtum, ſupplantet cupiditatis vitium. Intellexi, inquit, intellectum, qui tibi patrocinari debuerat, cum affectualitate agentem de carnalium commercio rerum, ſed tuum ne reſpuas attribuere cœleſtium ſpei deſiderium ac ſtudium. * *Perge ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur.* (* Verſ. 7.) Ad gregem pergimus, cum virtutum multiplicitati intendimus: duos hœdos optimos offerimus, cum & noſtra, & eorum quos peccare fecimus mala pœnitentiâ nimium Deo gratâ lugemus, eadémque debita humilitate confitemur: hœdus namque peccatorem ſignificat: neſcio vtrum aliàs in hoc opere dixerim, viderit prudens lector Iſayanum illud à Domino dictum huic loco conuenire: *Si fuerint*, (Eſaiæ 1. 18.) inquit, *peccata veſtra vt coccinum*, & rurſum, *vt vermiculus*; & quod nix ad coccinum, & ad vermiculum lana, ſub optima horum duûm ſignificatione refertur. Inde facit Rebecca eſcas, quibus libenter pater veſcitur, cum patiens iam tentationum ſuarum ex materia pœnitentiæ, & alias virtutes conficit, quibus quaſi condimentis rationis ſibi patrocinium mutat & illicit. * *Quas cum intuleris*, (* Verſ. 10.) inquit, *benedicat tibi, antequam moriatur*, ideſt cum vires ex virtute receperit, antequam defectum cuiuſpiam lapſus reincidat, præueniet te acquirendo diuinæ gratiam multiplicationis.

Noſti quod Eſaü frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis. (Verſ. 11.) * *Si attrectauerit pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet ſibi voluiſſe illudere, & inducat ſuper me maledictionem pro benedictione.* (* Verſ. 12.) * *In me ſit ait iſta maledictio fili mi, tantùm audi vocem meam, perge, affer quæ dixi.* (* Verſ. 13.) * *Abiit, & attulit, deditque matri.* (* Verſ. 14.) Eſaü, inquit, ideſt carnalis affectus, tot æſtuum corporalium ſetis cum ſit horridus, & hiſpidus, qui

dicitur frater meus, quia ex eadem mente sumus, & ego vt potè diuinæ tranquillitati innixus, naturaliter lenis, & placidus, si intellectus, quem patrem prosequor, & cui benè gerendorum cura incumbit, tot passionum suborientium asperitatem præsenserit, vereor ne ludibrio & leuitati ascribat tam ardua voluisse appetere, & totum hoc mihi potius ad deteriorem vergat defectum, quàm ad aliquem vitæ profectum. Solet enim cœpti boni desperatio in deterius semper relabi. Ego, ait patientia mater, maledictionis, defectus scilicet huius, si quæ sit, molestias fastidiúmque feram, tantum perge pietatis studium aggrediendo, & affer quæ deliqueris confitendo, immò confessionis oblatione purgando. Abiit proficiendo ab imis ad supera, attulit pœnitentiæ opera, quę conficienda aliarum condimento virtutum excipit mater, quæ hæc anxiè parturit patientia.

Parauit illa cibos, sicut nouerat velle patrem illius: * *& vestibus Esaü valde bonis quas apud se habebat, domi induit eum*, * *pelliculásque hædorum circumdedit manibus*, *& colli nuda prætexit*: * *Dedit pulmentum, & panes quos coxerat tradidit.* Rebecca cibos ad patris velle parat, cum patientia secundum quod ab intellectu sibi est insitum per passionum tolerantiam virtutum refectiones componit, & ordinat: nulla est enim virtus, quam tentationum tolerantia non commendat: vestes Esaü valde bonas penes nos habemus domi, cum ornamenta pij appetitus nobis naturaliter quasi mentis domui insita, sine quo bona quæque sunt nulla conseruamus, & vacante totius carnalitatis exclusóque affectu, his vitij supplantatorem animum Iacob videlicet circumdamus. Hædorum pelliculis obuoluit manus, cum perpetratorum malorum memoriis futurum à lapsu simili munit opus. Colli nuda protegit, cum verbi ac cogitationis propriæ immunita iugi humilitatis, & erroris pristini recordatione defendit. Ea namque quæ cogitamus per collum verba edimus, vnde & pro vtroque ponimus. Pulmentum dat, dum mentem ab omni sanguinis, id est peccati humore atque duritia igne desiderij spiritualis emollit & siccat. Consequenter postmodum panes tradit quos coxerat, cum infirmitatem conuersionis ad soliditatem sanctæ conuersationis, per charitatis diuinæ ardorem quasi farinam, ad panis fortitudinem animo obseruandam proponit: hæc omnia patientia facit, dum inter murmur carnalium motuum studio religionis insistit: his patrem illatis vocat, his enim virtutum operibus necesse est, vt ratio paternè prouideat. Quo obaudiente & affectum ac si in filios porrigente, dicit Iacob spiritualis, scilicet appetitus. * *Ego sum Esaü primogenitus tuus, feci sicut præcepisti mihi*, id est, si quæras quem me profitear, me affectualiter & secundum corporis sensus vixisse protestor, quæ primæua hominis vita est, carnalitatem non diffiteor meam, vti te docere cognosco: *Surge* ergò ad defensionem teneritudinis meæ: *Sede* ad exhibitionem discretionis iudiciariæ, *&* de venatione mea *comede*, de omnimoda scilicet carnalitatum consumptione reficere, *vt benedicat mihi anima tua*, id est vita tua augmentum mihi spirituale attribuat. Anima planè pro vita poni solet, vt est: *Qui amat animam suam, perdat eam.* Vitam autem, vitæ dicimus qualitatem.

Quomodo, inquit Isaac, inuenire tam citò potuisti? voluntas, ait, *Dei fuit, vt citò mihi occurreret quod volebam.* Miratur aliquotiens ipsa ratio tam subitò spiritum ex tanta obdurartione sibi compunctionis infundi, sed eadem per appetitum pietatis totum refert ad gratiam Dei.* *Accede huc*, ait, *vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.* * *Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem vox Iacob est, sed manus manus sunt Esaü.* * *Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem fratris maioris expresserant.* Tangit Isaac accedentem Iacob, vt probet, si filius eius Esaü est, cum anima iam cœlestibus gaudiis inhians, conuenientem iam sibi piam affectionem certò experiri nititur, an de carnalitatis, cui olim vacauit, affectu, quod est Esaü, verè pœniteat, id est si se Esaü recognoscat. Tactus enim finis esse dinoscitur notionis: sicut autem ex patre filius, sic ex ratione vel humanitùs seù diuinitùs inspirata, pius occasionem, vt ita apertiùs iuxta Augustinum dicam, essendi accipit, vel mundialis affectus, verbi gratia, vt ex virtute inanis gloria, vel vitium securitatis ac si ex manna vermis exoritur. Verâ igitur supplantatoris confessionē probatâ, vocem quidem Iacob asserit, sed Esaü manus, quia etsi opera carnalitatis antiquæ horret ac improbat, vocem tamen pœnitentis, immò iusti inter supplantandum vitia se in principio accusantis laudat. In quantum ergò carnaliter vixit, iam non cognoscitur, id est non approbatur, quia pilosæ manus, id est horridorum operum imaginationes affectum sibi mundialem velit nolit important. Maiorem autem eum dici, pro eo quod in homine prima viget animalitas, intellige.

Tu es, inquit, *filius meus Esaü*? Confiteris bestialem in animo meo te exercuisse affectum. Confiteor, inquit; at ille: * *Offer mihi de venatione tua cibos fili mi*, id est, Si ergò te affectualiter errasse fateris, téque pœnitet carnalis

Marginalia: * Vers. 15. * Vers. 16. * Vers. 17. * Vers. 19. Ioan. 12. 25. Vers. 20. * Vers. 21. * Vers. 22. * Vers. 23. Vers. 24. * Vers. 25. * al. affer.

carnalis quæſtus deſiderium, quod in cibos, in virtutis vtique condimenta vertiſti, ad me reficiendum offer. *Quos oblatos cum comediſſet, obtulit ei etiam vinum.* Oblatos comedit, cum quicquid carnalitatis ſibi inerat, in vſum virtutis vertit. Dat etiam vinum, cum hæc omnia componit, & ordinat per ſpiritualis gratiæ donum; hoc enim lætificat non modò homines, vt legitur, ſed & ipſum Deum. * *Quo hauſto accedit, & oſculatur eum*, quia mente per ſpiritum fœcundata, Iacob acceſſu cogitationis, dum verè horrentium operum pœnitet, ad Iſaac oſculum, ad ſuperni ſcilicet gaudij guſtum attingit. * *Statimque vt ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Veſtimentorum fragrantia ſentitur, cum fidelis anima in appetitu ſuo piorum actuum apparatus, & ipſius ſancti propoſiti dulcedinem præſcientiæ nare experitur, & benedicens, ea ſcilicet omni ſagacitate multiplicans, ſicut odorem agri pleni odorem filij perhibet, quia ſicut exculta diſciplinariter conſcientia, virtutúmque frugibus feraciter adimpleta cœleſte quiddam redolet, ita ipſe appetitus eodem ſapore mox imbutus nil aliud fragrat, quàm quòd mens ipſa renidet. Deus verò ei benedicit, cui profectum inducit.

*Vers. 26. *Vers. 27. Vers. 28.*

Det tibi Deus de rore cœli, vbertate videlicet ſpirituali, & de pinguedine terræ, affectus vtique quæ inferior tui pars eſt, ad excipiendum cœli rorem fortitudine, abundantiam frumenti ſcientiæ, vini ſapientiæ, ideſt cognitionis diuinæ, quæ mala nos obliuiſci facit huius vitæ, & olei, charitatis fraternæ, quæ ne inflemur ponit modum ſcientiæ, illi ſcilicet conſecutæ diſciplinis forenſibus prudentiæ: * *Seruinat populi* vitiorum tuæ victoriæ: *Et adorent*, ideſt piè interiùs ſollicitent ad diuinitatis amorem ſpirituales illæ, quæ à trinitate ſua dicuntur tribus, fides profectò, ſpes & charitas. Adorare autem, iuxtà orare dicimus, ad enim in compoſitis propinquitatem ſonare ſolet. Nil verò magis iuxtà, quàm quod menti ineſt: iuxtà ergò orant, cum mentem ſubmonent. *Eſto Dominus fratrum tuorum*, eorum videlicet, qui ex eadem mente generantur motuum: *Et incuruentur ante te filij matris tuæ*, fortia vtique opera tua, quæ ex charitate, quæ te Deo peperit, ſunt edita, humilientur in conſideratione tua. *Qui maledixerit tibi, ſit maledictus*, quæcumque in defectum tuum militant, in te deficient, ſcilicet vitia: *Et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*; quæ profectò profectui tuo adſunt, ſemper augeſcant, haud dubium, quin vitutum ſtudia. His ita Spiritu Sancto proſperante tractatis, ſeptimo ſuper Geneſim operi noſtro finis accedat.

Vers. 29.

Explicit Liber ſeptimus.

INCIPIT LIBER OCTAVVS
MORALIVM IN GENESIM.

Dan. 12. 4.

EX Danielis libro comperimus pertranſituros plurimos, & multiplicem fore ſcientiam. Quam multiplicitatem ſcientiæ nullomodo nobis aſcribentes, ſed de fragmentis dominicis qualiſcumque cophini noſtri modicitatem implentes, non grauibus ingeniis, ſed æquæuis & comparibus apponentes, per medios indignantium cuneos cepta proſequimur.

CAPITIS XXVII.

*Vers. 30. *Vers. 31.*

VIx *Iſaac ſermonem impleuerat, & egreſſo Iacob foras venit Eſaü. * Coctóſque de venatione cibos intulit patri dicens: Surge pater mi, & comede*, & cætera. Vix Iſaac ſermonem impleuerat, vix vtique ea quæ cum pio ſuperiùs agebantur affectu, effectui mandare cœperat, & egreſſo Iacob foras, ſupplantata videlicet, ac euerſa ſæculari libidine ad apertam Sanctorum operum exhibitionem, de intimo propoſiti procedente pio affectu, venit Eſaü, carnalis ſcilicet voluntas, quæ dum fidelis anima bonam ſibi collocat voluntatem exeriùs ad carnalia appetenda latenter, dum illi ſpiritualia tractant, venabatur, victa pij deſiderij deuotione in eandem ſententiam conuenit, & quæ carnaliter quæſiuerat, ſpiritus feruore excoquit, & in ſpiritualem redacta tene-

ritudinem animo iustitiam esurienti obiicit. Quæ sequuntur superiùs acta sunt. * *Quis*, inquit, *es tu?* Duas esse in homine voluntates, corporalem vnam, spiritualem alteram nouimus; quarum prima sic in corde spiritualibus intento abdita latet, vt nisi occasio, quę prodat, suboriatur, penitus extincta putetur. Cum ergò vacanti cœlestibus terrena voluntas se subitò repręsentat, profectò ac si de incognito quis sit interrogat. Ego sum, inquit, ille tuus carnalis affectus, cui primogenito, idest naturali, ac originaliter tibi ingenito potissimùm inhęrere debueras. * Expauescit animus stupore vehementi, qui paulò ante supercœlestis sibi videbatur, nunc aliqua vili motus materia plusquam terrena meditatur, & qui cibos pridem coxerat, iam in carnis duritiam recrudescere non veretur. Quis sit itaque, quis fuerit, vtrobique miratur. Ascenderat vsque ad cœlos, sed nunc descendit vsque ad abyssos. *Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi?* Ac si diceret: Si tu carnalem, vt verè es, tam apertè teipsum mihi ingeris, quis aut vnde fuit, qui nuper mihi incidit, ille spiritualis affectus, qui carnali vt putabam ad purum cupiditate excocta, omni penè me desiderio cœlesti refecit? Húncque pro sui dignitate, & vtilitate, & penes me multiplicandum duxi, & perpetuis si potero insuper ampliabo crementis, quod est: *Benedixitque ei, & erit benedictus.*

*Vers. 32.

*Vers. 33.

Vers. 34. *Auditis Esaü sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait:* Cum audit idest intelligit animalis voluntas, & monita cõstantiámque rationis, bestiali motu intra conscientiam deseuit; rugire enim ferarum est, & tamen fortiter animi se habente sententia, furor ille intra seipsum ac si flamma consumitur, & quiescit. Hinc est quòd dęmonium à Domino eminandum penè puerum interimit exeundo. Versa itaque iam animalitas in religionem, & spiritui addicta, benedici etiam se, quod est, diuinis excrescere muniis optat, & postulat. * *Venit*, inquit, *Isaac, germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam:* * *Subiunxitque Esaü: iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice.* Germanus fraudulenter venit, cum tempore conuersionis pia voluntas affectionis fluxum multa ratiocinationum tergiuersatione circumuenit. Benedictionem eius accipit, cum desiderium terreni profectus in cœlestis commodi lucra conuertit. Benedictionem pro multiplicatione poni sæpè diximus. Iustè ait supplantator dicitur, qui me & in principio conuersionis euertit, & post tentationum insurgente procellâ, victoria totius peruersitatis deiecit. Duo enim sunt gradus, primus conuersionis, quod est exitus ex Ægypto: secundus euincendę tentationis, quod sunt bella, antequam possideatur terra promissionis. De tertio non hîc agitur. *Primogenita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Quod est dicere: Me cui principaliter competebat, immò naturaliter motibus gaudere corporis, à se primùm remouit, demùm cum in hoc sęculo proficere aliquantisper vellem, quod satis licitum esset, spem mihi totius profectus mundialis ademit. Sed quia spirituali appetitui secundum spiritus virtutem propugnanti contraire non valeo, dic, ait, an mihi ad cor tandem redeunti spem prouectus spiritualis impendas.

Lucæ 9. 42.

*Vers. 35.

*Vers. 36.

Dominum, ait Isaac, *tuum illum constitui*, vt scilicet dominio pię voluntatis obedias, & omnes animi motus, qui ab vnitate eius dissentiunt, qui fratres dicuntur, quia ab eadem mente quoquomodo generantur, ei subiici debere decreui. Frumento verbi Dei, & gratiæ septiformis vino stabiliui eum; *Et tibi vltra fili mi quid faciam?* Quod totum est: Si iusto appetitui diuinis honorato muneribus obtemperare refugis, quam tibi specialiter afferre potero medicinam? * *An vnam tantùm benedictionem habes? Mihi obsecro vt benedicas.* An ita, inquit, soli bonæ voluntati curandæ pronus es, vt de his quæ prauè & humanitùs affectas, curam ferre recuses. Dic aliquid vnde proficiam. * *Cúmque eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit: In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua.* * *Viues gladio, & fratri tuo seruies; tempúsque veniet, cum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Non iam feraliter rugit Esaü, sed humanè eiulat, & ex piæ voluntatis instinctu suæ vanitati ingemens, ipsi etiam spiritui motum pietatis, & deuotionis incutit. In pinguedine, ait, terræ benedici poteris, idest si terram te, peccatorem scilicet confiteris, sopitis nequam affectibus rore cœli pinguesce, idest gratiâ & infusione intellectualitatis, quæ tibi ac si cœlum præminere, lumen, ac pluuias documentorum præbere debet, ad boni operis frugem fœcundare. Viues gladio, vitam vtique boni ac mali discretione conquires, fratri tuo, pio scilicet affectui, qui ex matre tecum ratione procedit, inseruies, ad tempus tamen, nam postquam ad perfectum calorem dilectionis diuinæ perueneris, non iam bonæ voluntati, aut ipsi etiam rationi subiicieris, sed in idipsum, quod bona voluntas est, aut ratio conuerteris, idem quod illa senties, idémque eris.

Vers. 37.

*Vers. 38.

*Vers. 39.

*Vers. 40.

Oderat ergò semper Esaü Iacob, pro benedictione qua benedixerat ei pater. Dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, vt occidam Iacob fratrem meum. Etsi ad horam prauus pio contemperatur affectui, si potest tamen inesse diuturna concordia; caro enim

Gal.5.17. concupiſcit aduerſus ſpiritum. In quantum ergò patri, ideſt rationi conuenire cognoſcit, Eſaü Iacob audit. Cor Eſaü, mala affectualitatis intentio eſt. Vt ergò fidelis intellectus Iſaac ſcilicet materiam luctus inueniat, per amorem temporalium ſeſe poſſe interimere prauus affectus bonam voluntatem putat. Dicit autem venturos dies, falſæ ſcilicet proſperitatis claritates, quibus obruat Iſaac gaudij videlicet cœleſtis in anima iocunditates. *Nuntiata ſunt hæc Rebeccæ.* *Verſ.42. * *Quæ mittens, & vocans filium ſuum Iacob, dixit ad eum: Ecce Eſaü frater tuus minatur, vt occidat te. Nunc ergò fili mi audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Aran, habitabiſque cum eo dies paucos, donec quieſcat furor fratris tui*, & cætera. Nuntiantur hæc Rebeccæ, cum inter talium turbas iurgiorum deſudanti faſtidium incutitur patientiæ. Quæ tamen præteritæ ſufferentiæ damna verens, præmium cœleſte pro legato mittit, & per hoc pium appetitum ad ſe contrahit, & contra imminentis ferocitatem carnalitatis munit. Obtempera, inquit tolerantiæ cœleſtia promittenti, & ab infimis conſurgens deſideriis, ſæcularia fuge, tendens videlicet ad candorem immò ad candidatum Eccleſiæ cœleſtis exercitum, qui ſub patre Deo frater noſter eſt, quem, dum aduiuis ſanctè & electè agendo, quaſi in Aran degendo imitari te decet, habitabiſque cum eo, tuis ineptis vtique damnaberis motibus ad exemplum eius, quia hoc expetit paucitas dierum ſæculi huius, vt praui furor comprimatur affectus, & gratiâ rationis debriatus, prioris laſciuiæ qua fraudatus eſt obliuiſcatur. Laban autem candidus dicitur. Aran electus, vel etiam iraſcens, forſitan innuens quod fieri non poſſis electus, niſi corporalibus illecebris ſemper inueniaris Pſal. 4.5. iratus. *Iraſcimini, & nolite peccare.*

Poſtea mittam, & adducam te inde huc. Inde poſt ſopitum Eſaü furorem Iacob adducitur, cum de victoria paſſionum, ac ſi de Aran, & gloriæ cœleſtis contuitu, quod eſt de Laban, ad noſtri conſiderationem, quales aliquando fuerimus, redimus. Mittit verò Rebecca, vt Iacob reducat, cum rationis nuntio præeunte, patientia bonæ voluntati ne quid magnum de ſe æſtimet, ad ſe redeundum inſinuat. *Cur vtroque orbabor filio in vna die?* Cur, inquit, momentaneis, & quaſi vnius diei gaudiis, & fluxum appetitum breuibus illecebris expendam, & quod mihi *Verſ.46. ſupereſt bonæ voluntatis interimam? * *Tædet me vitæ meæ propter filias Eth, dicit ad Iſaac Rebecca*: dum patientia gaudiis cœleſtibus innixa, cum his ac ſi cum ſuo Iſaac de vitiorum difficultate tædióque conqueritur. Filias fluida deſideria, Eth ſtuporem, reprobum ſcilicet ſenſum ſatis diximus. *Si acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius terræ, nolo viuere*: ſi pia voluntas deſideriis terrenis inhæſerit, patentibus monſtro indiciis me mortem æternam eligere. Tædet autem & illam vitæ ſuæ, dum cultus pietatis quæ verè vita eſt, moleſtia malorum irruentium iugruente patientiam incipit ex humana imbecillitate tædere.

CAPVT XXVIII.

VOcauit itaque Iſaac Iacob, & benedixit ei. Præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan: * ſed vade, & proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ ad domum Batuël fratrem matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Verſ. 1. *Verſ. 2. Iſaac Iacob aduocat, cum cœleſte ſuſpirans gaudium bonam ad ſe voluntatem fidelis anima concitat. Benedicit ei, cum virtutem eius nititur adaugere virtuti. Dictorum eius is ſenſus eſt. Noli adhærere illecebris voluptatum de genere Chanaan, leſt negotiatorum, in quo proculdubiò conformeris eis, qui fidem ac bona opera pro carnalitate exequenda expendunt, ſed ad hoc proficere ſtude, vt illis aſſimileris animabus, quæ nitore puritatis non fluxu libidinis filiæ ſunt candoris æterni, ad cuius germanitatem per tolerantias ſuſpiro. Vade ergò in Meſopotamiam Syriæ, eleuatam ſcilicet ab imis cupiditatibus vocationem, quod eſt abrenunciatio ſæculi, aggredere, vnde ſublimis per contemplationem valeas eminere. Meſopotamia enim eleuata vocatio, Syria ſublimis dicitur. Dicitur etiam græcè Meſopotamia, quòd ſit media inter flumina, quod valde congruit animæ laboranti inter tentationum diſcrimina, hæc tamen nos euehunt ad Syriam, ideſt ad ſublimia. In his ſublimibus domus eſt Batuël, ſcilicet virginis Dei, Eccleſiæ ſane ſupercœleſtis rugam, & maculam prorſus iam non habentis, qua nil ſincerius iam eſt. Is Batuël frater eſt matris noſtræ, quia populus ille cœleſtis germana affinitate coniungitur Eccleſiæ matri noſtræ, quæ eſt in terris.

Multiplicet te, inquit Dominus, *vt ſis in turbas populorum*, * *& det tibi benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te, vt poſſideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus eſt auo tuo.* Verſ. 3. *Verſ. 4. Quod eſt dicere: Tanta te Deus animi virtute conſolidet, vt ſis, ideſt ſubſiſtas validè inter turbulentias vitiorum, & Abrahæ, intellectui ſcilicet ſcientiæ munus amplificet, & ſemini, ideſt merito tuo poſt obitum veræ benedictionis dona repenſet, vt poſſideas terram corporis, in quo peregri-

natus es resurgendo fœliciter, quod pollicitus est per Prophetas Christo, vniuersalis matris Ecclesiæ patri & auctori, & inde tuo filiorum videlicet ipsius Ecclesiæ auo. * *Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam*, & cætera, quæ superiùs tractata sufficere queunt. Dimittere tamen Isaac nil aliud est, quàm ex cœlestis gaudij intentione bonæ voluntatis effectum dirigere. * *Videns autem Esaü, quod benedixisset pater suus Iacob, & misisset in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret, & quod post benedictionem præcepisset ei dicens: Non accipies de filiabus Chanaan.* Hoc totum secundum quod superiùs disseruimus patet: à modo videamus. * *Probans Esaü quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus*, postquam vtique carnalis affectus ex bonæ voluntatis augmento, & executione virtutis concussus, aduersus spiritum cœlestibus inhiantem grauiùs excandescit, ea mundi desideria, quæ ratio fortiùs horret crebriùs obiicit, vnde & ad Ismaëlem it, ad sæculi profectò concupiscentias tendit, quibus non Deo, sed sibi quisque obedit. Ismaël enim dicitur obediens sibi. Et exceptis his vxoribus, mundi vtique curis ac neces[illegible]tudinibus, quibus illi astringebatur, filiam Ismaël, lasciuiam voluptatis corporeæ amplectitur. Sed notandum, quòd Ismaël filius Abraham dicitur, quia ex magna rationis virtute ingens cupiditatis, aut cenodoxiæ, necnon & carnalis aliquotiens concupiscentiæ, & etiam acrior exoritur motus, quasi quidam nequam ac degener filius: ipsa autem filia, voluntas videlicet fluxa, Meleth, quod interpretatur chorus, appellatur. Chorus verò licet in bono pro concordia poni soleat, hîc tamen quia colludentium fœminarum esse dignoscitur, pro illo interno præcordialis lasciuiæ concentu, qui nobis Syrenes vsque in exitium dulces inducit, nósque lenocinando circumuallat, ponitur. Hæc est soror Nabaioth, qui dicitur prophetans, quia carnalis concupiscentia quadam sibi germanitus adhærente gaudet Prophetia, quâ senectutis tempore cum deferbuerit iuuentutis cura, spondet sibi pœnitentiæ, & cœlibatus studia.

Vers. 5. — *Vers. 6.* — *Vers. 8.* — *Vers. 9.* — al. Maheleth.

Igitur egressus Iacob de Bersabée pergebat Aran. * *Cùmque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere: post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.* * *Viditque scalam in somnis stantem super teram, & cacumen eius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* * *Et Dominum innixum scalæ.* De Bersabée, idest puteo septimo, vel puteo saturitatis, de voragine proculdubiò libidinum sæculi, quod septem diebus voluitur, quodque iam saturati, idest fastidio esse incipit cœlestis gaudij obtentu, Iacob, bona scilicet voluntas egreditur, & tendit Aran, quod interpretatur res cum arca, vt videlicet & arcam conscientiæ possideat, & quia arca ab arcendo dicitur, ab ea quicquid noxium est, arceat, in qua etiam res habeatur, idest veritas, quatenus solidum ac substantiuum omne illud constet esse, quod intrinsecus continetur, & non per inania euagetur. Quidam locus ad quem venit, ipse est, in quo generalitas totius creaturæ, & præcipuè totius benignitatis consistit ac subsistit, ad quem desiderio ac meritis cum quis accedit, non nisi post solis occubitum, sopito vtique feruore corporalium æstuum in eo conquiescit, tunc tamen si primum de lapidibus, qui iacent de sanctis scilicet, qui in morem lapidum firmi sunt, & humiliter se habent; voluuntur enim iuxta Zachariam super terram, ad exemplum sibi tollat, & capiti, idest menti pro fulcimento supponat, vt ita in loco, qui semper idem est, haud dubium quin Deo, à sæculari strepitu consopiri queat. In somnis itaque, dum videlicet ab amore præsentium animi intuitum claudit, scalam humilitatis quæ non vacillat, sed super terram, Christum planè humilem, qui nos fructu suo alit, solidè stat, conspicit, quia omnis terrenis intentus quid sit humilitas nescit. Terram autem vocari Christum, testatur Apocalypsis: adiuuit, inquit, terra mulierem. In hac scala sunt plurimi gradus, non alij quàm de visibilium contemptibilitate prouectus. Cuius perfectæ humilitatis cacumen cœlum diuinæ contemplationis attingit, quia Deus quod paruulis reuelat, sapientibus abscondit. Nos verò si Angelicè viuimus, per hanc ad nostri cognitionem descendimus, per hanc ad Dei visionem ascendimus, & Dominus scalæ isti innititur, quia principaliter virtus hæc specialitérque ipsius authoritate ac præcepto roboratur. Discite, inquit, à me, non vigilias, ac ieiunia, sed quia mitis sum ac humilis corde. De gradibus autem eius & moderni ac veteres subtilia multa loqunntur.

Vers. 10. — *Vers. 11.* — *Vers. 12.* — *Vers. 13.* — Zach. 9. 16. — Apoc. 12. 16. — Matth. 11. 29.

Ego sum, ait, *Deus Abraham patris tui*, vtique rationis à qua paternè regeris, & *Deus Isaac*, qui tibi inspiro gaudium gloriæ cœlestis: *Terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo*, Christum in cuius conformitate à sæculi labore conquiescis, tibi, & semini, idest imitatoribus tuis fouendum præbebo, erítque germen operis quasi puluis, ab humore totius lasciuiæ carnalis sudum, non quem proiiciat ventus, sed talis puluis qui inhæreat terræ, idest stabilitati æternæ. Dilataberis ad dignoscendum

proprij defectus occidentem, ad prægustandum internæ lucis Orientem, ad præcauendum desidiæ ac torporis Septentrionem, & ad Sancti Spiritus hauriendum meridiem.

Vers. 14. ** Et benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ,* in tua fide, & fidei operibus, vel interna gratia, quæ operum bonorum semen est, multiplicabuntur vniuersæ trinitates conscientiæ, ingenium scilicet, voluntas, ac memoria; vel initium, promotio, & finis tuus; fides etiam, spes, & charitas; vel cogitatio, locutio, ac operatio. *Vers. 15.* ** Et ero custos tuus, quocumque perrexeris*, quocumque planè animum intenderis, custos ero tuæ actionis; *Et reducam te in terram hanc,* si quando sanè humanitus euageris, in hunc mentis statum, quo nunc es ad modum terræ solidum per me reduceris: *Nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi*; tibi cooperari non desistam, donec præmij largitione futuri dicta compleam.

Vers. 16. *Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè* *Vers. 17.* *Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* ** Pauénsque, quam terribilis inquit est locus iste: non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* Iacob de somno euigilat, cum animus à sua quiete paulisper exemptus, à diuina dulcedine vacat, & tunc verè Dominum in loco esse clamat, cum in illa aliquantula stabilitate mentis quiddam inesse diuinum, immò non nisi diuino illapsu fieri posse probat, sed hæc dum habemus, quàm sint summa ac diuina nescimus, sed vbi pristino torpori addicimur, profectò à Deo ea agi, & non à nobis experimur. Pauet autem, & de loci terribilitate miratur, cum & de innouatione cogitatuum intra se, & de diaboli terrificatione cogitat, qua concutitur pro nostræ mentis localitate, idest stabili veritate. Terribilis enim inde scribitur aëriis spiritibus vt castrorum acies ordinata. Quæ etiam mens non aliud esse dicitur quàm domus Dei & porta cœli, quæ & Deo inhabitante regitur, & ad spiritualia cœlestiáque contuenda Deo reserante aperitur.

Vers. 18. *Surgens ergò manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* *Vers. 19.* ** Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.* Manè surgit, cum ad diuinum lumen se erigit. Lapidem quem capiti supposuerat tollit, cum Christum singularem suorum firmitatem, quem pro fundamento cordi supposuerat, manu, hoc est operis imitatione apprehendit: húncque in titulum erigit, dum ad eum quasi ad propositum totius sanctitatis exemplar attendit. Oleum desuper fundit, cum excellentiorem, iuxta Apostolum, viam charitatis ac misericordiæ sectando ipsum Christum piis operibus vngit. *1. Cor. 12. 31.* Nomen vrbis Bethel appellat, cum animam solertis muro custodiæ munitam, diuinæ gloriâ habitationis insignitam, euidentibus indiciis probat. Bethel dicitur domus Dei: Luza verò, Boia, quam compedem dicimus, appellatur. Priùs igitur quæ domus Dei nunc est, Boia vocabatur, quia & in seipsa vitiorum miseria coangustabatur, & alios eadem illecebra compedire nitebatur.

Vouet ergò dicens: *Si fuerit Deus mecum,* *Vers. 20.* *& custodierit in via qua ambulo*, hoc est in actione proposita, qua promoueri ad meliora cupio, *& dederit mihi panem*, qui de cœlo descendit, *ad vescendum, & vestem* charitatis ac innocentiæ *ad induendum*: *Vers. 21.* ** Reuersúsque fuero ad domum patris mei*, supercœlestem; *erit mihi Dominus in Deum.* Is vtique, cui sub aliquantulo timore cæpi seruire, erit mihi in Deum scilicet paternè diligendum, vt potè meæ vniuersitatis auctorem. ** Et lapis iste*, Christus quem mihi proposui in signum, quem dum capiti supposui, ipsum indui, *domus Dei vocabitur*, quia cum sit ipse inhabitans, ipse etiam inhabitatio est, quia eius conformitas quam facit in nobis inhabitatur. *Cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*, scilicet eorum quæ fecero te fauente bonorum perfectiones tibi attribuam. In* perfectum nouenarij mihi, decimum integritatis ascribam tibi. *f. * imperfectum.*

CAPVT XXIX.

PRofectus ergò Iacob venit ad terram Orientalem, ** & vidit puteum in agro, trésque greges ouium accubantes iuxta eum. Nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur.* *Vers. 1. * Vers. 2.* Proficiscitur, cum magnanimitate protenditur. Ad terram Orientalem Iacob venit, cum ad soliditatem supernæ illustrationis anima fidelis attingit. Terram hîc & sæpè alias pro firmitate ponimus, quia solidum elementum est: Terra enim, iuxta Ecclesiastem, in æternum stat. *Eccles. 1. 4.* Videt puteum in agro, cum fontem prudentiæ ac discretionis in spirituali attendit exercitio. Tres greges ouium iuxta eum accubant, quia tres illi Ecclesiæ ordines, qui in pagina veteri sub trium personis, Noë, Daniël, & Iob, & in noua sub agricolantium, molentium, & in lecto quiescentium typo signantur, à sæculi labore pausantes interdum, haustu salutifero ac contiguitate recreantur. Ex hoc adaquantur pecora; aquâ enim sapientiæ salutaris nostra mitescit hebetudo, & pecualis inscitia. Sed os eius grandi lapide clauditur, quia sapientiæ ac scientiæ à Deo nobis datæ, & aditus, & exitus ne quid indecens incedat aut excedat,

necesse est maxima humilitatis grauitate cogitando ac loquendo seruetur. Tales à Iosue lapides ad os speluncæ, in qua delituerant quinque Reges admouentur, vt fenestra sensuum corporis magna vt cuique competit ponderositate prematur.

Vers. 3. *Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis reuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.* Oues consuetæ congregantur, cum omnes animi simplices motus ad hauriendum rationis consilium congeruntur. Lapis ergò reuoluitur, cum magnæ auctoritatis manu ad referenda internis B querimoniis responsa iudicij censura aperitur. Sunt enim apud quos nullâ lapis, proferendæ scilicet sententiæ pondus, difficultate discutitur, sed omni palea volubiliùs præcipitatur. Rursùm adaquatis gregibus super os putei ponitur, cum mente aut suâ aut alterius refecta per consilium, nulla de sui perspicuitate ingenij vanitate mouetur, sed eadem grauitatis maiestate deprimitur.

* Vers. 4. * *Dixitque ad pastores: Fratres vnde estis? Dixerunt: De Aran.* Post visionem itaque putei, Iacob pastores vnde sint interrogat, cum C post intelligentiam discretionis animus, vitij supplantator, spirituales qui se regunt motus, vel virtutes vnde sint, idest ex qua emergant intentione disquirit, sed illi non de appetitu laudis, aut desiderio quæstus quicquam insibilant, sed de Aran, idest ex deuotione assequendæ electionis se procedere tota affectus claritate respondent. Aran enim electum sonat.

Vers. 5. *Nostis, ait, Laban filium Nachor? Aiunt:* * Vers. 6. *Nouimus.* * *Sanusne est, inquit? Valet, inquiunt. Et ecce Rachel filia eius venit cum gre-* D * Vers. 7. *ge suo.* * *Dixitque Iacob: Adhuc multùm diei superest.* Nostis, ait, experiendo cœlestis vitæ candorem, qui ex Deo gignitur, quem constat esse luminis requiem? Id quoque se didicisse pia affectione respondent. Sanitas Laban, cœlestis desiderij innuit integritatem. Valere itaque pastores perhibent, cum nulla nisi superna ab animo ambiri ipsarum virtutum testimonia clamant: sed in hoc ipso mentis statu ac vigore Rachel cum grege suo aduenit, quia contemplationis diuinæ gloriosa illa & virginea puritas cum largo E gratiarum cæterarum munere oportunè influit. Hæc Laban filia dicitur, quia ex supernæ claritatis amore progreditur. Rachel autem visum principium interpretatur, illud Ioan. 8. 25. scilicet quod loquitur, ego principium, vnde & loquor vobis. *Adhuc*, inquit, *multum diei superest.* Quod est dicere: Etsi aliquam diuinæ scintillam speculationis attingo, ipsa diuinæ excellentia lucis incomparabiliter præminet, quæ nullo meo acumine penetrari valet. Vel aliter: cum mens supra se ali- A quid sapere incipit diuinum, attigisse se æstimat totius iam virtutis summum, sed intelligenter sibi infert, sibi multùm diei, idest laboris in vinea agenti restare, nec tempus esse, vt ad caulas reducantur greges, idest vt æterna iam requie donentur imperfectæ adhuc virtutes. *Date ante potum ouibus*, virtutibus scilicet in magno tentationum æstu constitutis spiritualis infusionem gratiæ prouidete, & interno rore vigentes ad pastum sacræ paginæ eas ex potu alacres congerite. Si enim mens interiùs non infunditur, lectionis vtilitas tota cassatur. Hæc fidelis anima cogitationibus propriis loquitur, immò suis intellectibus quasi pastoribus. * *Non* * Vers. 8. *possumus*, inquiunt, *donec omnia pecora congregentur*, idest spiritualem eis impendere temperiem non possumus, donec cogitationum turbas à sua euagatione cohibeamus, & amoueamus lapidem, torporis & negligentiæ duritiem, quæ os putei, idest, oculum internecat discretionis, & sic virtutum gregibus refrigerium impendamus aquæ salutaris.

Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat Vers. 9. *cum ouibus patris sui.* Plerumque sanè dum adhuc cum interioris hominis sensibus de instituenda vita agitur, repentè virtus contemplationis cum tota animi simplicitate illabitur, quæ tamen omnia à patre luminum sibi dantur. Nam gregem totius piæ cogitationis, ac operationis spirituali succo ipsa alebat. * *Quam cum vidisset Iacob, & sciret con-* * Vers. 10. *sobrinam suam, ouésque Laban auunculi, submouit lapidem, quo puteus claudebatur, &* * *a-* * Vers. 11. *daquato grege osculatus est eam.* Iacob eam videt, & consobrinam cognoscit, dum gloriam contemplationis intelligens, ius sibi penes eam naturalis propinquitatis attendit; ad Deum enim videndum fruendúmque ab ipso se factum Deo perspicit. Videt Laban auunculi oues, dum eorum qui candorem præferunt, & qui vitæ, ac morum affinitate supercœlestis Ecclesiæ matris suæ fratres sunt: fidelis anima piè æmulatur virtutes, quæ propter simplicitatem & vtilitatem sunt oues. Amouet lapidem Iacob, quo puteus clauditur, cum discutit sagax spiritus pondus inertiæ, quo veritatis cognitio obturatur. Adaquato itaque supernæ vndâ dulcedinis cogitationum aut virtutum grege eam osculatur, dum verbi æterni, & spiritus sapientiæ suauitati vnicorditer astringitur. In osculo namque hoc, & os diuini eloquij intimo sapore discernimus, & anhelitu gratiæ septiformis imbuimur, & per hoc sapientiæ saliuis inungimur.

Eleuatáque voce fleuit, * *& indicauit ei, quod* * Vers. 12. *frater esset patris eius, & filius Rebeccæ.* Vocem eleuat, cum desiderium pietatis ampli-

ficat: flet verò, dum animum ac si caput A purgat ab omni humore vitij noxio, & per hæc indicat se fratrem eius, dum pijs actibus innuit se Deo inhærere germanitus; & quia est Rebeccæ, idest patientiæ filius, scilicet ex ipsa ac si ex matre præcipua processit tantus affectus. *At illa festinans nuntiauit patri suo.* Contemplatio Iacob præsentiam patri festina nuntiat, cum animæ obedire parantis instantiam per euidentis gratiæ effectum Deo, à quo est omne donum perfectum, manifestam, acceptámque sine spiritualis vlla dilatione augmenti insinuat. * *Qui cum audisset Iacob filium sororis venisse, cucurrit obuiam ei.* Audire in sacra pagina pro intelligere ponitur, vt est: *Audi filia, & vide.* Audit ergò, idest intelligit Laban, quod non est aliud quàm intelligere facit animum nostrum, scilicet verum Iacob, qui supplantandis vitiis instat, ad se sui ipsius præsentiam sola Dei operatione factam, & currit ei obuiam ipse Laban, quia cœlestis gloriæ desiderium sponte menti infert quasi quendam occursum, gratiæ supernæ copiam. *Complexúsque eum, & in oscula ruens duxit in domum suam.* Laban Iacob complectitur, cum deuotio cœlestis animo vnicè innectitur. In oscula ruit, cum sæculi abdicatis amoribus, diuinæ quærendæ pulchritudini indiuisibili fœdere se astringit. Et verè ruit, dum se ei funditùs infundit. In domum suam ducit, dum ad hoc vsque quatenus cordis conuersatio in cœlum transferatur prouehit.

Vers. 13. — B — Psal. 44. 11. — C

Vers. 14. *Auditis autem causis itineris, respondit. Os meum es, & caro mea.* Audit causas itineris, cum nos facit cœlestis splendor intelligere intentiones totius nostræ actionis, spiritualis videlicet nostræ quâ ad Deum tendimus perfectionis; Vnde respondet effectu, non verbo, nostræ bonæ voluntati. Os, inquit, meum es, idest eam intellectualitatis, quam habes fortitudinem ex me habes, & caro mea es, quia quod carnis fragilitatem ratione regis, sicut osse reguntur carnes, ex me vtique potes; caro enim tamdiu constat, quandiu continetur ab ossibus. * *Et postquam completi sunt dies mensis vnius dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? Dic quid mercedis accipies?* Dies mensis vnius complentur, cum virtutum claritates perfectæ meliora gerendi voluntatis quasi mensis integritate perficiuntur. Quia, inquit, affinitate bonæ deuotionis mihi annexus es, sine vlla tui spe augmenti mihi deseruies? Dic ergò quid accipies. * *Habebat verò duas filias: nomen maioris Lia: minor Rachel appellabatur,* * *Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Duas has filias secundum quod nostri dixere maiores, accipimus actualem, quæ valde inter sæculi molestias lippit, vitam; per Rachel contemplatiuam quæ lotâ facie, & mundi cordis beatitudine Deo videndo perspicacem oculum intendit. Possumus & per Liam scientiam, quæ earum duntaxat rerum est, quæ inter nos actitantur, accipere, verbi gratiâ, vt est de moribus humanis, & passionum quarumque naturis: Per Rachel sapientiam, quæ præcipua Dei fulget cognitione, & veritatis, falsitatísque acutissima discretione. Scientiam autem, quia in imis exercetur, plurima constat inuolui caligine. Lia laboriosa: Rachel ouis, vel videns principium dicitur, quæ singula his, quæ præmisimus, singulis benè conueniunt. Nam in oue simplicitas speculationi & sapientiæ vni Deo intentæ concinit: laboriositas & actiuæ, & morali, cuilibet úe scientiæ congruit. Rachel etiam dilectionem Dei: Lia significare valet dilectionem proximi, has vtraslibet dualitates, ac si duas filias Laban, idest candoris æterni amor gignit. Maior dicitur Lia, quam necesse est primùm exerceri, vt ad sequentis speciem veniatur.

Vers. 15. — D — Vers. 16. — Vers. 17. — E

Vers. 18. *Rachel ergò diligens Iacob, seruiam, inquit, tibi pro Rachel septem annis.* * *Melius est ait Laban, vt tibi eam dem, quàm viro alteri.* Rachel ergò Iacob diligit, cum speculationem, in qua pacatiùs viuitur animus magis appetit: septem pro ea annis seruit, dum vniuersitatem corporis, quod quatuor elementis constat, & animæ quæ tribus, intellectu scilicet, memoria, & voluntate præminet, pro interna emerenda visione impendit. Septem ergò annis seruit, qui corporis, & animę vt diximus septenarium, annis, idest virtutum tanquam dierum plenitudinibus addicit. Melius est, inquit desiderij cœlestis effectus, vt tibi diuinæ venustatem contemplationis indulgeam, qui vnitati tenēdæ incubas, quàm viro alteri, idest quàm alicui qui nunc ad sæculum, nunc ad Deum alternare consueuit. *Mane* ergò *apud me*, idest perseuera in studio cœlestis vitæ. * *Seruiuit igitur Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine,* idest tota iustitiæ humanæ claritas parua videtur & tenuis ei, qui diligenter cogitat, & intelligenter amat speciem supernæ beatitudinis. * *Dicit itaque Iacob ad Laban.* Iacob ad Laban dictum, non aliud sentio quàm penes æternæ gloriæ candorem interni desiderij appetitum. *Da mihi vxorem meam, quia tempus expletum est, vt ingrediar ad illam,* idest concedatur mihi diuinæ speculationis cum facultate voluptas, quia iam corporis, & animæ meæ impensione expleui, vt in eius admittar amplexus atque delitias.

Vers. 19. — Vers. 20. — Vers. 21.

Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias. * *Et vespere filiam suam*

Vers. 22. — Vers. 23.

*Verſ.24. *Liam introduxit ad eum*, * *dans ancillam filiæ, Zelfam nomine.* Amicorum turbæ non aliud ſunt, quàm vtilium cogitatuum, locutionum, & actuum cateruæ, quæ vera fidelitas, amicitiáque eſt animæ. Hos vocat Laban ad conuiuium, facítque nuptias, cum æterni candoris amor ea contrahit pariter ad ſupernæ dulcedinis hauſtum, & diuinæ delectationis præbet amplexum. Sed veſpere, ideſt attenuato animi ſplendore filia Lia ad eum introducitur, quia in actiuæ vitæ laborem mens quęlibet ſancta relabitur, dum quies interna diſſipatur. Zelfa dicitur os ambulans. Habet itaque Lia ancillam eam, quę ambulans os dicitur, actiua enim laudis humanę, quæ per ora ancillariter adulantium proficit, & diſcurrit, obſequiis delinitur; patenter enim operatur. *Ad quam cum ex more* Verſ. 25. *Iacob fuiſſet ingreſſus, facto mane vidit Liam: dixítque ad ſocerum ſuum: Nonne pro Rachel* *Verſ.26. *ſeruiui tibi? Quare Liam impoſuiſti mihi?* * *Non eſt, inquit Laban, in loco noſtro conſuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias.* Ex more Iacob ad ſibi iunctam ingreditur, cum fidelis anima ob conſiderandam propoſiti ſui regulam ad cor diſcernendi cauſa reuertitur. Sed mane diuinæ illuſtrationis facto, dum de proximorum cura conſcientiæ labor inductus reperitur, aduerſus eam quam optabat quietis internæ gratiam, ac ſi contra Laban conqueritur. Speciei, inquit, intimæ quærebam venuſtatem, cur tot negotiorum refluo in laborem? Non eſt, ait ratiocinatio lucis internæ, conſuetudinis apud eos qui localiter ſtabiliterque iuxta iura noſtra viuere deliberant, vt minores ante tradamus ad nuptias, ideſt vt virtutibus quiſpiam copuletur, donec vitiorum bella euincere conetur, quæ minores ideò dicuntur, non quòd ſint dignitate iuniores, ſed quod poſt tentationum triumphos omni habeantur exercitio leuiores, & ſua quâdam ineffabili nouitate gratiores. Nil enim ſimplici mente dulcius. Eò igitur modò contemplatio minor eſt, quia laboribus curiſúe non intereſt, & de actiuo certamine ad contemplationis requiem proficiendum eſt.

Verſ. 27. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſeruiturus es mihi, ſeptem annis alijs.* Hebdomada dierum copulæ impletur, cum plenaria bonorum operum executione amori quis Conditoris aſtringitur, & tunc alia pro opere ſeptem aliorum annorum, quo ſeruiturus eſt, datur, cum ſpeculatio quaſi quoddam præmium intimæ noſtræ, quâ à vitiis quieſcimus, pacis additur. Septem anni priores in interiori exterioríque certamine ſunt: Poſtremi ſeptem vtrobique corpori ſcilicet & animæ ex peccati victoria quieti & placidi ſunt. Hinc etenim & inde per ſeptenarium ſabbatizatur, primò exteriùs in opere, poſtmodum interiùs in cogitatione. Verba Laban nil aliud intelligas quàm rationis illuminatæ ſententiam. * Acquieſcit ergò Iacob: ſed *Verſ.28. Racheli Bala ancilla ſubiungitur. Bala verò inueterata interpretatur. Vetuſtas autem iſta non mihi alia videtur, quàm corporearum rerum fantaſia, quæ ſemper contemplationi ſpiritualium infenſa ſentitur. Contemplationis itaque nouitas inueteratur, cum corruptibilium imaginibus incurſatur, ancillariter tamen ſubiicitur. * Verùm his Iacob potitus nuptiis, amorem ſequentis, ideſt *Verſ.29. contemplatiuæ, priori, ideſt actiuæ prætulit.

Videns autem Deus, quod deſpiceret Liam, Verſ. 30. *aperuit vuluam eius; ſorore ſterili permanente.* Videt Dominus (ideſt, videre nos facit) quòd non benè æſtimemus de Lia, ideſt de actuali vita, dum quaſi tutius putamus, nobis ſolis intendere, quam ſub proximi cura deſudare: aperítque vuluam eius, ideſt oſtendit vtilitatem ac fructuoſitatem eius, quia ſcilicet commune bonum priuato debet præponi ſorore permanente ſterili, ideſt dum ex fœcunditate actualitatis perpenditur vnica vtilitas ſui, nec intendatur abs quolibet proximarum profectui. * Conceptum *Verſ.31. actualis generat filium, ideſt propoſitum exhibet generaliter pij operis exercitium, & vocat nomen eius Ruben, æſtimat videlicet apud ſe ſummam eius operis quod penes Deum nominabile eſt, Ruben, ideſt vide in medio, quod eſt, non ſuo ſimplici prouidere, ſed communi potius bono. Ruben enim videte in medio dicitur. Medium autem pro communi ponitur. *Vidit*, inquit, *Deus humilitatem meam*, ideſt dum meam attendere me facit neceſſitatem, in qua ſæpe experior proximi humilitatem, cogor rependere eam, quam apud alios expertus ſum benignitatem. *Nunc amabit me vir meus.* Intellectus ait, cui attinet interioris hominis ducatus, repulſo laborum faſtidio, in ipſo dilectionis amore reſpirabit; & hoc faciet etiam nunc, ideſt in ſæculo præſenti, cantando videlicet: *Ecce quàm bonum, & quàm iocundum habitare* Pſal. 132.1. *fratres in vnum.*

Rurſum concepit, & peperit filium, & ait: Verſ. 32. *Quia audiuit Dominus haberi me contemptui, dedit mihi etiam iſtum: vocauitque nomen eius Simeon.* Concipit cum interiùs proponit, cum exterius adminiſtrat, parit. Audit ponitur pro intelligit, vnde Apoſtolus cum diceret: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*, addidit: *neque enim audit*, ideſt intelligit. Audit autem Dominus, cum intelligere nos facit. Quia ergò Deo inſpirante intelligimus haberi nos contemptui, ſi pro

sola redhibitione eius proximo impendamus munus beneficij: dat Deus & istum filium nobis, cui est nomen Simeoni, quod interpretatur audiuit Dominus, vel audiens tristitiam, quia in omni quod agimus, non humanus, sed diuinus pensandus est auditus, nec quid referat homo, sed cogitandum est quid placeat Deo. Et auditus, idest sensus tristitiæ licet magna geramus deesse non debet, quia nescimus vtrum amore, an odio digni simus. Cor autem, iuxta quod legitur, quod nouit amaritudinem animæ suæ in gaudio eius non miscebitur alienus. * *Concepit tertiò, & genuit alium; dixitque: nunc copulabitur mihi vir meus, eò quòd genuerim ei tres filios, & iccircò appellauit nomen eius Leui.* Leui interpretatur additus. Post Ruben vbi communiter omnium vtilitati prouidetur, & Simeon vbi Dei plusquam hominis auditus intenditur, rectè additus tertio loco, qui trinitatem significat, apponitur, quia quisque sola Dei intentione operans, electorum sorti, quod est, Dei visio, indubiè additur. Tres tunc filios gignit, post bonam enim actionem, piámque actuum intentionem, quasi post duos filios tertium elaborando proferimus bonæ actionis mercedem, & iam intellectus verus, scilicet maritus, qui diuino animam impregnat semine memor eius quod se manet præmij, ad piam se viuaciùs ingerit actionem.

Eccles. 9. 1. Prou. 14. 10. *Vers. 33.

Vers. 34. *Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino, & ob hoc vocauit nomen eius Iudam, cessauitque parere.* Cum ad gloriam æternam venerimus, in quadro tunc positi; quod quarto signatur filio, idest inconcussâ soliditate stabiliti, Iudam, idest æternam glorificationem & corde concipimus, & effectu infinito parimus. Iudas enim vel confitens, vel glorificans dicitur. Modò inquit, idest in hac æternitate; quæ per præsens tempus congruè designatur, confitebor, idest sacrificium laudis immolabo Domino. Cessat tunc parere, cum boni operis fructum ingemiscendo vti nunc, desinit agere.

CAPVT XXX.

Vers. 1. *Cernens autem Rachel quòd infœcunda esset, inuidet sorori; aitque marito: Da mihi liberos, alioquin moriar.* Rachel quòd infœcunda sit sorori inuidet, dum mens contemplatiuorum efficaciam actiuorum intuens, & opera aliquotiens æmulatur, & laudis profusionem miratur. Tu, inquit, ô intellectus speculatione gaudes, sed nullo præcipuo opere per hanc euidenter emines, vnde nec opinionis indicio exempla sanctitatis præbes. * Num inquit ratio vices Dei penes te ago, qui priuauit te fructu ventris tui, idest qui tibi non indulsit solertiam corporalis exercitij, quæ quantùm ad auras famæ attinet in modum ventris est fragilis, vt tibi mea cura conferat, quod ipse Deus negat? Sunt enim quorum ingenia contemplationi conueniunt, sed corpora negotiis agendis non congruunt. Contemplatio igitur dum famæ desiderio pulsatur; * *Habeo, inquit, famulam Balam, ingredere ad eam*, idest habeo sæcularium rerum scientiam, quæ licet sapientię iugo subsideat, cui tu inhias, ingredere tamen immiscendo te ei, & condescende ad eam, quæ mundi dicitur sapientia, vt pariat super genua mea, idest vt inflexa status rectitudine aliquos mihi fructus afferat temporalis lætitiæ. Per Balam, quæ vetustatem sonat, sæcularia accipimus, quæ vetera in scriptura appellantur. * Intellectu igitur in penetralia scientiæ, & intentionis sæcularis, & quasi ad ancillaria ingresso, concepit, & peperit filium, proposuit scilicet, & exhibuit opus ineptum.

*Vers. 2. * Vers. 3. *Vers. 4.

Dicit ergò Rachel. *Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & iccircò appellauit nomen eius Dan.* Dictum Rachel, deprauatum cuiuspiam contemplatoris intellige sensum. Iudicauit mihi Deus, idest fauorem præstitit operi meo Deus, dum sicut mereor populariter laudor. Vocem exaudiuit, dum desiderium quod habeo aliis proficiendi, opera mea ac si filios exemplando, famámque subiungendo compleuit. Dan ergò, idest iudicium, filius appellatur, quia secundum quod opera sua sæculari æstimatione laudantur, putat quod sic à Deo accepta vti ab hominibus eius iudicio approbentur, & per hominũ ora Deus ipse loquatur. * *Rursúmque Bala concipiens peperit alterum*, * *pro quo ait Rachel: Comparauit me Deus cum sorore mea, & inualui.* Notandum quòd cuique penè partui conceptio præponitur, quia per minimum est peccatum, quod nullâ deliberatione, soláque præcipitatione agitur; concipimus enim, cum disponimus. Bala alterum parit: & Neptalim à Rachel vocatur, cum sapientia mundi Dei sapientiam adulterinè confundens, dilatari quærit in laudibus, & comparari laudatis, hæc omnia agens non vera affectione, sed nomine falso Rachel, idest contemplationis. Neptalim namque dicitur, dilatauit me, vel comparauit me. Solent enim solitariè viuentes ad publicè prædicandum accedere, & exinde gloriolas exigere. Comparata itaque actualiter diffamatis inualuisse se dicit, dum quod valet, quódque potest efficaciter palam ostendit.

Vers. 5. * Vers. 6. * Vers. 7.

Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelfam ancillam suam marito tradidit. * *Qua post cóceptum*

Vers. 8. * Vers. 9.

*Vers. 10. *edente fœtum,* dixit: fœliciter: vocauitque nomen eius Gad.* Per vtramque fœminam demõstratur, quod in vtraque vita agitur. Actualis, id est Lia parere desinit, cum bona intentio, quę quasi conceptus vis est, in mente deficit, quâ desistente Zelfa, idest inanis gloria adhibetur: ipsa enim os iens, vt suprà dictum est, interpretatur, & ingenuitas spiritus ancillari societate fœdatur. Concepta nequitia opus emittit prauum, transitoriæ videlicet prosperitatis euentum. Dicit ergò fœliciter, cũ honorum copia arriserit, sed non potest sinceriter, quia solam sæculi cariem quærit. Gad autem fortuna dicitur, & fortuna quàm semper dubia sit, & instabilis à nullo nescitur. Qui ergò filio fortunæ procreando & alendo instat, in salo interminabili fluctuat. *Vers. 11. * Parit Zelfa alterum sub nomine Liæ, & Aser vocat, cum humanæ laudis intentio sub actualitatis tegmine effectum gloriæ quasi filium assequitur, quod beatitudinis honore prædicat, in quo illud gloriæ genus intelligitur, quæ post mortem ad memoriam prouidetur, vt sunt ædificiorum insignia, pyramidum discrimina, nobilitas librorum, & carmina, quæ solent esse mortuorum monimenta, & hæc sunt Aser, idest beatitudo apud insanos maxima. Vers. 12. Aser sanè beatus dicitur: vnde & Lia non vera, sed imaginaria beatam se gaudet dici non à viris, sed mulieribus, quia leuium, & indiscretorum hominum animatur fauoribus.

Vers. 13. *Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit.* Ruben ab eo quod videt in medio, idest communi prouidet bono vocatus, piæ scilicet procurationis affectus, tempore messis triticeæ in agrum egreditur, cum pręuolatione mentis ad finem sæculi per conscientiæ exercitationem rapitur. Messis enim triticea sanctorum ad cœleste horreum collectionem significat: vnde & in Apocalypsi Angelus hâc maturescente falcem mittere suadetur. (Apoc. 14. 15.) Ager verò animus est, quem nunquam meliùs colimus, quàm cum extremæ nostræ sortis reminiscimur, in quem egredimur, cũ à prauis expediti negotiis ad eius curam reuertimur. Vbi mandragoras Ruben, idest prudens sollicitudo reperit, & matri Liæ defert, cum diuinæ inspirationis ab internis odorem contractum ad efficaciam sanctæ actualitatis, quæ totius pietatis genitrix est, transfert. Mandragora nempè pigmentaria herba est. *Vers. 14. * *Dicitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filij tui.* Ac si rediuiua iam vis contemplationis tactæ diuinitus actioni inferat. Quem pij operis recepisti instinctum, participa eum quem habes deuotionis affectum ad contemplandi exercitium. *Vers. 15. Illa respondit: * *Parumne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam & mandragoras filij mei tuleris?* Quod est dicere: Intellectum, à quo maritali tenore regor, contemplandi egregiéque viuendi gratiâ, dimouisti ab actuali officio? quod mihi magis suppetit ac adiacet, hócque parùm æstimas, nisi etiam hanc momentaneam superni odoratus visitationem, ad solius cogitationis exercitationem contrahas? *Dormiat tecum,* inquit, *hâc nocte pro mandragoris filij tui*, idest conquiescat tecum in hac negotiorum turbulentia, quæ actiuæ est vitæ infesta, tantùm vt ad internæ dulcedinis respirem, ad Deum quàm dulcis est, gustandum fragrantias.

Vers. 16. *Redeuntique ad vesperam de agro Iacob, egressa est in occursum eius Lia: ad me inquit intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei.* Ad vesperam redeunti de agro Iacob Lia in occursum egreditur, cum deferuescente inanis gloriæ æstu de exercitio interiori, spiritui verò vitiorum supplantatori ad Dei intentionem redeunti Lia, idest opportunitas sancti laboris occurrit, & introitum conscientiæ patentem suggerit, quia odoramenta puræ dilectionis quæ pia sollicitudo actualitatis deuotæ proles sibi intulit, Racheli, idest contemplationi vt ad Deum vsque videndum amor ipse redundet, actionalitatis dignæ gratia præstitit. *Dormiuit cum ea nocte illa, * & exaudiuit preces eius Deus, conceptique, & peperit filium quintum* dicens: *Vers. 17. *Vers. 18. * *Dedit mercedem Deus mihi, quia dedi ancillam meam viro meo. Appellauitque eum Isachar.* Iacob cum Lia nocte dormit, cum spiritus noster in boni operis labore etiam inter obscuritates tentationum acquiescit: sic enim Deus preces suorum præcipuè exaudit: concepit affectu, peperit opere filium, non quartum, idest per temporalia diffluentem; quatuor enim sunt tempora, sed quintum, idest animum singulari auctoritate hæc omnia transcendentem. Quinarius namque ex quatuor, & monade ac si præside constat. Is merces dicitur; sic enim Isachar interpretatur, eius scilicet rei, quod ancillam totius spurcitiæ fœtus parientem, viro, idest intellectui coërcendam subiecerit. Cum enim Deo nos subdimus, tunc iam ac si ex debito nobis vitia subiicit Deus.

Vers. 19. *Vers. 20. *Rursùm Lia concipiens peperit sextum filium, * & ait: Ditauit me Dominus dote bona etiam hâc vice. Mecum erit maritus meus eò quòd genuerim ei sex filios: & ideò appellauit eum Zabulon.* Parit Lia sextum filium, cum integrè ac perfectè assequitur operationis gradum. Sextâ quippè die Deus perfecit opera sua. Ditatam se dicit dote bona, non solùm in conuersione cum ad Dei peruenit timorem, sed etiam præcipuè

cum ad neque morte, neque vitâ separabilem effertur amorem. Cum ad homini, inquit, possibilem deueni pefectionem, ideſt postquam sextam edidi prolem, iam necessariò mihi copulabitur maritus intellectus, quia plenè euacuaui quæ sunt carnalis affectus. Zabulon dicitur fluxus noctis, vel habitaculum fortitudinis. Iam nunc itaque nobis impassibilibus viuentibus fluit nox, ideſt ignorantiæ sæcularitatis aduersitatum quæ fit in mente defectus, & incipit esse habitaculum fortitudinis contra omnia pericula interior homo refectus. * *Post quem peperit filiam nomine Dinam.* Licet Dei habitaculum anima sit, licet contra incursus omnes fortiter obsit, Dinam opus est, fœminam ad extremum semper pariat, vt scilicet post virtutes fragilitatem propriam sibi obiiciat, ne intumescat. Dina verò interpretatur iudicium istud, vel causa. Iudicium sanè istud, ideſt discretio habenda est, inter optima quæque causa videlicet surreptionis ineptæ.

*Vers. 20.

Vers. 21. *Rachelis* quoque *recordatus Dominus exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius:* * *quæ concepit, & peperit filium. Abstulit*, inquit, *Deus opprobrium meum.* * *Et vocauit nomen eius Ioseph.* Rachelis Deus recordatur, cum ad sui ipsius notitiam contemplatiui cuiuspiam mens Deo aspirante reducitur. Exaudit, cum affectui effectum ingerere se ostendit. Vuluam aperit, cum semini diuino per dilatationem charitatis in mente locum facit. Parit ergò filium, ex quo suum dicit ablatum opprobrium, quia postquam ad diuinæ speculationis pertingit officium, ideſt desideratæ spei exprimit tandem filium, ancillaris quod sibi incumbebat adulterij Deus repellit opprobrium. Vnde vocat nomen eius Ioseph, ideſt, augmentum, quia huius quâ temporaliter adhuc & iuxta posse Deum prægustamus speculationis initium, æternæ visionis præstolatur augmentum. *Addat*, inquit, *mihi Deus filium*, in speculo scilicet, & ænigmate videnti conferat, & adaugeat veræ & apertæ cognitionis fructum. * *Nato autem Ioseph: dixit Iacob socero suo: Dimitte me in patriam, & ad terram meam*, & cætera. Postquam perpetuæ visionis Dei augmentum per spem menti innascitur, Iacob, ideſt intellectus ad Laban, ideſt candorem æternum, cui lux vera præsidet, loquitur, qui socer dicitur, quia duabus pater est filiabus, actiuæ scilicet & contemplatiuæ, quæ ad formam supercœlestis candoris illius instituuntur in gremio terrestris Ecclesiæ. Dimitte me vt reuertar in patriam, & terram meam, ideſt liberum me, & absolutum corporeo compede accipe volentem reuerti in patriam, de qua deuolutus sum, & in terram vbi immobilitatis statum obtineam. * *Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam*, ideſt ne protrahas mihi actualem, quâ die & nocte iuxta Apocalypsim requiem non habeam Deum laudando, & contemplatiuam nil aliud præter Deum cogitando, & fructus operum in cœlis verè reges, verè liberos, pro his enim non pro terrenis tuæ seruiui gloriæ, vt abeam, & amplius non ero in ærumnis. Tu nosti seruitutem, quâ seruiui tibi. Ac si dicat: Tu Hierusalem superna mater nostra conscia tibi es quibus carnis, & mundi tentationibus tuæ claritati emerendæ militauerim, cum hæc & tu passa sis.

*Vers. 23. *Vers. 24. *Vers. 25. *Vers. 26.

Vers. 27. *Ait Laban ei. Inueniam gratiam in conspectu tuo: Experimento didici, quòd benedixerit mihi Deus propter te:* * *Constitue mercedem tuam quam dem tibi.* Laban ad Iacob loquitur, cum candidatus cœlestium exercitus, intellectu interprete & ad ipsum etiam intellectum dicere videtur. Si tibi aliquantisper labor præsens protrahitur, magna cum ad vsum beatitudinis meæ veneris mea gratia apud interiorem oculum tuum inuenietur: certum enim experientia fecit, quòd Deus incrementum gloriæ ac lætitiæ spiritibus beatis conferat, quotiens ad cœleste quis regnum glorificandus accedat. Nam dicit magnus Origenes non perfectam Sanctos habere lætitiam, quandiu viderint fratrum suorum sub temporali tempestate mœstitiam, vnde constat suum vehementer augeri de consortium ereptione triumphum, & gloriam. Dic ergò ideſt prouidendo perpende mercedem quam à me tibi dari poscis? Talia agimus cum sanctis spiritibus, quotiens eorum patrocinia ad gloriæ obtentum exquirimus, & hoc ab eis intellectualiter sapientes audimus. * *Tu nosti*, ait Iacob, quâ molestiâ tibi animi carnísque seruierim emerendæ, & quanta ô beatorum societas in manibus meis fuerit possessio tua, ideſt quanti habuerim possessionem tuam, quæ Deus est, in exercitio manuum, ideſt operum meorum patuit. * *Modicum habuisti antequam venirem ad te.* Imminutus erat supercœlestis numerus tuus, antequam humana natura consociaretur gloriç tuæ; & nunc ô beate exercitus saluatorum, meo diues factus es collegio: benedixítque tibi, ideſt multiplicauit te Dominus ad introitum meum. *Iustum est igitur, vt & ego aliquando domui meæ prouideam.* Quod totum est; vos certâ fœlicitate gaudetis, idémque in miseria constitutis postulare debetis, quod & facitis, obtinete igitur mihi quod iustum est, vt sicut vobis, dum aduixistis, prouidistis, sic & ego domum patris in qua mansiones multæ sunt mihi prouideam. Et domui certè prouidet, qui vt sit de quibus honestanda est domus studet.

*Vers. 28. In cap. 10. Leuit. homil. 7. ante med. *Vers. 29. *Vers. 30.

Vers. 31. *Quid dabo tibi? Nil volo, ait Iacob, sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua.* Nil ait ratio à te ô Sancta ciuitas Vers. 32. terreni emolumenti quæro, sed si gyraueris omnes greges tuos, idest si alto circumspectionis ambitu omnem virtutis vtilitatem videre me obtentu tuo feceris, & separaueris omnes oues varias, & sparso vellere, in ipsis scilicet virtutibus vitij cuiusque admixtionem, & operis per fauorum auras ac si velleris quo membra super terram teguntur sparsionem, discernere mihi impetraueris, quodcumque rufum fuerit passione desiderij vel cognitione peccati, hoc enim color iste significat: quodcumque maculosum incursione delicti, & varium surripiente hypocrisi, pro magno mihi munere patiar ascribi, nil sanè mihi vtilius quàm cognitio mei. Dicitur enim: Iudicium, & deinde iustitiam in Iacob tu fecisti. Si tu inquam ô cœlestis mater pia interpres id mihi impetres, qui hactenus sub timore paui cœlesti pabulo quæque interiori homini congrua, à modo iterum pascam, & custodiam, idest & alimoniam vitæ procurabo, & vitalibus studiis sollicitudinem custodiæ delegabo. In ouibus verò & capris mercedem suam dicit, dum in beneficiis actualibus, quæ per oues signantur, quia fœtu, fructu, & vellere prosunt, & in contemplatiuis, quæ per capras, quia pascuntur in arduis, in præsenti mercedis initium credit. * Vers. 33. *Respondebit mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te*, idest concurret, & dignâ mercede conueniet ac consonabit mihi iustitia, quâ in principio mei accusator existam, cum Deo remunerante in conspectu Sanctorum vita mea placuisse probabitur.

Vers. 34. *Gratum*, inquit, *Laban, habeo quod petis.* Nil enim gratius spiritibus beatis, quâ quod æternæ gratiâ geritur salutis. Hæc autem cum intellectualiter intra nos agimus, & nos dicimus, & quasi cœlitus nobis responderi sentimus. * Vers. 35. *Et separauit in die illo capras, & oues, hircos & arietes, varios & maculosos,* idest in illa qua hæc cogitat, spirituali luce discernere fecit Iacob, idest rationem, inter contemplatiua & actualia, inter lasciuos & animales motus, & arietes rationalitatum, quæ nobis præbent ducatus, & in his omnibus pensare quid varietate hypocrisis, quid naturali fœditate peccatur. *Cunctum autem gregem vnicolorem, idest albi & nigri velleris tradidit in manus filiorum suorum.* * Vers. 36. *Et posuit spatium itineris inter se, & generum dierum trium, qui pascebat reliquos greges eius*, idest omnem virtutum frequentiam, quæ per innocentiam vnicoloriter albet, tamen & nigredinem memoriæ peccatorum non passibiliter, sed ad Deum, qui de his eruit ardentius prædicandum laudabiliter tenet, in manus filiorum, idest in potestate Sanctorum, quibus certa iam Dei filiatio est, quia sibi iam glorificatis peccare nec libet, nec licet, custodiendum præbet, & ponit idest, æstimat differentiam inter proficientem intellectum hominis & cœlestem senatum, & actiuè & contemplatiuè magistrum duarum vxorum genitorem spiritualium, integerrimam Dei cognitionem, in quo est Trinitatis ac si trium dierum mysterium. Ipse intellectus reliquos pascit eius greges, quia alterius modi minùs scilicet perfectas in hoc seculo nutrit virtutes.

Vers. 37. *Tollens ergò Iacob virgas pópuleas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractisque corticibus, in his quæ expoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.* Per amygdalum quæ sola in tribus his fructifera est, intelligentiam accipimus, in qua est cuncta passionum carnis amaritudine, & humanitatis duritia, ac si cortice & testa Dei noticiæ nucleus. Per populum, & platanum imaginatio, & sensualitas innuitur, quibus dum media intelligentia dominatur, vtraque per se solam infructuosa eius vicino sapore conditur. Virgæ virides rectitudines internę sunt caritatis suco madentes, horum trium ordinatos, & veluti ad regulam ductos mores, homo peccati subuersor idem Iacob accipit, & ex parte superficiem corticis, idest extrariæ visionis abscindit; & mox interioris gratiæ candor apparet; & quia imaginationis sensualitas prorsus à vanitate visibilium exui non præualet, in his quæ expoliari non possunt viror bonæ intentionis permanet; perficere enim inuenienti velle adiacet, & sic efficitur color varius, dum incipit diuidi aduersus carnem spiritus: vbi enim hęc non est varietas, totus sibi complacet homo vetus.

Vers. 38. Has ponit in canalibus vbi aqua effundebatur, dum quidquid rectum habet fundat quodammodo & stabilit in humilitate, ac depressis interioris exteriorisque hominis sensibus, vbi illabi solet gratiæ supernæ vnda cœlitùs; scilicet vt cum venirent greges ad bibendum ante oculos haberent virgas. idest quotiens accederent cogitationum, & cæterorum motuum turbæ, ad spiritualitatis consilium, propositæ directionis regulas haberent ante cordis intuitum, & ad earum conciperent studia, & charismata meliora conspectum. Bonorum sanè suorum contuitu accenditur ad potiora probus quis.

Vers. 39. *Factumque est vt in ipso calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, ac varia, & diuerso colore respersa.* Calor est coitus

coitus cum torpida noſtra animalitas, quæ per oues figuratur, ſpiritui quaſi maris feruori coniungitur. In hoc calore oues intuentur virgas, dum ſimplices, ac hebetes cogitatus noſtri rectæ intelligentiæ ſollicitè intendunt ſententias, & pariunt diuerſo colore reſperſa; quô enim ſubtiliùs ſua inſpiciunt intima per diuinam inſpirationem, eò magis propriæ inſtabilitatis, ac vanitatis veritati aduerſantis inueniunt varietatem. * *Diuiſitque gregem Iacob, & poſuit virgas ante oculos arietum.* Arietes námque, ideſt intellectus cogitationum, tamquam gregum duces, dum myſticas oues imprægnare nituntur, opus eſt vt à virgarum conſideranda directione non auertantur. *Erant autem alba quæque & nigra Laban; cætera verò, Iacob, ſeparatis inter ſe gregibus.* Hoc paulò ſupradictum eſt, nec repetam.

Verſ. 40.

Verſ. 41. *Igitur quando primo tempore aſcendebantur oues, ponebat Iacob virgas ante oculos arietum*, & cætera. Prima aſcenſio ſicut prima reſurrectio eſt, cum ſpiritualitas animalitatem ad bonis operibus fœtandum ſubiugat. In canalibus ergò ſenſuum demiſſorum, & quaſi cauatorum, vbi fluant vndæ fidelium aquarum, ponendæ ſunt virgæ gubernationum, ante conſiderationem ſcilicet intellectuum. Nota verborum ſingulorum ſonos, & concordias; humilitas in canalibus, in aqua ſpiritus ſanctus, qui propriè ſe infundit humilibus, ex quo procedit virga, totius ſcilicet directionis ac iuſtitiæ vis, quod proponitur arietibus, ideſt intellectibus.

Verſ. 42. *Quando verò ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas.* Serotina admiſſura intelligitur, cœleſtis perceptio regni in vltimo, non ſicut hic particulariter, ſed plenariè omnes impleturus, & omnia in omnibus futurus Deus in omnium corda admittitur. Ibi conceptus extremus, ideſt Dei laudandi indeficiens propoſitum cui nullius alterius rei ſuccedit affectus, cum fuerit, ſententias, quibus propriam dirigat mentem, ponere ibi homini opus non erit, qui regentem omnia Deum in ſe habebit; quæ enim primi temporis ſunt, Iacob ſunt, id eſt ad ſupplantationem peccati attinent; quæ ſerotina, id eſt in mundi fine reſtantia ſecundum ſinceritatem ſupernæ claritatis candent, hoc eſt ad Laban pertinent.

Verſ. 43. *Ditatuſque eſt homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas; & ſeruos, camelos & aſinos.* Ditatur homo vltra modum, cum nimia iuſtitia vertitur in indiſcretionis vitium. Vnde & habet multos greges, quia ex nimia ſui fiducia multas incidit animi diuiſiones. Ancillas & ſeruos habet, motus ſcilicet ancillariter ac ſordidè petulantes, & ſeruiliter proteruéque contra ſpiritum rebelles, camelos quoque pondere cupiditatis, ac ſi gibbi ad terrena procliues, & aſinos, ſtupidos videlicet inertiâ, & ſegnes.

CAPVT XXXI.

Verſ. 1. **P**Oſtquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus.* Interior homo cum à recto deuiat, querelas cogitationum ſupernæ claritatis filiatione gaudentium intelligit. Arrogauit, inquit, ſibi omnia quæ Deo patri cœleſti attribuere debuerat, & de opulentia interiori quæſiuit exteriùs famoſus haberi. Inclytus ab eo formatur nomine, quod eſt clio, quod græcè dicitur fama.

Verſ. 2. *Animaduertit Iacob faciem Laban*, ideſt gratiam ſuperni luminis, *quod non eſſet erga ſe ſicut heri & nudiuſtertius*: id eſt eo modo quo cum præſentem gloriam quaſi prætereuntia & difflua deſpiceret, ſicut heri quæ res iam præterita eſt. Nudius ex nunc & die componitur. Non eſt erga ſe Laban vt nudius tertius, ideſt vti quando præſente corde ſuo diuinæ luci in contemplatione Trinitatis ſpatiabatur, * *maximè dicente ſibi* per ora ſcripturarum *Domino: Reuertere in terram*, ideſt in eam mentis ſtabilitatem, qua patres tui cœlici ciues, quos imitari propoſuiſti, conſtitiſſe noſcuntur, *& ad generationem tuam*, rectorum ſcilicet quæ benedicetur: & hæc te agente *ero tecum.*

Verſ. 3.

Verſ. 4. *Miſit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi paſcebat greges*, * *dixitque: Video faciem patris veſtri quod non ſit erga me.* Mittit deſiderium vocatque per præmium contemplationis, & actionis vſum, vt redeant in ſpiritualis exercitij agrum, vbi deficientes fame interna paſcat verus Iacob greges cogitationum. Intelligo, ait, ſerenitatis diuinæ dignationem à me auerti. Deus autem patris mei fuit mecum & gratiæ eius dona recolo, * *Et ipſæ noſtis quod totis viribus meis ſeruierim patri veſtro*, ei ſcilicet qui vtriuſque auctor vitæ eſt Deo. Hæc me egiſſe certum teneo, * *Sed pater veſter circumuenit me*, ideſt oblatæ dulcedinis conuerſionis initio illexit me blanditiis, & mutauit mercedem meam decem vicibus, id eſt cum meruiſ-

Verſ. 5.

Verſ. 6.

Verſ. 7.

ſem iam diutino labore animi quietem, quinarium, qui in externis ſenſibus; itemque quinarium ſenſualitatis, qui etiam viuacius imaginaliter menti ineſt, quod vtrumque pro decem vicibus intelligi poteſt, naturaliter quidem cum rationem impugnet, non in pacem mihi ſed in bella mutauit, ſed non permiſit eum Deus vt noceret mihi, ideſt cum ſit eſſentialiter Deus propriumque Deo ſit, vt ſit pius, ipſa ſua naturalis gratia non ſiuit eum, vt imminens tentationis prælium permitteret verti in exitium mei.

Verſ. 8. *Si quando dixit: variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes varios fœtus. Quando autem è contrariò ait: alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt.* Quod eſt dicere, ſua originalis clementia eum verè cohibuit à nocendo, quia ſi intellectualiter aliquando in meipſo per meipſum dixit, vt varietatis meæ inſtabilitati cognoſcendæ inſtarem, hocque mihi datum pro mercede putarem; ſic mea vota compleuit. Si quando virtutis alborum ipſo dictante quæſiui, cogitationes & motus interni eodem opitulante beata ac læta ſtudia conceperunt.

Verſ. 9. *Tulit Deus ſubſtantiam patris veſtri, & dedit mihi*, ideſt à rationalitate ſui cui quondam inſeruiebant, tulit intellectum, memoriam, ac voluntatem Deus, quæ verè ſubſtantia patris veſtri haud dubium quin ipſius Dei eſt: & dedit mihi ea probè & vtiliter frui. * *Poſtquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in ſomnis aſcendentes mares ſuper fœminas, varios, & maculoſos, & diuerſorum colorum*, ideſt cum ad hoc iam proficerem, vt ſterilitates ineptorum cogitatuum proponere quippiam fructuoſè deberent, erexi ab infimis intentiones meas, & dormiendo forenſibus, ac vigilando intrinſecis, vidi, quod eſt intellexi, rationalitatum vires mollibus deſideriis ac ſi mares fœminis præſidentes, & varias carnalium miſeriarum, ſpiritualiumque maculas indicantes.

*Verſ. 10.

Verſ. 11. *Dixitque Angelus Dei ad me*, vel ratio ſcilicet, vel ſcripturæ ſermo, *in ſomnis*, clauſo ſanè à viſibilibus obtutu cordis: *Iacob?* inquit: Ac ſi dicat: Nominis tui memento, & vitia ſupplantato. Et ille. *Aſſum*, ait, ideſt curæ interiori præſto ſum. * *Leua* inquit, *oculos*. Quod ſuperius expoſitum eſt. Et eſt ſenſus. Quod interna viſione quaſi in ſomnis videram, hoc ſcripturarum nuntio de leuatione oculorum, & de marium aſcenſione didici, certumque teneam. *Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban*, ideſt intelligere te feci quæ aduerſa tuleris propter claritatis æternæ gloriam. Laban feciſſe dicitur, quorum cauſa fuit vt fierent. Non debes ergò laſceſſere pro quo tibi contigit tanta ferre. *Ego ſum Deus Bethel*, ideſt domus Dei, ſcilicet Deus qui te domum valeo facere meam, *vbi vnxiſti lapidem*, ideſt vbi per me inhabitatorem, qui oleum ſum, ideſt caritas, leniorem mitioremque habuiſti ſub timore cœpti propoſiti grauitudinem & aſperitatem; *& votum vouiſti mihi*, perſeuerandi ſcilicet intra ipſum diſciplinæ rigorem. *Nunc ergò ſurge*, quod eſt quamdiu nunc, ideſt præſens tempus habes, & iuxta Apoſtolum quamdiu. Hodie dicitur, ab inertia excutere, de futuro enim incertus es; *& egredere* moribus de terrenitate tua *reuertens in terram*, veram ſcilicet ſoliditatem viuentium regionem, *quæ natiuitatis tuæ eſt*, ideſt originaliter tibi debetur.

*Verſ. 12.

Verſ. 13.

Heb. 3. 13.

Verſ. 14. *Dicunt Rachel & Lia*, cum quibus & totus vitæ actus & intellectualiter iſte tractatus. *Numquid habemus reſidui quicquam in facultatibus & hæreditate domus patris noſtri?* Quod eſt, Nos, quibus decem vicibus mutauit mercedem, quibus tot difficultates iniecit, quid reſidere ſpei ſperare nobis poterimus in Regno & gloria Dei? * *Nonne quaſi alienas reputat*, quaſi malè agentes periculorum quæſtionibus grauat? Vendit dum tentationibus inſeri permittens noſtræ nos libertati ſubducit. Pretium ex venditione exigit, cum gratiarum actionem, & omne gaudium cum in tentationes varias inciderimus à nobis quærit. Hoc pretium ipſe comedit, quia eum permaximè patientia noſtra paſcit.

*Verſ. 15.

Verſ. 16. *Sed tulit Deus opes patris noſtri, & dedit nobis ac filiis noſtris*, id eſt à Diaboli cultu tulit Deus naturaliter ſubſtantiæ noſtræ à ſe inſitas bonitates, & fecit tam vitæ noſtræ in præſenti, quam filiis, id eſt fructui mercedis noſtræ profuturas. Tulit autem Deus opes patris noſtri, ita dictum eſt, ac ſi dicat opes ſuas, ſicut eſt illud: pluit Dominus à Domino, id eſt à ſeipſo. In Prophetis abundant talia. Fac itaque omnia quæ præcepit tibi cum eum intelligas in omni etiam aduerſitate tibi cooperari.

Verſ. 17. *Surrexit igitur Iacob, & impoſitis liberis & coniugibus ſuis ſuper camelos, abiit.* * *Tulitque omnem ſubſtantiam, & greges, & quicquid in Meſopotamia acquiſierat, pergens ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaan.* Surgit cum ſe aduerſum ſe animus erigit. Coniuges & liberos camelis imponit, cum vtramque vitam, & opera ex eis pro ſola cœleſti libertate procreata,

Verſ. 18.

ponderositati carnis præponit, hisque ac si iugo deprimit. Omnem substantiam, naturalia dona greges, accipe cogitatuum frequentiam, quæ in Mesopotamia, idest, in eleuata vocatione, quod est superna dignatio, cum ad conuersionem venimus, conquisiuimus; sicque ad patrem, in quo æterni risus gaudia sunt, in terram veram, scilicet stabilitatem; Chanaan quod est mutationis pergimus, vbi verè à corruptibilitate immutabimur. Vnde Psalmus est, pro his qui commutabuntur.

Psal. 101. 28.

Vers. 19. *Eo tempore Laban ierat ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui.* * *Noluitque Iacob confiteri socero suo quod fugeret.* Eo tempore, idest ea animi temperie, qua ad Deum tenditur, Laban, quod est claritatis internæ desiderium, erat, quod est, ire nos fecerat, ad tondendas oues, expoliandas videlicet superfluitatibus cogitationes; sed incassum sæpe nitimur eas abscidere, quia Rachel cum videndo omnium principio se putat inhærere, furtim idola, idest formularum phantasmata pro ipso Deo sibi contrahit in mente, ad se enim relabitur ex humanitate. Non vult Iacob confiteri socero quod fugiat, quia homo etsi videat quid cauere debeat, non vult tamen carnis amore retractus operum exhibitione fugam culpæ exprimere, licet culpam animi rationalitate difugiat. Socer vero Deus est., cuius filiabus actioni, & contemplationi iungimur, cui opere potissimùm confitemur.

*Vers. 20.

Vers. 21. *Cúmque abijsset tam ipse, quam omnia, quæ iuris eius erant, & amne transmisso pergeret* contra aceruum testimonij, sic enim interpretatur *Galaad*, * *nunciatum est Laban die tertio quod fugeret Iacob.* Postquam intellectus & omnia quæ ei subiici debent pio desiderio iam eunt, & fluctus curarum seculi transmittunt, ad aceruum, qui infra per amorem proximi dilatatur, & sursum in Dei dilectione acuminatur, verus ipse Iacob pergit, ibique mortem, qua nubila vallis huius declinet, inuenit: Die tertio, idest per Trinitatis, quæ Deus est, intelligentiam nuntiamus candidato sanctorum exercitui fugæ nostræ, qua peccata euitamus, notitiam. A sanctis enim spiritibus, tanto magis continentia nostra noscitur, quanto maiore Dei cognitione illustramur.

*Vers. 22.

Vers. 23. *Qui assumptis fratribus suis*, idest spiritibus Angelicis in nostrum auxilium precibus veri Laban ascitis sub Deo patre fratribus suis, *persecutus est eum septem diebus*; idest totius vitæ spatio, quæ septem diebus voluitur, diuinis prosequitur adminiculis, Angelis ad eos venientibus, qui hæreditatem capiunt salutis; vel persequitur vitia Iacob impetratis ei muneribus gratiæ septiformis, & in monte Galaad comprehendit, in excellentia scilicet proximi & Dei caritatis, quod speciale est testimonium nostræ Christianitatis, nos plenè superni candoris delectatio apprehendit. Aceruus autem, vt dixi, infra diffunditur, superius angustatur, in quo est & amor proximi, & contemplatio Dei. * *Viditque in somnis sibi dicentem Deum: Caue ne quicquam asperè loquaris contra Iacob.* Laban, idest candida illa ciuitas, iam in diuina quiete consopita, videt, idest intelligit Deum sibi inspirantem non contra homines propriæ naturæ participes, qualibet asperitate debere moueri, sed suæ anterioris fragilitatis memoria eis compati.

*Vers. 24.

Vers. 25. *Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum, cum ille consecutus eum fuisset cum fratribus suis.* Tabernaculum Iacob extendit, cum exercitium diuinæ militiæ fidelis quilibet amplificat, & producit. Ille consequitur cum fratribus suis, cum Angelorum sanè subsidio precum munit auxiliis. In eodem monte Galaad Laban fixit tentorium, quia in vtriusque vitæ studio & eminentia statuit olim dum carne aduiueret: felix illa ciuitas intentionis desiderium? Intentio nempe & tentorium à tendendo dicuntur.

Vers. 26. *Et dixit ad Iacob: quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio?* * *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi vt prosequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & cithara?* Ac si dicat: cum iam te videas constitutum in cacumine caritatis, vnde inconsultis exemplis meis, quam regnare per malorum victoriam probas, quod est clam me, abigere elegisti à te diligentias vitæ vtriusque, quasi, idest reuera, captiuas gladio: idest abductas mortali desertionis & apostasiæ peccato: cur inquam cœptum propositum ignorante me, idest indiscusso, vt prædictum est, me, expauescere, quod animo fugere est, voluisti, nec indicare retractatis triumphorum meorum consiliis, vt mox per eadem concepto vigore gaudia comparationis meæ tibi conferrem, cantico internæ lætitiæ fastidium dimouerem tympanum diuinæ speculationis omni ære perennioris: hîc enim incipitur, & in futuro numquam finitur, & dulce mirum in arcanis Dei resonet, & citharam, quo magnis atque minoribus proximis congruus amor quasi sonus cordis infertur, admouerem. Dum enim vltra modum ditaris, dum de circumuentione & mercedis imitatione conquereris, quasi ignorante me agere cœperis.

*Vers. 27.

Vers. 28. *Non es passus vt oscularer filias meas*, idest, vt ore & spiritu consiliorum meorum, & intentionum, quæ in meis vides actibus,

imbuerem vitas tuas, quas ob conformitatem mei ac si matris, meas dico filias. *Stulte operatus es, & nunc * valet manus mea reddere tibi malum.* Quod est; potens est Deus, qui manus, idest, fortitudo mea est, reddere tibi malum nunc, scilicet in æternis, quibus nil præterit, nec futurum est, sed semper præsens. *At Deus patris vestri,* Deus videlicet pater vester, *heri dixit mihi*, id est per memoriam præteritæ meæ passionis, quam in homine viuens expertus sum, innotuit mihi, ne hominibus compati dedignarer, licet iam in gloria detinerer.

*Vers.29.

Vers. 30.

Esto, inquit, ac si dicat, ponamus modo te vbi pro certo ad tuos ciues videlicet cœlicos & domum patris supercœlestem redire cupere, sed illud quomodo defendere poteris quòd furatus es Deos meos, idest quòd non rectè, dum vltra modum tibi diues videris, & in contemplando subtilis, & phantasticè tibi Deum per innumeras imagines fingis? Quod enim furtim fit, non rectè fit. Deos ergò furatur, qui priuatim quomodo formas Deo attribuat, machinatur. Sed Iacob, spiritus scilicet noster ac si ratiocinans infert. *Quod inscio te profectus*, scilicet quod inconsultè à tua conformitate paulo digredi conatus sum, *timui ne violenter auferres filias tuas*, idest ne nimietas aggressi propositi faceret me decidere ab vtraque vita.

*Vers.31.

Vers. 32.

*Quod autem furti me arguis apud quemcumque inueneris Deos tuos necetur coram fratribus * suis.* Quod est si falsæ credulitatis me arguis in quocumque animi sensu quippiam repereris de Deo fictitium, aliorum eiusdem mentis intellectuum aboleatur iudicio. *Scrutare quidquid tuorum apud me inueneris aufer.* Quod est scrutari me doce, & quidquid tuorum, idest spiritualium quæ tibi magis competunt rerum apud me, scilicet apud sensualem imaginationem meam corrumpi videris, exemplo ac prece dimoue. Hæc ex contemplatione claritatis sanctorum intellectualiter & inferri & referri solent. Hæc dicens ignorabat quod Rachel furata esset idola. Sunt sanè qui magnum quid sese contemplatos putant, si aliquas gloriosas formas Deo ascribant. Ignorant enim quod Rachel quæ tota intellectualis esse debet furtum faciat, si imaginarium quicquam ad libitum de Deo confingat.

* al. nostris.

Vers. 33.

Ingressus ergò Laban tabernaculum Iacob & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit. Iacob & Liæ tabernaculum, rationis est, & actionis piæ exercitium; vtraque verò famula, quælibet virtutum genera vtrique vitæ subsidentia. In quibus totis Laban non inuenit idola, quia in his quæ scientialiter secundum hominem administrantur, consulta supernæ claritatis spiritualitas, diuinas quamdiu de Deo non agitur non inuenit formulas.

*Cúmque intrasset in tentorium Rachelis, * illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, seditque desuper.* Tentorium Rachelis intrat cum ea quæ in Deum vsque tenditur contemplationem Laban, idest spiritualis splendor examinat. Spiritualis autem iudicat omnia. Vnde spiritu illustrante animum, Rachel, idest interna discretio festinè abscondit, quicquid de Deo corporeum cogitabat, superponens virtutes animi, quæ sunt stramenta cameli, idest, munimenta & ornatus torpidæ carnis, in quibus disquirendis multò licentiùs potest quisque versari, quàm sine imagine Deum contemplari: & desuper sedet dum fundata virtute substanti stultis phantasmatum discursibus deprimendo præsidet. *Scrutantique tentorium, & nil inuenienti, * ait: Ne irascatur Dominus meus quòd coram te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Ac si dicat ne indigneris Domine, cui vti Domino subest, quid, & cui voluerit dare, quòd coram te, in interiori scilicet homine assurgere ad te, vt es, comtemplandum nequeo, quia iuxta morem humanæ molliciei patior. *Sic delusa sollicitudo quærentis est.* Sollicitudo quærentis deluditur, cum anticipante nos Dei gratia, per correptionem à nostræ discretionis captu quod puniri debeat non inuenitur.

*Vers.34.

1. Cor. 2. 15.

*Vers. 35.

*Tumensque Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum sic exarsisti post me, * & scrutatus es omnem suppellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis & tuis, & iudicent inter me & te.* Cum humana mens tam districtè conscientiam oportere discuti pensat grande sæpius apud se fastidium tolerat, vnde tumens, & quasi furibunda interius clamat. Quæ, ait, culpæ nimietas exigit, vt tanto zelo me insequendò ô spiritualis diligentia efferueas, & totos animi recessus rimeris & colligas. Quid inuenisti penes me de substantia, idest de his omnibus terrenitatibus, quæ meritò substare & subesse debent domui tuæ, idest tuorum conscientiæ? Ponatur in iudicio diuinæ tuæ & humanæ rationis meæ, & profectò pro mea immunitate peccati.

Vers. 36.

*Vers.37.

Viginti annis fui tecum, idest & denarium plenitudinis legis in mente, & denarium virtutum idest annorum perfectionis, Laban superno candori seruaui

Vers.38.

in opere, oues simplicium beneficiorum, & A capræ contemplationum steriles à fructu per hypocrisim non fuere, arietes, rationales, scilicet motus, tamquam gregum cogitationum duces in memetipso per vitiorum admissionem non consumpsi; * *Nec captum à bestia*, idest direptum à diabolo interius bonum sanctis quibuslibet non feci ostentui: Vnde Psalmus: *Non confundantur super me qui quærunt te Deus Iraël. Ego damnum omne reddebam*, compensando videlicet peccata laboribus; *quidquid furto peribat*, scilicet surreptione diaboli, *à me exigebas* subaudis B *restitui.* * *Die* in his quæ intelligebam: *Nocte* in his quæ ignorabam, idest in bonis & in malis, *æstu* cenodoxiæ *vrebar* in bonis, & ex ipso torpore meo ac si gelu coquebar in malis: *fugiebat somnus* negligentiæ ab intentionibus meis, quod est oculis. Intelligentiam autem ad sola bona pertinere scimus, quia nil scitur, nisi quod verum est, & si falsum scitur, in tantum scitur, in quantum falsum esse scitur; quidquid verò verum est, bonum esse conuincitur, in quantum verum est.

* Vers. 39. Psal. 68. 8. * Vers. 40.

Vers. 41. *Quatuordecim annis seruiui tibi pro filiabus, & sex pro gregibus tuis.* Per quaternarium Euangelia, per denarium legem accipimus. Quæ primo legem, post Euangelium cum impleuerimus ad filias cœlestis matris Ecclesiæ, actiuam scilicet & contemplatiuam accedemus. Sex verò ad plenitudinem cum pertineant, quia sex diebus omnia Deus fecerit, annos virtutum claritudinibus integros à nobis exigimus plenariè, vt cogitationum gregibus dominari possimus ad similitudinem ciuitatis supernæ, quæ has iam possidet inconcussâ penitus pace. *Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.* Mercedem immutatam decem vicibus queritur, dum corporis, quod quaternario propter elementa signatur, & animæ, quæ ternario ob tria sua præcipua bona impassibilitatem sperans; & Deum, qui Trinitas est, medullitus nosse quærens carnalium tempestatum mole, etiam ab spe mercedis in timorem pœnæ conuertitur.

Vers. 42. *Nisi Deus patris mei Abraham*, idest Deus, qui præsidet rationi meæ cohibuisset: Abraham enim pater videns populum dicitur, & intellectui paternè prouidere vulgo cogitationum pertinere propriè scitur; *& timor Isaac*, idest timor amissionis gaudij æterni. Isaac enim dicitur risus, forsitan ob tot difficultates: ô Laban, idest cœlestis claritas, quæ quò amplius à me quæritur, tantò magis differtur, nudum prorsus & impotem iustitiæ dimisisses in libidines, quibus corpus afficitur. *Afflictionem & laborem manuum*, idest operum meorum, *respexit Deus*, sub qua malorum tribula hæc tantilla bona operer: *& arguit te heri*, idest argumentis euidentibus præteritæ humanitatis tibi ostendit, quam clementiam debeas his, qui periclitantur, cum tu portu potiare salutis. Heri autem pro præterito ponitur: Hinc Isaias: *præparata est ab heri Topheth.* Hæc præcipuè aguntur in conscientia, cum sanctos ardenter expetimus, & tarde opitulari sentimus.

Esaiæ 30. 33.

Vers. 43. *Filiæ & filij*, ait Laban, *& greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt.* Ac si Ierusalem superna loquatur. Infirmæ & fortes animæ in Ecclesia, seu rectores vel regendi motus in conscientia, & cogitationum in imum coacta congeries, & si qua sunt quæ penes te proba intenderis, ex meis ea exemplis habes & doctrinis. *Quid possum facere filijs & nepotibus meis?* Quod est, his quos ad fidem, vel opera genui, vel his qui ad idem geniti sunt per eos quos genui, quomodo nocere queam? Ne ergò tumeas, ne iurgia intrare concites, sed * veni ad conformitatem mei, & per hoc inibimus fœdus amoris debiti, vt sit testimonium amor ipse, quod non auellaC ris à mea mutatione.

*Vers. 44.

Vers. 45. *Tulit itaque Iacob lapidem*: intellectus scilicet arripuit sibi animi soliditatem, ne deinceps euolet in vanitatem, hancque in titulum erigit, quia ad eam concitatis quibusque intra vel extra motibus, quasi ad quoddam præsidium insigne recurrit. Soliditas autem, ipsa est sincera humilitas. * *Dixitque fratribus suis.* Fratres sunt vel robusti quique motus animi, seu virtutes, ac si filij ex eadem mẽte geniti. *Afferte lapides*, scilicet pro ponite in omni actu vestro affectus solidos ac huD miles. *Qui congregantes fecerunt tumulum*, idest ad vnitatem contendentes iusto ordine dilatauerunt se per caritatem inferius, vt subtiles fierent in contemplatione superius. Super hunc comedunt, dum in caritate radicati, & fundati diuina dulcedine, quæ diligentibus in promptu est, sese reficiunt.

*Vers. 46.

Vers. 47. *Vocat Laban tumulum testis, & Iacob aceruum testimonij, vnusquisque iuxta proprietatem linguæ suæ.* Aliter sentit & loquitur Laban, aliter Iacob, quia alius intellectus est, E supernè iam viuentium, & alia efficacia, alius in carne degentium, & alia eorum desideria. Tumulus mortuorum vsitatè solet dici. Et plus est testis quam testimonium, quia magis testimonium eget teste, quàm testis testimonio. Laban ergò candidus ille senatus, qui mortem iam obiit explicito testimonio fidei, ac operis iam testis emeritus factus est. Iacob autem præsens fragilitas, aceruum multo sudore congerit, dum professionis suæ testimonia gerit. * Tumulus testis est inter Laban & Iacob, dum & Iacob iam saluatorum inhiat sorti, & saluati iam condescendunt

*Vers. 48.

adiuuando saluandorum passioni. Cum enim ad exemplum sanctorum reminiscimur, quasi ad tumulum respicimus, ipsi ad tumulum scilicet ad sui quales olim fuerint memoriam se referunt, cum nobis, qui eidem innatamus salo, miserescunt.

Vers. 49. *Intueatur Dominus & iudicet inter nos, quando recesserimus à nobis,* * Vers. 50. *si afflixeris filias meas, & introduxeris vxores alias super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.* Recedit Laban à Iacob, cum sancti quilibet, & si exempla reliquerint, nostro tamen nos relinquunt arbitrio. Affligimus filias, & superinduximus vxores alias, cum dimoto vtriusque vitæ consortio, libidini propriæ voluntates admouemus adulteras, super quibus Deum prospectorem, & internorum testem discretorem fore constat, qui solus intuetur conscientias,

Vers. 51. & 52. * al. ant. *Si * autem ego præteriero pergens ad te illuc, aut tu præterieris, malum mihi cogitans*: idest si ego dum me ad te perrecturum profiteor, illud testimonium præteriero peccans, aut tu præterieris quod fieri non potest, tibi soli cogitans tuæque gloriæ congaudens, vt scilicet pro me laboranti orare desinas, quod profectò si fiat malum mihi erit; * Vers. 53. Discretor, & iudex erit horum Deus Abraham, idest, intellectualitatis tuæ ô Iacob, & idem rursus Deus Nachor, idest requies luminis, quod est Laban, æterni scilicet candoris, qui Deus patris est, eorum Deus, scilicet Christi secundum personam serui. Ipse enim ita cœlis dominatur, vt terræ. * *Iurat Iacob per timorem patris Isaac*, intra iura diuinæ legis se continet, timens ne excedendo paterni gaudij æterna visione se priuet.

* al. iurauit ergò.

Vers. 54. *Immolatisque* vitiorum omnium verè Deo placitis *victimis, in monte*, idest in eminentia virtutis, fratres eiusdem mentis filios motus quosque rationales vocat Iacob, idest intellectus, vt comedant iam mactato omni crimine Angelorum panem, qui est Christus. Comedunt & manent ibi, Christum námque panem gustantes, perseueranter incorporantur illi. * Vers. 55. *Laban verò de nocte consurgens*, idest de peccati inertia verum Iacob surgere faciens, *osculatus est filios suos & filias*, cœlesti scilicet pane, ac dulcedine fortes, & infirmos status animi, quos ad spem supernam genuerat, animauit; *& benedixit eis*, idest exemplo auxit; reuertens, idest reuerti faciens ipsum in locum suum, Christum videlicet, qui cum sit omnium, specialis tamen locus est se diligentium.

CAPVT XXXII.

Vers. 1. *IAcob quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei.* Intellectus fœderis Laban cœpta prosequitur, & occurrunt piæ eius intentioni instar Angelorum quæ bona his gerenda denuncient verba diuini eloquij. * Vers. 2. *Hos cum vidisset*, idest intellexisset, *ait: Castra Dei sunt hæc.* Castra propriè militantium sunt. Hæc, inquit, nil aliud quàm diuinæ militiæ exercitia ac coërcitionem prædicant. Castra enim à coërcendo dicuntur. Arcent sanè à se hostem, & disciplinariter se restringunt. *Appellat nomen loci illius Manain, idest, castra:* quia Christum vel ipsam scripturam, in qua locari debemus, munimentum cohibitionémque suam æstimat.

Vers. 3. *Misit autem nuntios ante se ad Esaü fratrem suum in terram Seir regionis Edon:* * Vers. 4. *præcepitque eis dicens: Apud Laban peregrinatus sum vsque in præsentem diem.* Nuntij qui præeunt Iacob ad Esaü, motus sunt compunctionis, & desideria pietatis, quæ sæpe constat mittere intellectum, ad emolliendum eum qui olim sibi improbè dominabatur affectum. Frater dicitur, quia ex eadem mente qua & ratio gignitur. Is Esaü in terra Seir commanet, quod pilosus interpretatur, quia affectio in terrenis iacere gaudens, superfluitate crebra contegitur. Nam vanitati sæpe libenter addicitur; & in regione Edom, idest peccati, quod est circa peccatum, tota auiditate versatur. Edom enim sanguis dicitur, & sanguis peccatum signat. Apud Laban, inquit, cœlesti candori inhiando versatus sum, vsque in illum me extendens, qui nec præterit, nec futurus, sed semper æternitatis constantia præsens est.* Ipse enim ait, *Ego sum qui sum*: Et, *Qui est misit me.* (Exod. 3. 14. 15.)

Vers. 5. *Habeo boues* maturitatis & prudentiæ in discussione terrenitatis; *Asinas* irrepugnantiæ ac simplicitatis; *Oues* munificæ vtilitatis; *Seruos*, proteruias animi; *Aucillas* lasciuas & titillationes carnis. Illa vt præsint, hæc vt subsint habeo. Mittóque nunc legationem, haud dubium quin animi deuotionem ad Dominum, te scilicet qui hactenus super me imperium vsurpasti, vt inueniam gratiam in conspectu tuo, idest vt Dei gratiam non luxuriam aut auaritiam patiaris inueniri in intentione tua.

Vers. 6. *Reuersi nuntij ad Iacob.* Nuntij ad Iacob reuertuntur, cum intellectualia desideria à carnali affectu diuerberantur. Accessimus aiunt per piæ oblationem voluntatis ad affectum; & ecce cum quadringentis viris in occursum tibi properat, cum vniuersitate videlicet temporalis superbiæ, aduersitatum tibi molestias concitat. Per viros sicut & per masculos stulta audacia, per centenarium vniuersitas, quaternario accipitur temporalitas.

Vers. 7. & 8. *Timens Iacob valde; diuisit populum qui se-*

cum erat, greges quoque & oues, & camelos, & boues in duas turmas. Cum carnis imminere sentimus impetum sequestramus ab ouium, boum, camelorum, idest piæ largitatis, sanctæ grauitatis, ac humilitatis, gregum quoque, cogitationis scilicet gregatim, & disciplinariter agentis verâ ac vtili substantiâ; populum carnalitatis vulgari lasciuia instrepentem in turmam & turmam, vt caro concupiscat in spiritum, & spiritus in carnem. Si percusserit, inquit, Esaü vnam, idest si seditionem affectus excitat in corporalibus, ea quæ remotius ab eis se egerit, pars saluabitur in spiritualibus.

Sed in tanto certamine ad Deum necesse est, homo interior se vertat. * *Deus ait patris mei Abraham, & Deus Isaac*, idest Deus qui per rationem lumen & æterni gaudij spem mihi patrocinaris. Domine qui indixeris mihi, vt reuerterer in terram, idest incultibilitatem mentis frugiferæ; & per hanc in locum natiuitatis meæ, statum scilicet immutabilitatis originaliter mihi debitę, vt sic bonum mihi fiat vitæ æternæ. * *Minor sum Domine cunctis* misericorditer, & absque merito mihi à te collatis; nam excellit gratia officium: & veritate minor sum, quàm promissa compleueris & complebis. In baculo meo transiui Iordanem istum, temporalibus his videlicet bonis tamquam baculi solatio innitens transiui, donec concupiscentiis eius plenè exuerer. Iordanem pręsentis seculi, qui descensus eorum dicitur, qui vallem lacrymarum excurrunt, & nunc cum duabus turmis regredior, idest cum forti diuisione spiritus aduersus carnem, ad eum, qui * potentiâ deitatis semper nunc habet, non iam mundanę cuiquam rei acclinis, quasi sine baculo reuertor.

Tu inquam *Domine erue me de manu fratris mei*, scilicet de potestate affectus carnalis, quia valde timeo ne veniens ad penetralia rationis, percutiat matrem caritatem cum filiis, idest effectibus suis. * *Tu locutus es quod dilatares semen meum*, piam videlicet intentionem, ex qua boni prodeunt fructus: *Sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest*: idest sicut ex arena sal conficitur, & cibis sale conditur, ita intentio & actio mea sapientia diuina condiretur. Intentio mea siquidem sapientificaretur, & ex ipso sapore actio condiretur. Arena autem cum valde grauis sit, etiam humilitatis maturitatem significat; ex hac sal fit, quia Deus paruulis intellectum dat: quę arena non numeratur, quia fructus humilitatis ac intelligentię à nullo comprehenditur.

Cumque dormisset ibi nocte illa, separauit de his quæ habebat munera Esaü fratri suo. Nocte dormit, cum spiritus interioribus intendens in ipso tentationis horrore à visibilium cupiditate quiescit. Separat de his quę habet munera Esaü, cum de virtutis opulentia apud se colligit, vnde affectum hiantem rationabiliter obstruere possit. Ibi autem in eadem intentione sub typo seminis dicta, dormisse signat. * *Capræ ducentæ* perfectionem geminæ contemplationis significant, diuinæ scilicet & moralis, quæ pręcipuè dicitur virtus discretionis. Capræ enim ardua petunt. *Hircos viginti.* Vicenarius ex duobus denariis constat; denarius vero ex septenario & ternario. Per ternarium fides, per septenarium spiritus datio accipitur; quibus duobus plenus Christianus efficitur. Capras ergò damus, cum carnis desiderio vim prouidę contemplationis obiicimus. Viginti hircos damus cum fœtorem carnalitatis & per inuisibilia quæ suscepimus fidei ac spiritus sacramenta, vnum scilicet denarium, & per internam eorumdem sacramentorum efficientiam, videlicet alterum, quasi per vicenarium temperamus. Oues ducentas. Oues simplicitatem in se, & ob velleris impensionem, beneficij in alios extensionem signant. Ducentæ itaque oues dantur, cum non solùm nobis, sed etiam proximis perfectio pietatis infertur, vnde prauitas cordis obstruitur. Arietes ceruicositatem figurant, qui per geminatum denarium dantur, quia per interiorem & exteriorem decalogi adimpletionem nequam appetitus colla premuntur.

Camelus ab incuruitate dictus sustinentiam innuit, quæ tunc fœta est si eos, quos sustinet, diligit: has per trigenarium damus, cum pro solo Trinitatis amore id agimus. *Vaccas quadraginta.* Vaccæ per quadragenarium dantur, cum lasciuia seculi per quatuor Euangelia & decalogum coarctatur. Tauri, quorum quidem carnes esui habiles, sanguis verò letifer est, bonam exterius actionem, sed prauam intentionem insinuant, qui per geminatum denarium, ex septenario & ternario constantem inferuntur, vt per fidem & gratiam nequam intentionis vota mutentur. Asinas segnitiem scilicet & stuporem accipimus; his denarium pro visibili & inuisibili sacramentorum efficacia vt supra sumimus. Sed asinæ per fidei ac spiritus vigorem à torpore suscitatæ pullos decem, idest opera vel affectus secundum decalogum habent. * Et hæc per manus seruorum singula mittit, dum per officia membrorum quę menti inseruiunt quæque exhibere contendit. *Dixitque pueris: Antecedite me, & sit spatium inter gregem & gregem.* Pueri antecedunt, cum humilia desideria effectus operum præeunt. Spatium fit inter gregem & gregem, cum certa figitur distinctio inter rationis motus & carnis affectus.

[Margin notes: * Vers. 9. — * Vers. 10. — * f. potentiam. — Vers. 11. — * Vers. 12. — Vers. 13. — * Vers. 14. — Vers. 15. — * Vers. 16. — A, B, C, D, E]

Vers. 17. *Et praecepit priori, dicens. Si obuiam habueris Esaü, fratrem meum, & interrogauerit te, quo vadis? & cuius es? & cuius sunt ista quae sequeris? Dices: serui tui Iacob: munera misit Domino meo Esaü.* Prior, secundus & tertius & alij sequentes gregem, diuersi mihi videntur habitus animi, qui primae suggestioni, secundae delectationi, & tertiae consensioni, & caeteris malorum processibus obsistentes occurrunt. Et ex his sortiuntur numerum cum quibus agunt. Si, inquit, carnalis voluntas tibi ingruerit & intentionem quo dirigas discusserit, & cui Domino inseruias, & cui vtilitas eorum attineat quae exequeris, dices: Deo soli spiritus animi intuli, ipsi vitia supplantando, non pro sua sed mea commoditate obedire statui ipsi, totum quod prosequor studium deuoui, & tibi ô affectus, qui olim seruitio meo abusus es, quibus bestialis tua feritas satietur ratiocinando misi. * *Et addetis*: Ipse quoque seruus tuus qui tibi aliquando inseruiit Iacob, idest intellectus, iter nostrum, deuotionem scilicet desiderij nostri fortiter muniendo prosequitur. *Dixit enim; Placabo illum muneribus quae praecedunt, & postea videbo eum, forsitan propitiabitur mihi.* Quod est: Æstimat quod praelibatis affectibus effectibusque pietatum eum mitiget, postea videbit, idest videre, quod est intelligere eum faciet; & cum intellexerit, iam remissiùs aget. * Munera praecedunt, sed Iacob in castris nocte illa manet, quia ratio licet summa iam bona egerit, quamdiu tentationis vel saeculi nox est, & nescit vtrum amore an odio digna est, intra continentiae ac timoris castra se contrahit.

*Vers. 20. *Vers. 21.

Vers. 22. *Cúmque maturè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas, cum vndecim filijs, & transiuit vadum Iaboc.* Iaboc autem lucta vel arena dicitur, in quo conflictus & confligendi locus, mundus scilicet & tentatio eius intelligitur. Sed quia eadem arena vadum appellatur, prouentus ex Deo cum tentatione futurus innuitur. Maturè surgit cum de leuitate cogitationis grauitatis manu se surrigit. Vxores famulas cum duodecim filiis tollit, cum contemplationem & actum cum vitiis ancillariter subiacentibus, & operibus necdum ad duodenarium perfectionis Apostolicae attingentibus, in quantum praeualet à temporalibus extollit, & vadum transit, secundum scilicet quod multis imbecillibus mare turbulentissimum est, contemptui habens cum Idithum transilit.

Vers. 23. *Transductisque omnibus quae ad se pertinebant,*
*Vers. 24. * *remansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Omnia quae ad se pertinent traducit, cum spiritus & totius suae virtutis fructus trans vadum in portu coelesti constituit. Remanet solus, quia velit nolit corpore detinetur in temporalibus. Vir cum eo vsque mane luctatur, dum virtus superna volenti eius summam conscendere, vt magis accendat rationis desiderio dispensatiuè refragatur. *Quaesiui*, ait in Canticis illa, *& non inueni illum, vocaui, & non respondit.* Non tamen diu differtur diuinae illustrationis mane, quae spes nos excitat in luctamine. (Cant. 5. 7.)

Vers. 25. *Qui cum videret*, Deus planè, *quòd differendo vota superare non posset, tetigit neruum foemoris eius*, idest mansuefecit obstinationem lasciuiae corporalis eius, & statim à superfluae humore remissionis emarcuit. *Dimitte*, ait, *me iam enim ascendit aurora.* Ac si dicat: iam mane illud quod praestolabaris habes, iam ab insequendo, quiescere potes. *Non*, ait, *dimittam nisi benedixeris mihi:* nisi videlicet ad certitudinem benedictionis aeternae me perduxeris. * *Quod nomen*, inquit, *est tibi?* Idest reminiscere tui professionem propositi. *Ait: Iacob.* Ad subuersionem, inquit, viuere deliberaui vitiorum. Non ait vitiorum supplantandorum tibi à modo sollicitudo incumbet, idest, non Iacob vocaberis, sed Israël, idest princeps cum Deo, vel dilectus Dei; vt iam quadam collatiua deitate cum ipso intra teipsum Deo principatum teneas, & consopito passionum strepitu, ex Deo ad Deum te dirigas, & pacatis omnibus his vni intendas, quoniam si perseueranter ad Deum anxiè quaerendum complectendúmque fortis es, quanto magis contra homines praeualebis, contra humanitatis scilicet tentationes? * *Et Iacob: Dic mihi quo appellaris nomine:* idest quomodo tuae excellentiam dignitatis aestimare queam insinua. *Cur quaeris*, ait, *nomen meum*, quod nec audire, nec si audire valeas capere possis? *Et benedixit eum in eodem loco*, idest virtutum eum multiplicitate ditauit, perseuerantem in caritatis, quae corda vna eademque facit, verè solido & stabili loco. Statuisti, ait, in loco spatioso pedes meos. (Vers. 26. *Vers. 27. Vers. 28. *Vers. 29. Psal. 30. 10.)

Vers. 30. Vocat nomen loci illius Phanuel, quod est facies Dei, quia in dilectione praecipua Dei cognitio est, & qui hanc habet, à Deo iuxta Epistolam Ioannis cognitus est. In facie enim notitia est, & Deus ipse caritas est. *Vidi* Dominum, *facie ad faciem & salua facta est anima mea.* Quod est intellexi Dominum intelligentia cognitionis eius illustrante notitiam meam, & quia per hoc quod eum nosco, nosci me ab ipso idest eligi non dubito, salutis animae spiritus certam teneo. (Gen. 32. 30. Deum.)

Vers. 31. *Ortusque est statim sol, postquam progressus est Phanuel*, incaluit; videlicet mox menti iustitiae lux & feruor, postquam Dei notitiam attigit ratio. Phanuel etiam transgressio, potest esse praeter generalem Dei cognitionem ipsius contemplatio. Ipse verò haud dubium

quin intellectus claudicabat pede, quia vim amiserat affectionis prauæ. * *Quam ob causam non comedunt filij Israël neruum*: idest non admittunt obstinationis vitium, quæ emarcuit in concupiscentiis intellectus; ad hoc scilicet vt Deum verè diem vbique præsentem liber attingeret, eo quòd mitigauerit Deus duritiam libidinosarum consuetudinum eius, & obstupuerit, idest ad impassibilitatis gratiam etiam in hac vita iam venerit. Filij autem Israël sunt qui vices Dei sibi principando gerunt.

Vers. 32.

CAPVT XXXIII.

Vers. 1. LEuans autem oculos vidit Esaü venientem, *& cum eo quadringentos viros: Diuisitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum:* * *& posuit vtrasque ancillas, & filios earum in principio: Liam vero & filios eius in secundo loco.* Erigit à terrenis spiritus intentionem, & prospicit carnis affectum his imminentem, & cum eo totius secularitatis præsumptionem. De quadringentis supra diximus latius. Discernit inter opera piæ actualitatis, & opera Balæ & Zelfæ, videlicet vetustatis & gloriæ inanis, & vitia ex vitiisque orientia quælibet in propatulo per confessionem ponit, quia *iustus* in principio *accusator est sui.* Lia, idest actiua, cum filiis, idest studiis suis in secundo loco, vt sic infra deseruiant proximo, vt superiùs intentionem deferant Deo. Rachel autem & Ioseph nouissimos ponit, quia Dei contemplationem sinceris & perfectis mentibus, quæ filium Ioseph, idest, fructum sempiterni augmenti semper spectat pertinere scit. * *Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius*: proficiens scilicet & ipse ad eandem contemplationem, & ad perfectæ visionis augmentum: septies, quod est & corpore, & anima humiliatur pronus ad solam vilitatis propriæ considerationem, quamdiu terrenæ superbiæ his affectus imminet. Quaternarium ad corpus, ternarium ad animam attinere sæpe diximus; quæ septem sunt.

Vers. 2.

Prou. 18. 17.

Vers. 3.

Vers. 4. *Currens itaque Esaü obuiam fratri suo amplexatus est eum, stringensque collum & osculans fleuit.* Carnalis voluntas feruori diuino occursus, idest obedientiæ reuerentiam exhibet. Amplexatur, cum dexteram prosperitatis leuámque aduersitatis intellectus arbitrio ingerit. Collum stringit, cum voces consiliorum eius sibi gratanter colligit: Collo enim vox emittitur. Osculatur, cum idem sapiens & sapientiæ saliuis tingi se patitur, & spiritus suauitate imbuitur. Flet verò, cum à noxio humore spiritu eodem torrente siccatur. *Leuatisque oculis vidit mulieres & paruulos earum; Quid, ait, sibi volunt isti? Et si ad te pertinent?* Leuat iam ab imis oculos animi, & videt quia iam non inuidet fœcunditatem piorum propositorum, & teneros adhuc effectus eorum disquirit; quid velint, per hæc studia sibi conquirere, & si ad aliquem intelligentiæ fructum pertinent: solet enim caro præsertim inter labores de præmio requirere. *Paruuli sunt, ait, quos mihi dedit Dominus seruo tuo*; idest virtutum exordia sunt licet infirma, quæ mihi dedit Deus, vt & tibi honestatem conquiram hîc & in futuro, præmia seruitute digna conquiram.

Vers. 5.

Vers. 6. *Appropinquantes ancillæ, & filij earum incuruantur*, idest de latebrarum recessibus vitia, cum suis effectibus ad confessionis lumen accedenti sub rationis iugo curuantur. * Lia cum liberis similiter adorat, quia & virtus actiua, & eius officia, sub rationis documento post vitij depressionem se ordinant, & extremi Rachel & Ioseph adorant, quia Dei contemplatio cum perfectæ visionis quod præstolatur augmento, quasi supremitas sanctitatum summæ se rationi humiliant. * *Quæ sunt*, inquit affectus, *ista turmæ*; idest virtutum congeries, quas obuiam, scilicet aduersas habui, quæ tibi causa agendi hæc incubuit? *Vt inuenirem*, ait intellectus, idest, inueniri facerem in conspectu, in acie videlicet considerationis tuæ non auaritiam, sed gratiam. * *Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi.* Ac si dicat. Frustra tantopere niteris, cum mihi multa honesta in voluntate suppetant, quæ ad vitam sufficiant, nec tot nouitatum ingestionibus quas penes te video egeam. Noli intellectus ita ab arrepto deficere. Sed si inueni iam semel in oculis scilicet, intentione tua gratiam, patere munusculum temperantiæ de manibus, quod est de operum meorum exercitio sumere. Sic enim cum intellectui pridem fauere cœpisti, vidi, idest acceptam habui faciem, notitiam videlicet tuam, qua à Deo nosci, idest approbari cœperas, quasi viderim vultum Dei, vt reuera planè intelligerem voluntatem Dei illapsam tibi. Vel vultum, idest seueritatem Dei te pertimuisse cognouerim.

Vers. 7.

Vers. 8.

Vers. 9.

* *Suscipe* ergò non quod æstimas detrimentum, sed *benedictionem*, idest multiplicationis augmentum. *Vix fratre compellente suscipiens*, vix scilicet rationi fauens, * *ait* (consuetudo est humanæ voluntatis citò quidem satis ad spirituale quippiam animari, citóque deficere) *Gradiamur simul*, pariter scilicet contendamus: *eróque socius* à modo desiderij tui. Appetere sanè quodammodo ire est. Ratio vero præproperum necesse est remoretur impetum.

Vers. 11.

Vers. 12.

Vers. 13. *Nosti Domine quòd paruulos habeam teneros, & oues ac boues fœtas mecum, quas si in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges.* Quod est dicere nosti ex nuperrima conuersione quòd infirma habeam primordia, & oues simplicitatum, bouesque discretionis (boues enim terram discutiunt) solo nunc primum bene agendi appetitu fœtantur, quas si plusquam vires exigunt coëgero agere, morientur fastidij defectu vna die; ipso scilicet suæ illustrationis initio vniuersæ piarum cogitationum congeries. * *Præcedat Dominus meus ante seruum suum; & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro posse paruulos meos, donec veniam ad Dominum in Seir.* Tuum est, inquit, præ cunctis animi motibus ire volendo, & ego grauitatis vsu probæ vestigia intentionis operando sequar, vti teneritudinem meam pati posse nouero, donec ad te, qui Dominus sanctis desideriis præeundo mens, & dux fore debueras, veniam in Seir, idest tibi vnanimiter consocier in asperitatis peccatorum tuorum confessione.

Vers. 14.

Vers. 15. *Dicit ei Esaü. Oro te vt de populo qui mecum est, saltem socij remaneant viæ tuæ.* Quia, inquit, vt tibi credam suggeris, si vt tibi obtemperem vis, saltem aliquos cogitationum minus noxiarum, operúmque secularium vsus studio tuo vel remissionis aliquantulæ causa permisce. *Non,* ait ratio, *necesse est;* hoc est, vnde nostrum melius leuetur fastidium: *Vno indigeo, vt inueniam in conspectu,* idest in tua *gratiam* prouisione diuinam. * *Reuersus est itaque Esaü illo die itinere quo venerat in Seir. Et Iacob venit in Socoth: vbi ædificata domo & fixis tentoriis, appellauit locum Socoth, idest tabernacula.* Carnalis appetitus luminis superni iam die fulgidus ijsdem deuotionis gressibus, quibus rationi conuenerat, singula quæque peccata vt gesta sunt, secum pœnitentialiter memorando reuertitur, donec superfluitatis, asperitatis, ac fœtoris sui cogitatione mactetur. Seir enim pilosus vel hircus dicitur. * Ibi ac si in domo perseueranter habitat: figit tentoria, radicatur caritate distenta, vocat loci statum tabernacula: quia in caritatis immobilitate, multus labor, multa est militia.

Vers. 16.

Vers. 17.

Vers. 18. Inde *transit in Salem,* quæ interpretatur perfecta, *vrbem Sichimorum,* quod est humerus, in quo intelligitur obedientia; cui supponitur humerus ad ferenda præceptorum onera, haud dubium quin ipsa patientia, quæ vrbs scilicet munitioni terna habetur *in Chanaan,* idest mutationis *terra,* in quo intelligitur morum conuersio integra. Chanaan namque dicitur mutata. Quod totum est. Profecit vsque ad Salem Sichimorum vrbem in terra Chanaan, planè ad perfectionem humilitatis & obedientiæ, quæ munimentum sola est, omnis virtutis reliquę & firmamentum morum mutationis factæ. *Postquam regressus est Iacob de Mesopotamia Siriæ: & habitauit iuxta oppidum:* idest vbi per vocationem sublimem, diuinam scilicet, eleuatur ab imis, & ad se spiritus noster regreditur, & in adiutorio altissimi, qui verè nobis opem dat, quasi iuxta oppidum habitat. * *emitque partem agri,* idest partem animi, qui ager cultu dignus est: scilicet ipsum carnalem affectum, qui animi pars inferior est: & in qua spiritualis militiæ tabernacula iam visceraliter fixerat. Emit, inquam eam *à filijs Hemor patris Sichem centum agnis,* expenso videlicet omnium pretio voluptatum abegit eam ab operibus carnis, quæ nil aliud quàm laborem in nobis procreabant: tamquam à filiis Hemor, quod est asinus, patris Sichem, quod est labor, vt secundum Deum ea vteretur, qua olim seculo vsus fuerat: quod totum centum agnis, idest perfecta humilitate ac simplicitate emeritum est.

Vers. 19.

Ibi erigit altare, quia fidem subleuat per adminiculum operationis iustæ. Inuocat super illud fortissimum Deum Israël, cum super illud ac si fundamentum innitens, vocat in se Deum fortissimum, non solum his, sed & aliis cum datur ab ipso efficacia principari cum Deo super vitia. Israël enim princeps cum Deo dicitur.

Vers. 20.

CAPVT XXXIV.

Vers. 1. *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Dina interpretatur iudicium istud. In quo, vel in qua accipimus discretionem, quæ & ipsa iudicium sæpe vocatur. Istud autem cum sit demonstratiuum, rem præsentem significat, & nil magis in promptu esse debet, quàm discretio semper necessaria. Hæc egreditur, cum ad aliorum discutienda infirma acta ducitur. Filia Liæ dicitur, quia actualis vita per hanc verè & rectè fœcunda inuenitur. Vbi enim nil discernitur, nil est vtique quod agitur. Mulieres regionis videntur, cum tepidi eiusdem nostræ religionis executores notantur. * Hanc videt Sichem filius Hemor Heuæi, quando sibi hanc allegit affectus, in quo prorsus laboratur inuidiæ, asini reuera pessimi filius, ex carnalium cupiditatum pessimo feruore progenitus. Hemor enim asinus: Heuæus pessimus vel ferus: Sichem labor dicitur. Ex feritate sanè corporalis concupiscentiæ, quæ asino signatur, innascitur contra alios labor inuidiæ, quæ pro certo nulla fruitur quiete. De hac enim dicitur, quòd *Iustius inuidia nihil est, quæ primitur ip-*

Vers. 2.

ſum, Auctoremque rodit, diſcruciatque ſuum. A Ad hoc planè ſciendæ aliorum qualitati inhiamus, vt cum næuos vitiorum in eis reperimus, honorem inde nobis creuiſſe putemus, quia inferius hos videmus. Princeps eſt Hemor terræ Heuæorum, quia aſinina & ſtolida cupiditas feritati omnino principatur terrenorum. Qui autem cupiunt, inuident profectò aliis quod cupiunt. Adamat Sichem Dinam, quia affectat labor inuidiæ diſtrahere ab animo ſui ipſius diſcretionem. Rapit cum aliorum ſibi vitas diſcutere dulce ſapit. Dormit cum illa vi opprimens virginem, dum illi vnanimiter miſcetur intentionis adimendo ſinceritatem. Adamat etiam per ſuggeſtionis ſuſceptionem, rapit per conſenſum, dormit per actionis illationem. Hoc enim ſyllogiſmo vtitur.

Verſ. 3. Conglutinatur anima eius cum ea, cùm ipſa liuoris intentio, quod eſt ex aliorum infamia ſui ipſius prouectio, quæ quaſi quædam inuidiæ animâ eſt, medullitus adhæret diſcretioni noſtræ. Triſtem blanditiis delinit, cum cœpti vitij pœnitentem aliquando ex alterius probro nata ſibi laude ſolatur, & vngit. * Patrem Hemor rogat, vt ſibi hanc coniugem accipiat, cum cupiditatum libidines admouet, vt miſeram animam lenocinando ſibi vinciat. *Verſ. 4.

Verſ. 5. *Quod cum audiſſet Iacob abſentibus filijs, & in paſtu occupatis pecorum, ſiluit donec redirent.* Ratio noſtra hanc ſui corruptionem intelligit operibus per inanes glorias, quæ quidam foraſticorum ſenſuum paſtus ſunt, his enim pecorum ſimiles ſumus, vbique diſtractis, ſed ſilentio à cupiditatum ſtrepitu facto redeunt. * *Egreſſo autem Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, & * ecce filij eius veniebant de agro: auditòque quod acciderat, irati ſunt valde, eo quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſraël, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetraſſet.* Facto ſilentio Hemor egreditur vt ad Iacob loquatur, quia conſopitâ turbâ mentis cupiditas carnalis quietis impatiens diu ſilere non patitur, ſed rationem aggredi cupiens euagantium operum reditu ac reſtrictione offenditur. Opus quod accidit, audiunt, & iraſcuntur, cum ratio memor veterum laborum, ex ipſis operibus docetur quantum contra fœditatem internæ conſtuprationis, me merita operum perdat, & dolere debeat, cum diſcretio rationis filia ad totius lepram generis vitietur. *Verſ. 6. *Verſ. 7.

Verſ. 8. *Loquitur itaque Hemor ad eos: Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ. Date eam illi vxorem, * & iungamus viciſſim connubia.* Hemor loquitur ad filias, cum fluxus cupiditatum ad euertendos inſtat actus noſtros. Inuidia, inquit, ſecularis cohæſit ſubtiliter, & vt ſic dicam intentionaliter diſcretioni veſtræ. Hoc enim ſignat quod non corpus ſed anima adhæſiſſe dicitur. Ita medullitus illapſa eſt, vt dirimi à mente nequeat; vnde nil aliud reſtat, niſi vt copula vtrorumque conſenſu fiat; vt eam qua carere non poteſtis excipitis gratanter inuidiam, cuius vtilem experiamini prudentiam. *Filias veſtras*, ideſt ſi quid fluxum & fragile vobis ineſt, *tradite nobis* in pecus alendum; *& filias noſtras*, ſi quid itidem molle à nobis infertur *accipite:* * *Et habitate* irrefragabili tenore *nobiſcum.* Terra ideſt corpus veſtrum in poteſtate liberi arbitrij veſtri eſt, exercete ad voluptates, negotiamini incertitudinem ſpiritualium pro viſibilibus dantes; poſſidete eam ad libitum eo vtentes: * *ſed & Sichem*, ideſt inuidia voces ſuas habet: *Inueniam gratiam coram vobis, & quæ ſtatueritis dabo*, ſcilicet vobis ingrata non ero, quia multo maiora vobis quam vlla patientia præſtare potero. * *Augete dotem*, quid planè pro mea admiſſione commodi capeſſatis munera poſtulate, quæ conſequi ſeculariter velitis edicite, ſatius vobis hæc tribuam, quam aſſequamini per religionis ſocordiam. *Verſ. 9. *Verſ. 10. B *Verſ. 11. *Verſ. 12.

C *Reſponderunt filij Iacob Sichem & patri eius ſæuientes in dolo ob ſtuprum ſororis: Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum & nefarium eſt apud nos.* Ratio ex præteritarum memoria virtutum vires colligit, vnde & ſcriptura filios feciſſe, ideſt opera, dicit. In dolo ergò reſpondent, quia multò maiora contra vitium facere interiùs proponunt, quàm exteriùs per opera exhibent. Diſcretionem aiunt noſtram ſinceritati deuotam liuoris incontinentiæ prodere nefarium remur. * *Sed in hoc valebimus fœderari*, ſi noſtræ volueritis parſimoniæ aſſimilari, vt omne maſculinum, omne videlicet ſuperbum, per quod ſingulariter inuidia gignitur, præcidatur à vobis. In quo fidelis ille dolus eſt, quia ſi à cupiditate audacia, à ſuperbia propellatur inuidia, ſtare poterunt neutra; quod tamen fieri non valet; quia ſicut ab igne calor non diuiditur vt ignis ſit, ita à cupiditate ſuperbia inuidiàque ſolita præſumptio non ſeparatur, quin in ipſo vitio ſit, & vitium ſit. * Tunc inquit, copulari debita vnanimitate valebimus cum puritati vos inſtare ſenſerimus. * Sin aliter, diſcretione diuulſa à veſtro contagio, dirimemur. * Placet oblatio patri & filio, & ſtatim circumciditur, quia vitiis ad horam ſolitum eſt, vt virtuti doloſè ſubdantur. *Amabat enim puellam valde, & ipſe erat inclytus in omni domo patris ſui.* Valde puellam amat, quia diabolus per inuidiam, pulchritudinem diſcretionis fœdare ſe immergendo præcipuè affectat. Is enim inuidentiæ motus inclytus, ideſt inter vniuerſa Verſ. 13. D *Verſ. 15. *Verſ. 16. E *Verſ. 17. *Verſ. 18. & 19.

vitia præcognitus est, etiam in domo patris sui, illa scilicet cuius filia, quam concupiuerat Rex, cum populo suo obliuisci iubetur; patris enim diaboli est inter vulgares enim valde execrationi habetur.

Psal. 44.12.

Vers. 20. & seq. *Ingressique portam vrbis locuti sunt populo. Viri isti pacifici sunt*; vsque ad hoc quo dicit, * *efficiemur vnus populus.* Portam vrbis ingrediuntur, cum vitia se ad conscientiæ examen adduci, quasi æquanimiter ad momentum patiuntur. Porta iudicium signat; quia in portis antiquitùs res dubiæ ventilabantur. Exempla satis supérque suppetunt. Populo loquuntur quia subdolosè interim paci instituendæ fauere, & strepitui mentis sedando videntur. Virilis inquiunt & honesta hæc atque pacifica continentia, feratur degere nobiscum in terra corporis, negotij, & exercitij sui lucra quærat, ipsum enim corpus spatiosa, & lata sectans, cultu quo hæc recidantur eget: filias, idest fluxa eorum desideria nobis apponemus, & quælibet nostrarum partium lasciuia & mollia, rationalibus animi motibus ingeremus. Vno tantum bonum nobis euenturum differtur, si scilicet circumcidamus ad præsens masculos, idest temerarios incursus nostros paulisper, sed non diu constringamus; Ritus & instituta mentis ipsorum nos imitari simulantes, & sic fiet vt sensim animis illabentes intentionem (quæ quasi substantia est, quia ac si fundamentum substat) & pecora, piæ scilicet custodiæ opera, omnia insuper vitia, aut ipsum corpus, quod ipsæ rationes possidere videntur, nostro paulatim imperio addicentur.

* al vnum efficiamus populum.

Vers. 24. *Assensi sunt omnes circumcisis cunctis maribus.* Silent ad tempus vitia, sopitis apertè præsumptionis motibus. * *Et ecce tertio die quando grauissimus dolor est vulnerum, arreptis duo Iacob filij Simeon & leui fratres Dinæ gladiis ingressi sunt vrbem confidenter: interfectisque cunctis masculis*, * *Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.* Prima dies suggestio, secunda delectatio, tertia consensus dicitur. Dies autem tunc sunt quando per intelligentiam discernuntur. Postquam ergò gradatim vitium incipit erumpere, cum ad consensum iam deprehenditur velle prodire, per auditionem tristitiæ (sic enim interpretatur Simeon) & per assumptionem virtutis internæ, (nisi enim bene contra vitia contristemur, nunquam à Dei spiritu assumimur) gladios internæ & externæ discretionis recipimus. Leui autem dicitur assumptus. Sine auditu vero tristitiæ, idest sine propriæ cognitione miseriæ, non assumptio fit iustitiæ, quam non tàm assumimus, quàm ab ea assumimur, idest fortiter tenemur, quæ quadam germanitate prorsus necessaria iunguntur Dinæ, idest discretioni nostræ. Ingrediuntur hæc vrbem conscientiæ & exurgentis iam audaciæ consumptis motibus cupiditatem & inuidiam pariter necant, Hemor scilicet & Sichem, & de prauo contubernio eruunt discretionem.

*Vers. 25. *Vers 26.

Vers. 27. *Quibus egressis* per indultæ sibi à Deo potentiæ licentiam, cæteri filij Iacob super occisos irruunt, idest reliquæ virtutes animi subacta vitia victrici actione operiunt; & vrbem conscientiæ à strepitu solito desolantes, corruptionis damna compensant. * Oues improuidentiæ & fatuitatis, & armenta hebitudinum, vel curiositatum, his planè ac si armis contegimus nobis ipsis vitia nostra: asinosque libidinum, & omnia quæ in domibus, & in agris; in mentibus scilicet & forensibus exercitiis erant. * Paruulos & vxores, idest cœpta iam opera, & operum delectationes vtraque duxere captiua, sublatâ in mortali corpore regnandi potentiâ. *Quibus patratis audacter, dixit Iacob ad Simeon & Leui.* Vbi viuaciter peccatis obsistitur Iacob, idest ratio humanitus acta, & auditionem tristitiæ, & assumptionem gratiæ quasi in his perseuerare nequeat, cœpisse se improbat. *Turbastis me*, idest turbam contra vitia mihi mouistis; *& odiosum me fecistis Chananæis & Pheresæis habitatoribus terræ*: quia videlicet negotiis animi à terreno pene desiderio numquam feriati, & stupori ad mala semper prauæ carnis finem posui, vos inquam motus spirituales auctores huius estis odij. Chananæus nempe negotiator. Pheresæus dicitur stupens. Negotium enim perambulans in tenebris, & reprobi sensus vel ponderositatis corporeæ stupor terrę inhiant. *Nos pauci sumus.* Quia virtutum paruus ad vitiorum comparationem est numerus. Illa ergò congregata quæ expugnare cœpistis frustra, percutient me & delebor ego, & domus mea, hoc tantillum quod boni habebam exterius delebitur, & domus conscientię depopulabitur. Sed virtus rationalitatum diuinitùs erecta dicit: * *Numquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?* Idest, numquid prostituenda est cuilibet peccatorum sordi discretio nostra, ex matre quę nos protulit ratione proles eximia?

*Vers. 28. *Vers. 29. Vers. 30. *Vers. 31.

CAPVT XXXV.

Vers. 1. INterea mentis certamina desipientem Deus alloquitur interius Iacob. *Surge, & ascende Bethel & habita ibi, facque altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esaü fratrem tuum.* Quod est dicere. Erigere ab imis cogitatibus & vsquequo fias domus Dei, quod est Bethel, prouehere virtutibus, & fac altare

altare bonæ voluntatis Deo, qui tibi inclaruit vt affectum carnalem effugeres, in quo piorum actuum sacrificia immoles. * *Iacob verò conuocata omni domo sua, ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Post altaris erectionem quam proposuerat, domum conuocat, quia morum ac totius cogitationis dispersiones frænat. Abiicite, inquit, ea, quibus tanquam simulachris inseruiebatis, vitia quæ in medio vestri erant, idest, thronum regni in vestra mente tenebant, & mundamini in conscientia, ac mutate operum integumenta. * *Surgite ascendamus in Bethel*, vt supra positum est. * *Dederunt ei Deos alienos quos habebant*, idest vitia obtulerunt rationi consumenda. Dederunt enim dicitur, non restiterunt; Deos autem crimina dici, testis est Psalmus. *Si audieris*, inquit, *me non erit in te Deus recens*. Inaures autem Deorum sunt obedientia, qua peccatis obtemperabatur. At ille infodit ea subter Therebintum, quæ est post vrbem Sichem. Postquam Sichem, idest inuidentiæ laborem postponimus Deos, idest crimina cum eorum inauribus, videlicet obeditionibus, subter amplitudinem fragrantiamque caritatis abscondimus; Therebintus enim lata & odorifera arbor est.

Vers. 2. Vers. 3. Vers. 4. Psal. 8. 10.

Vers. 5. *Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi prosequi recedentes.* Cum ad Deum proficiscimur sensus exteriores, quibus indita sunt liuor & cupiditates, qui etiam in nostri circuitu quasi quædam sunt positi ciuitates, Dei timore premuntur, nec audent vim inferre cum eorumdem desideria respuuntur. * *Venit ergò Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel; ipse & omnis populus cum eo.* Luza dicitur amygdalum. Bethel domus Dei. Chanaan mutata. Iacob ad amygdalum venit, cum spiritus noster per passiones, & amaritudines corporales, ac si corticis ad internæ dulcedinis nucleum pertingit; quod tamen in terra, idest in mente iam cultibili ac mutata fit, mutata videlicet ad hoc, vt fiat domus Dei. Et omnis populus cogitationum non iam contra eum, sed cum eo, in eius scilicet adminiculo est. * Altare ergò ibi ædificat, quia sanctæ voluntatis in ipsius mutationis proposito statum fundat. Domum Dei appellat, quia piam affectionem solummodò aptam ad Deo manendum æstimat; ibi enim, idest per hanc inclaruit eidem Deus, cum carnalem timeret affectum.

Vers. 6. Vers. 7.

Vers. 8. *Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta ad radices Bethel subter quercum: Vocatúmque est nomen loci; Quercus fletus.* In hac ipsa piæ intentionis temperie, moritur carnalis stimulus, qui quidem dulcedinem præfert more suggestionis, sed amaritudinem habet quam maximam in extremo per effectum criminis. Debbora námque dicitur apis: vnde Boëtius.

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par volantum
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

De consolat. Philos. lib. 3. metro 7.

Hæc stimulatio nutrit Rebeccam, idest patientiam, quia talibus exercitata coalescit. Ad radices Bethel sepelitur, quia sub diuino timore, qui radix domus Dei est, constabiliendæ reconditur. Subter quercum ponitur, dum perpetua negligentia, & aggresti quadam despicabilitate deprimitur. Talis arbor nusquam nisi à porcis petitur. Sed quia hanc solus pœnitudinis debet dolor inuisere, Quercum fletus placuit appellare.

Vers. 9. *Apparuit autem Deus iterum Iacob, postquam reuersus est, de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei, * dicens: Non vocaberis vltra Iacob, & appellauit eum Israël.* De Mesopotamia Syriæ, idest de vocatione, quæ nos ab imis eleuat, & sublimibus infert, ab inuidiæ finibus habet spiritus noster reuersionem, vbi iterum per gratiæ amplificationem & per contemplationis illustrationem Deus sibi apparet, vt in prima apparitione corrigatur, in secunda quæ amissa fuerat gratia reparetur. Non, inquit, vltra vitiorum luctaminibus iactaberis, quod est, Iacob vocaberis, sed Israël erit tibi nomen, idest virtutum potentia cum Deo principaberis * *Ego Deus omnipotens* & cætera. Quod est dicere: si omnipotentem me credis, ne diffidas gentes, & populos nationum ex te futuros. Gentes scilicet vitiorum, & populos sponte mentibus innascentes, quæ tamen quia omnipotens à te credor superabis. Cresce ergò spei altitudine, sed prius multiplicare beneficiis. Reges enim rationabilium motuum de lumbis tuis egredientur, idest de tuarum insita origine voluptatum carnalitatem excedendo procedent; * & terrenitatem tuam sicuti Abrahæ & Isaac, idest rationi & æternorum spei subiici debet, tibi subiiciam, & semini tuo, his scilicet qui te imitabuntur. * *Et recessit ab eo*, eum scilicet proprio dimittendo arbitrio.

Vers. 10. Vers. 11. Vers. 12. Vers. 13.

*Ille verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum: * vocansque nomen loci illius, Bethel.* Titulus lapideus erigitur in loco quo Deus apparuit, cum lumen humilitatis, qua nil est firmius, in mente, cui Deus ac si speciali loco suo infulgere consueuit, solidatur. Libamina & oleum hîc fundimus, cum tali fundamento & orationes imponimus, & oleum diuinæ gratiæ nobis infundi humilitatis ipsius merito obtinemus.

Vers. 14. Vers. 15.

Vnde sic viuere, domum profectò Dei esse censemus. * *Egressus autem, venit verno tempore ad terram quæ Ephratam venimus.* Egredimur verno tempore, cum fines desideriorum carnis excedimus, diuini spiritus nobis infuso calore. Ad terram quæ ducit Ephratam venimus, dum ad soliditatem animi, qua ad frugiferam diuinæ venitur cognitionis, regionem pertingimus. *In qua cum parturiret Rachel,* * *ob difficultatem partus periclitari cœpit.* Rachel parturit, cùm ad veram, quæ Deus est, frugem virtus contemplationis inhians, cum difficultate magna, & periculosa etiam aliquando defatigatione animi, visionis internæ effectum assequi cupit. Sed obstetrix quæ nostris solet obstare periculis, scilicet ratio, mentem ne timeat hortatur, quia ne à cœpto refugiat, de æterni fructus quasi de filij futura animum si perseuerauerit possessione solatur.

[*Vers. 16.] [*Vers. 17.] [A] [B]

Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, idest filius doloris mei. Cum nos Deum contemplandi deuotio vrget, præ dolore, quia panem vitæ mens attingere non præualet, anima egreditur; necesse est enim vt animalis sensus à corde exuatur, & seculi desideriis in quantum præualet, moriatur; vnde ab ipsa matre, scilicet caritate, quæ inter virtutum, quibus insudat fœtus ingemiscens parturit vsque adhuc, tantæ grauitudinis effectus, vocatur doloris filius, sed diuinus intellectus, cuius tamquam veri patris sincero semine caritas imprægnatur, filium dexteræ hunc appellat, quia quicquid sub ipso per caritatem geritur, dexteræ æterni Regni militat. * *Mortua est Rachel & sepulta in via quæ ducit Ephratam.* Quia opus est, quantum ad seculi ambitum spectat, mori animam, visioni Cōditoris intentam, & sepeliri, idest abscondi à forensi strepitu, in Christo, qui est via: cōsepultis enim ei, datur frugiferæ regionis, eius videlicet diuinitatis pascua. Ducunt autem ad hanc conformitatis ipsius vestigia, vbi propriè Bethel est, domus profectò Dei vera.

[Vers. 18.] [C] [*Vers. 19.] [D]

Erexitque Iacob titulum lapideum super sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti Rachel vsque in præsentem diem. Iacob titulum super sepulchrum Rachelis erigit, cum inter moriendū seculo ipsa speculationis virtus, quam habet introrsum, etiam exterius claritatem humilitatis ostendit. Titulus autem à græco nomine dicitur, quod est Titan, idest sol. Is titulus monumenti pertingit vsque in præsentem diem, quia humilitas ista sempiternam meretur memoriam, quæ in illa indefectiua die, quę Deus est, constat, cuius diffugit nemo præsentiam. Lapideus autem dicitur, vt soliditas, durabilitas, eiusdémque pondus notetur. * *Egressus inde fixit tabernaculum trans turrim gregis.* Turris gregis excellentia est, indiuisæ & vnanimis in Deum cogitationis. Egredimur verò inde, cùm euicta passionum corporis quasi partus difficultate, progredimur trans turrim, gregis tabernaculum figere, idest vltra omnem imaginariam, & quasi gregariam vim, in ipsum Deum aciem spiritualis animi porrigere.

[Vers. 20.] [E] [*Vers. 21.]

Cúmque habitaret in illa regione, abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui: quod illum minimè latuit. Ruben dicitur videns in medio. Bala inueterata. Cum in supernæ visionis nobili illa regione moramur, rectitudo intelligentiæ nostræ, quæ nec ad dexteram, nec ad sinistram deuians media tenet & prouidet, quæ per Ruben signatur, à pio contuitu abit, & in aliqua veterum, idest temporalium rerum voluptate torpescit; quæ concubina patris dicitur, quia ipsius intellectus, qui rex & pater nobis est, auctoritas erga hanc adulterinè nimis afficitur; qui tamen incursus patrem minimè latet, quia fluxus sui fœditas spiritui luce clarius patet, & tamen à dignæ vltionis animaduersione silet. * *Venit etiam Iacob ad Isaac patrem suum in Mambre, ciuitatem Arbeæ, hæc est Hebran: in qua peregrinatus est, Abraham & Isaac.* Spiritus noster ad Mambre ciuitatem Arbeæ venit, cum ad diuisionem, idest discretionem temporalitatis huius, quæ quaternitate signatur, quæ reuera maximi ciuitas munimenti est, accedit; & quidquid transitorium est amare, certam miseriam esse intelligit. Mambre enim diuisiones. Arbeæ, quatuor sonat. Hebron verò participatio tristitiæ dicitur. In Hebron ergò peregrinatur Abraham & Isaac, quia ipse intellectus & spes interni gaudij quam habemus, dum proprij recolit incolatus ærumnam, quamdiu in corpore agitur, numquam non habitat tristitiæ participationem.

[Vers. 22.] [*Vers. 27.]

Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. * *Consumptus ætate mortuus est, & appositus populo suo senex & plenus dierum.* Per centum annos plenitudo virtutis exprimitur, per octogenarium, qui quaternarios præfert, temporalitas accipitur, quæ in his qui cœlesti lętitię inhiantes sunt. Isaac centenarij quasi luminum perfectione transcenditur. Ætate Isaac consumitur, & moritur, cùm carnis gaudio ad integrum demolito, spes omnis nostra quantum ad seculum interimitur. Plenus dierum populo suo apponitur, cum plena mens virtutum luminibus, cœlesti populo, specialiter suo conformatur. Et sepelierunt eum Esaü & Iacob filij sui, intellectus videlicet & affectus, quæ gignuntur ex mente tripudiis intenta cœlestibus, postquam præter Deum nil sapere, non aliunde affici gaudent, mentem ipsam, de qua prodeunt, à seculi molestiis contutant intra se & abscondunt.

[Vers. 28.] [*Vers. 29.]

Explicit Liber octauus.

INCIPIT LIBER NONVS
MORALIVM IN GENESIM.

NONNE auctorem in ſcripturarum diſquiſitione profiteor; ſed ſanctorum regulas pia fide conſectans, ſi quid vtile ibidem reperire contigerit, pijs humilium & diſcere volentium deſideriis mea ſecundum Deum ſenſa propinans, differere quæ ſequuntur intendo. Id enim proximis debeo. Exſibilet qui vult iſtud & rideat, & veluti ad nouitatem Saülis prophetantis inſultet, dum modo vni ſaltem cuilibet profutura cantemus. Sequitur ergò.

Prætermittitur cap. 36.

CAPVT XXXVII.

Verſ. 2. IOſeph cum ſedecim eſſet annorum, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer, cum filiis Balæ & Zelfæ vxorum patris ſui. Ioſeph, qui interpretatur adaugens, ſpiritum noſtrum ſignificat, qui ſemper augmentis ſpiritualibus inſtat. Sex & decem eſt annorum, dum exteriorem interioremque hominem (Gen. 1. 27.) (ſexta enim die factus eſt homo in animam viuentem) diuinæ legis denario ſubiicit, ob aſſequendam plenitudinem myſticorum annorum. Paſcit gregem adhuc puer cum fratribus ſuis, dum cogitationem ſub diuino timore conſtrictam, in primis adhuc prouectibus poſitus ſupernæ aſpirationis & diuini eloquij pabulo alit, cum aliis ex eadem genitis mente virtutibus, vel cum fratribus ſuis, carnalibus ſcilicet motibus, qui ex Bala & Zelfa, ideſt ſeculari vetuſtate, & inſtinctu inanis gloriæ, oriuntur. De vtriſque ſupra ſatis diximus; hæc enim præcipuè, ſcilicet mundana voluptas, & cenodoxia proficientibus infeſta ſunt: Nam vtraque patris noſtri, ipſius videlicet intellectus legitimo coniugio ſed non legitimè abuſa ſunt. Vnde & vxores dictæ ſunt, ſicut & quinque viri Samaritanæ dicti ſunt. *Accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo.* Nam penes intellectualitatem motus carnales, qui ex eadem mente gignuntur, criminis arguere, proprium eiuſdem intellectus eſt. Ipſe enim ad ſe carnis ſubiectæ defert quæſtiones. Nempe iſdem thronus eſt, ideſt iudex, qui præſidet thronio. Peſſimum autem eſt quod Deo ſcienter aduerſatur.

Verſ. 3. *Iſraël autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum: fecitque ei tunicam polymitan.* Spiritus noſter in quantum cum Deo principatur: Iſraël enim princeps cum Deo interpretatur, Ioſeph, ideſt æterni augmenti deſiderium, pluſquam omnes filios, opera ſcilicet ſua diligit, quia vbi non eſt prouectûs votum, facilem habent, ſi ſunt ibi bona aliqua, motum. In ſenectute námque is gignitur, nam deferueſcente concupiſcentiarum æſtu, ac præſumptionis iuuenilis rigore, talis auiditas comparatur. Tunicam polymitam, ideſt multicolorem ei fecit, quia vitam diuerſis virtutum generibus inſtitutam ſpiritus ipſe ſibi compoſuit. Poſſumus etiam per Ioſeph intelligere religionis affectum, qui ſemper nititur ad profectum. * *Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificum loqui.* (Verſ. 4.) Quò enim ſpiritus noſter pietatis deſiderio & cultui magis inſtiterit, tantò magis frequentia carnalitatum quaſi in eius odium inſurgit. Nil pacificum loquuntur, quia ſemper contra interioris hominis quietem feruntur.

Verſ. 5. *Accidit quoque vt viſum ſomnium referret fratribus ſuis: quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit.* Somnium refert fratribus, dum ea, quæ à foraſticis dormiendo, & ad interna vigilando ſpiritualiter ſentit, motibus ex ſua corruptibili natura prodeuntibus obiicit; vnde maiore eos rabie accendit, quò arctiùs reſtringit. * *Putabam nos ligare manipulos in agro; & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum.* (Verſ. 7.) Ac ſi diceret, vos vobis animi imperium indebitè arrogatis, ſed ego putabam quod & verum eſt, nos pariter noſtrorum fructus operum ſub Dei timoris diſciplina reſtringere debere, ſed tamen me rationem obprobrij dignitatem officij præcellere, & pro vobis iacentibus vbique voluptatum decertare, & me præuia ad idem prælium debere vos aſſurgere, & veſtræ ceruicoſitatis mihi colla curuare. * *Numquid*, inquiunt, *Rex noſter eris? aut ſubiiciemur ditioni tuæ?* (Verſ. 8.) Ideſt quomodo fieri poteſt, vt tot concupiſcentiis corporeæ neceſſitatis extinctis, ſolus ipſe domineris?

Verſ. 9. *Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium quaſi ſolem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare*

me. Si Ioseph, vt prælibauimus, bene agendi appetitum accipimus, ad augmentum enim spirare proprium est eius: solem intellectum, lunam voluntatem dicimus; quia sicut luna à sole, sic voluntas illustratur à ratione. Vndecim stellas interiores exterioresque motus intelligimus, & quia vndenarius ex sex & quinque constat, senarium ad bonæ voluntatis perfectionem, quinarium ad sensuum corporis mobilitatem conferimus. Senarius enim omni sua parte solidus stat, quinarius minimè. Vnde & ex inæqualitate vtraque vndenarium, qui transgressionem signat, efficiunt. Velle enim adiacet, sed exterioris hominis membra præpediunt. Hæc omnia autem adorant pietatis affectum, quia & ratio, & voluntas, interiorque, & etiam velit nolit exterior homo specialiter optat, & precibus Deo datis sancti appetitus præstolatur augmentum. Aut quia adorare dicitur iuxta orare, iuxta Ioseph, idest augmentum orat, qui nil à Deo nisi sanctitatis incrementum postulat. Voluntas & affectus, cum pia sunt, licet vnum esse videantur, non sunt, quia de multis bene afficimur, sed ab his quæ rationi iunctior est, voluntate retrahimur. Locum enim tempúsque discutimus & cætera quæuis attendimus.

Vers. 10. Pater eum increpat, quia agilitatem pij affectus, grauitas intellectualis fragilitatum timida, ne præproperè quid aggrediatur, retardat. *Num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram?* An ego, inquit, à quo semen diuinum matri tuæ, bonæ scilicet voluntati ingeritur, sine hac enim reprobum est, quod gignitur, & ipsa mater tua quæ te in quantum verè es parit, interníque, & externi motus addici poterimus tibi, in tantum vt sis super terram, nulla profectò ambiendo nisi supernæ vitæ eminentiam?

* Vers. 11. * Fratres ergò, idest spinæ ac tribuli, qui ex terra cordis cum bona fruge nascuntur, inuident; pater verò intellectus interiùs exteriúsque à negotiis tacendo rem considerat, dum proposito instat.

Vers. 12. *Cúmque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem*, & cætera. Fratres isti non gregem, sed greges discordiæ ac diuisionis cogitationes pascunt, idest, crebris repertis auaritiæ, superbiæque, vel inuidiæ occasionibus nutriunt. Qui greges patris etiam dicuntur, quia cogitatus dispersiones vsque ad intellectus vexationem peruenire noscuntur. Sichem dicitur humerus, vel labor. In Sichimis ergò morantur, dum curarum sarcinis iniquæ sufferentiæ humeros supponentes, vt sic dicam, sub mortifero labore quiescunt. * Dicit ergò pater.

* Vers. 13. *Veni mittam te ad eos.* Redi, inquit, à discersione tua, vt dirigi possis contra cogitationum vitia, & pietatis appetitu suam non differente præsentiam. * *Vade*, ait, *& vide si cuncta prospera sunt circa fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur.* Vade per directionem intentionis, & videbis postmodum per aciem discretionis, an animalitates tuæ, dum seculi bona capessunt, gaudere aliqua interiori prosperitate possunt. Inter fratres hoc differt, & pecora, quod sunt aliqua vitia quasi ratione sese tuentia, quædam omnino bestialia. Porrò quid agant fratres renuntiat, cum æstus sancti desiderij ad examen intellectus quæstus suos aut damna reportat.

* Vers. 14.

Missus de valle Hebron, venit in Sichem. Hebron augmentum sempiternum, vel visio sempiterna dicitur. Mittitur ergò Ioseph, idest appetitus augmenti, de mentis humilitate, per quam perpetuum sperat augmentum, & de visione Dei, qua per fidem & amorem sub spe sempiternitatis iam hîc fruitur, ad consideranda illa in quibus caro libenter versatur negotia: sed venit in Sichem, quia quæ discernere solummodò & discreta abiicere debuit, in his demorando aliquotiens quadam detinetur inertia, & humerum supponendo pari laborat miseria. * *Inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret.* Vir ipse intellectus est, qui affectum per agrum idest per mundana euagantem, de suo errore inquirit. * *Fratres meos*, ait, *quæro, indica mihi vbi pascunt greges.* Ac si dicat; dum carnalitatis meæ excessus discutio me ipsum pariter excessisse video: tu ergo si virum sapis, indica mihi fœditatem huius vecordis & incompositæ pastionis. * *Recesserunt*, inquit, *de loco isto: audiui autem eos dicentes: eamus in Dothaim.* Dothaim dicitur, viride eorum, vel pabulum eorum, vel sufficiens defectio. Postquam spiritualibus addicti sumus vitiis, ab horum labore recedentes, ad carnalem defluere gratius habemus voluptatem, quod significat iocunditas viriditatis, quod pabulum est eis, non tamen refectio, sed sufficientia totius internæ defectionis.

* Vers. 15. * Vers. 16. * Vers. 17.

Vers. 18. *Pergit post fratres suos & inuenit eos in Dothaim*, dum sola eos prosequens consideratione reperit eos deficere in terrenis desideriis. * *Qui cum vidissent eum, antequam accederet ad eos, cogitauerunt interficere eum:* * *& mutuò loquebantur: Ecce somniator venit.* * *venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam hanc veterem: dicemúsque, fera pessima deuorauit eum.* Vident Ioseph fratres, cum euidenter inuident pio affectui motus animales. Antequam accedat cogitant occidere, quia antequam per effectum errori assentiat, per nequam affectum disponunt subruere.

* Vers. 18. * Vers. 19. * Vers. 20.

Ecce, aiunt, is qui visibilia respuens inuisibilibus animi aciem porrigit, & quasi somnio viuit: ô vos carnalium congeries delectationum venite, hunc vobis addicite, atque in antiquum chaos, reprobum scilicet sensum, quod est, vetus cisterna, carens diuinæ intelligentiæ aquis, quò quondam ante conuersionem turpiter se egerat proiicite, & à fera pessima, idest à repentina & improuisa tentatione aliqua consumptum, & euictum dicite; vel diaboli factum violentia perhibete. Solent námque ad excusandas excusationes in peccatis ipsi peccantes ista obtendere. *Et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*: idest quid fatuitatis sit pro inuisibilibus dimittere visibilia, pro incertis certa. Somnium enim est ea, quæ oculis non videntur, dormiendo attendere. *Ego ait dormio & cor meum vigilat.* (Cant. 5. 2.)

(Vers. 21.) *Audiens hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum.* (*Vers. 22.) * *Non*, ait, *interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem: sed proiicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine nanúsque vestras seruate innoxias: hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.* Ruben qui dicitur videns in medio, discretionis vis est, irreflexæ directionis intendens meditullium, quæ dum pij affectus, idest intelligit periculum nititur liberare de carnalium potestate libidinum: Non, inquit, anima capitali aliquo crimine perimatur; quod est sanguinem fundere, fluxum scilicet carnalitatis laxare, sed ad cisternam, vitæ videlicet pristinæ secularis foueam, quæ à Deo habitatore patitur solitudinem, tantummodò animi sectantes inertiam deducite, non ad culpam actualem fœdi cuiuspiam criminis deuoluite. Facilius sanè à segnitie mentis exurgitur, quàm culpæ perpetratæ ruinâ emergitur. Sic nempe versuta discretio per minus maiore vult carere exitio, donec patri restituatur, idest, intellectui plenariè suo.

(Vers. 23.) *Confestim igitur vt peruenit ad fratres, nudauerunt eum tunica talari & polymita* : (*Vers. 24.) * *miseruntque in cisternam, quæ non habebat aquam.* Ad fratres peruenit, cum ad carnalis titillationis effectum se inserit. Tunica talari & polymita nudant, cum virtutum varietate in qua perseuerare decreuerat (hoc enim talis significat) expoliant. In cisternam sine aqua mittunt, cum in pristinam vitam in qua nulla spiritualitatis scientia est, retrudunt. (*Vers. 25.) * *Et sedentes vt comederent panem, viderunt viatores Ismaëlitas venire de Galaad, & camelos eorum, portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum.* Sedent vt panem comedant, quia statu rectitudinis amisso, remissè agunt, vt se temporali iocunditate reficiant. Panis enim hoc significat, vt est: Abominabilis fit ei panis in vita sua. (Iob. 33. 20.) Ismaëlitas obedientes sibi interpretamus. Viatores autem dicuntur qui per viam, quæ Christus est, ambulare videntur, sed tamen sibi obediunt, quia non Dei sed suam in his exhibitionibus laudem quærunt. Hos venire de Galaad vident, quia de aceruo testimonij, idest de frequentia sanctorum, qui se operibus ad electos pertinere testantur, per exempli traductionem descendere specie tenus censent. Cameli eorum portant in Ægyptum; cum corpora quæ ob sui pondus cameli vocantur, quia aggrauant animam, bona quælibet quibus non ad Dei honorem, sed ad seculi ostentationem redolent solummodò extrinsecus præferunt: Ægyptus enim seculum signat, vnde est: Non abominaberis Ægyptium. (Deut. 23. 7.) Odoramenta vero forinsecas virtutes insinuant.

(Vers. 26.) *Dixit ergò Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum & cælauerimus sanguinem ipsius?* (*Vers. 27.) * *Melius est vt vendatur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim & caro nostra est.* Iudas dicitur confessio. Solet autem obstare plurimùm peccare volentibus, ipsa post peccatum necessitas confessionis. Pudet enim perpetrare, quod multò magis confiteri pudor est. *Qualem*, inquit, *fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis?* (Rom. 6. 21.) Reuerentia ergò confessionis infert motibus prauis. Quid, ait, proderit à bona voluntate deficere, & letale crimen animo incutere, quod non, cum perpetratum fuerit, poterit mens ipsa celare, si propriæ velit saluti consulere? Vendatur Ismaëlitis, hypocritarum scilicet tradatur exemplis, & exterior actio nostra non polluatur næuo culpæ notabilis; quia ipse affectus, si per turpia opera infametur, tanta propinquitate nobis adiungitur, vt per hunc caro nostra, idest tota exterioritas vitietur,

(Vers. 28.) *Acquieuerunt fratres sermonibus eius:* * *Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt viginti argenteis.* Acquiescunt fratres, cum verecundiæ, sed tamen humanæ licet vtili, cedunt motus carnales. Eligunt enim subiici magis spiritualibus quæ minùs patent, quàm corporalibus. Extrahunt de cisterna, cum de seculari mores suos adimunt vita, & his, qui pro negotio fauorum benè victitare videntur: qui tamen Madianitæ, idest iustè iudicandi sunt: distrahunt, dum ad eorum exempla se vertunt: Madian nempe, de iudicio dicitur. Vendunt viginti argenteis, dum se eis imitando ipsos subiiciunt, dispertiendo se per numeros duplicitatis. Vicenarius enim duplicitatem signat, iuxta illud: *Si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum* (Lucæ 14. 31.)

viginti millibus venit ad se. Argentei verò quia sonorum metallum est, illius tantillæ famæ tinnitum significant, & verba laudantium quasi quædam nummorum particulæ constant. *Qui duxerunt eum in Ægyptum*: quia imitationis suæ illecebris actum, ad solius secularitatis pertrahunt ambitum.

Vers. 29. *Reuersúsque Ruben ad cisternam non inuenit puerum:* * Vers. 30. *& scissis vestibus pergens ad fratres, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo?* Ruben ad cisternam reuertitur, & puerum non inuenit, cùm discretio nostra ad veteris vitæ statum consideratione ducitur, sed iam affectus, vt fieri solet, ad carnalia quemque relabi ibi non inuenitur; quia laqueis cenodoxiæ, quæ vix ad simplicitatem reuocatur, irretitur, multò sanè deteriùs. Vestes scindit, & ad fratres pergit, cum sancta opera, quæ Deo vniri debent, per ora & oculos hominum dispersa fauoraliter ostendit, & ad interioris hominis prauos motus corrigendo agi ista ingemit: (Eccles. 2. 14.) *Væ enim ingredienti terram duabus vijs.* Affectus, inquit, irrecuperabiliter per inanes glorias elapsus est, in quo mea iam perficiet discretio, vbi nullus pietatis sensus est.

Vers. 31. *Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt:* * Vers. 32. *mittentes qui ferrent ad patrem & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Tunica eius, ipsius est interior affectualitatis habitus. Hanc in sanguine hædi, quem occiderant, tingunt, cum desiderio peccati carnalis, quod in modum cruoris decurrit, conscientiæ statum polluunt. Hædus námque, quem occiderant, flagitium est, quod commiserant; solet enim typus inanis gloriæ reflari per effectum carnalis culpæ. Mittunt qui ferunt ad patrem, cum cogitationum versutiis aggrediuntur rationem. Attende, aiunt, in quem habitum affectus, quem bene Deo peperisse videbaris, defluxerit, aut forte si talem tibi non ascripseris, vide vnde tali conscientia emerseris; & certè in quo perseuerare non poteras, numquam virtutis studium affectare debueris.

Vers. 33. *Tunica filij mei est, fera pessima comedit, bestia deuorauit Ioseph.* Habitus, inquit, affectionis meæ reuera is est, sed crudelitate diaboli & carnalium ferali impetu voluptatum corruptus est. Solet humanitùs acta ratio, quasi dæmonum & carnis violentiâ, sponte actas nequitias excusare. Ioseph ab his est deuoratus, quia ab his consumptus creditur totius pietatis & proficiendi appetitus.* Vers. 34. *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium multo tempore.* Vestes scindit, cum vnitate intentionis amissa opus proprium, quo membra sua super terram contegere debet, per inania disijcit. Cilicio induitur, cum voluptatum stimulis circumdatur. Luget filium multo tempore, cùm luctu dignum suum ostendit affectum assiduè. * Vers. 35. *Congregatis autem cunctis liberis eius, vt linirent dolorem patris, noluit consolationem recipere & ait descendam ad filium lugens in infernum.* Liberi congregantur, cum rationis vires, quæ de peccati seruitio ad libertatem vitæ nos reuocant, Dei timore ad tempus coaggerantur. Liniunt, & consolari volunt dolorem patris, cum peccati miseriam per conuersionis & pœnitentiæ remedium temperare nituntur. Sed per effectum recusans, & sentienti cum Deo spiritui non credens, dolendo exitio deuolui se patitur in desperationis baratrum, post prauæ delectationis affectum, idest filium.

Et illo perseuerante in fletu, * Vers. 36. *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putifar Eunucho Pharaonis, magistro militiæ.* Spiritu nostro fletu digna opera perseueranter agente, Ioseph, bonus, scilicet noster appetitus exemplo eorum qui de iudicio sunt, & ad puniendos pertinent, Ægyptiæ cæcitati contradicitur, Putifar interpretatur os inclinans ad dissecandum. Os appetitum nequam significat, qui semper pronus est ad disperdendum. Eunuchus est, & magister militiæ, quia ab omni bono sterilis est, & totius vitiorum exercitus princeps. Is pretio temporalium voluptatum sibi distrahit proficiendi affectum.

CAPVT XXXVIII.

Vers. 1. **E**O *tempore Iudas descendens à fratribus, diuertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram.* Iudas, Confessio: Hiras, fratris mei visio dicitur. Cum animus ita à se diuiditur, memoria sanctæ confessionis, quæ supra puero tenero, scilicet proposito, parci monuit, à superbia fratrum corporalium videlicet desideriorum sese demittens, diuertit à seculari strepitu ad eius, qui verè vnicus frater est, Iesu Christi visionem; qui ideo vir dicitur, quia in eo nil nisi virtutis summa videtur. Odollamites, testimonium in aqua sonat. In aqua autem baptismatis Christum ipsum induimus, cui dum facto contradicimus, in hac aqua testimonium contra nos ferentem, dum ei videndo tamquam fratri intendimus, inuenimus.

Vers. 2. *Viditque sibi filiam hominis Chananæi vocabulo Sue: & vxore accepta, ingressus est ad eam.* Si homo Christus est, Chananæus profectò, sicut & Samaritanus, ideo dictus est, quia ipse vera suorum mutatio est. Chananæus enim, vt sæpe dictum est, mutatus dicitur. Is habet filiam rationem scilicet ipsam quæ

Sue, ideſt loquens, vel cantilena dicitur; quia ipſa ſola nobis, aliis oblatrantibus, intelligibiliter loquitur, & lenitate ſpiritus vel concentus, non ſtimulos titillationum, ſed ſerenitatem omnimodam operatur: filia autem eſt, quia ipſi, qui ſumma ratio eſt, ſimilis eſt. Hanc ſibi videt Iudas, quia eam ſolùm ſibi vtilem ad ſequendum æſtimat veræ confeſſionis humilitas. Vxorem ſibi copulat, quia hanc per contemptum ſeculi peccati cognitione ad operanda bona fœcundat. * *Quæ concepit filium, vocauitque nomen eius Her:* qui interpretatur reſurrectio; vel vigiliæ, vel Pellicius. Cum enim ad rationabiliter viuendum accedimus, prius neceſſe eſt reſurgamus, demúmque in noſtri cuſtodia vigilemus: quia poſt conuerſionem, ſæpe mortuorum operum memoriâ, quod pellis ſignificat, laboramus.

Rurſus concepto fœtu natum filium nominauit Onam: qui dicitur Mæror eorum, quod refertur ad faſtidium. Solet nempe ex difficultate euincendarum paſſionum, quæ ex recordatione ſeculi voluptatum contingit, maximum cœpto propoſito generari faſtidium. Vnde Pſalmus. *Omnem*, inquit, *eſcam abominata eſt anima eorum*, & cætera. Vſque ad portas enim mortis, ideſt vſque ad religionis deſertionem torquentur ſancti æſtibus cogitationis. * *Tertium quoque peperit, quem appellauit Sela*, qui vmbra eius interpretatur, quod ad ſancti ſpiritus protectionem refertur. Facit enim ipſe prouentum, vt tentati ſuſtinere poſſimus. In duobus præmiſſis clamamus parturientes, in tertio maſculus naſcitur, qui ad thronum Dei, vt regat virgâ ferreâ genus cum quadam emeritæ impaſſibilitatis palma, prouehitur. *Quo nato parere vltra ceſſauit*; quia poſtquam ad perfectam caritatem mens peruenerit, iam non in dolore filios parit, quia quidquid agit iam quaſi ex naturali facilitate conſurgit.

Dedit autem Iudas vxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar: quæ Amaritudo dicitur. Diſciplina namque amaritudinem tentationum illecebris apponere debemus, quæ quidem in præſenti amaritudinis eſt, ſed fructum pacatiſſimum reddet exercitatis in ea. * *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequam in conſpectu Domini: & ab eo occiſus eſt.* Occidit Deus Her in conſpectu ſuo nequam, dum incentiua libidinum tàm ſpiritualium quàm corporalium, quæ Deus per maximè improbat, in anima, quæ ſola ſibi conſpicua eſt, virtute conſtabilitæ rationis interimit. **Dixitque Iudas ad Onam filium ſuum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo.* Loquitur Iudas ad Onam, cum humilitas confeſſionis & pœnitentiæ informat acidiæ mæſtitiam. Filius autem eſt, quia ex occaſione ſuæ actionis natus ipſe defectus eſt. Conſociare, inquit, piæ amaritudini, & intelligenter quaſi ingrediendo penetra, & inſere te præſentis ſeculi tribulationi, quaſi fructus æternos tibi parituræ coniugi, vt fratri tuo, motui ſcilicet corporali, ſuſcites ſemen, ideſt poſteritatem ſuperni præmij. Corpus enim mortuum eſt propter peccatum: ſuſcita ergò illud per iuſtitiæ actum.

Ille autem ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad vxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Introit ad vxorem dum conſiderando peruidet diſciplinæ grauitudinem. Scit ſibi non naſci filios, quia nouit animi inertiam ad proferendos pœnitentiæ fructus dignos. Semen fundit in terram, cum bonum quod agit vertit in terrenam gloriam. * Percutit eum Deus quòd deteſtabiliter faciat, quia aut iudicialiter punit, vel quoquo pacto arguendo corrigit, dum ſuæ ſibi nequitiæ horrorem oſtendit. * *Quamobrem dixit Iudas Thamar nurui ſuæ: Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus: timebat enim ne & ipſe moreretur, ſicut fratres ſui. Quæ abiit & habitauit in domo patris ſui.* Confeſſionis humilitas ad Thamar, ideſt diſciplinæ cuſtodiam ſe conuertens, cognoſce, inquit, ſponſum tuum pro te Chriſtum mortuum, præſtolare ergò intra conſcientiam, quæ domus Dei patris tui eſt, augmentum gratiæ, quæ tibi obumbret, Spiritus Sancti, quæ paraclitum habeas vice ſponſi tui, cui tanquam filio diuini eloquij nutrimentis alendo inſiſtas, quem tamen tu conceperis ex libertate arbitrij. Timet enim dum ſic ſe monimentis mens innouat, ne tentando, vt pridem periclitetur, & decidat. Facit ergò ita.

Euolutis autem multis diebus, mortua eſt Sue, vxor Iudæ: Qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta, aſcendebat ad tonſores ouium ſuarum, ipſe & Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas. Euoluuntur dies, cum ſenſim per teporem animi deficiunt virtutes. Sue vxor Iudæ moritur, cum ratio, quæ nobis ſpiritum lenitatis incentat, & quam pietas confeſſionis imprægnat, deſtituitur; quæ cum poſt luctum peccati conſolationem veniæ ſuſcepiſſet, ne poſtmodum in aliqua animæ relaberetur exitia, aſcendit progreſſu mentis ad eorum exempla ſanctorum, per quos abſciderentur à ſimplicibus ſuis cogitatibus curæ ſecularis ſuperflua. Aſcendit, inquam in Thamnas. Thamnæ interpretantur deficientes, vel numeri, vel fideles. Promouetur ergò ad hoc vt primùm in ſe deficiat, & in Deo proficiat vt ſic ad numerum fidelium pertingat. Ipſe itaque & Hiras, quem Chriſtum diximus figurare, pariter pergunt,

quia mores eum sui ab ipso non diuidunt. Opilio dicitur mercenarius. Mercenarium autem Christum eo dixerim modo, quo nos oues, vt ipse perhibet, suas à patre sibi datas pro passione, quam pertulit, loco mercedis accepit. *Cum dederit*, inquit, *dilectis suis somnum, ecce Domini hæreditas, filij merces, fructus ventris.* Et, *postula à me & dabo tibi gentes*, & cætera.

Psal. 126. 2. Psal. 2. 8.

Vers. 13. *Nunciatúmque est Thamar quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues.* * *Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit teristrum: & mutato habitu, sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eò quòd creuisset Sela, & non accepisset eum maritum.* Thamar nuntiatum est quòd socer ascendit ad tondendas oues, cum feruor & studium sanctæ conuersationis, quæ quidem primò amara & angusta est, sed post læto latóque corde curritur, nuntio diuini verbi vel spiritus sancti tangitur, & vt verum confessorem animum abscidendis cogitationum superfluitatibus intendentem subsequatur, accenditur. Deponit viduitatis vestes, cum humiliat amore sponsi pro se mortui virtutes. Teristrum quod est, secundum aliquos vel æstiui operimenti, vel pepli genus, assumit, cum puritatem, vel simplicitatem animi, qui caput dicitur, vel operum nitorem accipit. Habitum mutat, cum statum mentis innouat. In biuio itineris, quod ducit Thamnam, sedet, non illo sanè, quo dicitur; *Væ ingredienti terram duabus viis*; sed illo, quo ad Deum per amorem tenditur, & in proximi caritatem flectitur; quo reuera itinere ad communerationem verè fidelium itur. Sedere autem perseuerare est. Hoc ideo facit, quia Sela, idest spiritualis qui nos obrumbat amor crescit quidem interiùs, sed non ita iugis & indiuiduus, vt semper adhæreat quasi maritus.

* Vers. 14. S. Bened. in prologo Regulæ, sub finem. Eccl. 2. 14.

Vers. 15. *Quam cum vidisset Iudas suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne cognosceretur.* Iudas meretricem suspicatur, cum eam intuetur, quia sæpius considerato suæ actionis initio, pœnitentialis humilitas non pro æterna mercede, quod Deus est, sed pro inani aliquo commodo veretur ad bene agendum se incitari, dum ita nebulis cogitationum intentionis voluntas, quod est vultus, obtegitur, vt discerni vix possit qua quid mente geratur. * *Ingrediénsque ad eam, ait: Dimitte me vt coëam tecum: Nesciebat enim quod nurus sua esset.* Ad eam ingreditur cum interiora propositi sui ratiocinando scrutatur. Permitte, inquit, vt confessionis sanctæ amor tibi immisceatur; tibíque semper incumbat. Nescit enim, idest, non adhuc experitur quod Sela, idest spiritualis dilectionis vmbra, & protectione quasi mariti auctoritate muniatur. Ac si dicat, quia feruorem spiritus necdum sentio, saltem fruar pœnitentiæ lamento. *Quid*, inquit, *mihi dabis vt fruaris concubitu meo?* * *Ait: mittam tibi hædum de gregibus.* Si mihi consociari pœnitentis & timentis more desideras, quia necdum feruenter amas, dic quid mihi conferas: Hædum, ait, de gregibus mittam tibi, peccati scilicet tui, quo apud Deum fœtes cognitionem, exemptam de cogitationum turbis ac diuisionibus: vel ereptam de gregibus, idest dæmonum concursibus, qui greges dicuntur, ob studiorum diuersitates, & quia sunt vnitatis extorres.

* Vers. 16. * Vers. 17.

Patiar, ait, quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. * *Ait Iudas: Quid vis tibi pro Arrabone dari? Respondit; Annulum & armillam, & baculum, quem manu tenes.* Si digitus in scripturis aliquando intentionem signat, iuxta illud, quod digitos nostros docet Deus ad bellum: annulus in digito, claritas sanctitatis est, in intentionis voto. Armilla autem in brachio, continentiæ virtus, scilicet à fauoribus, est in boni operis exercitio. Baculus verò spiritualis, qua sustentamur, gratiæ est inter ista consolatio. Hæc pro arrhabone nobis dantur, donec mittat Iudas hædum, quem pollicetur; quia antequam nostræ originalis actualísque miseriæ putorem, pœnitentiæ & confessionis instantiâ, plenè aperiat, labore suo prius necesse est, tria ista disciplinæ nostræ attribuat, sine quorum luce perfectè nemo se noscat: *Ad vnum igitur coitum concepit mulier:* * *Et surgens abiit: depositóque habitu, quem assumpserat, induta est viduitatis vestibus.* Ad simplicem diuinæ infusionis illapsum, bona proponit agere, adeò animi emollita fœcunditas, & in spe veniæ assurgens, ad interiora, scilicet cœlestia, inhianter tendit. Deponénsque per humilitatis gratiam interni habitus gloriam, recordatur erga se viri sui pro se mortui Iesu misericordiam; síc que tanto debito se penes se deprimit viduam.

* Vers. 18. Psal 143. 1. * Vers. 19.

Misit autem Iudas hædum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri: Qui cum non inuenisset eam, * *interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier quæ sedebat in biuio?* Per Christum, qui specialis noster est pastor, qui nos ad bene agendum quotidie contestatur, nostri ipsorum cognitionem confessionis nobis mittit humilitas, quia quantò Christi vnguentorum sectamur odorem, tantò magis nostræ fragilis conditionis intelligimus fœtorem. Iudæ ergò recipit pignus quod dederat mulieri, quia quò magis nos discernimus, tantò ampliùs si quid virtutis nobis ex actu pœnitentiæ ingestum est, ad ipsum Dominicæ humilitatis

Vers. 20. * Vers. 21.

præceptum non ad nostras vires referimus. Mulierem dicimus cœptæ disciplinæ propositum, ob affectionem, & fœcunditatem piorum operum. Sed is verus pastor non inuenit eam in habitu meretricio, dum soli placere Deo sibi inest intentio. Potest etiam mulier dici sedere in biuio, quæ putatur aliqua bona agere pro Deo, cum ea exerceat pro seculo. * Homines loci illius rationales sunt motus, quos pastor Odollamites donauit honore status. Negant illi ibidem sedisse scortum, scilicet perseuerasse cuiuspiam spiritualis adulterij malum. Sessio ad vsum peccati pertinet, vt est: *In cathedra pestilentiæ non sedit.* Eorum autem est negare, effectu suo non ita apud se geri euidenter ostendere.

Vers. 22. — Psal. 1. 1.

Vers. 23. *Ait Iudas: habeat sibi, certè mendacij nos arguere non poterit: ego misi hædum quem promiseram, & tu non inuenisti eam.* Ego, inquit, ex pignore sanctæ intentionis, cautæ operationis, & diuinæ inter aduersa consolationis, hædum propriæ cognitionis affuturum promiseram: ego, inquam vtilitas piæ confessionis intuli quod promisi, tu pastor æterne in biuio bonæ exhibitionis, & gloriæ inanis, eam sedentem, idest sibi acquiescentem non inueniri feceris; habeat ergò vitæ nostræ disciplina pignus præmij æterni tua munera, quia mendacij argui non poterit veritas tua, quæ profectum promisit pœnitentibus in iustitia. * *Ecce autem post tres menses nunciauerunt Iudæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere.* Tres menses mihi videntur dici trium plenitudines actionum, conuersionis scilicet, profectus, ac perfectionis illius dico, quæ est, integritas caritatis; post quæ tria humili nostræ confessioni, à qua nulla virtutum dirimi summa debemus, pro titillatione superbiæ spiritus querimoniæ accedunt, & de vteri, idest conscientiæ tumore nos arguunt; & à Sela, idest sancti spiritus coniugio per elationis fornicationem excidisse conclamant. Sed vera confessio, quæ semper venit ad lucem, produci iubet; *Quæ enim arguuntur*, iuxta Apostolum *à lumine manifestantur*; & hoc ad comburendum, diuini videlicet ignis conflagratione lustrandum.

Vers. 24. — Ephes. 5. 13.

Vers. 25. Quæ cum educeretur per confessionem ad pœnitentiæ pœnam, mittit ad socerum suum, ad initia scilicet recurrit antiquæ confessionis ac pœnitudinis, quæ sibi ex humilitate spiritum maritum quasi Selam, qui dicitur vmbra, genuerat; & se non de cupiditate seculari hypocrisim concepisse, sed de humilis confessionis instinctu, quæ mysticum annulum, armillam, & baculum, sibi attribuit, asserit perseuerantis deuotionis affectum. * *Agnitis muneribus, ait: iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo.* Agnoscit munera, quia & suæ à Deo sibi inesse nouit conuersionis primordia, & promotionum incrementa. Iustior me est, inquit; ac si dicat, perseuerantiâ suâ ad iustiorem duxit me statum, & quodammodo me ipsa iustiorem me reddidit, & quia sancti spiritus obumbrare mox eius initia caritate non potui, sub timore pœnitentiæ, à me videlicet confessionis gratia ad bonos proferendum fructus, imprægnari pio desiderio maluit. *Attamen vltra non cognouit eam*; idest qui pridem humilis suæ confessionis oblitus nimium sua bona attendendo intumuisse videbatur, iam dissimulat propositi sui perpendere instantiam, ne inaniter efferatur.

Vers. 26.

Instante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantum, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum. Partus instat, cum destinatio propositi pio affectui appropinquat. Apparent in vtero gemini, cum ex conscientia prominere intelliguntur duarum affectionum quasi ex vno fonte riui. In ipsa effusione infantum profert vnus manum, cum ad operis exhibitionem animi ambitu accedente, prior Dei caritatis effectus per interioris hominis compunctionem egreditur. In qua coccinum manu obstetrix ligat, dum ratio, quæ cunctis animæ casibus obstat, mortificationem carnalium desideriorum in suo opere insigniter seruat. * *Iste*, inquit, *egredietur prior*: idest amor Dei qui conceptus est, etiam vsque ad efficaciam diuinæ contemplationis prosiliet. Solet enim talis inchoantium esse feruor, qui sibi dum se ignorat, summam quoque virtutis arroget; * sed illo, Dei dispensatione, per defectum quantulumcúmque amoris internæ vires imminuente actionis, egreditur alter, scilicet obsequium fraternæ dilectionis; quæ quidem & si minor est dignitate, præcedit tamen officij necessitate. Prius enim amandus est proximus visibilis, vt per hoc attingatur inuisibilitas Deitatis. Hoc duobus sancti spiritus significatur datis.

Vers. 27. — Vers. 28. — Vers. 29.

Dixitque mulier: Quare propter te diuisa est maceria? Propterea appellauit nomen eius Phares. Mulier ab animi mollitie dicta, rationem ex aliqua adhuc parte humana sapientem signat. Vnde & ipsa verba humanitùs sonare videntur. Quare, inquit illa, cogitationum quasi lapidum vnio in multas curarum vicissitudines diuisa est? Mens enim nostra diuini cæmento amoris cohibetur ad vnum, quæ tunc diuiditur, cum pro bene faciendo proximis iuxta Euangelium erga plurima sollicitata turbatur. Phares ergò vocatur, hoc est, diuisio, quia ex prouisione fraterna, diuina interius ad horam dissipatur contemplatio.

Lucæ 10, 41.

* Vers. 30. * *Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.* Coccus, vnde coccinum, ex græca etymologia ab igne dicitur, & etiam sanguinis ruborem præfert. Deus autem, qui ignis consumens vocatur, passiones peccatorum, quæ ex carne & sanguine oriuntur, necesse est priùs suo feruore excoquat, vt purificato interiori, exteriorique opere, ad videndum orientem lucis æternæ per stibium caritatis facies placeat. Zara autem interpretatur Oriens, scilicet ipsa Dei dilectio, quæ totius legis quasi vniuersalis luminis est plenitudo, locus ac origo, in qua potissimum dicitur esse Dei visio.

CAPVT XXXIX.

Vers. 1. IGitur *Ioseph ductus in Ægyptum est, emitque eum Putifar Eunuchus Pharaons, princeps exercitus, vir Ægyptius de manu Ismaëlitarum, à quibus perductus erat.* Hoc supra expositum est, pigétque repetere. Sed notandum quomodo sub tot malis posito cum eo Deus fuerit, & in cunctis prosperè egerit. Multos certum est sinere labi Deum, non vt in finem deserat, sed vt ex casu corrigat. Videtur cum his non esse dum peccant, est tamen vt ex peccato proficiant, quod & in filiis Israël, & in Petro Apostolo satis probatur, qui in ipsis suis casibus à Deo reuisuntur, potius quàm reprobantur. Ex eo ergò quòd ab ipso etiam inter crimina non deseruntur, cuncta sibi peccati aduersitas in prosperitatem vertitur. * *Quia fuit Dominus cum eo*, insignitur iam viri, idest viriliter contra vitia agentis vocabulo. *Habitabatque in domo Domini sui*, * *qui optimè nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.* Habitare ab eo quod est, habere frequentatiuè in flexum pro eo quod est dominari ponitur. In domo itaque, idest conscientia, qua nequam dominatus fuerat appetitus, proficiendi in Deum dominatur affectus, & experimento addiscit cupiditas Deum pio profectui adesse comitem, cum omnem eius dirigat in exequendis operibus potestatem.

* Vers. 2. * Vers. 3.

Vers. 4. *Inuenitque Ioseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei; à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa quæ tradita fuerant.* Ioseph coram Domino suo gratiam inuenit cum sacri appetitus augmenti, cui nequam pridem dominabatur affectus, ad illationem carnalis illecebræ, ac si coram ipsius instantia diuinæ protectionem gratiæ reperit. Ei verò ministrat, cum ab eius se fœditatibus auertendo suggestionibus, eius totius honestatis officia apponit & suppeditat. Ab eo præponitur omnibus, quia ex materia interioris pugnæ superandi occasionem præbens, idest affectus nos nostris motibus præfert, dum subigere nititur. Domum creditam, & omnia nobis tradita gubernamus, dum commissam à Deo conscientiam & cætera animæ bona sagaciter regimus.

Vers. 5. *Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quam in agris cunctam eius substantiam:* * *nec quicquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur.* Domus Ægyptij propter Ioseph benedicitur, cum conscientia tenebris cæcitatis & ignorantiæ pridem pressa, per appetitum bene proficiendi diuinis muneribus euehitur, & tàm in interiorum virtutum ædibus, quàm in agris, exercitiis videlicet corporalibus, cuncta rationalitatis eius substantia, quæ structuris operum instar fortis fundamenti substat, augetur; & remoto veterum indignitatum vsu, solus vitæ æternæ panis agnoscitur.

* Vers. 6.

Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Illa videlicet facie, quæ à Domino lauari iubetur, cuius singulari tunc decore Deus aspicitur. * *Post multos itaque dies iniecit domina oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum.* Post multas virtutum claritudines concupiscentia postquam ad tempus siluit, rediuiua veteris dominij recordata consurgit, & quæ videbatur auersa, oculos, idest tentandi intentiones in bonam voluntatem congerit. Dormi, inquit mecum, idest voluptatis oblatæ acquiesce suscipere somnum. * *Sed operi nefario nequaquam acquiescens, ait ad eam: Ecce Dominus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua:* * *nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es.* Quia, inquit, is qui mihi dominabatur vniuersas ineptias suas meo subegit imperio, & in domo quondam sua, scilicet conscientia ignorat quidnam suum notare queat, sed omnia parent rationis iudicio, præter te concupiscentia, quæ praui affectus malè fœta vxor es, quæ in quantum suggerere mala non desinis, subigi omnino non potes. *Quomodo ergò possum malum hoc facere, & peccare in Deum meum? Quod est dicere*, cum appetitus meus aliquando Dominus se mihi tradiderit, idest irrefragabiliter se meo iuri tradi permiserit, quomodo concupiscentiarum tuarum effectui continentia mea conuenire poterit?

* Vers. 7. * Vers. 8. * Vers. 9.

Vers. 10. *Huiuscemodi verbis & mulier molesta erat adolescenti per singulos dies, & ille recusabat stuprum.* Per singulas virtutum claritates, animo virile robur quasi adolescentiam attingenti semper, neque blanditiis aduersa

est, affectualitatis ac si muliebris mollicies; sed ille recusat illatas libidines. * *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret, & illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret: dormi mecum.* Quadam die Ioseph domum intrat, cum incerta rationalitatis intelligentia, idest voluntate, quæ lux est, minùs ad bene agendum plena veluti luce dubia, pius noster affectus conscientiæ angulos discutiendo perlustrat. Dilectio enim ista, quod est quadam, pro incerto ponitur. Vnde dicitur fecisse absque arbitris quiddam, quia in tepido positus statu discretionis vim non habet plenariam. Interiores nempe arbitri motus sunt examinatorij. Et minùs feruente conscientia solet facile surripere concupiscentia. In ipsa namque discussione quidam ob difficultatem tædij torpor obrepit.

(* Vers. 11.)

Vnde & laciniam apprehendit, idest intentionem, quæ per longanimitatem ad Deum intenditur, & quæ interni nostri habitus pallium in vnitatem bonæ voluntatis colligit, ad se contrahit. A lacinia enim quælibet laciniosa dicuntur, idest longa, & nil eo productius quod ad Deum vsque pertenditur. Dormire secum postulat, dum in obliuionis & negligentiæ labyrinthum labi pariter prouocat. *Qui relicto in manu illius pallio fugit, & egressus est foras.* In manu mulieris pallium relinquimus, cum tentationis fortitudini interiorem nostrum hominem magis exponere eligimus, quam eius libidini suauiter succumbamus. In hanc manum Iob est datus, salua tamen anima illius. Porro fugimus foràsque egredimur, cùm timore, qui animi fuga est, diuino corripimur, & extra nos per cogitationum confessionem imus.

(Vers. 12.)

*Cúmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, * vocauit homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me, vt coïret mecum. Cúmque ego succlamassem, * & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras.* Videt mulier vestem in manibus suis, & se contemni, cum sibi potestatem ac opportunitatem attributam aspicit impugnandi, sed nullatenus facultatem affore ingemit concupiscentia superandi. In manibus nempe vestis, interna habitudo est sub grauitudine tentantis. Vocat homines domus suæ, dum excitat carnales motus conscientiæ. En, inquit, introduxit haud dubium quin inualitudo carnalis affectus, horariam momentaneámque religionem, transitoriam scilicet virilitatem, quod significat viri hebræi nomen. Hebręus enim dicitur transiens, vt illuderet nobis, qui iter videlicet sanctitatis niteretur aggredi, sed neutiquam perseueraret in aliquod augmentum progredi. Ingressus est ad me sub specie pietatis appetitus sanctitatis, non vt emendaret, sed vt fœdaret, & diceretur. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Cúmque ego rationaliter succlamassem, meliùs esse non vouere, quàm vota non reddere, & intellexisset vim vocis, reliquit pallium, interioris scilicet reuerentiæ integumentum, mihi pro libito abutendum, & foras iam in turpem excedere cœpit effectum. Hæc arrogat aliquotiens sibi mens marcida, dùm sic turbatur, vt nequeat discernere si vicerit, an sit victa.

(Vers. 13. * Vers. 14. * Vers. 15. Lucæ 14. 30. Eccl. 5. 4.)

*In argumentum ergò fidei retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, * & ait: Ingressus est ad me seruus hebræus, quem adduxisti vt illuderet mihi: * Cúmque vidisset me clamare, reliquit pallium, & fugit foras.* Maritus animæ, ipse est intellectus: qui in domum reuertitur, cum à sua dispersione ad cor regreditur. In argumentum fidei huic pallium ostenditur, cum mentis habitus nequitiâ infectus in probationem præuaricationis adducitur. Ingressus est, inquit, ad me seruilis quidam non amoris, sed timoris motus, non qui in æternum in domo maneat, sed Hebræus, idest transitorius, quem tuo marite intellectus solo initio affectus, sed nulla promotione profectus, quasi proludij causa induxeris; & cum me inclamitare sensisset, quia qui ante respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, quia me interius vocari nesciebam, profecto consurgere ad nimis ardua respuebam, impatiens interioris impulsus, fugit; scilicet recurrendo ad remedium voluptuosi actus.

(Vers. 16. * Vers. 17. * Vers. 18.)

*His auditis Dominus, & nimium credulus verbis coniugis iratus est valde; * tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti Regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Audit, idest intelligit Dominus, is videlicet qui pridem dominabatur nequam appetitus concupiscentiæ suæ monitus, & eius incentiuis inuectus, in ea quæ concupiscit tamquam in coniugem tota delectatione deflexus, contra intellectualis profectus appetitum desurit, & Ioseph in carcerem tradit, cum in tentationem se vndique coarctantem, pij augmenti cor cupidum trudit. Ibi enim vincti Regis custodiebantur, quia hi, qui corporis nexibus pressi, cupiunt dissolui, & esse cum Christo, cum diuersis impugnationibus appetuntur, ab elationis vtique vanitate custodiuntur. Ibi etiam clauditur quia sic sæpius mens propria seditione vallatur, vt nusquam pateat qua instans miseria euadatur.

(Vers. 19. * Vers. 20.)

*Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. * Qui tradidit in manu ipsius vniuersos*

(Vers. 21. * Vers. 22.)

vinctos qui custodia tenebantur, & quidquid fiebat sub ipso erat. * *Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* Princeps carceris intellectus est, præminens augustiæ tentationis. Is tradit in manu Ioseph eos vinctos qui custodia tenentur, dum sub boni appetitus potestate redigit cunctas cogitationum illecebras, quibus animi vires præpediuntur. Quidquid fit, sub ipso est, quia quidquid extrinsecus administratur, sub rationis prouidentia est. Et cum omnia contradat intima sua ad profectus studium, non nouit profecto aliquid præter virtutis augmentum. Dominus enim est cum illo, in infirmitate virtutem faciendo, & per tentationes opera, ac si inter hyemis torpores semina dirigendo.

(* Vers. 23)

CAPVT XXXX.

(Vers. 1.) **H**is ita gestis, *accidit vt peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Ægypti, & pistor, domino suo.* * *Iratúsque Pharao contra eos (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph.* Postquam inter tentationes ita animus solidatur, tunc duorum illorum qui se pro Dei Regno castrant eunuchorum reatus agnoscitur. Per pistorem rationis vis accipitur, quæ manu discretionis dubia quælibet nouit pinsere. Per pincernam bona voluntas, quæ spiritualis poculum dilectionis consueuit excipere. Postquam itaque gratia in conspectu principis carceris inuenitur, fructus eiusdem gratiæ per intelligentiam culpæ, rationis scilicet ac voluntatis, aperitur. Vtraque autem Regis Ægypti esse dicuntur, quia & ratio, ac voluntas nostra ante conuersionem diabolo mundi principi seruisse noscuntur. Porro peccant, cum sua peccata non dissimulant. Vnde & iusti dicuntur, qui se falsò iustificant. *Non veni*, inquit, *vocare iustos.*

(* Vers. 2.) (Matth. 9. 13.)

Sed peccant suo Domino, quia quod se peccasse pœnitendo fatentur totum fit irritando abiiciendoque diabolo. Cum autem multæ rationes, multæ pro causis voluntates sint, vna tamen diuinitùs inspirata voluntas ac ratio, quasi pincerna pistórque præminet. Hi mittuntur in carcerem principis militum à Pharaone irato, cum sub iura rationis, quæ internæ militiæ nostræ primas est, rediguntur vrgente diabolo etiam ipsa cum voluntate ratio. Ipsa enim ratio sibi subiicitur, cum humana aliquid subtilitate appetens, diuina moderatione reducitur. Et voluntas si bona est, nil aliud quam ratio est. Attamen non sine maximo discretionis intuitu; sic per nomina, & etiam res distinguitur. Vnde & in Apocalypsi throni, animalia, Angeli, seniores dicuntur, idem quidem significantia, & tamen alio modo diuersa. De hac captione in Apocalypsi dicitur: *Ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem, & habebitis tribulationem diebus decem.* In hoc carcere vinctus Ioseph tenetur, cum ipsi interni appetitus augmenti tempestate diabolica præpeditur.

(Apoc. 5. 6.) (Ibid. 2. 10.)

Sed pistor & pincerna à custode carceris Ioseph traduntur, cum ratio & voluntas à diuino qui sibi præsidet intellectu, qui inter ærumnas solus custodire sufficit, ad cœlestis augmenti desiderium quasi singulare refugium compelluntur. Aliud est autem bona voluntas, aliud boni appetitus augmenti, licet ipse sit bona voluntas; quia sunt, qui bonæ ad proximos affectionis sunt, sed promoueri ad altiora nolunt. Ioseph his ministrat, quia solum meliora gerendi desiderium, defectus eorum reficit, & innouat.

(Vers. 4.)

Aliquantum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. * *Videruntque ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationem congruam sibi.* Temporis fluit aliquantum, cum ex parte ab animo destituitur auiditas temporalium. Partim verò custodia tenti somnium nocte vna vident, quia nondum corporalis expertes molestiæ, vt ad confitendum nomini Dei de custodia prodeant, ad horam à negotiis extrinsecis sopiuntur, & corde vigilant, in quo luce clariori somno mentis intuitu vtilia, vitæque congrua suæ tractant. * *Ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes,* * *sciscitatus est, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?* Ad hos Ioseph mane ingreditur, cum diuinæ illustratione visitationis penetrante affectum, omnis conscientiæ recessus quid intelligat, quidquid velit secundum Deum discutitur, & tunc tristes videntur, quia tantò magis intellectus ac voluntas affligitur, quantò ad interiora subtiliùs per supernæ lucis examen intratur. *Qui enim addit scientiam, addit dolorem.* Quem tamen pietatis affectio dolorem temperat & solatur, & faciem cordis, qua Deus videndus est, in eodem ipso qui hodie indefectibilis lucis habet constitutam, cur ab interni lætitia luminis auersiorem solito gerant, causatur. Solet enim vtilis plerúmque tristitia, nisi cautè moderetur, in acidiæ morbum verti.

(* Vers. 5.) (Vers. 6.) (* Vers. 7.) (Eccles. 1. 18.)

Somnium, inquiunt, *vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque Ioseph: numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi quid videritis.* Somnium vidimus, sed non est qui interpretetur, quia multa de statu rectæ vitæ contemplando intellectualiter attingimus, sed quomodo congruis effectibus intellecta exponere

(Vers. 8.)

exponere possimus, copiam adhuc non habemus. At Ioseph, idest sancti profectus auiditas, quæ totius tædij vincit acredinem, Dei est, ait, interpretatio, quia in quo mortalitas nostra præpeditur ad destinata gerendum, Dei expenditur adiutorio. Referte quid videritis, ad Deum scilicet reportantes opificem quæ proponitis.

Vers. 9. *Narrauit prior, præpositus pincernarum somnium suum. Videbam coram me vitem,* * Vers. 10. * *in qua erant tres propagines, crescere paulatim gemmas, & post flores vuas maturescere:* * Vers. 11. * *calicémque Pharaonis in manu mea: tuli ergò vuas, &* B *expressi in calice quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Præpositus pincernarum bonæ est voluntatis affectus, quæ ex eo quod Dei voluntati innititur, cunctis aliis voluntatibus principatur. Prior narrat, quia ipsa nisi præeat, ratio inaniter speculatur & cogitat. Vitem videt coram se, cum seipsam, bonam scilicet voluntatem, vini spiritualis, idest caritatis originem sibi proponit amandam. Quod enim amamus, prę oculis habere cupimus. In ea tres propagines sunt, quia tria principalia caritatis membra sunt; primum C quidem Deo intendens; secundum ad seipsum pertinens; tertium quoque à sui ipsius exemplo ad proximi dilectionem respiciens. Ita enim sonat ac si dicatur: Diliges teipsum, & proximum tuum sicut teipsum. Gemmæ paulatim crescunt, cum certa proposita sanctitatis piæ interius cogitationis succi excul-punt. Et iure paulatim, quia grandi difficultate hæc fiunt. Post flores vuæ maturescunt, cum post exhibitionem operum, quæ sanctarum fragrantias opinionum vndecúmque diffundunt, conscientiæ dulcedine sancti D amoris viuidæ ad plenum proficiunt.

Calix Pharaonis in manu est, cum quælibet praui desiderij passio à diabolo immissa, sub rationalis voluntatis potestate abstenta est. Tollit ergò vuas, & exprimit in calice quem tenet, cum diuinam quæ intra latet dulcedinem, passionibus quas egrè sępiùs tolerat, admiscet: exprimimus enim, cum manu discretionis discutimus futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis, vt amaritudines huius temporis condiamus. Calicis nomine passionem signari, teste est Euangelium: *Potestis*, ait, *bibere calicem*, & cætera. (Matth. 20. 22. Marci 10. 38.) E Inde tradimus poculum Pharaoni, dum ei retribuimus retributionem suam, quam retribuit nobis. In poculo, ait, quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Pharaonem verò qui dissipator dicitur, diabolum intelligimus.

Vers. 12. *Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhuc dies sunt:* * Vers. 13. * *post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum, dabísque ei calicem iuxta officium tuum, sicut facere ante consueueras.* Ad bene agendũ, inquit, sancta in Deum proficiendi auiditas ex tua conditione prępedieris, sed ad ea quæ dignè sentis agenda solui poteris. Tres propagines, tres dies sunt, quia primum Dei nos amor illustrat, deinde nos nostri notitia & cura clarificat, vt ad proximum lux nostræ dilectionis exemplorúmque deueniat. Post hæc recordatur Pharao ministerij nostri, & in gradum pristinum restituit, cum recordari nos facit præteritæ nostræ, qua ad nostrum interitum diabolo inseruiebamus, voluptatis; ita vt innumeris tentationum ingestionibus ad eum quo seculares fuimus modum, nobis ab ipso videamur abducti. Sed damus ei calicem iuxta officium nostrum, sicut ante consueueramus, cum fortiter ad cor redeuntes sicut dignitati rationalitatis nostræ competit, & à tempore conuersionis consueuimus calicem recipere impugnationis, in quantum possumus, audacter inferimus.

Vers. 14. *Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facies mecum misericordiam: vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere:* * Vers. 15. * *quia furtò sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Tantùm, inquit, iugis intentionem profectus non postponas, cum vires calici in Pharaonem ferendo susceperis, vt tot ipsum virtutum iactibus vrgeas, donec victus educat, idest educi sinens belli illati velit nolit, vel obsidionem, vel vincula soluat; quia clandestina suggestione de terra Hebræorum, idest de soliditate cogitationum iam ab imis ad superna transeuntium sublatus sum, & in lacum fluctuationis tamen ab appetitu peccandi innocens missus sum. Hæc augmenta quærens affectus ab ea, quæ sibi cooperatur bona voluntate expostulat.

Vers. 16. *Videns pistorum magister quòd somnium prudenter dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, quòd haberem tria canistra farinæ super caput meum:* * Vers. 17. * *& in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo.* Intelligit principalis nostra à Deo scilicet illuminata ratio, vnde & omnium humanarum rationum magistra est, quòd proficiendi appetitus optimè beniuolentiam, quæ præuia est, de inuisibilibus imbuisset, hoc enim præfert nomen somnij propriis effectibus, & ipsa infert. Tria farinæ canistra se habere dicit super caput suum, dum tria principalia officia cogitationis se habere cognoscit in mente, intellectus scilicet, voluntatis, ac memoriæ. Liquet caput in scripturis poni solere pro mente. Farina autem ob minutias rectè ponitur pro cogitatione. Vnde est: *Tolle molam, mole farinam.* (Esaiæ 47. 2.) Vnum canistrum quod excelsius cæteris est, ipsa ratio est, quæ voluntati ac memoriæ prorsus pręminet. Ibi portamus omnes cibos, qui fiũt arte pistoria, quia ibi continemus quæque vitalia, quæ discutere potest discretionis dili-

gentia. Aues autem inde comedunt, cum per elationis vitium ipsa elata dæmonia nos deceptos, quantum ad bona spectat quæ prudenter attingimus, consumunt.

Vers. 18. *Tria*, inquit, *Ioseph canistra, tres adhuc dies sunt*: * *post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Intellectus, memoria, ac voluntas, cum quædam, vt sic dicam, diurnæ luces animi sint, canistra tamen sunt ad cannæ modum ex carnis conditione fragilia. Sed Pharao post hos dies caput aufert, cum post interiorum sensuum illustrationes superbia illabente, capitalis virtus, quæ est humilitas, à virtutum membris separata disparet. Suspendit Pharao in cruce, cum principali humilitate sublata, à toto bonorum operum mens damnata, impos & inanis effecta destituitur corpore; & hęc tota à diabolo fiunt, typico scilicet Pharaone. Volucres carnes comedunt, dū superba dęmonia carnalibus iam quę sequuntur operibus nostris sese reficiunt.

*Vers. 19.

Affectus ergò noster, idest Ioseph iam spiritualis augmenti appetens, per diuinam prudentiam duo ista mysteria ac si duo somnia resoluit; in quibus illa duo intelliguntur, caritas videlicet, quæ ipsa est beniuolentia, per principem pincernarum signata, & scientia per magistrum pistorum figurata. Caritas, quæ non tentatione probatur, caritas non est; sed ipsa est, quæ poculum retributionis, & à Pharaone fortiter viriliterque refert. Simplex ergò voluntas perlatis passionibus proficit. Caritas enim, quia naturaliter humilis est, ædificat. Scientia verò, quia sæpius inflat, dæmones pascit. Vnde & tria super caput fuisse dicuntur canistra, quia tria sunt sine quibus integra non potest constare scientia, ingenium scilicet, vsus, ac memoria. In his farina versatur, idest subtilitas cogitationis transfigitur. Per cannam autem, vnde canistra vocantur, superuacuitas vocalitatis, & eloquentiæ signatur; quorum sensus est, aliquos per simplicem beneuolentiam absque scientia, & litteris, per patientiam proficere; aliquos per elationem ex fastu sapientiæ tractam, dæmonibus scilicet nutrimenta conferre.

Vers. 20. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat*: Abhinc die tertio Pharao nascitur, cum post ineptam quæ primo intus oritur quasi quædam lux lætitiam, & verborum deinceps iactantiam, & apertam postremò iam, & securam, ac si de clarissima scientiæ suæ die fiduciam. Pharao, idest dissipator sanctitatis, in animo nequam appetitus exurgit. Vicissim enim hæ in nobis funestæ claritudines sibi succedere solent. *Qui faciens grande conuiuium pueris suis recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis.* * *Restituitque alterum in locum suum, vt porrigeret Regi poculum*: * *alterum suspendit in patibulo.* Conceptus corde Pharao vsque ad robur pertinaciæ per triduum, quod prædiximus, euehitur, & tunc pessimarum pabulo gloriarum, pueriles & circumlatas omni vento doctrinæ cogitationes distendit. Inter epulas recordatur magistri pincernarum, & pistorum principis, cum post vel inter fastuum quasi quarumdam dapium ingurgitationes, ex ipso superbiarum pondere recordari nos facit, hinc quidem principalis nostri boni, quod est pietas voluntatis, quæ scilicet ergastulo addicitur, illinc rationis subtilitatum diuinarum magistræ quæ itidem typo allicitur.

* Vers. 21. *Vers. 22.

Alterum ergò in locum suum, vt Regi poculum porrigeret Pharao restituit; alterum patibulo suspendit, quia dum ex contuitu fatuitatis, & superbiæ nostræ fatigari incipimus, ex ipsa sua instigatione occasionem restitutionis, diabolo licet inuito ministrante, voluntas nostra accipit, & locum piæ intentionis, qui propriè noster est, repetiit, vt filiæ Babilonis, idest fluxui tentationis, qua confundimur, retributionem quam nobis retribuit, quasi poculum Pharaoni retribuamus; & intellectum quarumque scientiarum quasi pistoriæ artis principem (per hoc enim quæque ac si pinsendo discutimus, ne in superbiam efferamur) diuini timoris patibulo affigimus, immò suspendimus, idest ab appetitu infimo subleuamus. Hæc Pharao agit, quia dum nos tentat diabolus, aut prauus appetitus ad ista necessitate nos cogit, mentem enim ad Deum & ad se ipsam coadunat & stringit. Veritas coniectoris inde probatur, dum sancti profectus desiderium verax, & æquitatis continens, in æternorum transitoriorumque discretione ex effectibus iudicatur. * *Succedentibus prosperis, præpositus pincernarum interpretis sui obliuiscitur.* Nam licet molestiæ interiores cum difficultate vincantur, pace tamen quantulacumque secuta proficiendi appetitus facile ab animo diducitur.

*Vers. 23.

CAPVT XLI.

Vers. 1. *Post duos annos vidit Pharao somnium.* Annus primus in diuina cogitatione; secundus in boni operis accipitur executione. De quibus in Psalmo est: *Intellectum tibi dabo*, inquit *& instruam te*, vt intellectui coopereris tuo. Sicut enim annus diebus, ita vtrūque piis fulget actis & sensibus. Tertius in quo somnium videtur, perseuerantiæ intentio est, vnde illic sequitur: *Firmabo super te oculos meos*, scilicet vt secundem prouentus tuos: Post annum ergò, idest illustrationem cœlestis scientiæ, itémque annum operationis, videlicet institutionem piæ cum firmitas proponitur perseuerantiæ, prauitas nostri

Psal. 31. 8.

appetitus, qui dissipatoris, quod est Pharao, A iure censetur nomine: vel etiam ipse diabolus subtili quadam scientia sua, & instar somnij sibi soli cognita, portendit apud se ac prouidet futura post gratiæ experientiam discrimina.

Vers. 7. *Euigilat post quietem Pharao*, * *& facto mane pauore perterritus, misit ad coniectores Aegypti, cunctosque sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur.* * Vers. 8. Quies Pharaonis, calliditas est, qua ad horam differt molestiam impugnationis. Euigilat, cum animum per turbam tentationis incursat. B Facto mane pauore terretur, cum inter tentandum clarificata diuinitus mente de subita repulsione turbatur. Mittit ad coniectores Aegypti cunctósque sapientes, cum spiritualem cogitationem circumuenire, ac vestigare eius intentiones per mundanæ nititur astutiæ ratiocinationes. Accersitis somnium narrat, cum coaceruatâ internorum motuum frequentiâ, de incertitudine inuisibilium diabolus disputat. Non est, qui interpretetur, quia spiritualis animus cum omnia iudicet à carnalitate non circumscribitur. C

Vers. 9. *Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum*, & cætera. Tunc pincernarum magister reminiscitur, peccatúmque fatetur, cum bona voluntas, quæ salubris potum consilij cordi aduersus Pharaonem propinat, negligentiæ se arguit, quod aliquantula quiete arridente animi appetitum intermiserit excrescendi, quod est interpretis obliuisci. Ioseph, qui augmentum sonat, ideo interpres dicitur, quia numquam arcani capax diuini mens esse D potest, quæ non semper cœlestis incrementi appetens est. * *Iratus Rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum.* *Vers. 10. Rex, idest diabolus qui filiis superbiæ dominatur, seruis suis, non qui sunt, sed qui fuerunt, & iam à veritate liberati sunt, irascitur; in hos enim atrocius inuehitur, ipse voluntatem, liberum scilicet arbitrium, & discutiendi ac si pinsendi principem intellectum retrudit in carcerem principis militum, quia cogit per impugnationis ambitum, & coërcet veluti intra ergastulum eiusdem E Sathanæ, qui princeps eorum est, quæ militant aduersus animam, vitiorum. Reliqua, vt superius exposita sunt, intellige.

Vers. 12. Quòd verò dicit; *Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis famulus.* Ducem sanè olim ipsum diabolum secutus, sed ad pueritiæ nouitatem innocentiámque reuersus, factus enim erat transitor, quod est Hebræus in carcere, de quo legitur in Apocalypsi, constitutus: Apoc. 2. 10 *Ecce*, inquit, *missurus est ex vobis diabolus in carcerem*, & cætera. Vers. 14. *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei.* Ad Règis imperium de carcere Ioseph educitur, non quòd diaboli imperium ad nostri pij desiderij liberationem, nisi solius Dei valeat, sed quia iuxta quorumdam prauitatem sensus laxare creditur, à quorum impugnationibus Deo iubente cessat. Vnde & apud Danielem Nabuchodonosor percutere, humiliare, & occidere dicitur quos volebat, cor cuius tamen non nisi in manu Dei erat. Dan. 5. 19. Tondetur, dum ea, quæ inter tentationes succreuerat superfluitate, promptæ ferro discretionis & geminæ forcipe caritatis priuatur. Vestis mutatur, dum mentis habitus innouatur. Ab his à quibus attonsus est, Pharaoni offertur, cum per spiritualium subsidia motuum ad hoc vt diabolo obsistat, promouetur. Offerre enim ex ob & fero, fers, compositum, propriè dicitur contra ferre. Vnde & apud Comicum vitium fœliciter dicitur virgini oblatum, violentiam plane significans.

Vers. 15. *Vidi*, inquit, *somnia, nec est qui edisserat.* Ex industria hostis, & quasi ad imperium vt præmisimus suum, ab oppressione nostra quiescit, vt quietis ac securis quasi per quæstionum reuolutiones inferat, quod impugnando non poterat. Est ergò sensus. Vidi, inquit, idest, intellexi incertitudinem inuisibilitatum quæ appetis, quia quibusdam quasi somniis illuderit, nec est qui edisserat ea quæ cogitas vigor alicuius rationis; *quæ audiui te prudentissimè coniicere*, idest quæ comperi te non scientia attingere, sed coniecturis æstimare. Nota quod somnia vidisse, coniecturæ famam se asserit audisse. Certior est autem visus, quam auditus. Certò, ait, teneo somniorum illa similia esse, quæ te ac si ex rumore haurio prudentissimè, idest prouidentius quam necesse est velle coniicere. * *Respondit Ioseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* * Vers. 16. Quod est, dicere: Non meis æstimationibus, sed diuinis aspirationibus tibi diabole, & tuis illationibus vtilia, & congrua referentur.

Vers. 17. *Ait ergò Pharao: putabam me stare super ripam fluminis*, * *& septem boues de amne consurgere, pulchras nimis, & obesis carnibus: quæ in pastu paludis virecta carpebant.* * Vers. 18. Ripa fluminis super quam stat Pharao, mundi huius est abrenunciatio, in qua dum à seculi fluctibus tuti sumus sub aliis speciebus, spiritualium scilicet vitiorum, diaboli subiicimur vestigio. Quidam enim portus maris, contemptus est curæ mundialis. Super ripam & superiùs super fluuium stare se putat, quia non solùm fluuium secularitatis sibi subiugat, sed etiam fiduciam habet quòd Iordanis, hi scilicet qui à fastibus seculi descendêre, in os eius potestatis influant. Septem boues, septem mihi videntur signari spirituales virtu-

Isai. 11. 1. tes, quas Propheta memorat, super florem A quiescentes, per quas innuit bonorum omnium plenitudines, hic enim numerus signat vniuersitates. Potest & quatuor principales virtutes, cum tribus naturalibus nostris, intellectu videlicet, ratione & imaginatione mixtas, signare; quæ terram sensualitatis nostrę ac si boues subigendo discutiunt. Pulchræ autem sunt nimis, & obesis carnibus, quia eis, cum possidentur, nil omni parte beatius, præter Deum nihil est purius. Fœmineo autem dicuntur genere, quia totius religionis sunt matres ac materiæ. Ascendunt de flumine, qui sese proripiunt à B seculi conformitate. In pastu paludis virecta carpunt dum in præsenti vita, quæ palus, & illecebra est, spei immortalitatis amœnitate carptim tamen, per speculum scilicet, & ænigma sese reficiunt.

Vers. 19. *Et ecce assequebantur aliæ septem boues, in tantum deformes, & macilentæ, vt numquam* *Vers. 20. *tales in terra Aegypti viderim:* * *quæ deuora-* *Vers. 21. *tis & consumptis prioribus,* * *nullum saturitatis dedère vestigium: sed simili macie & squallore torpebant.* Per septem alias boues aut temporalitas, quæ septem diebus excurrit, aut tota humanitas, quæ quatuor per corpus C elementis constat, & in anima, ingenio, voluntate, & affectu præminet, figuratur. Hæc cum absque Dei amore habentur, à spiritualis boni pinguedine, & à Dei imagine deformantur, quæ priores & sequuntur & deuorant, quia multis post sanctitatis eminentiam turpiter ingeri contigit & humanitatis desidiam, & temporalitatis luxuriam, ita vt per reprobi sensus miseriam Aegyptiorum, idest secularium, qui nil vmquam proposuêre boni, transgrediantur spurcitiam, & non prioris solùm vitæ non doleant ca- D sum, aut de eius memoria, quia eam consumpserint, lacrymarum tandem aliquem exigant quo reficiantur sumptum; sed simili quo semel imbuti sunt peccati squallore tabescunt.

*Vers. 22. *Euigilans, rursus sopore depressus,* * *vidi somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo* * Vers. 23. *vno, plenæ atque pulcherrimæ.* * *Aliæ quoque septem tenues & percussæ vredine, oriebantur ex* *Vers. 24. *stipula:* * *quæ priorum pulchritudinem deuorauerunt.* Dum nostris in cogitationibus, sanctitatis quod arripuimus proposito, quasi ruinas comminans typicus Pharao hæc loqui- E tur. Euigilat, quia per talium in animo meditantis retractationem fortunarum magnam inquietudinem excitat. Rursum tamen deprimitur, quia timor huius ingestionis aliquando sopitur. Vidi item somnium, vt quod suggestionibus iam impegit, perniciosiùs per consensum intimet, somniorum videlicet similem bonorum spiritus inuisibilium. Vnde & hodie inter aliquos Grammaticos ad illiteratorum exitia grauis de prædestinatione quæstio est.

De prædestinatione agunt Grãmatici.

Spicæ septem virtutum plenitudo est, vnde & plenæ pulchræque dicuntur, vbi cum palearum integumenta, & aristarum adsit hispiditas, superfluitates cogitationum oppansas, & nequam affectionum solicitudines in excitato iam animo signat erectas. In culmo autem vno pullulant, quia cum vna sit fides, vnum baptisma, vnúsque Deus, ex hac ipsa vnitate necesse est surgant. Potest & in culmo mens ipsa, ob sui inconstantiam dici notata, quam cum suis fructibus, septem aliæ temporalitatis animalitatísque stipulæ steriles, & inanium gloriarum per auras exustæ subruunt, subrutásque totius pij actus obliuione consumunt. Hinc & fœtas illas tenues boues dicit, non propter fœcunditatem, sed quia virile opus vicinia effœminatæ voluntatis eneruat & illicit.

Narraui coniectoribus somniorum, nec est qui edisserat. Quod est dicere. Hæc, inquit, quæ tuæ suggessi prudentiæ multis aliis ingenio præditis, & inuisibilia sagaciter discutientibus intuli, sed nil constans, vel fide dignum ab his accepi. * At Ioseph: *Somnium,* *Vers. 25. ait, *Regis vnum est: quæ facturus est, Deus ostendit Pharaoni.* Ac si dicat. Præponere me præsentiâ tuâ de futuris & tentationum insuper me vis absterrere molestiis, sed noui quia fabulę, quas intendis, post sanctitatis studia ruinam in tentando, vnum portendant, vt scilicet me à bene agendo diuertas, & cum omne sublimiter videas, & Rex sis super omnes filios superbię, ostendit tibi Deus quomodo iustorum corda per tentationes humiliet, & eos ex humilitate seruatos, in perpetuum te cum tuis iuxta nomen tuum dissipationibus damnato, coronet. Eamdem ergò vim somnij comprehendunt * septem *Vers. 26. boues pulchræ, & septem spicæ plenæ, quia & si de nostra prouectione graueris, tamen ipsum nostrum profectum ideo loqueris, vt ab hoc ipso nos reuoces, dum infortunia ventura minaris.

Somnia ergò, idest vana & cassa hęc, quantum ad te sunt, qui non nisi quod prauum est nobis prospicis, nobis autem cum aduersa vigilanter pręuidemus somnium tuum vim habere cognosces perspicuę veritatis, dum non deficimus per ea sed subsistimus. Vbertatem enim supernæ dulcedinis septẽ anni spiritualium luminum plenitudinis typi nobis important, sed de flumine, quod iuxta Psalmistam pertranseundum est, humilitatis pede, Psal. 65. 6. idest de pręsentis excursu seculi, exurgit succi cœlestis egena instar vaccarum imago tetra libidinum, quæ absumit quicquid, quantum ad eius æstimationem qui patitur,

Prou. 24. 16.

interius eſt virtutum. Vnde dicitur: *Septies cadit iuſtus*, ſecundum demiſſionem animi, & reſurgit iuxta reditum virtutum & ſpei. Septenarium famis ad motum ſeculi referimus, ex qua parte penuriis abundamus,

Quod vidiſti ſecundò ad eandem rem pertinens, omnium firmitatis indicium eſt, eò quòd fiat ſermo Dei, & velociùs impleatur. Vidiſti, inquit, ideſt experiri ſingulariter me feciſti. His enim, qui nobis infeſti ſunt, dicere ſolemus, me ſolum vidiſti. Experiri me ergò feciſti primò per ſuggeſtionem, ſecundò per delectationem, ad eandem tuæ non meæ deſtinationis rem pertinentem, firmitatis omnium meorum ſpiritualium votorum, cum inter incentiua tua perſtiterint indicium eſt, eò quòd ſermo Dei fiat, ille ſcilicet, ſi ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, & velociùs impleatur, vt non illapſa delectatio ad effectum ducatur.

Verſ. 33. *Nunc ergò prouideat Rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti*: *Verſ. 34. * *Qui conſtituat præpoſitos per ſingulas regiones*: *& quintam partem fructuum per ſeptem annos* *Verſ. 35. *fertilitatis*; * *qui iam nunc futuri ſunt congreget in horrea*: *& omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſeruetúrque in vrbibus* *Verſ. 36. * *futuræ ſeptem annorum fami.* Ac ſi diceret, dum mihi hæc augmentum cœleſte quærenti fallacibus minis intentas, intellectum ad huiuſmodi viribus & induſtriâ refellenda valentem mihi ineſſe Dei gratiâ prouidere debueras, qui dum terreni corporis huius deſideriis me ſubiicere moliris, ipſi quod reuera terra Ægypti, anguſtiæ ſcilicet & tenebrarum eſt; dum me vrges, cauſas principandi ingeris, taliter ſanè ſollicitatus ipſe intellectus per ſingulas ſenſuum exteriorum regiones, potentes rationis motus ad tutelam intimam præſtituit, qui eorumdem quinque ſenſuum frugalitatem quamdiu plenitudo introrſum cœleſtis exuberat, conſcientiæ horreo condens neceſſitatis tempori conſeruet & augeat. Illius, inquam, quando tu ad diſſipationem animi poteſtatem tentandi acceperis, & in vrbibus internæ quarúmque virtutum cuſtodiæ, vel ipſorum ſenſuum temperantiæ omnis fertilitatis illius, quo valles abundant frumenti, ſupernæ ſcilicet ſapientiæ, fami diſpenſatoriè guſtandi verbi Dei ad depreſſionem à Deo mentis inductæ, paretur; quæ quidem fames Ægyptum opprimit, quia mentis coanguſtatæ tribulationibus crebris obſcuritatem quadam conſilij egeſtate magis quaſi ad mali cumulum conquaſſat, & contegit: & cum ita fiet, non conſumetur terra inopia, reſeruato enim piæ intentionis ſemine æſtiuis ſerenitatibus adinſtar formicæ, in modum terræ cultibilis, cordis noſtri feracitas ſubſiſtere poterit tentationis hyeme.

Verſ. 37. *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis miniſtris ſuis*: * Verſ. 38. * *Locutúſque eſt ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?* Placere Pharaoni nihil aliud eſt, niſi euidentiæ rationis quaſi cedere, aut prauo affectui, qui & ipſe Pharao eſt, ſubiici, atque acquieſcere. Miniſtri autem ſunt motus animalitatis noſtræ. Poterimus, aiunt ipſi appetitus cum ſuis ſtimulis, quippiam vt ſic dicatur virtuoſius, & quod magis Dei congruat ſpiritui inuenire, quàm intellectum qui tot incommodis valeat ſolus obſiſtere? *Verſ. 39. * *Quia ergò oſtendit tibi Deus quæ locutus es.* Ideſt quia ingenio præmines prouidentiæ à Deo tibi dato, quia enim Deo adhæres, vnus ſpiritus es; * *Tu eris ſuper domum meam.* *Verſ. 40. Ideſt te præferam mundo, domui quondam meæ, quam ſi filia Regis eſſe velim obliuiſci iubeor, quia veteris patris mei diaboli domus eſt, nec ſolum ſed & concupiſcentiis eius. *Et ad oris tui imperium cunctus populus obediet.* Ille nimirum qui in Pſalmo obliuioni tradi iubetur cum præfata patris domo: Pſal. 136. 5. ſed licet oris, ideſt rationis imperio popularitas vitiorum obtemperet, vno tamen ſolio carnalis appetentiæ præceditur, quia à nemine mortalium, vel in minimis ex toto ſuperatur.

Verſ. 41. *Ecce, inquit, conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.* Si domus & populus tibi ſubiicitur, tota ergo terrenitas ſecularitatis illico tibi parere cogetur. Hæc verba ſub Pharaonis ſpecie ſic diabolo coaptantur, vt non beniuolentia ſed neceſſitas, qua nobis victus non officere ſinitur, intelligatur; & ſic appetitui conueniunt prauo vt euidentiùs rectiúſque valeant concordare correcto. * *Tulitque annulum de manu ſua, & dedit in manu eius: veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumdedit.* *Verſ. 42. Annulus in manu Pharaonis, myſterium eſt iniquitatis in ſtudio operationis, ſed ab ipſo Ioſeph datur, cum ad ſanctitatis deſiderium affectus à cupiditatum peruerſitate transfertur. Annulo autem celanda ſignantur, per quod nequitiæ velamentum accipitur. Stola byſſina, eſt incorruptionis in ſpe iam gloria, vel conſcientiæ munditia. Hac nos veſtit, cum ad hanc induendam non impedit. Recole Euangelium de prodigo ſed pœnitenti filio, quæ Lucæ 15. 22. reuerſus à patre dona percipiat. Collo vocem emittimus, cibúmque & admittimus, per quod vim conſilij accipimus, quod nobis aliiſque impendimus. Huic torques aurea circumponitur, cum ſupernæ documento veritatis, qua nil pretioſius eſt, & munitur locutionis nullo obſiſtente, & illuſtratur noſtræ diſcretionis virtus.

Vers. 43. *Fecit quoque ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, vt omnes coram eo genuflecterent.* Currus Pharaonis impetus est ambitionis. Secundus autem currus est, non iam materialium cupiditas, sed illa quae praecipuè sanctos viros voluntariè pauperes impetit, humanae laudis auiditas. Maior verò priore, sequentis acerbitas. Super hunc ascendere eum facit, cum coelesti desiderio auaritiae excursum deprimi permittit. Hi enim in curribus & hi iocundantur in equis, idest, hi in cupiditatibus, & hi in superbiis. Praeco clamat cum sacrae paginae, aut diuini timoris vox vicina crebrò cordi, & auribus enuntiat; vt omnis corporeae insolentiae rigor ad appetenda aeterna quidquid sibi inest ceruicositatis inflectat. * *Ego sum*, inquit, *Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in tota terra Ægypti.* Ego naturaliter cum sim leuitatis & malorum appetens, tuis à modò imperiis, nec in terra Ægypti corpore, scilicet corruptibili quod aggrauat animam, pedem affectionis, aut manum operationis moturus est deinceps citra conuenientiam tuam.

Psal 19. 8.

* Vers. 44

Vers. 45. *Vertitque nomen illius, & vocauit eum lingua Ægyptia saluatorem mundi.* Vertit ergò, idest verti facit quod secundum veterem statum prauus vocabatur appetitus, nunc dicitur pietatis affectus. Linguâ Ægyptiâ vocat eum Saluatorem mundi, quando per experientiam tribulationis sese coangustantis hoc enim sonat Ægyptus; linguâ, idest sententiâ per poenitentiam pristinae vanitatis commutatâ, carnalitas mundialitasque coelestium appetitum salutis propriae fatetur auctorem. *Deditque illi vxorem Aseneth, filiam Putifaris sacerdotis Heliopoleos.* Asceneth ruina interpretatur. Putifar os inclinans ad dissecandum. Heliopoleos, solis ciuitas. Filia praui nostri appetitus, qui os, idest aditum conscientiae semper inclinat, vt quod spiritu Dei vnitum est, dissecet & dirimat, ruina peccati est. Concupiscentia enim cum conceperit parit peccatum. Pharao dicitur dissipans, vel discooperiens eum. Haec vxor Ioseph à Pharaone datur, quando ab ipso nequam appetitu ob causas suae primò per vitia dissipationis, deinceps foedae ad omnem infamiam discoopertionis superni augmenti desiderio, velut vxor adiungitur, vt dum perpetratorum malorum ruina perpenditur, & iniquitatum earumdem fructus, quem signat Pharaonis, Putifarisque nomen, attenditur; inde proles pij operis propensius propagetur. Putifar sacerdos est, Heliopoleos, quia nequitia concupiscentiae sacra, idest execrabilis dux est viae, qua itur ad ciuitatem, non veri solis, cuius artifex & conditor Deus est, sed quam eam aedificat vbi feruent incendia multifidae tentationis.

Iacobi 1. 15.

Egressus itaque Ioseph ad terram Ægypti * (*triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis*) *circumiuit omnes regiones Ægypti.* Ad terram Ægypti egredi dicitur, & sic Ægypti regiones circumire, quia nisi seculi terrenitatem animi maiestate excesserimus, omnes sensualitatis nostrae partes, quasi Ægypti latera, debita auctoritate despicere non possumus. Licet ergò in corpore constituti extra eius desideria, quasi extra castra, ad eum, qui extra portam passus est, exire debemus. Sicut enim quispiam foetoribus assuetus, miseriam quam patitur putoris ignorat, donec ad liberi ac nitidi aëris puritatem procedat, ita vitiorum confusione submersus, ipsas malorum nequaquam quibus obsidetur atrocitates attendit, donec ipsas pestes praelibato aromate honestatis excedat. Vnde & in Apocalypsi à longe dilectores Babilonis dicuntur stare, vt eiusdem interitum ab ea semoti valeant pensare. Ternarius ad Trinitatem, denarius ad praecepti attinet executionem; quae duo cum nobis sunt in desiderio, satis iam congruit in conspectu Pharaonis, quod est praesens violentia daemonis, statio, idest ad eius illationes decertatio.

* Vers. 46.

Heb. 13. 12.

Apoc. 18. 15.

Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Ægypti. * *Omnis etiam frugum abundantia in singulis vrbibus condita est.* Vbertatis tempore in manipulos rediguntur segetes, cum prosperitate diuinae arridente dulcedinis, bona nostra passim ac quaelibet acta sub censura ac si sub vinculo superni constringuntur amoris, quod est oleum habere in vasis. In horrea congregantur Ægypti, quia thesaurum hunc habemus in fictilibus vasis. Frugum abundantia in singulis vrbibus congregatur, cum plenaria continentiae virtus in vno quoque sensuum stabilitur, immò conditur, quod occultationem vigilanter sonare intelligitur. * *Tantaque fuit multitudo tritici, vt arenae maris coaequaretur, & copia mensuram excederet.* Multitudo tritici maris arenae coaequatur, cùm virtutis exuberantia, tùm mentis serenitas, ac leuitas conueniunt, & iunguntur. Arena enim mollis & grata planitie est. Copia mensuram excedit, cum bene agendi facultas vltra humanae consuetudinis vsum plerumque suppetit.

Vers. 47.

* Vers. 48.

* Vers. 49.

Nati sunt autem Ioseph filij duo antequam veniret fames: quos ei peperit Asceneth, & caetera. Filij eius animae coelestis augmenti auidae nascuntur, dum praemisso poenitentiae bono sanctitatis opus subsequitur. Haec ex ruina dissecantis appetitus filia, quem ductorem habuit ad criminum solstitia; gi-

Vers. 50.

gnuntur, quia vbi abundauit peccatum, gratia vberior iuxta Apostolum infunditur. Solis nomine æstum tentationis accipi, teste est illud, quod orto sole æstuauerunt homines, vt Dominus ait: * Primogenitus dicitur Manasses, qui dicitur obliuiscens quia, inquit, *obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Illa enim pœnitudinis est veritas, si vetera, & præterita, in quibus laborauimus, & onerati fuimus, obliuiscentes; & domus diabolicæ paternitatis nobis aditum obstruentes, ad futuram nouitatẽ extendamur. * Secundus Ephraim vocatur, quod fructificans dicitur: *Crescere enim*, ait, *me fecit Deus in terra paupertatis meæ*: in quo intelliguntur pietatis exercitia, quæ fructus sunt vitales emergentes iam in corpore, quod fuit olim internæ paupertatis, dans materiam terra, vbi & accipimus verso ordine nunc incrementa.

Rom. 5. 20. Matth. 13. 6. * Vers. 51. Vers. 52.

*Igitur transactis septem annis vbertatis, qui fuerant in Aegypto: * cœperunt venire septem anni inopiæ: quos prædixerat Ioseph & in vniuerso orbe fames præualuit.* Diuinæ infusionis plenitudine exacta, interioris victus accedit inedia, quia nisi gratia ad tempus deserat, tentatio locum non inuenit, quo se inferat: & in vniuerso orbe, omnimoda videlicet perfectione, quæ pridem fuerat languoris interni miseria incubat. Orbis ob sui rotunditatem pro perfecto ponitur; vt est: Auribus percipite qui habitatis orbem. *In cuncta terra Ægypti non erat panis. * Qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens.* In tota terra Ægypti non est panis, quia in omni mundiali desiderio non est vlla alimonia mentis. *Non enim inuenio*, ait Apostolus, *in carne mea bonum.* Pane verò gratiæ consumpto Ægyptus tenebrarum, & tribulatio coangustans, non habens vnde inanitatem ventris adimpleat, & in siliquis constans nihil reperiat, meritò esurit. Clamat ad Pharaonem, quia iuxta Euangelium expetit regionis principem, sed dum non reficit ex porcorum cibo famem, quasi ex principis vel Pharaonis responso repetit, & exoptare cogitur mercenariorum panem. *Ite*, inquit, *ad Ioseph*, cœleste augmentum appetite; *& quidquid vobis indixerit, facite.* Sicut enim cupiditas malorum, sic omnium est pia affectio magistra bonorum.

Vers. 53. * Vers. 54. Psal. 48. 2. * Vers. 55. Rom. 7. 18.

Crescebat autem quotidie fames in omni terra: quia gliscente motuum corporalium morbo, non habet quod defectui suo propinet, aut suggerat inops conscientia; quærendi ergò sunt ab amico Ioseph tres panes, qui apponantur Ægypto reuersæ de via. *Aperuitque Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames. * Omnesque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Ioseph vniuersa horrea aperit, cum interni auiditas profectus assurgens, totius rationalitatis iuxta quod cuique rei congruum est, copias pandit. Ægyptiis vendit, dum ab eis quod Ægyptij sunt, idest quod secularitati intenderunt, per confessionem accipit & postmodum stipendia dignæ consolationis expendit. Illos enim opprimit fames, quia motus præcipuè ægrimoniam hanc perferunt animales. Omnes prouinciæ veniunt in Ægyptum vt escas emant, cum omnes exterioritatis nostræ dispersiones ad tribulationis angustiæ, moeroris etiam ac tenebrositatis propriæ miserias contuendas accedunt, vbi remedium sibi refectionis cuiusdam ex doloris impensione exigunt. Fuerunt enim cuidam lacrymæ suæ panes die ac nocte. Aegyptus autem, & tribulationem & cætera quæ præmisimus nomine sonat.

Vers. 56. Luc. 11. 5. * Vers. 57. Psal. 41. 4.

Explicit Liber Moralium Geneseos Nonus.

INCIPIT LIBER DECIMVS
MORALIVM IN GENESIM.

AVXILIANTE Deo decimum, quem & putamus vltimum, in genesi libellum adorimur; illum qui pro se laborantibus denarius est, exorantes, vt qui huc vsque excursum dedit, finem largiatur honestum. Honori namque suo in hoc opusculo, & saluti suorum volumus militare seruorum. Sequitur ergò sacra historia,

CAPVT XLII.

AVdiens autem Iacob quòd alimenta venderentur in Ægypto dixit filijs suis: Quare

Vers. 1.

*Vers. 2. negligitis? * *Audiui quod triticum venumdetur in Ægypto: descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia.* Intelligit verus peccati supplantator, intellectus scilicet noster, hoc enim audire suum est, quòd in Aegypto, ideſt in propriæ miseriæ confessione spirituale acquiratur alimentum: *Os enim meum aperui, & attraxi spiritum*; (Psal. 118. 131.) & cogitationes ex scientiæ semine genitas tamquam filios de negligentia arguit. Descendite, inquit, ideſt humiliamini, & piæ pretium pœnitudinis impendite, vt opem consequamini quæ necessaria est vitæ. * *Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta, in Ægyptum, Beniamin domi retento ab Iacob, qui dixerat fratribus eius:* * *ne forte in itinere quicquam patiatur mali.* (*Vers. 3. *Vers. 4.) Decem fratres Ioseph, vel virtus vniuersa ad decalogum instituta, vel corpus & anima amori Trinitatis innixa, cœlesti incremento germanè coniuncta, ad pabula interna quærenda se flectunt; sed Beniamin, qui filius dexteræ dicitur, amor scilicet cœlestis vitæ, ab Iacob domi tenetur; quia spiritui intra conscientiam semper necesse est, vt indiuiduè astringatur; ne si exterius prodeat, inter inanium fauorum auras damnis aliquibus tenuetur.

Vers. 5. *Ingressi sunt terram Ægypti, cum alijs qui pergebant ad emendum.* Terram Aegypti ingrediuntur cum terrenæ affectionis tenebras & angustias, vires interioris hominis congestæ irrumpere, ac obtinere nituntur; vnde & alios, qui iisdem piis mercimoniis institêre, vel instant, sanctos viros imitantur. *Erat autem fames in terra Chanaan.* Chanaan dicitur paratus humilitati, significans animum, eadem quæ per Aegyptum figuratur terrestri affectione; quasi iniqua quadam humilitate, deiectum, & internæ præstolantem famis interitum, nisi à Ioseph prælato Aegypti vitalis sibi tritici fuerit largitione subuentum. (Vers. 6.) *Cúmque adorassent eum fratres,* * *& agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: vnde venitis? De terra,* inquiunt, *Chanaan, vt emamus victui necessaria.* (*Vers. 7.) Adorant, cum in veneratione habent: agnoscuntur, cum nostri rationales motus dulcedinem eius experiuntur ac diligunt. Appetitus cœlestis quasi ad alienos durius loquitur, dum diuina dispensatione minus arridet plerúmque menti quàm ipsa voluerit. Vnde ait superna sperare poteritis, qui à seculari amore non disceditis? Terrenitatem aiunt, qua dæmoniis vt transirent iniquæ humilitatis dorsum præbebamus, nos incuruari iubentibus reliquimus, & alimoniam vitalitatis æternæ datis præsentium impendiis requirimus.

*Vers. 8. *Et tamen fratres ipse cognoscens, non est agnitus ab eis.* Fratres cognoscit, cum totius sanctitatis mores à nobis cognosci facit: ab eis verò non agnoscitur, quia & si ex aliquo amore partim videtur & scitur, numquam tamen augmentum spirituale in hac vita ad perfectum capitur. * *Recordatúsque est, somniorum quæ aliquando viderat, & ait ad eos: Exploratores estis: vt videatis infirmiora terræ venistis.* (*Vers. 9.) Recordatur somniorum, cum sibi præponit assiduè qua imbutus est prouidentiam futurorum. Non ita, inquit, vt dicitis Chananitidem respuistis, sed non solum infirma quæ humanitati attinent, verum infirmiora, quibus terreni animi sordent, scilicet vitia intentiones vestræ explorare student. * *Non, aiunt, ita est Domine,* sed serui tui officiorum cœlestium memores, his ac si cibo refici expensa in pretium omni voluptate desiderant. (*Vers. 10.) * *Omnes filij vnius viri sumus.* (*Vers. 11.) Illius videlicet quem pro sui vnitate septem mulieres apprehendunt: & quia vir est & vnus est, pacifici iam apud Deum & homines venimus. Cúmque Deo & proximis pro Deo placere gestimus, quid mali æstimas machinemur? * *Immunita,* ait, *terræ huius considerare venistis.* (*Vers. 12.) Quod est opportunitates adhuc peccandi obseruatis, nec ad vires animi sed fragile corpus attendentes desipitis.

Duodecim, inquiunt, serui tui fratres sumus. (Vers. 13.) Quia per Trinitatis amorem quatuor Euangeliorum, vel quatuor principalium virtutum perfectiones germana pariter deuotione prosequimur; & cum in terra Chanaan essemus, ad filiationem illius vnius, de quo iam dictum est, viri vocati sumus. *Minimus* non propter indignitatem, sed propter spiritualitatis subtilitatem, spes scilicet nostra cum patre cœlesti est; vbi etiam secundùm hanc diuersamur; *Alius non est super,* quia mundi appetitus, qui nos super equitauerat olim iam supernorum desiderio est subter. * *Hoc est, ait, quod locutus sum, exploratores estis.* (*Vers. 14.) * Tarsis dicitur exploratio gaudij. (* Nonnihil hîc deesse videtur.) In spiritu autem vehementi conterit Deus naues Tarsis. (Psal. 47. 8.) Iam nunc experimentum capiam mundana vos adhuc aucupari gaudia. * *Per salutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.* (*Vers. 15.) Salus Pharaonis est, non qua Pharao saluatur, sed qua potius à typici Pharaonis incursione saluamur. Ita, inquit, à bonorum omnium dissipatore saluer, quòd non hinc, ideſt ab appetitu cœlestis augmenti, excedere ad terrena vos liceat, donec spei æternæ fructus, qui in cœlis apud patrem absconditus est, veniat. Minimus etiam ideo est, quia & minimi amplius diligi, & curari solent, quod totum attinet ad spem.

Vers. 16. *Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ*

dixiſtis. Vtrùm vera an falſa ſint. Illum vnum principalem mittite, ac ſi ſequeſtrum caritatis affectum, vt quod proſpicitis ſpe exhibeat vobis in re. Vos autem interim à ſeculari cohibendos ſub diſciplinæ vinculis ſcitote laſciuia, vt probetur ſub meis accuſationibus, veſtræ deuotionis ac perſeuerantiæ defenſio facta. * *Tradidit ergò eos in cuſtodia tribus diebus.* * *Die autem tertio eductis è carcere, ait: Facite quod dixi, & viuetis: Deum enim timeo.* Prima dies eſt conuerſio: ſecunda virtutum promotio: tertia cœleſtis remuneratio. Sub conuerſionis ergò vocatione, ſub promotionis iuſtificatione, ſub remunerationis adhuc tantùm per ſpem glorificatione, rationis mancipamur cuſtodiæ; ſed cùm de timoris die tertio eruimur carcere, iam placidiùs monet vitam mandatorum impletione mercari. Deum enim, inquit timeo, non pœnaliter iam, ſed ex parte paternitatis deſiderio. * Si ergò pacem à vitiis mecum iam habere cœpiſtis, frater veſter vnus ligetur, caritas illa nil iam ſuſpecta de ſupplicio carcerem à modo lugeat, quo retinetur à regno; vos autem abite ab intentione foraſtica, & diuini ſaporis ad ſingularum diuerticula virtutum ferte frumenta, * ex quo minimus frater, ſpes videlicet mihi ampliata proueniat, & veracior veſtræ allegationis ad vitæ præmium profeſſio pateat.

*Vers. 7. *Vers. 18. *Vers. 19. *Vers. 20.

Fecerunt vt dixerat, * *& locuti ſunt ad inuicem: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ eius, cum deprecaretur nos, & non audiuimus. Iccircò venit iſta tribulatio ſuper nos.* Poſtquam deſiderio cœleſti factis acquieſcimus, & grauitudinem vitæ mutationis attendimus, intra nos iſta conferimus: Hæc meritò difficultatum mala patimur, quia contra interiorem hominem peccauimus, cum ipſe legi Dei; quoniam bona eſt, conſentiens, inter auguſtias tentationis inuitus, & quaſi ratiocinans traheretur ad culpam, & non audiuimus; iccircò in quo gratis & nullo cogente ruimus, iuſtè ſub indeſinenti malorum tribula iacemus. Propter hunc fratrem, ne ſcandalizetur, in æternum carnem non manducat Apoſtolus. *E quibus vnus Ruben ait: Numquid non dixi vobis: nolite peccare in pueram, & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur.* Conquerantur taliter aduerſum ſe motus interni, ſed Ruben, qui dicitur videns in medio, ideſt ratio, quæ corporalia communiter ſpiritualiáque diiudicat, ſuper ſua eos redargutione commemorat, quòd in ſe hebetem ſcilicet adhuc, & ad conflictuum labores teneram peccare vetuerit & audire, ſpernentibus peccati, quod eſt ſanguinis, Deus pœnas intulerit.

*Vers. 21. 1. Cor. 8. 13. Vers. 22.

Neſciebant autem quòd intelligeret Ioſeph: eò quòd per interpretem loqueretur ad eos. * *Auertitque ſe parumper, & fleuit: & reuerſus locutus eſt ad eos.* * *Tollens Simeon, & ligans illis præſentibus.* Dum ita de animorum ægritudinibus ſenſus interni ingemunt, hanc ipſam intelligentiam à myſtico Ioſeph ſibi infundi plerúmque neſciunt; niſi enim ſpiritualibus augmentis inſtarent, nunquam eos corporalia vitia fatigarent, eò quòd media inter vtroſque cogitationis querela diſcurrit; quæ tamen idipſum quod faſtidio præſentium tangitur, quódque de hoc ipſo apud ſe altercatur, ab eodem, qui melioribus augeri exoptat, infunditur. Auertit ergò ſe parumper & flet, cum à corde tranſitoria dimouet, & quidquid noxij in affectibus humoris exiſtit, à ſe patenter extorquet. Parumper id agitur, quia tanta ſui auctoritas non diu menti conceditur, vnde & reuerſus ad eos loquitur; quia citiùs ad prædicta ratiocinia velit nolit reuocatur. Simeon qui dicitur audiens triſtitiam, ipſe ſpiritus eſt, qui de ſua ſemper inſtabilitate triſtatur. Is tollitur, cum ab infimis eleuatur: illis præſentibus ligatur, quia contractis ad hunc ipſum externis interníſque ſenſibus, diuini timoris clauis aſtringitur. Poteſt & per Simeonem affectus carnalis accipi, qui crebras tentationum experitur triſtitias.

Vers. 23. *Vers. 24. *Vers. 25.

Iuſſitque miniſtris vt impleret ſaccos eorum tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſupra cibariis in via: qui fecerunt ita. Miniſtri cogitationes ſunt, quibus iubetur, vt ſaccos tritico impleant, ſcilicet corporalium paſſionum moleſtias diuini verbi pabulo conſolari ſtudeant, vt Pſalmiſtæ concinant: *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Per hos miniſtros quælibet hauſta forinſecùs ſuggeruntur tractanda rationi. Pecunias ſingulorum in ſacculis reponunt, cum ſententias quibuſque ſenſibus muniendis aptas in memoriis condunt. Cibaria inſuper dant, cum debitas ſupernæ gratiæ refectiones in huius ſeculi tractu, intellectus deſideriis fideliter obaudiendo miniſtrant.

Pſal. 29. 12.

At illi portantes frumenta in aſinis profecti ſunt: Ideſt in corporibus quæ quantum in ſe eſt, rude quiddam in modum aſinorum ſunt, theſauros diuinæ ſapientiæ cautè ea regendo ac premendo ad propoſita tendunt. * *Apertóque vnus ſacco, vt daret iumento pabulum in diuerſorio, contemplatus pecuniam in ore ſacculi,* * *dixit fratribus: Reddita eſt mihi pecunia mea, en habetur in ſacco.* Vnus ſaccum aperit, cum ſenſus mentis quilibet cuiuſlibet paſſionis naturam ſibi ipſi per experientiam patefacit. Inde dat iumento pabulum in diuerſorio, quia ex ipſa impugnationis occa-

Vers. 26. *Vers. 27. *Vers. 28.

ſione pabulum cœleſte quærere cogitur, quod corporali appetitui obiiciat in remotis conſcientiæ. Os ſacculi, aditus eſt peccati, vbi debet pecunia diuinæ ſententiæ ad idem refellendum inueniri. Redditam fratribus pecuniam nunciat, dum eiuſdem mentis motibus oportunè ſibi, tentationis ſcilicet tempore oblatam, ſcripturæ teſtimonij recordationem intimat, & ad idipſum gratulando corroborat. Habetur in ſacco, cum vis diuini præcepti, ne forte pereffluamus, inſeritur carnali deſiderio. *Et obſtupefacti turbatique, dixerunt mutuò: Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus?* Mirandum planè ſatis eſt humanis ſenſibus, cum ligari à Deo ſe vident mandatorum ſuorum compedibus, qui abſterreri quondam vix gladiis impendentibus poterant ab ſceleribus.

Verſ. 29. *Veneruntque ad Iacob patrem ſuum in terra Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidiſſent.* * Verſ. 30. * *Locutus eſt nobis*, inquiunt, *Dominus terræ durè*, & cætera. In terram Chanaan veniunt, cum affectionis terrenitatem ad peccandi concupiſcentias ſeſe turpiter demittentem, germanæ rationalitatum vires, donec ad ſupereminentiam accedant intellectus, qui vniuerſitatem vitiorum ſupplantet, irrumpunt. Intellectus enim contemplatiua Dei notitia dicitur, & ideo omnem rationis modum ſupergreditur. Huic narrant quę ſibi acciderint, quia ad hunc referuntur diſcutienda quæcumque ſibi aduerſa vel proſpera ingruerint. Locutus eſt nobis Dominus terræ durè, ſcilicet ſpiritualis deſiderium incrementi, quod ſupereminet omni terrenæ gloriæ, obiecit nobis initia bene viuendi proponentibus incommoda difficultatis venturæ. Cætera quæ ſequuntur ſuperius tractata, non egent, vt opinor, repeti.

Verſ. 35. *His dictis, cum frumenta effunderent, ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias:* * Verſ. 36. *Exterritiſque ſimul omnibus,* * *dixit pater Iacob. Abſque liberis me eſſe feciſtis. Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis & Beniamin auferetis: in me hæc mala omnia reciderunt.* Poſtquam ſub intellectus lance omnia trutinantur, ſinguli frumenta effundunt, cum diuini ſubſidia conſilij ſibimetipſis interiores ſenſus aſpergunt. In ore ſaccorum ligatas pecunias reperiunt, cum in ipſa ſuggeſtione carnis, paſſionum inſertas ſalutaris prædicamenti cenſuras, quæ his obuient, ex conſuetudine reſiſtendi ſibi inolitas cuſtodiunt. Simul omnes exterrentur, cum ſollicitè interioris hominis acies aduerſus corporis illecebras ſecundum ſcripturarum decreta redduntur. Sed dum intellectus tot cuſtodiarum vexatione turbatur, quondam fractus faſtidioſe abſque liberis, bonorum ſcilicet operum fructibus, factum perhibet, dum ad omnia nititur, & quaſi nil ſe explicuiſſe videt. Ioſeph, inquit, cura videlicet cœleſtis augmenti, viſibilium, vt aſſolet, amorem non ſuperat affectus, qui ob pietatis gemitum Simeon olim meritò dicebatur, vinculis carnalitatis aſtringitur. Beniamin, qui ſpes electionis, quæ per dexteram ſignatur, accipitur, vultis auferre, quia omnia præſumptiuè aggredimini, à quibus cum vos relabi contigerit, cogetis me etiam de ſalute deſperare. Hæc humanitus ad ſe decidens intellectualitas ſolet dicere. Hæc, inquit, omnis ſanctitatum excellentia, in mea mala recidet.

Verſ. 37. *Cui Ruben*, qui dicitur videns filium, ipſa profectò intellectualitas ſeipſa ſubtilior iam corrigi incipiens, & intendens cœpti laboris fructum, quia non ſine dolore parimus quidquid eſt bonorum operum, *reſpondet: Duos filios meos interfice, ſi non reduxero eum tibi. Trade in manu mea, & ego eum reſtituam tibi.* Ac ſi diceret. Duos principales caritatis affectus, ad Deum ſcilicet & proximum, quos foueo, dum perfectionis futuræ robur attingant, in temet interime, ſi tradideris eum manui meæ, ideſt ſi ſecundum rationalitatis operationem ac magiſterium direxeris ſpem, per efficientiam conſecutæ beatitudinis eam tibi repræſentabo, quod credis aut ſperas verificando per rem. * *Non deſcendet, inquit, filius meus vobiſcum.* * Verſ. 38. Alternare tali modo ſolent in animo diuina ac humana rationes, dum illa ſublime admonet & ſuggerit ſub diſcretionis nomine iſta tepores. Vos nimiè propriis fidentes viribus alta præſumitis, ſed vitæ meæ exercitium, quod eſt filius dexteræ, ſpes videlicet promerendæ electionis non nobiſcum progreditur ad ardua, ſed ſicut ſcriptum eſt: *Onus ſuper te ne leuaueris*: ad propoſitum tendet cum menſura, quia talis aſcenſus non aliud quam deſcenſus eſſet ad infima. Frater eius intellectus ſecundum ſibi debitè maieſtatis imperium mortuus eſt, iſte ſolus, ſpes ſcilicet futurorum remanſit; ſi quid ei acciderit in terra, ideſt contra terrenitatem vobis certantibus ad quam obtinendam tenditis: canos meos, ideſt defectionem vetuſtatémque meam ad inferos vltimæ deſperationis deponetis. In inferno enim quis confitebitur tibi? Pſal. 6. 6.

CAPVT XLIII.

Verſ. 1. *INterim fames omnem terram vehementer premebat.* * Verſ. 2. *Conſumptiſque cibis quos ex Ægypto detulerant dixit Iacob ad filios ſuos: Reuertimini, & emite pauxillum eſcarum.* Animus cum nimium tentatione pulſatur, in

defidiam refoluitur, & fub mediocritatis colore ea quæ prædicta funt eloquitur. Fructus tamen, qui ex prima confeffione prouenerat, humilitas, ac compunctio tota confumitur, & quafi ex Ægypto delati cibi depereunt, dum pœnitentiæ peccatorum vtilitas abrogatur, & interim mens confilij egeftate atteritur. Sed intellectus fe vinci, & languere confpiciens, filiis, ideft piis cogitationum motibus, vt reuertantur ad fui cognitionem iterum confitendo fubmonet; vt cum redierint ad cor vel modicâ interni faporis eos efcâ fubleuet.

Verf. 3. *At Iudas: Denunciauit nobis vir ille fub teftificatione iurans; non videbitis faciem meam* *Verf. 4. *nifi fratrem veftrum minimum adduxeritis.* * *Si ergo vis mitte eum nobifcum, & pergemus pa-* *Verf. 5. *riter, ememúfque vfui neceffaria.* * *Si autem non vis, non ibimus.* Iudas & Ruben, confeffio videlicet & gratiæ experientia, quod eft filij vifio, Iacob intellectualem noftrum fpecialiter alloquuntur; quia ne labor confeffionis ac pœnitudinis actæ depereat, & hoc ipfum quod iam diuinæ mifericordiæ ac dulcedinis fenfit, ac fapuit, ruat, præcipuè recogitantis intelligentiæ canos, qui iuxta Prophetam eam iam perfuderant, & ignorauerat, vetuftatem fcilicet ac defectum ftringit & innouat. Vir ille qui terrena cœleftium incremento poftponit viriliter effœminatis denunciat, & fub teftificatione fcripturæ, & ipfius veritatis affeuerat, quòd nemo ei intima cogitatione complaceat, nifi fpem quæ pro fuæ fubtilitatis penes Deum fefe viuacitate collocat, pariter fecum ducat; quæ quidem nulla eft, aut prorfus puerilis & infima, nifi fratrem, ideft meritorum hanc focietas, cingat. Sine hac ergò ire non poffumus, quia fatuum eft quærere, fi non quæfita fperamus. *Spera* namque *in Domino, & fac bonitatem*, nobis dictum legimus. (Pfal. 30. 3.) * *In meam*, inquit, *hoc feciftis miferiam, vt indicaretis & alium habere vos fratrem.* (*Verf. 6.) Verba faftidientis funt, qui nec initia boni propofuiffe maluerit, quæ incœpiffe, fpem fupernorum appetitui indicaffe fit, & ab his defciuiffe miferia iterum fit.

Verf. 7. *Interrogauit nos homo*, inquiunt, *noftram progeniem per ordinem: fi pater viueret: fi haberemus fratrem: & nos refpondimus ei confequenter iuxta id quod fuerat fcifcitatus: numquid fcire poteramus quod dicturus effet: adducite fratrem veftrum vobifcum?* Homo progeniem noftram per ordinem interrogat, cum interni ftudiofus augmenti rationalis appetitus, modos gradúfque noftræ conuerfationis, ac conuerfionis euentilat; cuius ordo eft: fi pater & rector mentalis familiæ intellectus vigeat: fi indiuiduè bonorum filiorum, ideft operum germanus, fpei videlicet noftræ vfque in diuina contuitus, nobis adhæreat; ad quæ neceffe eft, tota animi vis ac rationalitas, non verbo, fed ftudiorum affectu fe his non carere refpondeat, fine quibus augmentum fpirituale quod quærimus obtineri nequeat. Numquid antequam gratiam conuerfionis peteremus, fcire poteramus, quid à nobis profeffionum deuotio religionis exigeret?

Verf. 8. *Mitte*, ait Iudas, *puerum mecum, vt proficifcamur, & poffimus viuere: ne moriamur nos & paruuli noftri.* * *Ego fufcipio puerum: de manu mea require illum. Nifi reduxero, & tradidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.* (*Verf. 9.) * Si non interceffiffet dilatio, *iam vice altera veniffemus.* (*Verf. 10.) Iudas puerum mitti rogat vt proficifcantur, cum confeffio in præteritas relabi verens fordes fpem dirigi in Deum admonet, vt ad virtutum ftudia prouehantur, vt vitam interius obtineant, & ipfæ vires animi, cum primæua piorum actuum exhibitione non occidant. Puerum iccircò fpem accipe, quia eam opus eft ex operum bonorum fpecie feipfa femper nouiorem effe. Ego fufcipio puerum, dum fub fpe veniæ pœnitentiæ pondus excipio; fi perire contigerit, ab inerti operatione mea exitium eius reperi debere cenfeo, fi fpem non tibi exhibuero per rem, & quod fperas non tibi tradidero fruendum facie ad faciem, omni feculorum tempore luam fupplicia peccati reatus in te, cuius promotionibus deftiti inhiare. Si non interceffiffet humanitus motæ altercationis dilatio, iam altera facta fuiffet pro hoc ipfo quod patimur torpore confeffio; quod eft, ad Ægyptum pro fui veftigatione ingreffio, & rurfus ad fanctitatis opera exequenda reuerfio.

*Verf. 11. *Igitur Ifraël pater eorum dixit ad eos: Si fic neceffe eft, facite quod vultis: fumite de optimis terræ fructibus in vafis veftris, & deferte viro munera, modicum refinæ, & mellis, & ftoracis, & ftactes, & therebintij, & amygdalarum.* Ille, qui fuperiùs Iacob forfitan ob fui ipfius fupplantationem vocabatur, iam nunc cum ab humana fuggillatione compefcitur, Ifraël, ideft directus cum Deo vocatur, vnde & pater eorum quæ bene fenfa funt, dicitur. Si fic, inquit, fpem fine bonorum ac rationabilium ftudiorum effe comitatu fas non eft, vt alterutrum fine altero valeat, agite quod propofuiftis, & in conceptabulis confcientiæ de optimis terræ, ideft Chrifti exemplis ac virtutibus, cuius ad modum terræ feracitate nutrimur, fumite, & quia ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, ipfi ea quæ ab ipfo fumpfiftis attribuite: Iofeph, (Ecclef. 1. 7.) fpirituali fcilicet veftro defiderio, vt ex benefactis ad meliora feratur, apponite. Per refinam, quæ aliquantulum redolet, bonam

ad proximos famam, in melle morum benignitatem intellige, per cætera virtutum fragrantiam, & fructus, idest actionis vtilitatem accipe. Hæc viriliter terrenitatum fluxa regenti, piorum prouectuum studioso nostro appetitui offerri, & suggeri digna videntur.

Vers. 12. *Pecuniam duplicem ferte vobiscum:* vt sic alios forinsecus doceatis, quatenus vos primum interius per eadem documenta pascatis. Diriuentur fontes tui foras, & solus tamen eos absque extraneis bibas. *Et illam quam inuenistis reportate, ne fortè errore sit factum.* Si quid discretionis erga passionum insolentiam carnalium, quarum asperitate cingimur, vos habere putatis, ad sapientiæ cœlestis examen referte, ne qua vos ipsos humana ratione fallatis. Ipsum enim Ioseph, quem augmentum dicimus, ad intelligentiam supernorum, quibus solis augeri bonum est, referimus. Terrenis nempe augeri neminem facilis probatio est. * Ad hunc virum, cum fratrem, ab eadem videlicet cælitus illustrata ratione genitam spem ab infima cupiditate tulerimus, continuis profectibus imus, dum magis ac magis Deo & saluti viciniora sentimus. *

*Vers. 13.

Vers. 14. *Deus autem meus faciat eum vobis placabilem: & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, & hunc Beniamin.* Fit nobis Ioseph placabilis, cum, mundanis sopitis impulsibus, spiritualis incrementi maiestas non est nobis difficilis. Frater quem tenet, remittitur, cum affectus velimus nolimus euagans, & tamen prædicta maiestate quasi mentis lege coërcitus, interiori aliquando homini, sine vlla iam vi obediendo laxatur, Beniamin remittitur, cum fructus spei nostræ ad dexteram nobis constitutis in regno monstratur. *Ego autem orbatus absque liberis ero.* Quasi orbatum interim se putat, dum in conflictu animus positus nil se esse, nil efficere quasi in quadam caligine constitutus reputat.

Vers. 15. *Descenderunt ergò in Ægyptum & steterunt coram Ioseph.* Humiliantur ad considerationem tribulationis Ægyptiæ, & quò magis in sua contemplatione flectuntur, tantò alacriùs ad sapienda cœlestia coram Ioseph, idest in prouectionis desiderio eriguntur.

*Vers. 16. * *Quos cum ille vidisset, & Beniamin simul, præcepit dispensatori domus suæ: Introduc viros in domum, & instrue conuiuium, & occide victimas: quoniam mecum sunt comesuri meridie.* Ioseph eos cum Beniamin videt, cum iam sibi ipsi intellectus & rationis motibus, & spei profectibus ad aggredienda cœlestium incrementa non inuidet. Dispensator domus spiritus noster est, cui ab amore superno indicitur, vt hi viriles status in conscientiam inducantur; victimæ peccati carnisque cædantur; vt cum Deo postmodum interius conuiuium instruatur, vt in meridie dilectionis feruidæ cœnet, iuxta Apocalypsim, nobiscum ipse & nos cum ipso reficiamur. (Apoc. 3. 20.)

Vers. 17. *Fecit ille vt fuerat imperatum;* quia tactus à Deo spiritus mandata ad celerem ducit effectum. * *Ibique exterriti dixerunt mutuò: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris introducti sumus: vt deuoluat in nos calumniam, & subijciat nos seruituti, & asinos nostros.* (*Vers. 18.) Introducti exterrentur, quia cum spiritualiter examinari mens cœperit, quidquid virtutum nobis inest, illicò timore perturbatur. Trepidant pro pecunia quam retulerint, quia verentur ne minus idonea quam competit, saccis carnalitatum scientiæ sanctæ prædicamenta induxerint. Timent deuolui in se calumniam, & seruituti subiici & se & asinos, dum diuini iudicij indignationem sibi incumbere, & merito sui ad vitia teporis eorum dominia subire, & animi vires, & carnis motus metuunt succumbere stolidos.

Vers. 19. *Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem* * *locuti sunt: Oramus Domine vt audias nos. Iam ante descendimus vt emeremus escas,* & cætera. (*Vers. 20.) Fores, habitus sunt timoris, per quos sunt ad penetralia caritatis quasi quidam aditus; quas portas Psalmista nos admonet introire in confessionibus. (Psal. 99. 4.) In his constituti ad dispensatorem accedimus, cum metu diuino restricti liberius iam ordinariam illam rationem aggredimur. Iam ante, inquiunt, per confessionem culpæ nos humiliauimus, vt diuinis epulis alleuaremur. * Quibus obtentis, cum ad conscientiæ diuersorium sacculos concupiscentiarum examinandos expandissemus, diuini eloquij sententias nos ipsis prauorum motuum suggestionibus obiecisse, animo teste, meminimus; quam mysticam pecuniam eodem supernæ dilectionis pondere grauidam ad tui iudicium reportamus, vt te iudice pateat, si quid indignè egimus: * sed & aliud argentum copiosè scientiæ vsque ad bonæ actionis effectum attulimus, vt Deum, qui super omnia nobis est necessarius, totius operæ impendiis emamus. (*Vers. 21. *Vers. 22.) Non est in nostra conscientia quis eam posuerit in marsupiis nostris, idest non nobis arrogamus, nec cuiquam hominum attribuimus hanc Dei notitiam, quam memoriæ loculis insertam tenemus, soli illi gratulamur.

Vers. 23. *Pax*, inquit, *vobiscum.* Et si pax reconciliationis ac concordiæ adest, locus timoris non est. *Deus vester, & Deus patris vestri;* qui scilicet cum patribus mira egit, & vestris magnificatur temporibus, ipse dedit pecuniam in sacculis; scientiam profectò discretiuam,

tiuam, ac si monetam legitimam vestris tentationibus discernendis. Vnde & sequitur. *Nam pecuniam quam dedistis*, idest prudentiæ vim, quam meo exagio attulistis, ego probatam rationabiliter accipio. *Duxitque ad eos Symeon.* Simeon ad eos educitur, cum affectus pridem carnaliter obligatus ad consensum rationis motuum expeditur. *Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes, & dedit pabula asinis eorum.*] Integrè ad cordis domum reuersis vndam compunctionis internus dispensator suggerit, qua mundantur vestigia affectionis, vnde iam succedunt consilia sana, quibus ac si pabulo occurratur corporalibus lasciuiis.

Vers. 24.

Vers. 25. *Illi parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent.* Munera quæ parantur, pia quælibet compunctionis incentiua sunt, quibus acriùs accendatur, & quibus Ioseph noster in æstu sacri desiderij proueatur. * *Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus: & adorauerunt proni in terram.* Ioseph domum suam ingreditur, cum cœlestis cura crementi penetralia mentis adoritur. Munera quæ offerunt, tenent in manibus, cum quæ interius sancta proponunt exercent operibus. Proni in terram adorant, cum suæ infirmitatem carnalitatis inter Deo supplicandum considerant. * *At ille, clementer resalutatis eis, interrogauit: Saluus ne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc viuit?* Clementer resalutat, cum effectus deuotionis ab affectu non discrepat. De patre sene an saluus sit, vtrum viuat, interrogat, dum in prouectu positus de statu defectibili, in quem pene pridem lapsus fuerat, an reuiuiscere possit cum ratione propria tractat. Cui iuxta sensum, qui in præsentiarum persentiscitur, spes de sospitate tribuitur. * *Sospes est*, inquiunt, *seruus tuus.* Ipse sanè seruus, cui æternorum imperat appetitus. *Et incuruati rursus eum adorant*: quia qui primò mente descenderant, euidentia demum operis fructum conceptæ humilitatis insinuant. Eum autem est adorare, reuerentiam proposito per officia præbere. Vnde ab Apostolo Iacobo virgæ fastigium Ioseph diciter adorasse.

*Vers. 26. *Vers. 27. *Vers. 28. Hebr. 11. 21.

Vers. 29. *Attollens autem Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suum vterinum, & ait: Iste est frater vester minimus, de quo dixeratis mihi?* Attollit oculos, dum ab imis profectibus intentiones erigit ad supernos. Videt fratrem vterinum, quia perspicaciter attendere sufficit spei æternæ fructum ex super cœlestis Ecclesiæ secum verè matris exemplari vtero genitum, dexteræ videlicet filium. Ista est, inquit, spei sanctæ subtilitas, quam quidem hactenus aure tenus attigi, sed nunc primum exhibitam experiri quid sapiat merui. *Deus*, penes quem talia valent, *misereatur tui*; quæ quia ex meo intellectu processeris, locum vicémque apud me obtinet filij, non fœminæ desidiâ, sed masculina alacritate digna notari. * *Festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum fleuit.* Festinat, dum ad superna quæ semel gustauit, properat. Super fratre viscera mouentur, & interni incrementi studium super eorum qui iam ad cœlestia transeunt fraternitate incitatur, cum se in miseriis posito ipsi cum Deo glorientur. Lacrymæ erumpunt, cùm interiori qua infundimur gratia exuberante, interna proposita ad exhibitiones ac si violenter prodeunt. Introiens in cubiculum flet, cum in abdito conscientiæ desiderij tenor feruet.

* Vers. 30.

Rursúsque lota facie egressus, continuit se, & ait: ponite panes. * *Quibus appositis seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis.)* Rursum faciem lauat, cum post compunctionis munditiam intelligentiæ vis ab omni laudis appetitu se purgat. Egreditur & continet se, cum in opera procedens à fauoribus arcet fluxum cogitationis vanæ. Dispensatrici mysteriorum rationi vt ponat iam panes præcipitur, quia cum mens plenè restringitur, tunc panes & gratiarum & vitæ merito gustandi apponuntur. Seorsum Ioseph apponuntur, quia longe altius spiritualia charismata capiuntur ab intellectu (vnde & Ioseph typus eius, interpretatur adaugens) quàm à rationis motibus, quia ab eadem sunt anima geniti fratribus. Intellectus etenim ad diuina, ratio propriè attinet ad humana. Ægyptij autem, secularis videlicet scientiæ habitus, seorsum sunt penitus, quia nec quicquam tractare diuinitùs, nec probè aliquid discernere humanis norunt de moribus, & ideo cum Hebræis, idest mundi transitoribus, nullus cum Ægyptiis refectionis internæ valet esse locus. *Et prophanum putant huiuscemodi conuiuium*: valde enim horrent fatuos in hoc mundo se fieri propter Christum.

Vers. 31. *Vers. 32.

Sederunt ergò coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, * *sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiórque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Coram eo sedent, dum quo ampliùs Ioseph verè auctus intelligit quidquid bonarum menti adiacet fortitudinum, pariter necesse est, ipso spiritualiter pascente, se humilient. Sedere nempe humiliari significat. Primogenitus primogenitis suis adhæret, cum homo in-

Vers. 33. * Vers. 34.

terior, qui perfectè primò ad Dei imaginem conditus est, spiritualibus bonis, quæ & ipsa primitiua noscuntur assidet. Non enim carnis maceratio primo homini, sed res spiritualis, obedientia scilicet iniuncta est. Minimus verò iuxta ætatem sedet, cum homo exterior debitam corporis ob sui adhuc lubricum tempus abstinentiam explet. Corruptibilitas autem ipsa nunc eius est ætas, tribuit cui sessio metas. Mirantur inde nimis, quia qui extraordinariè pridem intra & extra quæque habuerant, obstupescunt miraculo nouæ huius institutionis. Sumptis partibus quas ab eo acceperant, maior pars Beniamin venit, quia inter omnia quibus temporaliter in virtute augmentum sumimus, multò maior est electionis dextera, quàm optamus. Ibi namque diuinæ filiationis est munus. Quinque partibus excellit, quicquid enim quinque sensibus corporis capi potest, prorsus excedit. Ipsum est sanè, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit*, & cætera. *Biberúntque & inebriati sunt coram eo.* Illud profectò vinum quod lætificat cor hominis, & malorum obliuione serenat, & hoc coram eo, in illo planè beatæ intellectualitatis, & æternæ augmentationis spectaculo.

(1. Cor. 2.9.)

CAPVT XLIV.

(Vers. 1.) PRæcepit autem Ioseph dispensatori suo, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere & pone pecuniam in summitate sacci singulorum. (* Vers. 2.) * Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit, pone in ore sacci iunioris.* Ratio nostra, quæ & spiritus dicitur, interna & externa dispensans, saccos asperæ huius carnalitatis diuini frumento consilij, quantum humanitas diuinis potest fulciri legibus, opplere iubetur; & in ipso suggestionis, ac si summo aditu, sacræ sententias scripturæ singulis tentationibus congruentes, ponere mandatur, nedum in diuinis aliquantisper dilatari permittitur, prauorum qui mox subsequi solent motuum nimium de se iam fisa obliuiscatur. Scyphus Ioseph argenteus, sacri eloquij est intellectualis & anagogicus sensus. Is ponitur in ore sacci iunioris, cum inseritur initio subortæ desperationis, quæ valde imminet spei profectibus, filij scilicet nostri subtilioris, & ideò carioris. Minimos enim carius amplectimur, & nos magis diligimus quod speramus. Spes etiam nostras filios vocitamus. Pretium quod dedit pariter in sacci ore ponitur, quia spes præsentium, quam deposuit fiducia futurorum, prauæ illationis principio & ipsa, quam fecit mundi abrenunciatio, iustè obiicitur.

*Factúmque est ita. * Et orto mane dimissi sunt cum asinis suis.* (* Vers. 3.) * Iámque vrbem exierant, & processerant paululum.* (* Vers. 4.) Oritur mane, cum lux animo innouatur contra vitia, inspirationis diuinæ. Illi cum asinis dimittuntur, quia motus interni iam cœlitùs docti, secundum libertatem arbitrij acturi contra carnalitatis ineptias relinquuntur, ne de gloria diuturnæ pacis inflentur. Iam vrbem exierant, qui mundi huius sese ambitu exuerant. Paululum processerant, qui se iam cœlestibus cogitandis & quærendis admouerant. *Tunc Ioseph accersito dispensatore*, ait: *Surge, & persequere viros, & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? * Scyphus, quem furati estis ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* (* Vers. 5.) Ab intellectu rationi præcipitur, vt surgat, idest ad tumoris interni compressionem se erigat. Viros persequatur, quidquid scilicet robusti status obtinet, indiuisibili semper inuestigatione rimetur. Apprehensis dicat quare pro bono malum reddiderint; restrictis planè atque cohibitis arrogantiæ fluxibus arguat, vt quid eorum quæ à Deo data sibi sunt quippiam sibi attribuerint. Quid enim habent, quod non acceperint? Cur inquit, intellectualitatis scientiam vobis ascribitis? Scyphus autem argenteus, perspicuæ capacitatis est sinus. In isto bibit dominus meus, quia ex hoc haurit vnde omnes mentis queat rigare recessus, ille cui dominari conuenit intellectus, cunctis etiam rationum mearum viribus. Ibi solet augurari, dum supernæ innitens prudentiæ de æternæ beatitudinis futuris statibus valet commutari.

Pessimam rem fecistis: qui quod Dei est vobis arrogastis. * *Fecit ille vt iusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est?* (* Vers. 6.) * *Quare*, inquiunt, *sic loquitur Dominus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint.* (* Vers. 7.) * *Pecuniam, quam in ore saccorum inuenimus, reportauimus ad te de terra Chanaan: & quomodo consequens est, vt furati simus de domo Domini tui aurum vel argentum?* (* Vers. 8.) Intellectualitatis spiritus obedit imperio, quia quicquid iustę habet discretionis ab ea accipit, ac si à fonte superno. Apprehensio ergò, idest collectis cogitationum excursibus, per ipsos intentionum singularum ordines ponit edicta. Sed minus perspicaces animi in se non deprehendunt, quod summa intelligentiæ acumina colligunt. Nos, aiunt, qui rationalitati fideliter inseruimus, & tecum intellectus sacri Dominio subiicimur. De terra Chanaan, idest de terreno vbi vitiis humiliabamur affectu, diuini eloquij pecuniam, quam ad peccati introitum cognouimus pro munimine opponendam, ad tuum examen reportare curamus, quomodo consequitur, vt quod ad te

referimus, ad nos referre velimus? Certum eſt namque, quia quod tibi damus, nobis ſubtrahimus; vnde nec aurum ſapientiæ, nec ſcientiæ argentum Deo, qui domus omnis piæ intellectualitatis & habitatio eſt, furati ſumus.

Verſ. 19. *Apud quemcumque inuentum fuerit ſeruorum tuorum, moriatur, & nos ſerui erimus Domini noſtri.* Si in quolibet interioritatum tuarum quæ tibi obtemperant motu arrogantiæ typus patuerit, extinguatur, & perpetuæ deinceps ad diuina penetrandum humilitatis profeſſione flectemur. Abſconduntur nempe prudentibus & reuelantur paruulis. (Math. 11. 25. Lucæ 10. 21.) * *Fiat*, inquit, *iuxta veſtram ſententiam: apud quem fuerit inuentum, ipſe ſit ſeruus meus, vos autem eritis innoxij.* (*Verſ. 10.) In quocumque, inquit, habitu animi ceruicoſitas iſta ſacrilega apparuerit, rationis ſeruitio addicatur, innoxiæ partes reliquæ iudicentur. * *Itaque deponentes in terram feſtinatò ſaccos aperuerunt ſinguli.* (*Verſ. 11.) In terram ſaccos feſtinatò deponere eſt, omnes tentationum quas patimur vilitates, humili ſedulitate nobis ipſis adhuc terram ſapientibus aſcribere. Aperiunt ſinguli, cum quique ſe diſcutiunt motus animi.

Verſ. 12. *Quos ſcrutatus, incipiens à maiore vſque ad minimum, inuenit ſcyphum in ſacco Beniamin.* A maiore vſque ad minimum ſcrutatur, cum à viſibilibus, quæ quaſi groſſitudine præſtant, vſque ad inuiſibilia & ſpiritualia, quæ ſubtilius extant, ratio totius ſui operis machinam rimatur. In ſacco Beniamin ſcyphus inuenitur, cum in ipſa dexteræ, quod eſt electionis, & gloriæ fiducia, nimia ſcientiæ & eloquij ſolet emergere arrogantia. Solent enim tales quaſi pro ſecuritate iam auctoritates ſibi vſurpare & magiſteria. * *At illi, ſciſſis veſtibus, oneratiſque rurſum aſinis, reuerſi ſunt in oppidum.* (*Verſ. 13.) Cum à Deo ſubtiliter à ſpiritu animorum vitia deprehenduntur, quaſi quiddam inextricabile virtutis ſtudium accuſatur, atque ſæpius deſeritur. Veſtes ergò ſcinduntur, cum opera faſtidio dirimuntur. Aſini rurſum onerantur, cum ſtolidi carnis motus prauis vt aliquando ſollicitudinibus opprimi gratulantur. In oppidum reuertuntur, cum ſeculum, quod diabolo opitulatur, repetere delectantur. De quo duobus quibuſdam dicitur: *Ite in caſtellum quod contra vos eſt.* (Matt. 21. 2. Marci 11. 2.)

Verſ. 14. *Primus Iudas cum fratribus ingreſſus eſt ad Ioſeph (necdum enim de loco abierat) omnéſque in terram ante eum corruerunt.* Cum pene mouentur pedes, pene turbatorum affectuum effunduntur greſſus, Iudas tamen, ideſt confeſſio, reſtrictis ad ſe ſociis animi motibus, prima intellectum, qui necdum à Dei intentione, qui locus ſuus eſt, motum fecerat, aggreditur, quia penes eum de ſua mutatione conqueritur. Omnes autem ante eum pariter corruunt, cum indignè ſe egiſſe humiliter fatentur, ad eius intellectuale iudicium. * *Cur*, inquit, *ſic agere voluiſtis? An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* (*Verſ. 15.) Cur admiſſa etſi occultè defenditis, cum me ſingulos quoſque ſubtiliter aucupari mentis ſtatus, & de abditis intentionum receſſibus ſpecialiter iudicare noueritis?

Verſ. 16. *Cui Iudas: Quid reſpondebimus, inquit, Domino noſtro? vel quid iuſti poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem ſeruorum tuorum: en omnes ſerui tui ſumus & nos, & apud quem inuentus eſt ſcyphus.* Ac ſi dicat. Cum vita noſtra lapſus & tentatio ſit ſuper terram, quam Deo de nobis poterimus inferre excuſando ſententiam? Deus cum præſentia vniuerſali totum peruideat, etiam per illuminatam ad ſe rationem quaſque mentis nequitias perſpicuè inueſtigat. Iam & nos, & arrogantiæ reum ſeruituti timoris apud intellectualitatem tuam addicito, ne ſtatus animi prorſus decidat facinore repetito. * *Reſpondit Ioſeph: abſit à me vt ſic agam: qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſeruus meus: vos autem abite liberi ad patrem veſtrum.* (*Verſ. 17.) Non, inquit, iuſtum eſt, vt innocens quiſque animi in qualibet virtute affectus puniatur, ſed ille cui ſuperbiæ fœditas inhæſit, debitæ humilitatis iugo plectatur: vos itaque immunes à culpa, proſequimini cœptæ rationalitatis quæ vobis patrocinatur veſtigia.

Verſ. 18. *Accedens autem propiùs Iudas, confidenter ait: Oro Domine mi, loquatur ſeruus tuus verbum in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo.* Iudas propiùs accedit, cum ad ipſas compages, & medullas cogitationum, & intentionum, per confeſſionem retegendas, mentis virtus intrâre ſatagit; vnde & ex ipſa puritate fidentius agens, ipſam intellectualitatis ſummam, his non tàm affatibus, quàm effectibus conuenit. Quia, inquit, ſpeciali capacitate cœleſtium cunctis meritò internis motibus dominaris, pietatis affectus, qui tuis deſeruit officiis, illud verbum, non elementale, non ſpirituale, ſed intellectuale, quo falſitas locum non habet, loquatur in intelligentiæ tuæ penetralibus; vt ſcilicet eius verificetur deſiderium, vt ſic te illapſu aſſiduæ dulcedinis præſentiſcat ſibi beniuolum, vt ſe tibi fieri gratuletur famulum. *Tu enim poſt Pharaonem * Dominus meus.* (*Verſ. 19.) Poſtquam ſanè diabolum, aut diſſipatorem boni appetitum deſerui, tuo me dominio contradidi.

*Interrogaſti prius ſeruos tuos, habetis patrem aut fratrem? * & nos reſpondimus tibi Domino noſtro: Eſt nobis pater ſenex, & puer paruulus qui in ſenectute illius natus eſt.* (*Verſ. 20.) Bene nempe agere proponentibus, quem pa-

ternitate interiori censeremus nostra donari tu ratione interprete à nobis quæsisti, & nos respondimus rationem quamuis senem, & defectui acclinem velle suscipere; & quia antiquatur, & interitui nisi per te reuiuiscat propinquare videtur, spem adhuc teneram & imbecillam pro sui merito habere cogitur. *Cuius vterinus frater est mortuus: & ipsum solum habet mater sua.* Vterinus frater moritur, cum in mente, quæ spei geminæ mater est, spei omnino mundanæ interius affectus extinguitur. Illum habet solum mater sua, cum spei supernæ cultum vnicè fouet mens, vel potius voluntas mentis bona. *Pater verò vnicè diligit eum*: quia spiritus noster, qui quasi quidam eius auctor ratiocinationibus eam genuit, spei solius diuinæ præstolatur, & intendit fructum.

Vers. 21. *Dixisti seruis tuis: adducite eum ad me, & ponam oculos meos super eum.* Dicit vt adducatur ad se, cum intellectus spem prouehi mandat per cogitationum processus ad sensum contemplationis summæ. Ponit oculos super eum, cum intellectualibus intentionibus ipsius spei protegit desiderium. * *Suggessimus Domino meo: non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit morietur.* Teneritudinis internæ motus animæ conscij rationem, quæ adhuc inter humana versatur, spem non posse relinquere perhibent, quæ ob sui pueritiam vtendi solido speculationum cibo viribus caret. Si enim mediocria dimiserit, & se superextenderit, quasi mortua ad neutra iam assurgit. * *Si*, inquit, *non venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam*: Idest nisi spem, quæ vobis ad Deum pes subtiliter gradiendi esse debet, comitem contemplando vobis asciueritis, notitiam mei, quæ facie designatur, idest experientiam decoris intimi, numquam secundum ampliorem proficientium statum attingetis.

*Vers. 22.

*Vers. 23.

Vers. 24. *Cum ergò ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia quæ locutus est Dominus meus.* Ascendunt ad patrem, cum cogitationes de singulis eam consulturæ, suum profectò superius, expetunt rationem. Omnia quæ Dominus ille loquitur sibi narrant, cum ea quæ de intellectualitate capiunt mediocritatis propriæ respectu, cum ipsa ratione an sint aggredienda discutiunt. Intellectus autem dominus est rationis, in quantum ille de cœlestibus, ista disputat de humanis. * *Dicit pater noster: Reuertimini & emite nobis parum tritici.* Reuerti pater vt emant triticum imperat, dum ab altiora aggrediendi studio reuocantur nimis humana discretione quasi ad modum, vt diuinæ aspirationis fidei saltem precio exigant pabulum, & hoc parum vt scilicet illum assequantur, quem præferunt tepidæ temperantiæ gradum.

*Vers. 25.

Vers. 26. *Cui diximus: Ire non possumus, nisi frater noster descendat nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri.* Ire se non posse respondent, nisi frater minimus descendat, quia motus interni ex eadem ratione colligendo referunt, se interiùs non posse plene desiderare refici (proficisci enim affectare significat) nisi spei diuinæ adnisus ex hoc ad supera alacriter erigendus ab omni ambitione terrena descendat. Inde simul proficiscuntur, cum & rationaliter viuitur, & non nisi quod congruit beatæ æternitati speratur. Illo absente faciem viri videre non audent, quia quibus fiducia sperandæ beatitudinis deest, aspirare ad notitiam contemplationis temerarium nimis est.

Vers. 27. *Ad quæ respondit: Vos scitis quòd duos genuerit mihi vxor mea.* * *Egressus est vnus, & dixistis: bestia deuorauit eum: & huc vsque non comparet,* * *si tuleritis & istum, & aliquid ei in via acciderit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Nolite, inquit, maiora vobis aggredi, scitis enim geminos appetitus illi, quæ mihi rationi vxorio iure subiuncta est, inesse voluntati. Vxor dicitur, quia ei subdita spiritus semine fœcundatur. Vnus egreditur, dum secularis appetitus secundum caritatem dualitatis impatiens ad extrinseca sola quærenda effertur. A bestia deuoratum dixistis, cum quod humana ad malum, vt sic dicam, pronitate egistis, hoc diabolicæ ad vestram excusationem atrocitati imputastis. Nomine namque bestiæ diabolum in scripturis significari liquet ob sæuitiam. Huc vsque autem non comparet, quia terrenis quibus immergitur, non supereminet. Si ergò hoc tantillum spei quod vel in resurgendo ab his, vel ex aliquibus benefactis obtinui, ad importabilia sustollendo tuleritis, canos immutationis defectibilitatis, ac ruinæ propinquitatis meæ, dolente in quantum adhuc scintillat rationalitate, sed obniti non valente, ad inferos desperationis deducetis. Hæc verba sunt spiritus, tepere humanitùs quàm diuinitùs ardere malentis.

*Vers. 28.

*Vers. 29.

Vers. 30. *Igitur si intrauero ad seruum tuum, & puer defuerit (cum anima illius ex huius anima pendeat)* * *videritque eum non esse nobiscum, morietur.* Ad patrem eius Iudas intrat, cum ad penetralia spiritus, qui deseruire intelligentiæ supernæ debet obsequiis, virtus se reportat sæpius pœnitentiæ ac confessionis. Si, inquit, confessionem ac pœnitudinem super malè cogitatis rationi, cuius motus, ac si filius sum, intulero, &

*Vers. 31.

nullum pro tanto labore spei fructum pariter obtendero, cum ex viuaci spe rationis vita dependeat, & inter nos ipsos qui effectiui eiusdem mores sumus, inanitatem desperationis attenderit, & ipsa exanimata vitalis amoris calore priuabitur.

Vers. 32. *Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* * Vers. 33. * *Manebo itaque seruus tuus, in ministerium Domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis.* Ego, inquit, perpetui timoris tibi B seruitio specialiter præ cæteris animi motibus confitendo errorem semper addicar, qui ob spem veniæ & gratiæ emerendæ fidem confessionis excepi, & spopondi, quòd nisi ipsam spem vsque ad realis veritatis exhibitionem perseueranter tenerem, peccati & inobedientiæ reus haberer penes eam, quæ bona agi submonet rationem. Manebo itaque tibi pœnitentialiter inseruiens, vt puer ille mysticus ab infima sua teneritudine ascendat intimæ virtutis euectu, cum cæteris interioris hominis viribus ad summam C gustandæ tuæ intellectualitatis. * *Vers. 34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.* Reditus ad patrem absente puero, collectio cogitationum est in spiritus, qui interiorum pater est, examine, inter infirma opera absque vllius bonæ spei compendio; vbi calamitatis paternæ testis assistit, quando & miserabiliter spirituali languori subesse se videt, nec resistit.

CAPVT XLV.

Vers. 1. **N**On se poterat vltra continere Ioseph, multis coram astantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Verba superiùs à Iuda ad patrem dicta sic à nobis sensa putentur, non quod virtus aliqua confessionis sine ratione parente sit, sed quod ipse spiritus, qui & ratio, dicitur; & in seipso seipsum in diuersis statibus aut diuinitùs excitet per impulsum animi, aut humanitùs obruat per lenocinium carnis. Non se poterat continere Ioseph multis coram astantibus, quia virtus intellectualis, pia quadam vehementia diuinæ aspirationis, contra teporem proprium efferatur, multis virtutum copiis in promptu occursantibus. Foras egredi cunctos iubet, dum omne quod officit à corde eliminare studet. Alioquin interesset alienus agnitioni mutuæ, si permitteret in conscientia ad recognitionem veritatis properante aliquid partis contrariæ residere.

Vers. 2. *Eleuauitque vocem cum fletu: quam audie-* A *runt Ægyptij, omnisque domus Pharaonis.* * *Vers. 3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater noster viuit? Nec poterant respondere fratres nimio terrore concussi.* Vocem cum fletu eleuat, cum interni desiderij clamorem (qui solus ex anxietate pauperis in auribus Dei, iuxta Psalmi titulum, insonat) per exterioris benificentiæ gratiam commendat. Fletus enim à capite ad faciem delabitur, & cum cor hominis vinum, quod lætificat Deum & homines, clarificauerit, ad exhilarandam etiam exterioris hominis faciem per olei, idest gratiæ internæ suauitatem decurrit. Solent enim piæ mentium qualitates gratissimè in vultibus enitere. Vocem verò eleuat, qui ab imis desiderium exaltat. Audiunt hanc Ægyptij, omnísque domus Pharaonis, cum cœlesti in nobis appetitui suscitato, patienter velint nolint obediunt, & secularia desideria cum cæteris mundialibus vitiis. Mundus namque domus est Pharaonis. Deinde se esse Ioseph testatur, quia iam tunc sopitis strepitibus, & intellectualitate rationalitati apposita, augmenti superni plenitudo monstratur. Videtur, inquit, vobis pater interioritatis vestræ spiritus postquam hinc, idest intellectualitatis vim attigit, veraciter viuere? Fratres perterriti respondere non possunt, quia interni motus de tam repentina mutatione stupidi, de proprij modo status quicquam certi timent referre iudicij, vt pote futurorum prouentuum nescij.

Vers. 4. *Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me, & cum accessissent prope; Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægypto.* D Diffidentiam, ait, futuri status recutite, & ad sapientiæ clementiam cœlestis accedite. Cumque hunc adieritis accessu deuotionis internæ, tunc intelligetis non alienum me, cum vobis proprium sit, & humanæ germanum naturæ, cœlestia nosse, & his adaugeri velle, quæ quondam non puduit seculariter obliuioni, ac negligentiæ tradere. * *Vers. 5. Nolite pauere, nec durum vobis videatur, quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos in Ægyptum.* E Non ad desperationis malum vobis accedat, quod pro appetitu extrinseco interna olim destitistis appetere, pro salute enim vestra actum est, vt experientiam primo haberetis tenebrarum, & tribulationis Ægyptiæ, vti demum feruentius sciretis viam veræ libertatis, ac lucis exquirere.

Vers. 6. *Biennium est quod cœpit esse fames in terra: & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti.* * *Vers. 7. Præmisitque me Dominus, vt super terram seruemini, & escas ad viuendum habere possitis.* Biennij fames est, cum inopia terreni cordis absumit quidquid in

intentione, & cogitatu luminis, & integritatis est. Adhuc quinque anni restant, quibus nec aratur, nec metitur, cum ea quæ pro quinque exterius sensus administrantur opera ita defluunt, vt nec bonum exerceatur, & de æternæ nequaquam retributionis messione curetur. Præmisit me Dominus vt super terram seruemini, ante cordis scilicet me præstituendo vestri contuitus, vt super terram corporis dominando, contra qualibet tentamenta seruari possitis, & esca diuinæ consolationis vitaliter subleuari queatis.

Vers. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & Dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti.* Non sic vestrâ prouidentiâ actum est, sed dispensatione Dei, vt quod Ægypto illatus sum ad salutem fieret, & casus occasio erectionis esset, qui patrem, non effectu, sed auctoritate, & præstantia me dissipatoris appetitus, vel diaboli, vt mihi subesset instituit, & principem me terreno in quo augustamur corpori, & Dominum præficiens vniuersæ mundi huius cupiditati. Patrem autem pro auctore & magistro poni liber præsens testis est, vbi in initio Iubal pater canentium tibia, & organo dicitur.

Vers. 9. *Festinate & ascendite ad patrem meum, & dicite ei: Hæc mandat filius tuus Ioseph: Deus me fecit Dominum vniuersæ terræ Ægypti.* Pater intellectualitatis ratio, vel spiritus noster est, quia intellectus ex ratione procedere dinoscitur, licet intellectualitatis specialiter luce lustretur, sicut ratio ipsa ex anima, quamuis anima rationis solo penitus honore sit clara. Ad hunc festinanter ascendunt, cum singulis intimæ promotionis gradibus ab omni se irrationalitate erigunt. Nunciant ex mandato Ioseph imperare eum vniuersæ Ægypto, dum interiorum sensuum motus intelligibiliter aspirati, gratulatoriè cum propria & sibi præposita ratione conferre monentur, qualiter insperato Dei munere super Ægyptum omnem, tenebrarum scilicet opera diriguntur.

*Vers. 10. *Descende ad me ne moreris, * & habita in terra Gessen: erisque iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ & armenta tua,* *Vers. 11. *& vniuersa quæ possides. * Ibique te pascam.* Si attingere ad mei notitiam cupis, humiliare, nec in dies descensum velis differre. Nam *Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Gessen, appropinquans palpationi eorum interpretatur. In terra ergò Gessen habitat, quisquis corpus suum, ac si terram suam, sic regit, & ordinat, vt palpationi, idest tentationi fluxuum carnalium appropinquare discernendo studeat. Iuxta vsum diuinæ paginæ verbum, quod est habitat, poni solet pro eo quod est dominatur, vt est: *Inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.* (Psal. 36. 3.) Tu itaque ratio cum subiecto tibi cogitationum, & intentionum, cæterorúmque ac si filiorum mentis habituum examine, & ipsæ spes mercedis operum, quæ sunt filij filiorum: oues tuæ, infirma scilicet, & armenta tua, fortia profectò virtutum opera, & quæcumque digna rationis possessione sunt, mei contiguitate fouebimini, & illapsu alemini. (*Adhuc enim quinque anni residui sunt famis*) *ne & tu pereas.* Adhuc inediæ languor in cogitatione versatur; periculo ergò tuo prouide, ne vsque ad exterioris hominis portas, totius continentiæ, & studij boni integritas, pari defectu palam occidenda ducatur. Sic enim conscientiæ domus extinguitur, & pereunt quæ intro vel extra virtutum lucra possidentur.

Vers. 12. *En oculi vestri, & oculi fratris mei Beniamin, vident quòd os meum loquitur vobiscum.* Iam directa intentione rationalium sensuum vestrorum, & contemplatione filij dexteræ fratris mei, idest futuræ beatitudinis, cui intima & germana est virtus intelligibilitatis, videtis, quod est creditis, ore totius rationalitatis me ista proloqui vobis. * *Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum ad me.* (*Vers. 13.) Vos, ait, internæ cordis propagines, intimate spiritui intellectualitatis gloriam, vtque eam gratiùs excipiat, Ægypti sibi proponite miseriam, & ad hæc crebrò suggerenda euitate desidiam.

Vers. 14. *Cúmque amplexatus redisset in collum Beniamin fratris sui, fleuit: illo quoque flente similiter super collum eius.* * *Osculatúsque est Ioseph omnes fratres suos, & plorauit per singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum.* (*Vers. 15.) Amplexatur Beniamin, cum intellectus feruor dilatat hominem vsque ad operationis vim. Amplexatio autem quia brachiis fit, & amanter astringit, cum opere bono caritatem intelligendam innuit. In collo verò longanimitas consilij signatur; collo enim & cibus admittitur, & vox emittitur, illud quoque & aliis præbetur, & præbenti à seipso suggeritur. In collū ergò Beniamin redit, cum ad consiliū supernæ spei semper intelligētiæ amor inflectitur. Flet ibidem, illo similiter super collum eius flente, dum intellectus ex spei expectatione afficitur, & spes ex intelligibilitatis consultatione compungitur. Osculatur fratres, & plorat per singulos, dum spiritu sapientiæ internos animi sibi motus associat, & agglutinando ad cuiusque profectum affectu pietatis exæstuat. Eorum namque quos osculamur, & spiritu sæpe imbuimur, & saliuis tinguimur. Ipsi enim dum spiritualiter sapiunt, saliuis sapientiæ ipsum intelligibi-

lem intellectum faciunt.

Vers. 16. *Auditúmque est, & celebri sermone vulgatum in aula Regis: Venerunt fratres Ioseph: & gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.* In aula Regis auditur, cum in affectu carnali mentis ista mutatio grauiter personatur, & quasi mox euertenda irrisoriè celebratur. Aula autem est, quia ibi diabolus præcipuè diuersatur; & vti Rex spatiatur. Gaudium eius & vitiorum, quæ sibi * assecu-lantur, ex eo consurgere videtur, quia quanto feruidior animi status plerúmque præcedit, tantò rabidior appetitus, & opportunitas postmodum peccandi subsequitur.

* Ex assecla deriuatur.

Vers. 17. *Dixitque ad Ioseph vt imperaret fratribus dicens: Onerantes iumenta ite in terram Chanaan,* * *& tollite inde patrem vestrum & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.* Pharao ad Ioseph loquitur, & per eum fratribus imperare nititur, dum affectualitas lenociniis intellectualitatem dissipare aggreditur, & per eam inferiores cogitationum status subiugare conatur. Onerate iumenta, occupate curis, & solicitudinibus seculi corpora. Iumenta pro corporibus poni testis est Psalmus: *Non pepercit*, ait, *à morte animabus eorum; & iumenta in morte conclusit.* In terram Chanaan ite, lucri vobis profuturi negotia prouidete: Chanaan enim negotiator dicitur. Inde patrem vestrum tollite, solo scilicet corpore mundana curantes, & rationem Deo liberam vacare sinentes. Tollite & cognationem, & venite ad me, vestrarum incrementa virtutum à seculo extollite, & sic iam pristina de conuersatione securi, ad aliqua secundum me, idest mundialem affectum gerenda, fidenter corda conuertite; & cum ita temperanter mundo vsi fueritis, exuberantibus bonorum quorumque copiis, totius terrenæ vtilitatis medullam, quod est voluptas, palato intimo sapietis, quid intro gerat dulcedinis.

* Vers. 18.

Psal. 77. 50.

Vers. 19. *Præcipe etiam vt tollant plaustra de terra Ægypti, ad subuectionem paruulorum suorum, & coniugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocius venientes.* * *Nec dimittatis quicquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti, vestræ erunt.* Plaustra de Ægypto tolluntur, cum volubilitates mundi circumituum adamantur, quæ molæ asinariæ in Euangelio comparantur. In his coniuges ac paruuli subuehuntur, quia fragiles cum infirmis operibus voluntates, per hæc ad Ægyptum mysticam deducuntur. Cum patre & tota supellectili ire præcipit, dum nullum virtutis propositum, vel studium à seducta ratione excipi permittit, per quod ab Ægypto redimi possit. Sic, inquit, suppetent vobis secularia, vt non doleat vos amisisse spiritualia.

* Vers. 20.

Matth. 18. 16.

Vers. 21. *Fecerunt filij Israël vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundum Pharaonis imperium: & cibaria in itinere.* * *Singulisque proferri iussit binas stolas: Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis.* Motus rationales, qui cum Deo directi pridem sunt (hoc enim Israël interpretatur) corrupti intellectus mandato obediunt. Plaustra dat, cum circumitionis forinsecæ materias administrat, prout vel affectus, vel diabolus imperat. Cibaria in itinere præstat, cum suborientium solatia fortunarum infert, vt magis ad excursum cupiditatis alliciat. Singulis profert binas stolas, cum quibusque statibus pollicetur inter agenda secularia sacras & cogitationis, & operis continentias. Beniamin trecentos argenteos dat, dum ingenium, memoriam, & vsum, sine quibus numeris argentum diuinæ scientiæ profectò non emicat, se ad fulcimentum spei, vel electionis daturum iactitat. Dat & quinque stolas optimas, dum falsò etiam sibi spondet exteriorum sensuum impassibilitates, atque munditias.

* Vers. 22.

Vers. 23. *Tantumdem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens ei asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitiis Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere panesque portantes.* Patri tantumdem mittit, quia spiritui in præsentiarum non minus discretionum, & scientiarum, necnon & sanctimoniæ promittit, quàm spei iam & futuræ beatitudinis miseræ certitudini dedit. Decem ei asinos addit, cum corpus quatuor elementis constans; & animam, quæ tribus, intellectu videlicet, voluntate, & affectu est præstans, sub falso Trinitatis amore eidem spiritui, vt deinceps asinum iuuat, non tàm tradit, quàm mendaciter addit. Hi non Ierusalem, sed Ægypti diuitias subuehunt, quia quæcumque proponuntur bona, tenebrarum contractiones sunt. Totidem asinæ, triticum in itinere, & panes portant, cum lasciuæ corporis, & animæ sub simulato Dei, qui Trinitas est, amore motiones, perfunctoriè quidem & quasi in itinere verbum Dei, quo alios alunt, & ipsæ ieiunæ remanent, portant & panes gratiarum, & munerum diuinorum non sibi, sed aliis vtiles per hypocrisim ostentant.

Vers. 24. *Dimisit ergò fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.* Fratres dimittit, cum sine vllo rationis vel intellectualitatis obiectu interiores cætus arbitrio suo deserit. Proficiscentes ne in via irascantur prohibet, quia ab intentione recta egressos, ne in auaritiæ studio ab appetitu præsentium gaudiorum alicuius oppositione tristitiæ deficiant, præmonet. * *Qui ascendentes ex Ægypto venerunt in terram Chanaan ad patrem suum*

* Vers. 25.

Iacob. Et nunciauerunt ei dicentes: Ioseph viuit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Ex Ægypto ascendunt, cum ab internæ angustiæ, vel tribulationis contuitu, in terrenas negotiationes excedunt. Vel ita potius: Consilio prauæ remissionis accepto, ex Ægyptia cogitatione ad rationem in terram Chanaan, vbi iam seculo inhiat, ascenditur, cum ad discutiendum statum animi iam labantis tota interior frequentia ducitur. Ioseph, inquiunt, per intelligentiam auctus, & in se vitaliter subsistit, vnde necesse est, vt ei Ægyptiæ cæcitatis terrenitas subsit. Ac si addant: Cur ergò inuolueris, vnde dudum processeris?

Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. * *Illi è contra referebant omnem ordinem rei.* Audit dum ratiocinantes cogitationes intelligit. De graui somno euigilat, cum de iam concepti torporis nimietate se suscitat. Tamen eis non credit, quia post has voluntatum profligationes, spiritus noster de intellectualitatis vita diffidit. Illi contra ordinem rei referunt, dum mentis inter tentationes habitum accusando hinc, excusando inde prætendunt.

Cúmque vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius, * *& ait: Sufficit mihi si adhuc filius meus Ioseph viuit: vadam, & videbo eum antequam moriar.* Plaustra, & alia quæ mittuntur, videt, cum volubilitates gloriarum, & simulatrices continentias, quàm fallaciter inferantur, alta cordis dispectione recenset. Spiritus ergò inde reuiuiscit; quia ex eo spem vitæ interioris colligit, quod subtiliter in se quælibet reprehendenda discernit. Sufficit, inquit, mihi ad incentiuum resurgendi, si intelligentiæ acrimonia vigeat; vadam itaque ab inertiæ proposito in intelligibilitatis lumen exacui, antequam extinguar mortifera procrastinatione mutandi.

Vers. 27. Vers. 28.

CAPVT XLVI.

PRofectúsque est Israël cum omnibus quæ habebat, & venit ad puteum iuramenti: & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, * *audiuit eum per visionem nocte vocantem se.* Cum omnibus quæ habebat Israël proficiscitur, cum ad proficiendi appetitum spiritualitas tendens, cum Deo dirigitur, (Israël namque directus Dei dicitur) cum qua & vniuersa pietatis exercitia exemplantur. Ad puteum iuramenti venit, cum studiorum bonorum examine fretus, abditum illum diuinæ sapientiæ fontem, vbi totius religionis iura firmantur, spiritus noster attingit. Vnde & patris sui Isaac Deo victimas mactat, quia intimæ dulcedinis, immo putei viuentis sapore gustato, Deo supercœlestium ciuium, qui sibi ad æternę iocunditatis risum patres, & præuij sunt, vitiorum victorias immolat. Tunc eum per visionem se vocantem audit, dum collationibus gratiarum electionem suam, qua vocatur ad gloriam, intelligit. Visio autem ipsa est mysticè, quę & auditio. Vocans itaque dicit: *Iacob, Iacob.* Iteratio vocationis, quę & supplantatorem sonat, primò ad vitiorum, quibus olim obsoleuimus, deinde ad mortiferæ securitatis, quam quasi ex virtute concepimus euersionem, spiritum mutat. Cui necesse est, *Ecce adsum*, vt indilatè obtemperando respondeat.

Vers. 1. Vers. 2.

Ait illi Deus: Ego Deus sum fortissimus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. * *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioseph quoque ponet manum super oculos tuos.* Cur, inquis, ad subruenda noxia quæque metuis, qui & Deum fortem, & rationis tuæ vires fortificare potentem scis, sicut fortissimè adiutum cœlestem, qui iam hæc triumphauit, priorum patrum cuneum credis, quem vti patrem æmularis? Humiliare in conualli mœroris, quod est Ægyptus; quia talis descensio grande tibi pariet virtutum genus. Ego descendam tecum, nam humilibus conferor per gratiæ donum. Et inde adducam te reuertentem, de coangustiantibus te tribulationibus, id est, Aegypto, subleuabo te ad impassibilitatis gloriam. Ioseph (intellectualitatis scilicet auggmentum) interim dum Aegyptum incolis, auctoritatis, potentiæque suæ manu oculos intentionum tuarum debita sub honestate proteget, atque tuebitur.

Vers. 3. Vers. 4.

Surrexit Iacob à Puteo iuramenti: tuleruntque eum filij cum paruulis & vxoribus in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, * *& omnia quæ possederat in terra Chanaan:* *venitque in Ægyptum cum omni semine suo,* * *filij eius, & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies.* A puteo iuramenti surgit, cum ab intimis diuinæ cogitationis fontibus, per quos solos sanctitatis proposita roborantur, spiritus noster excrescit. Sed surgentem in plaustris quæ Pharao miserat filij eum tollunt, quia cogitationes & opera, quæ ex nobis prodeunt initio conuersionis, non tàm à nobis reguntur, quàm secundum volubilem vitæ veteris statum, qui à diabolo inductus est, senem, labilem, & procliuem spiritum, innoxia, propter lasciuiæ & cupiditatis vxores, vel infirmæ executionis paruulos, regunt. Omnia quæ possederat in terra Chanaan comitantur, quia quicquid in seculari conuersatione leuitatis habuimus, nobis-

Vers. 5. Vers. 6. Vers. 7.

cum velimus nolimus ferimus. Cum omni A ſemine noſtro in Ægyptum venimus, cum omnia, quæ ex noſtra carnalitate generantur, ad Aegyptum noſtri ipſorum cognitionis confeſſionem deſcendentes proferimus. Semen etiam poteſt eſſe ipſa voluntas, quam omnem fecimus, cum ad bona quælibet beniuolentia non caremus. Filij opera noſtra ſunt; nepotes filij ſcilicet filiorum, fructus & præmia, in ſpe tamen adhuc, ſunt operum. Filiæ, quælibet muliebri acta mollitie, cum omni promiſcuæ adminiſtrationis, bonorum videlicet, malorúmque progenie.

Verſ. 27. *Omnes animæ domus Iacob quæ ingreſſæ ſunt* B *in Aegyptum, fuere ſeptuaginta.* Septies denos ſeptuaginta facere, nulli non perſpicuum eſt. Anima autem non aliud quam animalitas intelligitur. Denarius ad decalogum, ſeptenarius attinet ad ſeculi præſentis excurſum. Animalitate ergò iſtis, quæ aduerſa ſibi ſunt, lege Dei, & ſæculo, media conſtituta duobus, cum multa ſuimet ſuffarcinatione ſpiritus Aegyptum, ideſt obſcuræ adhuc latebras mentis, aggreditur; ſpiritus enim legi conſentiens promptus eſt, caro autem infirma renititur. *Verſ. 28 * *Miſit autem Iacob Iu-* C *dam ante ſe ad Ioſeph, vt nunciaret ei, & ille occurrit ei in Geſſen.* Si enim per ſupplantationem peccati ad intelligentiæ ſummam attingere volumus, per confeſſionem, quod Iudæ nomen ſonat, notitiam eius præoccupare debemus. Hanc igitur ſequeſtram iure præmittimus, & mox è vicino illam adeſſe ſentimus, poſtquam conſcientias confitendo mundauerimus. Geſſen namque dicitur vicinitas. Beati quippe mundicordes, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5. 8.

Verſ. 29. *Quo cum perueniſſet, iuncto Ioſeph curru ſuo,* D *aſcendit obuiam patri ad eumdem locum.* Diximus & Geſſen ſuperiùs interpretari appropinquans palpationi eorum. Et ſpiritus non iam imbellis, poſtquam per ſubtilitatem diſpectionis imminet ſuggeſtionibus, quibus nos palpant lenocinia vitiorum, iuncto Ioſeph curru aſcendit obuiam patri, quia per Dei timorem coadunato totius ſapientiæ ſuæ intellectualitas impetu, ad euertenda diaboli regna ſpiritui, ideſt rationi, cui proles nobilis eſt, auxilium latura conſurgit, *Videnſque eum irruit ſuper collum eius, & inter* E *amplexus fleuit.* *Verſ. 30. * *Dixit pater ad Ioſeph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo.* Eum cernit cum ſibimet intellectus ipſe vtilitatem, excellentiámque illuſtratæ à Deo rationis oſtendit. Super collum irruit, cum conſilio ſpiritualis eius vocis gratanter applaudit. Inter amplexus flet, cum interni ſui deſiderij, quo Deo & ſpiritualitati aſtringitur, æſtum euidentiâ operum pietatis exhibet. Ex interiori namque motu ad faciem fletus emittitur. Iam lætus, inquit, moriar, quia perſenſa cœleſti dulcedine, ſpiritus iam libenter optat extingui ſeculari penitus gloriæ. Faciem enim, ideſt clariſſimam illam ſpeciem intelligentiæ, ſpiritus attigiſſe ſe gaudet, nec quia mundo occubuit dolet, vt pote qui ex ea morte interiorem hominem ſupereminere viuacius videt.

Et ille locutus eſt ad fratres, & ad omnem domum patris ſui. Aſcendam & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: Verſ. 31. *Verſ. 32. * *& ſunt viri paſtores ouium, curámque habent alendorum gregum: Pecora ſua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt ſecum.* Ad fratres, & ad domum patris loquitur, cum ad fortes animi habitus, & cum ipſa mente, quæ domus ſpiritus eſt, intellectus ratiocinatur. Aſcendit, & aduentum patris & fratrum Pharaoni nunciat, cum ipſa intima noſtra, quæ diximus, omnia ab imis faciens conſcendere, magnis votorum deſtinationibus grandi efficacia ac ſi quodam nuntio diabolum laceſſit. Chanaan dicitur erubeſcens. In terrenis, ait pudet eos ſtuduiſſe, vbi fructum vident ſtudij ſe nullatenus habuiſſe, intelligenter à modò volunt viuere, & oues, ſimplicitatis ſcilicet opera viriliter exequi & nutrire, nec diuiſiones cupiditatis, & inuidentiæ ſectantur, & ſuperbiæ ſcandala, ſed virtutum cum humilitate exercitia gregatim ac pacificè cohærentia, & ideò ali & curari digna. Nil carnalis ſibi patiuntur reſidere licentiæ: pecora & armenta, infirma & fortia acta ſua, quidquid ſuorum ad regulam corrigi potuit, ad vim duxerunt cœleſtis ſcientiæ.

Verſ. 33. *Cúmque vocauerit vos, & dixerit: Quod eſt opus veſtrum?* Verſ. 34. * *Reſpondebitis viri paſtores ſumus ſerui tui, ab infantia noſtra vſque in præſens, & nos & patres noſtri. Hæc autem dicetis, vt habitare poſſitis in terra Geſſen, quia deteſtantur Aegyptij omnes paſtores ouium.* Vocat nos Pharao, & de opere ſciſcitatur, cum tentationibus pulſat, & cauſas operum, operáque ipſa diabolus callidè rimatur. Sed viriliter de paſtoratu ſimplicitatis reſpondendum eſt, & licet per infantilis animi hebitudinem anhelando in præſentia, & futura negligendo, ſibi ſeruierimus, motus ſcilicet principales noſtri, & tota ſpiritus paternitas, tamen ſummis viribus enitendum, vt terra cultibilitatis internæ, qua palpationi vitiorum aſſiſtitur, nobis habitanda, & regenda liberè maneat, & tantò ſolertiùs, quantò ſeculares quique magis exhorrent innocentiæ ac puritatis ſtudia. Quæ ſequuntur expoſita ſunt; non expoſita proponamus.

CAPVT XLVII.

Vers. 2. * Vers. 3. **E**Xtremos quoque fratrum suorum quinque viros statuit coram Rege: * *quos ille interrogauit: Quid habetis operis?* Illud tamen notari debet, quòd non hîc ascendisse, sed ingressus Ioseph ad Pharaonem dicitur esse, quia cum de vitij desidia ad virtutis gradum conscenderimus, quasi ad Pharaonem ingredimur, dum ad ea quæ in nobis crudeliter & tyrannicè obtinebat, nobis fideliter eius penetralia intelligentiæ viribus irrumpentes vsurpamus. Extremi fratrum quinque viri, sunt quinque finales, & quæ vix, vt sic dicam, extremis laboribus acquiruntur, magnæ virilitatis virtutes, quæ intellectui germana quadam opitulatione concurrunt. Extremæ sunt, vix enim ad has aliqui aut volunt aut pertingere possunt.

Prima est lectionis instantia: secunda minus intellecta cum doctioribus conferendi diligentia: tertia vigilans ad retentionem auditorum memoria: quarta humilis penes quosque magistros reuerentia: quinta cum mundialis ad integrum despicitur gloria. Hos sanè veraciter viros cum coram dispensatore statuerimus, totam profectò eius astutiam harum vnanimitate obsidebimus. Hos tamen quid operis habeant interrogat, cum aliquotiens à sacræ scripturæ studio dehortans, ipsas pias solicitudines cur tantopere scientiæ comparandæ instent quodammodo exprobrando increpat.

Pastores, inquiunt, *sumus ouium, & nos, & patres nostri.* Quod est dicere. Nos fructuosa atque simplicia studia proposuimus enutrire, quia hæc nos, & intellectus, & spiritus patres & auctores verissimi docuêre. * Vers. 4. * *Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum, ingrauescente fame in terra Chanaan: petimúsque vt esse iubeas nos seruos tuos in terra Gessen.* In mundo cui tu principaris non inhærere, sed peregrinari delegimus, quoniam herba carnalis lasciuiæ, quam montes, iuxta illud Iob. 40.10. Iob, Vehemoth, tibi scilicet fertur, non pertinet ad nos, qui visco diuini timoris gregales efficimur, non enim per fluxa libidinum satietas menti, sed fames dira congeminatur: terra nempe Chanaan non veritatis, sed instabilitatis, & verecundiæ est, iuxta sensum nominis, de cuius qui biberit aqua semper sitit. Serui tui quidem sumus, quia nos tibi seruisse fatemur. Gentem namque & Regnum quod non seruierit Nabuchodonosor, iuxta Ieremiam, Ierem. 27 6. Dominus in fame, & peste visitat.

Iube ergò vt in terra Gessen simus, idest ne vlterius obsistere præsumas, licet nos pristinæ seruitutis, sed abiuratæ coarguas, quin in terra non infirmitatis, sed soliditatis commoremur, vbi appropiemus palpationi subdolæ vitiorum, vbi est veræ discretionis vicinitas. Nota & recole quid super Gessen nomine dixerimus: petitio autem vt iubeat, rationalis est contra suggestiones responsio vt desistat. Possunt & quinque viri isti quinque sensus intelligi, qui per auctoritatem intellectus opponuntur, dum viriliter se cohibent Pharaoni.

Vers. 5. *Dixit itaque Rex ad Ioseph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.* * Vers. 6. *Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo solo terræ fac habitare eos, & trade eis terram Gessen. Quod si nosti esse in eis viros industrios, constitue illos pastores pecorum meorum.* Beneuolentia Regis ad Ioseph, nil est aliud quàm imbecillitas ac impossibilitas impugnandi. Terrenitas, inquit, secularis in conspectu tuo est, hoc est examini tuo subiacet. Vnde dicitur in Psalmo: Psal. 68.21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me.* Et cum omnia tuo subsint exteriora iudicio, in optimo solo, præcipuo videlicet totius soliditatis statu, suarum contigua discretione tentationum, quod est Gessen, motus internos colloca; & si diabolicæ quippiam hebetudinis, quod sunt pecora mea, tibi irrepserit, virilis industriæ illud magisterio subde. Hæc effectibus loquitur non conuersa, sed cessare coacta, & euicta malignitas.

Vers. 7. *Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi,* * Vers. 8. * *& interrogatus ab eo: Quot sunt annorum dies vitæ tuæ?* * Vers. 9. * *Respondit: Dies peregrinationis vitæ centum triginta annorum sunt, parui & mali, & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.* Ioseph introducit patrem ad Regem, cum intellectualitatis feruor, ad penetrandas versutias diaboli prouehit rationem. Coram eo statuit, cum eam aduersus eum vigore iustitiæ erigit. Benedicit illi, cum secundum sacri consulta eloquij eius respondet illationi. Quot sunt dies annorum vitæ interrogat, cum de virtutum perfectione animum pulsat. Dies enim operum claritatem, anni eorum significant multiplicitatem. Sed superbiæ impulsibus, ille centum triginta annorum peregrinationem obiicit, quia etsi perfectio, quod est centenarius, in quibusdam suppetat, sexies tamen quini, trigenarius scilicet, quod est ab interioris hominis soliditate ad sensualitatis vanitatem dilapsio, sese dum animus à se peregrinatur, obiectat. Parui & mali dies sunt, quia tantò magis est virtus exigua, quantò malorum crebris irruptionibus fœda; & ex hoc patrum non

poteſt æquari magnificentiæ, quorum affe-ctat exempla, quibus longe valentiùs perſeuerans extitit in incolatu ipſo conſtantia.

Verſ. 10. *Et benedicto Rege egreſſus eſt foras.* Pharaonem benedicimus, cum ea, quæ diſſipationi noſtræ, & damno ingeſſit, ad regulam pietatis intorquemus, & victoriæ ac vtilitati militare cogimus. Túncque foras egredimur, cum ad rationis libertatem, ab eius captioſa quam obtendit illaqueatione prodimus. * *Ioſeph verò patri & fratribus dedit poſſeſſionem in Ægypto in optimo ſolo terræ, Rameſſes, vt præceperat Pharao.* * *Et alebat eos, omnémque domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis.* Rameſſes dicitur pabulum. Nihil ſolo terræ, ideſt mentis cultibilis, ac feracis, ſoliditate melius, quia ibi reperitur pabulum interius. Ibi dat Ioſeph patri, ac fratribus poſſeſſionem in Ægypto, quia ex hac non perfunctoria, ſed ſtabili refectione vera intellectualitatis augmentatio ſpiritui, cunctíſque ſuis, ac ſi filiis motibus vim, vnde corpus & animam legi mentis poſſidendam ſubiuget, & etiam in præſenti largitur ſeculo. Domum patris præbens cibaria ſingulis alit, dum conſcientiam, quæ à ratione inhabitata regitur, roborat, & quibuſque eius ſtatibus conſilium, quo reficiantur, adminiſtrat. Hæc Pharao præcipit, quia diabolus iſta noſtri victus virtute propoſiti præpedire non ſufficiens, velit nolit fieri liberè ſinit.

Verſ. 13. *In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram, maximè Ægypti & Chanaan.* * *E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis.* In toto orbe panis deeſt, quia totius noſtræ perfectionis, quæ per orbem ſignatur, ad obtinendam internæ gratiæ refectionem nullo modo potens eſt. Et quid Ægyptus ſecularis ignorantiæ, (ipſa enim eſt tenebræ) & Chanaan negotiationis, & verecundiæ faciet, ſi orbis electorum non fami præualet? Neceſſe eſt ergò vt ex Ægypto & Chanaan, in prudentia videlicet, & pudendis quæ quondam exercuimus actibus, pecuniam diuinæ ſcientiæ fortiter exigat. Ærarium inuitam & quodammodo indeficientem ſacri eloquij memoriam accipimus: Æs enim, & durabile, & ſonorum metallum eſt. In hoc ærarium Regis, non quod Rex poſſideat, ſed quod in aures Regis filiorum ſuperbiæ perſpicua ſonoritate retinniat, pecuniam infert intellectualitas; quia quicquid ſcientiæ attingit, non ad inanem eloquentiam ſeruat, ſed vt eam ſuaſionibus Pharaonis memoriter obiiciat.

Verſ. 15. *Cúmque defeciſſent emptoribus pretia, venit cuncta Ægyptus ad Ioſeph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? Adducite*, inquit, *pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos, ſi pretium non habetis.* (Verſ. 16.) Emptoribus pretia deficiunt, cum aut memoriæ ſcientia, aut ſcientiæ memoria deſunt. Cuncta tamen Ægyptus petit panes, quia cœleſtium gratiarum munus, ipſæ mundialis miſeriæ clamare ſe innuunt neceſſitates. Ac ſi dicat: Perire te vides, cur morti & inſcitiæ tuæ ô qualiſcumque intelligentia non indoles? Hebetudinem, ait, veſtram mihi ſubiicite, & cibos diuinæ conſolationis accipite, & hoc vobis aſcribetur pro pretio ſcientiæ. *Quæ cum adduxiſſent, dedit eis alimenta pro equis, & bobus, & aſinis: ſuſtentauitque illos eo anno pro commutatione pecorum.* (Verſ. 17.) Equos ſuperbiarum, & fatuitatis ac inertiæ boues, necnon & aſinos libidinum intellectui ſubdimus, & humilitatis ſapientiæ ac ſagacitatis, necnon & caſtimoniæ diebus perlucidis, plenum annum integritatis accipimus. Qui non habetis, inquit, argentum properate, fide & piis actibus emite, & comedite. (Eſaiæ 55.)

Verſ. 18. *Venerunt quoque anno ſecundo, & dixerunt: Non celamus Domino noſtro, quod deficiente pecunia, & pecora ſimul defecerint: nec clam te eſt, quòd abſque corporibus, & terra nihil habemus.* * *Cur ergo morimur te vidente? & nos & terra noſtra tui erimus.* (Verſ. 19.) Prior annus quo pecora dantur, prima conuerſionis inſtitutio eſt, quando minus naturalis, & quodammodo beſtialis vita damnatur. Secundus piæ voluntatis promotio eſt, vbi diuini eloquij pecunia indigentibus, & tamen ſtudium pecuale ſpernentibus, ipſa iam corporis materia etiam neceſſariis ſuis adempta voluntatibus intellectui ſubiicitur, & terrenitas quæque affectionum eius arbitrio relegatur. Cum, inquiunt, victi iam animalitatis motus, quid facto opus ſit præuideas, cur perire obtemperantes ſinas. Ne ergò viuentes in infernum deſcendere feras, affectu & efficientia corporis tui erimus. *Eme nos in ſeruitutem regiam, & præbe ſemina, ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem.* Impende nobis pretium interni documenti, vt exigas à nobis confeſſionem eius, quod diabolo impendimus, ſeruitij, & præbe ſemina bonæ voluntatis, ne deficiente per eius inanitatem cultore ſpiritu, redigatur cordis cultibilitas atque feracitas, ad hoc vt Deo inhabitatore careat, & fructum operationis non habeat.

Verſ. 20. *Emit ergò Ioſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ multitudine famis. Subiecitque, eam Pharaoni,* * *& cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Ægypti, vſque ad extremos fines eius,* * *præter terram ſacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis* (Verſ. 21. Verſ. 22.)

præbebantur, & icircò non sunt compulsi vendere possessiones suas. Terram Ægypti Ioseph totam emit, dum per intelligentiæ claritatem tenebras seculares intellectus sibi subiicit. Singuli possessiones suas vendunt, dum quinque animi motus, in quantum sui malè potiebantur, superno amori, quod non est aliud quam intellectus, sese inseruiendo contradunt. Compellit enim fames, & malunt interim suas intermittere voluntates, quam perpetuò corporis & mentis miseras perpeti paupertates. Vtriusque enim exactiones, ipsa est inedia & fames, Pharaoni Ægyptum & cunctos populos eius subiicit, dum ex mundialitate sua, & omnibus eius vitiis, hanc enim domum, hósque populos filia Regis obliuisci iubetur, se subditum diabolo, in quantum ea sibi præualent, animus recognoscit, secundum quod sibi intellectus indicit. Et hoc à nouissimis terminis Aegypti, vsque ad extremos fines eius, idest ab vlteriori prospectu intentionum vsque ad quarumlibet metas operationum; vtraque enim si attendas finalitates sunt.

Terra sacerdotum, quæ eis tradita à Rege fuerat, excipitur, quia soliditas rationum, quarum sacrum prosequimur in bene agendo ducatum, & quæ à iure diabolico ablata, eis delegata est possidenda, ab hoc dominio excluditur; ipsa namque etiam inter motuum certamina libertati innititur. Horrea publica, è quibus his cibaria dantur, scripturarum communia omnibus consilia sunt, vnde interiora his pabula ministrantur: Vnde possessiones vendere non compelluntur, quia id tantum boni, quod in discretionis virtute possident, nequaquam diabolo subigere peccati admisione coguntur.

Vers. 23. *Dixit ergò Ioseph ad populos: En vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet: Accipite semina, & serite agros,* *Vers. 24. ** vt fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibos familijs & liberis vestris.* Ad populos Ioseph loquitur, cum intellectus animi turbas datis legibus sedare conatur. Ecce, inquit, & vos in quantum vestri estis, & terrenitates quibus afficimini, diabolus obtinet. Ne ergò diutiùs vobis regnet, verbi diuini semina capite, agro mentis inspergi sinite, vt operum fruges bonorum possitis habere. Quicquid ad quintam exteriorum sensuum partem, per quos secularia concupiscuntur, attinet, diabolo, cui per concupiscentias inseruitur, attribuite. Quatuor reliquas, quibus secundum quatuor Euangelia viuitur, vel secundum quatuor principales virtutes, in sementem, qua corda fœcundetis assumite; & inde familias internorum statuum, ac cogitationum, operúmque liberos enutrite.

Vers. 25. *Qui responderunt: salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum Dominus noster, & læti seruiemus Regi.* Animales motus, intelligentiæ captu ducti, salutem suam in intellectualitatis potestate sitam fatentur: ipsam se respicere, idest ab ipsa sibi veritatis lumen influere flagitant, vt de veteri quam mysticè Pharaoni exhibuerunt seruitute, læti de sua euasione confessionis Deo hostiam reddant.

Vers. 26. *Ex eo tempore vsque in præsentem diem, in vniuersa terra Ægypti, Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Ex ea diuinæ dispensationis temperatione, qua constat adhuc rationi resistere carnem, & tamen carni supereminere, quasi quoddam populo sacerdotium rationem, vsque dum veniatur in illum, cui non effluunt præterita, nec futura desunt diuinæ æternitatis diem: Quinta pars Regibus solui debet, quia quidquid sensualitatis euagatione peccamus, dæmonibus qui huic aëri principantur, per quos sæpe illicimur, per debitam pœnitentiæ redhibitionem retribui decet. Beatus enim qui retribuet eis retributionem suam, quam retribuerunt nobis. (Psal. 136. 8) Fit quasi lex hoc in vniuersa terra Aegypti, dum in omni nostro negotio exteriori inhærere iubemur regulæ isti. Potest autem & per quintam partem visus solus accipi qui specialiter funestiúsque damnum infligere consueuit menti. Ipse enim ab Apostolo principaliter exprimitur inter tria illa, (1. Ioan. 2. 16.) vbi concupiscentia carnis, concupiscentia quoque oculorum, & superbia vitæ describitur, vbi vniuersitas malitiç comprehenditur. Terra autem sacerdotalis idest virtus rationalis his numquam Regibus subdi dignatur, quia ad eam pertinet, vt per eam quæ sensualiter sunt læsa curentur.

Vers. 27. *Habitauit ergo Israël in Aegypto, idest in terra Gessen, & possedit eam: auctúsque est, & multiplicatus nimis.* *Vers. 28. ** Et vixit in ea decem & septem annis: Factique sunt omnes dies vitæ eius centum quadraginta & septem annorum.* Israël in Aegypto habitat, dum spiritus, qui cum Deo in nobis principatur, quasi lumen inter tenebras huius seculi dominatur & imperat. Israël enim princeps cum Deo dicitur; & habitare ponitur pro eo quod est dominari. Versatur in terra Gessen, vt subtiliter appropiet ad vitij cuiúsque refragaturus palpationem. Eam possidet, cum debito sibi iure colendam etiam contra tentamenta defendit ac retinet. Augetur, & multiplicatur nimis, quia nusquam copiosior efficitur spiritus, quàm per vsum exercitatæ discretionis. Decem & septem in ea viuit annis, dum

dum & legis decalogo, & ſeptenario adiutricis gratiæ vitalis, in ipſa ſcientia reperimus augmentum prouectionis. Omnes autem virtutum noſtrarum claritudines per Euangelici dogmatis quaternarium, & diuini chariſmatis ſeptenarium, ac Moſaïcæ inſtitutionis denarium, perueniunt ad æternæ beatitudinis dexteram, hoc eſt centenarium.

Verſ. 29. *Cúmque appropinquare cerneret mortis diem, vocauit filium ſuum Ioſeph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, pone manum ſub fœmore meo: & facias mihi miſericordiam, & veritatem: vt non ſepelias me in Ægypto:* *Verſ. 30. * *ſed dormiam cum patribus meis, & hac de terra me auferas, condáſque in ſepulchro maiorum.* Die mortis propinquante filium vocat, cum luce interna ad ſui ipſius omnimodam mortificationem, quantum ad ſeculum ſeducente, ad intellectualitatis deſiderium, quaſi ad filium ſpiritus noſter recurrit, & inhiat. Gratiam in conſpectu inuenit, cum eius ſuppetere ſibi alacritatem ſentit. Ponere ei manum ſub femore, eſt operationi vim internæ veritatis, de qua diuinæ rationis ſemen egreditur, ſubiungere. Conuenit enim hanc ex eo ſeminario ac ſi ex regula dependere. Femur autem propagationem ſignificat, & veritas rationis totum fœcundat: facit miſericordiam & veritatem, vt non ſepeliatur in Ægypto, dum eam remiſſionem peccatorum, quam ex Deo intellectus menti ſpondet, perſeuerando, immò perſeuerare faciendo, certa ſibi exhibitione complet, dum ab Ægypti ſepultura, ideſt à ſeculi ſe obruentis eam cura amouet. Dormire vult cum patribus, quia non Ægyptiis mœroribus deprimi, ſed exemplo eorum, qui dormiunt & corde vigilant, ab extrinſecis ſolicitudinibus deſiderat conſopiri. De hac terra auferri, & in ſepulchro maiorum condi ſe poſtulat, dum per intelligentiæ excellentiam terrenis affectibus eximi, & intra conſcientiæ ſepta à foraſticis ſtrepitibuſſe æſtuat contutari. Vnde dicitur in Iob (Iob. 3. 21. & 22.): *Effodientes*, inquit, *theſaurum gaudent, cum inuenerint ſepulchrum.*

Ego, inquit, *Ioſeph faciam quod iuſſiſti.* *Verſ. 31. * *Et ille: iura ergò mihi, inquit: Quo iurante, adorauit Iſraël Deum, conuerſus ad lectuli caput.* Rationis propoſito intellectualitas ſe fauere affirmat, quia ſine cœleſti notitia, quæ non eſt aliud quam ipſe Dei amor, nil vtile prorſus ſpiritui noſtro reſtat, qui hac fretus conſtantia, iam ſecundum Iſraëlis ſenſum cum Deo directus, ipſi Deo ſeſe humiliat, & ad ipſum qui caput lectuli, ideſt principalitas internæ noſtræ requiei eſt (in ipſo enim à peccati exactionibus ſabbatiſmus eſt) mentem inclinat.

CAPVT XLVIII.

Verſ. 1. HIs *ita tranſactis, nunciatum eſt Ioſeph quod ægrotaret pater ſuus: qui, aſſumptis duobus filijs Manaſſe & Ephraim, ire perrexit.* Hæc tranſeunt, quia feruori animi lentitudines aliquotiens, Deo vtiliter prouidente, teporis incedunt. Ioſeph tunc de patris ægrotatione nunciatur, quando de rationis intellectus mutabilitate pulſatur. Sed duos illos robuſtos, iuxta Iob (Iob. 36. 19.), fortitudine ſtatus felici conſcientia genitos, obliuionem ſcilicet præſentium, & fructificationem futurorum indiuiduos ſibi aſciſcens, rationem per intelligentiæ illapſum propoſiti vtriuſque commemorare feſtinat.

Verſ. 2. *Dictumque eſt ſeni: Ecce filius tuus Ioſeph venit ad te. Qui confortatus ſedit in lectulo.* * Verſ. 3. * *Et ingreſſo ad ſe ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra Chanaan: benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te, in poſſeſſionem ſempiternam.* Seni de aduentu Ioſeph dicitur, cum laceſſenti ſpiritui de augmento cœleſtis notitiæ memoria refricatur. Confortatus ergò ſedet in lectulo, cum viribus ex intima correctione reſumptis, conſcientiæ propriæ honore prominet iudiciario. Sedere enim iudicantis eſt. Lectulum, mentem dici teſtis eſt, qui ait (Cant. 1. 15.): *Lectulus noſter floridus.* Porrò ingreditur cum ſecreto cordis admittitur. Luza dicitur boia, quod nos vocamus compedem. In terra Chanaan, inquit, ideſt in terrenitate, vbi iugem per criminum decliuia motum patiebar, & quo voluptatum compedibus aſtringebar. Deus, qui in fortitudine vinctos omnipotenter educit, mihi inclaruit, virtutis multiplicationem benedixit, & quòd inter turbulentias vitiorum ſubſtantibilem me crearet, & terram corporis huius mihi in præſentiarum, & poſt ſeculi huius ſtatum ſemini, ideſt, pio merito meo incorruptibiliter poſſidendam contraderet, ſpe certa promiſit.

Verſ. 5. *Duo igitur filij tui, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manaſſes, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* * Verſ. 6. * *Reliquos autem quos genueris poſt eos, tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.* Intellectuales duo ſunt filij, qui ſic imminent geminæ viſceribus caritatis, vt Manaſſen habeant præſentium obliuionis, ſed numquam obliuiſcantur futurorum bonorum frugis. Hi in terra Ægypti naſcuntur antequam Iſraël ad Ioſeph veniat, quia antequam ſpiritus noſter quid ſit intellectua-

lilitas sapiat, & seculi conuersationem omninò intellectualitas ipsa nos respuere cogat, hos ipsa in se, vel ex se motus pietatis procreat; hos opus est vt ratio, vt pote proprios, sibi deligat. Ruben dicitur videns filium, Simeon audiens tristitiam.

Reputabuntur, inquit, mihi Manasses & Ephraim, sicut Simeon & Ruben, quia illa instantium obliuio, per auditum tristitiæ vel præsentis, qua mundus tribulatur, vel futuræ, qua impiis maledicetur, mihi fit; & tota pij operis fructificatio, per visionem filij, idest per contemplationem mihi prouenit æternorum spei. Filios autem spes in Scriptura solere vocari sæpe probauimus. Ac si dicat, sicut causæ, & spei, & tristitiæ auditus mihi non desunt, sic efficientiæ quæ retro sunt obliuiscendi, & fructuum in anteriora tendendi, deesse non poterunt. Si quid postmodum viribus intelligentiæ studiorum sanctitatis edideris, tibi hoc ad summam diuinæ cognitionis adauxeris, & virtutum nomine fratrum, scilicet sapientia genitrice, & spiritu procreatore satorum, censebuntur meritò in principando motibus subiiciendis. Si enim seculum perfectè reiicias, & frugi bonorum operum Deum diligendo prorsus insistas, virtus est quidquid demum inter istas intentiones attexas.

Vers. 7. *Mihi autem, quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, erátque vernum tempus: & * egrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethleem.* Mesopotamia dicitur eleuata vocatio. Rachel videns principium. Quando, inquit, de vocatione diuina, qua ab imis eleuor, accepi, vt ad effectum gratiæ peruenirem, quantum ad meos, idest humanos vsus spectat, Rachel mihi emoritur, intentio scilicet mea terrena ad vtilitatem meam destituitur, vt ad eum qui omnium principium, & principaliter est, erigatur. In terra Chanaan in ipso itinere occidit, cum in terreno motu posita, quo expediri adhuc perfectè non potest, in ipso proficiendi appetitu paulatim decidit. Vernum tempus erat dum hæc moritur; & ille Ephratam egrediebatur, quia accedente fidei feruore, cum pius in fructum operis prorumpit affectus, quæ ex carne est voluntas deiicitur, & ad vbertatem internæ plenitudinis, quod est Ephrata, spiritus quasi ad libertatem solutus egreditur.

* al. ingrediebar.

Iuxta viam Ephratæ sepelitur, cum iuxta Christum, qui via est, & frugi vbertatíque sese fruentium à mundano tumultu absconditur. *Pone me*, inquit, *iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* (Iob. 17. 3.) Bethleem dicitur domus panis. Alio ergò nomine Ephrata appellatur domus panis, quia etsi feracitas bonorum actuum laude ducitur, tamen nullo modo apud Deum approbatur; nisi, vt ita dicam, mansionaliter vsus supercœlestis huius panis teneatur, sicut domus non in morem tabernaculi, sed temporum, & ætatum diuturnitate habitatur.

Vers. 8. *Videns autem filios eius dixit ad eum: Qui sunt isti?* * Vers. 9. *Respondit: filij mei sunt, quos dedit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis.* * Vers. 10. *Oculi enim Israël caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat.* Videns filios Israël, idest intellectualitatis efficientias, subtiliter apud se spiritus discutit eorum causas. Sed respondet sibi filios in loco à Deo sibi dátos, hoc est principaliter, vti decet, bonos operum sibi fructus in caritatis stabilitate fundatos. Is enim locus est spatiosus in quo Dauid statutos gloriatur pedes suos. (Psal. 30. 9.) Latum enim mandatum ipsum nimis. (Psal. 118. 96.) Operum ergò causæ sunt caritas. Et quia ne ad modicum nec nos loco, nec nobis locus abesse debeat, per præsentis rei demonstratiuum, quod est, Hoc, patenter insinuat. Si igitur, inquit, ex diuina cognitione prodeunt, per ipsam intelligentiæ tuæ claritatem, ad rationis eadem opera deduc discernenda notitiam, vt discreta & quodam palatio interius delibata, benedicam, idest multipliciora reddam: Sine intellectualitatis enim acumine oculi Israël, ingenia videlicet rationis caligant, & præ nimia temporariæ vetustatis consuetudine, in diuina ac spiritualia minùs valent intendere.

Applicitósque ad se deosculatus est, & circumplexus, * Vers. 11. *dixit ad filium: Non sum fraudatus à conspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.* Ad se applicat, cum & instantium obliuionem, & piorum actuum fructificationem, sibi indiuiduè copulat. Deosculatur, quia non timore, sed amoris interni carितudine in his afficitur. Circumplectitur, cum spiritualis vigilantia statum suum vndecumque muniendo contuetur. Non sum, inquit, fraudatus aspectu tuo, quia intelligentiæ lumine, & notitia non caream, in quantum bonis intentionibus hæreo. Insuper ostendit mihi Deus semen tuum, idest perspicuæ illius veritatis quam in te contines fructum, intentiones intendendo vsque ad exhibitiones operum.

Vers. 12. *Cúmque tulisset eos Ioseph de gremio patris adorauit pronus in terram.* * Vers. 13. *Et posuit Ephraim ad dexteram suam, idest ad sinistram Israel: Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, & applicuit ambos ad eum.* Ioseph de gremio patris filios tollit, cum intellectus ab infimis voluntatibus operationum intentionem erigit. Gremium namque longe inferiùs sub pectore corporis locus est.

Patris ergò gremium humanæ accipimus ra- A tionis motum. Humana enim eſt ratio, eſt & diuina. His ſublatis in terram pronus adorat, quia quantò magis à carnis prudentia ſtudium eximit, tantò magis contemplando ſublimia coram Deo humilius de ſe ſentit. Ephraim ad dexteram ſuam ponit, quia boni operis frugem ad ſpem ſibi æternæ beatitudinis conſtituit.

Sed dextera Ioſeph ad dexterā Iſraëlis eſt, quia illa intellectualitatis ſupremitas intenta cœleſtibus, ſiniſtrum, ideſt ſeculare & infimum æſtimat quidquid in humanis, etiam ſi B ſpiritualiter ſapere videantur, verſatur ratiocinationibus. Ipſam enim contemplationis dulcedinem cum graui vanitatum moleſtia prægustamus. Antequam enim intellectus comedat, ſpiritus ſuſpirat. Ipſi nempe, ait Apoſtolus, primitias ſpiritus habentes intra nos gemimus. Manaſſes in ſiniſtra intellectus, ſed ad dexteram rationis, quia materialium obliuio, ſine qua virtus non eminet ſpeculationis, cauſa eſt apud illum duriſſimi laboris; qui tamen labor rationi occaſio eſt perſpicaciſſimæ in diſcernendo ſpiritualia dignitatis. Ambos ergò ad eum applicat, quando vtraque, ſine quibus nil efficitur, intelligentiæ vis deſiderio rationis aſſociat.

Rom. 8.23.

Verſ. 14. *Qui extendens manum dexteram, poſuit ſuper caput Ephraim iunioris fratris: ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus.* Extendit manum, cum ſpiritus internæ fortitudinis prouehit exercitium. Caput Ephraim, cui dextra ſuperponitur, ipſa diuinitas eſt, à qua ac ſi de capite pendet totius noſtræ bonæ actionis effectus; D ſuper qua etiam ſpiritus noſtri ſpes, & beatitudo fundatur. Siniſtra ſuper caput Manaſſe, quia tota tentationum aduerſitas, cœleſtis gloriæ altitudini, quæ obliuionis præſentium ſumma & capitalis intentio eſt, innititur. Ephraim iunior, Manaſſes maior natu dicitur, quia prius ſecularis memoria reiicitur, vt æternis fructificationibus deinde inſiſtatur. Manus ergo commutat, dum quod dextrum præſenti eſt, æternæ vitæ ſiniſtrum deputat; & quod ſiniſtrum æternæ, præſenti dextrum abiicit & refutat. E

Verſ. 15. *Benedixitque Ioſeph filio ſuo, & ait: Deus in cuius conſpectu ambulauerunt patres mei Abraham & Iſaac, Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem:* * *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis: & inuocetur ſuper eos nomen tuum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Iſaac, & creſcant in multitudine ſuper terram.* Benedictio, multiplicationis eſt imprecatio. Ioſeph autem, ideſt intellectum, rationis dicimus filium, quia non ex intellectu rationem, ſed ex ratione procedere nouimus intellectum. Deus, inquit, in cuius placito (quod enim placet, præ oculis habere volumus) proficere ſtuduerunt paterna interioris hominis gentium cuſtodia, quod eſt Abraham & Iſaac, ſpes ſcilicet gaudij cœleſtis atque lætitia. Deus, qui à prouectu exoleſcentis animi conſtantiæ ſua conſolatione me nutrit, vſque in illius qui ſemper præſens eſt diei me ducendo contemplationem. Angelus diuini eloquij, cuius nuncio de cunctis peccati eripior incommodis, per ſui ipſius efficientiam, & adimpletionem multiplicet propoſiti nouitatem, inſtantium videlicet obliuionem, & futuræ ſpei fructificationem & perpetui ſentiant intellectualitatis augendæ deſiderij inuocationem; & creſcant deuotiones internæ in multis effectibus ad corporalis exercitij ſuperficiem.

*Verſ. 16.

Verſ. 17. *Videns autem Ioſeph quòd poſuiſſet pater ſuus dexteram manum ſuper caput Ephraim, grauiter accepit: & apprehenſam manum patris leuare conatus eſt de capite Ephraim, & transferre* C *ſuper caput Manaſſe.* Intellectus dum attendit aliquotiens rationem ſic potius ſtudium ſuum bonis quæ exercet actibus impendere, vt ad contemplationis ſubtilitatem, quod eſt corporalitatum obliuio, negligat aſſurgere: ægrè patitur hebetudinem rationis, vnde & ipſam dexteram, ideſt interioris hominis potentiam, ab extrinſeca cura reſtringens, de capitali actualitatis intentione eleuare nititur ad totius materialitatis oblitera-tionem. Capita namque principalitatem mentis, quæ eſt intentiones, ſignificant.

*Verſ. 18. * *Non ita*, inquit, *conuenit, pater quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* Primogenitum vocat, vel quia homo non foraſticæ adminiſtrationi, ſed diuinæ potius viſioni conditus eſt: vel quia dignior eſt ſpeculatio, quam communis etſi bona actio. Hæc eſt optima Mariæ portio. Huic ergò inquit, admoue potiſſimùm tuæ virtutis diligentiam.

Verſ. 19. *Qui renuens, ait: Scio fili mi, ſcio: & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: ſed frater eius iunior, maior erit: & ſemen illius creſcet in gentes.* * *Benedixitque eis in ipſo tempore, dicens: In te benedicetur Iſraël.* Renuit, & ſcire quidem eius primatum ſe aſſerit, & quandam inter inanium cogitationum populos ſpeculationis ſingularem attendit eſſentiam, virtutumque eius exuberantiam, ſed actiuè maiorem æſtimat aliquando animus vtilitatem, quæ multis prodeſſe delegerit; cuius ſemen, ideſt exemplum operis in multorum innumeras ædificationes propagari vt pote imitabilius poterit. Huic ſen-

*Verſ. 20.

sui querminonia Marthæ ad Dominum laborantis in Euangelio aduersus sororem concinit. Benedicit tamen eis in ipso tempore, dum multiplicari in vtrisque appetit in hoc eodem statu considerationis suæ. Licet, inquit, plurimorum actualitas emolumento valeat, fateor tamen quòd in te ô intellectualitas internæ benedictionis principalitas consistat; virtus namque Israëlis per te, idest rationis, exuberat, & ideo dicetur: *Faciat tibi Deus sicut Ephraim; & sicut Manasse*: tibi videlicet ô spiritus fulciatur animalitas sicut adipe & pinguedine, profectò fructificando exterius in exhibitione, & imbuatur intrinsecus gratiæ succo omnium à mente visibilium abolitione.

Lucæ 10. 41.

Constituitque Ephraim ante Manassen, quia necesse est, bonis prius actibus insudare, antequam corporalium imagines valeant eliminari à corde. * *En*, inquit, *morior & erit Dominus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum*. En per continentiæ fructum, & rerum tractabilium despectionem, secularibus desideriis morior; & sic ô spirituales motus, abscissis affectibus alienis diuinus commanebit amor vobis, qui vos reducet ad terram soliditatis æternæ, quam amisistis in patribus primis. Spiritus enim sanctus, qui amor est, deducet nos in terram rectam. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Pars ista quæ extra fratres Ioseph datur, cognitio diuinitatis est, quæ non oculorum visioni, non extrinsecorum sensuum vlli, non imaginationi cogitationum, non interiorum habituum vlli, quamuis ratiocinantium, soli præter hos omnes intellectualitati attribuitur. Amorrhæus ipse dicitur amaricans, carnalem spiritui infensum affectum significat, de cuius manu, idest potestate, & actu, diuini subtilitas amoris, ac si gemma de sordibus, gladio discretionis, & superni arcu timoris, à facie cuius vt fugiat sibi significatio datur, solicitudine rationis eripitur

* Vers. 21.

CAPVT XLIX.

Vers. 1.

VOcauit autem Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini vt annunciem quæ ventura sunt vobis diebus nouissimis. * Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israël patrem vestrum. Iacob filios vocat, cum cogitationum dispersionem per eius quem præmisit arcus prouidentiam ratio restringit & alligat. Hunc autem arcum suum superius dicit, quia eius sibi vsum, & exercitionem specialiter indicit. Ad rationis, inquit, sinum visco vos diuini metus vnanimiter cogite; vt singulis mentis motibus denunciem quæ valeant fortunæ, vel infortunia in extremis dierum, idest virtutum successibus prouenire. Congregamini, quia in dissidio, & euagatione nusquam vox diuina percipitur: & Iacob, idest supplantatoris vitiorum primum monitis obaudite spiritus, vt postmodum victoris eiusdem placidam paternitatem experiamini, cui est cum Deo iam per victoriam principatus. Israël namque princeps cum Deo dicitur.

* Vers. 2.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior imperio. * *Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius*. Ruben interpretatur videns in medio. Medium autem pro communi ponere, & humanæ ac diuinæ paginæ inolitum est. Videns ergò in medio vis rationalitatis accipitur, quæ generaliter tota quæ hominis sunt prouidè curare dinoscitur. Est ergò dicere. Mihi rationi principaliter ingenita dignitas es prouidentiæ aut discretionis, quæ licet fortitudinem contra emergentia vitia subministres, principium tamen doloris mei es, quia quò magis addis scientiam, tantò addis scita facere non potenti tristitiam: & cum sis prior secundum excellens sapiendi donum, & maior ad exigendum corporalitatis seruitium, corruptionis tamen fluxu per affectualitates effunderis, in quarum nolit Deus distensione, vt vllo modo superbias; solet enim improbis cogitationibus lætitiæ inanis tumor increscere, cum voluptatum sibi arriserit opportunitas. Gaudent enim in rebus pessimis, sumentes audaciam de nimietate criminis. Versa, inquit, tu ratio in affectum, & de veritate facta mendacium, ab infimis surrependo mentis quietem, (quod significat cubile) per turbas, & turpium desideriorum adulterinis incursibus, virtutum stramenta commaculas. Hæc verba spiritus internæ familiæ patris, de praui appetitus immersione subdola conquerentis.

Vers. 3.
* Vers. 4.

Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. * *In consilio eorum ne veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum*. Simeon dicitur audiens tristitiam. Leui additus, vel assumptus. Si iuxta Prophetam non est gaudere impiis dicit Dominus: & gaudium, secundum patres, in bono accipitur, tristitiæ auditio ad malum ducitur, vt causa pro effectò ponatur: quia si gaudium & pax Regnum Dei, non esca, & potus

Vers. 5.
* Vers. 6.
Rom. 14. 17.

ab Apostolo dicitur, iure Regnum diaboli tristitia, & inquietudo vocatur; peccati enim studia hoc omne consequitur. Audiens ergò, idest intelligens, immò obedienter excipiens huiusmodi tristitiam, non quod inde tristetur, sed quod sibi iram in die iræ hinc thesaurisare noscatur, affectus ipse intelligitur, cui cum fructus concupiscentiæ suæ additur, fiunt duo pessimæ capacitatis vasa, quæ bellis, & tumultibus aduersus animam militantibus adimplentur.

In horum consilio ne veniat anima à spiritu optatur, cum à proposito terrena ambienti, & ambita libidinosè post assecutionem fruenti, intentio interioris hominis ab ipso arcetur. Consilium autem eorum est, & cupere, & in concupitis cum affuerint lasciuire. Vnde Iob: *Quia*, inquit, *non sunt in manu eorum bona sua, consilium eorum longe sit à me*. Et Dominus: *Væ*, ait, *prægnantibus & mammantibus*. Consilium itaque horum, cupiditas, & voluptas siue superbia est; in quorum cœtibus, (multas enim & alias istæ sibi pestes colligunt, radices nempe omnium sunt malorum) non vult ratio gloriari, quia in male factis nescit lætari, nec in malignantibus æmulari. Horum namque furor, idest vehemens & quasi furibundus appetitus, qui ab Apostolo passio desiderij: & alibi, vltio appellatur, occidit illum, quem Samaritana vocare iubetur virum, interimit scilicet rectorem spiritum. In voluntate tamen eorum primò suffoditur murus, quia per delectationem, quæ suggestioni sponte fauet, interna virtus euertitur antequam ad rabiem perueniatur ascensus.

(Iob. 21. 16. — Matth. 24. 19. — Marci 13. 17. — 1. Tim. 6. 10. — Prou. 2. 4. — Psal. 36. 1. — 1. Thes. 4. 5. — Ioan. 4. 16.)

Vers. 7. *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam illos in Israël.* Furor eorum quia pertinax est maledicitur, quia nimietas concupiscentiæ quam perseuerare in prauo nititur, à diuini prouectus summa deiicitur. Maledictio namque in sacro eloquio, pro destitutione, & detrimento ponitur, indignatio ob duritiam maledicitur, quia cum in ipsa voluntate delectationis æstuant aduersus diuina præcepta, quòd importabilia videantur indignando se eleuant; & cum per hoc ad vitia efferata mente feruntur, status eorum propriæ calamitate obstinationis obruitur. In Iacob tamen, idest in animis ad supplantationem peccati viuacibus, huiusmodi arguta discretione diuiduntur; sed in his qui sunt Israël, idest qui cum Deo directi, cum Deo etiam sibi ipsis principantur, cornibus maximæ auctoritatis ventilantur. Israël nempe directus Dei, vel princeps cum Deo dicitur.

Vers. 8. *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.* Iuda dicitur laudans, vel glorificans, vel confitens; ipse est sanctæ religionis status, qui etsi qua gerit minus apta, piè confitetur, vitaque & moribus Deum laudat, nec solum in se, sed & per aliorum exempla glorificat; cuius vera in eo auctoritas probatur, quòd inuitæ rationis potentia præfatorum affectuum, malorúmque ceruicositates deprimuntur. Hunc fratres sui laudant, quia & consortes quique propositi, & etiam ipse ex eodem patre spiritu, & bona voluntate matre geniti, quilibet actus fortes laudabiliter celebrant. Adorant, cum ad hunc fulciendum omnes mentis motus sese humiliant.

Vers. 9. *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Catulus leonis, iuxta physicos, dormiens nascitur, sed die tertio voce parentis postmodum excitatur. Verè ergò religionis effectus, Iudas scilicet in primitiuis suis affectibus, quasi torpidus & quodammodo sua nouitate hebes oritur, sed post Trinitatis, quod Deus est, agnitionem, quæ non nisi amor eius est, quæ sola cognoscibilis sibi vox est, ad scientiæ claritatem expergiscitur. De hac voce dicitur. *Omnis qui audit à patre, & didicit*, & cætera. Et, *Qui audit, dicat veni.* Ad prædam ascendit, quia à concupiscentia carnis, oculorúmque, & vitæ superbia, quæ Simeon, & Leui exigunt, se subrigens ad vim Regno cœlorum inferendam, & illud violenter eripiendum, gradibus virtutis erumpit.

(Ioan. 6. 45. — Apoc. 22. 17. — 1. Ioan. 2. 16.)

Requiescens vt Leo accubat, cum sopitis aliquotiens tentationibus, & si securus esse videatur, tamen contra subitas irruptiones semper sollicitus vigilat. Leo namque etiam cum dormit, patentes habere oculos dicitur. *Ego enim dormio, & cor meum vigilat.* Quasi leæna quoque est, quia quò ampliùs incentiuum superni ardoris corde conceperit, & pij operis fœtibus incubuerit, eò atrocior contra vitia se erigit. Leenæ sanè natura perhibetur, cum feruet amore maris, seu partubus instat alendis, vt fortior etiam Leone sit. Hunc ergò tanta dilectione fretum Iudam, quis carnis motus ab interna delectatione, qua in Deo quiescit, exsuscitatur? *Multæ* enim *aquæ non poterunt extinguere caritatem.* Lampades nempe eius ignis atque flammarum sunt.

(Cant. 5. 2. — Cant. 8. 7.)

Vers. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* * Vers. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* Sceptrum de Iuda non aufertur, quia de ipso nostræ habitu sanctitatis, regimem imperatoriæ rationis non contrariarum ventis fortitudinum, non fluminibus libidi-

Matth. 7. 25. num vllo modo dimouetur. *Venerunt*, inquit, *flumina*, *flauerunt venti*. Femur Iudæ veritatis notitia est, ac si quoddam conceptaculum seminis in corde. Dux ergò de fœmore Iudæ, ipse spiritus noster est, ex veritatis in bonis operibus procreatus, ac roboratus propagine; quæ progenies ex Iuda editur, quia ex sanctitatis studio & vsu, arcanum interioris prudentiæ quasi prosapiæ genus extenditur. Et hoc fit donec veniat qui mittendus est, idest dum cœlestis ille immortalitatis ac incorruptionis habitus accedat, qui vt absorbeatur, quod mortale est, B à vita gentium, idest motuum internorum votis expectatus est. Ipse autem dux ligat ad vineam pullum suum, dum affectum carnalem iugi ac oneris diuini impatientem, ad scripturæ diuinæ præcepta castigat & cohibet, quæ meracissimi nobis consilij poculum præbet. Has sacrorum documentorum vineas, in Cantico amoris querimonia est, demoliri vulpes paruulas. (Cant. 2. 15.) Ad vitem asina alligatur, cum ad Christum, qui dicit: *Ego sum vitis vera*: (Ioan. 15. 1) voluntas nostra quæ vicinior est, rationi, & legi Dei magis consona, quasi C oneriferum, & tractabile animal astringitur. Filium spiritus quod est, Iacob Iudam idest, statum religionis nominat, quia à se totius pietatis exercitium prodire non dubitat.

Lauabit vino stolam suam, & sanguine vuæ pallium suum. (*Vers. 12.) * *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Stolam suam vino lauat, cum profectus noster Iudas verus spirituali feruore ac lætitia, tunicam illam in baptismo susceptam, quam perferre iubetur ante tribunal Christi, quotidie mundat. Pallium super tunicam indui solet. Si ergo per stolam interioris hominis in D quantum possibile est, munditiam; per pallium accipere possumus exterioris operis innocentiam. Quæ in sanguine vuæ lauatur, quia Christi passionis sacramento, ex quo supernæ nobis plenitudo defluxit dulcedinis, dum illud fideliter sumit, à macula humanitatis abluitur. (Apoc. 7. 14.) Vnde dicitur: *Et in sanguine agni lauerunt stolas suas.* Cum enim Christi corpus deuotè sumimus, à necessitatibus, quæ se nostris actibus ingerunt, expiari nos credimus.

Vino autem Iudæ oculi pulchriores sunt, E quia non ex hypocrisi, & arrogantia sapientiæ, & scientiæ claritates animi nostri gloriosa confessio sibi inesse iactitat: sed ex vino, idest synceriſsima spiritualis gratiæ vbertate plenius sibi aliis abundare demonstrat. Est ergo sensus. Quòd cæteris pulchritudine præminent, non ex figmento, sed ex vino diuini saporis & caloris est. Similiter & dentes, sermonum videlicet potentiæ, & virtutes, quibus alios piè mactando Deo incorA porant, quòd multorum facundiis propensius enitent, ex lacte est, idest ex simplicis conscientiæ pleniſsima puritate, non ex declamatoria ventositate. Hi enim dentes sicut grex tonsarum ascenderunt de lauacro, vt legitur in amoris Cantico. (Cant. 4. 2.)

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sydonem. (Vers. 13.) Zabulon dicitur fluxus noctis, vel iusiurandum eius, vel habitaculum fortitudinis. Cum enim noctem huius seculi effluere per errores cernimus, iusiurandum quod in baptismo sacræ promiſsionis fecimus, nos scilicet pompis eius renunciaturos, ad habitaculum æternæ fortitudinis, ciuitatem videlicet manentem contendentes implemus. Hac consideratione curas mundi, naufragium scilicet maris euitans animus noster, littus internæ soliditatis eligit, & inter naues, non illas quæ circumferuntur omni vento doctrinæ; (Ephes. 4. 14.) sed illas, per quas descenditur mare vt fiat operatio in aquis multis; (Psal. 106. 23.) & quæ pertranseunt animalia pusilla cum magnis.

Sunt namque naues, animæ omnino fideles, humilitatem sua concauitate signantes, & per hoc sese aliosque saluantes. In statione ergò nauium habitat, cum inter exempla eorum qui in miseriis seculi huius tentationum subsistunt, perseuerando conuersari curat. Vsque ad Sydonem pertingit, cum vsque ad considerationem quæstus inutilis, quid solum in modo & quæritur & agitur, mens prouida peruenit. Sidon nempe venatio inutilis dicitur. Punicâ verò linguâ, piscis interpretatur. Ad piscis autem similitudinem attingit, quisquis inter mundi fluctus, & tempestates illæsus à crimine viuit. Cui tentatio occasio vitæ fit, sicut pisci vnda alimentum existit. Homini enim super terram, idest super terrena constituto, tentatio vitalitatis causa esse debet.

Isacar asinus fortis accubans inter terminos. (Vers. 14.) * *Vidit requiem quòd esset bona: & terram quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factus est tributis seruiens.* (*Vers. 15.) Isacar interpretatur, est merces. Et tantis laboribus quos Zabulon patitur, sedulò est intimandum, quia est merces. Taxatis namque octo paſsionum beatitudinibus Dominus addidit: *Gaudete quoniam merces vestra multa est in cœlo.* (Matt. 5. 12.) Ad hanc asinus parandus est fortis, tolerantiæ scilicet vigor humilis. Inter terminos accubat, cum & inimicos ferendo amare iubetur, & amicos non nisi propter Deum amare præcipitur; quibus præceptis ac si meta vtrimque constringitur. Porrò accubat, dum in his studiis, non nutabundus errat, sed continua delectatus eorum actione pausat. Videt requiem quòd sit bona, & terram quòd optima quia spiritualia atten-

dit sabbata ab omni illicito quàm in præsenti sint vtilia atque idonea; quibus otiis, qua nil est meliùs, acquiratur viuentium terra. Supponit itaque humerum ad portandum, cum ei cuius onus leue est, humilis impendit obeditionis sub hac intentione seruitium. Vnde legitur: *Seruient*, inquit, *ei humero vno*, id est vnanimis obedientiæ voto. Fit tributis seruiens, dum vitia, & concupiscentias quæ sibi dominabantur abscidit; ea sola quæ corporis necessaria redhibitio exigit humanitati reddens.

Soph. 3. 9.

Vers. 16. *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia* *Vers. 17. *tribus in Israël.* * *Fiat Dan coluber in via: cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat* *Vers. 18. *ascensor eius retro.* * *Salutare tuum expetabo Domine.* Dan interpretatur iudicium, hypocrisim significans, qua iustiùs nullum iudicatur, id est damnatur vitium; quæ & sancta agit, & sanctitatis honorem Deo contempto sacrilegè sibi attribuit. Populum autem suum sicut & alia tribus in Israël iudicat, quia forinseca quædam sua mala sicut & electi, ad quorum sortem non pertinet, visibiliter discernit & temperat. Fiat Dan coluber in via. Quod est dicere. Velit Deus, vt etsi hypocrisis colorari videtur ex varietate sua, appareat tamen quàm sit mortiferum malum instar colubri in suæ affectionis via. Notandum autem quod coluber minus noceat, quàm cerastes; & via latior, & magis trita sit, quàm semita. Coluber in via est hypocrisis malum, sed non ita perniciosum in affectione praua. Laudis enim amor naturaliter surripit pene omnibus. Hæc via ergo generalis est. Id præcauet qui dicit: *Dixi custodiam vias meas.*

Psal. 13.

Cerastes autem, qui dicitur cornutus, mortiferum omninò animal, superbiæ fastum cornu elationis significat; cui semita concinit, quæ singularitatem insolentis cogitationis indicat, vbi se super alios cunctis indignando eleuat, qui pene Deo ipsi se comparat. Mordet verò vngulas equi, cum corrumpit nimietas arrogantiæ in animo ipsam sui discretionem typi, vt non se superbire, sed quidquid de se gloriosum cogitat, sibi æstimet dignè competere. Vngulas pro discretione ponere nouit, qui scit vitulum nouellum cornua & vngulas producere. Equum autem pro superbia solere poni, testis est Psalmus: qui ascensores equorum dormitasse perhibet ab increpatione Dei: Vt cadat ascensor eius retro, id est vt dum de gloriæ inanitate superbit, euertatur, & decidat in illo vnde auertit obtutus futuro seculo. Percussit enim Dominus inimicos suos, vbi minus attendunt in sequentis vitæ posteriora. Spiritus autem noster ista prouidè dispiciens, atque despiciens, salutare Dei se expectare Deo ipsi pollicetur; quia quò magis impius, & apostata superbit, pauper tantò magis incenditur, ad bene agendum scilicet purgatior viuidiórque redditur; & cum seculares ille glorias præstolatur, iste de salutaris, id est Christi expectatione lætatur. Vnde Dauid qui de eo qui præualuit in vanitate sua loqueretur, subdidit de se, vel Christo, eiúsque similibus. *Ego autem sicut oliua fructifera*, & cætera.

Psal. 63. 11.

Psal. 75. 7.

Psal. 15. 10.

Vers. 19. *Gad accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum.* Gad latrunculus interpretatur, per quem intelligitur carnalis stimulus. Qui accinctus ante Dan præliatur, quia collectis & appositis sibi ex inani tumore viribus, luxuriæ solet despumare fœtoribus. Sæpe enim & quasi naturaliter maiestatis illius ventositas reflari consueuit in labem, & iusto Dei iudicio improuidè latrunculus sibi iste occurrit, vt qui Deum hominésque non reputat, in suo repente fœdissimo casu videat, quam nullus existat. Ante autem præliari dicitur, quia ei qui interius vltra omnem modum gloriatur, apertæ impugnationis turbas insolentiâ subitæ libidinis mouere permittitur. His enim qui voluntariè peccant, offendiculum proponitur. Retrorsum tamen prius accingitur, dum in animo suo, cui hypocrita dorsum vertit, multis priùs cogitationum moliminibus conceptæ voluptatis affectus armatur, quomodo callidis effectibus impleatur.

Vers. 20. *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus.* Aser dicitur beatus; Nec Deum perfectè timenti beatior est vllus. Huic panis pinguis est, quia dum oleum continet, nec interius de virginitate superbit, panis ei, qui de cœlo descendit, interior libertas, & succus est: Is ex adipe frumenti cibatur. Aser ergò iste, noster scilicet spiritus, vera huius saporis beatitudine donatus, præfatis duobus, Dan videlicet & Gad oppositus, præbet iam delicias Regibus, quia non spurcitias immò spinas concupiscentiarum, sed delectationes internæ iucunditatis administrat his, qui nos quondam rexêre sensibus. Reges autem hos dici, & Apocalypsis testatur, & Psalmi, quorum deliciæ non aliud sunt, quam inuisibilium bonorum lucris sese exercere. Frequens enim legere, flere, verba Dei audire libenter, & dicere, & quæque quibusque sensibus conuenientia pia intentione agere, delitiæ sunt emergentes ab interna pinguedine.

Vers. 21. *Nephtalim, ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* Nephtalim dicitur conuersauit me, vel implicauit me, vel dilatauit me. Postquam namque crebrò virtutis vsu impios Deus vt non sint ab impietate conuersat, & suis eos obsequiis implicat, conse-

quenter per profectuum gradus caritatis visceralitate dilatat. Spiritus ergò noster vbi hæc attigerit, ceruus iam potentissimæ aduersus vitia maiestatis cornibus, & subtilissimis ad omnia discernenda sensibus, extra se emittitur per saltus, & alacritatem diuinæ contemplationis, vbi haurit eloquia totius pulchritudinis; quæ quantò sibi intrò gratiora fuerint, tantò dulciùs ea propinat & aliis.

Vers. 22. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Ioseph interpretatur augmentum. Augmentum igitur istud accrescit, & rursus accrescit, cum illud cœleste bonum, quo solo verè prouehimur, & in mentis priùs desiderio extenditur, & certitudine deinceps quadam spei & securitatis ampliatur. Vnde Paulus: *Nostra*, inquit, *conuersatio in cœlis.* Et, *Consedere nos fecit in cœlestibus.* Aspectu decorus est, quia superna speculatione, nil etiam adhuc, cum necdum rebus agitur, clarius est. *Filiæ discurrerunt super murum*; * *Sed exasperauerunt eum, & iurgatæ sunt, inuiderúntque ei habentes iacula.* Murus Christus intelligitur, saluator enim ponetur in ea murus. Super hunc murum filiæ discurrunt, cum infirmi quique, & fragiles motus, licet in Christi fide se stare confidant, hac tamen confidentia affectibus prauis & effectibus errant. Sed licet lenocinentur intellectualitati, quod est Ioseph, eáque mulceant, eâ tamen mulcedine non molliunt, sed vehementer ad se versus exasperant. Vnde & iurgantur, quia repulsi grauiori denuò contra eam bellorum repetitione mouentur. De his filiabus dicitur. Filiæ tibi sunt, serua corpus earum, idest restringe nequam opera affectionum. Inuident quoque ei habentes iacula, quia ad æternorum suscitare moliuntur inuidiam molles, idest motus, intellectum, per præsentium, quibus eum iaculantur desideria. Rectè dicuntur inuidere, qui ad hoc impellunt vt faciant non videre.

Phil. 3. 10. Ephes. 2. 6. *Vers. 23. Isaiæ 26. 1. Eccl. 7. 26.

Vers. 24. *Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israël.* Arcus in forti sedet, cum intentio, ex qua operum missilia diriguntur, non fragilibus sed æternis perseueranter inhæret. Hoc enim sessionis significare nomen solet. Vt est: *In cathedra pestilentiæ non sedit.* Per brachia fortitudo, per manus signatur operatio. Horum dum rectè intendit vincula soluit, quia consuetudine qua olim tenebatur implicitus obrutâ liberè iam proposita & fortiter agit. Hæc manus potentis Iacob efficiunt, dum supplantatoris vitiorum spiritus vires tantæ auctoritatis occasio sunt. Inde pastor lapis Israël egreditur, cum ex eodem spiritu intellectus, qui spiritum ipsum pane vitæ reficiat, & ad cum Deo principandum, quod est Israël, in modum lapidis firmet & stabiliat, ad libertatem contemplationis procedere monetur.

Psal. 1. 1.

Vers. 25. *Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ.* * *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Deus, inquit, qui quasi patrem me, & rectorem spiritum in homine constituit, & te licet naturâ meum, tamen mihi dignitate supremum, ex me creari voluit; ipse tuis conflictationibus cooperator erit, & cum omnia possit, ex rationis te multiplicabit ac si cœli eminentia, nec benedictionis, idest plenitudinis in subiacente rationi affectu minor erit obediendo exuberantia. Legitur enim: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Nil enim est spiritus, nisi ei obtemperet affectus, quod est terra ob infirmitatem vel abyssus. Vulua autem & vberibus benedicitur, dum in ipsa pij desiderij conceptione, & destinatione propositi, & geminæ dilectionis rudimentis, quibus gremio præsentis Ecclesiæ ad futurum verè virilem ac si vberibus enutritur statum, prosperè promouetur.

*Vers. 26. Deut. 32. 1.

Benedictionibus Patrum patris benedictiones confortantur, dum per antiquorum memorias, qui abundauere virtutibus, virtutes eius, qui intellectualitatis pater est, multiplicantur spiritus. Et hoc donec veniat desiderium collium æternorum, idest donec impleatur gloriæ supernæ largitas, quam suspirant fidelium deuotiones æternæ excellentiæ destinatorum. Montes & colles quid significent Psalmos interroga. Montium verò, vel collium significatiuorum æternitatem Sybilla destruit. Iam æquantur, inquit, montes campis. Caput Ioseph, ipse Deus est, quia intellectualitati, qui intimus sapor, & notitia Dei est, cunctis quæ prætereunt subiacentibus sola principalitas præminens Deus est. Benedictiones ergò in capite Ioseph constituuntur, cum sapientiæ augmenta Deo, non nostræ solertiæ ascribuntur.

Potest & per caput cœleste præmium accipi, quod summum, & capitale est intellectui: quo contra de reprobis: *Caput*, inquit, *circuitus eorum.* Vnde & vertex postmodum ponitur, in quo quia capiti præminet Deus, qui omni munere dignior est, intelligitur. Nazaræus autem flos dicitur, siue munditia. Vertex itaque benedicitur Nazaræi, cum Deo attribuitur fructuosus ille nitor atque munditia, qua Deus conspicitur animi.

Psal. 139. 10.

Inter fratres autem Nazaræus eſt, quia contemplationis habitus inter cæteros mentis ſtatus non ſolum à vitio, ſed ab omni ſenſibilium imagine mundus vt ſit neceſſe eſt.

Verſ. 27. *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.* Beniamin dicitur filius dexteræ. Filium dexteræ ſpem electionis ſæpe numero diximus, & rationes multotiens de filio & dextera reddidimus. Eſt ergò de hoc rationis ſententia. Filius dexteræ, quiſque videlicet electus, cui fida poſteritas in beatorum ſorte reſedit, non ſemper de his qui innocenter egerint, ſed & de his qui lupina crudelitate nocuerint, aſſumitur. B Talis itaque ad eas & quas præmiſi, & quas rationis iure contineo virtutes venturus, poſtquam mane diuinæ illuſtrationis acceperit, id quod in ſe per vitia diabolus deprædatus fuerat, comedit, ad refectionis ſcilicet robur vertit, & ex caſu alacrior ſurgit, & veſpere, iam feruore tentationis extincto, armaturæ ſalubris ſpolia, quæ aliquando poſſederat hoſtis, per ſingulas morum habitudines diuidit. Virtutes enim corruptæ fiunt vitia, reparatæ, ſunt ſpolia quibuſque mentis ſtatibus victorioſè diſpertienda. His extremis rationis verbis ad virtutum C prælibatarum efficaciam commendatur gratia. Rom. 5. 20. Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit miſericordia. Et cum cogitauerimus quanta de quam nulla mens noſtra facta fuerit, patenter aduertimus, quia nihil habet quod non acceperit.

Verſ. 28. *Et omnes hi in tribus Iſraël duodecim.* Tribus ad fidei ſpei & caritatis ternionem referimus: & duodecim conſtant ex quatuor tribus. Quem quaternarium ad Euangelium, vel quatuor principales virtutes reducimus, quas per Trinitatis amorem, & trium præmiſſarum neceſſitudinum executionem D pertinere facimus, cum illis benedictionum copiis ad id, quod eſt Iſraël, cum Deo ſcilicet dilectionem. *Hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedixitque ſingulis benedictionibus proprijs. Et præcepit eis dicens.* Dum quibuſque cogitationum affectuumque qualitatibus, vtilia ſpiritus, interioritatum ſpecialis noſtrarum pater, conſilia diſtribuit, quaſi ſingulis propriis benedictionibus valedicit.

Verſ. 29. *Congregor*, inquit, *ad populum meum: & ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici,* * Verſ. 30. *quæ eſt in agro Ephron Hethæi,* * *contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham* E *cum agro ab Ephron Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri.* Ad populum ſuum congregatur, cum ad mores, & actus ratione dignos ſpiritus omninò reſtringitur. In ſpelunca duplici cum patribus ſuis ſepelitur, cum & ab extrinſecis delectationibus, & exterioritatum earumdem imaginationibus, cum præmaturis A ſpiritualium rationum motibus, ac ſi cum patribus abſconditur. Poteſt & ſpelunca duplex, geminus timor intelligi, quo & pœna metuitur, vel Regni amiſſio proponitur. His ergò duobus non immeritò pauore contractus coërcetur, & exemplis eorum quorum paternitates affectus aggregatus, à ſeculi turbore ſopitur.

Hanc ſpeluncam ab Ephron Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri Abraham emit, cum ſpiritus interiorum gentium pater ab affectu carnali, qui puluerem, ideſt curas inutiles & mœroris ſibi iniicit, & ad reprobi ſenſus ſtuporem quandóque pertrahit, ſenſuum imaginationumque continentiam, ſub obtentu internæ quietis omni laborum impendio exigit. Ephron autem dicitur puluis inutilis, vel puluis mœroris. Hethæus ſtupens. In terra Chanaan contra Mambre ager eſt, quia in terrenitate, vbi à vitiis negatur otium, quod eſt virtuti diſcretionis & perſpicuitatis aduerſum, conſcientia quam excoli neceſſe eſt, iacet; vel corpus noſtrum, vbi quæri & emi conuenit duplicis ſpeluncæ ſepulchrum. Chanaan enim negotiationem, Mambre ſonat perſpicua, vel diuiſionem.

Verſ. 31. *Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca coniuge: ibi & Lia condita iacet.* Abraham cum Sara ibi ſepelitur, cum ratio vel ſpiritus, quod idem eſt, cum ſubdita ſibi voluntate bona à ſtrepitu interiorum, exteriorumque ſenſuum, intra ſepta timoris occultatur. Iſaac & Rebecca pariter conduntur, cum ſpes æterni gaudij, cum vnicè ſibi iuncta patientia illorum ſecreto miſcetur. Fruſtra enim palmam præmij ſperat, qui aduerſa bellorum non tolerat. Ibi Lia condita iacet, quia tota operum noſtrorum laborioſitas, ſimul conquieſcit & reſidet; nil enim exterius vſurpat aut volet.

Verſ. 32. *Finitiſque mandatis quibus filios inſtruxerat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit: appoſitúſque eſt ad populum ſuum.* Poſt mandata colligit pedes ſuper lectulum, quia poſtquam ad virtutis inſtrumenta pertigerit affectus, hac illácque diffluentes intra fulcrum conſcientiæ iam pacatæ & ſilentis conſtituit. Obit, & ad populum apponitur, cum à præſentium deſideriis excidens, ad populum internarum ſeditionum ſollicitè & vigilanter obſeruandum diligens cuſtos adiungitur.

CAPVT L.

Verſ. 1. *QVod cernens Ioſeph, ruit ſuper faciem patris flens & deoſculans eum.* * Verſ. 2. *Præcepitque ſeruis ſuis medicis vt aromatibus condirent patrem.* Cum intellectualitas ſecundùm

humanas astutias, & seculi concupiscentias, spiritum experitur extingui, quantò puriorem sentit, tantò vberius in faciem ruere, ad eius scilicet notitiam magis magisque sequendam diuinitùs consueuit illabi. Faciem pro notitia poni scripturæ consuetudinis est. Flet, eúmque deosculatur, cum intentiuè, & omni animositatis teneritudine, erga rationalitatis bonum afficitur. Seruis suis medicis præcipit vt patrem condiant, quia singulis quibusque luminibus rationis ipsius veritatis, ac si clarissimæ faciei forma cognitæ, & intimæ caritudinis osculis applicitæ status, infirmitatem mederi potentibus, solíque diuino intellectui inseruientibus, de cura indesinenter sollicitatis, spiritus mandat, ne patere sinant seculi corruptionibus, virtutum videlicet ac orationum condiendo odoribus.

Vers. 3. *Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum. Fleuitque eum Ægyptus diebus septuaginta.* Quadraginta dies post conditionem transeunt, cum vniuersitas temporalis prosperitatis vti transitoria contemnitur, postquam mentem spiritualia carismata imbuunt. Denarius enim pro vniuersitate, quaternarius pro temporalitate, dies pro prosperitate ponitur. Ex his superiùs actum est. Sic enim cadaueris, idest infimæ & ruinosæ nostræ naturæ aliqua firmitas comprobatur, si nihil à nobis temporaliter prosperum cupiatur. Per dies rursus diuinorum munerum splendores signantur. Septuaginta ergò diebus Ægyptus Iacob fleuit, dum ex gratiarum plenitudine spiritum nostrum mundus sibi extinctum doluit. Septies deni septuaginta sunt, & septenarius plenarium quid figurans denario, custodiâ scilicet sanctæ legis roboratur, quia super trementem Dei verba spiritus requiescere dicitur.

Vers. 4. *Et expleto planctus tempore, locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis:* * Vers. 5. *eò quòd pater meus adiurauerit me, dicens: En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me.* Tempus planctus expletur, cum quilibet vir sanctus, qui seculo idoneus olim erat, & ideò periisse mundi honoribus plangebatur, adhoc vsque per studium disciplinæ se deiicit, vt etiam à seculo contemnatur, & iam non solum sibi mundus crucifixus sit, sed etiam ipse mundo crucifigatur. Huius ergò intellectualitas ad familiam Pharaonis loquitur, cum cogitationes affectuum carnalium sentire quæ sua sunt adhortatur. Verborum autem sensus est. Si in ipso considerationis vestræ examine, gratiam diuinam, non humanam gloriam prosequi, & cupere inuenior, agite vos cogitationes cum intelligentia affectus carnalis; & apud ipsum tractate quatenus assentiat iuri paterno, idest legibus rationis, quia emori seculo delegit, & seculari terrenitate discussa, in qua continua, iuxta nomen Chanaan, motatione nutabat, ab externis tumultibus abscondi quærit.

Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac reuertar. * Vers. 6. *Dixitque ei Pharao: Ascende, & sepeli patrem tuum sicut adiuratus es.* Ab imis, inquit, desideriis progrediar, vt rationis quæ me genuit authoritatem cœlestibus inhærendo tuear, & sic ad patriam velut ad naturalem conditionis, ac dignitatis meæ ordinem reuertar. Nutus Pharaonis, impotentia est, contra intellectualitatis excellentiam, repugnationis. Cætera vt superiùs.

Vers. 7. *Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti:* * Vers. 8. *domus Ioseph cum fratribus suis, absque liberis & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.* Ipso ascendente omnes senes domus Pharaonis, cum eo non ascendere, sed ire dicuntur, quia intelligentia summis inhiante, iam carnis motus deferuescentes & languidi, velint nolint spiritualitati obsecundare coguntur; & post eam, vel cum ea irrefragabiles pertrahuntur. Maiores natu terræ Ægypti, sunt vitia, quæ originalia & ideò antiquiora seculo insunt. Hæc coëunt, quia obesse non possunt. Domus Ioseph cum fratribus suis, illæ scilicet virtutes, quæ specialiter intellectualitati adnituntur, vt sunt cælibatus, munditia animi, otium ab forensibus curis, nam versari solet in his cum animæ & corporis bonis iustitiæ, matris omnium, filiis.

Absque paruulis, & gregibus, & armentis, idest absque his quæ immatura adhuc sunt bonis, & hebitudinibus naturaliter ingenitis, & exterioribus exercitiis. Greges namque ad simplicitatem, armenta ad procurationum attinent laborem. Hæc in terra Gessen derelinquuntur, quia per stabilem discretionis subtilitatem, qua palpationi vitiorum appropinquatur, hæc ad contemplationem pertingere, non potentia solummodò cautè discutienda dimittuntur. Quod totum est. Quæ soli actualitati conueniunt, vel quæ penitus stolida, & quasi pecualia sunt, speculationis summa non scandunt.

Vers. 9. *Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica.* * Vers. 10. *Veneruntque ad Aream Arad, quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias magno planctu atque vehementi, impleuerunt septem dies.* In comitatu currus habet & equites, dum & alios per patientiam in modum currus portare scit, & equum temporalis gloriæ in morem

militis regere nouit. Nouit enim tolerans non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam: Et, sperare in incerto diuitiarum non debere, Apostolum monuisse scit. Tali cuidam clamabatur. Currus Israël & auriga eius. Dum enim per patientiam seipsum cum sua concupiscentia vincit, & equum secularis lasciuiæ reprimit, purior his comitibus ad visionem deitatis ascendit, & iam non modica, sed insignis virtutum numerositas fit. Iordanis dicitur descensus eorum: non est turba modica, quam profectò commendat humilitas maxima; quia quò pulchrior est conscientia, nouit iuxta Prophetam, & sonum nominis, cum suis viribus descendere in seipsa.

Rom. 8. 18. 1. Tim. 6. 17. 4. Reg. 2. 12.

Trans Iordanem ergò area sita est, quia postquam à mundi amore, & pompis eius, corda deponimus, & ad Dei seruitutem nos & nostra subiicimus, ad aream intestinarum passionum, vbi virtus à vitio tolerantiæ tribula discutitur, propinquamus. *Accedens ad Deum sta in iustitia, & timore; & præpara animam tuam ad tentationem.* In area enim triticum à palea terendo discernitur. Ibi funus planctu vehementi celebratur, quia mortificatio membrorum super terram non nisi mœrore, quòd nullo præsentium gaudio leniri possit, acquiritur. Sicque septem dies implentur, quia dum perseueratur in talibus spiritualium carismatum plenitudines cumulantur,

Eccles. 2. 1.

Vers. 11. *Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus iste est Ægyptiis. Idcircò appellauerunt nomen loci illius, Planctus Ægypti.* Postquam hi, qui terram habitant, & perpetuo motui, quod est Chanaan, subiacent; qui terrenum habent fundamentum, quorum in cœlis conuersatio non est, aliorum studium spirituale attendunt, vehementer mirantur, & mirantes exhorrent, quod cum seculi gaudia suppetant, indesinenti se mœrore consumant. Vnde & Ægyptios vocant, quos iugis tristitiæ tenebris pessumdatos vident, & Monasteria, vbi hæ cohibitiones aguntur, barathrum appellant: vbi lux transitoriæ iucunditatis, & gloriarum examina non apparent.

Vers. 12. *Fecerunt ergò filij Iacob sicut præceperat eis.*
*Vers. 13. * *Et portantes eum in terra Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici,* & cætera. Spiritus noster postquam vitia supplantauerit, filij eius, motus videlicet, iuxta Iob, fortitudine robusti, facilè iam imperiis eius obediunt: sed ne de viribus supplantationis efferantur, in terram Chanaan eum iam portant, dum terrenitatis ac mutabilitatis suæ, cui subiacere adhuc potest, eum commemorant. In spelunca sensuum imaginationúmque continentiæ contutatur, quæ à potestate Ephron, idest carnalis affectus, cuius sollicitudinum inutilium puluere obscuramur; sunt enim & vtiles curæ: pretio internæ deuotionis exigitur, vt contra faciem Mambre, idest ad subtilem discretionis cognitionem dirigatur. * *Reuersúsque est Ioseph in Ægyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre.* Etsi spiritus noster à seculi actibus apud se absconditur, intellectualitatis tamen cum cæteris caritatis matris germanæ sibi iunctis fœtibus, ad Ægyptum, recordationem, videlicet conditionalis suæ ignorantiæ, & obscuritatis necesse est reuertatur, sicut typicus Iacob ad terram Chanaan superius à cogitationibus reportatur. Vnde Dominus per Isaiam: *Descendit populus meus in Ægyptum, vt colonus esset ibi*: & diceret cum Psalmista: *Habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.*

Iob. 36. 19. *Vers. 14. Isaiæ 52. 4. Psal. 119. 5.

Quo mortuo, timentes, fratres eius, & mutuò colloquentes: Ne forte memor sit quod fecimus, * *mandauerunt ei. Pater,* inquiunt, *tuus præcepit nobis antequam moreretur,* * *vt hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te.* Postquam mundi astutiæ spiritus noster emoritur, fratres de iniuria quam intulerunt, timent, quia virtutes de minus idonea stabilitate ac munditia penes intellectus excellentiam erubescere solent, & ne ab eius gratia pœnaliter decidant in vitia, non immeritò trepidant. Ac si dicerent: Spiritualis virtus, ex qua esse habes, dum in mortificando super terram membra laborat ad quam vniuersitas interni roboris attinet, dum penitus quod officit abscindere non præualet, cæterarum virtutum subiacentium infirmitates ac negligentias excusat; quia in quo Regis imbecillis inuenitur auctoritas, militum valde torpet alacritas. Fragilium ergò quibus olim subiacuimus motuum obliuiscere, & vt tibi competit ad superna contende. *Nos quoque oramus, inquiunt, vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Seruis Dei patris sui iniquitatem dimitti rogant, dum per intelligentiæ supernæ vim statibus animi, Deo rationalitatis auctori seruire volentibus, desidiæ veteris noxam expiari postulant.

Vers. 15. *Vers. 16. *Vers. 17.

Quibus auditis fleuit Ioseph. * *Veneruntque ad eum fratres sui: & proni in terram dixerunt. Serui tui sumus.* * *Nolite, ait, timere: num possumus Dei resistere voluntati?* Audit Ioseph & flet, cum cogitationum humilitatem ad intellectus gratiam compungit & permouet. Audire in scripturis intelligere dicitur, vt Apostolus: *Animalis*

*Vers. 18. *Vers. 19.

1. Cor. 2. 14. *homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei; neque enim audit*: idest intelligit. Veniunt ad eum fratres, cum quæque virtutes illi prosperè adminiculantur: proni in terram ruunt, dum in contemplando cœlestia de sua fragilitate humiliantur, quod Moyses, & Isaïas Deo sibi apparente, sed & alij fecisse leguntur. Serui, inquiunt, tui sumus, quia non imis desideriis, sed supernæ gloriæ inuigilantes intellectualitati obsecundare volumus. Ne timeatis, ait, summa appetere, quia non possumus Dei voluntati resistere.

Vers. 20. *Vos enim cogitastis de me malum: & Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.* Quod est dicere. Velimus nolimus ad suum vos Deus velle contraxit, & cum de intellectualitatis reiectione, ac si cùpidæ mediocrium de eius nimietate causantes cogitaueritis: sunt enim qui affectant media, sed magis sub hoc colore vitia. Deus ad mei exaltationem ipsis vobis ostendit effectibus, quòd in me contineam bonum, & quòd sine supernorum notitia in vobis non habeat vera salus locum; & multos populos, innumeras videlicet illas insolentias animi subiugaret per spiritualitatum saporem salubriter sibi. De his populis Iob loquitur. Iob. 36. 20. *Ne protrahas*, inquit, *noctem vt ascendant populi pro eis.*

Vers. 21. *Nolite metuere: ego pascam vos & paruulos vestros. Consolatúsque est eos, & blandè ac leniter est locutus.* Ne inquit, fucatæ & pestiferæ illius mediocritatis nomine alta diuinæ speculationis attingere vereamini, quia in me & vos, quæ vt virtutum constantiam habeatis, à me accepistis, & infirma quæque in vobis quæ lacte primordiorum indigent alemini. Consolatur & blandè loquitur, cum per sapientiæ salutaris illapsum, quidquid arduum & incomprehensibile videbatur, leuigat, & nectareum iam æstimatur.

Vers. 22. *Et habitauit in Ægypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annos. Et vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem. Filij quoque Machir, filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph.* In Ægypto habitat, si quamdiu in mundo viuit, in mœrore, tribulatione, atque angustia positum se intelligens quisque doleat. Cum omni autem patris domo ibi habitat, cum omni rationalium statuum frequentia, quicquid in hac valle lachrymarum illecebrosæ consolationis est, refugit, execrandumque deputat. Ægyptus enim & mœrorem, & tribulationem coangustantem, & tenebras sonat. In his ergò degens, necesse est dicat: Iere. 17. 16. desideraui. *Diem hominis non concupiui tu scis.* Denarius multiplicatus centenarium efficit. Per denarium namque diuinæ legis, cum centenarium perfectæ obseruationis attigerit, sapientis anima viuit, & in eo dies luminosæ actionis in annos integritatum ac soliditatum prouehit. Ephraim dicitur fructificans.

Fructus autem pij nostri exercitij filios habet, quia spei suæ præmiis non caret. Ipsa enim spes filius est. Vnde dicitur: Psal. 127. 6. *Videas filiorum tuorum*, idest præmia operum, vel effectus expectationum. Prima itaque generatio bonum opus est: secunda spei fiducia ex eodem bono opere est: Tertia peruentio spei ipsius ad rem est. Potest & trina hæc generatio accipi iuxta Apostolum: prius vocatio, Deinde iustificatio, ad postremum glorificatio. Rom. 8. 30. *Quos enim*, ait, *vocauit, illos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit.* Hos ergò intellectus filios attendit, vnde & ardentius fructificare contendit. Quod si Ephraim filios sola ea commoda, quæ ex operibus nascuntur, non autem opera ipsa intelligimus; dicere possumus; fructus operum, spes præmiorum, spei fructus, beatitudines animarum, deinde resurrectionis corporum. Vnde Psalmus. *Dies*, inquit, *super dies Regis adijcies, annos eius vsque in diem generationis*, scilicet Psal. 60. 7. spirituum, *& generationis*, videlicet corporum. Hinc & à Domino dicitur regeneratio. Matt. 19. 28. *In regeneratione*, ait, *cum sederit filius hominis*, & cætera.

Filius Manasse qui dicitur obliuiscens est Machir, qui interpretatur videns. Quantò enim magis visibilium obliuiscimur, tantò magis ad videnda cœlestia intellectualiter aperimur. Genibus verò sese fouentium solent infantuli insidere, & eorum vtique sedentium. Filij ergò Machir in genibus Ioseph nascuntur, quia fructus speculatiuæ visionis, quod est interna lætitia, & salutis æternæ quædam securitas, in amore, & ex amore prodeunt intellectualitatis. Nisi enim funditùs intelligentiæ ametur puritas, nec contemplationis sublimitas, nec fructuum prædictorum sequetur vtilitas. Sessio sanè humilitatem, genuum inflexio, vbi ad excipiendos filios gremium dilatatur, caritatis significat visceralitatem, sine quibus valere non credimus, nec constare ad ista contrahenda intellectualitatem: scientia nempe inflat, caritas ædificat.

Vers. 23. *Quibus transactis, locutus est fratribus suis. Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob.* Dum tot filiorum, idest incrementorum numerositate tenditur, inter miseriarum, quod est Ægyptus, circumstantias positis, virtutibus propriis

propriis diſcretiuè eloquitur. Poſt mortem, inquit, meam, cum ſcilicet carnalitatum ſurculos intelligibilitatis meæ viuacitate ſuccidero, tum à Deo viſitabimini ſuperni amoris conceptu plenario, & de terrenis his quibus irretimini imaginibus per Abraham, quod eſt paternitas ſpiritus, & Iſaac, quod eſt ſpei gloriæ riſus, ſed & Iacob, ſupplantationem videlicet totius noxij actus, ſubleuabimini ad illam quæ non deiectionem ſed ſoliditatem ſignificat terram, quam promittit Deus à mitibus poſſidendam; puritatem ſcilicet ad Deum contuendum ſtabilem, & inconuulſam. Superbis planè Deus reſiſtit, mitibus autem dat gratiam. (Iacobi 4. 6.) Cum namque viuimus ſpiritu, & per ſpiritum ipſum ad ſuperna gaudia ſpei beatæ ambulamus inceſſu, ſine dubio ſupplantandæ nequitiæ proſpero potimur effectu, à quibus tribus ac ſi patronis principalibus, meritò exigitur ſanctitatis gratia à Deo, quodam diuini iuris obiectu. Qui enim in ſe pijs actibus diuinam reſculpit imaginem, iuſtâ & prorſus felici violentia Dei quodammodo ſibi promiſſam, & iure debitam vendicat ſanctitudinem. Sancti, inquit, eſtote, quoniam ſanctus ſum. (Leui. 11. 44. 19. 2.)

(Verſ. 24.) *Cúmque adiuraſſet eos, atque dixiſſet: Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto:* (* Verſ. 25) * *mortuus eſt, expletis centum decem vitæ ſuæ annis. Et conditus aromatibus, repoſitus eſt in loco in Ægypto.* Adiurat, cum ad rectitudinis iura interiores ſtatus inſtituit & aduocat. Vt cum tentationum infirmitate torquentur, Deus, inquit vos viſitat, vt cum tentatione prouentum faciat. (1. Cor. 10. 13.) De loco iſto oſſa mea aſportate, ideſt de præſenti ſeculo nequam, quod ſpiritualiter eſt Sodoma & Ægyptus, quidquid intellectualis virtutis habetis ad intentionem ſupernæ æternitatis attollite; nec habeatis hìc manentem ciuitatem, ſed futuram, cuius Deus eſt fabricator, inquirite. (Hebr. 13. 14.) Oſſa profectò habet in Ægypto, quiſquis fortia quæ agit non pro Deo operatur, ſed pro ſeculo. De his in Pſalmo: *Deus*, inquit, *diſſipabit oſſa eorum qui hominibus placent.* (Pſal. 140. 7.) Oſſa namque robur virtutis, & carnes ſignificant pondus fragilitatis.

Poſtmodum ergò iam per obſeruantiam decalogi, vt præmiſſum eſt, ad certitudinem æternæ perfectionis attingens totius terrenitatis concupiſcentiæ moritur. Centenarius planè à ſiniſtra tranſit in dexteram, quia plenitudo interior diuinæ multiplicata legis effectibus, à præſenti ſeculo ad futurum, totis contemplando altiſſima tranſit affectibus. Reponitur conditus aromatibus in loco in Ægypto, quia contra carnis corruptiones, virtutum cuſtodia munitus, inter præſentis ſeculi procellas ſub humilitatis ſtabilitate deponitur. Reponitur etiam ſolet dici pro eo quod eſt abſconditur. Et quiſquis humilis eſſe cupit, ab omni profectò ſpectabilitate ſe occulit. Ipſum quoque poſitionis nomen hoc innuit. Vnde Pſalmus: *Qui poſuit*, inquit, ideſt depoſuit *animam meam ad vitam*: (Pſal. 65. 9.) multi enim eleuantur ad mortem. Locus nempe electorum in præſenti humilitas. Vnde eſt: *Auro locus eſt, in quo conflètur.* (Iob. 28.) Et, *In valle lachrymarum in loco quem poſuit.* (Pſal. 83. 7.) Licet ergò totius fragremus ſanctitatis aromatibus, ne fauorum vulgarium aura iactemur, loci huius modicitate ſtringamur; quia etſi Ioſeph, ideſt intellectualitatis auctoritas ad alta feratur, noſſe tamen omnimodis debet, quia adhuc in ſeculi huius Ægypto moratur, vbi facile, niſi ſibi Deus prouideat, in deteriora flectatur.

FINIS.

Q

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS, AD TROPOLOGIAS IN PROPHETAS OSEE, ET AMOS, AC LAMENTATIONES IEREMIÆ,

PROOEMIVM.

Amantissimo Patri, & Venerabili Domino, vniuersâ charitatis affectione colendo, totius sanctæ interioritatis vero cultori, ac veræ discretionis Magistro NORBERTO, frater GVIBERTVS Monachus nomine, peccator operibus, prosperis sui suorumque gaudere successibus.

Intellectu perdifficili Osee Prophetia.

ARDVVM nimis & magistris veteribus horrescendum præsentis Prophetiæ pelagus aggressuri, ad te liberalissimè Doctor, tanti ausus causas tuæ conscij humilitatis inferimus. Cuius verba excusationis non ambigo, quod modestia tua eâ mente suscipiat, quâ à me intentione apud tuas sobrias aures promi constat.

* Præfat. in Osee.

Difficultatem planè huius voluminis beatus IERONYMVS * *tanta mysteriorum nebulositate multiplicat, vt* ORIGENEM *post Apostolos in doctrina supremum, &* APOLLINAREM *Laodicenum,* PIERIVM *quoque,* EVSEBIVM *etiam Cæsariensem, ad extremum etiam* DYDIMVM *videntem, quibus suo tempore inter diuinos Oratores famosior nullus fuit, hoc ipsum fateatur aggressos exponere, & neminem eorumdem valuisse cœpta perficere.*

Conuitiis lacessitus Auctor.

In quo mihi conatu videtur simultatis apud exteros quippiam generari, qui longè alia quàm tanta sacramenta exigunt, hæc æstimant intentione patrari. Sed hi qui talia opinantur, si æquâ, quod illi facere voluerunt, & quod nos subinde prosequi nisi sumus, librâ perpenderent, ab omni proculdubiò vecordia huius iniustæ suspicionis absisterent. Cùm enim legunt eundem beatum Hyeronimum magnis obscuritatibus inuoluta huius libri dixisse sequentia. Intantum, inquit, vt & nos qui explanare conamur, & prudens lector simul attendat, quia si non veritatem quod difficillimum est, saltem suspicionem verisimilium inuestigare valeamus, forsitan mihi næuos non minimæ temeritatis inurent, qui materias viris extimescendas insignibus videar velut impudenter adorsus. Sed si quanta sit inter allegorias, immò inter ipsas literæ explanationes, & moralitatem, quæ inde elicitur, discrepantia attenderent, profectò sua aduersum nos iudicia continerent. Longè enim securiùs de nostrarum passionum, quas experimur intra nos, natura tractamus, quam de mysteriis Christi, & Ecclesiæ, in quibus, nisi simus circumspecti, facile exorbitare valemus. In tropologia enim eo solo prouiso vt literæ obscuritas ad integrum nostris ingeniis elucescat, interioris hominis status prosecutione tutissima sine erroris timore disquiritur; si cautum tamen apud nos constet, ne noster videlicet intellectus à literæ concordia violenter intorqueri sinatur. Nisi enim literam patenter agnoscas, frustra te in studio allegoriæ exquirendæ vel moralitatis exerceas, & multum in hac discussione falleris, si quicquam præter rationem aut exempla scripturarum inuestigare coneris.

Priùs literalis scripturæ sensus est intelligēdus, deinde moralis disquirendus.

Porrò si de tantarum rerum præsumptione me ab aliquo dijudicari contingat, indubiè sciat, me solo Dei instinctu certissimè hæc penetrasse mysteria. Et testor Deum, qui aspirare non distulit, nullo meo præcedente exercitio, nullâ prouidentiâ, nisi quantùm inter scribendum dictandúmque exceptoris mei breuis admodum patiebatur mora. Hactenus enim non tam perpetuitate legendi, quàm nimiâ continuatione scribendi, vt potè qui non solùm dictator extiteram, sed & laboris indefessi notarius, oculorum meorum aciem vndecunque obtuderam, vnde ad hoc mea immoderantia me redegit, vt exceptore adhibito, quod mihi nunquam moris fuerat, sola memoria, solâ voce, sine manu, sine oculis præsens opusculum cogeret explicari. In quo pij moderatio lectoris attendat, vt si insolito mihi modo dictantem minus aliqua competenter dixisse repererit, eo mihi intuitu indulgere non differat, quo minus alienæ dum mea scribit manui, quàm meæ quondam facere consueueram instituisse cognoscit. Dum enim mea manu propria scriptitarem, & crebro contuitu inter scribendum eadem dicta reuiserem, facillimum mihi erat & omissa retexere, & dum notarij mei fastidia nulla ex mora reuereor, verborum curialitati securè mihimet ipsi morosus intendo. Tantò enim liberiùs ad animum

Cæcitate affectus.

dicenda recolligo, quantò minus pro circumspicienda sententia dictandi lentitudinem mihi soli vacuus erubesco.

Ex his ergò, quæ in alijs difficilibus quibusque sum scripturis expertus, diuinis adminiculis & hoc opus adorior, non dubius quia qui in minori sui amoris notitia tot præstitit, in suæ contemplatione legis meæ intentioni subsidia, meliùs iam intendenti, & deuotiùs aspirato, non negabit animo maiestas diuina potiora de se tractandi atque cogitandi consilia.

Commentarij in Genesin.

Quia igitur quo nomine censeatur opusculum quæri potest, mihi videtur, quandoquidem commentariolos meos in Geneseos libro ita vocauerim, Moralia non debere vocari, sed vel manente sensu, linguâ immutatâ, Tropologias in Prophetis posse conijcio appellari.

Explicit Prœmium.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS

TROPOLOGIARVM IN PROPHETAM OSEE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Vers. 1.

VErbum Domini quod factum est ad Osee filium Beeri. Verbum hoc non elementarium, nec interius aliqua intellectuali ratiocinatione per sententiarum membra distinctum intelligere debemus, quod non sit aliud quàm lumen illud quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quódque à Psalmista dicitur: *Signatum est super nos lumen tui vultus.* Est autem rationis motus ad Dei dinoscentiam, bonique malique discretionem solis post Deum Angelis hominibúsque insitus. Hoc verbum Domini est, quia ab ipsa sapientia creatrice, quæ loquitur, *Ego in altissimis habito,* Ab initio & ante sæcula intra Angelos & homines & ipsa dicta sapientia creata est. Hoc verbum fit, cum illud interni tractatus diligentia subtili distributione quasi per corporea liniamenta dispertit. Fit quoque ad Osee, cum ad solam capacitatem intellectualitatis pertingit humanæ. Ad Osee inquam fit, dum ad spiritum nostrum, in quo salutiferi consilij summa est, erudiendum singulari dignitate se colligit. Osee enim saluator Domini interpretatur. Et cui magis spes humanæ salutis post Dominum intenditur, quam illi verbo, quod pedibus nostris iuxta Psalmum quasi lucerna præscribitur? Vnde & Domini dicitur, quia quod nos docendo saluat, soli illuminanti potiùs quàm lunæ illuminatæ imputatur. Is Osee filius est Beeri, quia saluationis suæ gloriam non haurit aliàs, quàm de ipso proprio fonte Dei. Beeri namque puteus meus dicitur. Saluator itaque filius putei sui est, quia quicquid interius suggerendo salubre ministrat ex affluentia aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano est.

Ioan. 1. 9. Psal. 4. 7. Eccli. 7. 14. Osee saluator. Psal. 118. 105. Cant. 6. 15.

In diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ Regum Iuda. Ozias fortitudo Domini, Ioathan consummatio vel perfectio, Achaz virtus, Ezechias imperium Domini sonant. Verbum ergò per bonæ voluntatis retractationem, quasi substantiale effectum Regum Iuda, idest confessionis dies efficit, dum per peccati emissionem virtutibus admissis menti claritates ostendit. Principium enim bonorum confessio malorum; si enim Ozias Domini est fortitudo, quid fortius quàm iniustitias in quibus erubescimus confiteri aduersum nos Domino?

Psal. 31. 5.

Deinde iuxta quod Ioathan innuit quoniam non solùm bonum est confiteri, sed etiam consequenter psallere, si in boni exhibitione operis consummamur atque perficimur; iuxta quod Achaz suo signat nomine. Virtus necessaria est, quia dum bona in nobis exuberant, honorum ambitio & laudis appetentia, quæ tunc importunè ingerit, summa vi propellenda est. Quo facto iuxta quod Ezechias interpretatur plenè Dominus imperat, quia qui sic se habet, competenter valet dicere. *Tuus sum ego, saluum me fac*: præsertim cum sinistræ partis nil in se quod dominetur admittat.

Psal. 118. 94.

Et in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Israël. * *Principium loquendi Domino in Osee.* Notandum quod superiùs verbum dixit factum ad Osee, modo principium loquendi

* Vers. 2.

non ad Osee, sed in Osee. Ad Osee Dominus loquitur, cum aut per diuina eloquia, aut per aliquam exteriùs exhibitam occasionem mens nostra compungitur; in Osee verò cum sua ipsius contemplatione, & piæ cogitationis spontanea augmentatione succenditur. Ieroboam temporalis, Ioas sperans interpretatur, Israël princeps est Deo, vel directus Dei. Per Israël ergò affectus noster carnalis accipitur, qui nunquam nisi cum Deo, idest ratione comite principatur, nunquam per se dirigitur, quia nec ab Apostolo bonum in carne propria reperitur.

Rom. 7. 19.

Hic Ieroboam & Ioas habet Reges, quia temporalis commodi & spei mundanæ, quæ ex eo semper gignitur, dominio frequenter vel exactione deprimitur. Qui duo habent dies, quia non nisi huius sæculi explorant prosperitates. Quatuor ergò Iudæ Reges, & duo Israëlis sunt, quia vnde ratio regitur, vel quod ratio reget, quadrum & ideò solidum est: in quo autem affectualiter intumescimus, quantò extra vnitatem est, tantò diuisioni & inuidentiæ pronum est. Quamdiu itaque temporalia, & spes temporalium animo imperant, quamuis quatuor præcedentium Regum magna potentia sit, tamen mentis status vtrobique alternantes duobus aliquoties molliter obsecundant. Vnde principium habet Dominus in Osee loquendi, cum in interiori homine habent quatuor contra duos primas ex aliqua re occasiones altercandi. Hinc est quod sequitur.

Et dixit Dominus ad Osee. Vade sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Ad Osee Dominus dicit, cum causas interioris actus ab exteriori ingerit. Vade, inquit, ne maiora de te sentias quam competit, sciens quia dum aduiuis caro aduersus spiritum concupiscit, sed sume tibi vxorem fornicationum, idest ascribe tibi voluntatem, sine qua nec bonum nec malum fit, lasciuientem per volutabra delectationum, & fac filios fornicationum, opera videlicet diuersorum excessuum.

Matth. 18. 25.

Hæc est vxor quæ in Euangelij parabola cum filiis suis iubetur vendi, hoc est extra libertatem arbitrij in reprobum sensum abduci. Sume, inquit, vxorem, & fac filios, idest firmiter tibi propone non bona quæ cogitas & exerces, sed cogitationum libidines & luxus externos; nec id iniuriâ; fornicans enim interiùs, & quasi apostatans consuetudinariè, exteriùs etiam fornicatur, ore, vt Salomon ait, gradiens peruerso. Terra, idest corporalis appetitus à Domino.

Prou. 6. 12.

Vers. 3.

Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit, & peperit filium. Abiit cum à sui boni actus consideratione, fiduciáque recedit. Gomer interpretatur lacus, idest cisterna: Debelaim palatæ eorum. Sunt autem palatæ caricæ recentes, inter duas palas premendo in modum laterum compactæ. Gomer accipit, cum solam lasciuiam quasi laticem, quæ intra se latet, attendit. Et hæc est filia Debelaim, quia venenosam dulcedinem mundialis, quæ per palas signatur, voluptas ob sui dilatationem gignit. Concipit tamen, & parit non filiam, sed filium, quia dum in suis sibi vilescit obtutibus, non consequitur effæminata mollities, sed masculina vt sic dixerim virtus.

Vers. 4.

Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israël. Dominus ad eum dicit, cum quod super suo statu pensare debeat, ostendit. Iezrahel interpretatur semen Dei. Semen ergò Dei vocari filius præcipitur, quia robustum opus est quicquid ex humilitatis semente creatur. Nec enim virtus dicitur, quæ non humilitate conditur. Reddénsque causas, adhuc, inquit, modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, idest parua erit internæ mora quietis, cum vlcisci cœpero sanguinem, quod est peccatum vitiatæ humilitatis, & hoc super domum Iehu, idest stabilitatem conscientiæ, quæ ex Dei desiderio quandam molitur immobilitatem, in qua diu sibi non licet consistere. Fit enim silentium in cœlo, sed vix media hora.

Notandum autem quod non aliud sit vocare filium, quam æstimare opus proprium. Verbum, quod est visitare, cum sit frequentatiuum, bifariam in scripturis accipitur, vt est, *visitabo in virga*: Et, *visita nos in salutari*, & assiduitatem diuinæ introrsum correctionis insinuat.

Psal. 88. 33. 105. 4.

Israël pro affectu carnali posuimus, qui sine Deo, seductor, cum Deo princeps, & directus est. Regnum quiescere facit Deus, cum mitiores reddit turbulentiam atque superbiam eiusdem carnalis affectus. Non enim dixit deficere, sed quiescere, vt est illud: Peccatum in vobis non dominabitur: planè nolens dicere, non erit.

Rom. 6. 14.

Vers. 5.

Et in illa die conteram arcum Israël in valle Iezrahel. In illa die, hoc est in illa visitatione diuina arcus Israël conteritur, quia subdolæ affectus nostri suggestiones superni amoris diligentiâ decoquuntur. Et hoc fit in valle Iezrahel, in humilitate videli-

cet, quæ ex seminario Dei timoris solummodo originem habet.

Nota Propheticum morem, quod crebrò repetunt *in die illa*, demonstratiuo pronomine ostendentes, quàm frequens inesse menti debeat lucis internæ præsentia. Consuetudinarium quoque scripturis est arcum pro insidiis ponere.

Vers. 6. *Et concepit adhuc & peperit filiam. Et dixit ei: voca nomen eius: Absque misericordia: quia non addam vltra misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Adhuc concipit, filiamque parit, cum post rigidiorem statum ad infirmiora non solùm cogitanda sed etiam peragenda sese deflectit. A Deo tamen imperatur, vt nomen eius absque misericordia vocetur, quia semper ex rationis sibi deliberatione ingeritur, ne erga carnis macerationem aliqua falsa pietate moliatur. Solent enim qui vigilant cerebro suo timere, qui flent, oculis, qui ieiunant, corpori vniuerso. Non quod horum nimietas inhibenda non sit, sed quod si nimium leuigentur, obsit. Cui concinit illud: pelles, inquit, tabernaculorum tuorum extende ne parcas. (Isaiæ 54. 2.) Quod est dicere. Exempla sanctorum, quorum auctoritate muniris, in tuo opere sine vlla retractatione propaga. Non se additurum Deus misereri Israël pollicetur, dum per instinctum suum contra se indurari edocet eos, qui pro se æternam parsimoniam profitentur, sed obliuione obliuisci eorum, dum quod in suæ conuersionis initiis semel obliterarunt à cordibus, perpetua subductione dimoueant. Sciendum autem quod geminationes verborum, vt est vita viuere, morte mori, & cætera his similia, vernacula Hebræorum locutio magis, quàm typus aliquis sit.

Vers. 7. *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo: & non saluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Israël, & Iuda habent domus, quia diuersos ab inuicem habent status. Domui ergò Iuda miseretur, quia eos, quibus piæ confessionis indulget gratiam, reueretur. Saluat eos in Domino Deo suo, quod & ipsum Hebraïca locutio est, quod est in seipso, dum ex eo quod dominari eum sciunt, timent, ex eo quod Deum norunt, se eum habituros in præmio ex amore sperant, Quod totum nil aliud est, quàm timore primùm, dehinc amore saluari. Domino enim timor, vt Aggeus: *Si ego Dominus, vbi timor meus?* (Malac. 1. 6.) Deo autem ac si patri amor attinet. Vnde isdem: *Si ego*, inquit, *Pater, vbi honor meus?* Et non saluat eos in arcu, quia nullo suæ rigidæ intentionis labore consolidat, nec gladio discretionis obseruat, neque in bello, quia cum vitiis frequens dimicat, non in equis, in quo scilicet carnis petulantiam frænat, non in equitibus, vbi omni superbiæ ac animalitati superequitat, quicquam salutiferum eis præstat. Quod totum est: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, vt non quis in exercitio, sed Dei nitatur auxilio. (Rom. 9. 16.)

Vers. 8. *Et ablactauit eam, quæ erat absque misericordia. Et concepit, & peperit filium.* * *Et dixit: Voca nomen eius: Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus.* (* Vers. 9.) Filia ablactatur, cum à lenocinio prauæ remissionis absistitur. Nosmet namque lactamus, cum nos nobis bonis malè parcendo laboribus intra nos adulamur. Concipit deinde, & parit filium, cum de experientia propriæ fragilitatis in fortiorem emergit statum. Vocari nomen eius non populus meus iubet, quia quantumlibet in bono opere exerceatur, etiam cum summa gesserit inutilia apud se censeri docet, ne scilicet securitatem piorum studiorum ei populus pariat, etsi ad hoc multa etiam irreprehensibilitate desudat. Vnde est: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* (Lucæ 17. 10.) Et: *Nescit homo vtrum amore an odio sit dignus.* (Eccl. 9. 1.) Affectando autem concipimus, efficiendo parimus. Vos non populus meus dicit, quia mentis obtutibus peccati semper consideratione prælata ne reprobus inueniatur, cuiúsque tumorem reflare non desinit. Vnde & non ero vester subiungitur, vt semper omnis quælibet bona agens de sua sorte futura debere metuere doceatur.

Vers. 10. *Et erit numerus filiorum Israël quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur.* Filiorum Israël numerus quasi arena maris est, cum affectualis leuitas sub pondere diuini timoris est; & condimento diuinæ sapientiæ fatuitas interna salitur. Sal enim vt dicunt ex maritima arena conficitur, quæ tamen sine mensura est, & non numeratur, quia quocunque superni metus artificio cogitationum inanium minutiæ deprimantur, nunquam tamen ad integrum cohiberi, aut comprehendi possunt ab eo ipso qui patitur. Mensuram autem accipe ad excursum appetitus, numerum verò ad crebras reuolutiones interni qui fit cogitando rotatus.

Et erit in loco vbi dicetur eis: non populus meus vos: dicetur eis: Filij Dei viuentis. Erit, inquit: idem quod dicam, pro certo constabit. Est autem Hebraïci moris, sicut & illud quod quibusdam Propheticis verbis præscribitur, semper, vt scilicet se æterna non volubilia denuntiare significent. Locus autem noster, Dei timor est. Sicut enim gaudium effusio mentis est, ita timor restrictio. Vnde est: *Hæc recordatus sum, &* (Psal. 14. 5.)

effudi in me animam meam, & cætera. Et: *In valle*, inquit, *lachrymarum in loco quem posui*, qui non est alius quam timor, & humilitas. In hoc inquam loco, vbi spiritualis mentem populositas penè exortes à Deo nos nobis videri efficit. Filij Dei viuentis dicuntur, quia ex nostri recompensatione quem patimur in obseruanda humilitate laboris, is sæpissimè fructus accedit, vt tantarum nube remotâ turbarum infinita redeat, & plusquam sperari valuerit placiditas animorum, vt iam mens de æterna salute periclitari non timeat, sed iam spe in superna homo sublatus Christo cum Apostolo conregnet atque confideat. Hoc modo status nostri, qui iuxta Psalmum descenderant in abyssos, ascendunt vsque ad cœlos. Filij Dei dicuntur, sed viuentis, quod vigilanter est additum, vt qui mortem de interioris pugnæ præstolabantur euentu, Deo adhærendo de immortalis vitæ spe iam certificentur accessu.

Ps. 83. 7. — Ephes. 2. 6. — Psal. 106. 26.

Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter: & ponent sibimet caput vnum, & ascendent de terra: quia magnus dies Iezrahel. Filij Iuda, & filij Israël pariter congregantur, cum piæ confessionis alacritas, & affectualium motuum stoliditas sub vnius Dei timoris vinculo glomerantur, dum quicquid vulgi nugacis, quod introrsum perstrepit, scurrilitate dispergitur, sanctæ confessionis cohibitione frænatur. Vnum caput sibi ponunt, quando sub vna ratione magistra se congerunt, vnde & ascendunt de terra, quia illustrante eadem à Deo primùm ipso lustrata terræ, idest carnis, excedunt desideria. Et hoc fit, quia Iezrahel dies magnus existit, magna scilicet claritas diuini seminis, idest inspirationis, per quam vera humilitas mentibus insinuatur, ignescit; non enim sese quispiam nisi ex magno Dei amore in præsenti contemnit.

Vers. 11.

CAPVT II.

Vers. 1.

D*Icitè fratribus vestris, populus meus: & sorori vestræ, misericordiam consecuta.* Vox est Israëlis ad filios Iuda iam non desperantium post motus illos superiores de salute sua, ac si dicerent: Quoniam ô filij Iuda motus scilicet spirituales, qui nos ad confessionis cohortamini puritatem, vnum sub vno capite iam sentimus, dicite fratribus vestris, idest affectuum motibus iam vobis consentaneis vt potè ex eadem matre ratione genitis, quia sub eadem ipsa compopulares estis, & si qua subinde fragilitas tanquam soror vobis incessit, sine spe misericordiæ fortia repetentibus non sit.

Vers. 2.

Iudicate matrem vestram, iudicate: quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius. Licet tanta indulgentia sorori, & fratribus præbeatur, tamen iudicanda est mater ratio ab inferioribus suis motibus, tanquam quæ regere eos debuerit; & insuper iudicanda, planè iudicanda, quod non primordia delectationis obstruserit; nec minùs iudicanda, immò potiùs quod ineptum aliquotiens opus admiserit, quoniam in eo quod externo, idest diabolico semine conceperit. Non vxor mea, & ego non talis germinis infusione vir eius. Omne enim quod nascitur ex Deo * nescit mundum.

1. Ioan. 5. 4. — * al. vincit.

Vers. 3.

Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum. * *Ne fortè expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ.* Aufert fornicationes à facie sua, cum à sua imaginatione remouet peccata præterita; cum enim turpium nostrorum recordamur actuum, in vapido animi statu constituti, errorem nobis facillimè refricamus antiquum. Inter vbera cor consistit: Dilectus enim in amoris Cantico inter vbera commorari dicitur. De medio ergò vberum adulteria auferuntur, cum à iure maritali, quod Dei tenax amor est, quæ possunt falsò diligi corruptibilia quælibet subtrahuntur. Ne fortè, inquit, expoliem eam nudam, ne vsu scilicet peccandi iusto meo iudicio per reprobum sensum ducatur ad impudentiam. Nemo enim nisi sui incuriosus æquanimiter ferre dinoscitur, si sensus improbitas æquè pudenda vt impudenda perpetitur. Vel secundum illud: *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, ne videant turpitudinem eius.* Secundum diem natiuitatis suæ eam Deus statuit, cum originalia & actualia mala ei in vacuum gratiam Dei recipienti nequaquam imminuit.

Cant. 1. 12. — Apoc. 16. 15.

Vers. 4.

Et ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam siti. * *Et filiorum eius non miserebor: quoniam filij fornicationum sunt.* In solitudine ponitur, qui à Deo inhabitatore desolatur. Velut terra inuia statuitur, in cuius corde nullius doctrinæ, nullius boni exempli vestigium reperitur. Siti interficitur, cuius interioribus nullo modo fons aquæ in vitam æternam salientis illabitur. Filiorum eius non miseretur Deus, cum peccanti ad mortem cuilibet, & gratiam quâ saluari poterat impugnanti, etiam cæterorum fidelium oratio iuxta Ioannem Apostolum denegatur. Quod totum ad incorrigibilitatem affectualium motuum, qui Deo non respiciente durantur, referri conuenit. Vnde sequitur. * *Quoniam*, inquit, *filij fornicationum sunt quia fornicata est mater eorum, con-*

Vers. 5.

fusa est, quæ concepit eos. Nisi enim primùm A conscientia mater à Dei amore exerrans, velut legali exorbitaret à thoro, ipsæ cogitationes & intentiones, quæ quasi filij inde propagantur, nomine non fierent inhonesto. Quia enim irrationabiliter in ipsa prauitatis conceptione confunditur, ex traduce generantis proles necesse est identidem vitietur.

Quia dixit, inquit, *vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Dixit nil aliud est, quàm B apud se destinauit. Amatores non alij sunt, quàm aut dæmones, qui nostris desideriis causas vitiorum suppeditando suffragantur, aut quilibet amici siue potentes, qui talibus assequendis, seù fauore, seù munere miseros prosequuntur. Hi dant panes, cum rerum temporalium administrant iocunditates. Vnde est: Abominabilis ei haud dubium quin iusto panis, idest voluptas in vita sua. Dant aquas, quandò ad votum carnales ingerunt fluxus atque lasciuias. Vnde per loca inaquosa spiritus e- C grediens ambulare dicitur, & Vehemoth in locis humentibus habitare prohibetur. Dant quoque lanam, cum sæcularis curæ reique familiaris, quod plurimi pretij apud ipsos est, docent scientiam. Non minus etiam linum præbent, cum aut liberales artes, quæ plurimo egent acumine, aut causarum forensium subtilitates insinuant. Oleum pariter tribuunt, cum qualiter ditioribus se adulari debeant instruunt. Potum quoque his propinant, quos libidinum furoribus maleſuadâ circumlocutione inebriant. Hac lana eoque lino etiam vtiliter D Ecclesia vtitur, quæ apud Salomonem vtrumque quæsisse & operata dicitur. Confunduntur quoque Ægyptij è diuerso, qui operabantur linum pectentes, & texentes subtilia, idest machinantes astuta.

Iob. 33. 20.
Matth. 12. 43.
Iob. 40. 16.
Prou. 31. 13.

Notandum denique quod dum de suis se mulier mercibus iactat, vnicuique speciei quod sua sit, vigilanter assignat. Quid enim apud reprobos magis suum, quàm illud quod Deo reprobato solis militat vsibus vitiorum?

Vers. 6. *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.* Quia ergò magis amatoribus suis quàm Deo prosperitas talis ascribitur, & non ad Dei, sed in suos turpiter vsus expenditur. Propter hoc, inquam, via eius spinis repentè sepitur, dum tota illa mollities & secundum ista proficiendi intentio in aduersitatum aculeos, & in lapidum duritiam commutatur. Cui tropologiæ pulchrè alludit Balaam asino sedens in angustiis duarum maceriarum deprehensus. Solent enim talibus prouenire, vt subitâ mutatione fortunæ amicos æquè vt inimicos experiantur infensos. Vnde semitas suas iam non inuenit, quia diuerticula prauarum actionum & furtiuorum moliminum angiporta diuini iudicij incursus obstrusit.

Num. 22. 24.

Vers. 7. *Et dicet. Vadam, & reuertar ad virum meum priorem: quia benè mihi erat tunc magis quàm nunc.* Dicet, videlicet proponet. Vadam, scilicet à talis prosperitatulæ me aucupatione remoueam Ad virum meum priorem reuertar, quia ad eum, cui prima mea, me scilicet, & omne interius meum debeo, me referam, à quo viriliter regar. Benè mihi erat tunc magis quàm nunc, quia postquam primum ordinem, & diuinæ institutionis legísque naturæ deserui, multimodo me errori, & dolori inserui.

Vers. 8. *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum.* Ac si diceret. Hæc miserabilis illa dum amatores prosequeretur iniquos, quòd sibi essent in aduersum conuertenda nesciuit. At modò non immeritò postliminium meditatur, quia ego dedi ei causas, pro quibus ad me auidiùs reuertatur. Frumentum dat, cum doctrinæ salutaris alimenta ministrat. Et quia prædicationis siue lectionis exercitatio, sine diuina inspiratione vacua constat, vinum supernæ dulcedinis additur, quò veteris inertiæ torpor abscedat. Datur & oleum, vt progrediatur suauitas dilectionis ad proximum.

Et argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Argentum multiplicat, cum scripturarum scientiam, siue doctrinæ efficaciam coaugmentat. Aurum quoque eadem largitate prærogat, cum aut supernorum notitiam, aut vitæ excellentiam subministrat. Hæc quondam Baal fecerunt, quia per inanem gloriam in diabolica seruitia abusiuè transtulerunt.

Nota Propheticum morem, quàm facilè de singulari ad pluralem, de plurali ad E singularem, de persona quoque ad personam delabatur. Vnde superiùs dicens: sepiam viam tuam, subiecit mox, semitas suas non inueniet. Et hîc cum se ei multiplicasse aurum diceret, subdidit: quæ fecerunt, inquit, Baal.

Vers. 9. *Idcircò conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* Idcircò reuertitur, quia ex tantorum munerum, quæ ei impenderat, consideratione reflectitur. Vnde crebrò ei obiicimus, vt

eos, pro quibus passum se meminit, diabolica non sinat fraude lacerari. Sumit frumentum suum in tempore suo, cum diuinam scientiam, non qua abutebatur, sed suam conseruat, & retinet remunerandam æternaliter, quod est in tempore suo. De quo dicitur: *Tempus meum nondum aduenit.* Est autem tempus sine tempore, pro sæculo, vel statu non pro varietate positum. De vino & tempore eius idem sentitur. Lanam suam & linum suum Deus liberat, quandò exercitium, quod circa scientiam, quæ per lanam, quæ crassioris naturæ est, intelligitur, habuimus; & linum subtilioris intelligentiæ, quæ sapientia dicitur, brauio cœlesti apponderat. Lanam etiam & linum librat, quando quicquid temporaliter aut scimus, aut sapimus, etiam in præsenti ad Dei contemplationem suspendit & eleuat. Cui consonat: *Qui appendit*, inquit, *tribus digitis*, idest amore Trinitatis, *molem terrenæ* mentis, & librat in pondere montes, vt sancti quantùm amant, tantùm interni saporis accipiant. Pondus enim à pendendo dicitur, & qui pendet ad aliquid inclinatur, vnde & qui amat pendere dicitur. Hæc operiebant ignominiam eius, quia quò maior aliquibus exuberat in præsenti astutia, eò licentia peccandi ex eruditionis velamine magis eis inesse videtur autentica.

Ioan. 7. 6.
Isaiæ 40. 12.

Et tunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius: & vir non eruet eam de manu mea. Nunc reuelatur stultitia eius, quia in ipso conuersionis eius nouo statu amatorum eius oculis, idest sensibus intelligi datur, quia studium illud inordinatum & incompetens erat, quod tantâ seueritate contemnitur. Nulli enim improbis viuaciora exempla proponunt, quàm qui pro Deo ab eorum illecebrosa societate desciscunt. Vir de manu Dei eam non eruit, quia nullus adeò viuax rationis est motus, qui contra ingruentes cordi eius æterni iudicij minas excusabile aliquid loqui possit.

Vers. 10.

Et cessare faciam omne gaudium eius, sollemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa tempora eius. * *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit: Mercedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.* Omne gaudium eius cessare facit, cum quicquid ineptæ lætitiæ ex instantibus prosperis eatenus colligebat solo lachrymarum appetitu despuit: *Fuerunt*, inquiens, *lachrymæ meæ, panes die ac nocte.* Sollemnitas eius cessat, cum huius mundi spectacula iam & celeberrimos, qui oculos præcipuè pascere solent, conuentus ignorat. Neomenia quoque, quæ noua luna dicitur, conquiescit, quia nulla temporum mutatio de aduersis scilicet, quæ supra retulimus, in prospera mentem eius in spem inanem erigit. Sabbatum deinde destruitur, quando torpor & otium ab eius cogitatione recutitur. Etenim Nabucodonosor otium, iuxta Iezechiel, sabbatorum imitatur. Omnia festa tempora eius sopiuntur, dum quicquid in hoc sæculo iocundum & optabile suboriri potest in eius intentione commoritur. Vinea eius corrumpitur, quando amor sæculi, ex quo vinum totius dementiæ hauserat, in eius præcordiis extirpatur. Sicut enim domus Israël vinea Dei dicitur, ita è diuerso vinea Sodomorum, & aliàs vinea terræ appellatur. Ficus quoque corrumpitur, quæ succos lacteos, ramosque teneros habere dinoscitur, cum praua penes sæculum, vel parentes, quæ Deum postponi docet, affectio à corde reiicitur. Hanc ficum apud alium Prophetam se Deus decorticaturum, idest robur ei sublaturum comminatur. Mercedes has suas dixerat, quas à suis amatoribus acceperat, quia hunc fructum suæ sæcularitatis, vel à dæmonibus, seù amicis, vt sibi videbatur, habuerat, quòd oportunitates peccandi frequentiùs suppeditantibus ipsis inuenerat.

Vers. 11.
* Vers. 12.
Psal. 41. 4.
Ezech. 11. 23.
Ioel. 1. 7.

Et ponam eam in saltu, & comedet eam bestia agri. In saltu ponitur, cum in feruore, qui ad tentationem ei fit, iuxta Apostolum, peregrinatur. A bestia agri ibi comeditur, quando multimodâ à diabolo suggestione corroditur. Rectè bestia agri, quia tyrannus est mundi.

Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus. Dies Baalim super eam visitantur, cum iam lachrymis punire cogitur, quod quondam multis innutriri se vitiis lætabatur. Dies enim pro iocunditate ponitur, vt est, *In hac die, quæ ad pacem tibi.* Baalim pro idolis ponitur; & est ac si diceret, dies idolorum. Interpretatur quoque habens me, vel virorum meorum. Et quæ sunt idola maiora, quàm crimina, de quibus Apostolus: Auaritia, quæ est idolorum seruitus, & alibi, *quorum Deus venter est, & gloria* in pudendis *eorum.* Hi sunt viri, qui nos non regunt, sed abigunt, de quibus ille est, *& hic quem habes non est tuus vir*; & quamdiu nos habent, non tam possident, quàm obsident. Quibus tunc incensum accenditur, cum ex praui feruore desiderij intra mentem, quæ nos malè obcæcat, nebula suscitatur. Hoc est, quod apud Iezechielem vapor nebulæ de thure consurgere dicitur. Nec nobis officit, quod libenter aliquotiens ardentia thura sentimus, quia sæpissimè per imaginationes

Vers. 31.
Lucæ 19. 42.
Colos. 3. 5.
Philip. 3. 19.
Ioan. 4. 18.
Ezec. 8. 11.

non minus quàm præsentialiter visa, & audita gratanter olfacimus.

Inaure sua ornatur, qui de claritudine propriæ intelligentiæ eleuatur. Monile autem ad extrema colli appenditur. Monili ergò ornatur, qui de profunditate consilij gloriatur. Habent enim qui peccant verba cuiusdam apud se ratiocinationis, ad excusandas scilicet excusationes in peccatis. Sub nomine enim eius, quæ quasi vix cohiberi possit, humanitatis securiùs solent inseruire peccatis. Nec mirum si in malo ea ponimus, cum reperiantur in bono frequentiùs, quia in libro iudicum Ismahelitas inaures & armillas habuisse legimus: sicut in manu Babylonis secundum Apocalypsim calix est aureus. Vnde & ire post amatores nunc dicitur, quia plerumque nec homine, nec diabolo incentore prauam consuetudinem sponte prosequitur. Vnde cuidam dicitur: *Mittam te quasi in pilam in terram latam & spatiosam*; Pila enim plus voluitur quàm velit is à quo iacitur. Multi enim non vt afficiantur expectant, sed affectus in se excitant.. Post auersos ergò it, qui Dei obliuiscitur, quia pudor omnis recutitur, vbi quicquid Dei est, à sinu mentis arcetur.

Iudic. 8. 24. — Apoc. 16. 19. — Isaiæ 22. 18.

Vers. 14. *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius.*

*Vers. 15. * *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem: & canet ibi iuxta dies iuuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti.* Propter hoc, inquit, lactabo eam, ideſt dulcibus eloquiis, vt mei reminiscatur, & desertores non prosequatur erudiam. In solitudinem eam ducam, quia à strepitu vitiorum, & etiam ab inanium cogitationum eam turbis, quia sibi sola esse non potest, quæ tantis exactoribus subest. Ad cor eius ibi Deus loquitur, dum sacræ paginæ verbum per compunctionis gratiam in eius animo dulcoratur. Vel etiam ad cor eius loquitur, cum ea, quæ vix summâ aure attingere dignabatur, eius præcordiis medullitus illabuntur. Vinitores ei ex eodem loco dantur, cum rationales motus, qui quondam ipsa sua interna dispersérant, ad spiritualis culturæ exercitium fideliter glomerantur. Vallis Achor pariter tribuitur, quando humilis mens pœnitentiæ acerbitate turbatur; Achor enim dicitur tumultus siue turbarum. Vnde Psalmus: *Commouisti Domine terram, & conturbasti eam*, & cætera. Quæ enim turba grauior, quis tumultus, quàm conscientiam sub Deo iudice de propriis morderi & dolere criminibus? Sed non vanè hæc humilitas perturbatur, cui subinde quò acriùs voluerit spes veniæ aperitur. Iuxta iuuentutis dies ibi canitur, quia secundum claritatem innouatæ virtutis mens lætatur; quò enim ampliùs diem diuinæ cognitionis attigerit, & internæ soliditatis robur (quod significat iuuentus) induerit, tantò gratiosiores in Deum iubilos fundit. Iuxta etiam dies ascensionis suæ de terra Ægypti canit, quia quò magis illuminante gratiâ terrenos appetitus, quod Ægyptus signat, excesserit, tantò ei, pro quo ea contemnuntur, glorificando & amando expeditior erit.

Psal. 59. 4.

Vers. 16. *Et erit* (Hoc supra exposuimus) *in die illa* (quod & supra expositum est) *vocabit me: vir meus: & non vocabit me vltra Baali.* Vox est mulieris de præmissa Dei sponsione glorIantis. Cum hanc, inquit, mihi Deus præstiterit lucem, vocabit, ideſt æstimabit me vxorem, vt scilicet ipse dicatur vir meus, nec peccata veterna oberunt, quia cultus pristinę idololatrię sopiti sunt. *Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Redit Dominus ad id quod superiùs dicere cœperat. Quod totum est: Non solùm antiquæ criminositatis cultum sibi subtraham, sed etiam ipsa nomina vitiorum, quod Apostolus turpiloquium nominat, de ore eius abradam, nec solùm verborum fœditates subtraham, sed etiam omnis obsoleti actus ab eius animo obliterabo memoriam. Vnde Apostolus: *Nec nominetur in vobis.* Et: *Qualem fructum habuistis in quibus nunc erubescitis?*

*Vers. 17. — Ephes. 5. 4. — Ibid. 3. — Rom. 6. 21.

Vers. 18. *Et percutiam eis fœdus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra; & dormire eos faciam fiducialiter.* In die illa fœdus eis Deus cum bestia agri, hoc est super bestia agri percutit, cum in illo interiori lumine ex bonæ intentionis firmitate eis pasciscitur, quod bestia agri, ideſt feralis cupiditas in nullo eis dominari permittatur, nec volucre cœli, quod est superbia, nec reptile terræ, quod est luxuria. Nota distantiam, quod scilicet reptile humi prorsus inhæreat, volucre per alta feratur, bestia se aliquantisper à terra suspendat. Arcum conterit, cùm surripientes animo suggestionum insidias reprimit, gladium, cùm delectationes carnis à rationis imperio diffidentes obruit. Bellum destruit, cũ cogitationes sese oblatæ voluptati immergentes summâ spiritus authoritate recidit. Fiducialiter eos dormire facit, cum tentationum harum trium, quæ cæterarum origines sunt, sopitis incursibus à mundanis eos permittit vacare tumultibus. Vnde est: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quod enim hîc dicitur dormire faciam fiducialiter, in alia translatione dicitur; Habitare eos faciam in spe; quod est: Qui in impassibilitate dormit, in spe tamen vigilat, & hoc fiducialiter, quia iam dę

Cant. 5. 2.

certitudine retributionis exultat.

Vers. 19. *Et sponsabo te in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & in iudicio, & in misericordia, & miserationibus.* In sempiternum sponsat, cum mens eius, qui se Deo desponderit, nequaquam vllo modo in perseuerandi studio titubat. In iustitia sponsatur, cum ad reddendum quid Deo, quid proximis debeat, tenacissimè roboratur. Diffinitio enim iustitiæ est: Communi vtilitate seruatâ reddere cuique quod competit. Et hoc sine iudicio, idest discretione non constat, quia cauendum est, ne nimiùm prosequendo iustitiam iniusto deterior fiat. (Nota.) In misericordia quoque desponsatur, cum non suis se meritis, sed solâ Dei gratiâ de massa perditionis assumptum arbitratur. Nec sine miserationibus, quia quibuscumque vocationem Dei bonis operibus prosequatur; credendum summopere sibi est, quod inter tentationes nullâ ratione subsisteret, nisi pietate sui Conditoris assiduè iuuaretur.

Vers. 20. *Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus.* Mirum est, quod tam præposterè fidem posuit, cum prælibata omnia non dico stare, sed nec esse sine ea possint. Sed considerandum est, quod oportunissimè fides supponitur, vt per merita simplicis fidei fructus ipsius fidei denotetur. Fructus namque & præmium eius in præsenti intellectus est. Is autem non tam in scientia, quàm in amore est, quia amor illa substantia est, de qua Apostolus: (Hebr. 11. 1.) *Est*, inquit, *fides sperandarum substantia rerum*, quæ scilicet credendas res in corde fidelis tantâ faciat soliditate subsistere, vt certiùs se æstimet eas, quàm quælibet tractabilia & corporosa tenere. In fide ergò sponsatur, cum ad immobilitatem animi credulitatis suæ crebrâ contemplatione fundatur. Inde est quod sequitur: & scies quia ego Dominus. Etsi enim nec doctrina, nec liber adesset, qui instrueret, certè Deum esse ex sola experientia dulcedinis internæ colligeret.

Vers. 21. *Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus,* * Vers. 22. *exaudiam cœlos, & illi exaudient terram.* * *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum.* Et erit, scilicet quod dicendum est, indubiè constabit, sed in hoc primò attendendum quid exaudiat, cum nihil subinferat; vnde sciendum est, quòd fidem illam, quam præmisit, exaudiat. In hac ergò fidei luce primùm exaudit, quia ex corde nostro, etiam vacante opere, nil gratius accipit. Postmodum exaudiuntur cœli, quia nulla non virtus grata est, quæ tanto fundamine innixa est, quæ per se etiam sufficiens est. Cœlos enim vocari virtutes non abs re est, quia in his potissimùm Deus est: omni enim benedictione spirituali in his cœlestibus benedictos nos dicit Apostolus. (Ephes. 1. 3.) Et illi exaudiunt terram, quia virtutes non desinunt contra emergentia vitia corporis nostri tueri substantiam. Terra exaudit triticum, cum pars nostra inferior ad doctrinæ spiritualis irrefragabiliter obedit imperium. Exaudit & vinum, cum & ipsa caro suo respondens spiritui immortalitatis aspirat ad gaudium. Vnde est: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* (Psal. 83. 4.) Hoc est vinum, quod in libro Iudicum lætificare Deum, & homines dicitur. (Iudic. 9. 13.) Exaudit & oleum, cum ex hac ebrietate verè sensata totius beneficij suauitatem refundit ad proximum.

*Et hæc exaudient Iezrahel** *Et seminabo eam mihi in terram, & miserebor eius quæ fuit absque misericordia.* * *Et dicam non populo meo: populus meus es tu: & ipse dicet: Dominus meus es tu.* (* Vers. 23. * Vers. 24.) Iezrahel, sicut dictum est, semen Dei dicitur. Hæc ergò prælibata omnia Iezrahel exaudiunt, cum ex diuina inspiratione, quæ origo totius huius boni est, hæc vniuersa fideliter habere se credunt. Et in terram sibi ipsa Iezrahel seminatur, cum totius sanctæ operationis fructuositate respergitur. Eius, quæ fuit absque misericordia, miseretur, quia menti quondam ad vitia pronæ, sed iam diuinis purificationibus defæcatæ, non est vnde spiritus irascatur. Non populo suo populus suus dicitur, cum cogitationum frequentia olim lasciuiens sub Dei ditione frænatur. Ipse dicit Dominus meus es tu, cum Dei Dominium intra conscientiam nullius superstitionis interstitio mutilatur.

CAPVT III.

Vers. 1. *Et dixit Dominus ad me: adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico, & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israël, & ipsi respectant ad Deos alienos, & diligunt vinacia vuarum.* Ac si diceret alicui in tanta virtutis arce reposito, cum dicere Dei non sit aliud quàm humanæ rationi suggerere. Adhuc vade, idest per considerationem tuam ab hoc tuo statu æstima aliquo infortunio te posse recedere. Mulierem dilectam amico dilige, idest molliorem viuendi habitum, in quo tamen non displiceas Deo, propone. Quæ tamen adultera erit, quia in ipsa remissione, quæ in superficie quasi quædam bona deliberat intentio peccandi malè palliata latebit. Diligit Dominus filios Israël, & ipsi ad Deos alienos respectant, quia affectum orandi, & etiam compunctionis gratiam, affectui nostro Deus, plerumque largitur, & tamen ad affectandam nequitiam, ac si non fleuerit, impudens post momenta reuertitur.

Vinacia vuarum diligunt, quia cum post A abrenunciationem mundi quidam iam ipsi mundo despicabiles facti intra ipsum mundum nihil dulcedinis & amoris inueniant, tamen mundo colloqui, mundana spectacula prosequi importunè desiderant. Hinc est quod in veteri lege ab vua passa vsque ad acinum Nazarei vetantur comedere. (Num. 6. 4.) Vua passa est, quæ immatura decoquitur, vt diuturniùs vigeat. Quid vua passa nisi eos, qui ante possibilitatem ætatis peccare docentur, insinuat? vua matura est, quibus peccandi facultatem ætas ipsa suppeditat. Acinus est, B qui exhausta omni voluptate, vel infirmitate, vel senio, solo prauo vsu, solâ etiam voluntate peccat. Vinaciis ergò diligendo vtuntur, qui spectaculis alienæ fœlicitatis, immò alienæ nequitiæ solummodò contuendo cum sint miseri ipsi pascuntur. Nazarei interpretantur sancti, quibus interdicitur, ne vuis quibuscunque vescantur, cum ab eorum imitatione, qui præsentis vitæ dulcedine sunt viuidi, Dei præcepto arcentur.

(Vers. 2.) *Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei: & dimidio coro hordei.* * (Vers. 3.) *Et dixi eam: dies multos expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te.* Quindecim argenteis foditur, cum interior & exterior eius sensualitas decalogo legis excolitur: planè foditur, cum terrenitas à mente recutitur. Quinario nempe sensuum dispertitio designatur. Per argenteos autem diuinum eloquium figuratur. Corus hordei vniuersalitatem animalitatis innuit; qui tamen ad dimidium corum redit, quia etsi Apostolus carnis curam non vetuit, carnem, inquiens, suam nemo vnquam odio habuit, (Ephes. 5. 29.) fieri tamen in desideriis inhibuit. Ecce quomodo per argenteos foditur, cum vniuersitas ad mediocritatem restringitur. Hordeum enim cibaria iumentorum est. * (Vers. 4.) Dixi ad eam, ideſt instinxi ei. Dies multos Deum expectat, cùm Deo se dispensatiuè ad probationem hominis subtrahente animus à compunctionis gratia, vel etiam à contemplatione vacat; & tamen intra innocentiam se coarctat. Et hoc est quod sequitur: *Non fornicaberis, & non eris viro*: dum interim à solita continentia nullo affectu disparatur adultero. Sed & Deus expectare se dicit, cum an se diligat anima, per hoc ipsum intelligi facit. Secundum hoc Psalmus: (Psal. 118. 8.) *Non me*, inquit, *derelinquas vsquequaque.*

Quia dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine theraphim. Dies multos filij Israël sine Rege sedent, quia diu Deo, vt dixi, ad tempus se subtrahente, affectuales motus nostri regimine rationis caret. Sine principe sunt, quando etiam à bona voluntate deficiunt. Velle enim Apostolo (Rom. 7.) adiacet, perficere tamen non inuenit. Hæc est Sara, quæ interpretatur princeps sub patre excelso Abraham, ideſt spiritu auctore agens. Sine sacrificio, ideſt sine interni desiderij, quod nos interiùs mactat, voto. Sine altari, ideſt sine feruore fidei; altare enim tunc esse non poterat, vbi ignis, quo carnes cremarentur, non erat, & fides non est quæ pij caloris expers est. Sine Ephod sunt, quando supereminentem scientiæ caritatem Christi perdunt; Ephod namque superindumentum sacerdotale vocatur. Sine theraphim sunt, quoniam nulla exemplificatione cœlestium viuunt; theraphim enim formæ illæ erant, quæ sub specie Cherubin Moysi à Domino in tabernaculo fieri iussæ sunt. Quæ tota significant, quod scilicet terræ acclines absque totius spiritualitatis respectu se habent.

(Vers. 5.) *Et post hæc reuertentur filij Israël, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* Multotiens contingit C vt ex nimia sua euagatione etiam carnalis terreatur affectus, & inde fit vt ad de Deo recogitandum Israël cum filiorum, ideſt, cogitationum frequentia ad se recolligatur. Vnde & mox Dauid Rex quæritur, cum ratio manu fortis, quæ sola carnali & diabolico repugnat impetui, ad vetus imperium reciprocatur. Ad Dominum parent, cùm ab illicito excursu ad eius nutum, qui vlcisci potest, vt Dominus iam se cohibent, humiliter scilicet, quia quod seruili timore contrahitur multa cum locus est facilitate laxatur, rectè additum est: Et ad bonum eius in D nouissimo dierum: si enim pœna timetur, multo liberalius est vt præmium appetatur. Ad bonum ergo Dei in dierum nouissimo pauetur, cum illud singulare retributionis extremæ bonum timore paritur, & lætitia præstolatur: Lætetur, inquit, cor meum, (Psal. 85. 11.) vt timeat nomen tuum.

CAPVT IV.

(Vers. 1.) E **A**Vdite verbum Domini filij Israël quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Verbum Dei filij Israël audiunt, cum carnalitatis duritiam, sagittæ, iuxta Psalmum, (Psal. 119. 4.) potentis irrumpunt. Et merito, inquit, audiri debet, vt affectualitas reprimatur, quia cum seculum in fine à Domino iudicatur, non solus ipse iudicabit, sed & habitatores terræ, qui bene scilicet terrenitati suæ dominati sunt, iudiciaria pariter dignitate donantur; vnde & mitibus possessio huius terræ promittitur: (Matt. 5. 4.) habitare autem ab

habeo, habes, frequentatiue intortum dominari significat, vt est illud, *Inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius.* (Psal. 36. 3.) * *Non est enim veritas & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* (Vers. 1.) Quid est veritas, nisi sine vlla vacillatione rei vnius identitas? Hæc non est in terra, quæ est indesinenter vanitati subiecta, nec enim ipse Apostolus inuenit bonum in carne sua. (Rom. 7. 18.) Non est misericordia, quia suis semper prona desideriis omni alienas anxietates spectat incuria. Non est scientia; quia ab inferiori illa parte suboritur menti discretio nulla.

(Vers. 2.) *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quia ergo non est veritas, non est misericordia, non scientia Dei in mente terrena, maledictum consequenter inundat, quia vbi diuini timoris cor fræno non regitur, ad prauæ locutionis atrocitatem lingua impudens efferatur, & cum aliis derogat, multo maiori etiam securitate mentitur; nec mirum planè cùm vix, aut nullomodo humana, sed sola diuina virtute dometur. Cúmque libertas maledictioni mendacióque relinquitur, necesse est vt facillimè ad facinora, quod est homicidium, & furtum, & ad flagitia, quod est adulterium prorumpatur. Nota quod ex iniquitate verborum excurritur in crudelitates operum: Deinde rabies opus despumat in sordidum. Sanguis sanguinem tangit: dum peccatum negligenter admissum, quod auctorem suum, quod sanguis signat, interimit, scienter ad eiusdem mortis iterationem plerumque perducit.

(Vers. 3.) *Propter hoc lugebit terra & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli & pisces maris congregabuntur.* Propter hoc terra luget, id est digna luctu facit, quia nulla eam custodia intellectualis astringit. Omnis qui habitat in ea infirmatur, quia omnis qui eius motibus contraire nititur, necesse est, vt sæpius à suo statu cogitationum ingruenter molestia periclitetur. Et hoc in bestia agri, & volucre cœli, quia hinc aliquotiens cupiditate distenditur, illinc superbiæ leuitate iactatur; sed & pisces maris congregantur cum titillationes carnis, quæ deliciarum innutriunt aquis, aduersus fatigatum his spiritum glomerantur.

(Vers. 4.) *Veruntamen vnusquisque non iudicet & non arguatur vir.* Ac si diceret: licet ingenij humani potentia, contra tot vitiorum examina penè succumbat, tamen iniustè facit, qui in talibus infirmantem iudicat, & eum qui vir dici debet, quia quod tentatur vtcúnque fert & tolerat, non arguat, nec modum tentationis, sed virtutem sustinentiæ in eo qui tentatur, attendat: *Considerans*, inquit, *teipsum, ne & tu tenteris.* (Gal. 6. 1.)

Populus enim tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti. * *Et corrues hodie, & corruet etiam Prophetia tecum.* (Vers. 5.) Populus tuus ô Israël, sicut hi qui contradicunt sacerdoti est, quia motuum tuorum enormitas, ô carnalis affectus, sicut, id est reuerà hi sunt, qui se semper obiiciunt sacro ducatui, id est rationi. Et corrues hodie: id est causa eius quam affectas temporalis lasciuiæ, vel præsentis gloriæ. Corruet etiam Prophetia tecum: Quia dum nequaquam ad anteriora te extendis, tua te reddet improuidentia cæcum. *Nocte tacere feci matrem tuam.* Mater huius populi ratio est, facit ergo Deus tacere matrem huius populi nocte, cum suo iusto iudicio negat vires, quibus debeat insolenti cogitationum turbæ resistere. Vnde est quod sequitur.

(Vers. 6.) *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.* Populus Dei conticescit quando emergentia cordi mala, congrua nequaquam seueritate redarguit, & hoc ideo quod scientiam non habuerit, id est, vim internæ discretionis amiserit. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* Ac si diceret: Quia tu tuos mores atque motus trutinâ iudicij exæquare neglexisti, vel etiam qualiter te interius regere debeas addiscere noluisti, ad hoc planè vt tibi ipsi prouidere nescias, nec statum tuum metiri valeas, per sensum te reprobum submisisti. *Et quia * oblitus es legem Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* (* al. oblita.) Lex Dei non in scientia litterali, sed in experientia naturali intelligitur, quam qui obliuiscitur, id est scitæ quondam, & habitæ non recolens reminiscitur; ad id ex merito peruenit, vt filiorum, id est, operum suorum prauorum ad sui ipsius correctionem Deus non memoretur, spontiua planè ignorantia non lucratur, ingenitæ verò parcitur; vnde & sequitur.

(Vers. 7.) *Secundum multitudinem eorum, sic peccauerunt mihi.* Multus est cui perspicacis ingenij, etsi doctrina non suppetat, copia est; multitudinem ergo habent, qui propter litteras intelligentiæ originalis acrimonia pollent; secundum itaque elaboratam licet per incuriam obtusa sit, naturalémque prudentiam eorum peccata pensantur, quia secundum quod scierunt, aut scire potuerunt iudicantur.

Gloriam eorum in ignominiam commutabo. Gloria eorum viuacitas est intellectus, quæ in ignominiam commutatur, dum quod laudi suæ ascribi appetunt, ex studiorum infamia probro imputatur.

(Vers. 8.) *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum.* * *Et erit sicut populus sic sacerdos.* (* Vers. 9.) Peccata populi Dei

Dei comedunt, cum lapsus quorumque bonorum ad suffragium sui erroris assumunt, & veluti inde pascuntur, qui vt in malo securius perseuerent, ex eorum exemplo quos bonos aliquando æstimarant, vt sic dixerim, radicantur. Ad iniquitatem eorum animæ eorum subleuantur, dum quos spirituales oderant, animales factos quo nequiora gesserint, fauorali excusatione mox subleuent, animásque, quæ non viuunt iuxtà Prophetam, viuificant. Et sicut populus sic sacerdos est, cum eiusdem criminis si non maioris est ille, qui peccantem approbat, cuius ille qui peccat: competens enim ad sui modum sacerdotium administrat, qui super talis defensionis studio dogmatizat.

Vers. 10. *Et visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.* * *Et comedent & non satiabuntur.* De plurali ad singularem Prophetico more transit numerum. Super eum vias eius visitat, cum eius actiones eum opprimendo condemnat. Cogitationes eius ei reddit, cum Apostasiæ peccata latentis in eum apertè puniendo refundit: Nota tamen quod populus, singularitas sit collectiua, & ideo numeri fortasse mutantur. Dixerat superiùs quod populi sui peccata comederent, hîc subiicit quod comedant, & non satientur, quia etsi ex aliena capere desiderant iniquitate solatium, nullum tamen mordaci conscientiæ, qua semper consternantur interiùs poterit præstare fomentum. *Fornicati sunt & non cessauerunt, quoniam Dominum reliquerunt in non custodiendo.* Fornicantur qui amore præsentium à Deo alienantur; non cessant, qui dominantia vitia, nulla rationis auctoritate reuerberant. Quoniam, inquit, Dominum reliquerunt in non custodiendo, id est diuini respectus nullã habuere reuerentiam, nullam menti custodiam adhibendo.

Vers. 11. *Fornicatio & vinum & ebrietas* * *aufert cor.* (* al. auferunt.) Quod est dicere: Cum quis à Deo abscinditur, Deóque postposito, mundi voluptates affectat, & ex his ratione sepultâ obruitur, cor aufertur, quia nihil deinde penes eum, aut pensi, aut moderati ad crimina reperitur.

Vers. 12. *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius* * *annuntiabit ei.* (* al. annuntiauit.) In ligno suo populus interrogat, cum animi strepitus non æqui rectíque lineam, à qua auersus est, sed stoliditatem consuetam cui vniuersus est consulendo respectat. Baculus eius ei annuntiat, cum quispiam non dissimilis imperitia & voluntatis stupidæ super his quæ cordi eius adiacent funestius consilium subministrat. *Spiritus enim fornicationum decepit eos & fornicati sunt à Deo suo.* Si spiritum fornicationis dæmonem accipimus, eorum profectò errorem velut excusamus, quibus incentorem diabolum damus; sed aliter intelligere possumus. Spiritus in scripturis pro superbia ponitur, vt est: *Auferes spiritum eorum & deficient*; (Psal. 103. 29.) Et, *Qui aufert spiritum principum*: (Psal. 75. 13.) Et Saulus cùm minaretur vt cæderet, spirans dicitur. (Act. 9. 1.) Spiritus ergo fornicationum eos decepit, quia dum de sua peruersitate superbiunt, & in rebus pessimis exultando gestiunt, mentis eos reprobitas circumsepsit, decepit enim dictum est, quasi omnino * cœpit; (* f. cepit.) *De* enim præpositio aliquotiens intentiuè ponitur, vt est, deamo, & deiero.

Vers. 13. *Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thimiama, subtus quercum, & therebintum, & populum, quia bona erat vmbra eius.* Super capita montium sacrificant, qui superbias diuitum imitantes omnium strage vitiorum se mactant. Capita montium, idest ceruicositates potentium pauper, vel mediocris imitatur, vt quod in illis opulentia, hoc in his solo nequitiæ appetitu agatur. Super colles thimiama accenditur, cum suorum æquæuorum atque comparium exemplo quis ac si odore respergitur, qui ab alienæ cupidinis igne digreditur. Ipsi super colles accendunt, cum praui caloris æstum ex eorum vsu sese concitando concipiunt. Subtus quercum hoc faciunt, cum omni vitiorum se volutabro porcina imitatione subiiciunt; quercus enim glandifera porcos alit. Subtus therebintum id effecit, qui admodum turpis actus, fœditate submota, modo aliquo accuratiore & familiariore delinquit; therebintus enim pulchrè opaca gratique odoris est. Populus infructuosa quidem, sed ramis effusa & ardua est, folium ex vna candidum, ex altera parte nigrum habens, illos planè significans, qui specie honestâ locuntur à facie; sed alios prauâ ad omne malum suasione latenter afficiunt; vnde sequitur: Quia bona erat vmbra eius, id est cum quibus super cuiuslibet tractatu erroris possit agi quietiùs.

Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Dum aliorum studij auctoritas pudenda respicitur; filiæ fornicantur, quia à diuino robore mollities prorsus interna deponitur: filiæ fornicantur, cum corda per se fragilia de externa etiam labefactatione læduntur. Sponsæ adulteræ fiunt, cum voluntates iam aliàs vitiatæ, multo deterius alios æmulando ruunt.

Vers. 14. *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulterauerint: quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effæminatis sacrificabant: & populus non intelligens vapulabit.* Super filias quæ fornicantur Deus non visitat, cum status, qui quasi ab integritate deuirginantur, per compunctionis gratiam non emendat, vel quolibet flagello castigat, idem de filiabus, hoc de sponsis. Cum meretricibus conuersantur, quorum corda solius pretio voluptatis ad omne flagitium exponuntur. Aut

certè cum meretricibus conuersantur quibus potissimùm cupiditas, & luxuria dominantur. Cum effæminatis sacrificant, qui expertes à Dei verbi semine, & ad fæmineam mollitiem eiurati sese quasi victimas diabolicæ voluntati cōsternunt. Populus non intelligens vapulat, quia cogitatio indiscreta mentis superficiem vitiorum plagis exulcerat.

Vers. 15. *Si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Iuda.* Quod est dicere: Si tu ô carnalis affectus per illicitas euagationes thorum diuinæ dilectionis commaculas, vide tamen ne suffugium peccatorum tuorum confessionis amittas.

Et nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen, neque iuraueritis: viuit Dominus.

Vers. 16. * *Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israël.* In Galgala ingreditur, qui spurcitiis flagitiorum intruditur; Galgala nempe volutabrum interpretatur. In Bethauen ascenditur, cum mens arrogantiæ titulis insignitur: Bethauen námque domus inutilis dicitur; & quid inutilius quàm suæ ipsius conscientiæ turpitudinem non videre, & se aliorum aspectibus spectaculo velle esse? *Viuit* autem *Dominus* iurat, quisquis per hypocrisim Dominum in se viuere, adhibitis etiam quibusdam operibus perhibet & confirmat: Iurare ergò *viuit Dominus* prohibetur, quoniā sicut vacca lasciuiens Israël declinatur, quia meritò & ascendere, & vitam quam non habet sibi promittere vetatur, qui inclinare sicut equus & mulus sua latera comprobatur. *Nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.* Dominus tamen modo eos pascit, cū per scripturas eos in præsenti erudit. Quasi agnus in latitudine pascuntur, cum latam viam spatiosámque sectantes instar electorū & innocentium sacro eloquio obuersantur, vnde & sequitur.

Vers. 17. *Particeps idolorum Ephraim dimitte eum.* Ephraim interpretatur frugifer, frugifera autē dicitur voluntas nostra, quæ seminariū ex spiritu accipiens, vxor nostra fit in lateribus domus nostræ tanquam vitis abundans. Is Ephraim, idest voluntas particeps idolorū est, dum pro affectata laude & sæculari expectatione soli ostentationi prona est; idolū námque speciem hominis habet, sed homo non est, sed tamen multò ornatius homine est. Particeps ergo idolorum est dum voluntas id videri exterius affectat, quod non in re sed in extrinseco cultu præstat; Cui illud Zachariæ consonat: *O pastor*, inquit, *ô idolum derelinquens gregem.* (Zach. 11. 17.) Dicitur ergo Iudæ, idest piæ confessionis voto vt dimittat eum, quia valde difficile & insolitū est, vt quem simulachrum tantæ pomposıtatis inuerterit, pudendæ alicuius rei, si apud se lateat, confessor esse velit. Dimitti ergo iubetur qui imitari prohibetur.

Vers. 18. *Separatum est conuiuium eorum fornicatione fornicati sunt, dilexerunt afferre ignominiā protectores eius.* Conuiuium eorum, idest, hypocritarum separatur, quia iniquo permaximè pasci solent, fauoris scilicet externi gratia, rarò ab hominibus deprehenditur. Et ideo fornicatione fornicantur, quia eorum interior corruptio, cuius duritia per iterationem nominis designatur, tantò acrius coalescit, & tantò incurabilior delitescit, quanto minus humanis sensibus innotescit. Nam si innotesceret aliquo citius modo curæ pateret. Ignominiam protectores eius afferre diligunt, cum carnalis eius astutię motus, qui ne agnoscatur simulationem eius protegunt, dum velamen ei malitiæ opponunt, & componere gestiunt, iusto Dei iudicio eius iniquitate retecta patenter ostenditur, quia non honori eam, sed ignominiæ coluerunt.

Vers. 19. *Ligauit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis.* Spiritus eū, idest, Ephraim in alis suis ligat, cum aura superbiæ de qua suprà diximus voluntatem omni vento circunlatam leuitati suæ accopulat. Non enim hospes suus superbiā ducat, sed ipsa quaquauersum voluerit, cum ipso circunuolat, & ideo à sacrificiis confunduntur, quia ex eo quod se dæmonibus per crimina quæque concidunt, dum eleuari se ęstimant, præcipites feruntur.

CAPVT V.

Vers. 1. *Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israël, & domus Regis auscultate; quia vobis iudicium est, quoniā laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.* * Vers. 2. *Et declinastis victimas in profundum, & ego eruditor omnium eorum.* Dei sermo sacerdotes audire rogat, non alios planè quam quos ironicè protectores ante vocarat, eo enim modo quo protegunt, non sacrum, sed execrabilē solent etiam præbere ducatum. Domus etiā Israël attendere, & domus Regis auscultare iubetur, vt affectualitas intentionem dirigere, & ratio cum suis motibus obtemperare moneatur. Vobis enim iudicium est, idest vestrum quod dico discernere est. Laqueus speculationi fiunt, dū quicquid per intelligentiæ radium contemplari de internis poterāt, nebula promiscuæ cogitationis occludūt. Thabor interpretatur veniens lumen, & quod lumen, nisi quod super nos ex Dei vultu insignitur? Et vnde venit, nisi ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? (Ioan. 1. 9.) Super Thabor ergo rete expanditur, cum super luciferam rationem humana ingenia prętexuntur, & ex eo quod veritati speculandæ inseruire debuerat, suggillationi proximorū insistere homo parāt; Rete enim quod capiendis volucribus ac bestiis conficitur, pro fraudis artificio aliquotiens ponitur. Vnde est apud Isaïam: *Expandentes rete super flumen emarcescent*; (Isaiæ 19. 8.) Expandit rete super flumen qui in curis huius sæculi, suam exercere proponit

astutiam. Nota speculationem non illam solam dici, quæ fertur in Deum, sed etiam eam quæ pertinet ad contemplandam veritatem, & spirituum discretionem. Victimæ in profundum declinantur, cum hi qui se diabolo per flagitia quæque prostrauerant, prauis suasionibus in desperationis barathrum, seu obdurationis deponuntur, super quos putei os, iuxtà Psalmistam, vrgetur. Et Deus eruditor omnium eorum est, dum qui se abscondat à calore eius non est, sed nequitia, in qua impudenter offocari videntur, scintillante sæpius ratione, sibimetipsis obscura non est, quocunque enim modo auertantur, mala sua in quibus sunt menti etiam inuitè crebrius ingeruntur; vnde sequitur.

Psal. 68. 16.

Vers. 3. *Ego scio Ephraim, & Israël non est absconditus à me.* Scit Deus Ephraim, cum nostram voluntatem, quæ frugifera tanquam vitis abundans esse debuerat, ratione instinguente scire nos facit. Israël à Deo non est absconditus, cum noster affectus ex radio illustratæ rationis esse nobis non valet occultus; ratio enim, quæ principaliter Deum habere dignoscitur insessorem, pro Deo aliquotiens ponitur, vt est illud de conseruis qui Regi, haud dubium quin Deo, de seruo cui decem millia talenta donauerat, & conseruum pro centum denariis suffocarat, nuntiant: quid enim est aliud quàm quòd visas malignitates Deo suæ rationi præsidente retractant? Sequitur: *Quia nunc fornicatus est Ephraim, contaminatus est Israël.* Ac si diceret: Statuam Ephraim & Israël contra faciem suam, & scire eum faciam quia nunc fornicatus est Ephraim, & Israël contaminatus, id est voluntas in amore præsentium, quod significat, nunc, à linea piæ intentionis prorsus excessit, cui affectus peior se in fœtores scelerum deuoluendo mox impudenter incessit.

Matth. 18. 24.

Vers. 4. *Non dabunt cogitationes suas vt conuertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt.* Vt ad Deum conuertantur cogitationes suas non dant, quia pro Dei amore à delectationibus imaginationum suarum abstinere durum putant, nec tanti pretij Deum æstimant, vt pro eo impendere velint quod interius voluptuosè tractant: tali cuipiam dicitur: proiecisti me post corpus tuum: & hoc fit, quia spiritus fornicationum in medio eorum est, idest, superbia quæ specialiter à Deo nos exterminat, non latenter in angulo quasi surripiens, sed in medio, scilicet quasi Rex euidenter imperans toti intelligentiæ præest. Et ideo Dominum non cognoscunt, idest, sapore interno concipiunt, quia cuius palatum ex febribus amarescit, nunquam in eo quippiam, etiamsi sit naturaliter dulce, dulcescit.

3. Reg. 14. 9.

Vers. 5. *Et respondebit arrogantia Israël in facie eius: & Israël & Ephraim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis.* Arrogantia Israël in facie eius respondet, quia affectus interior per illicita euagans, ad exterius inconueniens turpissimè prorumpere solet. Respondet in facie, dum serò erubescit exterius, ex eo quod diu arroganter fouit in mente. Et Israël & Ephraim qui in magni supercilio fastus, sibi stare introrsum videbantur, ex merito suæ iniquitatis ruent, & tunc quid iamdudum voluerint, quidque diu affectando nutrierint, ex casus ignobilitate coniicient. Eheu! & Iudas cum eis ruit, quia iuxtà dictum viri sapientis, *A mortuo confessio perit*; Cui enim peccare vertitur in impudentiam, difficile aut rarò resipiscit ad confitendi gratiam.

Eccli. 17. 17.

Vers. 6. *In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum & non inuenient, ablatus est ab eis.* In gregibus suis vadunt, cum incorrecta fatuitate internâ, ad Deum se recurrere velle aliquotiens ostendunt; Oues enim pro inutili aliquando simplicitate ponuntur. Vnde est: *Sicut oues in inferno positi sunt:* Et Dauid de gregibus ouium sublatus est, & de post-fœtantes acceptus. Hi sunt motus, qui omni vento tentationis efferuntur. In armentis quoque vadunt, cum solitam mentis hebetudinem, & ad curam studia ponderosa nulla spirituali alacritate recutiunt. Et ideo Dominum non inueniunt, quia quod intellectuale est, corpulenta non capiunt, nec in corpore peccatis subdito habitat, quia à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, se semper absentat. Ab eis Deus aufertur; cum illa qualiscúmque voluntas quæ boni aliquid parturire videbatur, amittitur. * *In Dominum præuaricati sunt qui filios alienos genuerunt.* Ac si diceret, in hoc ipso quod licet indiscretæ conuersionis auspicia bona proponunt, & se à proposito, facilitate destituunt, penes Deum præuaricatores haberi digni sunt; & hoc ideo fit, quia filios alienos genuerunt. Si alieni, quomodo filij? sed filij & alieni. Filij, opera sunt, vnde est; videas filios filiorum tuorum, idest experiaris mercedes operum; & hæc opera sunt aliena, idest adulterina, non eo scilicet quo debent semine, idest intentione procreata, aut metu scilicet terreni alicuius incommodi, quod fit sæpissimè, cæpta, aut sine voluntate perseuerandi perfunctoriè aut tepidè appetita. *Nunc deuorabit eos mensis cum participibus suis.* Nunc, cum præsens tempus significet, hîc momentaneum quiddam intelligi monet. Nunc ergo, idest ad subitum mensis eos deuorat, cùm menstrua religio, quæ multùm à Dei benignitatis an-

Psal. 48. 15. Ibid. 77. 70.

*Vers. 7.

Psal. 127. 6.

no discordat, in peius recrudescere mentem facit, quàm fuerat: nec absurdè dictum est deuorat, quia nihil est quod tantoperè si quod sit in homine residuum boni consumat: De crimine enim audacia sumitur, quando apertè bona initia contemnuntur. Participes sui pariter deuoranturcum na turalia bona, si quæ sunt reiiciuntur, quæ illi transitoriæ conuersioni participium ferre videbantur.

Explicit Liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS
TROPOLOGIARVM IN OSEE.

AD beatum Osee moraliter exponendum non scientiæ meæ ausus, sed fidei puritas me inuitat, præteritorum enim experientia laborum, in quibus dignata est diuina aspiratio mihi bonos præbere prouentus, fidem mihi non minora aggrediendi attribuit, scienti quia qui dedit præter naturam insolita asinæ, potiora dabit in homine. Agimus igitur eundem, quo locutus est, spiritum repetentes, vt qui in illa cœlesti fistula mirabiliter erupisse dinoscitur, nobis eo quo quondam Heliæ sibilo auram intonare dignetur.

Vers. 8 *Clangite buccinâ in Gabaa, & tubâ in Rama, vlulate in Bethauen post tergum tuum Benjamin.* Vox est ad prædicatores, quorum officium est ad diuersos dissimiliter insonare errores. In Gabaa buccinâ clangitur, quando mediocribus peccatis, moderato sermone præcurritur, Gabaa enim colles interpretatur, colles autem iuga terrarum modicè porrecta dicuntur. Buccina autem, pastorum ac vigilum est: contra colles ergo buccinâ vtimur, dum contra mediocrum admissa modo temperatiore nos agimus. Rama verò interpretatur excelsa, tubâ itaque contra tumidas & eleuatas mentes quasi quodam bellico apparatu insurgere, nec eorum vereri potentias, sed quòd ditiores sunt, ne eadem vitia propagentur in subditos, irreflexa auctoritate debemus; tubâ enim in bellis vtimur. Et considerandum quod de infimis tacet, mediocres tantùm & excelsos arguendos docet, nimirum planè quia in pauperes, quos nullatenus reueremur, tumiditas nostra inuehi solet. At vero in Bethauen, quod interpretatur domus idoli, vlulandum est, non prædicandum, quia ad eos qui penitus à Deo auertuntur, & salices de medio Babilonis à Psalmista vocantur, non solùm organa nostra suspenduntur, sed etiam ab his qui sanum sapiunt, sicut à Domino Lazarus, digna tanquam mortui miseratione deflentur; per idolum enim, eorum apostasia notatur. Et hoc post tergum tuum Benjamin; Benjamin interpretatur filius dexteræ, & quis dexteræ filius, nisi illa mentis nostræ proles principalis, rationalis videlicet motus, cui semper adiacet totius prosperitatis effectus? Domus ergo idoli post tergum Benjamin est, quia tanta Dei obliuio, non nisi ex culpâ malè ausæ rationis est. Et notandum quod cùm vlulandum in Bethauen dixisset, ad Benjamin illicò quasi exclamans subiecit Apostropham, & est ac si diceret: Eheu! ratio tanti causa mali est, dum à recta consideratione te dimoues Ephraim in desolatione erit. Benjamin terga vertente, Ephraim desolatur, quia quicquid in nostra voluntate frugi est, absentatâ spiritus prudentiâ dissipatur.

Psal. 136. 2

Vers. 9. *In die correctionis in tribubus Israël ostendi fidem.* Dies correctionis reditus est luciferæ rationis, in hoc reditu in tribubus Israël fides ostenditur, cùm horum verborum, quæ super spiritus auersione dicta sunt, veritas declaratur; dum videlicet carnalis affectus per vniuersos motus suos, ac si tribus ad rationis iura, corrigitur. Ac si diceret: in hoc sciri potest quòd Benjamin terga verso, Ephraim desolatur; quòd die internæ aspirationis redditâ, tribus Israël corriguntur; in hoc inquam fides verbi huius ostenditur.

Vers. 10. *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum: super eos effundam quasi aquam iram meam.* Principes Iuda facti sunt quasi assumentes terminum, cùm principales motus, qui nos super verâ confessione sollicitant, in bonâ intentione creantur; & quasi, id est reuerà terminum assumunt, cùm de integrâ ex Deo emendatione iam benè confessi præsumunt. Terminus assumitur cùm erroribus vniuersis in animo meta præfigitur. Et notandum quod hoc totum in die

correctionis efficitur. Super eos etiam ira Dei quasi aqua effunditur, cum superueniens diuinæ animaduersionis iudicium, frequenter in mente tractatur, sed hæc ira quasi aqua effunditur, quia in tractatu huiusmodi conscientia à peccati sorde diluitur.

Vers. 11. *Calumniam patiens Ephraim fractus iudicio, quoniam cœpit abire post * sordem.* Ephraim patitur calumniam, cùm in diuini timore iudicij, voluntas nostra cogitationum turbulentiis infestatur, quin etiam à bono cœpto plerumque distrahitur: vnde & fractus iudicio dicitur, quia inter huiusmodi frequentias acumen nostræ discretionis obtunditur. Quoniam, inquit, cœpit abire post sordem, id est cœpit ad eam, quæ sibi suggeritur à Diabolo intorquere animum, fæditatem.

* al. fordes.

Vers. 12. *Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda.* Tinea Ephraim Deus fit cùm inter tentationes, mens accidiæ nimietate tabescit; quasi à tinea enim absumitur, qui mœroris angustia in nullo lectionis, siue orationis studio animatur, sed omnem, iuxtà Psalmum, escam anima eorum abominatur. Putredo domui Iuda efficitur, cum ipsa quoque confessio, per quam omnis sæpiùs interior amurca reuomitur; in conspectu mentis ac si fætere videtur, dum enim molestiis quatitur, nihil quod de Deo non sit velut olidum reperitur.

Psal. 106. 18.

Vers. 13. *Et vidit Ephraim languorem suum, & Iudas vinculum suum, & abijt Ephraim ad Assur, & misit ad Regem vltorem, & ipse non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum.* Ephraim languorem suum videt, cum impotentiam status sui, intra fluctuantis conscientiæ sinum fouet, nec reniti præualet: & Iudas vinculum suum aspicit, dum ipsa ratio penitus obligata, & à suo iure distracta, vires nullomodò confessionis exerit. Assur interpretatur aula, & quid per aulam, nisi strepitus temporalis lasciuiæ designatur? Talia enim in aulis spectacula feruent. Ephraim ergò ad aulam abit, cùm sæcularibus intendendo à sui cura se diuidit. Mittit ad Regem vltorem, cum pessimi destinationem desiderij ad diabolum dirigit, planè crudelissimum huius suæ desertionis vltorem, proh dolor! Ad ipsum nostræ intentionis legatio mittitur, qui hoc ipsum super eum qui mittit vlciscitur. Et ipse non poterit sanare nos, cui proprium est etiam de sanis reddere saucios. Nec soluere potest à nobis vinculum, cui soli competit, si sibi liceat, neminem dimittere non ligatum; quod totum est, ab eo remedium quæritur, à quo omnis, qui ad eum confugerit, trucidatur. Sequitur.

Vers. 14. *Quoniam ego quasi læna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda.* Sæpiùs dixerat, ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda, modò subiicit se quasi leænam Ephraim futurum, & domui Iudæ quasi leonis catulum. Nulli dubium quod tinea, & putredo vestes, & ligna sine sonitu latenter absumunt; leæna autem, & leonis catulus euidenter insiliunt, & apertè lædunt, quod non est aliud nisi quia quos Deus per occultam tentationem sinit interimi, per aperta postmodum vitia permittit lacerari. Est autem ea distinctio inter vtrámque tentationē, vt aliud possit intelligi per tineam, aliud per putredinem, aliud denique per leænam, aliud per leonis catulum; tinea námque viuit, & ex eo ipso nascitur quod corrumpat. Tinea ergò est quodlibet mentis vitium, quod non est ex forastica causa, sed interiùs ex ipso statu suo accipit seminarium, vt est accidia, cenodoxia, superbia, & si quod est aliud intimum. Putredo verò nil aliud quam torpor est & otium, vnde sensim corruptio menti incidit, ac si putredinis malum. Quasi ergò vitalia sunt prædicta tria mala, & velut intra animum motus habentia, est vero quasi inanimata desidia.

Quid ergo per leænam, nisi cuiuslibet criminis manifestata nequitia? Quid per catulum leonis, nisi leuis nouitérque suboriens, & quæ facilè flecti potest, negligentia? Quod est dicere: post latentem animi pestem, quâ primo vitio quolibet pulsante corroditur, sequitur animorum incuria, quâ spontè corrumpitur; sed postquàm à Deo recedens animus ad legationem Regis vltoris inuertitur, exterius ad omnem euidentiam atrocissimi cuiuslibet criminis, ac si leænæ incursatione pulsatur, læena enim præsertim cum fœtus alit leone fortior, ferocior esse dicitur; ex quo tamen Ephraim, idest voluntas nostra vndecumque discerpitur: Iudæ postmodum catulus leonis occurrit, quia tenuis valde est verecundia, quæ gratiam confessionis extinguit; tenuis planè, quia mox vt præcordialis in animo pœnitentiæ scintilla micuerit, prima illicò confitendi voluntas vltrò se ingerit: sicut enim ignis sine calore esse non potest, ita pœnitudo sincera sine confessionis desiderio non est.

Nota.

Ecce ego capiam & vadam, tollam & non est qui eruat. Deus capit cum mentem à seipsa euagantem metus supernę districtionis intercipit: vadit cùm à veteri errore abire nos facit. Ecce autem euentum repentinæ aspirationis insinuat. Tales sunt planè humanæ mentis casus, vt qui stare nunc cœperit, conscientiâ languente post paululum aut vitio titillante succumbat, nec hoc semel, sed multi modo recursu proueniat: hoc enim modo septies cadit iustus & resurgit: & cum ceciderit non collidìtur, quia taliter, vt dicere cœpimus, supponit Dominus manum suam.

Prou. 24. 16.

Psal. 36. 24.

Tollit, cùm à cupiditatibus animam huius vitæ mortalis attollit. Non est qui eruat, quia non est aliqua tentatio in tantum cor impetens, quæ Deo hominem plenè possidenti vlla fraude surripiat.

Vers. 15. *Vadens reuertar ad locum meum donec deficiatis & quæratis faciem meam.* Deus iterum vadit cum receptâ gratiâ, vt nos nobis quid simus ex nobis ostendat, aliquantisper à nobis dispensatiuè recedit, non nos tamen vsquequaque relinquit. Vadens ergo ad locum suum reuertitur, cùm humilitatem, quæ nostra in præsenti propriè sedes est, crebrò repetere ab ipso tanquam inopes & deserti iubemur. Et certè cum sic deserimur, ei salubriùs admouemur, & hoc fit donec deficiamus, peccatores enim à terra deficere, & iniquos, ita vt non sint, dicit Psalmus. A terra enim deficit quisquis terrenæ vanitatis expers fit, vt quod quondam fuerat, non sit: hoc ergo modo defecti faciem eius quærimus, cum interiori eam inopiâ cogente, æstu acriore repetimus.

Psal. 103. 35.

CAPVT VI.

Vers. 1. IN *tribulatione sua mane consurgent ad me.* Sanctorum virorum specialior non est tribulatio quam huius dulcedinis internæ priuatio. In hac tribulatione mane consurgitur, cùm ad eius recipiendam gratiam, totâ sedulitate concurritur: mane enim, pro eo quod est sedulò, vel maturè, aliquotiens ponitur, vt sunt illa in Psalmis: *Et castigatio mea*, inquit, *in matutinis.* Et, *in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.*

Psal. 72. 14. Psal. 100. 8.

* Vers. 2. *Venite & reuertamur ad Dominum:* quia ipse cœpit & sanabit nos, percutiet, & curabit nos.* Vox est eorum, qui de tribulatione ad Deum mane consurgunt; venite, inquiunt, idest quotquot eodem quo nos errore tenemini, vel quotquot motus interiores ad Assur abistis, quotquotúe ad Regem misistis vltorem, de ea qua fusi estis nos dispersione colligite, & ad eum, cui cum præfato Benjamin terga dederamus, sensatioribus iam animis ora vertamus. Ipse enim nos cœpit, illatæ videlicet tribulationis fræno, à licentia nos praua cohibuit, superiùs enim, *Ecce ego capiam*, inquit, deinde nos sanat, quod nisi coërcitis & redeuntibus facere non poterat: Denique nos percutit aut per aduersa quæ effrænibus nobis, & omni vanitatum vento circũlatis, obtendit: aut etiam percutit, cùm aut peccatis saucios, aut ipsa quoque passibilitate, & mortalitate percussos ostendit: Quas quidam sic deplorat, *Quoniam*, inquit, *sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Curat nos, aut aduersitates leniẽdo, aut peccata donando, aut necessitates naturales perpetua incorruptibilitate mutando. Curat etiam, cum per interiorem diligentiam, & diuturnam subiectorum motuũ custodiam, perducit nos totius integritatis ad regulam.

Psal. 37. 3.

Vers. 3. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemúrque vt cognoscamus Dominum.* Post duos dies nos viuificat, cum post conuersionis gratiam ad prosecutionem virtutum nos animat. In die tertia nos suscitat, cum ad cumulum perfectionis vel potius brauium cœleste nos subleuat. Hi tres status sub triũ Iob filiarum designantur nominibus, dum vna dies, secunda Casia, Cornustibij tertia vocitatur: Initia enim promotiones, & fines in quorumque conuersationibus attenduntur, quod est egredi ex Ægypto, peruagari in deserto, terram promissionis intrare: ipse quoque Dominus ex Euangelio, *Hodie*, inquit, *dæmonia eijcio, cras sanitates perficio, & tertia die consummor.* In conspectu eius tũc viuimus, cum aut eius intuitu digna peragimus, quod enim nobis placet, gratanter aspicimus, aut æternâ eius visione reficimur. Et rectè positum est, viuemus, quia in præsenti quicumq; habitus nobis insit, nunquam in eodem statu permanẽtes, vt sic dixerim, semper morimur. Sciemus autem cùm in ipsa nostra reuersione ad Dominum, plenariam obtinebimus discretionem spirituum, illius sermonis adepti scientiam, qui pertingit ad diuisionem cogitationum & intentionum. Deinde sequemur, cum scientia verbi ipsius tanquam lucerna præierit pedibus nostris. Túncque Dominum cognoscemus, cum ad eius intimum amoris cubiculum, quod est vera notitia, immò vt ipse testatur vita æterna, attigerimus.

Lucæ 13. 32.

Vers. 4. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.* Exponit particulatim quomodo sanet, quam curã Dominus percussionibus nostris impendat. Deus egreditur cum menti diuinæ aspirationis nouus quidam radius suboritur. Is egressus ac si diluculum præparatur, cũ pedetentim & coalescentis fidei processibus dilatatur, diluculum enim non ad subitum prorsus erumpit, sed sensim tenebris fatiscentibus auroræ iubar admittit. Egressus ergò instar diluculi præparatur, cum integumentum veteris ignorantiæ, multis pœnitentiæ ornatibus præmissis retegitur; ad huius diluculi apparatum in crediturorũ animis Ioannes Baptista præmittitur; quasi imber temporaneus nobis venit, cum qualiter in præsentiarum nostræ mentis habitum exercere debeamus, nos imbuit. Temporaneus imber dicitur, cũ prædicatio quæ exterius à magistris prorogatur, vel interna vnctio, quæ per spiritum Dei inspergitur, ad interiorũ passionum medelam, quas temporaliter patimur adhibetur. Serotinus imber terræ est, quando de æternis, quæ sæculo vesperascente expectan-

tur, sermo est, quæ terra dicuntur, quia maior quam ibi soliditas esse non potest, stabilius enim terra elementum nullum est, vnde legitur; *Terra autem in æternum stat.*

Eccli. 1. 4.

Vers. 4. *Quid faciam tibi Ephraim, quid faciā tibi Iuda? misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertrāsiens.* Ac si diceret: Quod præmium præstolamini ô voluntas & ratio, pro hoc ipso vestro ad Deum reditu? Misericordia, quam vobis secundum animalem motum impendi desideratis, scio, quia ad modum matutinæ nubis perfunctoria est, dum pro interiori bono commoda exteriora perquiritis, & dum pro æternis laborare putamini, in præsenti cupitis prosperari. Matutina enim nubes emergente aurora disijcitur, & ros, incalescente decoquitur. Quod est dicere: vos non inclinatis intentiones vestras, ad faciendas iustificationes meas propter retributionem, quæ fit in æternum; sed æstimatis pietatem quæstum. Misericordiam autem istam, non aliam intellige, quàm de qua dicitur. *Recepisti bona in vita tua.*

Lucæ 16. 25.

Vers. 5. *Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & iudicia mea quasi lux egredientur.* Propter hoc in Prophetis dolat, quia ne temporalia quasi pro meriti prǽmio aucupentur, ineptas quasdam spei inanis prouidentias in nobis partim excidit, partim seruat; dolabro enim resecatur nodositas, vt lignum idoneæ rectitudini præparetur. Prophetas à Prophetando dictos, qui etiam videntes olim ob subtilitatem intelligentiæ dicebantur, nemo qui ambigat. In Prophetis ergo dolat, cum in prudentiis nostris terrena succidit, & æterna quæ sola debent sperari conseruat. In verbis oris sui eos occidit, cum verbis prædicatorum, qui ora & labia Dei in scripturis appellantur, inepta cupiditas addemnatur. Iudicia eius quasi lux egrediuntur, cum discretiones rationis à Deo illustratæ ad opera lucis, quæ proximos ædificent, emittuntur.

Vers. 6. *Quia misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta.* Misericordiam vult Deus & non sacrificium, dum primùm vt sui homo misereatur, & postmodum vt eadem misericordia ad proximos extendatur, magis affectat, quam victimas animalium brutorū: dicitur enim, *miserere animæ tuæ placens Deo.* Hæc ergo misericordia nō minus ad se, quàm ad proximū acceptior est Deo, quàm externi corporis carnificium. Vbi tamen quęstio oritur, quæ etiam à plerisque obiicitur: *Melior est aiunt, obedientia quam victimæ:* Quęritur ergo vtrum sacrificiū Dominici corporis præponderet obedientiæ, vel obedientia præponderet sacrificio. Cui nos, sed sine præiudicio melioris sententiæ respondemus: Inobedientiam peccato ariolandi comparatam non profectò nescimus, inobedientiam verò nō res, sed causa facit, si enim in re fuisset, non Adam pro pomo vilissimo, non Saül pro mutis animalibus pænas luisset. Fecit ergo causa, quia Dei postponuntur imperia, sed quod Dei est, magistrorum Ecclesiæ dinoscitur suscepisse persona; qui ergo eis inobedit: quicquid est illud quod immolat, securus dico, quia nihil sibi confert qui illud inobediens mactat, & melius esset sibi, nescio si aliis, sine omni sacrificio obedire, quàm inobediendo sacrificare. De substantia Dominici corporis vtrum per tales & damnatos quoslibet alios conficiatur, mihi modò tractare non adiacet, dicam tamen quia quod inobedientes fecerint, ab vtilitate sua totum vacet.

Eccli. 30. 24.

1. Reg. 15. 22.

Quanta virtus obedientiæ.

De iis agit lib. 2. de pignoribus sanct.

Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi præuaricati sunt in me. Superiùs dixerat se misericordiam & non sacrificium velle, vt scilicet suæ contemplatione miseriæ, cum homo sibi miserescere cogitur, ad alienorum appetentiam non erigatur, rectè subiicitur: ipsi autem transgressi sunt pactum, ac si diceret: cùm hortarer eos ad sui respectionem, ipsi cogitauerunt, sicut Adam, auaritiæ transgressionem, cui dum Deitas appetenda videtur, repentè vix homo reperitur. Ibi inquit præuaricati sunt in me, quia in huius suggestionis acceptione meis monitis obstitêre.

Vers. 7.

Galaad ciuitas operantium idolum supplantata sanguine. ** Et quasi fauces virorum latronū.* Galaad interpretatur aceruus testimonij Galaad ciuitas operantium idolum est, quando mens acclinis ad terrenas imaginationes est. Idolum autem formula dicitur. Et quid est recordari quarumque formarum, nisi quædam coram se creatio idolorum? Galaad ergo aceruus est testimonij, quia profectò in inferioribus dilatatur, in superioribus angustatur, & adhibetur loco cuiusdam testimonij, quòd scilicet qui lata & spatiosa huius mundi prosequitur, in Dei caritate angustatur, nec instar ciuitatis sine sterpitu potest esse, aut materialium quorumlibet mentali repræsentatione carere, qui se aliquantisper à cura mundialium non se meminerit absentare. Hæc ciuitas sanguine supplātatur, quia creberrimè per huiusmodi affectiones lætali peccato subuertitur. Quasi fauces virorum latronum est, dum quod crudeliter impotentioribus abripit, insatiabili auiditate transglutit: in quo duo consideranda sunt, in latronibus diripiendi atrocitas, in faucibus, rapta abliguriendi gulositas.

Vers. 8.
Vers. 9.

Particeps sacerdotum in via interficientium per gentes de Sichem, quia scelus operati sunt. Ciuitas hæc particeps sacerdotum est, qui per gentes de Sichem in via interficiunt, cum prauorum motuum versutiæ, qui quasi quidam sacri duces super scelerum suorum leuigatione retiocinantur interius, & eas cogitationes quæ diuinis obedire sermonibus

gestiunt, sua retractatione trucidant, & veluti in via, in sua actione mortificant, illi conscientiæ comparantur, quæ terrenarum imaginum phantasijs delectatur: Sichem enim humerus interpretatur, in quo obedientiæ sustinentia denotatur. De Sichem ergo pergentes, in via perimuntur, cum hi motus, qui Deo & magistris per obedientiam se subdere volunt, & ex hoc proficere desiderant, per mentis insolentis strepitus, & visorum fœdas recordationes intereunt. Scelus ergo ibi idem ciuitatenses Galaad operantur, dum voluntates quibus boni aliquid adiacet, interiori præpediente tumultu, perficere non sinuntur.

In domo Israël vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim. Non mirum est, inquit, si quicquid beniuolentiæ cordi inest, enecatur, cùm horrores vitiorum in affectu, quod est Israël, qui sine Deo execrabiliter principatur, reconditi videantur, vnde in Ephraim, idest voluntate culpa fornicationis, idest internæ à Deo alienationis oboritur.

*Vers. 11. *Contaminatus est Israël.* Sed & Iuda pone messem tibi, cum conuertero captiuitatem populi mei.* Quod est dicere: Israël quidem in huiusmodi lapsus est spurcitias; sed tu Iuda, rationalis videlicet confessio, pone messem tibi, idest, lectionem tibi propone sacri eloquij, hoc tamen tibi faciendi facultas nulla suppetit, donec cõuertero captiuitatem populi mei. Captiuitas populi tunc verè conuertitur, cum is, qui captos tenebat, ab eo, qui pridẽ captus est, captiuatur. Et intra nos conuertitur, cum mentis status ab eo, quod malè steterit, immutatur.

CAPVT VII.

Vers. 1. CVm sanare vellem Israël, reuelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium. Cum Deus sanare vult Israël, iniquitas Ephraim reuelatur, quia cùm carnalis affectus ad regulam rationis corrigitur, & aliquo modo Dei iudicio conterretur, voluntas, quæ ex antiquæ consuetudinis vsu pronificatur ad malum, subito reuelatur. Nam cum cogitare insolita cogitur, & ab eo quod delectat remouetur, impatientiæ animo morbus inuritur. Cui morbo malitia Samariç multum adnititur, scilicet illorũ sacerdotum, qui pessimi consultores interius ad excusandas excusationes in peccatis emergũt, cum qui præsules in animo ad leuiganda vitia videri volũt, imitationẽ veterni status differri debere quasi concionantes ostendunt. Somer planè à quo Samaria, interpretatur custos. Praua enim astutia menti mentitur custodiam, dum non ad Deum, sed ad seculũ solet spondere cautelam, & nõ apud Deum, sed penes seculum veretur infamiam. Et hoc fit, quia mendaciũ operantur, Hypocrisi videlicet conteguntur. Quid enim mendosius quã vt velis videri quod non es? *Et fur ingressus est spolians latrunculus foris.* Ac si diceret: Et certè quæcumque extrinseca adhibeatur vigilantia, fur tamen ingredietur, idest proditio interna, quæ diabolum depopulatorem admittit, intro debacchabitur, & homine familiaribus spoliis exenterato, latrunculus foris, qui ab exteriori honestate despoliet, mox insurgit, arbore enim corruptâ medullitus tota ramorum superficies arefacta destruitur. Nota distinctionem furis & latronis. Fur est clandestinus, latro per insidias sed apertus. Vnde Dominus: *Ille*, inquit, *fur est, & latro.* (Ioan. 10. 1.) Fur aliunde ascendendo, latro post ingressum in domesticis sæuiendo.

Vers. 2. *Et ne forte dicant in cordibus suis omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ coram facie mea factæ sunt.* Ac si diceret. Fortasse dicent dũ de suæ mentis processu aut decessu recogitant, quòd quasi ad finem vltorium omnes eorũ malitias glomerare voluerim, plane falluntur, sed nunc, id est, in hoc statu hypocrisis, quo sensus eorum conclusit improbitas, adinuentiones suæ eos circumdederunt, idest dolosæ conuersationis commenta in huius labyrinthi foueam detruserunt. Adinuentiones, quæ per hypocrisim fiunt, merito dicuntur, quia vix vlla veritatis opera tanto fuco coornantur. Vnde & coram facie sua factas eas Deus perhibet, quia nihil est quod tantopere Dei offendat aspectum, quantũ illa, quæ pro Deo geri putantur, & ex hoc ipso nihil aliud actores, quã seculares glorias aucupantur. Sibi enim quod Deo impenditur velle ascribi, nefariũ idolatriæ genus est.

*Vers. 3. * *In malitia sua lætificauerũt Regem: & in mendacijs suis principes.* Si Regem velimus intelligere diabolũ, stat; ipse enim est Rex super omnes filios superbiæ, si principes ministros eius dæmones, vtcũque consistit. Sed res intra nos constringatur. In malitia ergo sua Regem lætificant, cum mala occultè perpetrata, nec forasticum iudicem metuentia studium rationis elatæ delectant. Ideo enim Rex appellatur, quia gaudio priuato extollitur, qui per hypocrisim operatur, in omni profecto actione sua mentitur. In mendaciis ergo suis principes lætificant, cum, fallacibus operibus quibus ineptum vulgus ad sui venerationem pertrahunt sensus suos, qui sibi sicut Samaritanæ mulieri malè principantur, exhilarando ex honoris delatione ludificant. Hi sunt principes qui nos persequuntur gratis.

Vers. 4. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Hi principes omnes adulterant, dum videntibus speciẽ pro Deo susceptæ humilitatis ostentãt, sed alij quam Deo exinde placere desiderãt. Quasi clibanus succensus à coquente sunt, dum sub benigna facie feruentissimi intra animũ appetitus incendia clausa ferunt.

Clibanus enim interiùs ardet, qui quò est camerarior eò æstuosior: vnde Poëta; Quoque inquit, *magis tegitur, tectus magis æstuat ardor*. Coquens autem non alius est, quam qui malis ambitionis sibi ipsi incentor est. *Quieuit paululum ciuitas à commixtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Paululum ciuitas quiescit, cum in initio cœptæ hypocrisis non nimia vis ipsius internæ cupiditatis, nec frequentia ciuitatis perstrepere finitur, quia à consideratione fermentationis nouitiæ cessatur. Fermentum quid significet à nemine dubitatur. Hæc pestis primo mentem sub specie sanctitatis aggreditur, at postquam sinistra intentio pectus occupauerit, totum fermentatum dicitur.

Vers. 5. *Dies Regis nostri.* Deceptæ cogitationis vox est. Regem superius diximus rationem plenam fastus. O inquit, dies Regis nostri: ac si diceret. Ecce Rex noster diem habet, quia spiritus noster in sui prosperitate fauoris luculentus apparet. *Cœperunt principes furere à vino.* Animo de suis gloriante laudibus, sensus nostri exteriores à vino furunt, dum sui cogitationem gratia alieni oris amittunt. Furiosorum est, nec se, nec quempiam agnoscere, aut vereri, nec quid patiantur scire. A vino ergo furunt qui externis adulationibus ebrij, non quales sint, sed qualiter laudentur, attendunt.

* Vers. 6. *Extendit manum suam cum illuscribus: * quia applicuerunt quasi clibanum cor suum: cum insidiaretur eis.* Cum illusoribus manum suam Rex extendit cum ad voluntatem adulatorum suorum vel potius illusorum operationes suas pro quibus magis extollatur, amplificare contendit. Fimbrias suas iuxta Euangelium spiritus noster magnificat, cum sua quælibet opera quamuis extrema percelebrat; philacteria, quæ collo, vel pectori appendi solent, dilatat, cum scientiam vel doctrinam quasi obaudientium custodiam tonantibus buccis ostentat. Quia applicuerunt, haud dubium quin illusores quasi clibanum cor suum, cum cogitationes se merito laudari æstimantes, & sibi miserabiliter illudentes, & exterioribus peiores, cor suum, idest rationem suam sub talibus blanditiis æstuantem vsquequaque inclinant, & se eis quasi gratulabundos humiliant. Hoc, inquit, cogitationes faciunt, cum Rex ipse insidiaretur eis, cum scilicet spiritus ipse, cuius officij erat eas regere, præsentia gaudia aucuparetur, eis ad internecionem earum quas saluare debuerat se submittens. *Tota nocte dormiuit coquens eos, mane ipse succensus quasi ignis flammæ.* Tota nocte coquens eos dormit, cum omnimoda cæcitate ad internorum motuum, qui sanum sapere poterant, demolitionem tamquam excoctionem se sepelit. Mane ipse succenditur, cum illuscente sibi alicuius prosperitatis aurora, nimietate cupiditatis ignitur. Vnde sub specie cuiusdam auis in Iob dicitur. *Cum tempus inuenerit in altum alas erigit.* Iob. 39. 18. Quasi ignis flammæ est; dum quos exterius docendo prolambit & illustrare contendit, eadem qua feruet peste succendit: vel etiam ignis flammæ est, dum mens quæ in affectu peccandi latenter ignescit, in exemplum aliorum pro patulo excandescit.

Vers. 7. *Omnes calefacti sunt quasi clibanus: & deuorauerunt iudices suos.* Omnes quasi clibanus calefiunt, dum ratio, voluntas, & affectus cum subiectis motibus studio ineptæ cupidinis efferuescunt. Iudices suos deuorant, dum vniuersos impetus spiritus vitiorum ardores adnihilant. Hi enim sunt iudices, quia ex his prodeunt totius interioritatis nostræ censuræ & moderationes. *Omnes Reges eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis ad me.* Interiorum nostrorum Reges sunt, quicumque animi habitus de Deo hominem recogitare compellunt. Vnde Psalmus: *Non est creditus, inquit, cum Deo spiritus eius.* Psal. 77. 8. Hi Reges cadunt, cum se ad appetenda terrena prouoluunt. Non est in eis qui clamet ad Deum; non est videlicet qui post delectationis, aut consensus damna, ad alicuius pœnitudinis studeat redire propositum. Quis enim miserabilius clamat, quam qui suæ calamitati illacrymatur?

Vers. 8. *Ephraim in populis ipse commiscebatur.* Ephraim in populis ipse commiscetur, cum voluntas quæ ferax frugalitatis esse debuerat, cogitationum insolentium vulgo dispergitur. Et notandum quod vigilanter pronomen, quod est ipse, adiungitur, ac si diceretur: ipse Ephraim qui non est aliud quàm voluntas, quæ rationi magis conuenire debuerat, popularibus cogitationum sese turbis indiderat, & cui tantum credebatur, proh dolor: ex rationis vicinitate debens stare, diffluxerat. *Ephraim factus est subcinericius qui non* reuersatur.* Subcinericius Ephraim fit, cũ voluntas ex memoria præteritorum criminum refricata calescit. Nec immerito, quia cum præteritorum malorum ei incumbunt imagines, quæ crebras ei innouant de experta intemperantia voluptates, non reuersatur, quia quod semel conceptum est, numquam à mente recutitur.

Vers. 9. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit, sed & cani effusi sunt in eo; & ipse ignorauit.* Alieni robur eius comedunt, cum dæmones & carnis impetus, quibus à nostra salute nihil magis est exterum, quidquid in nostro velle virtutis constat, erodunt. Et ipse nescit, dum per vim discretionis quid incommodi patiatur nullatenus noscit. Cani in eo

effunduntur, dum quicquid in eo piæ nouitatis est dealbata, quadam hypocrisis vetustate mutatur. Cani enim albi sunt, & vetustatem significant. Albor ergo ad id quod prætenditur, vetustas verò attinet ad id quod vera nouitate priuatur. Vetusta enim præsentia sunt; noua, futura. Et hæc Ephraim ignorat, quia statum in quo est vtrum præsentia obliuiscatur, & ad anteriora contendat, nullo modò pensat.

Vers. 10. *Et humiliabitur superbia Israël in facie eius, nec reuersi sunt ad Dominum Deum suum, & non quæsierunt eum in omnibus his.* Superbia Israël in facie eius humiliatur, cum affectus noster quando sine Deo principatur, per aperti criminis casum se sciente diicitur: in facie eius Israël humiliatur, cum appetitus nostri tumor, qui de sua castitate cum turpis esset erexerat, peccati sui experientia & pudore reflatur. Ad Dominum Deum suum non reuertuntur, cum motus affectuales nec flagitiorum suorum consternatione deterriti, vt deinceps Deum sapiant retorquentur. In omnibus his non eum querunt, cum nec in euidenti reuolutione facinorum ad diuinam munditiam resipiscendo resurgunt.

Vers. 11. *Et factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor:* Quasi columba seducta fit Ephraim, dum de operum suorum ac si fœtuum corruptione non ingemit. Columba enim præter aliarum auium morem de pullorum suorum subtractione non perstrepit. Columba ergo dicitur seducta, quasi ad insensibilitatem redacta. Quid enim illa voluntate insensibilius, quæ suis indolere nescit indignis operibus? Cum de aliis columbis dicatur, quòd non habeant fel, de hac dicitur, quòd non habeat cor, vt sensus reprobi immanitas ostendatur, quia malorum suorum miseratione non ducitur.

Ægyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt. Ægyptus interpretatur tribulatio vel tenebræ: Assyrij vero aulici vel dirigentes. Ægyptum ergo inuocant, qui post perpetrationem peccati animum suum rationabiliter ad tenebras mœroris tribulationemque compellant. Appetentia enim voluptatum, iuxta Boëtianum illud, cum sit plena anxietatis, satietas tamen est pœnitentiæ. Ægyptum itaque inuocantes, idest de pœnitudinis acredine, quæ peccato congruit, in conscientia succlamantes, vox enim sanguinis moraliter clamat ad Deum, mox ad Assyrios abeunt, quia cogitationes, quæ peccata excusant & leuigant, metu reiecto potius consulunt, & per eas se dirigi putant, dum criminis fœditatem aulicam curialitatem appellant. Has enim sacerdotes & protectores superius dixerat, ea abusione, qua & Prophetas Iezechiel, & Ieremias vocat.

De consol. Philip. lib. 3. prof. 7.

Et cum profecti fuerint, expandam super eos rete meum, quasi volucrem cœli detraham eos. Proficiscuntur cum à consideratione perpetratæ nequitiæ euagantur. Rete Dei super eos expanditur, cum eorum lasciuiæ diuino iudicio impedimenta obiiciuntur, quibus eorum leuitatis impetus subito retardatur. Quasi volucris cœli detrahuntur, cum eorum superbia in mirabilibus super se ambulans lapsu repentino subruitur. In volucre enim leuitas, in cœlo superbia designatur, vt est: *volucres*, inquit, *cœli comederunt illud.* Vers. 12. Marci 4.4.

Cædam eos secundùm auditionem cœtus eorum. Deus eos cædit, cum periculis ingruentibus, siue cogitationum tortionibus, seu morbis corporalibus vexari permittit. Quæ cæsio secundum auditionem cœtus eorum fit, dum vsque ad intelligentiam eorum omnium mentis motuum, qui ad Assyrios ire suaserant, verberis & dolorum vindicta procedit: aliter enim cæsio nequaquam proficeret, nisi is, qui cæditur, pro quo cæderetur, agnosceret: vnde alias scribitur: *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Isaiæ 28.19.

Væ eis qui recesserunt à me. Væ ergo eis, quoniam à Deo recedunt, dum æternam miseriam sibi imminere pro sua desertione perpendunt; væ enim in præsenti habent, qui illud sibi debitum nisi se correxerint, timent. *Vastabuntur quia præuaricati sunt in me.* Hi qui videbantur aulici vastantur, qui à frequentia circumstrepentium libidinum penitus desolantur. Qui enim in Deum præuaricatur, idest præter diuinas rectitudines deriuatur, vnde voluptatis incrementa repertarum se æstimat, inde consumitur. * Vers. 13.

Et ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contra me mendacia. * *Et non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis super triticum, & vinum ruminabant.* Deus eos redimit, cum ab ærumnis, quæ ingruerant, ximit. Et ipsi contra Deum mendacia loquuntur, dum potius ereptiones suas suæ prouisioni aut fortuito euentuia scribendas, quàm diuinis concursibus arbitrantur. Vel contra Deum etiam loquuntur mendacia, dum Deum non æstimant sua adeò exacerbari per crimina, vt pro his velit Deus grauia in se exerceri iudicia, cum autem accidunt non esse aliud, quam casualia infortunia. Et huc argumentum inferunt, quod multi post horrenda flagitia impunè persistunt, quod facilè miseri refellerent, si causas iudicij vniuersalis attenderent, & recepisse bona in vita sua diuitem meminissent. Ad Deum in corde suo non clamant, dum supernis beneficiis nullas gratiarum actiones redhibent. Nam clamarent si respirarent. Sed in cubilibus suis vlulant, cum intra funesta præcor- *Vers. 14. Lucæ 16. 25.

dia feralitate omnimoda malitiæ & rapacita- A tis desurunt, & æstuant. Vlulare enim luporum est, canum est. Cubilia in sacra pagina pro cordibus poni solent, vt est; *Cum oraueris intra cubiculum.* In cubilibus ergò vlulant, qui, quòd minus peccare sibi liceat, in cordibus suis dolent. *Sub lingua*, inquit, *eorum labor & dolor.* Super triticum & vinum ruminant; dum super doctrina cœlesti & spirituali scientia disputando retractant. Ruminare enim est cibum commasticatum ad ora reducere denuo commolendum. Ergò ruminant qui dogma Ecclesiasticum, quod semel combiberint, discutere & B examinare præsumunt, & diffinita à Deo, & patribus ac si noua aliqua reuocare ad medium. Triticum pro doctrina poni Euangelium teste est, de præbenda in tempore mensura tritici. Vinum autem vim spiritualis scientiæ, sicut lac lenitatem simplicis disciplinæ significat. *Emite*, inquit, *absque vlla commutatione vinum & lac.* Quod hodieque in quorumdam grammaticorum controuersiis peruidemus, qui non solum in diuino eloquio, sed etiam in quolibet cœlesti mysterio, cæcis oculis scintillare contendunt.

Math. 6. 6. — Psal. 89. 10. — Lucæ 12. 42. — Isaiæ 55. 1.

Recesserunt à me, * *& ego erudiui, & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam.* * *Reuersi sunt vt essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus.* Ac si diceret: Cum eos erudierim, & eorum brachia confortauerim recesserunt à me. Deus eos erudit cum sapientia salutari eos imbuit. Brachia eorum confortat, cum naturalis ingenij robur, vel ipsam eorum operationem consolidat. Et in me, inquit, malitiam cogitauerunt, cum de sua eruditione, & impia D aduersus æquitatem valetudine in me militarunt. Reuertuntur vt absque iugo sint, cum cæsi, & de pœnitentia commoniti à diuina inspiratione desipiscunt, & ad præteritæ vanitatis deliramenta recurrunt, vt dominium cuiuspiam rationalitatis, non habeant quo ad prosequendas seculares licentias timidiores fiant. Hæc vincula, & hoc iugum se direpturos, & proiecturos quidam in Psalmo se spondent. Quasi arcus dolosus facti sunt, qui ipsum à quo intenduntur percutiunt. Planè à Deo intenduntur, cum gemina scientia ac si arcus corda coërcentur. Inde ingenij sagitta exigitur, quæ cum ferire hostem debeat vsque ad diuinitatis plerumque iniurias importatur. Arcus quippe dolosus est, qui ipsum ferit à quo intenditur.

* Vers. 15. — * Vers. 16.

Cadent in gladio principes eorum à furore linguæ suæ. Principes eorum in gladio cadunt cum sensus eorum sese lethalibus malis illiciunt. Gladius enim pro capitali peccato ponitur; vt est: *De gladio maligno eripe me.* Et hoc à furore linguæ suæ eis euenit, quia eorum vecors conscientia plus interiori, quàm exteriori verbositate contra sanctæ Ecclesiæ mysteria furit. Rarò enim inuenies hæreticum, quem non prosequatur, aut præcedat turpe quodlibet facinus aut flagitium. *Ista subsannatio eorum in terra Ægypti.* Ista subsannatio eorum in terra Ægypti est, cum eorum qui de Deo in bonitate non sentiunt, irrisione digna conuersatio etiam apud exteros est. Sequitur

Psal. 143. 10.

CAPVT VIII.

IN gutture tuo sit tuba, quasi aquila super domum Domini. Vox Dei est ad ipsam rationem. Per guttur ex quo emittitur, ipsam accipimus locutionem. Tuba verò euidens sonus est. Licet & per guttur, quod infra linguam est, ipsa cogitatio queat intelligi: sicut & os pro mente solet poni, vt est; *Os iusti meditabitur sapientiam.* Quod est ac si diceret: Cordis tui cogitatio, vel oris tui locutio tanto libramine moderetur, vt quod C cogitaueris vel dixeris prædicari vbique sine tuo pudore valeat. Multi enim hæreseos conditores in angulis dogmatizant, de quibus in propatulo mutire nō audeant. In gutture ergo tuo sit tuba, vt quod mente fideli intenderis in conflictu diabolicorum satellitum securo clamore edicas, existens videlicet quasi aquila super domum Dei, idest vt palpebris consiliorum præcedantur gressus tui. Domus Dei conscientia bona est. Super hanc quasi aquila existimus, dum quorsum tendat nostra credulitas subtilissimo acumine ventilamus. Aquilina enim acie præter linces nil clarius.

Vers. 1. — Psal. 36. 30.

Pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, & legem meam præuaricati sunt * *me inuocabunt: Deus meus cognouimus te Israël.* Fœdus Dei est, quod ei per fidem in baptismo spopondimus, lex vero, quicquid per diuina eloquia ex bene viuendi mandato accepimus. Fœdus ergo transgreditur quisquis à fidei regula quam professus est exorbitare probatur. Legis præuaricator est quisquis ab instituto, quod susceperit, spontaneus refuga est. E Transgressi ergo fœdus & præuaricati legem me inuocabunt dicentes; Deus meus, idest cum fide & vita me fefellerint, profectò & ipsi fallentur, si de me ac si Deo suo in aliqua necessitate gloriari voluerint. Nos qui sumus Israël te cognouimus. Israel vt supra dictum est, directus Dei, vel princeps cum Deo dicitur. Quidam enim ex diuturnis criminibus sensus reprobitate confusi, non veterna sua scelera, in quibus vitam pene transegerunt, sed momentaneam respirationem, qua ad Deum pro quauis aduersitate

* Vers. 2.

recurrunt, attendentes se directos, se sui cum Deo principes, se iam Deum nosse fatentur, & perfunctoriam diei pietatem cum totius æui sui sceleribus metiuntur.

Vers. 3. *Proiecit Israël bonum, inimicus prosequetur eum.* Bonum Israel proiicit, quod cum vrgente periculo aggreditur, fortuna redeunte reiicitur: ideo eum inimicus persequitur, vbi totius bonæ intentionis deficiente affectu, nulla hosti constantia virtutis internæ resistitur.

Vers. 4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Regnat sed ex Deo non regnat, quisquis angustiis prementibus prauis suis moribus imperat, cum tamen in conscientiæ angulis affectum, si libertas arrideat, ad vomitum redeundi conseruat. Principes existunt, sed Deus non cognoscit; cum sensus exteriores ad horam sub regia rationis ditione sibimet principantur, sed Deus huius restrictionis causas, quia non approbat, nescit. Super enim horum similibus legitur: *Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur.* (Psal. 77. 34.)

Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola vt interirent. Argentum suum & aurum suum sibi facit idola, quisquis diuini eloquij scientiam, aut eam quæ ad Dei notitiam pertinet sapientiam, expendit, intentione peruersa. Quid enim aliud quam idolum struere est, cum quis his muneribus non Deum, sed se desiderat honorari, nec Deo referre quod ab eo acceperit, sed se potius quasi simulachrum ostentari? Quæ causa multos olim genuit hodiéque gignit hæreticos, dum qui pro obscuritate generis & vitæ delitescunt, pro nouorum dogmatum moliminibus celebrari appetunt. Et hæc faciunt vt intereant, quia iustâ Dei censurâ contingit, vt dum passim prædicari ac enitescere optant, ad extremi occasus ignominias se subruant.

Vers. 5. *Proiectus est vitulus tuus Samaria: iratus est furor meus in eis.* Samaria vt dictum est interpretatur custodia. Et quæ est hæc custodia, nisi illa quæ componitur pro suorum nominum propagatione cautela? Huius Samariæ vitulus proiicitur, cum illa in qua lasciuire concupiscit famæ suæ gloria, non solum addemnatur, sed etiam pro sorde respuitur. Notandum quod non dicitur furere Deum, sed irasci Dei furorem in eos: primùm iram, postmodùm furorem ponit, vt ostendat Deum primò eis ex eorum prauitate conuersationis iratum; postmodùm, quia ex Dei blasphemia sibi nomen arrogare voluerunt, cuius rei vel meminisse nefas erat, merito ad subuertendos eos in furorem versum. *Vsquequo non poterunt emundari?* * *Quia ex Israël, & ipse est artifex.* Ac si (* Vers. 6.) diceret. Quamdiu hæc eorum peruersitas incorrecta manebit? Ac si responderetur; profecto diu, quia ex Israël est & ipse artifex. Israël, vt prælibatum est, secundum quosdam etiam antiquos, vir videns Deum interpretatur. Ideo ergò non facilè emundantur, quia talis idolatriæ artifices ex his potissimum esse solent, qui de Dei per scripturas cognitione præ cæteris gloriantur, & ex eo sectæ suæ tenaciùs hærent, quo sacram paginam pro sua libidine quasi acutiùs intorquent, aliosque securiùs sibi alliciunt, quo perspicaciores se in diuino eloquio dici audiunt. *Ex Israël* ergò *& ipse est artifex,* quia non nisi ex magna ingenij acrimonia præditis solet fieri talium fabularum index

Fecit illum & non est Deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. * *Quia ventum seminabunt, & turbinem metent.* (* Vers. 7.) Deum facit, sed Deus non est, quisquis pro captu & imaginatione sua Deum circumscribit, vt ad eius naturæ dissertionem attingere nititur, quod nullo modo homini comprehensibile, aut Deus esse potest: Quicquid enim peruideas, falsò Deum existimas. *Quoniam in arenearum telas erit vitulus Samariæ*: quia scilicet petulantia quæ subiacet illi forinsecus dealbatæ custodiæ, vt magis enim fallant, multa agunt sub hypocrisis specie, adnihilabitur & euanescet, ac si aranearum telæ. Quæ enim insulsior, & quasi vitulina leuitas, quam libros contexere, quos explodat & exsibilet totius Christianitatis auctoritas? Qui telæ aranearum sunt, quia eorum studio fiunt, qui intima sua in vita sua proiiciunt, & in breui euentilantur, quia non aliter quàm spuria, vt legitur, vitulamina radicantur. Aranea enim cum sit venenatum animal, ex virosis visceribus opus egerens, nil aliud explicat, nisi quod studiis inanibus seipsam extenuat. Ventum enim seminant qui erroris nebulas & nænias superuacuas spargere pluris putant. Turbinem metunt, cum mentis cæcitatem & motum externæ aduersitatis incurrunt. Hoc enim proprium hæretici habent, vt cum facere sibi nomen ex dogmatis diuersitate gestiant, vilipensioni & odio omnium mox pateant.

Culmus stans non est in eio, germen non faciet farinam. Culmus stat cum verbi fastus exuberat: consuetudinarium enim eis est, vt verborum pompæ deseruiant, & dialecticis allegationibus vniuersa pertractent. In culmo ergo vacuitas, in statu dicendi viuacitas. Sed in eis, quæ per culmen scilicet figurantur, verbis germen non est, quia in vapidi cordis sermonibus nulla viuificandi alios efficacia est. Farinam non facit, quia nullam internæ pinguedinis dulcedinem sermo gignit. Quod enim pro solo vulgi fauore fieri

fieri intelligitur, vix aut numquam ab animo audientium gratanter excipitur. Aut certè farinam non facit, dum nil fructuosum nisi quod ad laudem suam reciprocari valeat exprimit. *Quod & si fecerit*; idest si quid vtile dixerit, *alieni comedent eam*; diabolico scilicet pastui, qui præcipuè superbiâ nostrâ nutritur, reseruari constat eloquentiam. Vnde Salomon. *Non sint*, inquit, *alieni participes tui.*

Prou. 5.17.

Vers. 8. *Deuoratus est Israël: nunc factus est in nationibus quasi vas immundum.* * *Quia ipsi ascenderunt ad Assur, onager solitarius sibi Ephraim.* Israël deuoratur, cum hi, qui ex Dei cognitione directos se æstimant, exigente peccato ad omnimodam intellectus hebetudinem deuoluuntur. Qui enim scientia à Deo data abutitur, necesse est vt longioris vsu nequitiæ semper in deteriora mutetur. Nunc, idest ex amore præsentium factus est in nationibus quasi vas immundum, dum inter peregrinas vitiorum quorumcumque origines, se omnium receptui præstat apertum. Vas enim in veteri lege quod non habebat operculum, haberi iubebatur immundum, & mens hominis quæ casum à se non dimouet irruentis criminis, meritò arguitur impuritatis. Quia ipsi ascenderunt ad Assur, idest malitiæ gradibus apprehenderunt gurgustia libidinum aulas. Ephraim mox factus est onager sibi solitarius, dum voluntatis habitus exul à Deo sibi soli, idest carnali lasciuiæ, quæ signatur per onagrum, constat intentus. *Munera dederunt amatoribus.* * *Sed & mercede conduxerunt nationes.* Munera amatoribus dant, cum impendunt & superimpenduntur dæmonibus, vel malignis hominibus, qui sibi aut rapacitatis, aut obscœnæ voluptatis copias subministrent. Hinc est quod fœdere cum malignis pacto spiritibus, ad eorum aliquotiens hominis se submittunt, & ab eis nichromantias addiscunt, per quas ad mysterium iniquitatis efficaciores fiunt. Sed & mercede nationes conducunt dum quædam faciunt, quæ vitiorum sibi incentiua sunt: verbi gratia; cum sint qui allia & feruentioris naturæ pigmenta commasticant, quibus ad potulentiam acriores fiunt. Et de cæteris vitiis idem intellige.

* Vers. 9. * Vers. 10.

Nunc congregabo eos, & quiescent paulisper ab onere Regis & principum. Congregat Deus eos, cum inter innumera crimina ad considerationem sui ipsorum recolligit vagabundos. Et hoc nunc fit, quia tota illa recogitatio à conspectu rationis quasi quiddam perfunctorium transit. Quod non sine certo eorum iudicio est, quia spiritus eorum cum Deo sentiens creditus ab eis non est. Paulisper ab onere Regis & principum quiescunt, cum à fastu superbiæ, qui omne sublimiter vidit, vel à carnali affectu, & exteriorum sensuum mens ad tempus dispersione vel oppressione, animo ad se redeunte laxatur.

Vers. 11. *Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt ei aræ in delictum.* Ephraim altaria ad peccandum multiplicat, cum per mentis vicissitudines innumera malorum proposita seriatim alternando frequentat. Secundum enim emergentes variæ consperfionis habitus, nunc ira, nunc libido, nunc superbia, nunc ambitio, & cætera quæque intrinsecus se commutant. Tot ergo colit altaria, ad quot peccandi se ingerit vota. Propter hoc fiunt ei aræ in delictum, vt ipsum etiam respuatur, quod ex scintilla rationis innascitur piæ recogitationis bonum. Delictum enim à derelinquendo dicitur, cum scilicet bonum quod fieri debet, deseritur. Peccato ergò succedit delictum, cum ex pœna eius bonæ quoque voluntatis suboritur plerumque repudium.

Vers. 12. *Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ sunt.* Multiplices leges suas ei Deus scribit, cum & legem naturalem, legemque conscriptam eius ad integrum memoriæ inserit, vt eò iustiùs damnetur, quò nequaquam penes Deum de ignorantia leuigatur. Quæ tamen velut alienæ computantur, cum ab eius animo immò à voluntate, quæ signatur per Ephraim, quasi nec scitæ, nec auditæ extorres habentur.

Vers. 13. *Hostias* * *afferent, immolabunt carnes & comedent, & Dominus non suscipiet eas.* Hostias afferunt, qui pœnitentias aliquotiens publicas, & cæteras Ecclesiasticæ institutionis cerimonias, plus ex sola generali consuetudine, quàm ex religionis pietate proponunt. Carnes immolant, cum peccata carnalia detestando factis confessionibus quasi mactant. Sed tamen eos comedunt, quia eorum vsu sese ingurgitare non desinunt. Has ergo hostias Deus non suscipit, quia nullo modo officia, quæ extrinsecus administrantur, nisi ex intimo proferantur, attendit.

* al. offerent.

Nunc recordabitur iniquitates eorum, & visitabit peccata eorum: ipsi in Ægyptum conuertentur. Nunc, idest, in hoc tali eorum statu, eorum iniquitates recordatur, cum per cuiuslibet illationem flagelli diuturnæ ipsorum nequitiæ meminisse videtur. Quasi enim putatur Deus obliuisci, quorum dissimulat interim errores vlcisci. Peccata eorum visitat, cum per aduersorum congeminationes cre-

brò ea se vidisse demonstrat. Verbum enim A frequentatiuum, quod est visitat, assiduitatem visionis significat. Ipsi in Ægyptum conuertuntur, cum pro correctionis luce obstinationis tenebris, quod Ægyptus innuit, obuoluuntur.

Vers. 14. *Et oblitus est Israël factoris sui, & ædificauit delubra & Iudas multiplicauit vrbes munitas.* Israël à Deo fit, cum per Dei timorem à sua per vanitates exinanitione ad veram essentiam creatur & subsistit. Quasi enim non est, qui substantiam viuæ intentionis amittit, quam prodigus filius in meretrices expendit. Vnde & Apostolus Corinthiis scribens: Rom. 12. 3. *Omnibus*, ait, *qui sunt inter vos*, apertè innuens quia aliqui inter eos erant, qui secundum hoc esse non erant. Secundum hoc Israël factus est, cum per sensum interioris gratiæ ad solidum concretus est. Iuxta quod etiam, Psal. 149. 2. *lætatur Israël in eo, qui fecit eum.* Huius factoris sui Israël obliuiscitur, cum eum, qui se reficere de sua annihilatione potuerat, auersatur. Delubra ædificat, cum pio recedente Domino conscientiam, ac si fanum proprium, illicò nequissimus hostis intrat: sine alterutro enim hospite mens non extat. Iudas deinde vrbes munitas multiplicat, cum rationalis deuotio, quæ nos ad Deo confitendum ritè sollicitat, lapsa in peruersum contra pietatem confessionis, seu incuriâ, seu pudore se obstruit & obfirmat. Vrbes munitas ædificat, cum ad quæque facinora quæ gesserit, repagulum obstinationis obiectat, & murum vitiosæ (vel superbæ) conclusionis exaltat.

Et mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius. In ciuitates eius ignis mittitur, cum in illius arcani vecordia, quæ nullius bonæ apertionis spiramen admittit, concupiscentiæ grauior ex sua occultatione ignis (vel feruor) inæstuat. Ædes illius deuorat, cum ardor intrinsecus per incontinentiam sese in exhibitione membrorum corporis manifestat. Nec enim caueri potest, quin quod diu intro concipitur, per quemlibet sensualitatis habitum aliqua significatione non prodeat.

CAPVT IX.

Vers. 1. NOli *lætari Israël, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo.* Israël lætari prohibetur, cum quia exultat de suæ prouentu secularitatis, is, qui quondam de Dei visione gaudere solebat, arguitur. Noli, inquit, exultare sicut populi, idest ne eorum ineptam lætitiam, qui de Deo nihil vmquam sapuêre, consideres, non licentiam imiteris, nec te eorum vulgaritati conformes, quia longè misericordius iudicium sortientur qui bona nec cœperunt, quam tu qui Deo tuo iam cognitione hæsisti, & modo fornicatus es. Nota quod lætari interius, exterius exultare pertinet. Quia ergo impiis gaudere non est, vtrobique vetitum est. *Dilexisti mercedem super omnes areas tritici.* Mercedem super omnes areas tritici diligit, scilicet illam qua superius conduxerat nationes plusquam omnes sacræ scripturæ paginas, quæ distribuuntur in libros, & hi sunt areæ, ac si quædam particulariter excisæ terrarum portiones. Areæ ergo tritici libri sunt diuini eloquij, quas quisque quantò plus excolit, eò vberiores supernæ intelligentiæ fructus adinuenit. Triticum est, quo Psal. 64. 14. iuxta Psalmum valles abundant, & cuius adipe filij Sion satiantur. Super omnes ergo areas tritici merces diligitur, cum super omne quod in scripturis reperitur adulationes sortilegia, quibus ad flagitia maior aditus se aperit, magis quam verbi Dei exercitia appetuntur. Ea enim quæ aut vsu, aut curiositate delectant, fidei nostræ sacrilegiis plerumque emuntur.

Vers. 2. *Area & torcular non pascet eos: & vinum mentietur eis.* Vers. 3. * *Non habitabunt in terra Domini.* Area sunt diuina volumina, quorum cultu multiplices, & exquisitas allegoriarum, & tropologiæ fruges elicimus. Quod in Propheticis & Apostolicis literis sæpius experimur. Torcularia sunt qui intellectualitatem, quam vocamus anagogen, quæ ad Dei contemplationem pertinet, è scripturis exprimere norunt. De quibus ergo elicitur, vt est area, & qui eliciunt; vt est torcular, eos non pascit dum de area moralis scientiæ tractatus ignorant, & de torculari quicquam cœlestis qua de Deo imbuuntur sapientiæ elaborando extorquere non curant. Quid enim beatius quàm internæ vinum dulcedinis de scripturis exigere, & amorem præsentium per earum haustum à suo sensu obliterare? Et vinum eis mentitur, quia eorum mens ab æterni condimenti sapore & calore fraudatur. Terra Domini est corpus, quod euictis passionibus ditioni rationis Deo subiectæ subiectum est. In hac terra non habitant, quia enim mites non sunt, & Deum insessorem non habent, sua ipsorum corpora habitare quod est possidere non præualent. Corpus enim suum, quod Adam obediens obtinuerat, inobediens ficorum folijs obnubit. *Spiritus*, ait, *tuus bonus deducet me in terram* Psal. 142. 10.

rectam: quæ ideo recta est, quia Domini est. A *Reuersus est Ephraim in Ægyptum, & in Assyrijs pollutum comedit.* Ephraim in Ægyptum reuertitur, cum voluntas nostra, quæ panis æterni fruge gaudere debuerat, ad Ægyptum mœroris, & angustiæ, sæculi videlicet solicitudines, & labores se vndecumque declinat. Vnde quibusdam dicitur: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis.* In Assyriis pollutum comedit, dum cum his, qui in domibus Regum sunt, & non angusta sectantes mollibus induuntur; & iuxta Iob, suauiter viuunt, in quibus non reperitur sapientia, obscœnis obsoniis concupiscentiarum se ingurgitare non desinit. Assur enim dicitur aula, quæ solet esse regia.

Matth. 11. 28.

Ibid. 8.

Iob. 28. 12.

Vers. 4. *Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei.* Vinum Domino non libat, quisquis diuini amoris penes Deum dulcedine, & calore non æstuat. Vnde nec ei placere possunt, quia quisquis ex Deo ad Deo supplicandum non ducitur, profectò à filio, qui indubiè Deus est, quia eum Deus Pater non traxit, nequaquam agnoscitur, nedum placere putetur. *Sacrificia eorum quasi panis lugentium.* In veteri lege qui de sacrificio pro mortuis vescebatur, & immundus ipse erat; & cassa oblatio putabatur. Quasi panis ergo lugentium sacrificia eorum sunt, quia quodcumque ab eis vel orando, vel eleemosinam largiendo, Deo defertur, vitæ eorum, quæ nulla imitatione digna est comparatur, qui nullum attigerunt saporem cœlestium gaudiorum, & quorum studia nil meliùs dici possunt, quam materies lacrymarum. Panis enim pro vita ponitur, vt est: *Mittamus lignum in pane eius.*

Ierem. 11. 19.

Omnes qui comedunt eum, contaminabuntur, quia panis eorum animæ ipsorum, non intrauit in domum Domini. Qui panem illum comedunt contaminantur, quia qui eorum sibi exempla inuiscerant, eadem qua illi fœditate vitæ damnantur. Idem significat quod morticinium tangi lege vetatur. Quia panis eorum, subaudis, est animæ ipsorum, idest vitæ eorum fomentum, quod est quasi quoddam animæ eorum alimentum. Sicut enim virulentia vita serpenti est, ita cuilibet iniquo pabulum sua nequitia. Vnde & de detractoribus Salomon: *Carnes*, inquit, *ad vescendum conferunt.* Quo contra sanctis: *Gustate*, ait, *& videte quoniam suauis est Dominus.* Morale est etiam vt dicatur quis pasci in eo quod se delectat. Est ergo dicere: Panis cum corpora nutriat, animæ eorum dicitur, quia ex eo quod significat iocunditatem temporalem, animalitati improborum cibus esse dinoscitur. Is non intrat in domum Domini, quia huiusmodi gaudium ab omni corde quod Deus inhabitat seuerissimè constat excludi. Vnde est illud Iob: *Abominabilis ei fit panis in vita sua, & cibus ante desiderabilis.*

Prou. 21. 20.

Psal. 33. 8.

Iob. 33. 20.

Vers. 5. *Quid facietis in die solemni, in die festiuitatis Domini?* Dies solemnis Domini est, cum positis inimicis scabellum pedum eius Regnum tradiderit Deo & Patri. Diem ergo solemnem intellige, cum impij submerguntur, festiuitatem verò, cum ad contemplandam Dei speciem electi promouentur. Quid igitur facietis cum tale discrimen inter vtrasque sortes aduenerit?

Vers. 6. B *Ecce enim profecti sunt à vastitate: Ægyptus congregauit eos, Memphis sepeliet eos.* Redit ad eorum descriptionem. Superiùs dixerat quia panis eorum in domum Domini non intraret, ac si diceret: Quoniam nulla conuenientia est luci ad tenebras, voluptati ad temperantias, proficiscuntur, idest à recta consideratione euagantur, & hoc eis à vastitate contingit, quia scilicet à Deo solitudinem mens incurrit: Cum supra dixisset quasi eos corrigens, quid facietis in die solemni, mox eorum proteruiam subC texit dicens: Et ecce à vastitate proficiscuntur, idest correctionis impatientes, nec mora à seipsis alienantur. Ægyptus eos congregat, cum seculare studium sibi eos coadunat. Quod est dicere. Cum à sua ratione disparantur, sub cura tamen Ægyptia glomerantur. Memphis interpretatur de ore eorum. Sepeliuntur cum ab omni sancta viuacitate eorum ingenia obruuntur. Et hoc eis de ore eorum euenit, dum de pœna peccati quo alios ad male agendum praua locutione decipiunt, eis contingit.

D *Desiderabile argentum eorum vrtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.* Desiderabile argenti eorum vrtica hæreditat, cum id quod potissimùm apud improbos gloriosius æstimatur, scilicet vt diuinæ scripturæ scientiam clarior atque copiosior facundia comitetur, ad totius vilitatis atque nequitiæ extrema descendat. Vrtica namque despicabilis admodum & ignea herba est. Desiderabile ergo argenti eorum vrtica hæreditat, cum votiuum illud affectatæ eloquentiæ precium, non solum ob turpitudinem vitæ contemnitur, sed etiam alios versutiis, doE lis, & obscœna mordacitate decoquit, & infestat. Dictum est autem hæreditat, quòd mores eorum misera perpetuitate contineat, aut quia hæres superstes est eius cui succedit; ad hæreticos, de quibus supra dictum est, & nunc etiam agitur, referatur, quorum scripta non modo pro sui contemptibilitate, sed etiam pro ingenita contra omne quod fidei congruit acerbitate damnantur. Et quia plerumque eos excluserunt

qui probati erant argento, controuersiis manentibus in libris eorum, qui contra eorum errores pugnacissimè egerant, opuscula eorum pro sua inutilitate sunt abolita. Quod in antiquis hæreticis est vndequaque probatum, quorum quasi aranearum telæ, de quibus supra differuimus, disparuere volumina, & nostris temporibus à quibusdam parasitastris libelli facti sunt, & si nimium tenues contra fidei nostræ mysteria, quæ in indignitate sui in ipsa sua mox sunt nouitate consumpta. Lappa in tabernaculis eorum est, quia nimirum nisi desideriorum carnalium impuritatibus, quæ graues sunt stimuli, subderentur, numquam ad tantam sensus reprobi ignominiam, vt de diuinis malè sentirent, verterentur. *Porro tabernacula ipsa sunt corpora*, in quibus siue contra carnem, siue contra spiritum militamus, siue vbi in præsentiarum peregrinamur.

Vers. 7. *Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis.* Dies visitationis sunt, cum Deus impœnitentibus in præsenti flagella immittit, sed retributionis ilicò subsequitur, qui perseuerantibus incepta sorde aut perfidia immutabilis miseriæ sortem reddit. Duplici enim contritione tales Deus conterere consueuit. Et non conterit, quos omnium dum aduiuunt detestatione prostituit, & exactis ipsis, ipsorum memoriam cum omni suo opificio, & tractatu instar panni menstrualis infamat & abiicit? *Scitote Israël stultum Prophetam, insanum virum spiritualem.* O Israël, inquit, motus videlicet affectuales, qui Deo iudice sensuum vestrorum errori dimittimini, nunc in hoc vestro exitio & rationis exterminio addiscere poteratis. Quæ stultitia, quæuè insania in spiritu, qui vos regere debuerat, delitescit; cui si vos subdere, & ab eo regi voluissetis, nunquam ad tale inconueniens vitiorum aut perfidiæ venissetis. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.* Quia multùm exerrasti à bonitate & fide, non dispariliter tradidit te Deus in ignominiosos casus. Ac si diceret: Quia quod peccabas, Deum habere in notitiam non putabas, dedit te Deus in cogitationes reprobas.

Vers. 8. *Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, & insania in domo Dei eius.* Ephraim voluntarius scilicet habitus mentis speculator factus est, vt ea quæ Deo pertinent, velit, & Deo gerenda proponat; velle, inquiens, (Rom. 7.18.) mihi adiacet, perficere non inuenio: voluntas enim in bonum in scripturis sæpius accipitur, & ob prouidentiam, qua peccata & aduersa olfaciat, Propheta vocetur; & proh dolor! laqueus ruinæ fit, vt seipsum scilicet illaqueet sibi consilium subtrahendo, & aliis exempla prauitatis attribuat ruere faciendo. Et is ruinæ laqueus fit, super omnes vias eius, quod non est aliud quam suas, Hebraïcæ enim locutionis est, vt est illud; *Æthiopia præueniet manus eius*, (Psal. 67.32.) id est suas, *Deo*, cum in omni intentione eius, quæ viæ interiores ad exteriora operis excurrentes sunt, nonnisi peccati lapsus inueniatur, & omnis consilij aditus, quod significat collum, quia inde permeat verbum, obstruatur. Insania in domo Dei eius est, cum pessimum eius ad scelera studium, quod principalis eius frequentat in modum Dei culturæ, deuotio intra domum conscientiæ, totius pensi & moderati penitus expers est, & in tantam mens proruat vecordiam, vt secreta cupiditas in apertam erumpat amentiam.

Vers. 9. *Profundè peccauerunt sicut in diebus Gabaa.* Profundè peccat quisquis ad peccatum tota animi deliberatione inhiat. Historiam Regum videtur tangere, quando è Gabaa Saül in Regem assumitur, recusso Dei imperio pro solo Gentium more. Saül interpretatur appetitus, Gabaa colles. E collibus Saül ad Regnum accipitur, quando è magnis animorum tumoribus oboritur appetitus, non qui nobis subsit, iuxta quod ad eam à Domino dicitur, sed qui nobis impudentissimè dominetur. Dum enim fastum concipimus, maiora profectò quam nobis competant, statim consequenter ambimus.

Recordabitur iniquitates eorum, & visitabit peccata eorum. Postquam iniquitas in stoliditatem vertitur, vt nefaria libertate peccetur, tanquam clamore aliquo Deus, vt vlcisci properet, excitatur: vnde vox sanguinis Abel & clamor Sodomorum dicitur. (Gen. 4.10. Ibid. 18.20.) Dum enim quietè delinquitur, quasi Deus obliuiscitur. Recordari ergò videtur, cum peccantem aduersis aggreditur. Peccata visitat, cum crebrò ea se vidisse puniendo demonstrat.

Vers. 10. *Quasi vuas in deserto inueni Israël, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum.* Quasi vuæ in deserto Israel inuenitur, cum dispersus à seipso carnalis noster affectus diuini timoris aspiratione colligitur, & quasi vua in deserto reperitur, cum in desolata quondam mente internæ compunctionis dulcedo sentitur. Quasi prima poma ficulneæ patres videntur, cum motus rationales à quibus affectualitatum intemperantia moderatur, primùm Dei illapsu ex veteri sua acerbitate reducti, maturitate menti indita dulcorantur. Hæc prima poma in cacumine reperiuntur, quia principalia cordis nostri studia in intentione superna, quæ interioritati nostræ dinoscitur præminere, fundantur.

Israëlis ergo sunt patres maturæ rationis habitus, qui pias generant affectiones. Per ficulneam amor proximi in scripturis accipitur, sicut in vinea amor Dei exprimitur. Prima ergo poma ficulneæ potiora sunt exercitia misericordiæ. Patres itaque primis ficulneæ pomis adaptantur, quia primùm fratribus quos videmus beneficia impendere suademur, vt Deum, quem videre non possumus, postmodum attingamus. Vuis verò filij comparantur, quia affectus nostri quasi ex largitione paterna, & lactea innocentia, quæ per succum ficulneæ figuratur, ad dilectionis Dei pinguedinem, & saporem auidiùs imbuuntur. In terra enim spiritus datur, vt proximus diligatur; de cœlo verò consequenter, vt Deus.

Ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusione: & facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Ad Beelphegor intrant, cum suæ, quam diximus electionis obliti, totius ignominiæ sese labyrintho iniectant. Et meritò dicitur, intrant, quia se experientiæ vniuersæ libidinositatis immersitant. Beelphegor enim vir tentiginis dicitur, in quo turpitudinis execrandæ impudentia denotatur. In confusione abalienantur dum quo confusibiliora perpetrant, nil se confusibile agere arbitrantur; vnde est quod apud Apostolum quidam in pudendis suis gloriari dicuntur. Abominabiles fiunt, qui totius boni hominis fortunas amittunt. Quid est enim abominabilem esse, nisi in successu pij operis prospero prouentu carere? Et hoc sicut ea quæ diligunt; sicut vitia enim quæ prosequuntur etiam solo nomine sine actu bonorum memoriis horrori sunt, sic etiam ipsi qui eorum commercio se inuoluunt. Si enim sordes quælibet per se putidæ sunt, certè putidiores qui harum volutabris se sponte iniiciunt.

Vers. 11. *Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.* Ephraim quasi auis auolat, dum aliquotiens ab boni appetentiam tacta rationaliter alacritas voluntatis aspirat, sed subita se leuitate subducens in eo quod cœperat minimè perseuerat. Gloria eorum, vt retrogradè aggrediar, à conceptu est, cum eiusdem voluntatis statuum, qui in se sæpius alternant, specialis gratia fit, quæ sanctorum gloria ob conscientiæ testimonium ab Apostolo vocatur, (2. Cor. 1. 12) in ipsa prima Dei aspiratione, quâ primùm bene viuere delectamur. Post hanc conceptionem sequitur vterus, boni videlicet propositi ante exhibitionem operis, diuturnior intra mentem fotus. Quasi enim intrinsecus fouetur, quod retractando fideliter ex solidi deliberatione consilij, veluti per discretionis membra diuisum actionis corpus roboratur. Deinde partu expromitur, cum visibus hominum in boni exercitij prosecutione proponitur. Quia ergo Ephraim quasi auis per elationem auolat vsque ad partum, idest vsque dum ab hominibus videri possit, eius interior gloria perseuerat, quam mox humanæ laudis mucro trucidat. * *Quod si enutrierint filios suos, absque liberis eos faciam in hominibus: sed & væ eis cum recessero ab eis.* (* Vers. 12.) Filios enutriunt qui piæ conuersationis opera in his proficiendo prouehunt. In hominibus absque liberis fiunt, qui inter hominum fauores à libertate animi attributa * vulgo aure seruiliter se dimittunt. (* f. vulgi auræ.) Sed væ eis cum Deus recedit ab eis, quia nullius bonæ spei residuum est, immò damnationis extremæ infortunium est, cum peruertitur rectitudo intentionis. Recedit namque Deus, cum bonum quod fit, non fit respectu ipsius.

Vers. 13. *Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine.* Et est literæ sensus. Vt vidi, idest, sicut vidi, Ephraim erat sicut Tyrus fundata in pulchritudine. Ephraim Tyrus est, quia illa frugifera voluntas, quæ suæ & multorum vtilitati, dum rectè intenderet, militabat; nunc in angusto reponitur, dum solo humano fauori spe pauper adæquitat. Tyrus enim angustiam sonat. Vox Dei est: Vt vidi, inquit, idest quomodo in Deitatis meæ consideratione, perpendi: Ephraim erat comparatiuè Tyrus. Et hæc fundata in pulchritudine erat, quia in exteriori habitudine cœpti operis, quâ sibi & aliis complacere decreuerat, suæ intentionis fundamenta posuerat, vt in eo quod foris ostenderet, non Dei virtus, sed sua pulchritudo patesceret. Quo contra in Psalmo: *Sic*, inquit, *in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem*, non meam esse sed tuam nedum gloriam. *Ephraim educet ad interfectorem filios suos.* Ephraim habet filios, quando voluntas effectus exerit bonos. Hos tamen ad interfectorem educit, quando ad suam ipsorum perniciem adulatorum linguis exponit.

Vers. 14. *Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam sine liberis.* Vox Prophetæ, aut cuiuslibet sancti viri tanta hypocrisi irritati. Da eis Domine, idest aliquid eis incommodi impræsentiarum restitue. Et quid dignius eis dare poteris, quam vt vuluam, idest conceptaculum, qua libertatem beneuoli actus recipiant, non habeant? Melius est enim bonum opus nec affectasse, quam affectatum simulacro aliquo falsi operis perdidisse. Si liberi dicuntur quia seruili operi non subduntur, ergo libera sunt quæ eis signantur opera, quia fiunt non pro laude humana. *Vbera arentia* pariter dantur cum intelligentiæ spiritualis inopia, quâ interna & externa sensualitas Deo aliter irrogatur. Vel vbera

sunt arentia, cum in mente adnullatur vtriusque testamenti scientia.

Vers. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi eos exosos habui.* Galgal interpretatur volutabrum: omnes ergò eorum nequitiæ in volutabro, quia tota eorum vitiosa frequentia, libidinis solius lentescere solet & extenuari sub vitio. Quantacumque enim in quolibet crudelitas, quantumcumque superba maiestas, ad id moliciei tandem despumare ac reflari dinoscitur. Magna Alexandri, magna Cæsaris vndecumque ferocitas multotiens Sardanapali est experta temperiem, & quod Indum continuabat Oceano muliercularum vilium miserabiliter circumscripsit aspectus. Exosos ibi Deus eos habet, quia rabiem efferatæ licentiæ non sustinet. Nota diluuij causas, & à Propheta appellari hanc pestem, non aliter quam malleum vniuersæ terræ. *Propter malitiam adinuentionum eorum de domo mea eijciam eos: non addam vt diligam eos.* Cum quis consuetudinariè peccat vtcumque tolerabile est, cum autem nouitates adinueniuntur criminum, & iura quispiam naturæ transgreditur, bonis omnibus inaudibile est, ne dum Deo, qui inuentores malorum tanta atrocitate trucidat, vt eos memorabiles peregrinæ mortis reddat exemplo, quod passim scripturarum elucet testimonio. Hos de domo sua eiicit, quos à bonorum consortio, qui sunt sua domus, excludit. Vt diligat eos non addit, quia qui aliorum corruptioni operam dedêre, vel sua nequaquam perditione contenti in reprobum sensum merito eos tradit. *Omnes principes eorum recedentes.* Principes vt supra sæpiùs sensus sunt exteriores. Hi sunt recedentes, nunquam videlicet se intra se cohibentes, sed se per exteriora spargentes. Vnde & paulo supra de domo sua se eiecturum eos comminatur, quod fit cum à mente, quæ Dei sedes esse debuerat, ad tractanda sola forastica sensualitas Deo iudice proturbatur.

Vers. 16. *Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient.* Ephraim percutitur, cum status voluntatis, quæ frugi esse debuerat, à bene volendo conteritur. Radix eorum, idest eius motiuum exsiccatur, cum intentio à diuinæ spei virore arefacta cassatur. Quæ meritò radix dicitur, quia ab ipsa emergit quidquid vitale peragitur. Fructum nequaquam facient, quia sicut cogitationes, sic opera ab omni vtilitate deficiunt. *Quod etsi genuerint interficiam amantissima vteri eorum.* Gignunt cum aliquid natura cogente, quæ boni expers esse non valet, piè agunt. Interficit verò Deus amantissima vteri eorum, cum quicquid in conscientia, vel secundum seculi honestatem, vel secundum naturalem bonitatem constare poterat, ad cumulum iudicij dissipat, & dispertit. Amantissima autem dicit vteri, quicquid gratius intra animi sinum ad morum probitatem pertinens possit haberi.

Vers. 17. *Abiiciet eos Deus meus quia non audierunt eum, & erunt vagi in nationibus.* Quia Deum non audiunt Deus eos abiicit, quia videlicet dum nequaquam Deo obedire patiuntur, & aures ei obstruunt animorum, ob reprobitatem vitæ eos ac si abiectiuos ostendit: vagi in nationibus sunt, dum per vitia vniuersa se spargunt. Nationes pro vitiis poni, si non alias, Gentes saltem, quas euertit Dominus ante filios Israël, innuunt.

CAPVT X.

Vers. 1. *Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei. Secundum multitudinem fructus sui multiplicauit altaria.* Israël vitis frondosa est, cum hi, qui per scripturarum scientiam de Dei visione, idest cognitione se iactant, sine operibus sibi verborum multiplicitates exaggerant. Israël vitis frondosa fit, cum sola inanis eloquentiæ pompa se contegit. Sicut ergo Israël solo nomine, sic vitis sine opere. Fructus ei adæquatur, cum vanæ loquacitati opus subsequens respondet omnimodæ falsitatis. Secundum multitudinem fructus sui altaria multiplicat, idest iuxta exercitiorum, quæ per hypocrisim fiunt, quantitatem titulos sibi adulatoriæ vulgaritatis accumulat. *Iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris.* Terra exuberat, cum insignibus, sed fictis operibus nostrum corpus abundat. Corpus autem non mens operatur, cum mente vacua & insipida ad hoc boni quippiam fit, vt solummodò videatur. Quot ergò sunt opera, tot ad humanos fauores quasi eriguntur simulachra.

Vers. 2. *Diuisum est cor eorum.* Cor eorum diuiditur, dum aliud in opere exercetur, aliud in mente tractatur: Quærunt enim in intentione laudem, cum extrinsecus Deo cogruum studeant specie tenus exhibere laborem. Vnde & Apostolus eum, qui cum vxore est, circa mundana solicitum dicit esse diuisum, dum scilicet hinc ius tractat vxorium, illinc aliquotiens respectare monetur ad Deum. (1. Cor. 7. 33.) *Nunc interibunt: ipse confringet simulachra eorum, depopulabitur aras eorum.* * *Quia nunc dicent non est Rex nobis.* (* Vers. 3.) Nunc interibunt, idest, in hoc ipso statu peribunt, quo Deo postposito respectui terreno incumbunt. Ipse simulachra eorum confringit, cum spiritus excandescente criminum rogo ad pudenda acta prosiliens, quicquid falso portendebatur, imminuit. Aras eorum depopulatur, cum proposita & institutiones exilia reddit,

& nulla, quibus quasi summis & principalibus innitebatur. Quia, inquit, nunc dicent. Hoc est dicere. Quia nunc intereunt, dicent non est Rex nobis, idest quia ostentationes nostræ ad cæcitatis internæ traxêre nos pœnam, qui nos regat non est modus in nobis. Quod enim spiritus, hoc Rex, hoc & modus. *Non enim timemus Dominum: & Rex quid faciet nobis?* Ac si dicerent. Cum sumus à Dei timore nudati, ratio, quæ solo Dei timore constat, quid nobis pensi & moderati afferet, cum viduata sit, ex eo quod pendet? Nisi enim eam Deo fecerimus appendicem, frustra eam dicimus rationem.

Vers. 4. *Loquimini verba visionis inutilis, & ferietis fœdus: & germinabit quasi amaritudo.* Dicitur ad Israël, qui vir videns Deum dicitur interpretari. Ac si diceret: Vos vitis frondosa, sub pretioso vitis nomine mens garrulitati intenta, super Dei agnitione, quod est visio, inutilia loquimini verba. Et planè inutilia, quia dat sine mente sonum locutio fastuosa. Hæc quasi ironicè sunt dicta. Et ferietis fœdus de continentia videlicet corporis vestri, vnde gloriosiores videamini, cum animo vestro stabilietis pacta. Sed hoc fœdus quasi amaritudo germinat, quia cordis instabilitas & carnis petulantia, per totius irruptionem immunditiæ conuenientiam subito mutuæ sponsionis amaricat. Hoc enim est germen hypocrisis, quod in momento Deo vltore, reuelat impiæ statum mentis. Vnde sequitur

Iudicium, inquit, *super sulcos agri.* Sulci agri vexatio est propter Deum corporis. Hypocritæ sulcos agro suo faciunt, dum cruciatus suo corpori per abstinentias inferunt. Super hos fit iudicium, cum falsæ sanctitatis euidens omnibus, Deo propatulum faciente, datur indicium. Sulcos agri sic solere intelligi Salomon testatur. *Diligenter*, inquit, *exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.* Et de equo Dei Iob. *Terram*, ait, *vngula fodit, cum audierit buccinam dicit va.* (Prou. 24. 27.) (Iob. 39. 21.)

Explicit Liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS
TROPOLOGIARVM IN OSEE.

Tertium in Beati Osee libro libellulum præsumentes, Deum, qui Trinitas est, non tam vocibus quam medullis oramus, vt qui quod vult, per quos vult protulit semper & proferet, à sua illuminatione & calore non me patiatur abscondi, & qui scit solo suæ miserationis obtentu, non securitate peruersa, tantas mysteriorum difficultates aggressum, prosperi portus iam iamque hærenti & timido largiri dignetur accessum. Sequitur

Vers. 5. Cap. 10. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus eius, & editui eius super eum exaltauerant in gloria eius, quia migrauit ab eo.* Bethauen interpretatur domus idoli, Samaria custodiam sonat. Habitatores ergò Samariæ vaccas colunt, cum qui exteriori suæ custodiæ dominari se credunt, & corporum continentiam suæ potestati ascribunt, iuxta quod superius dicitur, ferietis fœdus, petulantias interiores non deserunt, immò amplectuntur & excolunt: & hoc in Bethauen, idest in domo idoli, nempe in conscientia in qua Dei cultus transfertur in diaboli. Vaccas pro lasciuia poni, testis est, *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* (Psal. 67. 31.) Samariam autem habitat, qui se per se viuere posse castè computat. Habitare enim pro dominari ponitur, quia ab habendo inflectitur. Quia per vaccas appetitum libidinis signarat, ex hoc innuit quod pluralitatem illam singulariter nunc replicat. Luxit inquiens super eum populus eius, sed notandum quòd præmittitur *quia.* Est autem dicere. Ipsi prouisores erant forasticæ custodiæ: & hoc ideò nimirum, quia populus cogitationum luxit, idest immurmurauit inhians super ipsum, qui frænabat exteriùs appetitum. Populus eius scilicet appetitus dicitur, quia talis concupiscentia parit introrsum plurimos strepitus. Porrò editui eius super eum exultant in gloria eius, cum versipelles versutiæ motus, qui exteriores custodiunt habitus pariter coniubilant super honore, & gloria impensæ laudis extrinsecus. Exultant, inquam, in gloria eius, quia migrauit ab eo, idest, tota illa laus alienatur, & quasi emigrat, à cognitione appetitus illius, qui turpissimè feruet in animo. Quod totum est: Cautelæ animi, quæ

prospiciunt corporeæ habitudini, lætantur vulgus ineptum à notitia sui interni status, qui multum displicere poterat, longe fieri.

Vers. 6. *Siquidem & ipse in Assur delatus est munus Regi vltori.* Quæcumque, inquit, talem quemlibet omnium foris gloria prosequatur, siquidem & ipse in Assur, quod est in aulam, fertur, idest, gurgustiis vitiorum latenter immergitur, & non perfunctoriè, sed quasi propriè proprium munus diaboli factus, qui idipsum quod muneratur, vlciscitur. *Confusio Ephraim capiet: & confundetur Israël in voluntate sua.* Confusio Ephraim capit, cum voluntatem nostram, quæ innixa esse debuerat rationi obsuritas discretionis intercipit. Israël in voluntate sua confunditur, cum vt sic dicam, volendi immò appetendi iam ratione & voluntate ad mala decliuibus, nullus modus & ordo in affectione tenetur.

Vers. 7. *Transire fecit Samaria Regem suum quasi* *Vers. 8. *spumam super faciem aquæ.* * *Et disperdentur excelsa idoli, peccatum Israël.* Samaria Regem suum transire facit, cum exterioris hominis prudentia quæ se palliat rationem, quin potius astutiam secularem, per vndas voluptatum ad indignos actus omni tentationis vento circumlatam excedere, & quasi dispumare compellit; sæpiùs enim prouenit vt se hypocrisis diu cohibere non possit. Et excelsa idoli disperduntur, cum superbæ cogitationes, quæ animum suum à Deo apostatare docuerant, adnullantur. Quæ excelsa peccatum Israël dicuntur, quia ex praua affectus libertate oriuntur. *Lappa, & tribulus ascendet super aras eorum.* Lappa humilis herba est, tribulus in virgulta proserpit, sed vtraque exasperata aculeis. Per lappam ergo luxuria fœdè semper humilis innuitur, per tribulum cupiditas, quæ se exporrigens dilatare conatur. Hæc super aras eorum ascendunt, quia super eorum ac si religiosa proposita iam euidenter irrepunt.

Et dicent montibus operite nos: & collibus cadite super nos. Hi qui quondam montes fuerant, apud se scilicet arrogantiæ nimietate tumuerant, iam spei inanitate reflati veris montibus, idest, sanctis acclines ab eis operiri protegendo desiderant, & à minoribus quibusque electis, qui sunt colles, vt super se cadant, exorant, se videlicet eis miserescendo inflectant. Quod totum est: Qui se sanctos posse fieri suâ custodiâ, quod per Samariam signari diximus, æstimarant, veram aliorum sanctitatem Dei ope attendentes, falsos se sua opinione non dubitant.

Vers. 9. *Ex diebus Gabaa peccauit Israël, ibi steterunt.* Gabaa interpretatur, vt sæpe dictum, colles. Per colles hic intelligimus priuatos animi timores. Ex diebus ergo horum collium Israël peccat, quia à tempore quo in superbia sua misera mens prosperari, quod dies significant, cœpit, affectus sese prauitati subiugat. Ibi steterunt, idest perseuerauerunt. Stare enim pro perseuerare ponitur, vt est: *Aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.* (Psal. 37. 12.) Nota quod Israël & Ephraim cum singulariter ponuntur, duos illos habitus mentis, qui sunt affectus & voluntas, per se figurari dicuntur; cum autem pluraliter, eorumdem habituum motus intelliguntur.

Non comprehendet eos in Gabaa prælium super filios iniquitatis. * *Iuxta desiderium meum corripiam eos.* (*Vers. 10.) In Gabaa eos non comprehendit prælium, quia vbi nulla tentatio est, nulla etiam rebellio contra quodlibet vitium. Et quomodo quis potest dici tentatus, qui antequam ei diabolus suggerat, studio est totius malignitatis afflatus? Hoc prælium super filios iniquitatis est. Super opera videlicet quorum mater iniquitas est. Filios pro operibus poni frequens scripturæ vsus est. Serui namque debitoris vxorem & filios Dominus iubet vendi, idest voluntatem, & opera à libertate arbitrij sensus improbitate subduci. (Matth. 18. 25.) Deus eos iuxta desiderium suum corripit, quia iuxta quod omnes homines vult saluos fieri, & ad sui agnitionem redire in præsenti eos vt corrigat, punit. Id enim potissimum desiderat, vt resipiscant quos castigat.

Congregabuntur super eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates suas. Duæ iniquitates sunt, vna peccandi, altera impœnitens cor habendi. Propter has duas iniquitates corripiuntur, cum à sua obstinatione, & à solita nequitia diuinitùs compunguntur. Tunc super eos populi congregantur, cum inolita dudum vitia insolentius solito animum insequuntur. Hi sunt Ægyptij qui egressos à se Israëlitas vsque ad maris rubri transitum vrgere videntur.

Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transiui super pulchritudinem colli eius. Vitulæ triturantis natura est, libenter ad id officij recurrere, in quo raptim aliquotiens consueuit triturata prægustare. Vitulam hîc non solum pro lasciuia, sed & pro fœcunditate positam putamus. Ephraim ergo vitula docta diligere trituram est, cum voluntas nostra per diuinam correctionem fœcunda, bona à malis tamquam grana à paleis disparare iam prona est. Primordia enim nostra iuxta Beatum Gregorium mixta sunt malis. Super pulchritudinem colli eius Deus transit cum nouitatem consilij eius, quæ, vt ita dicam, iam ex conuersione recens facta pulchrescit, alta consideratione per tentationes aliquas cóculcari sinit. Scripturæ vsus est vt dicatur Deus facere quod fieri permittit.

Potest quoque & per collum non solum consilium, cuius fistula est, consilium verò iustorum bene agendi propositum est, sed etiam ceruix elationis, quæ nouiter conuersis aliquotiens subripere solet. Super hanc ceruicem Deus & consilij pulchritudinem transit, cum vtrunque tentari sinendo prosternit. *Ascendam super Ephraim.* Super Ephraim Deus ascendit, cum rationem quæ Dei propria sedes est, superequitare efficit, iam tandem verè frugiferæ voluntati. *Arabit Iudas, & confringet sibi sulcos Iacob.* Iudas arat, cum sinceræ confessio pœnitudinis superficiem corporis & animi conuertit & fatigat. Iacob sibi sulcos confringit, cum peccata supplantando æquoream quandam pacis internæ planitiem æquare non desinit. Sibi autem confringere dicitur, quia quicquid pietas pœnitentiæ sancti laboris exercet, suo interiori commodo non vulgi fauoribus operatur. Iacob autem supplantator dicitur. Nihil enim Iudas arat si Iacob remissiùs in sulcos confringendo, & præsertim in supplantando desudat.

Vers. 12. *Seminate vobis in veritate iustitiam, metite in ore misericordiam, innouate vobis nouale.* In veritate sibi iustitiam seminat, quisquis Deo & proximo secundum quod cuique competit, seruata æquitate communi reddere quod dignum est, destinat. Seminare autem proponere est. At vero in veritate & sibi seminat, quisquis sine auiditate fauorum sibi soli in suo bono conscius id actitare deliberat. In ore misericordiam metit, cum quod corde proponit, spe metendæ misericordiæ aliis pronunciare non desinit. In ore etiam misericordiam metimus, cum peccatorem ab errore viæ suæ conuerti fecerimus, animam quidem eius à morte liberamus, & peccatorum haud dubium quin nostrorũ multitudinem operimus. Innouat sibi nouale quisquis vitam religionis aggrediens sacri eloquij incipit secreta discutere. In his noualibus, iuxta quod alibi dicitur, multi cibi sunt ad omnes, videlicet animorum conuersationumque modos documenta inibi congrua ac si fercula sunt. Quocumque enim it spiritus, eunt pariter & rotæ.

Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos iustitiam. In his, inquit, quæ dicta sunt exerceri debetis, quia temporis opportunitas arridet dum aduiuitis requirendi Dominum, præsertim cum spiritus vobis diuinæ iam compunctionis aduenerit, qui vos sine magistro, sine volumine vos inducat in omnem veritatem, vt aliâs scriptum est, quod hîc appellat iustitiam. Vnde & est; Vnctio eius docet vos de omnibus, (1. Ioan. 2. 27.) Et ab Apostolo quoque hanc supernæ infusionis gratiam non in vacuum recepisse mo- (2. Cor. 6. 1.) nemur. Quod totum est; tempus est Dominum requirere, cum ipse præsto est aspirare.

Vers. 13. *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis; comedistis frugem mendacij, quia confisus es in vijs tuis, in multitudine fortium tuorum.* Impietatem arauit qui quondam per hypocrisim, quod pro solo Deo fieri debuerat, corpus suum excarnificationi addixit. Et quid tam impium, quid tam sine Deo, quàm proprias carnes mactare non Deo? & quis magis nemo appellari debet, quam qui carnem suam sub tali obtentu odio habet? Iniquitatem messuit, qui laudes Deo dandas exinde sibi sacrilegè adhibuit. Nihil enim est minus æquum, quam suo honori postponere Deum. Iniquè ergò messuit, qui primum sibi tam prophanæ mercedis attribuit. Frugem mendacij comedit, qui accusante se conscientia fallaci adulatione vulgarium pasci addidicit. Quia confisus es, inquit, in viis tuis, scilicet non respiciens ad internam vacuitatem tuam, ad ea tantum oculum dirigebas, quæ de tuo superstitioso opere inaniter prædicabantur foris. Sicut enim extra hominem via, sic extra hypocritam sua in quibus confidit opera. In multitudine quoque fortium suorum confidit; cum in arduæ conuersationis, quæ vix sanctis viris tolerabilis esset, proposito spem reponit, non aspiciens quo intendat, sed quæ stolidè peragit.

Vers. 14. *Consurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salman à domo eius, qui iudicauit Baal in die prælij, matre super filios allisa.* Tumultus in populo consurgit, cum in cordibus nuper conuersorum veteris licentiæ insolentia recrudescit. Vel etiam tumultus consurgit, cum grauis in cogitationibus pœnitentiæ motus emergit. Omnes munitiones eius vastantur cum mentis vniuersa repagula, quæ sub suis latibulis flagitiorum pridem occuluere tristega, piæ confessionis eruuntur ad lucem. Salman interpretatur vmbra prohibendi, vel commotionis. Sicut vastatus est Salman à domo eius, qui iudicauit Baal in die prælij; idest, sicut consumi debet obscuritas illa nequam, quæ diuini luminis ab animo prohibebat accessum: & ne in miseriis subsisteret, crebris commotionibus perurgebat; à domo, idest à conscientia illa, quæ in sui illuminatione ac si die, in qua caro spiritusque confligunt, Baal iudicat, idest virum damnat; De quo dicitur: *Hic quem habes, non est tuus vir.* (Ioan. 4. 18.) Matre super filios allisa, cum suis videlicet operibus obruta concupiscentia. Baal autem interpretatur vir, vel habens, idest possidens dominium, scilicet erroris signans.

Vers. 15. *Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequi-*

tiarum vestrarum. Bethel licet domus Dei interpretetur, tamen ex idolo quod Ieroboam ibi statuerat, profanatur. Est ergo dicere: Has contrarias fortitudines, quæ vestra contra Deum corda munierant, fecit vobis Bethel, conscientia videlicet, quam Deus inhabitare debuerat, sed diaboli fantasia imbuerat: & hoc à facie, idest à consideratione immanitatis criminum vestrorum. Malitia enim hic pro enormi vsu appellatur scelerum.

CAPVT XI.

Vers. 1. *SIcuti mane transiit, pertransiit Rex Israël.* Rex Israël spiritus noster est, cui regere pertinet quidquid sub affectu est. Ipse enim secundum etymologiam sæpiùs dictam cum ratione ac si cum Deo principatur. Sin aliàs seruit: Is ergo Rex sicut mane pertransit, cum repulsa ignorantiæ & cogitationum nebula tamquam pallore crepusculi, plenioris intelligentiæ & quietis gratiam veluti solare iubar attingit. *Quia puer Israël, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum.* Israël puer est, & ideo à Deo diligitur, quia postquam ad vitæ nouitatem redierit, Deo non placere non potest. Ex Ægypto quoque filium vocat, cum ex quotidianis quæ immissiuè vel naturaliter influunt tenebris spiritum nostrum, qui ex vera luce quasi lux in nobis gignitur, Deus reducit & suscitat.

Vers. 2. *Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum.* Quod singulariter superius per Regem innuerat, hoc modo propter diuersos rationalitatum motus pluraliter applicat. Etsi enim vna est ratio, propter plures tamen causas plurimæ sunt rationes Ac si diceret: Etsi Deus à nostra nos per se cæcitate reuelat, ipsi tamen rationales motus à nostro nos corpore aliquotiens excitare contendunt: sed quia non est in homine via eius, nec viri, vt dirigat gressus suos, illi Deo nos dispensatiuè retardante recedunt, sicque nos quid simus ex nobis experiri faciunt. A facie eorum abeunt, cum se à rationum redditione cogitationum peruicacitates excludunt.

Baalim immolabant, & simulachris sacrificabant. * *Et ego quasi nutritius Ephraim.* Baalim immolant, cum multa Dei, sed non pro Deo tentationi sæpe succumbendo perpetrant. Simulachris sacrificant, cum interiori periclitante statu longe aliter se hominum conspectibus, quàm res intrò geratur, ostentant. Sed inter ista, inquit, Ephraim nutritius sum, dum mentem semper intendo de resurrectione commonere post lapsum, & ita voluntas nostra non colliditur Domino supponente manum. Sic nos nutrit, dum per ruinas & status nos erudit.

(* Vers. 3.)

Portabam eos in brachiis meis: & nescierunt quod curarem eos. In brachiis eos portat, cum ad diuinam fortitudinem subleuat. Brachium enim pro fortitudine poni solet. Et nesciunt quòd curet eos, quia ex pondere tentationis penè desperantes ignorant, quòd prouidè per occulta naufragia, ne de virtutis prosperitate superbiant, premat ipsos.

Vers. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.* In alia translatione vbi hîc Adam legitur, illic homines inuenitur; sic enim interpretatur. Vnde & in Genesi vbi dicitur: *Vocauit nomen eorum Adam*, itidem in homines transfertur. (Gen. 5. 2.) In funiculis ergò hominum eos trahit, cum ex passibilitatis, & humanarum ærumnarum timore eos ad se corripit. Vnde est: *Multiplicatæ sunt*, inquit, *infirmitates eorum, postea*, ac si diceret, ad medicum *accelerauerunt.* Sed postmodum quod prius timore gerebatur in amorem vertitur, vnde & sequitur. In vinculis caritatis, quæ scilicet foras mittit timorem. Funiculi autem ipsæ affectiones sunt, quibus ad aliquid appetendum nullo cogente ducimur. Timor verò supradictus amore non caret, alioquin hos funiculos non haberet. Inde est illud poëticum: Trahit, inquit, sua quemque voluptas. (Virgil. in 2. Eglo.)

Et ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum vt vesceretur. Est eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, cum vera mentis essentia promouet sui timoris eminentiam super intellectuales sensus eorum. Super eius maxillas iugum Dei exaltauerat, qui sicut tumentes super se fluctus semper eum timuerat. Tantò autem magis exaltatur, quantò magis in interna virtute proficitur, dum illa æterna caritas semel prægustata semper amitti timetur. Pro intellectu maxillas accipimus, quia his ac si dentibus dura quæque commolimus. Declinat ad eum, vt vescatur, cum per timorem illum, quo mens salubriter humiliatur, etiam se ad nos Deus inclinat, vt de eius aspiratione pascamur. *Cœnabo*, ait, *cum illo & ipse mecum.* (Apoc. 3. 20.) Quod superiùs singulariter dicit ad eum, cum pluraliter aliqua pro motibus variis præmisisset, vnimodum mentis habitum intellige, quia in cissuras mentium scimus Deum nequaquam vt conuiuetur declinare solere.

Vers. 5. *Non reuertetur in terram Ægypti, & Assur ipse Rex eius.* In terram Ægypti non reuertitur, cum ad veterna crimina reuerti se vlteriùs non patitur. Et tamen Assur, idest aulicorum familiaritas & acceptio admodum sibi expetenda videtur. Quod in quibusdam ordinis nostri viris hodieque apparet, qui dum à fœditatibus mundanis se continent,

curiarum tamen solemnitatibus ingerere se A irremediabiliter ardent. Assur enim, quod repetere non piget, aula est. *Quoniam noluerunt conuerti*, * *cœpit gladius in ciuitatibus eius, & consumet electos eius, & comedet capita eorum.* Quod est dicere. Quoniam ab Assur, idest ab oculorum suorum noluerunt vanissima pastione reuerti, gladius in ciuitatibus eius, idest eorum mentis cœpit, quia insolita carnis aduersus spiritum contentio in omni eius sensualitate, quæ iuxta Euangelium sunt ciuitates, emersit. Gladius enim pro diuisione ponitur, vt est: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Et exponens, *veni*, inquit, *separare* &c. Et consumet electos eius, idest adnullabit quæcumque principaliora sunt in intimo statu eius. Capita eorum comedet, dum & ciuitatum & electorum intentionum summitates aurugine tentationis absumet.

* Vers. 6. — Math. 10. 34. — * f. aurigine.

Vers. 7. *Et populus meus pendebit ad reditum meum.* Licet eorum capita comedantur, & titillatio se menti grauis immergat, solet tamen aliquotiens rationis scintilla viuiscere, & hoc est quod populus Dei ad reditum eius C dicitur pendere, quia piæ cogitationes post tot quæ ingruerint mala, ad Dei salutaris visitationem fieri solent pronæ. Pendere, sicut alias diximus, ab alterutris dicuntur amantes, & ideo pro amore ponitur. *Iugum autem imponetur ei simul quod non auferetur.* Iugum ei imponitur, cum expertæ tentationis animus timore deprimitur. Hoc iugum non aufertur, quia nulla securitas audaciâ vmquam ab animi ceruice recutitur.

Vers. 8. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te D Israël? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te, vt Seboim?* Ac si diceret. In quem statum transferam voluntatem humanam, qua arte protegam vagabundum per tot excursus & recursus affectum? His querimoniis innuit quanta difficultas sit in regendo statu nostræ interioritatis, quæ si ad virtutes euehitur intumescit, in sensus vapiditate perdeficit, in flagitium deuoluta putescit. Scio, inquit, quid faciam, quia sicut Adama ponam te, & sicut Seboim. Adama interpretatur terrena. Seboim statio eius, mare, vel capra eorum, vel damula. Primum E igitur mens hominis ad sui protectionem vt Adama ponitur, vt indesinenter quacumque virtute præminent, propriæ terrenitatis sub qua degit memoretur. Sed non in hac huius infirmitatis consideratione pigrescat, sed stationem in mari constituat, vt scilicet, inter tentationis assultus stare non cadere assuescat, nec pulsatus versetur aut proruat, sed caprino more animum ad boni ardua propositi semper exporrigat, in quo tamen acumen nullomodo discretæ subtilitatis amittat. Capra enim arduorum est appetens, damula vero vnde sortitur & nomen, multa luminum acie pollens.

Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea. Cor Dei in eum conuertitur, cum non externo cuiuspiam exemplo, sed sui ipsius ad viscera pietatis consideratione reflectitur. Humanum enim est, alterius respectu & ratione frangi. Pariter pœnitudo eius conturbatur, quia dum eum exertæ sententiæ pœnitet, pariter quoque de aliis quas humanitus patimur ærumnis B clementer afficitur. Humano more loquitur Deus, cum nil tale in eum incidat, nulli tamen dubium quin electorum suorum calamitati condoleat. Vel aliter. Cor Dei ipsi electi sunt, de quibus dicitur: Appropinquauit cor illius postquam impij diuiduntur ab ira vultus eius. Cor ergo eius in eum conuertitur, cum hi, quibus cuncta quæ à Patre audiuit, innotuit, suæ terrenitatis obtentu, quod est Adama, ad altitudinem contemplationis, quod est capra & damula, se conferre conantur. Tunc pœnitudo Dei pariter conturbatur, cum illi pœnitentiæ, quam illis Deus primò immisit, de præsentis seculi diuturno fastidio dolor & difficultas etiam adaugetur.

Psal. 54. 22.

Vers. 9. *Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt disperdam Ephraim: quoniam ego Deus, & non homo: in medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem.* Ira Dei est, contra vitia nostra digna animaduersione moueri: furor verò est, contra humanam pertinaciam reprobi sensus illatione accingi. Furorem ergò iræ suæ non facit, cum nobis reliquias cogitationis bonæ non subtrahit, hæ enim diem festum agunt sibi. Conuertitur Deus vt Ephraim disperdat, cum imitari videtur in eius animo qui tentatur, quod quasi ipsius bonæ voluntatis studium radicitus omninò consumat. Ego, inquit, Deus & non homo. Quod est dicere. Homo quod cœperit peruicaciter peragit, ego verò Deus impendentem etiam sententiam per meipsum suspendere noui. In medio Ephraim est sanctus, cum in ipsius rationem meditullio voluntatis quasi Regem circumstante exercitu inserit Deus. Non enim ingreditur ciuitatem, quia non inhabitat immo vix summatim aspirat conscientiam vitiorum tumultibus obstrepentem.

Vers. 10. *Post Dominum ambulabunt: quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, & formidabunt filij maris.* Rationes voluntati insitæ, post Dominum ambulant, dum primùm ratio Deo subiicitur, & consequenter deinceps rationi voluntatis habitus obsecundant. Ipsa ratio, quæ supra ob sui firmitatem dicitur sanctus, quasi leo rugit, dum ex clamore eius, cui

innititur, diuini scilicet eloquij, bestiales vndecumque motus quasi regia quadam auctoritate perterret & concutit. Ipsa inquam rugiet & filij maris formidabunt, cum aut ex interni seueritate iudicij, aut certè recordatione peccati ad se versum erecta, filios maris, idest motus seculares formidare facit, & quantò magis alterutro imbuitur, tantò magis quicquid menti temporale & transitorium insonat, perterretur.

Vers. 11. *Et auolabunt quasi auis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum: & collocabo eos in domibus suis.* Filij maris ex Ægypto quasi auis auolant, dum instinctis superbiæ, qui per auem figuratur, ex infimis se desideriis alleuat, & præsentem mœrorem gaudio spirituali commutat. Ægyptus enim mœrorem signat. Quasi columba in illa sine felle, sed seducta sine corde, de terra Assyriorum auolat, cum omne illud à se remouet, quod pomposiùs in hoc mundo ac curialiùs putat. Hoc enim aulicum sonat. In domibus suis eos collocat, cum ad conscientiam reuocatos à sua dispersione coadunat.

Vers. 12. *Circumdedit me in negotiatione Ephraim, & in dolo domus Israël.* Ephraim Deum in negotiatione circumdat, cum præsidentem sibi in Deo rationem gloriæ inanis mercimonio coangustat. Quid enim est nisi negotiari, pro vulgi fauoribus bene operari? Ephraim ergò Deum negotiatione circumdat, cum ad recipiendas pro benefactis laudes, sentientem cum Deo spiritum voluntatis vanitas persuadet & incitat. Domus Israël in dolo circumdat, cum conscientia carnali appetitui, quod est Israël, prona in superficie cogitationis, imperio rationis obtemperare se simulat; quæ tamen opportunitatem peccandi aucupatur si liceat. *Iudas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis.* Quod est dicere; pœnitentialis confessio quæ quod in nobis Deus iudicat, ipsa etiam pariter condemnat, si enim nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. (1. Cor. 11. 31.) In hoc ipso cum Deo testis descendit, idest humiliatur, quia ab Ephraim & Israël tam superbis, quàm subdolis ad hanc simplici deiectione recurritur. Et cum sanctis fidelis est, dum humilitatem, quam eis in præsenti imperat, in sequentis seculi exaltatione glorificat. Fidelis ergo dicitur, quia quod modo spondet fide sempiterna sanctis exequitur.

CAPVT XII.

Vers. 1. EPhraim pascit ventum, & sequitur æstum. Ephraim ventum pascit, dum ventosis, idest loquacibus, nouarum scilicet rerum cupidis efferendi suas laudes causas attribuit. Hoc dicitur Ephraim facere, quia adiacet voluntati laudari velle. Sequitur æstum, quia quò magis exteriùs restringitur, eò interiùs magis flagrat feruoribus carnalium incentiuorum. Ac si diceret, fauores foris expetit, sed tantò eum petulantia durius vrit. *Tota die mendacium & vastitatem multiplicat: & fœdus cum Assyriis init, & oleum in Ægyptum ferebat.* Tota die mendacium multiplicat, qui iugiter alienis labiis per suam hypocrisim occasiones mentiendi subministrat. Sed vastitatem multiplicat, quia quò magis extolli se audit, eò desolationis internæ deserta dilatat, dum verborum florente copia, quæ non videntur incuriæ mancipat. Fœdus cum Assyriis init, dum cum his qui temporaliter gloriantur vnanimis fit. Oleum in Ægyptum portat, qui gratiam Dei in vacuum se recepisse non trepidat. Et in Ægyptum fert oleum, qui secularibus seculariter placere desiderat de excremento virtutum.

Vers. 2. *Iudicium ergò Domini cum Iuda, & visitatio super Iacob.* Cum Iuda iudicium Domini est, quia in virtute confessionis, discretionis spirituum subtilitas permaximè necessaria est. Super Iacob visitatio fit, cum in supplantandis vitiis rationi nostræ metus diuinæ vltionis semper assistit. Visitatio enim aliquotiens pro punitione ponitur. *Iuxta vias eius & iuxta adinuentiones eius reddet ei.* Iuxta vias eius ei redditur, cum intellectus noster pro cuiusque erroris quantitate compungitur, & quasi pro commisso vapulat, dum doloris intimi talionem petulanti quondam animo repræsentat. Adinuentiones autem sunt, quæcumque in humanis vsibus debito naturæ supersunt. Has ei reddit, cum sibi ipsi intellectualis ille iudex sub pœnitudinis acerbitate restituit.

Vers. 3. *In vtero supplantauit fratrem suum: & in fortitudine sua directus est cum Angelo.* * Vers. 4. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus est.* In vtero fratrem supplantat, cum intra conscientiam carnalis rigiditatem appetitus præcipitat. In fortitudine sua cum Angelo dirigitur, cum libertas arbitrij, qua fortius nihil est, sermoni diuino, qui Dei ad nos internuncius est, irremissè innititur. Ad Angelum inualescit, cum ex eloquij frequentatione diuini contra contrarias fortitudines spirituale in dies robur accrescit. Confortatur dum inter tentationum molimina, nusquam mentis rigor nutare permittitur. *Fleuit & rogauit eum.* In fletu humor interior ad exteriora elicitur. Flere ergò dicitur, qui omnem interiorem molliciem exuccare conatur. Rogat Angelum, qui in summa habet veneratione & reuerentia Dei verbum.

In Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum.

nobiscum. * *Et Dominus Deus exercituũ, Dominus memoriale eius.* Bethel interpretatur domus Dei. In Bethel Angelum inuenit, cũ Deum inhabitatorẽ gerens per eius aspirationem diuini eloquij arcana discutit, quo & prolata auctore cognouit. Quisquis enim mysteria scripturarum sine Dei spiritu reserare posse se æstimat, planè veluti sine luminibus alienos parietes erroneus palpat. Ibi nobiscum loquitur, quia secundum quod à Deo pectus legentis imbuitur, mox sacræ paginæ consentiente sententia quidquid obstrusum pridem obstiterat liquidò aperitur.

Notandũ quod singulariter de se loquens subiunxit extremò, nobiscum. Inuentus enim in Bethel nobiscum loquitur, quia sanctæ cuiuspiam cõscientiæ, quę Deo hospite gaudet, sensus in sacra scriptura perscrutanti diuinos cum aliquid obscurũ inclaruerit, profectò sine inuidia à Deo sibi data celore impatiens, aut locutione aut scripto nec mora & aliis propagare gaudebit. Nec solùm Angelus sed & Dominus Deus exercituum nobiscũ loquitur, quia quicquid in eodem sacro eloquio reperitur ab ipso indubiè pãditur, qui priorũ exercitiorum nostrorum benignus incentor, quę his sanctis studiis impendũtur, esse probatur. Exercitus enim ab exercendo dicitur, & est Deus exercituum, cui militant exercitia animorũ. Dominus memoriale eius, superiùs dixerat Dominus Deus exercituum, nunc iterat etiã Dominus, vt per hoc innuat eumdem esse Dominum, qui sacri verbi nobis studiũ subministrat, qui quondam per Prophetarum ora, ea quæ eius gratiam in eorum libris à nobis anxiè exquiruntur locutus fuerat. Memoriale autem eius hoc est; vt qui quondam per illos antiquos mira prædixerat, non minorem hodièque in nobis virtutem exercere credatur, quibus tanti consilij penetralia subintrare humiliter quærentibus donat. *Habentes*, inquit Apostolus, *eumdem spiritum, credimus, propter quod & loquimur.* (2. Cor. 14. 13.)

(Vers. 6.) *Et tu ad Deum tuũ conuerteris: misericordiam & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.* Et ad Deum suum haud dubium quin Iacob aut Iudas conuertitur, cum ratio pœnitentialiter semper confitens, inter supernorum largitiones munerum ad eum, à quo prærogantur, respectare monetur. Misericordiam & iudicium custodire iubetur, vt scilicet in præsenti, si bene inuigilet, se Dei misericordiam reperturum non desperet, sin autem, in futuro iudicium miserabilem præstoletur; sicque inter spem misericordiæ, & metum iudicij constitutus, ad spem pronior inueniatur, vt magis amore quàm timore trahatur; à nemine enim quicquàm nisi sub amore speratur, & hoc est quod dicitur: spera in Domino Deo tuo semper.

(Vers. 7.) *Chanaan, in manu eius statera dolosa, calũniam dilexit.* Chanaan interpretatur negotiator. Negotium autẽ ad hypocrisim supra diximus pertinere. In manu ergò Chanaan statera dolosa est, quia in opere hypocritarum nihil pensi & moderati est: Si enim bene perpenderent numquam buccinatoribus suis inanitatem suæ mentis vel operis tanti venderent. Si enim tantæ vacuitati nomen sanctitatis, quod omni thesauro præponderat, exæquare velis, non dico non stat, sed nec esse potest, quia inter nihil & aliquid comparatio nulla constat. Calumniam quoque diligit, quia quisquis externis fauoribus attolli appetit, illis omnibus necesse est inuideat, quos aut potius aut pariter laudari audit. Quod si inuidet, certè mox consequitur, vt his quibus inuiderit amantissimè deroget.

(Vers. 8.) *Et dixit Ephraim: verumtamen diues effectus sum, inueni idolũ mihi:* Quod vocauit Chanaan, hoc etiam innuit per Ephraim. Si enim ille negotiator, & hic frugifer, planè negocium hypocrisis non emergit, nisi de superficie eius, quæ putatur frugifera actionis. Est ergò ac si dicat. Quicumque in statera mei habitus, & externæ considerationis sit dolus, ego tamen diues efficior, dum per omnium linguas cotidiana rumoris augmentatione promoueor. Inueni idolum mihi, quia imaginem sanctitatis, quæ à cunctis honori habeatur ostendi. *Omnes labores mei, non inuenient mihi iniquitatem quam peccaui.* Quod est dicere. Iccircò omni cura & labore in colore religionis exerceor, vt videlicet nemini eorum, qui me efferunt, veniat in notitiam iniquitas mea interior. Quod dicit, non inuenient, sic est ac si diceret, abscondent, vt est illud: clausis non aperuit carcerem, quod est obstrusit. (Isaiæ 14. 17.)

(Vers. 9.) *Et ego Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, adhuc sedere te faciam in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis.* Eduxit nos Deus de terra Ægypti, qui de tenebris vitiorum in admirabile lumen suum nos vocauit. Adhuc in tabernaculis sedere nos faciet, cum quãdiu peregrinamur à Domino, quamdiu in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati debita humilitate, quod signatur sessione, nos deprimet. *Surgite*, inquit, *postquam sederitis.* Tabernacula autem peregrinantium, vel militantium sunt. Militia enim vita hominis. Et hoc sicut in diebus festiuitatis facimus, quando depressionem nostram in præsenti luminosæ illius spei gaudio verè festo compensamus. (Psal. 126. 2.) (Iob. 7. 1.)

(Vers. 10.) *Et locutus sum super Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarũ assimilatus sum.* Super Prophetas Dominus loquitur, cum vltra omnium prouidentiarum nostrarum perspicacitatem, sua sola aspiratione nos docere dignatur. Visionem quoque multiplicat, dum per eumdem instinctum in nostra intellectualitate aciem discretionis augmentat. In manu Prophetarum assimilatur, dum prouidentiæ nostræ exercitium ad contemplandam etiam diuinæ celsitudinis speciem assurgere æmulatur. Nota quàm vigilanter dicat assimilatur,

Omne autem simile non est idem quod illud A cui simile dicitur. Assimilari ergò Deus in manu Prophetarum solet, cum omnis nostri contuitus opera scintillare in Deum nititur, nec tamen est Deus quod videt.

Vers. 11. *Si Galaad idolum, tamen frustra erant in Galgal bobus immolātes.* Galaad interpretatur aceruus testimonij. Quod est dicere. Si hi qui inferiùs dilatantur, & penes Deum malè angustantur, vitiorum ac si idolorum cultibus instant, pensare debuerant quia vitiorū volutabris frustra sese immersitant, cum nil aliud explicent; nisi quòd aciem mentis in hebetudinem bestialem mactando cōmutent. Galgal enim volutabrum B interpretatur. Volutabrosi ergò, vt sic dicam, bobus immolant, cum spirituali alacritate recussâ sese ponderositati carnis, quasi stolida animalia, fœdè attrectāt. *Nam & altaria eorum quasi acerui super sulcos agri.* Superiùs paulò eorum altaria diximus hypocritarū proposita. In quo enim quilibet ipsorū vult honorari, verbi gratia, vigilat iste, abstinet ille, iste silet, in qua, in quā, institutione volet insignis haberi, quasi aram proponit, super qua à leuitatibus hominum debeat venerari. Hæc altaria quasi acerui super sulcos agri fiunt, cum his quibus prædi- C cant, & super quos magisterij authoritate præsidere desiderant, quasi sulcis agri aceruus efficiunt. Aceruus enim si sit in sulcis, numquam eos permittit attingere ad alicuius vtilitatem frugis. Et hi qui simulatè præsident, dum dubia exempla ostentant, non tàm instruunt simplices quosque, quàm aggrauant.

Vers. 12. *Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israël in vxore, & in vxorem seruauit.* In regionem Syriæ Iacob fugit, cū spiritus noster, cui vitia supplantandi officium est, extra sensualitatē corporis in sublimem habitū mentis, qui tempora- D lia supergreditur, iuxta Apostolum, Deo excedit. Fugisse autem dicitur, quia & Dauid à forensi strepitu fugiens elongasse se testatur. Psal. 54. 8. Syria enim sublimis interpretatur. Ibi in vxore seruit, dum pro subiuganda sibi propria voluntate se deserit: Vxor enim nostra voluntas est, quia nullum bonum est, nisi quod voluntariè fit. Sine hac ergò spiritus noster, qui vir est, nihil efficit. Qui autem seruit, alterius ditioni se tradit. Vt ergo hanc habeat, desideriis suis renunciat. Sed quærendum quid fugiat? conformitatem videlicet eorum, quorum cœtus E in Galgal bobus immolat, & qui sunt vt acerui super illos sulcos agri, qui, iuxta Iob, terra Iob. 31. 38. aduersus suum reclamante cultorem, pariter deflent. Iacob in vxore seruauit haud dubium quin oues Laban, cum per contubernium bonæ suæ iugalis gregē cohibet piæ cogitationis.

Vers. 13. *In Propheta autem eduxit Dominus Israël de Ægypto, & in Propheta seruatus est.* In Propheta de Ægypto Israël educitur, cum per futuri iudicij prouidentiam affectualitas nostra à sæculari prosecutione secluditur. Nisi enim & bona & mala prudentia Christiana prospiceret, nusquam aut amore, aut timore traheretur, aut fugeret. In Propheta quoque eductus de Ægypto seruatur, quia sine tali prouisione præsentia contemnere incipientibus perseuerantiæ constantia non seruatur.

Vers. 14. *Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eum veniet, & opprobrium eius restituet ei Dominus Deus suus.* Quoniam Ephraim ad hypocritarū significantiam semel eduximus, voti nostri est quamdiu textus non oberit continuare quod cœpimus. Ad iracundiam Ephraim Deum in suis amaritudinibus prouocat, cū hi, qui de sua fructuositate se iactant, per interioris eum nequitiæ amaricationes irritant. Sanguis eius super eum venit, cum peccatorum diuturna occultatio eos supergrediendo obruit. Sanguinem pro peccato poni etiam vulgò celebre est. Opprobriū ei Dominus restituit, cum ea, quæ ad Dei exprobrationem indesinenter ab eis committuntur, per apertissimos turpium criminū lapsus ad eorum perpetuam infamiā propalantur.

CAPVT XIII.

Vers. 1. *Loquente Ephraim horror inuasit Israël, & deliquit Baal & mortuus est.* Ephraim loquitur & Israël horror inuadit, cum hypocritarum plerumque in scripturæ sacræ dissertionibus eloquio intonante, & subtilissima de moribus disputante, eos, qui cum Deo dirigi appetunt, magnus sub eorum prædicatione terror concutit, quò enim vulgò miserabiliores videri desiderant, eò disertitudinem suam ostentantes de subtilioribus tractant, sed inter hęc in Baal delinquit, cum nihil eorum quæ loquitur menti suę admouens, instar simulachri miraculo duntaxat, audientium Dominica verba prostituit. Et moritur, quia immemor eorum quæ dixerit, in insensibilitatis stuporē conuertitur.

Vers. 2. *Et nunc addiderunt ad peccandū: feceruntque sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est.* Et nunc, idest in hoc ipso prædicandi proposito ad peccandum addunt, cū sibi quæ bona dixerunt ascribentes verbū Dei adulterare non desinunt. Etsi enim ex Deo nō tamen corā Deo dicunt: de argento suo sibi conflatile faciunt, cū de eloquentia sua inepti sibi vulgi frequentiam conflare contendunt. Argentum pro eloquentia ponitur, vt est; *Eloquia Domini argentum igne examinatum.* Psal. 11. 7. Hoc conflatile quasi similitudo idolorum est, quia tota illa vilis plebeculæ coaggeratio pro solo figmēto suæ ostentationis est; & quantum ad auctorem pertinet, quædā de Dei in diaboli cultum sacrilega translatio est. Factura artificum totū est, quia quidquid exteriùs operantur, totum sine vlla veritatis constantia quodam liniamento fucatæ cōpositionis aptatur.

His ipsi dicunt: immolate homines vitulos adorantes. Quod totum est dicere. Quid tales

faciunt his, quas exhibere videntur imaginibus sanctitatis, nisi quòd opere clamant, quatinus vitulos adorent, & id ipsum quod sunt homines eis immolent? Vitulos adorat quisquis petulantiæ mundanæ se subiugat. Et natura tamen est vituli esse pro ingenita lentitudine ponderosum, sed pro ætate lasciuum. Quod in hypocritis patet, quorũ maturitas in habitudine floret, sed hircina intrinsecus petulãtia fœtet. Hi ergò vituli adorantur, vel adorari tali exemplo monentur, cum talis eorum status pro gloria nominis tãquam venerationi habendus commendatur. Vnde eis homines immolant, cum rationalitatem suam sub tanta bestialitate trucidant.

Vers. 3. *Iccircò erunt quasi nubes matutina, & quasi ros matutinus pertransiens.* Quia ita, inquit, ad aliorum pernitiem prædicabiles fieri appetunt, quasi nubes matutina ex merito suo fient, quia insulsæ eorum laudes cum persunctoria pompa, Deo eorum nequitias retegente, in momento deficient. Nubes enim matutina aurora cursus prouehente esse mox desinit. Ros itidem sole incalescente disparere consueuit. Quod expositione non indiget, quia in ipsis hypocritarum euentibus penè indesinenter elucet,

Sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario. Area nostra sancta Ecclesia est, vel cuiuslibet conuersationis religiosa professio. Ex hâc areâ puluis turbine rapitur, cum mentium instabilitas ad illicitos actus, diaboli flatu acta, à proposito dimouetur. Sicut quoque fumus de fumario sunt, quia cum per fauores alta petierint repentè dispereũt. Sicut quoque fumus intuẽtium imò circumstantiũ oculos aggrauat & perstringit, ita non modo simpliciũ, sed & argutorum intelligentias simulata aliquotiens virtus obducit. His ritè hypocritæ comparantur, qui lapsibus inopinatis ad subitum à suo tumore reflantur.

Vers. 4. *Ego autem Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & saluator non est præter me.* Sunt multi qui bona ex veritate proponunt, & aliquamdiu in hoc ipso persistunt, at cum laudari se audiũt, ad appetitum gloriæ mutata intentione se transferunt. Est ergò ac si his diceret: Meminisse debueratis, quòd vos olim de tenebrarum potestate in regnum dilectionis meæ transtulerim, me semel cognito omnis Deus recens à vobis debuerat excludi, & salus vestra, quam prouidentiæ vestræ studioque ascribitis, mihi potissimùm debuisset ascribi, quia si velitis saluari me prætermisso, fallimini. Absque Deo scit Deum, cui magis quam Deus coli adiacet vitium.

Vers. 5. *Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis.*

*6. * *Iuxta pascua sua, & adimpleti sunt, & saturati: & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* In deserto eos cognouit, quamdiu videlicet secularem exosam habuere frequentiam eos approbauit. Nosse enim Dei approbare est. In terra solitudinis cognoscitur, quisquis instabilitate mentis secum habitantis (terra enim in æternum stat) à Deo gratanter acceptatur. Notandum quod de secunda persona more hebraïco ad tertiam personam transit. Iuxta pascua sua cognoscuntur, qui in diuinæ lectionis pabulo fideliter ac humiliter oblectantur. At verò implentur, cũ fastus ex scientiæ copiositate concipitur. Saturantur cum aut fastidio, aut superbia sacra volumina quasi scientissimi nec respectare dignantur: & vt iuxta Psalmũ dicam: Omnem escam anima eorum abominatur. Cor suum eleuãt, cum sapientiam suam vbique percelebrant. Cor enim pro sapientia in scripturis ponitur, quia loquitur Deus pacẽ in his qui conuertuntur ad cor, sin aliàs, vel certè quia corde sapimus. Dei obliuiscuntur, in quorũ cordibus cõfusa omnia sine rationis auctoritate feruntur. (Psal. 106. 18.)

Vers. 7. *Et ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.* Est eis Deus quasi leæna, dum ex bono secundum quod videbatur opere, & quod quantum ad ipsum opus pertinet, Dei erat, voluptas menti luxurianti innascitur, crudelitas etiam indignationis penes alios & inuidiæ generatur. Deus ergò hoc eis extat, cuius efficientiæ causam præstat, vnde Psalmus, cum peruerso peruertendum eum clamat. Leæna enim crudele & petulum est animal. In via quoque Assyriorũ quasi pardus est eis, cum lata & spatiosa sectantibus ob morborum suorũ varietatem, quibus aliis placere gestiunt, pœnas permittit luere subitaneæ præcipitationis. Pardus enim & varium & ex nimio cursu in mortem præceps animal est. (Psal. 17. 26.)

Vers. 8. *Occurram eis quasi vrsa raptis catulis.* Quasi vrsa raptis catulis eis Deus occurrit, cum insecutiones atque molestias ab his, qui eos laudare solebant, & etiam sui operis vilipensiones immittit. Vrsa enim raptis fœtibus ferocior est, & nihil est quod magis eorum mentem obruat, quàm quod quis eos ab operum suorum laude priuat. Quasi vrsa ergò occurrere dicitur, cum eis iudicium secundum conuenientiam naturæ bestialis exeritur.

Et dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos. Secundum physicos iecore amamus. Deus ergo iecoris eorum interiora disrumpit, cum occulti amoris petulantias quibus insolens animus oblectatur quasi quodãmodo exenterans vndecumque patefacit. Ibi eos quasi leo consumit, dum statum eorum, qui sibi aliquid esse videbantur, ibi, idest in hac carnalis lapsus fœditate exinanit. Et hoc facit quasi leo, assultu videlicet aperto, non à cauda, idest latenter, vt draco. Nihil enim magis contiguum rigori superbiæ, quam sub hac liquefieri solere mollitie. Per agrum in-

compositus & Christianæ vrbanitatis nescius animus intelligitur. Per bestiam, cuius feralis & indomita natura dinoscitur, appetitus. Bestia agri ergò eos scindit, cũ velint nolint corporalis appetitus ingenitæ concupiscentiæ ipsos impatientes efficiens, quasi euiscerando, quales apud se habeantur, ostendit.

Vers. 9. *Perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.* Israëlem supra dixeramus eos qui ex talium mercenariorũ fideliter ore pendebant, & cum Deo secundum etymologiam nominis dirigi cupiebant. Hîc dicitur perditio tua, ac si diceret: Tu te existimas perditum esse, quia tibi contigerit exemplo, & monitis talium damnaticiorum horripilationem aliquam ad pœnitendum beniuolè concepisse. Quoniam igitur vides eos in sua lentitudine languisse; tantummodò in me tuum tibi auxilium expedit conuertisse.

Vers. 10. *Vbi est Rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis.* Ac si diceret. Tu te tuo magisterio gratulabundus supergaudere volueras; & quasi ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ego sum Apollo dicere cœperas; & ecce Regem tuum, de quo falsò sperauer as, ex hypocrisi decidisse consideras. Hic maximè necessarius tibi erat, vt in omnibus vrbibus tuis, id est conscientiarum conceptaculis, salutifero te muniret exemplo. *Et iudices tui, de quibus dixisti: da mihi Reges ac principes.* Ac si dicat. Et hi sunt quos in extremo examine pro spõtanea pauperie, pro seculi abrenunciatione sessuros cum Domino iactitabas. Dicitur autem hoc pro parte eorũ qui scienter hypocritis fauent, & tali disciplinæ obtentu fauorum gestiunt applicari. Iudices, inquã, tui vt opinaris, non Dei. De his dixisti, *da mihi Reges & principes*, idest, de talibus optasti vt tibi principarentur & regerent, qui in suo te discipulatu obsequia diligere, & affectare laudes imbuerent. Quod etiam nunc crebrò perspicimus, vt non solùm hypocritarum, sed etiam probabilium virorum contuberniis se immergant, vt quodammodo eidem, qui eis exhibetur honori communicent.

Vers. 11. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Ne quereris, inquam, quod Reges gloriosos amiseris, sed potiùs querere Regem in furore meo tibi dandum, illum scilicet qui pro pœna peccati miseris infligitur reprobum sensum; & si qua tibi verioris intelligentiæ, quæ adhuc te regat, scintilla resederit, iustè iudicio indignationis auferetur.

Vers. 12. *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.* Vulgares quilibet peccatores ad confessionis gratiam facillimè pertrahuntur, hypocrita vix aut nunquam, quia qui ad hoc laborat, vt sanctitatis nomine honoretur, numquam ad hoc, vt fœdum de se quippiam confiteatur, inducitur. Iniquitas ergo Ephraim colligatur, quia numquam vllius puritatis eloquio ab obstinato corde resoluitur. Peccatum illius absconditur, quia via eius minimè Deo reuelatur, quippè à quo nihil prorsus, sed à solo mundo separatur.

Vers. 13. *Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens.* Dolores parturientis ei veniunt, cum acutissimæ titillationes carnis vterum mentis eius abrumpunt. Sed inter hæc ipse filius non sapiens est, quia cum filium Dei se vulgò cantitari gaudeat, ipse tamen nõ sapiens est, quia Deum Patrem in nullo lætificat. Filius enim sapiens, iuxta Salomonem, lætificat patrem. (Prou. 10. 1.)

Vers. 14. *Nunc enim non stabit in contritione filiorũ.* * *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Nunc, idest, in præsenti, quamdiu scilicet hodie dicitur, in contritione filiorum non stat, quia eos Dominus, cũ in labore hominũ non sint, cum hominibus, vt pote quos nõ recipit, vt filios nõ flagellat. Filios enim in hoc mundo conterit, quos ad æternitatẽ subrigendos elegit. Hos de manu mortis liberat, quos de perpetratione peccati nunc saluat. *Peccatum enim intrauit mundum, & per peccatum mors*, effectum pro causa posuit. (Rom. 5. 12.) Quos autẽ de manu mortis liberat, etiã de morte redimit, cũ quos opere exuerat, pariter à mortifero quoque ab eiusdem pœna perpetuæ mortis absoluit.

Ero mors tua ò mors, ero morsus tuus inferne. Exponit quomodo eos de morte liberet. Deus mors mortis est, cum mentiũ insensibilitatibus illabendo recalescat, quicquid ibi torpidum, quicquid sine motu piæ rationalitatis est. Si cœlum vocatur anima iusti, non immerito iniquus quilibet nomine designatur inferni. Fit ergò Deus morsus inferni, cum per suæ aspirationis illapsum prægustandum se exhibet peccatoris cuiuslibet cordi.

Vers. 15. *Consolatio abscondita est ab oculis meis.* * *Quia ipse inter fratres diuidit.* Superiùs de contritione filiorum dixerat, nunc de eadem subinferendo replicat. Consolatio absconditur ab oculis Dei, cum inter aduersa præsentis seculi, vel quælibet alia flagella Dei, nullum temporale solatiũ patiuntur in se admittere sancti viri. Per oculos enim Dei sancti intelligũtur & docti, qui viam prouident Ecclesiæ corpori, vel etiam illustrata à Deo claritas intellectualis nostri ingenij. Omnis ergò consolatio ab his absconditur, quia prosperari in hac via, aut inter diuina verbera ad modicum respirare in talibus omnimodis auersãtur. Ideo cum Rachel noluit consolari, quia iustis ineffabilia sciunt præmia præparari, cum etiam ipse infernus, qui iam ex parte quasi mordendo libauit, quam suauis sit Dominus inter fratres diuidat, idest beatæ portionis mercedem inter eos, qui sancti sunt & vocãtur, accipiat.

Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem: & siccabit venas eius, & desolabit fontem eius, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. Ne ergò terreatur, aut

pro aliqua difficultate desperet ille quondam, qui modo Deum prægustauit, infernus, quia adducet Dominus ventum vrentem, spiritum videlicet quidquid fœdi est interius humoris exsiccantem, qui ventus de deserto ascendit, de mente scilicet, cui exilium, immò solitudo est mundus, emergit; quem sponsa in Canticis ad perflandum hortum suum euocans vt veniat ex nomine petit. Is siccat eius venas, cum cogitationis meatus obstruit, per quam veteres olim permittebat illabi lasciuias. Fontem eius desolat, cum originem mundanæ intentionis sub vnius desiderij simplicitate conflagrat. Quasi enim frequentia est inhabitantium, vbi multiplicitas est appetituum. Fons ergo desolatur, cum seculi memoria vsu cogitationum neutiquam frequentatur. Tunc primùm ipse de inferno cœlum factus thesaurum omnis vasis desiderabilis diripit, cum eum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ Christũ, à cuius vestimentis mirrha, & gutta, & cassia profluunt, scilicet genus omne virtutum purificato iam corde constringit. Et notandum quod dicitur diripit, diripere enim in diuersas partes rapere est. Thesaurum ergò omnis vasis desiderabilis diripit, qui omnium sanctorum, vel virtutum, qui in Christo censentur, exempla quaqua versum in se contrahit.

Cant. 4. 16.

CAPVT XIV.

Vers. 1.

PEreat Samaria, *quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.* Ac si diceret, pereat ab exemplificatione fidelium exterioris hominis peruersa illa custodia, quoniam in non custodiendo interiorem Deum suum, ac si vigilanter diceret, non quemlibet externum, sed iudicem internum prouocauit ad amaritudinem. *In gladio pereat, paruuli eorum elidantur, & fœtæ eius discindantur.* Samaria in gladio perit cum ipsa subtilis in sui obseruatione vigilantia deseritur, à constipatorum suorum, qui ei adulabantur, frequentia. Sæpe enim euenit, vt talis deprehendatur astutia, vnde in gladio signatur discordia. Paruuli eorum eliduntur, cum allisi ad petram à suæ habitudinis duritia confringuntur. Paruuli sunt qui adhuc ad id officij rudes sunt. Fœtæ eius discinduntur, cum hi, qui diuturno sunt studio huius artis imbuti, & spem concepêre iam lucri, quo obtentu hæc faciant, rimis, vt sic dicam, patentibus, & ad quid aspirent publicè exponuntur. De fœtis his in Euangelio dicitur. Væ prægnantibus & mammantibus.

Lucæ 21. 23.

Vers. 2.

Conuertere Israël ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Ad eos quibus imprecatus fuerat facit apostropham. Ac si dicat: quoniam in iniquitate, qua cum Deo dirigi volebas, & altissimo similis fieri, dum illum, qui ei debebatur honorem tibi arrogabas, corruisti, idest ab inani spe decidisti: Ad Dominum Deum tuum, ad eum videlicet non cui suppar sis, sed cuius subiaces ditioni, & qui secundum quod Deus, arcani tui iudex est, & simulationis testis, tandem conuertere.

Vers. 3.

Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum. Verba in scripturis, & secularibus, & nostris, pro nugis & fabulis poni solent. Vnde Ouidius: verba dat omnis amor. Et Dauid ad fratrem se culpantem. Nunquid, inquit, non verbum est? Tollit verba qui vulgi se laudantis despuit lenocinia. Sed quia nil tollit qui se pariter non tollit, vobiscum additur, vt falsitas operum cum verborum adulationibus abigatur. Ad Dominum conuertuntur, cum ad ei iam placendum ex toto vertuntur. Hoc enim con præpositio præmissa significat.

1. Reg. 17. 29.

Dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Dominus rogatur vt auferat iniquitatem, cum de exhibito bono opere, duplicitate remota, debitam petitur puritatem. Accipere bonum quoque petitur, boni scilicet exercitij studia, quorum laude & gloria fraudabatur. Labiorum nostrorum vitulos reddimus, illos videlicet quos adorandos vt immolarentur homines impiè clamabamus, dum petulantiam internæ leuitatis, qua de populari obsequio gaudebamus, quam etiam nostris ipsorum labiis incitare solebamus, per confessionem Deo representamus,

Vers. 4.

Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus vltra: Dij nostri opera manuum nostrarum: quia eius, qui in te est miserebéris pupilli. Assur non saluat nos, cum regia cognitio, & aulica promotio, nostros nulla spe iam occupat, quantum ad salutem temporalem attinet, animos. Super equum non ascendimus, cum secularis excellentiæ nobilitatem respuimus. Opera manuum nostrarum vltra Deos non dicimus, cum ad spectaculum nostræ bonæ conuersationis, tamquam ad alicuius idolatriæ cultum, nequaquam lenocinium ridiculæ vulgaritatis asciscimus. Præterierat me diuinę testificatio locutionis, quod vtique per equum significetur fastus gloriæ temporalis, vt est: Ab increpatione Dei Iacob, dormitauerunt qui ascenderunt equos. Eius qui in eo est Deus miseretur pupilli, quia postquam mens à præsentis seculi se omnimoda consolatione deponit, & quasi diaboli patris vltro fomentum, sub quo nutriebatur, amittit, & se

Psal. 75. 7.

misericordis Dei iam visceribus intromittit; eius profectò tunc miseretur, quia aliena benignitas non speratur.

Vers. 5. *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè.* Contritiones eorum sanat, dum veternorum detrimenta peccatorum restituendo compensat. Spontaneè eos diligit, cum non superficie tenus, sed sibi integrè & perseueranter astringit. Cui illud Euãgelicum paulò subrespicit. Cum enim Dominum quidam sciscitaretur adolescens, quibus vitam æternam actibus mereretur, & ipse ei legis mandata prætenderet, iuuenis hæc eadem ab ineunte æuo se seruasse respondit. Vbi subiungitur, quòd Iesus intuitus dilexerit eum. Cui tamen cum postmodum de mundi abrenunciatione nouæ legis scita proponeret, tristis abscessisse mox dicitur, quoniam multa possidens diues esset. Hunc ergo amorem, & illam Achab Regis perfidi perfunctoriam, quam pro demisso capite Dominus olim laudauerit humilitatem, hæc, inquam, vtraque vtrum spontanea, sicut hic legitur, dilectione dignatus sit, coniicere velim. Si spontaneum est quod nullo cogente, nullis causis subiacentibus fit, maius in Deo mihi videtur, quam si ex merito sit. Quod enim merito refertur, debitum est, quod autem gratis ingenitum. Cum quis obsequium amat, cessante officio lentescere solet affectus, gratuitum autem, ea qua cœpit vltroneitate perdurat. Spontaneè ergò mihi videtur dictus diligi, qui sine præcedentia boni cuiuspiam dinoscitur allegi. Perfunctorium autem in Deo nil est, aut vicissitudini obnoxium, vt quod semel dilexerit, suboriente caussa cassari mox possit, sed quod dicitur dilexisse, ostendit iuuenem conuersatione forinseca, ab his qui eum viderent diligi potuisse. Cui sensui accidit quod dicitur, Intuitus eum Iesus. Nec frustra, nec enim eum non nouerat. Cui simile est, quod de fide Centurionis dicitur admiratus. Et quid in Centurione mirabatur quem nihil non à se habere nouerat, nisi quod dignus miraculo homo idem monstrabatur? Sequitur:

Lucæ 10. 25.

Matth. 8. 10.

Quia auersus est, inquit, *furor meus ab eis.* Ab eis furor Dei auertitur, cum cordis hactenus impœnitentis obstinatio dimouetur. In nullo enim magis Deus contra hominem furit, quam cum prauæ conscientiæ duritiam non emollit.

Vers. 6. *Ero quasi ros, Israël germinabit quasi Lilium, & erumpet radix eius vt Libani.* Est Deus quasi ros, cum gratiæ suæ temperantiâ refrigerat motus mentis ignitos. Israël quasi lilium germinat, cum sanctimoniæ desiderio, sine qua Deum nemo videbit, florentissimè flagrat. In quo notandum, quòd lilium & sarculo excolatur, & fimo aliquotiens humectetur. Quod non inconcinnum est castitati, quæ & abstinentiæ ligonem desiderat, & veterum peccatorum recordationibus ad sui custodiam prouidentior extat. Vnde & in Canticis lilium conuallium dicitur, quia pudicitia perseuerare non potest, nisi quæ profunda sui ipsius vilipensione munitur. Israëlis radix nil aliud est, quam firmitas intentionis. Hæc erumpit vt Libani, siue vt in alia translatione est, * mittet radices suas quasi Libanus, cum secundum excellentiam exterioris operis, constat soliditas à Deo radicatæ per caritatem cogitationis. Cedrorum enim proceritas radices dicitur habere summoperè altas. Non enim potest pondus arboris grande subsistere, subter posita breui & infirma radice.

Cant. 2. 1.

* Sept. Interpretes.

Vers. 7. *Ibunt rami eius.* Rami eius eunt cum opera ordinatè distributa proficiunt. Et rectè post radicis altitudinem, ramorum subiungit dilatationem, quia dum quilibet in beneficientiæ exhibitione distenditur, necesse est, vt prius si perseuerare proponat, alta mentis deliberatione fundetur. *Et erit quasi oliua gloria eius: & odor eius vt Libani.* Quasi oliua gloria eius est, qui operibus misericordiæ exuberans est. Oliua enim olei ferax est, & dum alios piè refouet quasi vnguentum, quo dolores mitigentur, debilibus præbet. Vel sicut oliua gloria eius esse dicitur, quia nitor gloriæ interioris, quæ oleo designatur, testimonium conscientiæ ab Apostolo nominatur. Odor eius vt Libani est, cum quidquid agit, quidquid loquitur, quidquid cogitat, aut oratio aut contiguum orationi est. Libanus enim thus interpretatur. Vnde in Psalmo: Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum. Et, Odor vestimentorum tuorum, idest operum, sicut odor thuris.

2. Cor. 1. 12.

Psal. 140. 2.

Cant. 4. 11.

Vers. 8. *Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea.* Sedentes in vmbra eius conuertuntur, cum qui exemplo eorum se applicant, ad vitam se sanctæ conuersationis immutant. In vmbra Israëlis sedent, qui sub protectione eius, qui cum Deo dirigitur, sese humiliant. Sedere enim humilitatis est, & huiusmodi nubibus cœlum Deus operire, idest protegere solet. Viuunt tritico, illo videlicet, quod cadens in terram mortuum, multum fructum attulit grano, quo etiam frumento valles abundare dicuntur in Psalmo, quia gratia datur humili duntaxat animo. Quasi vinea germinant, siue vt aliàs translatum est, florent cum ad supernæ patriæ lætitiam indesinenter aspirant, & venena vitiorum propriæ virtutis odore vndecumque propulsant. Hæc enim vinearum dinoscitur natura florentium, vt soleant examina, si ibi sint contigui, fugare serpentium. *Memoriale eius*

Ioan. 12. 24. 25.

Psal. 64. 14.

ſicut vinum Libani. Memoriale iuſti cuiuſli- bet non aliud eſt, quàm ſpiritualis conuerſa- tionis glorioſa opinio, intellectualium odo- ramentorum, & præcipuè eximiæ diſcretio- nis, apprimè redolens condimento. Vinum autem Libani ſecundum literam pigmentis admixtum dicitur.

Verſ. 9. *Ephraim quid mihi vltra idola?* Ac ſi dice- ret: O tu malè frugifer, qui te oliuam falſo fructiferam in domo Dei appreciaris, & ia- ctas, cum ſicut hîc audis, in memoria æter- na ſit iuſtus, & memoria æterna ſit iuſti cum laudibus (Pſal. 111.7.), cur tu tibi inani ſtudio ſtatuam longæuæ laudis erigere niteris? Et notan- dum quòd additur mihi, ac ſi diceretur; hoc tuæ ſingularitatis idolum, quod celebras, mi- hi potius quàm alij cuiquam obiectas. *Ego exaudiam, & dirigam eum.* Et eſt ſenſus. Tu Ephraim tibi nomen quæritas, ſed quò te maiori rumore promulgas, eò minùs à me ſciri, & exaudiri, quin etiam dirigi te ſcias, cum tu tibi author exiſtas, te per te dirigere geſtias. Iſraëlem verò è contrà, qui hæc ip- ſa à me ſolo repoſcit, exaudiam pariter & dirigam. *Ego vt abietem virentem: ex me fru- ctus eius inuentus eſt.* Vt abietem, inquit, vi- rentem dirigam eum, quò videlicet humi- liora in præſenti de ſe ſentit, tantò eum pro- ceriori maieſtate ſuſtollam, & virorem bea- tæ perennitatis impendam. Nec id iniuriâ. Nam fructus eius ex me inuenitur, ſcilicet ex meo rore procedit, quidquid pij ſtudij illi innaſcitur.

Verſ. 10. *Quis ſapiens & intelliget iſta? intelligens & ſciet hæc.* Sapiens iſta intelligit, quia procul- dubio niſi priùs quis cordis palatum cœleſti ſapore condierit, nunquam ad intelligen- tiam horum, quæ dicta ſunt, attingere po- terit. Intelligens verò ſcit, quia per ſubti- litatem diſcretionis ad ſcientiam ideſt expe- rimentum ſanctæ actionis accedit. Quæ au- tem ſint hæc quæ ſcienda ſunt, conſequen- ter proſequitur. *Quia rectæ, inquit, viæ Do- mini, & iuſti ambulabunt in eis, præuaricatores corruent in eis.* Viæ Domini cum ſecundum Pſalmum ſint miſericordia & veritas (Pſal. 24.10); miſe- ricordia quâ peccatores pœnitendo redu- cuntur ad veniam, veritas quâ ſecundum fi- dem promiſſorum iuſti trabeantur ad glo- riam: rectæ ſunt, dum nec peccator, ſi pœ- niteat, à gloria excluditur, nec iuſtus niſi cum labore maximo ad eamdem gloriam in- trare permittitur Deo ita temperante, vt neuter ſuo pari præiudicet, dum & iuſtus habet quod innocenter emeruit, nec minùs alter poſſidet, qui vim regno cœlorum infe- rendo violenter illud abripuit. Iuſti in eis ambulant, quia ſiue peccator, ſiue iuſtus ſit, poſtquam in eis ſiue per pœnitentiam, ſeu per iuſtitiam cohabitant, ad Dei manum æqua ſorte deducti non diſpariter nomen portant. At præuaricatores in eis corruunt, qui aut iuſtè viuendi, aut poſtmodum pœ- nitendi iura caſſare non metuunt. Gratias Sancti Spiritus omnipotentiſſimæ benigni- tati referimus, cuius aſpirationem immeri- ti, & indigni in fiſtula oris noſtri ſua digna- tione ſuſcepimus. Ipſe igitur, cuius mundi- tiam ſordes noſtræ non prægrauant, ea quæ per nos dixit ad electorum ſuorum ſic men- tes extendat, vt per hæc ipſa eis condimen- tum ſuæ dulcorationis impendat.

Explicit Liber tertius in Oſee Prophetam.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS, AD TROPOLOGIAS IN AMOS PROPHETAM

PROOEMIVM.

AMos *sanctum eadem quâ elaborauimus cætera intentione præsumimus, illum, qui de grege, eum ad armenta transtulerit, & de rudi, & agresti inter spiritualis curiæ primates euexerit, præcordialibus suspiriis inuocantes, quatenus intellectualis eius buccinæ fragoribus torpidas nostri animi surditates excutiat: & ipsum, qui factus est ei sonus interior, spiritum sic infundat, vt voci nostræ, quam ab eo haurire fide indubia nos credimus, vocem virtutis viuificatoriæ ad omnium qui legerint instructiones immittat. Tibi ergo, Reuerende Magister, in quem non modo nostra, sed & nos appulimus, qui infinitas scientiæ copias cunctis sine liuore communicas, totius summam corrigendæ nostræ orationis imponimus, vt securè dilates aut minuas si quid plus æquo minusuè dixisse tuo iudicio reperiri poterimus.*

S. Norbertum intelligit.

Explicit Proœmium.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS TROPOLOGIARVM IN AMOS PROPHETAM

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Verſ. 1.

VErba amos, *qui fuit in paſtoralibus de Tecue: quæ vidit ſuper Iſraël in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas Regis Iſraël, ante duos annos terræ motus.* Amos interpretatur populus auulſus. Populus verò auulſus eſt cogitationum frequentia, quæ nullis intentionum radicibus ſeculo affixa eſt, ſed tota ab eius amore exempta ſoli intellectualitati innixa eſt. Huius Amos verba ſunt, quæcumque ſpiritualium motuum acies de natura virtutum ſuper diſcretione ſpirituum tractare poſſunt. Is quoque in paſtoralibus commanet, quia in verbi Dei pabulo dum talibus deſudat in ſtudiis inedia ipſi nulla adiacet. Tecue autem in tubam, vel buccinam vertitur. Et quæ ſonoroſior menti buccina inſtrepere præualet, quam diuinæ paginæ intelligentia, quæ ſomnolentos animi ſtatus arguens, terribili nos ad diuina reuiſenda voce ciet? Hæc ſuper Iſraël videt, quia qualiter cum Deo dirigi poſſit, ſub horum verborum ſibi diſcuſſionibus interlucet. Iſraël enim directus Dei, vel cum Deo dicitur. In diebus Oziæ Regis Iuda verba videntur, quia niſi ex rationis auctoritate ſibimet prius imperare mens nouerit, ſpiritualia nullatenus aliqua attinguntur. Ozias enim imperium Domini dicitur: qui Rex eſt Iuda, quia ad veram peccati confeſſionem tali impulſa regimine perducitur conſcientia. Initium enim bonorum, confeſſio malorum eſt. Iudas namque confeſſionem ſonat. Ieroboam quoque dijudicatio populi. Ioas mora Domini interpretatur. In diebus ergo Ieroboam Regis Iſraël verba fiunt, cum ex interna diſcretione ac ſi populi dijudicatione contemplatiuæ perſpicacitates prodeunt. Qui Ieroboam filius Ioas dicitur, quia ex diuina in noſtris cordibus commoratione quicquid bonæ ſubtilitatis eſt, nobis innaſcitur. Hic Rex Iſrael eſt, quia directionis ad Deum noſtræ ſpecialis dux & incentor eſt. Ante duos annos terræ motus verba cernuntur, cum antequam in virtutibus promoueamur, aut finem perfectionis attingamus, quæ duo cum integrè animum

obtinuerint nostrum, terram nostram, id- A est carnem, à suo pondere dimouent, ad hoc vt cum suo corde exultare eam faciant in Deum viuum. In ipsa enim nostra nouitate consopito aliquantisper strepitu vitiorum, ad examinationem sui ipsorum acuitur intuitus animorum.

Vers. 2. *Et dixit Dominus: de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam.* Dominus de Sion rugit, cum in ipso nostræ conuersionis exordio postquam statum nostrum metiri & quasi speculari cœperimus, à gemitu cordis nostri in ipsa nostri ipsorum consideratione ru- B gimus. De Ierusalem vocem suam Dominus dat, cum ex perseuerantia doloris interni experientia quasi visione pacis indepta, nil iam bestiale ac sæuum, quod rugitus significat, sed humanum omne ac serenum sentitur; quod vox sonat. Deus enim in nobis rugit, cum ex immissa cordi nostro pœnitudine rugituum causas ingerit. *Et luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.* Speciosa pastorum lugent, cum ex diuinæ vocis auditu sacræ scripturæ, quibus speciosius ad interiorem pastum nihil est, luctus C nobis occasiones insinuant. Nisi enim Deus prius menti insonuerit, fructus legentium in sacra pagina nullus erit. Vertex Carmeli exsiccatur, cum ceruicositas intestinæ mollitiei, quâ inter vitia lentescendo quondam contra Deum tumuerat, sumpta iam contra carnem propriam spiritus rebellione duratur: Carmelus enim mollis interpretatur.

Vers. 3. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd triturauerint in plaustris ferreis* D *Galaad.* Damascus dicitur sanguinem bibens, vel oculus sanguinis. Per oculum sanguinis, ad peccatum prona designatur intentio, quæ tunc sanguinem bibit, cum se peccati ingurgitat desiderio. Tria scelera Damascus habet, cum post suggestionem delectationi atque consensui subiacet. Super quatuor verò sceleribus non conuertitur, quia ad libertatem redire arbitrij dificillimum est, postquam in peccatum operis executione proceditur. Cum enim voluntate E quis ruerit, in vsum iam ex necessitate pertrahitur. Galaad dicitur aceruus testimonij. In plaustris ferreis Galaad triturauit cùm malitiosis cogitationum reuolutionibus bonæ conscientiæ in se testimonium, quod iuxta Apostolum gloriæ sibi esse debuerat, destruunt, & conculcant. Ferrum enim pro malitia poni solet.

2. Cor. 1. 12.

Vers. 4. *Et mittam ignem in domum Azahel, & deuorabit domos Benadab.* Azahel interpretatur visus Deo, Benadab filius spontaneus. In domum Azahel ignis mittitur, cum ipsa ratio vitiorum desideriis inæstuare permittitur, quæ aliquando Dei visione insigniri videbatur. Domus Benadab deuorantur, cum habitus carnalium affectuum, qui tamquam filij ex corrupta ratione creantur, & qui sponte tamquam naturaliter ad mala feruntur, in eisdem concupiscentiis absorbentur.

Vers. 5. *Et conteram vectem Damasci, & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis.* Vectis Damasci conteritur, cum Deo facto propitio mentium obstacula, admissa pœnitudine, resoluuntur. Habitatores de campo idoli disperduntur, cum mentis licentiæ quæ hac illacque per appetitus criminum vagabantur, & familiari cuilibet vitio ac si idolo inseruire videbantur, ab hac mansione indebita succiduntur. Tenens sceptrum de domo voluptatis disperditur, cum principalitas intentionis, cuius summa erat voluptati conscientiam addicere, & quasi mansionariam facere, omninò destituitur. *Et transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus.* Syria interpretatur sublimis, Cyrene hæredem sonat. Populus ergò Syriæ Cyrenem transfertur, cum vulgarium motuum superciliositas in animo ad æternæ hæreditatis iura quærenda redigitur.

Vers. 6. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eam: eo quòd transtulerit captiuitatem perfectam, vt concluderet eam in Idumea.* Gaza dicitur fortitudo eius. Si Damascus ex oculo sanguinis intelligitur intentio praua, Gaza per sui fortitudinem haud dubium quin contrariam eadem intentio significabitur obdurata. Super tribus sceleribus, idest ingenij, memoriæ, & vsus transgressionibus Deus conuertitur, quia interioribus, & * quæ ad operationis exhibitionem non pertrahuntur citiùs Deus propitiatur, quàm his quæ ad aliorum corruptionem per exempla ducuntur. Super quatuor verò non conuertitur, quia dum ad exercitium corporale, quod quatuor elementis administratur, trinitas illa intrinseca, quam diximus, siue ratio, voluntas, & affectus peruenerit, facilis conuersio ad integritatis habitum nullatenus erit. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, cuius experientia præteritæ suæ venenosæ dulcedinis immemor esse non poterit. Aliter enim memoriæ nostræ contrectata & sensa, aliter cogitata referimus. Non, inquit, conuertam eam, eo quòd transtulerit captiuitatem perfectam: idest quidquid virtutis, quidquid in animo professionis bonæ restiterat, in diabolicam vitiorumque traduxerit seruitutem. Et hoc fecerit, vt concluderet eam in Idumea, idest vt sine vlla retracta-

* sup. his.

Ioan. 8. 34.

tione spiritus, coërceret animam sub mori- A geratione terrena: Idumea enim terrena dicitur.

Vers. 7. *Et mittam ignem in murum Gazæ & deuorabit ædes eius.* * Vers. 8. *Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone.* Ignis mittitur in murum Gazæ, cum concupiscentia immitti permittitur in exteriori custodia, quæ pro seculari honestate adhibetur ad palliationem fortitudinis peruersæ. Is deuorat ædes eius, cum subuertit & vastat quicquid speciosum, & decens est in forastica habitudine eius. Disperdit Deus habi- B tatorem de Azoto, cum quidquid rationabiliter ineptis motibus per interiorem vim dominari potest, ad deprimendum tentationis incendium miserabili perturbat exterminio. Disperdit etiam tenentem sceptrum de Ascalone, cum bonæ voluntatis scintillam iusto suo extinguit iudicio, quæ regio more flammam cohibere dinoscitur infamis concupiscentiæ. Azotus enim incendium: Ascalon ignis infamis dicitur. *Et conuertam manum meam super Accaron & peribunt reliquiæ Philistinorum.* Super Accaron manum suam C Deus conuertit, quando consolationem internam perutilis eruditionem tristitiæ à nostris mentibus non auertit. Accaron enim eruditio tristitiæ dicitur. Reliquiæ Philistinorum pereunt, cum minutiæ cogitationum terrenæ, potione voluptatis inebriare solentium, ab animo obliterantur & excidunt.

Vers. 9. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd concluserunt captiuitatem perfectam in Idumea, & non sunt recordati fœderis fratrum.* Tyrus interpretatur angustia. Et quæ maior D angustia quam ea, de qua dicitur, *Eruet te de ore angusto latissimè:* & Dauid; *Neque,* inquit, *vrgeat super me puteus os suum.* Tria ergò scelera Tyri in mente, & quatuor corporalis efficientiæ eam conuerti non sinunt, nimirum quæ ipsam sine vlla confessionis respiratione intra suorum criminum voraginem claudunt. Gaza superiùs transtulit vt concluderet, ista conclusit, quia per incrementa nequitiæ, quòd ille animi habitus proposuit, hic facie offirmata compleuit. Fœderis fratrum non recordantur, quia E rationis appetitusque carnalis ex eadem mente, ac si germana fraternitas, quid sibi mutuo custodiæ ac obeditionis debeant, non perpendunt.

Iob. 36. 16. Psal. 68. 16.

Vers. 10. *Et mittam ignem in murum Tyri & deuorabit ædes eius.* Quod est dicere. Omnem exteriorem cautelam, qua suæ honestati prouidet, turpibus concupiscentiis euidenter addici permittam; vnde & sensualitatum eius circumstantiam cōsumptioni apertè subiiciam.

Vers. 11. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd prosecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.* Edom terrenus dicitur. Postquam à Dei amore mens interiùs angustatur, per terrena desideria necesse est illicò vt spargatur. Super tribus ergò sceleribus, & super quatuor, quæ bifariam superiùs exposita sufficere possunt, non conuertitur; quia delectatio semel intus ebibita postquam in corporeos transit vsus, quantò vsitatior est, tantò tenaciùs obligatur. Edom ergò terrenus affectus fratrem in gladio persequitur, cum spiritum ex eadem conscientia prodeuntem malis capitalibus intercipere nititur. Misericordiam eius violat, cum quòd misereri animæ suæ placens Deo debuerat, iste indesinenter inficiendo perturbat. Furorem suum vltra tenet, dum non lenocinio titillationum, quod naturale est, sed furoribus perpetrationum, quod diabolicum est, explere quodcumque cupierit, ardet. Indignationem suam vsque in finem seruat, dum non per ignorantiam aut infirmitatem peccat, sed auertit aurem suam ne Dei legem audiat.

Vers. 12. *Mittam ignem in Theman: & deuorabit ædes Bosræ.* Theman dicitur Auster, Bosra tribulationem sonat. In austro, qui ventus est tepidus, ignis immittitur, cum mens remissa & vapida atrocitate tentationis nutritur. Ædes Bosræ deuorantur, cum sensuum extrinsecus immoderantia inexplebilibus malorum laqueis coarctatur. Cui concinit illud Iob: Considerate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper. Et in vacante, scopis mundata domo septemplex spiritus ingreditur.

Iob. 6. 19. Lucæ 11. 26.

* Vers. 13. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd dissecuerint prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.* Ammon interpretatur populus mœroris. Si disciplina in præsenti mœroris est, quæ fructum pacatissimum reddit, & de nuptis dicitur, quòd tribulationem habebunt huiusmodi; quid putas agatur apud eos, qui flagitiis inseruiunt, sub quorum lingua iuxta Psalmum, labor & dolor sunt? Hi causas non conuertendi habent, quod videlicet prægnantes Galaad dissecent, motus nimirum rationales, qui naturaliter aliqua, vt assolet, bona concipiunt, ad dilationem suæ nequitiæ prauæ eruptionis ferro discindant. Galaad dicitur aceruus testimonij, qui non est alius nisi quidam bonæ cogitationis aggestus, cuius ad effectum ducendæ coram Deo testis est animus. Terminum autem dilatat, qui ad

1. Cor. 4. 8. Psal. 10. 7.

propositum peruersæ expletionis inæstuat. Vers. 14. *Et succendam ignem in murum Rabbath* (*al. Rabba.): *& deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis.* Rabbath multitudo dicitur: in cuius muro ignis succenditur, cum in frequentia, & tumultu cogitationis iniquæ, quæ inter nos & Deum ac si murus miserabile facit obstaculum, aut superbiæ, aut gloriæ inanis, siue etiam luxuriæ, vel etiam cupiditatis, quæ omnia ignis appellantur, suscitatur incendium. In vlulatu ædes eius deuorantur, cum membra eius, quæ sunt super terram, appetitu immanissimo inuoluuntur. Lupinum enim est vlulare. Dies belli euidens controuersia est carnis & animi. Quam turbo sequitur, quia cæcitas menti ex tentationis nimietate creatur. Cui dies commotionis additur, cum mens per operum indicia, à sua stabilitate manifestè dimota cognoscitur.

Vers. 15. *Et ibit Melchon in captiuitatem, ipse, & principes eius simul, dicit Dominus*: Melchon interpretatur Rex vester. Ac si diceret. Iam non solummodò spiritus qui vobis imperare debuerat, in peccati seruitium relegatur, sed & cum eo principes eius, idest sensualitates quæ gratis vos persequebantur.

CAPVT II.

Vers. 1. HÆc dicit Dominus: *super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd incenderit ossa Regis Idumeæ vsque in cinerem.* Notandum quòd crebrò repetitur, Hæc dicit Dominus, ob hoc solum vt innuat, quia quidquid ex ratione tractamus, quasi Deo ad nos loquente concipimus. Moab ex patre dicitur, & exlex: Qui enim ex patre diabolo nascitur, scire non possum qua lege teneatur. Is non conuertitur, eo quòd ossa Regis Idumeæ vsque in cinerem incenderit, quòd videlicet rationes, quas pluraliter dico, non quod sit nisi vna ratio, sed pro multiplicitate causarum, quarum officij est motus cohibere carnales, veluti ossa sustinent carnes, post peccati perpetrationem ad extremas perduxerit consumptiones. Cinis enim ignis exacti quasi sola memoria residet. Vsque ad cinerem ergò ossa incendit, qui demolitis animi viribus quæ carnalitatem consolidant, igne concupiscentiæ exhausto feræ pœnitentiæ residuum ex satietate relinquit.

Vers. 2. *Et mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ.* Ignem in Moab mittit, cum natis ex diabolo, & vt ita dicam, ex legibus maiores incentiuorum æstus emergere sinit. Carioth dicitur occursus ignis. Deuorandis ergo ædibus ignis occurrit, cum sensibus potiori concupiscentia inflammandis, specierum occasio, quæ concupiscatur, accedit. In sonitu Moab moritur, cum sub sordidæ conuersationis infamia inuerecundus, atque insensibilis longè latéque prædicatur. In clangore quoque tubæ moritur, cum & alij tantæ execrationis exemplo, & formidabili clamore terrentur.

Vers. 3. *Et disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo.* Iudex de medio eius disperditur, cum ratio, cui ad dexteram vel sinistram declinare non conuenit, iudiciario discretionis throno priuatur. Quod superiùs per Melchon, hoc hîc per iudicem figuratur, principes quoque itidem intelliguntur.

Vers. 4. *Hæc dicit Dominus: super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non conuertam eum: eo quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit.* Iuda dicitur confessio. Iuda non conuertitur; eo quòd legem Domini abiecit, quia confessio adnullatur apud illum, qui diuinæ legis neutiquam meminisse quærit. Quomodo enim ei confiteatur, qui eius, cui confitendum est, præcepta detestatur? *Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum.* Idola sua eos decipiunt, quibus aut suorum, aut alienorum criminum imaginationes officiunt. Post hæc patres eorum abierunt, cum aut rationis auctoritates, aut hi quorum se fatentur imitatores per hæc eadem falsi sunt.

Vers. 5. *Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ierusalem.* Ignis in Iudam mittitur, cum non ex dolore peccati quispiam confitetur, sed ad incentiuum alienæ malitiæ, quæ clam commiserit nequaquam publicare veretur. Vnde cuidam apud Ezechielem dicitur: Exposuisti fornicationes tuas omni transeunti, vt eius fieres. (Ezech. 16, 17.) Ædes Ierusalem exinde deuorantur, cum quidquid in mente, vel in sensibus poterat constare residui, ab internæ pacis visione dirimitur.

Vers. 6. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non conuertam eum: pro eo quòd vendiderit argento iustum, & pauperem pro calceamentis.* Israël pro eo quòd iustum argento vendiderit non conuertitur, quia is, qui cum Deo dirigi debuerat, tantò amplius post lapsum ad Deum redire detrectat, quantò iustum, idest iustitiam comparatione argenti, idest scientiæ vel eloquij minùs amat. Pauperem quoque pro calceamentis dat, cum spiritus humilitatem pro mortuis operibus commutat.

Vers. 7. *Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant.* Capita pauperum sunt intentiones animi motuum, suam ad Deum inopiam simpliciter

metientium. Hæc capita super puluerem terræ conterunt, qui principales interioris hominis habitus terrenæ leuitati addicunt. Viam humilium declinant, qui intentionem humilitati semel ascriptam mundiali diriuatione deprauant. Notet diligens lector in his octo secundum prouincias octo sententiis, pro octono vitiorum capitalium numero figuraliter quippiam posse intelligi. *Et filius ac pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.* Pater & filius ratio sunt & affectus, quia subterioris ad anterioris primatum maximus est respectus. Hi eunt ad puellam, quando sine discretione aliqua se demittunt ad inualitudinis internæ mollitiem. Ex quo nomen sanctum Dei violant, cum famam quantum in se est, totius sanctitatis extenuant.

Vers. 8. *Et super vestimentis pigneratis accubuerunt iuxta omne altare; & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* Vestimenta pignerata sunt, in pignus pro debito tradita. Super hæc ergò iuxta omne altare accumbunt, cum peccati opera in pignus remissionis per confessionem ab aliquo nobis commissa iuxta propositum, quod est altare pœnitudinis omnimodæ, nobis accumbendo, idest ad imitationem prauam nobis substernendo adhibemus. Vinum damnatorum in domo Dei sui bibunt, cum voluptates eorum quos pro eisdem damnatos esse non nesciunt, in propria conscientia, quam Dei domum esse conuenerat, indecenti sibi auiditate pro exemplo corripiunt.

Vers. 9. *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo cedrorum, altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.* Amorrhæus interpretatur amaricans; ac si diceret: Ipsi se mihi reddunt per tot offensas infensos, sed meminisse debuerant, quomodo in exordio suæ conuersionis quibusdam exterminauerim Deum amaricantem superbiæ fastum, in illorum nimirum cordibus qui de sua contemplatione, ac si cedrina proceritate gaudebant, & de suæ carnis impassibilitate, ac si eiusdem arboris imputribilitate sese iactabant, constantes etiam aduersis emergentibus seipsos quasi robora querna putabant. *Ego contriui fructum eius desuper, & radicem eius subter.* Fructus Amorrhæi desuper conteritur, cum seculi fortunæ successus incedentibus infortuniis adnullatur. Radices eius subter atteruntur, cum spes prouentuum etiam falsæ iam penitus obruuntur.

Vers. 10. *Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, & eduxi vos in deserto quadraginta annis, vt possideretis terram Amorrhæi.* Quod est dicere: ego vos de mœrore & præsentis seculi angustia, quod dicitur Ægyptus, extuli, vosque vitiorum desertione singulares per legis decalogum, & scita quatuor Euangeliorum educaui; sic enim in vobis annos virtute refectos ac si dierum claritate formaui, vt terram, quæ superbis insistebat Deum exacerbando motibus, corpus videlicet vestrum eatenùs rebelle ad intellectualitatis iura traduceretis.

Vers. 11. *Et suscitaui de filijs vestris Prophetas, & de iuuenibus Nazaræos.* De filijs Prophetæ suscitantur, cum de motibus internis, qui sunt progenies rationis, perspicacitates acutioris intelligentiæ procreantur. De iuuenibus Nazaræi fiunt, cum viriles animorum habitus ad sanctimoniæ munditiam se extendunt Nazareth enim florem, vel munditiam, vel sanctum sonat. *Numquid non ita est filij Israël, dicit Dominus?* Ac si diceret: numquid non huiusmodi status in vestris experti estis olim mentibus, cum intenderetis vt vester cum Deo dirigeretur spiritus?

Vers. 12. *Et propinabatis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabatis, ne prophetetis.* Quod est, nullam in his statibus habuistis perseuerantiam, sed eis motibus, quibus erat votiua munditia terrenæ voluptatis, quo dementarentur, vinum intulistis, & prouidentiæ in vobis oculos ne sibi æterna prospicerent improbè obstrusistis.

Vers. 13. *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Ego, inquit, iam vestræ apostasiæ impatiens super vos, idest vestræ nequitiæ puniendæ incumbens dirè in vos, immò apertè, strepitum animaduersionis ostendam, vt patenter omnibus inclarescat, quàm ægrè vestrarum leuitatum multitudinem ac si fœneas congeries feram.

Vers. 14. *Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam.* Fuga à veloce perit, cum prepes ingenio hebetudinem reprobi sensus minimè subterfugit. Fortis virtutem non obtinet, cum de sua impassibilitate confidens, mox vt aduersitate pulsatur, ne momento se continet.

Vers. 15. *Et robustus non saluabit animam suam.* * *Et tenens arcum non stabit.* Robustus animam suam non saluat, cum is, qui contra peccati mollitiem diutino cœlibatu duruerat, impetitus nullo modo propriam animalitatem frænat. Qui tenet arcum non stat, quia citò in tentatione labitur, qui diuinæ legis scientiam temerè sibi arrogat. *Et velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.* Velox pedibus suis non saluatur, cum astutiâ quis & calliditate multos excedens nil efficit, cum præproperare videtur; quòd neque volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse dinoscitur. (Rom. 9. 16.) Ascensor equi non saluat animam suam, cum qui animalitatis suæ motibus pro sola seculi honestate dominari nititur, animæ non cohibet

cohibet leuitatem, quam in Euangelio odisse A iubemur animam. Ioan. 12. 25.

Vers. 16. *Et robustus corde inter fortes nudus effugiet in die illa.* Ac si diceret: Quidquid bonarum artium prçstantius habeatur sine Deo in homine, floccipenditur, vim non habet; at qui robur cordis non inter seculi glorias, sed inter fortes animi status assumpserit, in illa die, id est in illlo aperto discrimine, quo Deus in præsenti quorumque vitas hinc deponit, hinc eleuat: nudus effugit, cum suæ conscius humilitatis à Dei iudicio se abscondit.

CAPVT III.

Vers. 1. AVdite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filij Israël: super omnẽ cognationẽ, quam eduxit de terra Ægypti. Est ergo dicere. Vos quorum est cum Deo debere dirigi, internæ rationalitatis verbum trutina intellectuali pensate, quia hoc verbum super vos extat, id est nisi audiatur, integro scilicet sapore hauriatur, vos opprimit, vos onerat, vt omnis bonarum interiorum artium cognatio, quam semel eduxerim de terrenitate mundana, in eadem sententia perseuerare studeat. B

Vers. 2. *Tantummodò*, inquit, *vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: iccirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Quia vos, inquit, ô rationis motus præ omnibus animalitatũ, qui non nisi terrã sapiunt motibus approbaui, quod est propriũ nosse Dei, iccirco non miremini si vos in vestris iniquitatibus visitem cum meum sit, vt quos dilexerim corripiã.* *Nunquid ambulabũt duo pariter nisi conuenerit eis?* Duo pariter ambulant, cum Dei spiritus & humana ratio consentiendo cohabitant, quod non fit nisi conueniant, id est sibi cohærendo, iuxta Apostolum, vnus spiritus fiant. Dicuntur autem ambulare, mutuò videlicet in sese proficere. C

* Vers. 3.

1. Cor. 6. 17.

Vers. 4. *Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædã?* Leo in saltu non rugit, nisi prædã habeat, quia diabolus in corde, à seculi iam amore deserto, nequaquã fremitum alicuius tentationis emittit, nisi occasionẽ lentitudinis humanæ, cui insidietur, inueniat; vnde etiam illam Dei & hominis conuenientiam interturbare præualeat. *Nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?* Ac si dicat: Mirum non est si diabolus cum sit spiritus causas in nobis tentationis aucupetur, cum etiam catulus leonis, id est filius quilibet diaboli, vocem subreptionis, quã quempiã à recto diducere nititur, à cubili cordis, in quo sub diabolo auctore fouetur, exerere non audet, nisi in quo subdecipere possit, per coniecturas prius æstimet? D

Vers. 5. *Numquid cadet auis in laqueũ terræ absque aucupe?* Auis in laqueũ terræ absque aucupe non cadit, quia mens pennis subleuata virtutũ, terrenis nullomodo irretitur affectibus, nisi cuiuspiã prauæ suggestionis in morem aucupis præcedat instinctus. *Numquid auferetur laqueus de terra antequã quid cœperit?* Laqueus de terra nõ aufertur antequã quid capiat, quia de corpore nostro tentationis non cessat occasio, donec se diabolicę consultationi substantiuũ quippiam veræ spiritualitatis obiiciat. Aliquid enim capit laqueus, cum inter vanitates quas ingerit, semper redit ad animum æternæ veritatis status. Laqueus enim peccata sunt, & peccata nihil sunt, vnde bona quasi quædam substantia sunt. Vnde est: Sine ipso factum est nil. Ioan. 1. 3.

Vers. 6. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet?* Tuba in ciuitate clangit, cum auctoritas diuinæ veritatis in mẽte procedit. Hanc populus expauescit, quia cogitationũ insolentia ab ipsius cognitione diffugit. *Si erit malũ in ciuitate quod Dominus non *fecit?* Malũ fit in ciuitate, cum tentationis immoderantia versatur in homine. Hoc malũ Deus facit, cum vel ad probationem, aut casum fieri dispensatiuè permittit. al.* fecerit.

Vers. 7. *Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Est ergo sensus: facit Deus malum, sed diuina plerumque intentio patientem non latet animum, nil enim tale in conscientia fit verbum, id est ducitur in effectum, cuius causæ prouidentiis nostris non ipse reuelet arcanum. In hoc enim prophetant, quòd ei seruire sua prouisione deliberant.

Vers. 8. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Et est dicere. Diabolus cũ sit tantæ subtilitatis, quantò spiritualioris potentiæ, ipse nimietate auiditatis irrugit, quis carne præpeditus humana non extimescat? Dominus Deus per Apostolũ suum locutus est; *Resistite diabolo, & fugiet à vobis:* quis non ad hoc prouidentiam adhibebit? Iacobi 4. 7.

Vers. 9. *Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti.* Azotus interpretatur incendiũ. Monet noster vos sub sermone prophetico intellectus, vt in ædibus Azoti, id est in corporalibus mẽbris nostris, quæ continuis vruntur desideriis, & in vniuersis conscientiæ angulis, quæ indesinentibus contenebratur secundum Ægypti nomen angustiis; auditum, id est intelligibile faciamus quod sequitur: *Congregamini*, inquit, *super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius.* Super montes Samariæ congregari iubentur, cũ super fastuosas conceptiones exterioris custodiæ, quæ hypocrisis appellatur, cõsiderationis eminentia præstare debere monentur; Samaria enim custodia dicitur, vt insanias multas in eius medio videant, aliud nimirũ mente intendere; aliud foris velle videri, in intima discretione perpendãt; & quia ipsæ cogitationes calumniam sibi inferant, dũ se diuersa ab inuicẽ, cogitare mundana, & diuina facere pensant. E

Vers. 10. *Et nescierunt facere rectũ, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatẽ, & rapinas in ædibus suis.* Rectum facere nesciunt, quia rectitudinem quã ex quantulacumq; ratione aduertũt, facere dedignantur, secundum quod sentiunt. Moris enim scripturæ est, vt nescire pro dedignari ponatur; & etiam vsus loquendi habet, vt vir bonus

mentiri nescire dicatur. Iniquitatē sibi, & rapinas in ædibus suis thesaurizāt, vt scilicet iniquitatē simulationis quia bene faciunt,& malè intendunt,& rapinas sibi laudis alienæ pro magno repōnāt. Medium autē eius,& penetralia, siue ædes, idest conscientiā, scilicet significant.

Vers. 11. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur,& circuietur terra: & detrahetur ex te fortitudo tua,& diripiētur ædes tuæ.* Quod est,ex ipsius rationis sententia dicere. Multis, inquā,tribulationibus,abstinētiæ,& vigiliarū,cæterorumque malorū, quæ sibi hypocritæ inferre solent crucibus,terra corporum ipsorum obsideri poterit,sed fortitudo interior ad fauores extrinsecos tendens detrahi non desistit,& quidquid in ędibus continetur mentiū,laudis amor diripit.

Vers. 12. *Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura,aut extremū auriculæ; sic eruētur filij Israël,qui habitāt in Samaria,& in plaga lectuli & in Damasco grabati.* Duo crura de ore leonis pastor eruit, cū extremitates quas in fauorum desiderio hypocritæ habuerāt voluptatū, de diaboli ore pastor interior Deus eximit. Solent enim dum eis quod concupiscunt non suppetit, ad lineā tandem intentionis rectæ reuerti. Extremū auriculæ est, aliqua particula, vel minima sanioris intelligentię. Sic filij Israël qui habitant in Samaria eruuntur, dum eis aut propriæ ambitionis fructus adimitur, aut aliquod seminariū diuini eloquij, quasi qua recalescant scintilla relinquitur. Israël filij motus sunt ad Deū directanei; Samaria verò exterior, spreta interiori,custodia. Eruuntur autē in plaga,idest in regione lectuli,vbi videlicet mēseorum potiora inuenturā se putabat fomēta peccati. Plaga ergò lectuli diuerticulū est, in mēte intendēs humanæ laudi,ac si locus requiei. Damascus oculus sanguinis dicitur. Is Damascus quasi pro grabato habetur,cum praua intentio etiā spe interdū falsa miseros mulcere videtur.

(al. * Damasci grabato.)

Vers. 13. *Audite & contestamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum.* * *Quia in die cum visitare cœpero præuaricationes Israël,super eum visitabo, & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris,& cadent in terram.* Monet ergò eos sermo propheticus, vt audiant, idest intelligant, & docti ex auditione,& alios contestari nō negligant. Et hoc dicit Dominus exercituū, ac si diceret, cui nulla inopia suberit ad facinus vlciscendum,quia,inquit,in die,in manifesta scilicet vltione,cum aperire cœpero simulationis eorum fucum, super altaria Bethel, quod dicitur domus Dei,idest super proposita eorū, qui se credi gestiunt vulgo tēpla Dei, visitabo, idest iudicialiter crebriùs imminebo,ita vt amputētur altaris cornua, idest palliatæ nequitiæ fastuosa fastigia; & in terrā cadāt,omnimodæ scilicet vilipēsioni pateāt. Altare enim hypocritę est,quidquid in suo studio spectabile foris est.

(* Vers. 14.)

Vers. 15. *Et percutiam domum hiemalem cū domo æstiua: & peribunt domus eburneæ, & dissipabūtur ædes multæ,dicit Dominus.* Domus hiemalis est cōscientia, quæ totius auaritię atq; malitiæ torpori peruia est. Domus æstiua est operum quasi bonorum habitudo forinseca,ac si quadā spirituali redūdans gratia. Domus eburneæ pereunt,cum habitus sanctimoniam, atque cælibatus candorem pręferētes,in aperta probra pertranseunt. Ædes multę dissipantur,cum multæ cōpositionis forinsecus affectata simulachra destruūtur.

CAPVT IV.

Vers. 1. *Audite verbū hoc vaccæ pingues: quæ estis in montibus Samariæ: quæ calumniā facitis egenis,& cōfringitis pauperes: quæ dicitis Dominis vestris,afferte,& bibemus.* Pingues vaccę,lasciui sunt ac superbi hypocritæ. Hi sunt in mōtibus Samariæ,quia tument de cōtinentia exterioris custodiæ; hoc enim exprimit nomen Samariæ. Hi calumniā faciunt egenis, quia quæcumque agunt pro gloria, cōtra reclamationes faciunt suæ intelligentiæ sanioris, ideò verè egentis. Pauperes confringunt, cum cogitatus humilitatem aliquando suadentes in se obruunt. Dominis suis afferte, & bibemus dicunt, cum ab his, quorum placito per bona opera deseruire gestiunt, fauores exigunt, quibus ad sui dementationem quasi epotandis incumbunt. Verbum hoc vaccæ pingues audire monentur, vt solicitè trutinent quæ sibimet intentantur.

Vers. 2. *Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos,& eleuabūt vos in contis,& reliquias vestras in ollis feruentibus.* * *Et per aperturas exibitis altera contra alteram,& proiiciemini in Armon,dicit Dominus.* In sancto suo Dominus iurat,cum in sua vera sanctitate hypocritarum fucatā ad ius apertum reuocat, vt veritas scilicet ipsorum vitæ patescat. Dies super eos veniunt,cū declarationes eorum occultæ prauitatis ipsis occurrunt. In contis eleuantur, cū sub dubio superbiæ statu ferūtur. Qui enim in conto insidet, numquā firmiter hæret. In ollis feruentibus reliquiæ eleuantur, cū sensualitas tota per cōcupiscentias excandescens, ex operis nefarij prosecutione vulgatur. Reliquiæ enim pro operibus poni solent, quia vtique cogitationi superstant, vt est: Reliquię cogitationis diem festum agent tibi. Nota quod iam ad fœmininum genus transeat, vt eos à vigore iustitiæ effœminatos ostendat. Per aperturas altera contra alteram exeunt, cum fatiscentibus petulantiū sensuum ollis, mutuò detegentibus sese nequitiis in ignominias proruunt. Altera contra alteram exit, cum turpitudinem propriam alteri videndā exponit. In Armon quoque proiiciūtur, cum de crimine sumentes audaciam, de suis etiā fœdis actibus extolluntur, deiiciendi tamen iuxta Psalmum in ima sensus reprobi, dum alleuantur: Armon enim sublimitas dicitur.

(* Vers. 3.) (Psal. 75.11.) (Ibid. 72.18.)

Vers. 4. *Venite ad Bethel, & impiè agite: ad Galgalam, & multiplicate præuaricationem.* Ad Bethel venire ironicè commonentur, vt quasi templa Dei popularibus oculis ostententur. Impiè, inquit, agite, idest in hac ipsa vestri

nominis celebratione nil aliud sciatis vos agere, quàm Deum, qui est veritas, abnegare. Galgala dicitur volutabrum. Ad volutabrum veniunt, & præuaricationes multiplicant, quia fit iusto iudicio sponte lapsis, vt in miseriis non subsistant.

Psal. 139. 11.

* Vers. 5. *Et offerte mane victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.* Et sanctificate de fermentato laudem: & vocate voluntarias oblationes, & adnunciate.* Mane victimas offerunt, cum erumpente aurora fauoris propria corpora magis ac magis mactare contendunt. Tribus diebus decimas offerunt, cum non pro laude humana sed solius amore Trinitatis legitimè victitare se asserunt. Sanctificant de fermentato laudem, quia in omni suo exercitio intentionis inuiscerant deprauationem. Voluntarias oblationes vocant, cum non propter sua quæ nulla putari volunt diluenda mala, id se laboris insumere, sed ex solo Dei & virtutis amore clamant vt illud: Oderunt peccare boni virtutis amore. Annuntiant cum sua latentia facta percelebrant. *Sic enim voluistis filij Israël:* ita scilicet pro libito vestro actitare collibuit.

Vers. 6. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris: & non estis ad me reuersi, dicit Dominus.* Proinde dat Deus stuporem dentium in cunctis vrbibus eorum, cum in cunctis internis eorum statibus hebetudinem suggerit intellectuum. His enim cõmolimus ac si quibusdam dentibus omnem scrupulum. Indigentia panũ in omnibus nostris locis est, cum diuinæ consolationis edulium, quo nostra corda firmantur, omnibus spiritualibus nostris motibus abest. Quidquid enim rationale est locus propriæ animæ est.

Vers. 7. *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menses superessent vsque ad messem: & plui super vnam ciuitatem, & super alteram non plui.* Ac si diceret: Quia post correctionem meam ad me dissimulauêre reuerti, ego quoque à vobis prohibui imbrem, aspirationis videlicet supernæ temperiem. Et hoc cum adhuc tres menses vsque ad messem superessent, cum nimirum adhuc initio, promotione, atque perfectione ab omni bonæ spei expectatione corda distarent, idest antequam boni quippiam Deo instigante proponerent. Solent enim hæc vtiliter & dispensatiuè sanctis aliquotiens subtrahi, non vsquequaque relinqui. Super vnam ciuitatem pluit cum rationem ad ea videndum quæ agenda sunt plenè imbuit. Super alteram verò non pluit, cum duritiam obstinationis prauo subducit affectui: vnde in Mensali oratur officio, vt quæ agenda sunt, inquit, videant, & ad agenda quæ viderint conualescant. *Pars vna compluta est, & pars, super quã non plui,* aruit.* Pars vna compluitur cum beniuolentia rationi attribuitur: pars verò altera non compluta aruit, cum affectualitati, iuxta Apostolum, perficere non adiacuit.

Dominica inf. Oct. Epiphan.

* al. impleuda.

Rom. 7. 18.

Vers. 8. *Et venerunt duæ & tres ciuitates ad ciuitatem vnam vt biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis ad me, dicit Dominus.* Duæ & tres ciuitates ad vnam veniunt ciuitatem vt aquam bibant, cũ aut affectus, aut voluntas, siue etiam vt tres fiant ratione adiuncta ad intellectum, cui propriè propriũ est diuina sentire, confugiunt; vt nimirum inibi combibant sapientiæ salutaris stillicidium; sed non satiantur, quia ad nullius efficiẽtiæ redundantiam, quæ æstuantes refrigeret, adducuntur.

Vers. 9. *Percussi vos in vento vrente, & in aurugine multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum.* Ac sic diceret, quia nec sic ad me redistis percussi vos vento vrente, desiderio scilicet præter modum æstuante, qui non solum suo spiritu interiora consiccet, sed etiam exteriora infuscet. Multitudo hortorum, & vinearũ aurugine percutitur, cum bonorum originalium, & actualium frequentia, sed & illa qua ex Deo debriamur intelligentia in pallorẽ hypocrisis demutatur, hæc enim natura est auruginis, vt in colorem subalbidũ in hominibus se conuertat & herbis. *Oliueta vestra, & ficeta vestra comedit eruca: & non redistis ad me, dicit Dominus.* Per oliueta, cuius fructus est salubris & luciuomus, misericordiæ circa nos signatur affectus. Per ficeta, quorũ, succus est lacteus, pietas est, qua amicabiliter enutritur proximus. Miserere, inquit, animæ tuæ placens Deo. Nisi enim nostri primùm miserescamus, proximo non condescendimus. Eruca hispidum & morosum est animal: hypocrisis verò, quæ hæc absumere dicitur, quem semel inficit non deserens, quot habet illa pilos, tot habet motus hæc ad inanis gloriæ distensionem prauos.

Eccli. 30. 24.

Vers. 10. *Misi in vos mortem in via Ægypti, percussi in gladio iuuenes vestros vsque ad captiuitatẽ equorum vestrorum: & ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: & non redistis ad me, dicit Dominus.* In via Ægypti mortem in eos Deus mittit, cum in intentione seculari, in cuius introitu mors est posita; scientiæ nostræ lucem contenebrari permittit. Iuuenes nostros vsque ad captiuitatem equorum inibi percutit, cum quidquid piæ viuacitatis constat in anima vsque ad incontinentiã, qua captiuantur corpora, vndecnmque disperire finit. Equi & iumenta corpora sunt, vnde est: Et iumenta eorum in morte conclusit. Putredinem castrorũ eorum in nares ipsorũ ascendere facit, cum fœtorem, prauamque opinionem corporalium quæ commiserint vitiorum, vsque ad fœdum sui ipsorum pudorem redundare concedit. Castra pro corporibus ponere in promptu est. Egrediamur, inquit, ad eum extra castra improperiũ eius portan-

Psal. 77. 50.

Heb. 13. 13.

tes. *Subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomã, & Gomorrham, & facti estis quasi torris raptus de incendio.* Sicut Sodomam & Gomorrham Deus eos subuertit, cũ perpetuale silentium, in quo rebellio nulla est, contra vitium, & per populi cogitationum seditionem eos introrsum diminuit: Sodoma enim pecus silẽs, Gomorrha seditio populi dicitur. Fiunt quasi torris raptus de incendio, cum ambusti vndecumque vitiorum rogis nihil in se habent residui de succo, aut semine genitiuo. In torri enim neque succus, neque germen rẽmanet. De incendio autem rapitur, qui non per se à vitiis voluntariè cohibetur, sed alterius disciplina violenter abstrahitur. Nec multum fructificat, cui voluntas benè operandi habitum ex delectatione non præstat.

Vers. 12. *Quapropter hæc faciam tibi Israël: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israël.* * Vers. 13. *Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuntians homini eloquiũ suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituũ nomen eius.* Ac si diceret. Quæ, inquit, prædixi, pro meritis tibi inferam, at postquam intulero, Deum tibi per flagella aduentantẽ bono animi apparatu suscipe, ecce enim idest præsto habes eum, qui informat virtutis vbertate magnanimes, sed subinde nouit excellentiam, quam indulsit per tentationum reflare vertigines, nec tamen à se pulsatos alienat, sed intimæ cõsolationis eloquium eis in necessitate suppeditat, faciens quidem in matutino nebulã, vt primordia nostra quibusdam misceantur malis: quia nemo repente fit summus, oportet enim vt gradiatur super excelsa terræ, nimirum comprimat rudem illam, & teneram excellentiam terrenitatis nostræ. Deus exercituum nomen eius, quia potens est vlcisci transgressiones criminis alicuius.

CAPVT V.

Vers. 1. *AVdite verbũ istud quod ego leuo super vos planctum domus Israël.* Verbum quod super eos Deus leuat iubentur audire, cũ intellectualem mentis ordinẽ, quomodo scilicet Deus humiliat, & quibus solatiis mentem subleuat, monentur intelligere. Hoc verbum domus Israël plãctus est, quia nesciunt, hi qui ad Deum dirigi volunt, vtrum ipsa tentatio ruina, an salus sit. *Domus Israël cecidit, non adijciet vt resurgat.* * Vers. 2. *Virgo Israël proiecta est in terrã suam, non est qui suscitet eam.* Domus Israël cadit, cum is, qui cũ Deo inter tentamenta principari debuerat subsistere, non sufficit: Israël enim princeps cum Deo est. Non adiicit vt resurgat, cum ex propria lentitudine desperatus numquam ad meliora respirat. Virgo Israël in terram suam proiicitur, cum eorum sterilitas animi sub propria temeritate demittitur. Non est qui suscitet eam, quia motus rationalis extinguitur, qui talium faciat reuirescere conscientiam.

Vers. 3. *Quia hæc dicit Dominus: vrbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centũ: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decẽ in domo Israël.* De vrbe mille egrediuntur, cum pij studij vniuersitas à conscientia solida deriuatur, quę plenitudo ad centũ redigitur, dum remota spirituali exuberantia ad externa, & vt ita dixerim, publicæ humanitatis bona restringitur. Centenarius enim millenarij pars est decima, & homo decimus in rationali creatura. Centum quoque extenuantur in decem, quando etiam abiecto ipso communi, ac naturali bono ad puram deponitur sensualitatis hebetudinem. Denarius namque id innuere inuenitur, quia videlicet ipse quinarius in interiori & exteriori sensualitate geminatur. Vnde cuidam lucri sui gratia dominium super decem ciuitates attribuitur.

Quia sunt nouẽ Angelorum ordines.

Lucæ 19. 71.

Vers 4. & * 5. *Quærite me & viuetis.* * *Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non trãsibitis: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.* Quod est dicere; si vos, qui ad Deum dirigi operæ pretium æstimare debueratis, me quæreretis, vitale proculdubio saperetis. Porrò quia domus Dei videri hypocritis præsumptione gestitis, & clam inuoluimini vitiorum volutabris, & ad puteum septimũ, qui est Betsabee, vel etiam puteum satietatis, qnod est humanitatis vorago, quæ quaternario exteriori, & interiori ternario constat, misera vos auiditate immergitis, sciatis indubiè quia clandestinæ vestræ sordes deprehensæ ducentur in publicum, & illud Dei, quod vos esse simulatis in nullo vobis proderit templum.

Vers. 6. *Quærite Dominum, & viuite: ne fortè cõburatur vt ignis domus Ioseph, & deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel.* Ioseph interpretatur augmentum. Conscientia ergò, cuius tota intentio exterioris famæ augmento commilitat, comburitur, cum concupiscentiis intro addicitur: domus Dei, quod est Bethel non vera, sed imaginaria, ita vt nõ sit, deuoratur; quia à fructu opinionis magnæ priuatur.

Vers. 7. * 8. *Qui conuertitis in absinthium iudicium, & iustitiam in terra relinquitis.* * *Facientem Arcturum, & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem nocte mutantem.* Iudicium in absinthium conuertunt, qui dulcedinem, qua Dei suauitas prægustatur, in temporalẽ gloriam, qua Deus amaricatur, peruerso iudicio intorquere non metuunt. Absinthium enim est, quidquid infructuoso corporum supplicio quæsitum est. Iustitiam in terra relinquunt, cum in terrenis cupiditatibus remanentes veram ipsius iustitiæ, quę Deus est, essentiam spernunt. Hæc iustitia Arcturũ & Orionem facit, cum quidquid præclarissimæ sanctitatis & in prælatis reperitur, & subditis creat &

instruit. Non abs re enim Arcturũ Prælatos intelligas si bootem cum plaustro cõsideras. Tenebras in mane conuertit, cum obscuritatem conscientiarum in crepusculum aspirationis diuinæ reducit. At diem nocte mutat, cum splendorem hypocrisis, aut in præsenti propriæ retectione nequitię, vel in futuro perpetua cæcitate condemnat. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen eius.* Aquas maris vocat qui ad sui amorem errore fluitantia, & internis pestibus amaricata, sed & cupiditate inexplebili salsa corda contrahit & eleuat. Super faciem terræ eas effundit, cum ad considerationem suæ veteris delinquentiæ eorum contemplationes extendit. Terra enim pro peccatore ponitur, vt est, Terra es, Dominus eius nomen est; Qui aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere potest. Rom.9.21.

Vers. 9. *Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.* Super robustum vastitatem subridet, cum eum, qui internæ sibi fortitudinis gloriam arrogat, ad propatulæ desolationis infamiam vniuersorum cachinnis exponendo declarat. Depopulationem super potentem affert, cum interiores, quas se habere simulat virtutum copias, ad exteriorem impotentiam, & vitij inertiam redigendo deplet.

Vers. 10. *Odio habuerunt in porta corripientem: & loquentem perfectè abominati sunt.* In porta corripit, qui iudicialiter quempiam coarguit. In porta enim antiquitùs exerceri solere iudicia non nemini certum est. Odio ergo habent in porta corripientem, qui ægrè ferunt non ex temeritate, sed ex veritate causantem. Perfectè loquentem abominantur, cum aliorum lenociniis assueti, eos, qui sincerè sua vitia corripiunt, execrantur.

Vers. 11. *Iccircò, pro eo quòd diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis.* Pauperem diripit, qui à bona intentione quempiam dissipat & abducit. Prædam electam ab eo tollit, qui quod pretiosius & electius in homine est, spiritualia vtique bona peruersa dehortatione subuertit. Domos quadro lapide ædificant, cum virtutibus immutilata quasi auctoritate constantibus conscientias suas eminere demonstrant; sed in eis non habitant, quia in earum dominio, Deo eorum vitia reuelante, nimis perfunctoriè perseuerant.

*Vers. 12. *Vineas amantissimas plantabitis, & non bibetis vinum earum: * quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra.* Vineas amantissimas plantant, cum spiritualia bona mirabili alacritate, & multa videntium gratulatione propagant. Sed vinum earum non bibunt, dum nulla spiritualis mercedis exteriori intenti retributione sese reficiunt. Multa sceleraeorum cognoscit, tantò nimirum plura, quantò occultiora; & quò occultiora, eò incorrigibiliora. Peccata eorum sunt fortia, quia spiritualia nimirum sicut in nullo pudori, ita & correctioni neutiquam patentia. *Hostes iusti accipientes munus & pauperes in porta deprimentes.* Hostes iusti, idest iustitiæ sunt, quia munus à ditiore accipiunt & iccircò pauperes in porta, idest iudicio deprimunt.

Vers. 13. *Ideò prudens in tempore illo tacebit: quia tempus malum est.* Prudens in tempore illo tacere iubetur, quia in salicibus in medio Babilonis dispensatiuè organa suspenduntur. Psal. 136.2. Tempus malum est, non illud quod Domino, & membris eius nondum aduenit, sed quòd reprobis semper paratum est. Ioan.7.7.

Vers. 14. *Quærite bonum & non malum vt viuatis: & erit Dominus exercituum vobiscum sicut dixistis.* Ac si diceret. Vos vobis Deum in vobis habitare ascribitis, quod iam in figura Bethel audistis, sed id falsò. At verò quærite bonum, & non malum si viuere vultis, & tunc verè Deus non aberit vobis.

Vers. 15. Odientes ergò *malum* lumbos præcingentes, diligite bonum, lucernas tenentes, *in porta*, idest in aditu cogitationis, *iudicium* discretionis *statuite: si forte reliquiis Ioseph Deus misereatur*, idest si alicui bonæ intentioni residuæ eorum, qui mũdialibus augmentis aspirant adminiculari dignetur. Quod dicit *fortè* hebraïci moris est, vt ambiguum pro certo, certum ponatur pro ambiguo, vt illud: Forsitan inimicos eorum humiliassem & cætera. Psal.80.15.

Vers. 16. *Propterea hæc dicit Dominus: in omnibus plateis planctus, & in cunctis quæ foris sunt, dicetur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere.* * *Et in omnibus vijs erit planctus: quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.* *Vers.17. In omnibus plateis planctus est, cum in omni mentis & actus dispersione nihil de gaudio cœlesti requiritur, sed in quoque negotio sola luctu digna tractantur. In cunctis quæ foris sunt, væ væ dicitur, cum non solum in ipsa enormi dilatatione animorum, quæ signatur nomine platearum, sed in omni forinseca administratione miseria accersitur (vel congeminatur) animarum & corporum. Agricola ad luctum vocatur, cum quilibet prædicator, cui mentium votiua cultura dinoscitur, dira super obduratos compassione mouetur. Qui sciunt plangere vocantur ad planctum, cum hi, quibus à Deo pietas est insita, ad alienum miserabiliter illachrimantur exitium. In viis quoque est planctus, in omnibus nimirũ qui alios exemplis norũt erudire vitalibus. Deus in medio eorum pertransit, cum ne ad modicum quidem in vllius eorum corde subsistit.

Verſ. 18. *Væ deſiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? Dies Domini iſta, tenebræ, & lux.* Diem Domini deſiderat, qui vanis fauoribus dementatus qualem ſe vulgò prædicari audit eſſe ſe putat. Ad ſuum ergò væ, & ad tenebras exoptat, qui non ad conſcientiam, ſed ad fabuloſa reſpectat. * *Quomodo ſi effugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus: & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber?* Vir è facie leonis effugit, cum multi arduum viuendi ſtatum aggredi metuunt, verentes vtique ad ſe versùs inſtigare diabolum, qui maiori eos face perurgeat tentationum. Quaſi ergò euitantibus diabolum occurrit vrſus, carnalis videlicet quilibet appetitus, leone quidem lentior ſed ad ſubigendum perualidus. Quem ſubinde extimeſcens domum ingreditur, cum ab exteriori diffuſione intra conſcientiæ ſuæ ibi ſepta colligitur. Ibi manu ſua ſuper parietem innititur, cum obſtaculo quaſi inuiſibilis conſcientiæ operis ſui intentionem contutari poſſe arbitratur. Sed ibidem mordetur à colubro, cum ad hominum oculos ſe ſubornans remiſſiùs agere diſponit interius coram Deo, ſicque dum ſingula quæque præcauet, torporis intimi contingit ſibimet interire veneno. Quod totum in hypocritas militat, qui dum veraci ſtudio timent irritare diabolum, ad homines habitu palliato parum curant intra mentis ſuæ vitiari receſſum: Vnde ſequitur:

Verſ. 20. *Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non eſt ſplendor in ea?* Quod eſt dicere. Vos de die iudicij quaſi de vltima veſtra ſorte tractatis, ſed diem Domini in præſenti noueritis, qui non ſalubriter vobis illuceſcat, ſed per illationem ſenſus in vobis reprobi tenebreſcat.

Verſ. 21. *Odi, & proieci feſtiuitates veſtras: & non capiam odorem cætuum veſtrorum.* Deus feſtiuitates eorum odit & proiicit, cum opera inania, quæ vulgi conſpectibus hypocritæ ſolemnizant, exoſa ſe habere retegendo eorum iniquitates oſtendit. Odorem cætuum eorum non capit, cum quidquid beneficiorum publicè coaceruare videntur, diuinæ ſenſus maieſtatis à ſe indignanter excludit.

Verſ. 22. *Quod ſi attuleritis mihi holocauſtomata, & munera veſtra, non ſuſcipiam: & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam.* Holocauſtomata ab eis Deo afferuntnr, cum in omni ſpecie, & per cruces innumeras, quæ vix, aut nullo modo à ſanctis ferri videas, eorum corpora macerantur. Nec mireris quod Deo offerri hæc dicuntur, cum non offerantur Deo, ſed vulgo; ſcias verò quod in ſcripturis multa non vt ſunt in re, ſed vti ſunt in opinione ponantur. Munera eorum non ſuſcipiuntur, & vota pinguium non reſpiciuntur, quia quidquid ſub Dei nomine quamuis magno impendio peragatur, quidquid vberioris beneficentiæ inſtar pinguedinis in proximum prærogatur, quia iuxta Apoſtolum extra caritatem fit, à Deo minimè reſpectatur. (1. Cor. 13. 3.)

Verſ. 23. *Aufer à me tumultum carminum tuorum: cantica lyræ tuæ non audiam.* Quidquid hypocritæ ad ſui protelandam memoriam libros cudendo conficiunt, in Dei auribus non niſi tumultus eſt, cuius momentanea laus ſolum fructus eſt. Cantica lyræ non audiuntur, cum affectata eorum eloquentia, quæ prædicationi inſeruit, à Dei aure diſploditur. Quò contra cuidam electæ dicitur: Sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis. (Cant. 2. 14.)

Verſ. 24. *Et reuelabitur quaſi aqua iudicium, & iuſtitia quaſi torrens fortis.* Quaſi aqua iudicium reuelatur, cum veritas ſtatus eorum inſtabiliter palliata, ac ſi aquis ſuperficie tenus adoperta, citò lapſu denudatur. Iuſtitia quaſi torrens fortis efficitur, cum iuſto Dei examine totius huius fucatæ ſanctitatis ſimulachrum, quaſi quodam fluxu rapido proturbatur.

Verſ. 25. *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſraël?* Hoſtias & ſacrificium in deſerto domus Iſraël quadraginta annis non offerunt, cum deſerentes Deum, & deſerti à Deo licet Euangelicè & legaliter viuere videantur, nec hoſtiam, quâ hoſtem diabolum ſubigant, nec ſacrificium, quo Deo ſpontaneè inſeruiant, faciunt, qui quaſi ad Deum directanei videri volunt.

Verſ. 26. *Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.* * Verſ. 27. *Et migrare vos faciam trans Damaſcum.* Tabernaculum Moloch ſuo portant, cum delubrum libidinis mentem ſuam facere non formidant, licet tabernaculo quaſi continentis corporis bono exteriùs habitu illud obuoluant. Moloch autem ipſe eſt Priapus. Portant etiam imaginem idolorum ſuorum, & ſidus Dei ſui quæ ſibi fecerunt, cum mentem occupant penè indelebili affectatione vitiorum, ſpecialiùs tamen quadam concepti faſtus veluti ſiderea ſpectabilitate inſigniri ſe appetunt. Trans Damaſcum migrare eos facit, cum intentionem criminoſæ voluntatis ad operis executionem, quod eſt trans Damaſcum, ideſt oculum ſanguinis, excedere eos ſinit. Oculus enim ſanguinis intentio eſt peccati.

CAPVT VI.

Verſ. 1. *VÆ qui opulenti eſtis in Sion: & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël.*

Opulenti sunt in Sion, qui in plenitudine A diuinæ speculationis sese præminere præsculpunt, & in monte Samariæ, idest in excellentiæ exterioris cautelæ confidunt. His instat væ, iudicium vtique damnationis æternæ. Hi sunt optimates capita populorum, qui de se nihil nisi supremum cogitant, & semper impatientes consortium, tàm loco, quàm opinione cunctis præferri desiderant. Domum Israël pompaticè ingrediuntur, cum animum, quem ad Deum exporrigi decuerat, solis pomparum affectationibus imbuunt. B

Vers. 2. *Transite in Calamne, & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palestinorum, & ad optima regna quæque horum: si latior terminus eorum termino vestro est.* In Calamne transire, & videre iubentur, vt nimirum status cæterarum omnium mentium quantum sibi possibile est, metiantur. Calamne enim interpretatur omnis. Inde Emath magnam ac si specialiter eant, quosque proculdubio magnificos in scelerum perpetratione attendant. Emath vero sanguis dicitur, & sanguis peccatum est: inde in C Geth Palestinorum descenditur, cum ad eos, qui temporalibus desideriis debriantur, & tamen nulla sibi arrident, nisi quæ aut vi, aut clam, aut precario extorquentur, consideratione venitur. Geth interpretatur torcular, Palestini qui & Philistæi potione cadentes. Optima quæque horum regna sunt principaliora quorumque vitæ proposita. Perpendere ergò iubentur si terminus eorum termino illorum latior sit; vtrum vtique arrogantia eorum, & atrocitas cupiditatis, qui facinora patenter admittunt, tan- D ta habeatur, quanta in hypocritarum mentibus efferari, ac dilatari dinoscitur. Tanta enim est latitudo, quanta opinionis propagandæ ambitio, quæ in his siquidem multò quàm in Emath magna, siue in Geth Palestinorum inuenitur acrior.

Vers. 3. *Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.* In diem malum separantur, qui per discrepantiam in præsenti morum sic à bonis discernuntur, vt ad diem malum ex hoc perducti, magis egregij E ex integro tunc à bonorum societate reddantur. Solio iniquitatis appropinquat, qui scienter diaboli regno nunc se immergit & implicat.

Vers. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.* In lectis eburneis dormit, qui in falsa dum aduiuit castitatis securitate quiescit. Elephas enim vnde ebur frigidæ naturæ est animal. In stratis suis lasciuiunt, qui sub fama continentiæ tanto licentiùs petulantiæ, atque voluptati inseruire proponunt.

Vers. 5. *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.* * *Qui canitis ad vocem psalterij.* Agnum de grege comedit, qui ad suæ imitationem nequitiæ & alios quosque rudes sibi incorporare contendit. Vitulos de medio armenti comedit, qui quoslibet hebetes, & lasciuos de eorum conformitate, qui non norunt nisi màtura sentire sublatos, suæ sectæ asciscit. Ad vocem psalterij, sed non in psalterio canunt, qui bona opera sed non pro boni operis intentione perficiunt. Psallere enim pro bono opere poni reperitur vbique psalmorum. *Sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici.* Ac si diceret; quod Dauid instituit, immò executus ad sanctæ significantiam operationis, hoc isti sibi ascribunt ad causam iactantiæ & elationis.

Vers. 6. *Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* In phialis vinum bibunt, cum de exemplo fragili temporalis materiam iucunditatis ex qua debrientur ad Dei obliuionem assumunt. Et hoc faciunt vnguento optimo delibuti, planè similitudine virtutis non ipsa virtute tamquam superficiem cutis ornati. Super contritione Ioseph nihil patiuntur, qui ad augmentum sæculare tendentes nequaquam super commodi spiritualis detrimento tristantur.

Vers. 7. *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lasciuientium.* In capite transmigrantium migrant, qui præ cæteris transgressoribus & transgrediuntur & peccant. Factio lasciuientium aufertur, cum tota simulatio eorum, qui sub iactura pudoris de castitate se iactitant, ad veritatem sui turpis habitus denudatur.

Vers. 8. *Iurauit Dominus in anima sua, dicit Dominus exercituum: detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis.* In anima sua Deus iurat, cum ad ius voluntatis suæ tales tandem aspirando reuocat. Superbiam Iacob detestatur, cum eorum, qui sua se vitia supplantare sibi arrogant, sibimetipsis dignos detestatione demonstrat. Domos eius odit, cum mentium conceptacula, in quibus apud se de se gloriatur, odio digna ostendit. Vnde ciuitatem cum habitatoribus tradit, cum ipsam conscientiam cum vniuersis suis moribus per confessionem ad sui proditionem cogit.

Vers. 9. *Quod si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur:* * *Et tollet eos propinquus suus, & comburet eum, vt auferat ossa de domo.* *Vers. 10. In domo vna decem viri reliqui sunt, cum in vna conscientia duo quinarij sensualitatum, vacante iam prauo post confessionem opere, tamquam soli subsunt. Et ipsi moriuntur cum à consueta sua auiditate perimuntur. Propinquus suus eos tollit, cum

ab infimo eas appetitu ratio fideliùs cæteris eis propinqua sustollit. Eos quoque comburit, cum pij desiderij æstu ipsas ad purum examinare contendit. Et hoc facit, vt ossa de domo efferat, quidquid videlicet interioris duritiæ latet per confessionem foras excludat.

*Vers. 11. *Et dicet ei, qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te?* * *Et respondebit: finis est. Et dicet ei: tace, & ne recorderis nominis Domini.* Dicit haud dubium quin propinquus, noster vtique spiritus ei, qui est in penetralibus, scilicet carnalis affectus nostris medullis ingenitus. Interrogat si est adhuc penes eum, aliquid videlicet de scrupulo peccati, quod intrinsecus mordeat eum. Ille respondebit, finis est; quia ignis concupiscentiarum sopitus est. Cui ille infert, vt taceat; nimirum vt nullo modo pro tantilla, & forsitan momentanea animi quiete se erigat. Recordari nominis Domini eum vetat, quod non est aliud, nisi quod obliuioni hoc ipsum nullatenus tradat. Quorum enim obliuiscimur, recordari dicimur. Qui ergò interdum oblitus tandem eius sese commemorat, proculdubio sine intermissione non orat. Eum planè nominis Domini non æstimo recordatum, qui quasi tumentes super se fluctus legitur timuisse Deum.

Vers. 12. *Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem scissionibus.* Dominus mandat cum clementer aspirat. Domum maiorem ruinis percutit, cum diffusiorem & spatiosiorem illum mentis habitum, qui carnalis dicitur appetitus, conquassat & obruit. Domum minorem scissionibus percutit, cum ipsam rationem, quæ subtilior, & ex natura intimæ discretionis quodammodo augustior est, aduersus suos motus in seipsa continua duellione subdiuidit.

Vers. 13. *Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis?* In petris equi non currunt, cum in mentibus postquam ex Deo contra vitia indurauerint, ferales ac lasciui motus non se ingerunt. In bubalis non aratur, cum per motus effrenos, & impatientes iugi mens nullatenus aliqua subuersione piæ cogitationis attingitur.

*Vers. 14. *Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium?* * *Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Ac si diceret: aliquando cum adhuc morem sæculo gereretis, vestræ rationis dulcedinem in secularium negotiorum amaritudinem vertebatis, & inde suboriri vobis poterat fructus iustitiæ, hoc in absinthium, quod alibi cepas, & allia vocat scriptura, solebatis inuertere, in hac quæ nihil dici potest temporalitate pro momento lætantes, & potentiarum manuum cornua solo vestro robore, & ingenij acumine vos assumpsisse iactantes. *Ecce ego suscitabo super vos domus Israël, dicit Dominus exercituum, gentem: & conterent vos ab introitu Emath, vsque ad torrentem deserti.* Deus gentem super domum Israël suscitat, cum nouæ cogitationis genus in animo cum Deo dirigi volente, pœnitudine concepta, viuificat. Emath, vt superiùs dixi, sanguis interpretatur. Ab introitu ergò Emath vsque ad torrentem deserti conteruntur, idest à prima delectatione peccati, vsquequo ex omnimoda mundi desertione sapientiæ in nobis secularis, aqua excrescente diuini amoris, æstate siccetur.

CAPVT VII.

Vers. 1. HÆc *ostendit mihi Dominus Deus: Et ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post* * *tonsorem Regis.* (*al. tonsionem.) Hæc, inquit, quæ dicturus sum ostendit mihi Dominus Deus. Ecce inquit, fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, videlicet Deus compositor nostræ ad probationem tentationis, & in Syna enim quod est tentatio, & in sancto, idest in sanctitate nobiscum diuersatur, in principio nostræ institutionis, quando tamen ex diuino amore compungi incipimus, is enim est imber serotinus, ad cuius motum in omnium planè virtutum germen erumpimus. Ecce, inquit, fictor locustæ. Ac si diceret: Accessisti ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, quia ecce, idest ad subitum tibi insiliet, Dei tamen nutu, mordacitas suggestionis prauæ. (Eccli. 2. 1.) Locusta enim ore lædit, in frigore torpet, sic tentatio cordi admissa consumit, reprimitur aduersis, prosperitate mouetur. Tonsor Regis brucus ad literam vocabatur, & ideo tonsor quia residuum locustarum solo tenus attondere videbatur. Regis autem dicitur, quia sine Regis omnium permissu nihil agere sinebatur. Brucus itaque tonsor est, cum capitalis cuiuslibet vitij vsus indesinens menti deuastandæ inuisibiliter superest. Post hunc tonsorem serotinus redit, cum exasperante, immo vrgente peccato, quasi ad extremam compunctionis medicinam mens vniuersa repente concedit. Bruchi autem naturam scimus, loco cui insederit donec reddat exesum, minimè dimoueri.

Vers. 2. *Et factum est, cum consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?* Herbam terræ comedere consummat, cum tentatio spei internæ virorem

extenuat. Iacob quia paruulus est, minimè A suscitatur, quia rudis animus, & à veteri consuetudine necdum viriliter resipiscens, nunquam à suo torpore leuatur, nisi per illapsum gratiæ fulciatur. Vox hæc spiritus est, de sua in se ad Deum miseria conquerentis. Miseretur itaque ostensurus subinde menti & alterius modi casus.

Vers. 3.

Vers. 4. *Et ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus: & deuorauit abyssum multam, & comedet simul partem.* Si causam pro effectu ponamus, iudicium pro ratione intelligere possumus. Iudicium igitur ad ignem Dominus vo- B cat, cum rationis auctoritatem concupiscentialibus flammis addemnat. Abyssum multam deuorat, cum prærupta ingenia, & cuiusdam profundæ perspicacitatis extremum obnubilando adnihilat. Partem simul comedit, quia licet statum suum in quantum dilabitur adhuc metiri & dolere possit, quorsum tamen Deo permittente ducatur, & quos cœpti mali exitus habeat, quasi partim cæcutiens non agnoscit. Ad reprimendam ergò mortis instantis rabiem, paruitatem suam clamans spiritus Deo noster ingemi- C nat, & prosequente mox gratia non fiendum quod proposuerat dictat: vnde necesse est, vt quibus erudiamur, & alia ostendat.

Vers. 7. *Et ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? & dixi: trullam cæmentarij.* Dominus super murum litum stat, cum super nostræ propugnacula mentis, quibus diabolo paramus obsistere, Dominus auxilium laturus assistere, certò animorum nostrorum experimento se monstrat. Murum autem litum vocat, quia Deus eum remota vitij scrupulositate complanat, D & contra pluuias tentationum munit & roborat. In manu Dei trulla cæmentarij est, quia in eius arbitrio efficientia nostræ tuitionis. Amos dicitur populus auulsus. Ille enim auellitur, cuius cogitatio Dei timoris interstitio à mundi amore deducitur. Amos ergò quid videat recogitatur, & trulla cæmentarij videri respondetur, quia Dei opificio calx diuini caloris nostræ terrenitati adiuncta, semper nostris animis ad tutelam adhibenda monstratur. *Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël:* E *non adijciam vltra superinducere eum.* * *Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israël desolabuntur: & consurgam super domum Ieroboam in gladio.* Dominus dicit cum animo suis motibus respondenda suggerit. Notandum quod cuique visioni præponitur, Ecce, vt repentinas insinuet titillationum, vel diuersorum habituum superuentiones menti humanæ. In medio populi sui Israël trullam Deus ponit, cum ministerium subsidij

* Vers. 9.

sui, quo paratus est omnibus qui tentantur auxiliari, omnibus in euidenti proponit. Non adiicit vltra superinducere eum, cum exigente merito suo, apud se cogitatu iudicat dignum se, cui Deus subtrahere debeat suæ opitulationis obstaculum: hoc namque, quo munitur maceria contra tempestatis impetum, videtur significare cæmentum. Excelsa idoli demoliuntur, cum superbiæ singularitas diabolo nos colaphizante deponitur. Quid est enim excelsum idoli, nisi quoddam insigne spectaculi? Vnde & spectabiles dicimus quos ex sua opinione miramur. Sanctificationes Israël desolantur, cum crassæ religionum species & magni nominis vmbræ quotidiana deuolutione coquuntur. Super domum Ieroboam in gladio consurgitur, cum super conscientiam solis per hypocrisim temporalibus aspirantem vitiis adequitantibus militatur. Gladius enim peccatum graue significat. Dauid enim de gladio maligno se eripi rogat.

Psal. 143. 10.

Vers. 10. *Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Israël, dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Israël: non poterit terra sustinere sermones eius.* Amasias interpretatur robustus & frigidus: Ieroboam temporalis. Robustus & frigidus sacerdos est Bethel, cum quis hypocrita fortis opere, sed frigidus mente, sacrum ducatum ac si Dei sit templum præbere se posse pollicetur; qui ad Ieroboam Regem Israël mittit, cum se ei ex temporalitatis amore, cuius regiminio, cum à Deo deberet dirigi, se meminit dirigendum tradidisse, committit. Amos inquit, contra te rebellat in medio domus Israël, tua nimirum cogitatio à mundi volens auelli lasciuiis tibi ipsi intra te rebellis est. Non poterit terra sustinere sermones eius, non poterit vtique humani corporis fragilitas tolerare nimietatem continentiarum eius.

Vers. 11. *Hæc enim dicit Amos, in gladio morietur Ieroboam, & Israël captiuus migrabit de terra sua.* Ac si diceret: temporalitatis amor in malum semper capitale relabitur, & Israël fictitius corporis sui libertate emigrando priuabitur. * *Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, & fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & ibi prophetabis.* * *Et in Bethel non adiicies vltra vt prophetes: quia sanctificatio Regis est, & domus Regni eius.* Qui vides, inquit Amasias, gradere, id est, qui prospicis omnes pœnitentiali confessione in fine posse saluari, tuis interim dum sospes es legibus vtere. Fuge in terram Iuda, salutem tuam vltimæ confessioni reserua. Ibi panem comede, in hac videlicet intentione temporalibus iocunditatibus satiare. Ibi prophetabis, sub huius proculdubio spei prouiden-

* Vers. 12.

* Vers. 13.

tia permanebis. In Bethel non adiicies vltra vt prophetes, contra mores vtique qui hospite Deo digni ab omnibus iudicantur, contentus honore præsentium de futuris tractare desistes. Quia sanctificatio Regis est, & domus Regni eius, quod est, nisi planè nos, qui ita laudamur, pro sanctis Deus haberet, & in nobis regnare deligeret, numquam nostris actibus laus tanta succederet.

Vers. 14. *Et dixit Amos ad Amaziam: non sum propheta, & non sum filius prophetæ, sed armentarius ego sum vellicans sicomoros.* * Vers. 15. * *Et tulit me Dominus cum sequerer gregem.* Amos ad Amasiam loquitur, cum spiritus noster instinctu hypocrisis quasi ratiocinans refragatur. Non sum, inquit, propheta, nulla planè, vt de meo fine determinem, præmineo prouidētia. Non sum filius prophetæ, quia nec seminarium nedum prudens sim accepi prudentiæ. Armentarius verò sum vellicans sicomoros, discretiones proculdubio & pondera quorumque sapientium prosequens in opere & verbo. Sicomoros, quos Beatus Hieronymus rubos dicit, vellicans, non de futuris quæ attingere nescio, sed de instantibus animi mei passionibus moraliter mecum tractans. Non enim de crastino cogitare fas est, vbi sufficiens diei malitia sua est. Rectè per rubum notatur passio, quem esse constat folio & fructu rubeo. Tulit me Dominus cum sequerer gregem, sustulit vtique me à mundo cum despiciendo ab ipso secularem sequerer hebetudinem. Grex enim propriè ouium dicitur, sic armentum boum, & oues pro fatuitate ponuntur, vt est; Sicut oues in inferno positi sunt. (Psal. 48. 15.) *Et dixit Dominus ad me: vade propheta ad populum meum Israël.* Dominus dicit, cum rationi sentienda instinguit. Vade, inquit, ab inepta simplicitate, & populo cogitationum cum Deo dirigi quærentium ad cautelam prouide.

Vers. 16. *Nunc audi verbum Domini: Tu dicis; non prophetabis super Israël, & non stillabis super domum idoli.* Verbum audit, qui intelligit. Non prophetat super Israël, qui nulla mentem prouisione castigat. Non stillat super domum idoli, quicumque paulatim non inflectere studet conscientiam peccati. Stillare enim pro decidere solet poni. Super domum ergo idoli stillat, qui in sua consideratione hypocrisis vires extenuat.

Vers. 17. *Propter hoc, hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur: & filij tui, & filiæ in gladio cadent, & humus tua in funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israël captiuus migrabit de terra sua.* Vxor hypocrisis delectatio est voluntatis. Hæc in ciuitate fornicatur, cum ad laudes extrarias in mente prostituitur. Filij & filiæ in gladio cadunt, cum fortes & infirmi habitus animi sub criminis malo ruunt: Humus eius in funiculo metitur, cum ad quantitatem cuiuspiam perpetrandi peccati corporis officium non negatur. In terra polluta moritur, cum in executione carnalis desiderij spiritus omnis extinguitur. Israël captiuus de terra sua migrat, cum animus à directione deficiens, à sua soliditate interna diducitur, quod terra significat.

CAPVT VIII.

Vers. 1. HÆc *ostendit mihi Dominus Deus, & ecce vncinus pomorum:* * Vers. 2. * *Et dixit: quid tu vides Amos? & dixi: vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: venit finis super populum meum Israël.* Dominus hæc ostendit cum menti intelligenda proponit. Et ecce vncinus pomorum, quia subitò pulsat animum, dum talia cogitantur qualiumcumque repræsentatio meritorum. Quasi vnco enim fructus trahitur, cum mente timore contracta, in quam sortem sit deuentura prospicitur. Interrogatur quid videat, cum ad Dei cogitando delata iudicium, apud se discutitur, quid de se sentiat; sed mox ei ingeritur quem suæ fructum actionis expectat. Super populum, inquit Dominus, meum finis venit, cum peruersæ cogitationi, quæ eatenus se cordi ingesserit, cohibitorius modus accedit.

Non adiiciam vltra, vt pertranseam eum. * Vers. 3. * *Et stridebunt cardines templi.* Vltra Deus eum non pertransit, quem locali iam aspiratione perfundit. Cardines templi strident, cum præcordialiores bonæ conscientiæ sensus à facie pristini erroris exululant. Καρδίαν enim Græcé, vnde & cardines dicuntur, cor vocatur. *In illa die, dicit Dominus, multi morientur, in omni loco proiicietur silentium.* In illa die multi moriuntur, quia in illa interioris hominis illuminatione fit præpes interitus superfluæ cogitationis. Silentium in scripturis dicitur, quando neque prece, neque vita quisquam Deo loquitur. Vnde est: Dum medium silentium tenerent omnia. (Sap. 18. 15.) Hoc silentium in omni loco proiicitur, cum ab omni mente quæ non horariè sed localiter Deo seruit, hæc praua taciturnitas execrationi habetur.

Vers. 4. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ.* Quod est dicere: intelligant hæc qui paupertatem spiritus per superbiam hypocrisis obterunt, & eos motus, qui se diuini auxilij fatentur egenos, & de sua crebrò terrenitate causantur, à Deo deficere faciunt,

Vers. 5. *Quando*, inquiunt, *transibit mensis & venumdabimus merces.* Mensem transire desi-

derant, qui hanc virtutum collectionem exinaniri intra sinum mentis exoptant, ad quod planè æstuare affectualitates solent. Tunc merces venundant, cum bonæ exhibitionis opera mentes laudis auaras, eiusdem causa recipiendæ, pro pretio ostentant. *Et sabbatum?* (subaudis quando veniet) *& aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas?* Sabbatum quæritur, cum ex lege membrorum à bono opere requies miseranda captatur. Tunc frumentum aperitur, cum fructuositas interior ad lucra fauoris expanditur. Mensura imminuitur, cum sancti propositi modus in ipsa intentione deponitur. Siclus augetur, cum diabolicæ suggestionis nummus ad mores gratanter admittitur. Statera dolosa supponitur, cum ad excusandas excusationes in peccatis scripturas adhibemus. Stateræ enim ideò in Psalmo ponuntur, vt est, Mendaces filij hominum in stateris: Ibi enim nostra facta appendimus. Solemus nimirum cum à pio studio torpere volumus, dicere illud sapientis: Onus, inquit, super te ne leuaueris; cum necdum profectò boni initij rudimenta cœperimus.

Psal. 61, 10.

Vers. 6. *Et vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus.* In argento egenos possident, cum per falsas scripturarum interpretationes, ad remissiorem vitam quoslibet doctrinæ & rationis intorquent, per quod eos sibi incorporando possident. Pauperes pro calceamentis itidem possident, cum veræ humilitatis amicos verborum suorum lenocinio, mortuis operibus addicere student. Quisquilias frumenti vendunt, cum extrema, & quasi carnaliter dicta scripturarum exempla, ad audientium traductionem exponunt.

Vers. 7. *Iurauit Dominus in superbia Iacob: si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorum.* In superbia Iacob Deus iurat, cum timorem eorum, qui de supplantatione vitiorum gloriantur, ad ius debitæ vltionis vocando reflat. Omnia opera eorum vsque ad finem non obliuiscitur, quia etsi interim videtur obliuisci, in finem tamen, idest omnimodis ab eius nequaquam iudicio obliterari permittuntur.

Vers. 8 *Nunquid super istud non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius?* Super istud terra mouetur, cum nulla non mens peccatoris sub tanta comminatione terretur. Et quid mirum si peccator timet, cum etiam omnis habitator eiusdem terræ, idest qui ipsi peccato ad integrum dominatur, fugiet? Terra enim pro peccante, & habitare pro dominari solet poni. *Et ascendet quasi fluuius vniuersus, & eijcietur, & defluet quasi riuus Ægypti.* Quasi fluuius vniuersus ascendit, cum ipse habitator non dimidius, sed vniuersus instar fluuij omnia præcipitantis aduersa, ad superna virtutis erumpit. Et isdem eijcitur, cum à pristina terrenitate, vel peccato secluditur. Quasi riuus Ægypti haud dubium quin terra, quæ inhabitari, idest possideri debet, defluit, cum peccati delectatio, quæ de præsentis seculi Ægypto diriuatur, in seipsa deficit.

Vers. 9. *Et erit in die illa dicit Dominus; occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Erit, vera scilicet essentia constabit, in die illa, idest in luce interna præ oculis semper habenda, & ideò pronomine demonstratiuo notata. Occidet sol meridie, æstus videlicet tentationis decidet sub calore aspirationis supernæ. In die luminis terra tenebratur, cum excandescente ad Dei amorem conscientia sordent, & erubescere faciunt hominem tenebrarum quæ exercuit opera.

Vers. 10. *Et conuertam festiuitates vestras in luctum*, cum gaudia seculi compunctionis rediguntur ad stimulum. *Cantica vertuntur in planctum*, cum delectationes in quacumque re mundiales, nullum amurcæ spiritualis valent reperire suffugium. *Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium: & ponam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diem amarum.* Super omne dorsum eorum saccum Deus inducit, cum in peruersa eorum patientia, quâ iuxta alium Prophetam, semper ad diabolorum transitum incuruantur; hoc enim dorsum significat; peccati iugis asperitas confricatur. Super omne caput caluitium inducitur, cum discretiuæ cogitationes, quæ pudori nostro consulunt, & ac si capilli frontem muniunt, à mente, quæ caput est, ignominiosè excidunt. Quasi luctum vnigeniti Deus eam ponit, cum illam, quæ per caput significata est, conscientiam singulari lapsæ rationis damno supponit. Nota quod de genere transit ad genus, sicut illud est, quod Dauid quærens tabernaculum Domino, in Ephrata dicitur inuenisse eam; pro significante interserens significatam. Nouissima eius quasi diem amarum ponit, cum satietatem peccati, quam pœnitudinis acerbitas solet sequi, amarissimè facit doloribus suspicionis addici. Et rectè dies amarus, voluptatis hilaritas præmissa mœroribus.

Isaiæ 51, 23.

Psal. 131, 5. 6.

Vers. 11. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & emittam famem in terra: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei.* Ecce, idest in hoc ipso tanti torporis habitu, dies non claritatis sed malorum manifestationis veniunt; & ab interiori miseria emittam inopiam externæ desolationis in opera, vbi à nemine intelligatur, non victus corporalis

inediâ, ſed verbi Dei, ideſt internæ dulcedinis medullitùs guſtandæ penuriâ.

Verſ. 12. *Et commouebuntur à mari vſque ad mare, & ab Aquilone vſque ad Orientem.* A mari vſque ad mare commouentur, cum ab anxietate facinoris perpetrati, vſque ad extremi timorem iudicij continua cordium diſcurſione citantur. Vſque ad Orientem quoque ab Aquilone procedunt, cum à diabolicæ deſperationis gelu ad Dei miſericordiæ Orientem reſpirare contendunt. *Circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.* Verbum Domini quærendo circumeunt, ſed non inueniunt, cum diuinitùs ſibi Deum illabi appetunt, ſed per mundi appetitus circumire non deſinunt; quem quidem non inueniunt, quia diſſimiliter quam quæri debuerat, quærunt.

Verſ. 13. *In die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti.* In die illa non intimæ lucis, ſed vltionis manifeſtæ, virgines pulchræ deficiunt, cum ſubtiliora, & quaſi delicatiora, quæ Apoſtolus vocat cariſmata meliora, (1. Cor. 12. 31.) ſpiritus noſtri dona diſpereunt. Adoleſcentes etiam in ſiti deficiunt, cum fortia quæque, ſed per hypocriſim facta, ab interna ariditate ſubſidunt.

Verſ. 14. *Qui iurant in delicto Samariæ*: quia firmiter perſeuerare ſine fructu interiori deligunt in ſimulachro exterioris cuſtodiæ. Samaria enim cuſtodia dicitur. *Viuit*, inquiunt, *Deus tuus Dan: & viuit via Berſabee, & cadent, & non reſurgent vltra.* Dan interpretatur iudicium. Berſabee autem puteus ſatietatis, Ac ſi dicerent: Hi qui ſibi Dei miſericordiam poſt longam hypocriſim circa finem pollicentur: O terribile iudicium! Deus tuus, qui ſalutem cuilibet quacumque hora ingemuiſſet ſpopondit, viuit; Quia heri & hodie ipſe eſt; (Heb 13. 8.) idem quod promiſit facere potens; ſed & via, ideſt actio putei ſatietatis, ideſt gloriæ temporalis aduiuit, plurimùm infirmis mentibus ſui commoditate valens. Ideò, ait Propheta, cadent & non reſurgent vltra, quia non debent diuina reſtringere ſub ſuo velle iudicia.

CAPVT IX.

Verſ. 1. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare, & dixit: Percute cardinem, & commoueantur ſuperliminaria.* Dominus ſuper altare ſtat, cum ægrè ferens durâ animaduerſione propoſita peruerſa impugnat. Pro altari enim habent, quidquid hypocritæ noui inſtituti magnum apud ſe cenſent: Qui enim ſtat in Synagoga Deorum, ipſe etiam dijudicat. (Pſal. 81. 1.) Percuti cardinem iubet, vt ſuperliminaria commoueantur, cum prædicationum ſpiculis corda præcipit vulnerari, in tantum ſiquidem, vt etiam exterior habitus commutetur. *Auaritia enim in capite omnium, & nouiſſimum eorum in gladio interficiam.* Quod ſuper cardinem, hoc iſtic caput, quod ſuperliminaria, hoc hîc nouiſſimum appellat. Auaritia in capite omnium eſt, cum honoris, & fauoris ambitio principali mentium intentioni ſubeſt. Nouiſſimum eorum in gladio interficitur, cum corpus, quod ideo nouiſſimum dicitur, quia magis quàm mens contiguum eſſe dinoſcitur, lethali peccato addicitur. *Non erit fuga eis. Fugiet, & non ſaluabitur ex eis, qui fugerit.* Fuga hypocritis non eſt, cum illîc timore trepidant, vbi timor non eſt. Fuga namque animi timor eſt. Tamen fugiunt, quia ſuæ laudis ſola damna metuunt. Qui verò fugerit, non ſaluatur, quia quiſquis hoc modo timuerit, nequaquam à Dei iudicio, quod plerumque peccata propalat, contutatur.

Verſ. 2. *Si deſcenderint vſque ad infernum, inde manus mea educet eos.* Ad infernum deſcendunt, qui nulla pietate ad Dominum reſipiſcunt. Inde manus Dei eos educit, cum quò deſperatiores ſunt, tantò facilius is, Qui educit vinctos in fortitudine, & in ſepulchris habitantes eos eruit. (Pſal. 67. 7.) *Et ſi deſcenderint vſque ad cœlum, inde detraham eos.* Ad cœlum aſcendens inde detrahitur, qui elatus in ſuperbiam vt, iuxta Iob, caput eius nubes tangat; quaſi ſterquilinium in fine diſperditur. (Iob. 20. 6.)

Verſ. 3. *Etſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos.* Carmelus interpretatur mollis: Vertex autem ſuperbiam ſignat, vt eſt illud, quod Pſalmus verticem capilli appellat. (Pſal. 67. 22.) In vertice Carmeli abſconduntur, qui de ſuo fragili opere in ſua cogitatione lætantur. Inde ſcrutans eos Deus aufert, cum eos intra ſe media ratione ſuper ſuo turpi actu diſcutiens, à priſtinis fœditatibus dimouet. *Etſi cœlauerint ſe ab oculis meis in fundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos.* In fundo maris ab oculis Dei ſe cælant, qui in extremis & deſpicabilioribus ſeculi vitiis, quibus Deum amaricant, dignationem diuinæ viſitationis, abdicata à ſe penitùs omni confeſſione ſequeſtrant. Ibi Deus ſerpenti mandat, eoſque mordet, cum carnali noſtro affectui inſtinguendo denuntiat, vt miſeram rationem, cuius aſtutia ſe hactenus malè occuluit faſtidiendo quæ fecit, excruciet. Iſte eſt ſerpens, qui Euam, ideſt voluntatem ſeduxit, & eius calcaneo quotidie inſidiatur.

Verſ. 4. *Et ſi in captiuitatem abierint coram inimicis ſuis, ibi mandabo gladio, & occidet eos.* In captiuitatem coram inimicis abeunt, qui à ſui exuti libertate arbitrij plus etiam apud ſe peccare deliberant, quàm dæmones ipſi ſuggerant qui captiuauerunt. Ibi gladio Deus mandat,

mandat, eosque occidit, cum infœlicibus peccandi oportunitatem laxat, interituique permittit. *Et ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.* Super eos oculos suos Deus ponit, cum hos prælibatos quinque peccandi modos, non tàm animaduersoriè, quàm propitiabiliter aspicit. Hæc in malum non in bonum facit, dum eis non bona quæ per hypocrisim peragere, sed malas intentiones quibus illa fecere proponit.

Vers. 5. *Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea.* Dominus, inquit, Deus exercituum est, qui potentiarum pro vt libuerit quarumque efficax est. Vnde & cum tetigerit terram tabescit, quia cum manum suam per conscientiæ foramen, iuxta illud Cantici Canticorum, immiserit, ad tactum eius venter peccatoris intremiscit, & quasi ex sui considerațione tabescit. *Tangit* enim *montes & fumigant*, respicit & facit tremere terram. Omnes habitantes in ea lugent, cum etiam qui corpora sua bene regunt, nihil in omni suo bono actu nisi luctu digna vident. Si iustus vix saluatur, non ergo mirum si peccatores timent. *Et ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Ægypti.* Hic versus, & medietas præcedentis supra expositus est. Ascendit sicut riuus omnis, cum omnis qui corpus suum castigat, & in seruitutem redigit, pleno ad Deum fertur impetu intentionis. Sicut fluuius Ægypti defluit, cum astutia illa, quâ configurabatur seculari scientiæ, ex toto in eo deperit.

Cant. 5. 4.

Psal. 103. 32.

1. Pet. 4. 18.

Vers. 6. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit.* In cœlo ascensionem suam ædificat, cum in electorum pectore, qui sicut cœlum sibi sunt sedes, virtutum instrumenta multiplicat, per quæ non solum in horum sensibus proueha-tur, sed eos ipsos ad sui notitiam promoueri faciat. Fasciculum suum super terram fundat, cum in corpore nostro totius boni exercitij materiem per sanctæ religionis vincula constringit & solidat. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius.* Aquas maris Dominus vocat, cum quosque leues & fluidos, & sentina putidæ conuersationis amaros, ad suæ institutionis studium prouocat, quas in tantum gratiæ suæ condimento dulcorat, vt eas super faciem terræ effundat, idest ante faciem quorumque bonorum, qui, iuxta Apostolum, sunt Dei cultura, eos pro exemplo exponat. Nec id iniuriâ. Ipse est enim Dominus sic re vt nomine, cui subest, cum voluerit, posse.

1. Cor. 3. 9.

Vers. 7. *Numquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi, dicit Dominus, filij Israël?* Filij Israël Æthiopum filij Deo fiunt, cum hi, qui cum Deo suis motibus principari debuerant, immutabiliter in peccati nigredine perseuerant. Israël princeps cum Deo dicitur, qui ad obstinatos hypocritas sermo dirigitur. *Numquid non Israël ascendere feci de terra Ægypti: & Palestinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* Israël ascendere de terra Ægypti Deus facit, cum de seculi mœroribus ac tenebris ad se videndum Deus assurgere facit. Palestini de Cappadocia eruuntur, cum de frigore infidelitatis ad hoc, vt mundanæ voluptatis potione concidant, aliqui educuntur. Palestini potione cadentes dicuntur; Cappadocia autem Aquilonalis regio est. Syri Cyrene similiter euocantur, vel vt iuxta aliam translationem * dicam, de fouea, in qua tenebantur, cum superbi quique de imis vitiorum eruti; vel, quod Cyrene sonat, de hæreditaria sorte diaboli per baptismum exempti, intra superbiæ sublimitatem remanere sinuntur. Quod totum ac si diceret: Ne extollamini quia vos de Ægypto eduxerim, meminisse debetis, quòd & alias communes quaslibet personas de grauibus malis ad faciliora sæpe transtulerim.

* Septuaginta interpret.

Vers. 8. *Ecce oculi Domini Dei super Regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Ne eleuemini, inquam, hypocritæ pro vestra fucata continentia, quia ecce oculi Domini super Regnum peccans, idest iudiciaria Dei perspicacitas super eos, qui se exteriùs rexisse videntur, & tamen ex eo ipso regimine in elationis foueam demerguntur. A facie terræ Regnum conteritur, cùm iusto Dei iudicio etiam ad humanos vsus prætensa castitas adnullatur. *Veruntamen conterens non conteram domum Iacob.* Ac si dicat: Licet vos plurimam sanctimoniam habere permittam, & electos meos, qui vitia supplantare nituntur, aliquotiens cadere sinam, conterens tamen exeriùs introrsum omninò non conteram, sed faciam eis casum standi materiam. Iacob supplantator est.

Vers. 9. *Ecce ego mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israël: sicut concutitur triticum in cribro, & non cadet lapillus super terram.* Deus mandat, cum minimè fieri vetat. In omnibus Gentibus domum Israël concutit, inter omnia penè vitia conscientiam hypocritæ plerumque collidit. Et hoc fit sicut triticum in cribro concutitur, in quo bonorum naturalium fruges à paleis & sordibus vitiorum Deo discernente purgantur. Sed non cadit lapillus super terram, quia obduratio animi non excidit, vt pertingat vsque ad peccati, & terrenitatis suæ notitiam.

Vers. 10. *In gladio morientur omnes populi peccatores mei, qui dicunt: non appropinquabit, non veniet super nos malum.* Quod est dicere: Quicumque sibi immunitatem à pæna peccati, quasi pro vitæ merito sibi spondent, pro sua

securitate capitalis criminis gladiũ incident. A

Vers. 11. *In die illo suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, restaurabo.* In die illo tabernaculum Dauid quod cecidit suscitatur, cum in illa illuminatione interna, quâ dum superbit impius ad sui claritatem velut aurum incenditur pauper, sancta militia cuiuslibet manu fortis, quæ desidiâ effluxerat, innouatur. Aperturas murorum eius reædificat, cum mentis hiatus, per quos admittebatur praua suggestio, litura virtutis accopulat. Quæ corruerant restaurat, cum damna peccati pœnitudinis impensione redintegrat.

Psal. 9. 23.

* Vers. 12. *Et reædificabo eos sicut in diebus antiquis: * vt possideant reliquias Idumeæ & omnes nationes, eo quòd inuocatum sit nomen meum super eos.* Sicut in diebus antiquis eos reædificat, cum ad exemplum supercœlestis Ierusalem, cuius diebus, idest virtutibus, vt sic dixerim, nihil æternius, eos, qui militiæ illi inequitant, instituit & reformat. Vt possideant reliquias Idumeæ, & omnes nationes, terrenitatem videlicet sui corporis, & concupiscentias per corpus euagantes. Et hoc, eo quòd inuocatum sit nomen meum super eos, idest non suo nomini peccati victoriam ascripserunt, sed ante thronum Dei coronas suas ipsi soli gratulabundi, de sui laboris prosecutione miserunt.

Vers. 13. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen.* Dies veniunt, cum menti claritates internæ succedunt. Comprehendit arator messorem, cum exercitium boni operis, etiam necdum promoto studio, iam boni operis securè operiri incipit messionem. Quod illi statui obuiare videtur, quo perfectissimis ante Christi aduentum negari solere cognouimus cœlestis patriæ mansionem. Calcator vuæ mittentem semina comprehendit, cum is, qui diuinæ gratiæ nectar per nouæ compunctionis affectum à sua mente extorquet & elicit, illum, qui doctrinæ salutaris spargit semen, feruore pij desiderij æquiparare contendit. *Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.* Montes dulcedinem stillant, cum excellentes in contemplatione animi, de supernæ gloriæ gaudio sensim, & quadam verborum lentitudine, tractant. Et hæ sunt scintillæ apud Ezechielem æris candentis. Et quid aliud quàm stillare videtur, qui quod de Deo sentit, neutiquam elucubrare permittitur? Omnes colles culti sunt, cum ab eorum stillicidio nihil agreste, nihil insolens, nihil incompositum residere in subditorum mente conspicitur.

Ezech. 1. 7.

B *Conuertam captiuitatem populi mei Israël: & ædificabunt ciuitates desertas, & habitabunt in eis.* Captiuitatem populi sui Deus conuertit, cum qui captiuos nostros duxerant animales motus, ipsi captiui abducuntur ad liberi arbitrij rationales motus: Vnde est; Captiuam, inquit, duxit captiuitatem. Ciuitates desertas ædificant, cum sensualitates Dei contubernio desolatas, contra totius incursus vanitatis instaurant. In eis inhabitant, cum eas sollicitâ custodiâ frequentantes, suæ ditioni fixa deliberatione subiugant. C *Et plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum.* Vineas plantant, qui causas æternæ lætitiæ piè collaborando propagant. Vinum earum bibunt, cum spei gaudium sempiternæ inde præsumunt. Inde debriantur, cum ad anteriora tendentes ea, quæ retro sunt, obliuiscuntur. Hortos faciunt, cum ad fortia, & etiam corporalis exercitationis studia sese proripiunt. Fructus eorum comedunt, cum D de labore forastico, & de beneficentiæ in proximum impendio, de cœlesti menti securias etiam impresentiarum innascitur brauio.

Vers. 14. Ephes. 4. 8.

Vers. 15. *Et plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltra de terra quam dedi eis.* Super humum suam eos plantat, cum immobiliter eis suorum corporum, ne vlterius præter modum rebellia fiant, dominium donat. De terra quam dedit eis vltra eos non euellit, quia quam promisit mitibus possidendam, eorum videlicet corporum terram, æterno eis iure præfixit.

Explicit Amos Propheta.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS,
TROPOLOGIARVM AD LIBRVM QVINTVM
PROLOGVS.

BEATISSIMVS IEREMIAS *qui ex ipso matris vtero sanctificatus & Propheta Gentibus destinatus, iniens æuum sub Euangelica virginitate produxit, qui secundum inolitam sibi puritatem tantò acutius sese ad interna proripuit, quantò ab externo fœdere, & prosperitate mundana, pro temporis incommodo, & corde pudicissimo secretior fuit. Vnde sanctæ infortuniũ ciuitatis ad interioris hominis conferens lapsum, quadruplex mysticis doloribus adhibuit alphabetum; vt quem quatuor elementorum immoderantijs ruisse compererat, per Euangelicũ cataplasma sanaret, & qui decalogum duplicitatis transgressione calcauerat, sub Euangelica se dualitate restringeret. Viginti enim duæ literæ cum sint, deuteresεos excessum, quæ legis sacræ sinceritatem traditionum nouitate corruperat, vicenario signat: sed cum ad caritatem Dei & proximi mens compuncta, & excidij sui lachrymabiliter recordata redigitur, interius exterminium gemini præcepti breuitate reparatur. Nos ergò deuteresim omittentes & hypocrisim, quæ suis coloribus plurimos in Ecclesia conduplicat, assumentes, in casus & damna mentium, quæ in quotidiana vastatione perpetimur, subtiliter inuehamur; & simulationis rugam, quà ad Deum quidem angustamur, ad seculum verò pessima vicenarij multiplicatione replicamur, de proximo euntes in Deum, in amicos & inimicos multa quaquauersum liberalitate tendamur. In defectu ergò vrbium, ruinas meditemur animorum, & videamus quid primus nobis character insinuet, ex quo vti de cæteris constat, quia subiecta sententiã pendet. Ergò sancto nos Spiritu accingente pergamus.*

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS
TROPOLOGIARVM IN LAMENT. IEREMIÆ
LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Vers. 1. ALEPH. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouintiarum facta est sub tributo.* Aleph, interpretatur doctrina. Ciuitas plena populo sola sedet, cum mens cogitationum stipata frequentiis, sola & incomitata absque doctrinæ salutaris meditatione subsidet, dum ad reparandam mentis quietem tumultusque sedandos nulla vi per se assurgere valet. Vnde cuidam malæ virgini dicitur, sede in puluere. (Isaiæ 47. 1.) Solus namque nemo est, qui sacri eloquij intra se compos est. Domina gentium quasi vidua fit, cum ratio, quæ vitiorum gentibus discretionis sceptro præsidere debuerat, expers diuini seminis, & Deo coniuge vacat. Princeps Prouinciarum fit sub tributo, cum illa, quæ prouintijs exteriorum sensuum, qui in Euangelio quinque ciuitates appellantur, efficitur obnoxia peccato. De quò tributo dicitur: De necessitatibus meis libera me. (Psal. 24. 17.)

Vers. 2. BETH. *Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius.* Beth, interpretatur confusio. In nocte plorat, qui in confusione peccati mentis acumen quasi capitis oculos ab humore pietatis extenuat. Lachrymæ eius in maxillis eius sunt, cum ad aperta dispendia animorum interioritates defluunt. Vnde de iniquo quolibet dicitur. In vita sua proiecit intima sua. (Thren. 1. 2.) *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Ex omnibus caris eius non est qui consoletur, cum ex vniuersitate virtutum, in quibus sola vera caritudo penes nos reperitur, non est aliqua residua quæ nos ad spem refouere videatur. *Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici.* Om-

nes amici eius eam spernunt, cum motus rationales, quos verè amicos, si se continerent, habere potuerat, ob fœditatem suæ actionis animum detestando confundunt, fiunt ei inimici, cum licet quod agunt, & quod cogitant, habeant execrationi, non succurrendo tamen eius infami negotio perseuerant inimici.

Vers. 3. GIMEL. *Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis: habitauit inter Gentes, nec inuenit requiem.* Gimel, interpretatur retributio: Propter afflictionem, & multitudinem seruitutis Iuda migrat, cum propter flagitiorum, & scelerum creberrimos in mente recursus, confessionis omnino virtus amittitur; Sic enim Iudas interpretatur, taliterque pessima vita peioris sensus retributione damnatur. Inter Gentes habitat, dum malæ conuersationis barbariem peccando frequentat. Requiem non inuenit, quia in miseriis non subsistit. *Omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.* Mens angustatur cum hinc inde prauo appetitu irruente vexatur. Inter has angustias persecutores eius eam apprehendunt, cum quæcumque irruerint vitia eam sibi subiugare non desinunt.

Vers. 4. DALETH. *Viæ Sion lugent eo quòd non sint qui veniant ad solemnitatem.* Daleth, interpretatur timor: viæ Sion lugent, cum illæ, quæ quondam fuerant mundi cordis puritates, per quas itur in diuinas, quod est Sion, speculationes, nil de gaudio cœlesti prægustant, sed malè sibi consciæ nil aliud norunt, nisi continuos parturire timores. Ex eo autem lugent, quòd non sint qui veniant ad solemnitatem, ea enim causa est remotæ lætitiæ, quia nullius respiratio virtutis occurrit, quæ ad contemplandam spiritus, & animæ cogitationum quoque, & intentionum tanquam solemnis diei frequentiam nos ducere possit. *Omnes portæ eius destructæ.* Portæ eius omnes destruuntur, cum à debitæ continentiæ statu sensualitas tota diruitur. De quibus legitur: Attollite, inquit, portas principes vestras. *Sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidæ.* Sacerdotes eius gemunt, cum intellectualitates eius, quarum erat officij sacrum sibi præbere ducatum, non nisi digna gemitu tractare persistunt. Virgines eius sunt squallidæ, cum fides, & spes, quæ solæ incorruptæ resedisse videntur, squaloribus vitiorum indesinenter addicuntur. Nec id iniuria, nam ipsa oppressa amaritudine. Amaritudine opprimitur, quæ nulla supernæ dulcedinis affectione conditur.

Psal. 23. 7. 9

Vers. 5. HE. *Facti sunt hostes eius in capite, inimici illius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam.* He, interpretatur esse. In capite eius hostes fiunt, cum in mentem, qua sicut capite membra regimur, & in qua substantiam, vt ita dixerim, verè essendi in Deo accipimus, obsidionem immò possessionem peccatorum admittimus. Ille enim non esse dici potest, qui internæ veritati sincerè viuendo non coest. Vnde de diabolo dicitur: Habitent in tabernaculo socij eius qui non est. Inimici illius locupletati sunt, cum de ea quam nobis subripuerint dæmones virtute superbiunt. Et hoc fit, quia Dominus super eam loquitur, quòd scilicet suæ merito nequitiæ ad opprimendam eam sententia datur. *Pro multitudine iniquitatum eius; paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis.* Paruuli ducuntur in captiuitatem, cum idiotæ quilibet per eorum deuia fiunt extra arbitrij libertatem, vt necessitate peccent, quod contraxerint voluntate. Et hoc pro multitudine his accidit iniquitatum, vt se quilibet à iure sui sensus sentiat captiuatum. Ducuntur autem ante faciem tribulantis, cum ardentior est impetus peccare volentis, & longè subsequatur diaboli suggestio attentantis. In terram enim spaciosam, & latam iuxta illud Isayanum, quasi pila mittuntur. Ipsi etiam auram prauæ aspirationis sibi generare dicuntur.

Iob. 18. 15.

Isaiæ 22. 18.

Vers. 6. VAV. *Et egressus est à filia Siõ omnis decor eius, facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua.* Vau, interpretatur ipse. Ipse autem proprietatem eius super quo dicitur, insinuat. Vnde egressus à filia Sion omnis decor eius dicitur, cum ab ea mente, quæ cœlestium speculatorum aut olim fuerat, aut esse potuerat, si Deo inniteretur filia, hoc ipsum, quod in Dei conspectu personalitatem sibi, & vt ita dicam, substantiuam quamdam proprietatem extruit, & ædificat, Dei videlicet gratiam, quam solam ipse concupiscit speciem, intima pestis eliminat. Velut arietes principes eius sunt, cum sensus eius exteriores duces vniuersæ eius operationis fiunt. Arietes enim ducatum gregi præbere solent, & hunc quinarium habet Samaritana coniugem. Hi arietes non inueniunt pascua, nimirum vitalia, nec requirere quidem gestiunt alimenta. *Et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Absque fortitudine abeunt, cum absque vlla rebellione spiritus diaboli suggestionibus cedunt. Ante faciem etiam subsequentis abeunt, cum ante experientiam malignæ adhortationis, quasi præsentiam faciei suis ipsorum motibus vltrò succumbunt.

Ioan. 4. 18.

Vers. 7. al. * Zain.

* ZAI. *Et recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis.* Zai, interpretatur huc; illud innuens, animam lapsam meminisse debere, vnde & quo lapsa sit, quod scilicet huc

Psal. 72. 10. al. * hic. ſemper oculum retorquere neceſſe ſit. Ideò, A inquit, conuertetur populus meus * huc. Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ recordatur, cum mens, quæ aliquando viſionem pacis attigerat, ſuæ deiectionis reminiſcitur. Recordatur autem dierum, ideſt quarumcumque diſcretionum, antequam cæcutirent oculi intentionum, quod ſolet fieri in primordiis tentationum. Præuaricationis omnium deſiderabilium ſuorum recordatur, cum internæ opulentiæ gazas, quæ modo animorum præuaricatione turbantur, & quæ à diebus antiquis, ideſt antequam mens B prorſus tenebraſceret, habebantur, miſerabiliter, ſine effectu tamen aliquo, ad memoriam reuocare videtur. Deſiderabilia non alia ſunt quàm interiora bona, quæ Apoſtolus vocat meliora cariſmata, & quæ filiæ Regis ab intus ſunt gloria. *Cum caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator.* Cadit populus eius in manu hoſtili, cum cogitationum vulgus laſciuiens fracto bono propoſito cedit diabolicæ parti. Non eſt auxiliator, cum deeſt ſpiritus repugnator. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* C Hoſtes eam vident, cum malæ habitus mentis eis nullo modo diſplicent. Sabbata eius derident, cum eam ſibi acquieſcentem, & omni vtili ſtudio ſuperſedentem habere ſe gaudent.

Pſal. 44. 15. 1. Cor. 12. 31

Verſ. 8. HETH. *Peccatum peccauit Ieruſalem propterea inſtabilis facta eſt.* Heth, interpretatur ſtupor. Stupor autem inſenſibilitas eſt. Inſenſibilitas autem nil aliud quàm reprobus ſenſus. Hoc ergo antonomaſticè peccatum Hieruſalem peccat, & ideò fit inſtabilis, quia poſtquam à viſione pacis internæ D mens ruerit, per tentatorum impulſus huc illucque vagabunda diſcurrit. *Omnes, qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quoniam viderunt ignomiuiam eius.* Qui eam glorificabant, virtutes ſunt animi; hi eam ſpernunt, cùm contemptu dignam argumento ſuæ deſertionis oſtendunt. Quoniam, inquit, ignominiam eius viderunt, infamem ſcilicet ex obſcæna conuerſatione videri fecerunt. Sunt autem huiuſmodi dicta ſecundum illud.

Iob. 9. 31. Abominabuntur me veſtimenta mea. *Ipſa autem gemens & conuerſa retrorſum.* Gemit E cum miſera mens difficultatem malè operandi inuenit. Sub lingua, inquit, eius labor & dolor. Retrorſum conuertitur, cum ad præteritas potiùs voluptates retorquetur, quàm ſpe ad anteriora tendatur.

Pſal. 10. 7.

Verſ. 9. THETH. *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata eſt finis ſui, depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem.* Theth, interpretatur excluſio. Sordes eius in pedibus eius ſunt, cum ab affectibus eius peccati intentiones non deſinunt. Finis ſui non recordatur, cum à praui ſui ſtatus conſideratione excluditur: hoc enim in præmiſſa litera adnotatur. Finem ſuum attenderet, ſi fructum ſtudij ſui quis ſit futurus aduerteret. Vehementer deponitur, quæ nunquam ad appetenda æterna leuatur. Conſolatorem non habet, cum inter tot miſerias, nec virtutis quippiam quo reſpiret, quin potius omni ſancti Spiritus conſolatione caret.

Vide Domine afflictionem meam quoniam erectus eſt inimicus. Vox eſt ſancti cuiuſpiam, qui de lapſu alieno affligitur. Inimicus erigitur: ſecundum quod illa, vt ſupradictum eſt, vehementer deponitur.

Verſ. 10. al. * Iod. * IOTH. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius: quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam.* Ioth, interpretatur deſolatio. Et planè deſolatur, cum poteſtas, quod eſt manus hoſtilis, per interiora bona, quæ Deo deſiderabiliora creduntur, obuagatur. Quod ideò ei contigit, quia Gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum vidit, ideſt nequitias quaſlibet conſcientiam occupantes, quæ templum Dei eſſe debuerat, æquanimiter tulit. Ea enim quæ exoſa habemus, ſolemus dicere, quia videre non poſſumus. De his præcepit Deus ne intrarent in Eccleſiam ſuam, qui etiam auerti præcepit oculos ne viderent vanitatem, nedum ipſa vanitas admitteretur in mentem.

Verſ. 11. CAPH. *Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt precioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* Caph, dicitur incuruatus, nec immeritò. Omnis enim populus eius gemens panem quærit, cum tota cogitatio ſub cupiditatum faſce dolens temporalis iocunditatis alimenta circumlegit. Quo contra in Iob legitur: Abominabilis fit ei panis in vita ſua. Precioſa quæque pro cibo dant, cum pro ſeculari laſciuiâ bona interiora, magna pretij, & mercis iniquitate diſpenſant. Hoc faciunt, vt animam refocillent, vt momentaneo ſcilicet voluptatis cuiuſlibet hauſtu, appetitui ſuæ animalitatis aſſeruiant. *Vide Domine & conſidera quoniam facta ſum vilis.* Sunt quidam, qui de hac ſua incuruatione ac ſi vilitate, quaſi de profundis ad Deum inclamando reſpirent. Videt Deus, cum videre nos facit; conſiderat, cum nos ad noſtri conſiderationem reducit.

Iob. 33. 20.

Verſ. 12. LAMETH. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Lameth, interpretatur cor ſeruitutis. Per cor, quo ſapimus, intelligentia; per ſeruitutem peccati ſubiectio deſignatur. Per cor ergò ſeruitutis cognitio eſt ſignata peruerſæ ad peccatum humilitatis. Vnde operibus clamat. O vos omnes qui tranſitis per

viam, qui per Christum videlicet, qui via A est, informati transfigitis vitam, attendere, & videre documento, & exemplo me facite, quantæ dementiæ sit his me doloribus addici. Cum enim alij doleant pro suo quod commisêre peccato, mihi proh dolor! non tam mœror quam rabies innascitur; quòd ad libitum peccare non valeo. Et hoc ideò, *quoniam vindemiauit me* Dominus, totius vtique pij exercitij, & cœlestis dulcedinis subripuit mihi fructus. *In die furoris sui Dominus* hæc loquitur, cum in aperta suæ animaduersionis sententia peccatum, & pœna B peccati pariter quasi in die reteguntur.

Vers. 13. MEN. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Men, interpretatur ex ipsis. Ex ipsis planè est, quia ex ipsorum fit merito quidquid introrsum damni est. Vnde de excelso in ossibus ignis mittitur, cum inter ipsa lapsus primordia, ignis cenodoxiæ de virtutum robore originem sumens exoritur, qui de excelso, idest fastu superbiæ itidem generatur. Ignem enim sic accipi testis est Propheta; A voce, inquit, loquelæ grandis exarsit ignis in ea. (Ierem. 11. 26.) Erudit eum, cum de quo bo- C no ceciderit, instruitur per peccati cuiuslibet casum. Vnde & Balaam de seipso, Qui cadit, inquit, & sic aperiuntur oculi eius. (Num. 24. 4.) *Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.* Rete pedibus expanditur, cum offendiculum coram his, qui voluntariè peccant, ponitur; & dum hinc expedire se nititur, ingruentium malorum maculis amplius irretitur. Retrorsum conuertit, cum ad peccata veterna reliditur. Desolata ponitur, cum à Deo inhabitatore vacans diabolicæ voluntati prostituitur. Tota die mœrore conficitur, cum sub D terreno onere ingemiscens toto die, idest iugiter, ab æternis exultationibus exulatur.

Vers. 14. NVN. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo.* Num, interpretatur vnicus. Supra dixerat, quia de suæ æstimationis excelso, in ossibus interioris constantiæ, iactantiæ ignis exarserat, iccircò vnicum se & singularem æstimabat. Proinde in manu Dei iugum iniquitatum eius vigilat, quia vsus perpetratæ nequitiæ, qui nos indesinenter opprimit & inclinat, irremediabilibus nos E curis exagitat. Vigilare enim solicitari est. Hæ conuoluuntur, dum iniquitatibus iniquitates admiscentur. Collo imponuntur, dum in oppressionis consuetudinem vniuersa trahuntur. *Infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.* Exinde virtus infirmatur, quia non est vlla vis cordis, quæ suborientibus vitiis refragetur. Dat nos Dominus in manu de qua non possumus surgere, cum semel serui facti peccati à iure eius, cui nos submisimus, nequimus nos potestatis eruere.

Vers. 15. SAMECH. *Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocauit aduersum me tempus, vt conterat electos meos.* Sameth, dicitur firmamentum. Dominus de medio nostri magnificos aufert, cum principales motus, quibus magna in medio nostri, in ipsa scilicet ratione geruntur, & quibus iuxta præmissæ literæ sensum in Dei dilectione firmamur, Deo iudice subtrahuntur. Vocat aduersum nos tempus, vt electos nostros conterat, cum temporali nos appetitu diabolicæ instinctu suggestionis irritans, & ea ab ipso opportunè suppeditari permittens, quidquid insignius in animo, quidquid electius est demolitur, & dissipat. *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* Torculari succus cuiuslibet rei exprimitur. Torcular ergò Dominus calcat, cum suo iudicio eas, quæ à nobis humorem totius pietatis eliciant, & obstinatione indita passiones augmentant. Et hoc fit virgini filiæ Iuda, confessioni videlicet non virili, quæ aduersum se confiteri proponat, sed infructuosæ, quod virgo est, & sterili, quæ partum suum ad vomitum redeundo effœminat, vel adnihilat.

Vers. 16. AIN. *Iccirco ergò plorans, & oculus meus deducens aquam: quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam.* Ain, interpretatur oculus. Plorat qui à se instinctum teneritudinis internæ eliminat. Oculus eius aquam deducit, cum intentio, quæ cogitationes illuminat, à se fontem sapientiæ salutaris pedetentim reiicit. Hinc est quod proposita litera oculum sonat, quia qui supra virtutum firmamenta dissoluerat, & oculum ipse intentionis consequenter extenuat. Et hoc, quia longè factus est à se consolator, dũ enim spiritus consolationis ab animo emittitur, quidquid introrsum residui est, sempiternis indurationibus obfirmatur. Is consolator animam conuertit, quia à suo impetu, nisi eius inspiratione anima miseranda non redit. *Facti sunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.* Filij perduntur, quoniam inimicus inualuit, cum quæ bene gesta videntur, non pro Deo geruntur, aut pro Deo gesta, diabolo nequitias ingerente, retributione priuantur.

Vers. 17. PHE. *Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam.* Phe, interpretatur errauit. Quem errorem exponens subiungit. Manus suas Sion expandit, cum opera sua is, qui ad Deum speculandum eatenus intẽderat (hoc enim Sion significat) per hypocrisim, qua peius nemo à vero exerrat, manifestare concertat. Ideò non est qui eam consoletur, quia super his laboribus, quos frustra exercet, nulla penes Deum spe refouetur. *Mandauit Dominus aduersum Iacob in circuitu eius hostes eius:*

facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter A *eos.* Dominus aduersum Iacob hostes eius mandat, cum aduersus eum, qui de vitiorum supplantatione se iactat, hostilitatem tentationis exsuscitat. Mandare enim eius, permittere fieri est. Hos in circuitu eius immittit, cum etiam exteriorem hominem euidenter sinit impediri. Ierusalem autem quasi polluta menstruis est inter eos, cum intrò forisque pulsata, potissimùm languet introrsum per cogitatus obscœnos.

Vers. 18. SADE. *Iustus Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocauit.* Sade, interpretatur iusti- B tia. Vnde sequitur, quia iustus Dominus, qui os eius ad iracundiam prouocauit, iustè videlicet ad exterius inconueniens duxit, quia diuina non pro Deo faciendo quasi in faciem Deo maledixit. *Audite obsecro vniuersi populi, & videte dolorem meum.* Obsecrat vniuersos populos vt audiant, cum per prauæ operationis infamiam omnes solicitat, exertam contra se Dei considerare sententiam. Videte, inquit, dolorem meum, non quo ego miseriis meis, proh nefas! indoleam, sed quod statum dolore dignum ducam. *Virgines meæ, &* C *iuuenes mei abierunt in captiuitatem*, quod est dicere: si quid incorruptum in mea mente, si quid validum constansque resederat, hostis antiquus ab omni pio habitu abducendo captiuat.

Vers. 19. COPH. *Vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Coph, interpretatur conclusio. Planè concluditur à quo vbi respirare valeat minimè inuenitur. Vocat enim amicos, & ipsi decipiunt, cum etiam sibi vult conciliare dæmonia, quo familiarius sibi subministrent vitia: sed in hoc ipso eum exitialiter fallunt. *Sa-* D *cerdotes mei & senes mei in vrbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi vt refocillarent animam suam.* Sacerdotes ipsi sunt rationales motus ducatum menti ferentes. Senes, itidem motus, vel in sensu, vel in corpore maiori grauitate præminentes. Hi in vrbe consumuntur, cum intra conscientiam, vbi originem sumunt, diuini verbi inedia periclitantur. Hi cibum sibi quærunt, vt animam refocillent, cum temporalia aucupantur, quibus suas animalitates subleuigent.

Vers. 20. RES. *Vide Domine quoniam tribulor: venter* E *meus conturbatus est, subuersum est cor meum in me metipsa: quoniam amaritudine plena sum.* Res, caput dicitur. Videre Deum rogat, quoniam tribulatur, cum de profundis, vt supra diximus, resipiscens Deum aliquotiens inclamitat vt videre, idest intelligere se faciat mortem, quæ intrò grassatur. Venter conturbatur, cum animus, ne quæ patitur valeat perpendere, obscuratur. In semetipsa cor eius subuertitur, cũ ratio, quæ in prætitulata litera caput dicitur, in sua ipsius contra vitia ratiocinatione cõfunditur. Amaritudine plenam se dicit, quia eam nulla supernæ dulcedinis gratia reficit. *Foris interficit gladius & domi mors similis est.* Gladius foris interficit, cùm executione cuiuspiam capitalis admissi, efficientia eam corporalis intercipit. Mors similis domi habetur, cum exteriùs oportunitati vacante peccante, peccandi introrsum maligna auiditate sæuitur.

Vers. 21. SIN. *Audierunt quia ingemisco ego: & non est qui consoletur me.* Sin, interpretatur super vulnus. Super vulnus autem est, cum super interioris hominis damna etiam aduersitas corporalis se infert. Audire in scripturis mysticis, pro eo quod est intelligere, ponitur. Audiunt quia ingemiscit, quia videlicet lapsa anima ad Deum respirare cõtendit. Audiunt etiam, quia non est qui consoletur eum, non superesse vtique animo, qui super virtute interna consolari possit eum. *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Quod est dicere: Omnes interioris hominis hostes, cum subintelligunt sibi hominem à Deo permitti tentare, lætantur, quoniam quasi optionem eis intuleris. *Adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.* Deus tamen si quando aliquam consolationem resipiscendi captiuæ menti inducat, ad conformitatem illico eius omnis affectualitatis motus, qui hac illacque euagabantur, redigi constat. Correcta enim semel ratione, omnia ad idem contrahuntur.

Vers. 22. TAV. *Ingrediatur omne malum eorum coram te, & deuindemia eos, sicut deuindemiasti me propter iniquitates meas.* Tau, dicitur consummauit. Consummatur quod fini cuicumque addicitur. Quod fit, si omne diabolicæ voluntatis malum coram Deo, quod est ingredi, exaudiatur. Vt deuindemientur, idest omnis eorum de me iocunditas adnulletur, sicuti ipsi me, mea exigente nequitia, adnullarunt. Multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens, multi vtique labores, quibus ingemo; & ipsa, quæ non nisi digna luctu agit, perturbatur ratio.

CAPVT II.

Vers. 1. ALEPH. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiã Sion, proiecit de cœlo inclitam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.* Aleph, sicut superius, doctrina dicitur. Conqueritur ergò anima, & miratur quomodo obtexerit caligine in furore suo Dominus filiam Sion; quomodo vtique permiserit obcæcari, per irreuocabilem animaduersionis suæ sententiam supercœlestis olim Sion, idest speculationis filiam, & de cœlo, idest de superna conuersatione, in terrenas concupiscentias deiecerit

eam, quæ cum Deo dirigi cœperat animam. Scabelli pedum suorum in die furoris sui non recordari dicitur, cum pietatis antiquæ, quòd videlicet in terra matrem, Patri coæternus, pro homine saluando susceperit, obliuisci videtur. Scabellum enim pedum pro Genitrice eiusdem benedictæ carnis accipitur. Vnde est, Adorate scabellum pedum eius. Prætitulata autem litera doctrinam exprimit, quæ caligine obtecta disperiit, cui tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, mens sanum sapientis intendit.

Psal. 98. 5. Pet. 1. 19.

Vers. 2. BETH. *Præcipitauit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Iacob: destruxit in furore munitiones virginis Iuda, deiecit in terram: polluit Regnum & principes eius.* Beth, dicitur domus haud dubium quin Dei. Huius quondam vitia supplantantis omnia speciosa domus præcipitat, cum totius virtutis insigne debilitat. Parceret autem si vel pia intentio resideret. Virgo Iuda, confessio est infructuosa. Huius munitiones in furore destruuntur, cum firmissimas rationes, quarum intuitu aduersum se suas iniustitias confitebatur, exuberante nequitia demolitur. In terram deiicit, cum ad terrena solum sapienda destituit. Regnum & principes eius polluit, cum intellectualitatis sedem, cum omni sensualitate, prauis delectationibus addici permittit.

Vers. 3. GIMEL. *Confregit in ira furoris omne cornu Israël: auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: & succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.* Gimel, interpretatur plenitudo, ea scilicet de qua dicitur, Completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Secundum hanc non causa correctionis, quâ irascitur non iratus, sed in ira furoris, quæ non reflectitur, omne cornu Israël confringitur, cum quidquid carnem excedens, quæ sursum sunt sapere poterat, in mente subruitur. A facie inimici dexteram suam retrorsum auertit, cum inter tentationes in quibus potissimùm inimici virtus agnoscitur, memoria sanctæ perpetuitatis à corde recutitur. A facie enim cognoscimus, & dexterâ eligimur. Quasi ignis flammæ deuorantis in gyro in Iacob succenditur, cum concupiscentiæ corporales per sensus, & membra in eo, qui olim eas subuertere consueuerat, excandescere permittuntur.

Gen. 15. 16.

Vers. 4. DALETH. *Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.* Daleth, interpretatur ianuarum, haud dubium quin exteriorum sensuum, per quos sæpe nostrum admittimus interitum. Quasi inimicus arcum suum Dominus tendit, cum futuri minas iudicij, quasi securim ad radicem intentare non desinit. Vnde est, Dedisti, inquit, significationem vt fugiant à facie arcus. Quasi hostis dexteram suam firmat, cum ex nostræ intuitu malignitatis supernam nobis se occlusurum patriam, quasi, idest reuera, hostis insinuat. Omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion occidit, cum quidquid in extrinseco opere, vel Deo, vel homini placere potuerat eius, qui matri supercœlesti similare debuerat, perditum ire sinit. Quasi ignem indignationem effundit, dum vniuersa criminibus consummanda concedit.

Psal. 59. 9.

Vers. 5. HE. *Factus est Dominus velut inimicus: præcipitauit Israël, præcipitauit omnia mœnia eius: dissipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.* He, dicitur suscipiens, non alia planè quam quæ intrudere voluerit diabolus influens. Vnde & præcipitasse Israël dicitur, dum quidquid cum Deo directionis haberi valet in animo inclinatur. Directus enim Dei, vel cum Deo Israël sonat. Omnia mœnia eius præcipitantur, dum exterior continentiæ eius pulchritudo dissoluitur. Munitiones eius dissipantur, dum spiritualis custodiæ proposita adnullantur. Humiliatum & humiliatam in filia Iuda replet, cum deiecto spiritu, & etiam voluntate deiecta, effœminata confessio languidam mentem pro destructis munitionibus implet. Filia enim Iuda confessio est inutilis & improba. Nota hebraïcum morem, quòd dicitur in filia Iuda repleuit humiliatum & humiliatam, vt est alibi, Repleuit carnem pro ea, pro eo quod nos dicimus, repleuit filiam Iuda humiliato & humiliata.

Gen. 2. 21.

Vers. 6. VAV. *Dissipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum.* Vau, interpretatur possessio, quæ non est alia quàm ipse, qui subscribitur hortus, cui quondam vitalis increuerat fructus. Quasi hortum ergò tentorium suum dissipat, cùm auulsâ vigilantiæ & timoris quasi sepium circumstantiâ, suis mentem vtilitatibus, ac si hortum fructibus priuat. Et meritò tentorium, vel tabernaculum conscientiam non domum vocat, quia nil perseuerans, nil stabile apud se proposuit, quæ statum suum tam facili desertione debilitat; vtraque enim peregrinis, & militantibus perfunctoria sunt. *Obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem, & Sabbatum: & opprobrio in indignatione furoris sui Regem & sacerdotem.* In Sion festiuitatem, & Sabbatum obliuioni Deus tradit, cum in mente quondam deuota, omnimodæ virtutis frequentiam & peccati otium obliterari permittit. Hunc diem solemnem in condensis

Psal. 117. 27. Psalmus indicit. Tradit etiam opprobrio Regem & sacerdotem, cum spirituali regimine prorsus extincto pariter adnihilat diuinam, quæ nos ducit, & docet in omni sanctitate doctrinam.

Vers. 7. ZAIN. *Repulit Dominus altare, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni.* Zain interpretatur alimentum. Altare suum Dominus repellit, cum animum, ex quo bonæ voluntatis, & fidei alimenta sumebat, malitia emergente contenit. Sanctificationi suæ maledicit, cum id, quod sanctitatis aliquando iusto insigniebatur agnomine, in defectum quotidianæ deteriorationis adducit. Maledictio enim pro defectu ponitur, sicut benedictio pro augmento. Per muros cohibentia sensualitatum, per turres eminentia designatur virtutum. Hæc in manu inimici tradit, cum ea diabolum subintrando occupare permittit. Vocem in domo Domini sicut in die solemni dant, cum per sensus reprobi dementiam in pessimis rebus exultant. Non dicit in die solemni, sed sicut, quia non est tanta aliquibus in boni perpetratione operis, quanta in malorum executione lætitia.

Vers. 8. HETH. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.* Heth, interpretatur pauor, & is non aliunde, quam quod cogitauit Dominus murum dissipare filiæ Sion, continentiam scilicet earum quæ hac illac euagantur imaginationum. Vnde Dominus: Clauso, inquit, ostio ora patrem tuum. (Matth. 6. 6.) Funiculum suum Deus tendit, cum peccatum pœnasque peccati æqua super nos lance perpendit. A perditione manum suam non auertit, quia cum mens sua penes Deum non deprecatur exitia, euidens vltio cogitationi diuinæ succedit. Antemurale luget, cum sensualitas exterior dolendo appetitui subiacet. Murus pariter dissipatur, cum imaginationum licentia passim remissa dispergitur.

Vers. 9. THETH. *Defixæ sunt in terra portæ eius: perdidit & contriuit vectes eius Regem eius; & principes eius in Gentibus.* Theth, interpretatur bonum. Portæ eius in terra defiguntur, cum obstacula rationis, quæ vitiis opponuntur, quod summum hominis bonum est, terrenis cupiditatibus opprimuntur. Vectes eius perditi conteruntur, cum spirituales instinctus, sine quibus rationi robur inesse non præualet, consumuntur. Regem, & principes eius perdit in Gentibus cum spiritum, cui omnia nostra regere attinet, cum sensualitatis affectibus vitiis submergit enormibus. *Non est lex, & Prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.* Vbi spiritus non est Rex, nullius moderationis est lex. Prophetæ eius non inueniunt visionem à Domino, quia prouidentiæ internæ nihil sibi prospiciunt, nisi quod prosit seculo.

Vers. 10. IOD. *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua virgines Ierusalem.* Iod, confessio; illa proculdubio quæ perit à mortuo. Vnde sedent in terra & conticescunt senes filiæ Sion, quia dum hærent omnino terrenis, sicut is, qui in cathedra pestilentiæ sedit, (Psal. 1.) maturiores animi motus, quos peccati conscientia atrocissimè mordere solet, à confessionibus obmutescunt; inde consequenter virgines Ierusalem capita sua cinere conspergunt, cum lapsi, & steriles antiquæ pacificationis motus, mentis peccati refricatione inficiunt: Per cinerem enim perpetrati olim peccati memoria, mentes signari per capita in scripturis celebre est.

CAPH. * *Accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terra capita sua virgines Iuda.* (* Aliter in vulgatis.) Caph, dicitur cor; ideò planè, quia quidquid subiungitur literæ de interiori totum constat damno. Ciliciis accinguntur, quorum lumbi titillatione libidinis compunguntur, cui sensui adnititur, quod animal petulcum est, de cuius pilis intexitur. Virgines Iuda, infœcunda sunt confessionis officia. Bonum est enim confiteri, si simul sit psallere. Capita sua in terra abiiciunt, cum principales mentis motus, qui aliquotiens de confessione admonent, prauo se pudore submergunt.

Vers. 11. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea.* Præ lachrymis oculi deficiunt, cum effusa benignitate intrinseca totius rationalitatis acumina decidunt. Viscera conturbantur, cum pariter interna vitalitas à vera discretione suffunditur. *Effusum est in terra iecur meum, super contritione filiæ populi mei, cum deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi.* Secundum physicos iecore amamus. In terra ergò iecur effunditur, cum supercœlestis amor terreno mutatur. Et hoc super contritione filiæ populi accidit, quia tales casus fracta mollities cogitationis nutrit. Et hoc etiam cum paruulus & lactens in plateis oppidi deficit, cum scilicet fidei modicitas, & dulcedinis sæcularis auiditas, per mundi solicitudines interitus causas facit.

Vers. 12. LAMECH. *Matribus suis dixerunt: vbi est triticum & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Lamech, interpretatur sermo. Matribus suis dicunt, vbi est triticum & vinum? cum aliquotiens fastidio voluptatum à conscientiis exigunt, non solum sermonis diuini, quem signat litera præ-

scripta solatium, sed etiam diuinæ aspirationis quo alacriores reddantur instinctum. Quasi vulnerati in plateis ciuitatis deficiunt, cum diabolici appetitus sagitta affecti ex nimia licentia vitæ sæcularis occumbunt. Ciuitas hîc & oppidum, sicut alibi atrium, seculum signat, angustæ viæ platea repugnat. Animas in sinu matrum suarum exhalant, cum intra conscientias, quæ matres & bonarum & malarum interioritatum sunt, laqueo concupiscentiali se stangulant.

Vers. 13. MEN. *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Ierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? magna est enim velut mare contirtio tua: quis medebitur tui?* Men, viscera, non alia planè quàm eorum, qui cum compassiuè erga illorum, qui sic periclitantur infortunia: Est ergò sensus ac si dicant: Tu anima, quæ supercœlesti matri tuæ cultu internæ pacis, & Dei speculatione conformari debueras, cuius comparatione lapsum tuum leuigare potero, cum te absorbeat tua per te desperabili obliuione contritio? Et cum tu tui iam non memineris, quis medebitur prædicando tui?

Vers. 14. NVN. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Nun, interpretatur pascua eorum, proculdubio illorum qui alienis mendaciis pascebantur. Prophetæ stulta & vana nobis vident, cum nostræ seculares astutiæ non solum falsos prouentus, vt assolet, spondent, sed etiam de futuris coniectantes in spe superbos nos promouent. Quæ sequuntur perspicua sunt, cum deberent scilicet quæ peccant sibi proponere, student magis fastuosa cogitare. *Viderunt autem tibi assumptiones falsas, & eiectiones.* Assumptiones sunt, quibus se in mundanas sublimitates assumendos credunt; sed hæc omnia nil aliud sunt, quàm eiectiones, quia dum crementa forastica ambiunt, certissima à vero bono eiectione sese prostituunt.

Vers. 15. SAMECH. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Ierusalem.* Samech, interpretatur adiutorium. Plaudunt super eam manibus, qui quondam in adiutorio altissimi commanentes, quod littera præcinuit, pijs eius allætantur operibus. Plausus enim collætari, manus signat operari. Hoc fecerunt omnes transeuntes per viam, quia dum in bono mens statu esset, aggratulabantur omnes qui per Christum, qui via est, desideranter aspirant ad patriam. Qui sibilat, ore restricto flatum extenuat. Et qui de bono quempiã opere sapienter laudat, partim loquitur, partim loqui dissimulat. Ne laudaueris, inquit, hominem in vita sua. Et laudandus est planè, quod & Paulus facit, vt animetur; parcè tamen ne securificetur. Vnde caput suum mouere dicuntur, quia etsi in eis Deum operantem gloriosa miramur, interim tamen pro incertitudine finis cohibere verba debemus. *Hæccine est vrbs dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Eadem capitis motio, quæ super Iob quondam fit & super Ierusalem. Sed post lapsum eius perfecti decoris eam fuisse conqueruntur, quia veteris eius habitus, pulchritudinem securitate iam inutili prædicantes, recordantur. Sed ille perfectus decor in gaudium vniuersæ terræ conuertitur, cum exemplum ruinæ, vel obstinationis, vniuersis terrena quærentibus exinde ministratur.

Eccli. 11. 30.

Vers. 16. AIN. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deuorabimus eam: en iste est dies, quem expectabamus: inuenimus, vidimus.* Ain, interpretatur quæstio. Et quæ peruersorum maior quæstio est, quàm quod à sanctis viris minùs rationabiliter aut dictum, aut factum est. Iccircò super eos inimici os aperiunt, quæ dum statum suum bene regerent, clausa tenuerunt. Vel etiam ora aperiunt, cum mordaces conscientias retegunt. Sibilant, cum totius iustitiæ proposita, pro vnius casu iam refutanda, & decidenda, dijudicant. Illa enim exsibilamus, quæ omnino respuimus. Dentibus fremunt, cum in eis si quid residui fuerit bona cætera decoquere, immò, vt expressius dicam, commasticare contendunt. Et aliter super eam os suum aperiunt inimici, cum supergredientur eam, iam veluti licenter consilia se declarant hostis antiqui. Sibilant, cum crimina dulce immurmurant. Dentibus tamen fremunt, quia inter * illationes voluptatum mentem miseram vniuersæ terræ malleo commolunt. Deuorabimus, inquit, eum, idest nobis incorporabimus. Ista enim dies, idest prosperitatis nostræ claritas est, & votiuè expectata, quia diu quæsita, tandem inuenta, demum experiendo iam visa.

In vulgatis loco Ain, est litera Phe, & Ain loco Phe.

* f. titillationes.

Vers. 17. PHE. *Fecit Dominus quæ cogitauit, compleuit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit, & non pepercit, & lætificauit super te inimicum, exaltauit cornu hostium tuorum.* Phe, interpretatur os. Ore secreta nostræ mentis absoluimus. Et Dominus facit quæ cogitat, cum ea, quæ cordi nostro aspirando insinuat, pia operis executione reuelat. Sermonem suum complet, cum ea, quæ per spiritum suum serit in nobis, per se operatur, per se ad exemplum exhibet. Hunc præceperat à diebus antiquis, quia eo nos instruerat à primoribus sanctis. Hi enim sunt dies, qui in libro Dei formantur. Per hos enim dies dicto factoque præcipitur, quo

mens nostra ex sermonis conceptione lustratur. Sed post hanc claritatem destruit Dominus, & non parcit, cum qui ascenderant ad cœlos repente in abyssos delabi permittit. Inimicum super eam lætificat, cum sub suo eam hostis, idest voto cohibens, gratulabundus aggrauat. Cornu hostium exaltat, cum vires resistendi eorum superbiæ negat. Cornu enim nostrum, spiritu carnem excedere est: Cornu autem diaboli, miserum cor hac illacque ventilare.

Vers. 18. SADE. *Clamauit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion.* Sade, consolatio. Cor eorum videlicet, qui supra plauserant manibus ad Dominum: super muros filiæ Sion clamat, cum super lapsæ conscientiæ oppressionem consideratione frequenti illachrymat. Et quæ maior consolatio animæ cuiuslibet miseri, quàm quòd scit sanctis viris se curæ haberi? Hoc enim litera sonat. *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem: & non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Vox eorum est, quorum cor clamat ad Dominum, ad filiam Sion. Ac si dicat: De interiori tua conscientia duc in euidens pietatis opus, ac si torrentem, qui obuia vitia quæque præcipitet, internæ ad Deum respirationis lachrymas non solum per prosperitatis diem (confitentur enim quidam cum benefecerit eis Deus) sed etiam per aduersitatis noctem, in qua clarissimè retinuit in Dei aures canticum eius; nec des requiem, idest securitatem tibi, vt de tui mœroris assiduitate præsumas; neque taceat pupilla oculi tui, idest numquam prauæ conscientiæ acquiescat, quin suis successibus semper inuigilet subtilitas spiritualis aciei.

Vers. 19. COPH. *Consurge lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini.* Coph, dicitur aspice. Rogatur à quibus supra vt aspiciat quorsum, & quomodo de veteri lapsu, & ad quem consurgere debeat. Lauda, inquit, in nocte, idest numquam à Deo desciscas in tentatione. Et hoc in principio vigiliarum, in initio scilicet conuersionis, aut in primæuitatę ipsarum ætatum. Sicut aqua cor suum ante conspectum Domini effundere iubetur, quia non aliter placet, nisi vt absque scrupulo, & crassitudine cogitationis aliqua, conscientia interius, vbi solus Deus videt, extenuetur. *Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Ad eum leuat manus, qui bonum in Dei nomine, non in laude humana extollit, non inclinat opus. Et hoc pro anima paruulorum, idest pro vita studiorum recèns in sancta professione cœptorum. In fame deficiunt, qui verbi Dei inopiâ pereunt. In capite omnium compitorum, in proposito scilicet omnium secularium actionum.

Vers. 20. RES. *Vide Domine, & considera quoniam vindemiaueris ita.* Res spiritum sonat. Clamant ergò qui supra Domino, vt videat, & consideret quem ita vindemiauerit, idest videre, & præcordialiter attendere nos faciat, quomodo spiritum, qui aduersus carnem propriè concupiscit, vitalibus lucis fructibus tantopere spoliauerit. *Ergò ne comedent mulieres fructum suum, paruulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & Propheta?* Quod est dicere; si sacri eloquij ducatus, qui est lucerna nostris pedibus, & prouidentia, quæ nostris præminet actibus, in sanctuario Domini, quod est mens, subruitur, scire velim vtrum infirmæ mentes, quæ innuuntur per mulieres, in quibus dispereunt hæ duæ res, comedent, idest consument intra se totius suæ bonæ actionis fructus nuper cœptos, & necdum ad perfectionem aliquam attingentes? Palma verò initium, cubitus plenitudinem significat.

Vers. 21. SIN. *Iacuerunt in terra foris puer, & senex, virgines meæ, & iuuenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.* Sin, vita; non illa, quæ abscondita est cum Christo in Deo; non illa, quâ in præsenti commorimur, & consepelimur ipsi Christo. (Colos. 3. 3. Rom. 6. 8. 4.) Vnde est, quod iacuerunt in terra foris puer, & senex. Foris puer, & senex in terra iacent, cum extra se non solum carnalis affectus, quo in morem pueri nil leuius, nil instabilius constat in homine, sed etiam ipsa ratio, cui fluxos animi habitus suo senioratu restringere conueniret, terrenis prorsus inhærent. Virgines, & iuuenes in gladio cadunt, cum si qua in animo bona illibata resederint, si quid in eius moribus validum, ac forte restiterit, totum alicui capitali peccato succumbit. In die, vel est in manifestatione sui furoris, interficit, cum interiorem occasum de exterioris ruinæ euidentia ostendit. Percutit, nec miseretur, cum labi permittit, nec statim post lapsum compungi conceditur. Cui concinit; Cum ceciderit, inquit, iustus, non collidictur, quia Dominus supponit manum suam. (Psal. 36. 24.)

Vers. 22. TAV. *Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terreret me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & relinqueretur.* Thau, interpretatur signa, quod eis in fronte iuxta Ezechiel præscribitur, qui super alienis malis mœrere probantur, quod hîc iustè damnatis opponitur, qui sui ipsorum nec in ipsa pœna miserentur. (Ezech. 9. 4. 6.) Quasi ad diem solemnem vocantur, qui eam de circuitu terreant, cum ad spectaculum perpetratæ iniquitatis, quasi

festiui ciuntur, qui extrinsecus minis, & ex A probrationibus pro reatu miseros insectentur & arguant. Non est in die furoris Domini qui effugiat, & relinquatur, quia non est in hac aperta vltione quispiam animi motus, qui se peccato subtrahat, & pœnitentiæ reseruetur. *Quos educaui, & nutriui, inimicus meus consumpsit eos.* Educantur, qui à temporalibus, & eorum appetitibus eximuntur. Enutriuntur, cum idem status nostri sub fomento, & custodia rationis aguntur. Et inimicus eos consumit, cum discretæ hactenus menti chaos tenebrositatis inducit.

CAPVT III.

Vers. 1. ALEPH. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius.* In hoc tertio alphabeto attendendum videtur, quod singulis versiculis tertiò litera quæque repetitur. In quo conijci potest, quod quatuor modi peccandi cum sint, suggestio videlicet, delectatio, consensus, & actio, in solo consensu maior adhibenda sit rationis, & doctrinæ cautio. Si enim consensum spiritus rebellione coërceas, numquam tibi se ingeret in fœda actione quod doleas. Sunt ergò quidam qui labuntur, sed lapsum suum perspicacissimè metiuntur. Hic igitur quilibet talis eloquitur. Suam videt paupertatem in virga indignationis Dei, qui animi sui vigilanter attendit inopiam, & internarum virium depopulationem, dum diuina animaduersio inibi sæuit, sed nisi cum pœnitentia interuenit, nequaquam in longum mens ipsa discernit. Vnde & vir dicitur, qui damna sua non sine conscientia lugubri contemplatur, sed sequitur:

Vers. 2. *Et me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.* Minat cum rediuiua delectatio mentem à sui consideratione subducendo sequestrat. In tenebras adducit, cum ad sui ipsius ignorantiam trahit. Tali cuiuis dicitur; Psal. 49. 21. Statuam te contra faciem tuam. Et non in lucem adducitur, cum non sui sola cognitione, sed etiam totius sacri eloquij, quod litera nostra sonuit, pia eruditione nudatur.

Vers. 3. *Tantum in me vertit, & conuertit manum suam tota die.* Quod est dicere. Cum Deus animaduertere in vitia, quæ me opprimunt, debuisset, ipsis erectis ad mei tantum oppressionem animaduersum est. Nec hoc solum, sed manum suam tota die conuertit, iugiter scilicet subsidium internæ consolationis me indurato auertit: vnde est quod dilectus manum suam mittit per foramen. Cant. 5. 4.

Vers. 4. BETH. *Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contriuit ossa mea.* Beth, confusio. Pellis vetusta efficitur, cum affectus noster quo citius in interiori homine nil læditur, cum ipsa carne, idest voluntate, quæ media inter pellem, & ossa, idest affectum rationemque, consistit, creberrimorum casuum vetustate consumitur. Quod enim antiquatur, & senescit, prope interitum est. Hebr. 8. 13. Ossa conteruntur, cum rationalitatum, quæ fragilia, quæque in nobis regere debuerant, rigor infringitur. Ecce euidens in mente confusio. Nota distantiam inter affectum, & voluntatem; quia de multis afficimur, B quæ nolumus; multa volumus, de quibus non afficimur. Velle enim boni secundum legem mentis Apostolo adiacet, sed secundum legem membrorum, quod est affectus, Rom. 7. 18. perficere non inuenit; sed de his alias plenius egimus.

Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore. Vers. 5. In gyro nostro ædificat, cum res, quas appetamus, & quibus introrsum magis obstruamur, vndecumque multiplicat. Felle & labore circumdat, cum durè amarescit peccatum, quod perpetrat, & tamen ad peccata perpetranda laborat. C *In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos sempiternos.* Vers. 6. In tenebrosis collocat, cum iam non horariâ sed quasi stabili animum Deus confusione condemnat: & hoc quasi mortuos sempiternos, scilicet quasi eos, qui numquam resipuerint ad aliquos actus bonos.

GIMEL. *Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum.* Vers. 7. Gimel plenitudo. Aduersum nos vt non egrediamur circumædificat, cum occasiones malè agendi, quibus ac si carcere corporis vitiis irremissibiliter obstringamur, iu- D sto iudicio vndecumque ministrat. Compedem nostrum aggrauat, cum carnalis appetitus mole alacritatem spiritus onerat.

Sed & cum clamauero, & rogauero, exclusit orationem meam. Vers. 8. Ecce plenitudo malorum. Clamamus, cum peccati atrocitate à cordis nostri gemitu irrugimus. Rogamus, cum qualicumque etsi vapido animi statu, non tàm orationes; quàm orationum simulachra exercemus. Oratio tamen excluditur, quæ sub peccati iuxta Psalmum affectu efficitur.

E *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subuertit.* Vers. 9. Viæ nostræ lapidibus quadris concluduntur, cum eorum exemplo remoto, qui super terram volui dicuntur: eorum potius imitatione, qui ex omni parte terræ funditus hærent viæ, idest nequam actiones minuuntur. Semitæ subuertuntur, cum intentiones, quæ minus conspicabiles sunt, pariter deprauantur.

DALETH. *Vrsus insidians factus est mihi, leo in absconditis.* Vers. 10. Daleth, interpretatur natiuitas. Et quid est nasci, nisi per prauæ volun-

voluntatis conceptionem ad crimina informari? Hanc natiuitatem Iob & Hieremias maledicendo deteſtantur. Fit ergò Deus iſti natiuitati primùm vrſus inſidians, ideſt feralis appetitus interiora noſtra cuncta ſibi ſubigens. Vrſorum enim eſt naturæ, quidquid pedibus applicuerint conculcare. Dicitur autem à Deo id fieri, quod fieri permiſerit. Vnde in Oſee, quaſi vrſam ſe futurum raptis catulis atteſtatur. Fit leo in abſconditis, cum quidquid mali ſuggeritur, inexplebili auiditate haurit. Natura enim Leonis eſt, vt oblati pecoris ante totum ſanguinem ebibat, quam carnes attingat. Vrſus ergò inſidians, exterior ſenſus eſt aucupans. Leo in abſconditis, ad explendum immanitas mentis.

Oſee 13. 8.

Verſ. 11. *Semitas meas ſubuertit, & confregit me: poſuit me deſolatam.* Semitæ ſubuertuntur, cum ante ruinam plerùmque exaltatio priuata confunditur. Deinde confringitur, cum quicquid intus erat inſigne deponitur. Deſolatur, cùm Deo habitatore priuatur. * *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.* Arcum ſuum tendit, cum ſcripturæ ſententias habitui noſtro conuenientes obtendit. Quaſi ſignum ad ſagittam nos ponit, cum diuinæ vltionis iacula diuinitùs intentari ſub continuo timore depromit.

* Verſ. 12.

Verſ. 13. H E. *Miſit in renibus filias pharetræ ſuæ.* He, interpretatur ſalus. Quid enim ſalubrius, quàm ſemper vrgeri diuinorum verberum timoribus? Filiæ pharetræ ad litteram nil aliud ſunt, quàm ſagittæ. Filias pharetræ in renibus mittit, cum ſuperni conſilij ſententiis cogitationum, vel etiam corporis noſtri delectamenta configit.

Verſ. 14. *Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Fit in deriſum populo ſuo, cum ipſæ cogitationes nullos cœpti ſui bonos ſucceſſus ſpondent ſpiritui ſuo. Tota die eorum canticum fit, cum frequentia cogitationis quidquid boni propoſiti arripitur, quaſi mox tranſiturum in vulgi fabulam, in modum cuiuſpiam ludicri, arbitratur.

Verſ. 15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit abſynthio.* Amaritudinibus repletur, qui perpetratorum facinorum pœnitudinibus ſed momentaneis coarctatur. Inebriatur abſynthio, qui appetitu exardeſcit & ingemiſcit admiſſo. Voluptatum enim, ait quidam, appetentia plena anxietatis eſt, ſatietas verò pœnitentiæ.

Verſ. 16. V A V. *Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.* Vau, dicitur & ille: Quod eſt; & ille, qui prædicta mihi, ſed non iniuriâ intulit, fregit ad numerum, ideſt quotquot ſunt, dentes meos, intellectualitates ſcilicet, quibus commolimus quidquid dignum ſcrupulo cogitamus. Cinere nos cibat, qui peccati refricationem cum delectatione nobis inuiſcerat. Hoc facit, qui fieri permittit.

Verſ. 17. *Et repulſa eſt anima mea, oblitus ſum bonorum.* Anima noſtra repellitur, cum ſalus eius ad incuriam deſtinatur. Bonorum obliuiſcitur, qui quamuis malis inteſtinis opprimatur, bonorum tamen, quæ fecit, aut quæ in præmio ſortiri poteſt, memoria nullo modo delectatur.

Verſ. 18. *Et dixi, periit finis meus, & ſpes mea à Domino.* Periiſſe finem ſuum dicit, cum quod pro æterna mercede faciendum aliquando propoſuerat, in intimis inaneſcit. Spes etiam perit à Domino, cum tentationibus occupata, & quaſi auxilij cœleſtis indigna, etiam deficere iam diſponit ab ipſo.

Verſ. 19. Z A I. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* Zai, interpretatur duc te. Ac ſi diceret; Tu ſpem tuam periſſe dixeras, non tamen in hac deſipientia maneas, ſed duc, ideſt, promoue te, vt ad interiora contendas. Spes enim dicitur quaſi eſt pes. Quo monitu ille infert. Memoria, inquit, memor ero; ſubaudis, non pro lapſu deſperandum, ſed ſpei potius inſiſtendum, ſic vt anima contabeſcat, ſcilicet animalitas, quæ non capit quæ Dei ſunt, ſanctæ ſpei ſpiritualitate ſuperueniente in ſe deficiat. Orare ergò iam incipit.

Verſus ipſe in editione Sixti Vigeſimus numeratur, & ſequens 19.

Verſ. 20. *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſinthij, & fellis.* Ac ſi dicat: Meminiſſe Domine debueras, quod ob penuriam virium internarum huсuſque deliquerim, nec minus etiam meminiſſe, quòd lapſum eum ægerrimè tulerim, nec eius niſi cum ingenti amaritudine recordari potuerim. Videtur autem quædam diſtantia inter abſinthium, & fel. Abſinthium enim & hauſtu habile eſt, calorem excitans, & ſanguinem ſedans; fel autem neutiquam. In abſinthio ergò mœror recens acti facinoris, qui nos ad Deum recaleficat, & incentiuum criminis ſedat; in felle verò peccati, eſt poſt pœnitudinem memoria prorſus menti intolerabilis, & indigna.

* Verſ. 21. * *Hæc recolens in corde meo, ideò ſperabo.* Quod eſt: dum hæc cum mea cogitatione retracto, ad ſpem me prouoco. Vnde & ſequitur.

Verſ. 22. H E T H. *Miſericordiæ Domini multæ, quia non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius.* Heth, dicitur enarratio. Et quod eſt iſtud enarrare, niſi Dei miſericordias etiam inter peccandum expertas oculis cordis, attexere? Ergò hæ ſunt, quia non ſumus conſumpti; præſtando videlicet in ipſo prauo actu viciniora ſaluti. Alioquin profectò deficerent, ſi iniquitatibus miſericordiæ cederent.

Verſ. 23. *Noui diluculo multa eſt fides tua.* Quod eſt dicere Deum ad animam: Ex tua ſedulitate, & vigilantia noui quia multæ ſis fidei. Dilu-

culum enim pro sedulitate crebrò ponitur, sicut & matutinum. Quod si iuxta quædam exemplaria, nescio si mendosa, dicatur nouæ, ita exponetur. Veteres misericordiæ sunt, quæ plerumque præstantur ingratis, & hæ non nisi temporales. Nouæ autem, quæ ex illuminatione recenti in conuersorum mentibus quasi diluculum elucescunt, & hæ æternales. Deinde quod sequitur, apostropha erit eius ad Deum, qui sic de misericordiis gratulatur.

Vers. 24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.* Non, inquit, à Deo misericordias temporales præstolor, sed ipsum animæ meæ quasi retributoriam partem sortior; propterea spe viuaci non eius transitoria, sed ipsum eumdem opperior.

Vers. 25. THETH. *Bonus est Dominus sperantibus in eum.* Theth, interpretatur bonum. Quò enim affectuosius spe ibis in Deum, eò præcordialius & ineffabilius intelliges bonum.

Vers. 26. *Animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini.* Animæ, quæ nihil præter Deum quærit (qui enim bifariam nititur, Deum rectè quæsisse non dicitur) bonum est sine præparatione aliqua sub diurnis laboribus Dei non fastidire seruitium; sic enim dormitur in medio clerorum. Quod enim hîc silentium dicitur, illic dormire. (Psal. 67. 14.)

Vers. 27. *Bonum viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Iugum ab adolescentia portat, qui pro adolescentiæ motibus sese sub diuini timoris depressione castigat.

Vers. 28. IOD. *Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se super se.* Iod, interpretatur principium, quod principium non tàm ad initium, quàm ad quamdam principalitatem refertur. Determinans enim iugum videtur exponere. Sedet solitarius, qui in humili se cohibet, à terrenis sese remouendo tumultibus. Tacet verò, cùm sopitis cogitationum imaginationumque nugis soli orans loquitur Deo. Quod aliter fieri non potuit, nisi quia se super se leuat, idest animalitatem suam spiritualitati subiugat.

Vers. 29. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* In puluere os suum ponit, qui quamlibet summa gerat, se tamen semper puluerem, idest peccatorem recognoscit. Peccanti enim dictum est, puluis es. Et hoc facit, si forte sit spes, vt videlicet sibi semper videatur de Deo sperare præmia, quasi quædam ambigua res. (Gen. 3. 19.)

Vers. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.* Percutienti maxillam dat, quisquis ea, quæ sibi amantiora, & spectabiliora in præsenti noscuntur, iniurias inferre volentibus exponit potius, quàm defensat. Opprobriis saturatur, qui ipsas contumelias pro summis sibi refectionibus arbitratur.

Vers. 31. CAPH. *Quia non repellet in sempiternum Dominus.* Caph, dicitur incuruatus, non tamen in terrena, sed ad sui vilipensionem salubri consideratione depressus. Ac si diceret: Haud iniuriâ humiliatur, quia non in sempiternum repellitur, licet modernæ vilitati addici videatur, in manu enim Dei fines terræ sunt, qui scilicet terrenitatem in se consumunt. Quia si abiecit in hoc eos seculo affligendo, miserebitur tamen secundum multitudinem miserationum suarum in futuro.

Vers. 33. *Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominis.* (al. hominum.) Humiliat Deus ex corde, quos sic in præsenti punit, vt magis puniat retributionis tempore. Modò verò flagellat, & abiicit specie tenus filios hominis, cum à mundiali extorres facit lætitiâ filios Redemptoris. Non enim dixit hominum, sed hominis, illius planè qui dixit: si me persecuti sunt, & vos persequentur. (Ioan. 15. 20.)

Vers. 34. (al. Lamed.) LAMETH. *Vt contereret sub pedibus omnes vinctos terræ.* Dicitur seruo. Seruamus autem quod pro mysterio habemus. Mysterium verò est quod huius seculi pressuris atterimur, sed de sequentis vitæ statu ambigimus. Sensus ergo est. Abiicit quidem filios hominis, vt conterat omnes vinctos terræ sub pedibus suis, vt videlicet omnes qui huius seculi negotiis, aut quibuslibet vitiis vinciuntur, prædicatorum suorum sub documento frangantur. Quod est dicere. Si filij Dei & hominis, quantum oculis adiacet, abiiciuntur, quantò magis filij diaboli quondam cum ad Dei filiationem rediguntur, non modò Deo, sed etiam seruis Dei, qui sunt eius pedes, quòd eum prædicando circumferunt, non esse, aut stare, sed conteri, idest prorsus humiliari merentur? Quos vinctos educit Dominus, iuxta Psalmum, in fortitudine. (Psal. 67. 7.)

Vers. 35. *Vt declinaret iudicium viri in conspectu vultus altissimi.* Declinatur iudicium viri in conspectu vultus altissimi, cum scimus indubiè nos operibus bonis insistere, & tamen nescimus vtrum odio digni simus, an amore. Nostrum ergò iudicium ad vultum altissimi declinamus, cum quod de nobis metimur, eius trutinæ reseruamus.

Vers. 36. *Vt peruerteret hominem in iudicio suo, Dominus ignorauit.* Abiecit, inquam, filios hominis, vt peruerteret hominem in iudicio suo, vt ostenderet vtique non ita à Deo præstitutum, vt bonis bona facientibus bona ad præsens restituerentur; sic enim moribus est humanis inolitum, vt bonum quemlibet malis oppressum, bonũ minimè æstiment extitisse; quod in amicorũ Iob opinione creuisse. Sed hoc Dominus ignorat, qui bonis plerumque mala, & malis etiam bona, vtrísque quoq; aliquotiens meritis suis conuenientia præstat.

Vers. 37. MEN. *Quis est iste, qui dixit vt fieret Domino*

non iubente? Men, interpretatur viscera. Exclamat ergò Propheta aduersus eos, qui de talibus conqueruntur, secundum quos & Psalmus; Quam bonus Israël Deus, conscriptus est. Domino non iubente fieri dicit, qui eos, quos scelerosè victitare cognoscit, sanosque incolumes, ac opulentos attendit; fortunâ potius, quam Dei iudicio agi credit.

Psal. 72.1.

Vers. 38. *Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala.* Nec bona, nec mala ex ore Altissimi egrediuntur, quia numquam in præsentiarum propriè bona bonis, nec rursus specialiter mala malis ex sententia contigisse creduntur. Vtrobique enim cedunt, quia vtrisque communia sunt.

Vers. 39. *Quid immurmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?* Homo viuens murmurat, quia cum in peccatis viuat, non ad peccata respicit, quæ perpetrat, si aliquid aduersitatis incurrat, sed eorum, qui agere peiora videntur, sese comparatione iustificat: Vir quoque pro peccatis murmurat, cum non sua, inter patiendum peccata accusat, sed Deum nimiè ferientem querimoniis pulsat.

al. murmurauit.

Vers. 40. NVN. *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum.* Nun, sempiternum. Non enim conuenit, si ad tempus pro peccato puniamur, murmurare, sed potiùs ad sempiternum, quod Deus est, properare. Vnde vias nostras scrutemur, idest actiones discutiamus. Dominum quoque quæramus, & ad eum reuertamur, scripturis scilicet inuigilemus, ibi quærentes vnde compungamur, & ad ipsum præuia compunctione ducamur.

Vers. 41. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Corda nostra cum manibus leuamus, cùm intelligentias cum executione operum, sine infimæ laudis aspiratione, ad Deum sub spe scilicet sola cœlesti porrigimus.

Vers. 42. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: iccircò tu inexorabilis es.* Liquet, cætera prosequamur. Hoc tamen videtur tractandum, quod pro iniquitatibus inexorabilis hic dicitur Deus, & alibi, peccatores non audire, quod vno verbo soluitur; quia videlicet quamdiu in intentione peccandi perseuerare probantur, & inexorabilem Deum faciant, & minimè audiantur.

Vers. 43. SAMECH. *Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.* Samech, interpretatur audi. Summa enim ope, quò inexorabilior æstimatur, dimota prauorũ appetituum densitate, necesse est, vt audiat, si obnixius inclametur. In furore operimur, cum irruente criminum nebula desipientiæ nocte deprimimur. Percutimur, cum ab omni integritate deijcimur. Occidit Deus, nec pepercit, cum spiritum à sua luce extinguit, in quo tamen nobis parceret, si vel scintilla nobis alicuius beniuolentiæ remaneret.

Vers. 44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Nubes ei opponitur, cum obstaculum inter nos, & Deum prauæ nostræ intentionis obtenditur. Oratio non transit, quam maliuolentiæ crassitudo retudit.

Vers. 45. *Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum.* Non dixit, eradicasti me, sed eradicationem posuisti me. Eradicatio, vel abiectio mens illa fit, aut ponitur, quæ totius interioris boni sibimetipsi pestis efficitur. Eradicat enim, & abijcit, qui bona naturaliter insita à se extorquet, & superbè excludit. Et hoc fit in medio populorum, circumstrepente vtique animi auribus frequentia vitiorum.

Vers. 46. PHE. *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.* Phe, interpretatur os, & quod illud os, nisi quod menti ad peruersitates iam prorsus acclini, omnes actus insusurrat obscœnos? Hoc super nos omnes inimici nostri aperiunt, cum ad succendendam per quælibet crimina conscientiam indubitanter erumpunt.

Vers. 47. *Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.* Ordo est: Facta est nobis vaticinatio & contritio, laqueus & formido. Vaticinatio est, cum mens obsessa flagitiis successus sibi prosperos, & spes gloriarum spondet. Sed hanc vaticinationem sequitur contritio, quia quò magis sine sui respectu extollitur, eò grauiori opprimitur repente peccato. Fitque mox vtrumque miseræ animæ formido & laqueus, dum vaticinationem mordacis intercipit culpæ metus, & contritioni adiacet is, qui spiritum confessionis occludat desperationis laqueus.

Vers. 48. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.* Aquæ diuiduntur, cum spiritualis subtilitates intelligentiæ, si quæ resederint, disperguntur. Has dum populus conteritur oculus deducit; quia dum sceleribus incipit subiacere intentionis acumen, paulatim extenuatus interius extra se fundit.

Vers. 49. * Vers. 50. AIN. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quòd non esset requies. * Donec respiceret, & videret Dominus de cœlis.* Oculus affligitur, nec tacet, cum intentio vitiis atteritur, nec à strepitu desideriorum, etiam conscientia se accusando affligente cohibet. Et hoc fit quia non est requies, nulla videlicet ab æstu interiore temperies, donec respiciat, & videat Dominus de cœlis, donec vtique misereatur, & approbet conuersionem nostram Dominus per imitationem cœlestis conuersationis.

Vers. 51. AIN. *Oculus meus deprædatus est animam*

meam in cunctis filiabus vrbis meæ. Ain, interpretatur oculus. Et quis est oculus nisi ipsa eadem intentio, quæ animam deprædatur, dum cuncta quę bene exercere aliquando videtur, per sui præuaricationem subtrahit, dum laudes forasticas aucupatur. Sed hoc non fit nisi in filiabus vrbis suæ, in mollitie videlicet habituum conscientiæ nostræ.

Vers. 52. SADE. *Venatione ceperunt me quasi auem inimici mei gratis.* Sade, dicitur iustitia, quæ tamen iustitia non alia mihi videtur, quàm quod iusto Dei iudicio cuique etiam in præsenti ad meritum retribuitur. Vnde quasi auem ab inimicis se venatione captum queritur, quia per leuitatem, quæ in aui figuratur, gratis & sine omni fructu ab his, qui non nisi carnalia quærunt, vanis fauoribus irretitur. Et rectè inimicos nominat, quos in sui beatificatione iuxta prophetam deceptiores probat. (Isaiæ 3.12.)

Vers. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* In lacum vita labitur, cum in labyrinthum inexpedibilem status noster inclinatur. Lapis supponitur, cum mentis obduratio cogitationi in infima mersæ adducitur. Vnde Psalmus; non absorbeat, inquit, me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Quod illic vrgere, hoc hîc lapidem superponere. (Psal. 68.16.)

Vers. 54. *Inundauerunt aquæ super caput meum: dixi: perij.* Aquæ super caput inundant, cum fluxus carnalium voluptatum vltra quam mens capere possit, sese ei accumulant. Vnde & periisse se dicit, quia quorsum euadere valeat nescit.

Vers. 55. COPH. *Inuocaui nomen tuum Domine de lacu nouissimo.* Coph, vocatio. Vocamur autem, cum inter molestias interiores ad diuinum recurrere oraculum rationaliter admonemur. Inuocaui nomen tuum Domine, non est aliud, quàm, De profundis clamaui ad te. Quod enim de profundis, hoc de lacu nouissimo.

Vers. 56. *Vocem meam audisti: ne auertas aurem tuam à singultu meo, & clamoribus.* Vox de lacu nouissimo clamantis auditur, cum rugitus interior de statu pene desperabili in diuinas aures admittitur. Audire autem Dei est, concupiscentiam spiritus aduersus carnem vel ad modicum subleuare. Singultus est, cum mens priùs timoris anxietate quatitur: clamor verò, cùm vehementia feruidæ compunctionis attollitur. Ab his Dei auris non auertitur, cum eius aspirationis nutrimento vtrumque fulcitur.

Vers. 57. *Appropinquasti in die quando inuocaui te: dixisti: ne timeas.* Quod est dicere: Cum lacus mihi tenebrasceret, tu diem interni luminis tua propinquitate donasti, nec dixisti: ne clames; sed potius ne timeas; vt quod timore conceperis, amore exhibeas.

Vers. 58. RES. *Iudicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.* Res, dicitur primatus. Nec id iniuriâ. Post diuinam enim exauditionem redit rationi sui quod amiserat arbitrij principatus. Iudicat causam animæ nostræ Dominus, cum discernit commissiones carnis, & spiritus. Vnde redemptor vitæ nostræ dicitur, quia motus rationis, sine quibus non viuitur; à veteribus eximere ærumnis misericorditer dignatur.

Vers. 59. *Vidisti Domine iniquitatem aduersum me: iudica iudicium meum.* Videt Dominus iniquitatem aduersum nos, cum videre nos facit stimulos aduersus spiritum superequitare corporeos. Iudicium nostrum iudicat, cum intellectualitatem ad vniuersa discernendum suo illapsu illuminat.

Vers. 60. *Vidisti omnem furorem, vniuersas cogitationes eorum aduersum me.* Furor vitiorum est, quod apud Iob clamor dicitur exactoris. Cogitationes eorum, ea sunt, quæ mentis obtutibus omnimoda imaginatione coaggerant. Cogito enim frequentatiuum à cogo cogis, nil aliud quam coadunare est. Vnde illud, coge, inquit, concilium. Has, inquam, cogitationes Deus videt, cum nobis acuminat ad id prouidendum discretiones. (Isaiæ. 13. 3.)

Vers. 61. SIN. *Audisti opprobria eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.* Sin, dicitur super vulnus. Et morale est, vt cataplasma vulneri imponatur. Quod non aliud est, quàm quod sequitur. Semper amatur in quo ex deliberatione peccatur, & ideò probro minus imputatur. Eorum ergò Deus opprobria audit, cum quam sint probrosa, & pudenda ex plenitudine pœnitudinis intelligi facit. Notandum repeti quod in superiori dictum fuerat versu, & fositan non abs re. Omnes cogitationes eorum aduersum nos, quia quò magis nos eorum puduerit, & quò maior contra hæc eadem erit nostra rebellio, tantò acriores assultus experiemur internos.

Vers. 62. *Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die.* Insurgentium labia, nil aliud sunt, quàm emergentium suggestionum susurria. Mutæ enim tentationes nil aliud, quàm verba sunt; quæ quod alij verbis, ipsæ specierum lenocinio peragunt. Meditationes eorum retractationes, vel potius delectationes esse noscuntur imaginum. Hæ fiunt tota die, proculdubio assiduè.

Vers. 39. *Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.* Sessio eorum est ex diabolica calliditate vitiorum fucata quietio. Ad tempus enim à tentatione quiescit, vt ex insperato prosternat, quod securè aliquamdiu victitare permisit. Porrò

surrectio eorum, mentium repentina persuasio. Hanc petimus vt Deus videat, discernere videlicet nos faciat, vt dum in aliqua perfunctoria pace sopimur, numquam ad subitum elisi præcipitari possimus. Denique fit psalmus eorum, cum intentio suggestionis pascitur ex inepta retractatione cordium tentatorum. Psalmus enim nil aliud est, quàm quod vulgo dicitur ladius, qui sine vocis exercitio conficitur chordis & manibus. Sicut ergo psalmus aures, sic reuolutio cogitationis mulcere dinoscitur, & nutrire malæ spiritualitatis imagines.

Vers. 64. TAV. *Redde eis vicem Domine iuxta opera manuum suarum.* Tau, interpretatur consummauit. Consummat autem Deus, quorum fluctuationem diutinam certo fine determinat. Vicem reddit iuxta opera, cum per singulas noctes ad abluendum lectum lachrymarum suggerit lauachra.

Vers. 65. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Labor Dei est, dum vitiis debita viuacitate resistitur. Iste labor scutum cordis efficitur, à quo diaboli spiculum omne recutitur. Hoc pro operum suorum vice eis redditur, vt quo insolenter intrauerant, inde digna scueritate pellantur.

Vers. 66. *Persequeris in furore & conteris eos sub cœlis Domine.* In furore pesequuntur, qui integra animaduersione ab animo diuinitùs extricantur. Sub cœlis quoque conteruntur, cum sub virtutum iure franguntur. Cœlos virtutes vocat, in quibus solis gratanter Deus mansitat.

CAPVT IV.

Vers. 1. ALEPH. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Aleph, sicut superiùs, doctrina est, cuius solutio in versum poterit pendere sequentem. Quæritur ergò quomodo aurum obscuretur, quomodo vtique notitia Dei, quæ non est nisi amor, & qua nihil pretiosius est, & in qua etiam omnia scienda, & gerenda docemur, tantopere in animo à pristina specie extenuatur. Color optimus mutatur, cum sinceritas cogitationis auertitur. Lapides sanctuarij in capite omnium platearum dispergunttur, cum nitidissimæ & perspicaces in omni sancta prudentia rationes, per sæculi voluptates & glorias (hæc enim sunt totius secularis intentio prima licentiæ) à sua in Deum simplicitate diuiduntur.

Vers. 2. BETH. *Filij Sion incliti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Beth, confusio. Quis enim iustiùs confunditur, quàm qui de tanto pretio ad nihil pene redigitur? Filij Sion incliti, intellectuales sunt motus masculina virtute liberrimi. Auro primo amiciuntur, qui sapientiæ diuinæ priuilegiis adornantur. In vasa testea reputantur, cum iam ad fragilia opera deuoluuntur. Opus manuum figuli sunt, quia auctorem iam habent, ex tam peruersa conuersatione diabolum. Hunc Pharao ille significat, qui Israëlitas in luto, & latere, & paleis seruire cogebat.

Vers. 3. GIMEL. *Sed & Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi strutio in deserto.* Gimel, retributio. Meritis enim nostris exigentibus huiusmodi: casuum infamias pro retributione sortimur. Est ergò dicere: Non solùm in terrena studia labuntur, sed & facti Lamiæ mammam nudant, cum sub specie benignitatis & alios ad eadem, quæ ipsi faciunt perpetranda virosa, verborum dulcedine, & fœminea quadam adulatione compellant. Lamia enim monstrum est, muliebrem cingulo tenus habens formam. Mammam ergò nudant, cum doctrinam ad ea quæ agunt propaganda promulgant. Catulos lactant, cum ad bestiales ritus alios lenocinando attrectant. Filia populi huius crudelis quasi strutio in deserto, quia hi, qui superiùs filij dicebantur, & nunc per morum effœminationem filiarum vocabulo iam censentur, crudeles sunt, quia quos diabolica suadela genuerint, sub terrena leuitate recondunt. Strutionis enim natura est, oua in terra ponere, & ea puluere adoperta relinquere. Ferro etiam pasci dicitur, nimirum quia huiusmodi, ac si cibis, malignitatibus satiantur.

Vers. 4. DALETH. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Daleth, interpretatur tabulæ. Qui sunt tabulæ, nisi qui exciso à se internæ plenitudinis robore à virtutis duritia extenuantur cogitatu & opere? Lingua ergò lactentis ad palatum eius in siti adhæret, cum deficiente aqua sapientiæ salutaris locutio eius, qui monstruoso lacte pascitur ad eius conformitatem, à quo virulentæ doctrinæ saliuas acceperat, se continet. A palato enim saliua digreditur, & lingua palato astringitur, cum verba discipuli doctoris nequitiâ resculpuntur. Paruuli panem petunt, cum innocentiores & prauitate minus imbuti, documentum vitale deposcunt, sed dissertores omninò deficiunt.

Vers. 5. HE. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* He, dicitur ista. Et quæ ista, nisi præsentia? Voluptuosè ves-

citur, qui diuinis eloquiis pro præsenti A solum gloria delectatur. Is in viis interit, quia dum super his, quæ ad Deum pertinent, verbum Dei adulterando, fauores scilicet requirendo, extra se digreditur, perit. Crocus aurosi coloris est, & redolet. In croceis nutritur, qui aut sanctitatis specie, aut sapientiæ opinione gloriatur. Hi amplexantur stercora, cum magna de se volentes intelligi, turpi subito auiditate proruunt ad infima, quæ Apostolus arbitratur vt stercora: huc enim respectat nostra littera. (Philip. 3. 8.)

(Vers. 6.) Vav. *Et maior effecta est iniquitas filiæ* B *populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, & non cœperunt in ea manus.* Vau, interpretatur ipse, proculdubio idem qui ista, quæ superius diximus significare præsentia; inuenitur affectare. Huius filiæ populi peccato Sodomorum maior iniquitas efficitur, quia quantum argenti pondus à pondere plumbi distat, tantum peccata simplicium & hebetum à peccato eorum, qui voluptuosè vescuntur, & nutriuntur in croceis, differre constat. Sodoma enim interpretatur pecus silens. Et C quid pecus nisi ingenita fatuitas, cuius ingenij nulla vox est? Quæ etiam Sodoma subuertitur in momento, quia subuertibilis est, & prona casui, si sit qui impetat quouis modo. Et non capiunt in ea manus, quia quodcumque tali menti sese intulerit, gratanter admittitur turpe opus. Manus quoque in ea non capiunt, dum plusquàm possibilitas agendi sustineat, facere appetunt.

(Vers. 7.) Zain. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.* Zain, alimentum mun- D di. Et à quibus magis alitur mundus, quàm à filiis Sion inclitis, qui amiciuntur auro primo? Hos ergò exprimendo prosequitur. Nazaræus interpretatur sanctus; Quasi diceret: Illi, qui quondam sanctitatis munditia florulenti erant, (hæc enim tria Nazaræus sonat) per appetitum cœlestis gloriæ candidiores sunt niue, hæc enim cœlitus labitur; per simplicis innocentiam actionis nitidiores lacte, quod ex carne nascitur; per tolerantiam corporeæ titillationis, rubicundiores ebore antiquo, E idest ipsis incentiuis suis examinatiores aliquo veteri sancto. Elephas enim vnde ebur, frigidæ naturæ est. Saphiro denique pulchriores, his videlicet multis, quorum in cœlis conuersatio esse dicitur, digniores; Saphirus enim ethereæ speciei est.

(Vers. 8.) Heth. *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.* Heth, vita. Si superbia, quâ cadimus, ruinâ suâ mortem parit, humilitas, quâ verè leuamur, vitam munit. Vnde facies eorum super carbones denigratur, cum tota eorum speciositas plusquàm eorum, qui peccato extincti peccatores æstimantur, in sui ipsorum consideratione vilipendenda putatur. Inde est quod comæ sponsi quasi coruus nigræ dicuntur. In plateis non sunt cogniti, quia in latis, & spatiosis huius sæculi solicitudinibus non sunt visi. Cutis eorum ossibus adhæsit, quia affectualitas, & ipsa etiam sensualitatis facilitas indiuisibiliter se fortitudini rationis adiunxit. Arescit, cum ab omni fluxu lasciuiæ inanescit; & quasi lignum fit, cum ad impassibilitatis duritiam coalescit. (Cant. 5. 11.)

(Vers. 9.) Theth. *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti ab sterilitate terræ.* Theth, dicitur exclusio. Melius est occisis gladio, quàm interfectis fame, quia leuius est occumbere sine deliberatione aliqua lapsu peccati subitaneo, quàm defectu pedetentim lentescere diuturno. Isti enim extabuerunt consumpti ab sterilitate terræ, quia vitiorum putoribus sunt addicti pro incultibilitate, & longa incuria mentis suæ. Vnde meritò à prædictorum isti, iuxta sensum præmissæ literæ, sorte excluduntur, quos cordis non terreni sed lapidei feracitas nulla consequitur.

(Vers. 10.) Iod. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum, in contritionem filiæ populi mei.* Iod, desolatio est. Et quid magis desolatur, quàm quod Deo hospite vacuatur? Manus mulierum misericordium filios suos coquunt, cum opera eiuratorum hominum, nihil scilicet intellectualis tenoris habentium, eos, quos ad sui exempla contraxerint, ad sui ipsorum conformitates igne subdolæ persuasionis emolliunt. Mulieres & ironicè misericordes vocantur, quia hinc lenociniorum mollitie fallunt, & illinc sub colore benignitatis immò quasi consulendi se ingerunt. Cibus earum fiunt, dum eos sibi incorporare contendunt. Et exinde filia populi conteritur, dum non rationis filius, qui iuxta Apocalypsim ad thronum Dei perducitur, sed vulgaritatis intimæ instabilis filia indesinenter obruitur. (Apoc. 12. 5.)

(Vers. 11.) Caph. *Compleuit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius.* Caph, interpretatur operatio: quæ operatio non nisi præmissæ iniquitatis quidam effectus dicitur; sicut ex peccato peccati pœna efficitur. Vnde furorem suum Dominus complet, vt qui peccato irascebatur, ex furore iam sententiam pœnæ irroget. Iram indignationis suæ effundit, cum tentationis miseram conscientiam ludibriis exponit

Ignem in Sion succendit, cum carnis petulantiæ flammas in mente, quæ Deum speculari consueuerat, ingeri Deus sinit. Fundamenta eius deuorat, cum subsistentiam totius bonæ intentionis absumit, & abrogat.

Verſ. 12. LAMED. *Non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores, quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem.* Lamed, dicitur cor seruitutis. Cor seruitutis intelligitur intelligentia, quæ non ex ratione, quæ imperat, sed ex sensualitate, quæ seruit, habetur. Reges terræ sunt rationales motus, qui omnia nostra terrena disponunt. Terræ habitatores membra sunt nostra super terram, vel quælibet corporeæ habitudines. Hi non credunt, quoniam per portas Ierusalem hostis, & inimicus ingrediatur, quia ex veteri mentis quiete iam desides non arbitrabantur, quòd per sensualitates visioni pacis quondam dedicatas, hostis antiquus, & post eum inimicitia naturalis appetitus suggerere quippiam attentaret.

Verſ. 13. MEN. *Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.* Men, viscera. Et quid sunt viscera nisi ipsa cogitationum intentio, quæ sicut viscera in corpore; ita sub cogitationibus latet in mente. Vnde & Apostolus sanctum Spiritum vocat cogitationum discretorem, & intentionum. Pœnæ ergò interioris intentio, peccata sunt Prophetarum, & iniquitates sacerdotum. Sacerdotum, idest rationalium motuum, qui nos salubriter ductitare debuerant, iniquitas est, quòd inter impetum carnis & spiritus non æquè iudicant. Prophetarum verò, idest prouidentiarum, peccata sunt, quod sibi non futuri seculi pœnas aut præmia prospiciunt, sed quælibet, quæ fortuitu suboriri queant, sibi in præsenti fastuosa promittunt. Hi sanguinem iustorum in medio eius effundunt, cum ea, quæ intra se naturaliter iustitiæ conuenire potuerant, in peccata conuertunt.

Heb. 4. 12.

Verſ. 14. NVN. *Errauerunt cœci in plateis: polluti sunt sanguine: Cùmque non possent, tenuerunt lacinias suas.* Nun dicitur pascua eorum. Pascua eorum sunt quidquid in mundo eis suppetit curarum. Vnde errant cœci in plateis, quia sub nullo discretionis lumine secularibus se inspersêre negotiis. Sanguine polluuntur, cum inter ea nulla non contagione criminis inficiuntur. Cumque eis peccare non suppetit, lacinias suas tenent, quia numquam esse absque peccandi intentionibus sustinent. Sicut enim lacerna laciniis, sic cura forastica innectitur intentionibus prauis.

Verſ. 15. SAMECH. *Recedite polluti, clamauerunt eis: recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe sunt & commoti dixerunt inter gentes: non addet vltra, vt inhabitet in eis.* Samech, dicitur audi. Planè petuntur vt audiant, quibus sanguine pollutis clamatur, vt à sua pollutione recedant. Sunt autem qui clamant aut diuina verba, quæ intonant, aut intellectualitates, quæ quod improbè fit naturaliter obiurgant. Recedunt si à peruersa executione se subtrahunt; abeunt si ab intentionum vanitatibus resipiscunt. Tangere vetantur, cum affectum illo non intorquere iubentur. Iurgati sunt, qui ex diuini perceptione eloquij contra suam vecordiam rixas in animo conceperunt. Commouentur, cum in ipsa sua disceptatione turbantur. Vnde ad studia veterna mox reflexi dicuntur, idest proponunt, quod inter gentes eos non inhabitet, possessas videlicet semel à tot criminibus mentes nequaquam Deus vlterius mansurus intret.

Verſ. 16. PHE. *Facies Domini diuisit eos, non addet vt respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.* Phe, interpretatur os. Os autem nil aliud est, quàm ipsa quæ sibi iungitur Dei facies. Facies, inquit, Domini diuisit eos, quia dum in illa interiori contentione istinc pœnitentiæ lachrymas, illinc mundiales lasciuias sua sibi in mente præsculpunt, quasi ante superni iudicis se ora constituunt, & sanctæ conuersationis difficultate perspecta, quasi ab ore Dei ad proposita laxiora se referunt. Et quia ex deliberatione sic ad peccata feruntur, nequaquam addit Deus, vt per illationem pœnitudinis respectentur. Facies sacerdotum non erubuerunt, cùm rationi cum Deo se monenti impudenter restiterunt. Neque senum miserti sunt, cum maturo aliquotiens statui, & peccata fastidienti incentiua etiam peccandi obtulerunt.

Verſ. 17. AIN. *Cum adhuc subsisteremus defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat.* Ain, dicitur fons, vel oculus. In fonte vel oculo, itidem intentio accipitur, de qua emergunt cuncta quæ mente concipimus. Vnde cum adhuc subsistimus, idest post Dei desertionem cum pro sola seculi honestate à criminibus nos continere disponimus: oculi nostri ad auxilium nostrum vanum deficiunt, cum intentiones nostræ fragili subsidio innisæ subito emarcescunt. Breui enim se continet, non Deus, sed Ægyptus auxilium præbet, immò manum innitentis sibi perforat, quæ non solum saluare non potest, sed ipsum suum opus coram Deo imprudenter addemnat. Sed videndum in his duobus po-

ſterioribus alphabetis, quiddam quod à prioribus diſcrepat, & certum vtique quod non abs re fiat. Duo nempe characteres in his vlterioribus Phe ſcilicet, & Ain præpoſterantur, quæ in prioribus Ain videlicet ante Phe ordinatè locantur. Et dixiſſe me recolo, quòd in hac lamentatione quaterna quatuor peccandi portendantur genera. Porrò in duobus, penultimo vtique & vltimo conſenſus intelligitur, ac operatio, ſicut in duobus prioribus ſuggeſtio, & delectatio.

In primis igitur Ain ante Phe ponitur, vt per hoc innuat quia in ſuggeſtione & delectatione mens ſuum ordinem non excedat, dum intentio qualecumque opus ipſius delectatiunculæ præcedere videatur. At poſtquam conſenſus & operatio in mente ſucceſſerint, ibi oculus prauæ prouidentiæ ceſſim vadit, quia mens vniuerſa in externos affectus euadit. Quid enim ibi facit intentio, vbi ipſa poſtpoſita iam ſæuit actio? Conſenſus planè quædam exhibitionis eſt portio, quod habes ex Euangelio de iuuene extra portam elato. (Luc. 7.12.) Eſt ergò in conſenſu & opere iuſta ordinis literarum mutatio, vt ibi nimirum ſubſidat intentio, quo operis mens vniuerſa ſe præmiſit in ſtudio. Porrò triplicitas quæ in tertio alphabeto præponitur characterum, nil aliud eſt, quàm inſtructio ſacri eloquij ad munimen cogitationis, locutionis, & operum; hæc enim neceſſaria eſt triformiter ad reſtrictionem lapſuum. Sicut enim verecundia ante caſum vtilis eſt, poſt caſum verò ſanctæ confeſſionis obſtruſio eſt; ſic intentio ante peccatum multâ circumſpectionum curâ indiget, poſtquam verò in peruerſum tranſit opus, deſes & penè nulla remanet; quia quo intendat, poſtquam ſatis ſuæ fecerit voluntati, non habet.

(Verſ. 18.) SADE. *Lubricauerunt veſtigia noſtra in itinere platearum noſtrarum, appropinquauit finis noſter, completi ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter.* Sade, iuſtitia; quæ refertur ſicut ſuperius ad iuſta Dei iudicia. Qui reſpexerant ad gentem, id eſt ad humanæ circumſpectionis aſtutiam, quæ eos ſaluare non poterat, modo lubricaſſe veſtigia ſua in itinere platearum dicunt, cum labefactari affectiones ſuas per ſollicitudinum ſeculi diſquiſitiones attendunt. Finis eorum appropinquat, cum peccatum conſummatur in opere, quod animus deſtinarat. Dies eorum complentur cum virtutes conſumuntur. Et hoc, quia venit finis omnimodæ ſcilicet mentium deſtitutionis.

(Verſ. 19.) COPH. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli: ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis.* Coph, concluſio. Planè concludimur, cum vitiorum frequentia coanguſtamur. Vnde velociores aquilis cœli perſecutores noſtri ſunt, cum carnis incentiua, quæ nobis naturaliter incumbunt, ex ipſo conſuetudinis vſu ipſis etiam dæmonibus rabidiora ſunt. Aquilæ enim pro ſua rapacitate id ſignificant. Super montes nos perſecuntur, cum in ipſa ſuperbia noſtra nos demoliuntur. In deſerto inſidiantur, cum nos à Deo deſertos ob noſtra facinora aucupantur.

(Verſ. 20.) RES. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: in vmbra tua viuemus in gentibus.* Res, dicitur ſpiritus. Spiritus autem oris noſtri, intelligentia eſt cordis noſtri. Os enim pro corde ponitur, vt eſt: Os iuſti meditabitur ſapientiam. (Pſal. 36.30.) Et, voluntaria oris mei beneplacita fac. (Pſal. 118. 108.) Ipſe Spiritus Chriſtus Dominus dicitur, quia & vngi à Deo ei ſpecialiter attinet, & dominari eum non minus decet. Is in noſtris peccatis capitur, cum eorum ſuperueniente ſeruitio ab arbitrij ſui libertate priuatur. Cui dicimus, id eſt, aſcribimus quod ſub vmbra eius viuere poſſimus in gentibus, quod videlicet ſub imagine rationis, non in azimis ſinceritatis, ſeculari videlicet illa, de qua ſupra diximus, cautela nos inter vitia palliare queamus.

(Verſ. 21.) SIN. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.* Sin, dicitur vita. Gaudere ergò & lætari filia Edom præcipitur, dum terrena mens in præputio, & carnis ſuæ ſepulta delictis viciniora ſalutis offendit, & ad vitam reſpirandi corporis, & animæ pro quo vtroque gaudere, & lætari iubetur, cauſas incidit, cum veniens ad Babilonem ibi liberari incipit. Edom enim terrenus dicitur. Edom autem filia affectio eſt carnali mente progenita, hæc habitat in terra Hus, quæ interpretatur feſtina, ad peccatum vtique præpropera: Non enim inuenitur ab Apoſtolo in hac terra, id eſt carne bonum. (Rom. 7.18.) Ad hanc quoque peruenit calix, quia ſicut rationem ita & affectum ex pudore peccati ſententia bonæ reſpirationis intercipit. Inebriatur, cum à veterum malorum conſcientia, & conſuetudine abſentatur. Nudatur, cum piæ confeſſionis veritate retegitur.

THAV. *Completa eſt iniquitas tua filia Sion, non addet vltra vt tranſmigret te: Viſitauit iniquitatem tuam filia Edom, diſcooperuit peccata tua.* Thau, interpretatur errauit, vel conſummauit. Error enim verè conſummatur, cum ipſe etiam affectus, qui ad malum procliuior eſt, de ſuo errore ſuffunditur. Cum ergò affectus, filia Sion nimirum, intellectualitatem non tranſmigrat, id eſt à recto ſtatu non diſtrahit, iniquitati profecto eius finem indit. Iniquitatem eius filia Edom viſitat,

cum ex eo quod interiores motus non æquè A dijudicat, etiam fastidium carnalis appetitus valde insimulat. Nisi enim fastidiret peccata sua, & illius non discooperiret.

Oratio Ieremiæ Prophetæ.

Vers. 1. RECORDARE *Domine quid acciderit nobis, intuere & respice opprobrium nostrum.* Recordatur Deus quid nobis acciderit, cum lapsuum nostrorum recordari nos facit. Opprobrium nostrum intuetur, cum illud, quo maius nihil est, defectum nostrum à Deo perpendere, aut dolere hortatur: Vnde & septem mulieres in Isaïa: Aufer, inquiunt, B opprobrium nostrum. * *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos.* Hæreditas nostra, corpora nostra sunt, quæ mitibus sub specie terræ in possessionem promissa sunt. Hæc ad alienos vertitur, cum vitium quodlibet ea abutitur. Domus nostræ ad extraneos vertuntur, cum nostræ conscientiæ ad eos, qui nihil iuris in nobis, nisi ex nostra proditione habent, scilicet dæmones, intorquentur.

Isaiæ 4. 1.

* Vers. 2.

* Vers. 3. * *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.* Absque patre fuimus, C qui diabolum, qui secundum veram essentiam esse desijt, patrem habuimus: de ipso enim legitur. Habitent in tabernaculo eius socij eius, qui non est. Matres nostræ quasi viduæ, Deo, qui verè solus est, carentes coniuge.

Iob. 18. 15.

Vers. 4. *Aquam nostram pecunia bibimus: & ligna nostra pretio comparauimus.* Aquam suam pecuniâ bibit, qui vapidum statum suum, & spiritualis vini calore alienum impensa pecuari stoliditate coëmit. Pecunia enim à pecoribus dicta est, quia de pecorum fieri solebat tergoribus. Ligna nostra pretio com- D parauimus, cum insensibilitatem, & merubidos animi & corporis habitus dato pretio totius rationalitatis acquirimus.

* Vers. 5. * *Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies.* Ceruice minatur, cui superbia dominatur. Ceruicosos enim superbos dicimus. Lassis requies non datur, cum laborantibus iuxta Euangelium, & oneratis refectio internæ requiei nulla conceditur.

Matth. 11. 28.

Vers. 6. • *Ægypto dedimus manum, & Assyriis vt saturaremur pane.* Ægypto dat manum, qui E mundo attribuit operationis suæ studium. Assyriis idem dat, qui curialitates, & nomina vana sibi conciliat; hoc enim Assur, qui aula dicitur, ex honorum aulicorum fasce designat. Et hoc fit, vt pane saturentur, terrena videlicet ad tempus iocunditate lætentur.

Vers. 7. *Patres nostri peccauerunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus.* Patres nostri sunt, quorum imitamur exempla, qui peccant, & ideo non sunt, quia à vera exterminantur essentia. Nos iniquitates eorum portamus, quia graui vltione ferimur, qui nequaquam peccati alieni pœnâ corrigimur. Septies enim vltio dabitur de Caïn, de Lamech verò septuagies septies. * *Serui dominati sunt nostri: & non fuit qui redimeret de manu eorum.* Serui vitia sunt, si causa pro effecto ponatur, quia seruos nos faciunt. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Non fuit qui redimeret de manu eorum, quia verum esse non habuit, & quasi Dei intra se subsistentia caruit intellectualitas, quæ liberos exinde facere non potuit.

Gen. 4. 24.

* Vers. 8.

Ioan. 8. 34.

Vers. 9. *In manibus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deserto.* In manibus nostris panem nobis afferimus, cum ex operum nostrorum studiis pabulum nobis alicuius mundanæ prosperitatis exigimus. Et hoc à facie gladij in deserto, idest vrgente necessitate peccati, in quo eius refectione subtracta deserimur à Domino. Gladius enim peccatum est.

Vers. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatis famis.* Pellis nostra affectus noster est, quòd sicut cutis in corpore, citius lædatur in mente. De multis enim malis afficimur, quæ voluntate horrescimus, sic enim hæc duo discernimus, quia & bona ex ratione volumus, de quibus non afficimur. Hæc pellis quasi clibanus exuritur, tantò furiosiùs ardens quantò in morem clibani magis occluditur. A facie tempestatis famis exuritur, cum ab instantia internæ intemperiei, quæ famem verbi Dei parturit, conflagratur.

Vers. 11. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.* Mulieres in Sion humiliant, cum vbi bonæ voluntatis aliqua fœcunditas arridebat, status conscientiæ subiugant. Virgines in ciuitatibus Iuda pariter humiliantur, cum illa, quæ post peccatum sola residet medicina, confessio, scilicet intra conceptacula mentis, sterilitate damnatur.

Vers. 12. *Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt.* Principes manu suspenduntur, cum sensualitates nostræ à concupiscentiæ carnalis effectu, non desiderio, sed inopia possibilitatis arcentur. Facies senum non erubescunt, cum maturiores animi habitus, qui aliquotiens pudoratius sentiunt, sensuum leuitates irrumpunt. Facies autem pro præsentia vel cognitione in scripturis solere accipi nulli dubium est.

Vers. 13. *Adolescentibus impiè abusi sunt: & pueri in ligno corruerunt.* Tunc adolescimus, cum ad aliquod mentis robur excrescimus. Sed hac adolescentia impudicè abutimur, cum bonarum artium valetudinem in contrarias

fortitudines commutamus. Quod sæpiùs experimur, dum quos perspicaces olim Deo cognouimus, astutiores seculo impudentissimè iam videmus. Pueri in ligno corruunt, cum hi, qui nihil virium, & subtilitatis attigerant, nimio flagitiorum vsu impudentiæ,* & insensibilitati sese addicunt.

Vers. 14. *Senes de portis defecerunt: iuuenes de choro psallentium.* Senes de portis deficiunt, cum intellectualitates quibus discretio est insita animorum, in interni* examinis censura succumbunt. In portis enim vrbium exerceri solebat Reipublicæ solemne iudicium. Iuuenes de choro psallentium pereunt, cum viuaces solertiæ à bene agendi vnanimitate desciscunt.

Vers. 15. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster.* Gaudium cordis nostri deficit, cum testimonium conscientiæ, quod est gloria nostra, in nobis obsurdescit. Chorus noster in luctum vertitur, cum beneuolentia animi sibi concors operibus luctu dignis inuoluitur.

Vers. 16. *Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccauimus.* Corona capitis nostri cadit; cum totius nostri præmij spes, si qua quondam bona fecimus, inanescit. Victoribus enim antiquitus corona dabatur, sed victoria nulla est, quæ defectu cassata est.

Vers. 17. *Propterea mœstum factum est in dolore cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri.*

*Vers. 18 * *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulauerunt in eo.* Quod est dicere: Quia à corona destitimus, & ad væ ob peccata deuenimus, propterea mœstitiam ex quotidiani casus mordaci suspicione incurrimus; ideo ad alicuius futuri boni prognosticum expectationes nostræ cœcutiunt, dum se pij meriti spes nullæ obiiciunt. Et hoc fit propter montem Sion, quia disperiit, propter excellentiam videlicet, qua olim imbuta mens fuerat diuinæ speculationis, quæ propter ingruentia menti vitia obliterari commeruit. Sion enim in speculam vertitur. In hoc monte vulpes ambulant, quia istam perfunctoriam sanctitatem dæmonum calliditates, & tenebrarum facta conculcant. Animal enim subdolum est, & quod cuniculis delectetur.

Vers. 19. *Tu autem Domine in æternum permanes, solium tuum in generatione & generationem.* Ac si dicat: Horum momentanea sanctitas euanuit, sed tu, idest tui, tibi videlicet incorporati, non temporariè, sed æternaliter tibi obsecundare deliberant; & hi, quibus ac si in solio præsidere, & regnare dignaris, non solum in hac, qua tibi nascuntur in præsenti generatione, sed etiam in illa huius seculi subsecutiua regeneratione, famulatum pepetuant.

Vers. 20. *Quare in perpetuum obliuisceris nostri, derelinques nos in longitudinem dierum?* Si tu, inquit, tuis hæc impertiris electis, vt hîc & in posterum tui eis indiuisibilitatem largiaris, nos, quos à te desipere vides, & resipiscere facere potes, quare hîc perpetuum tibi seruiendi affectum, & illic diuturnitatem inexplebilis lucis aufers? Vox est eorum, qui de sua salute hæsitant.

Vers. 21. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros sicut à principio.* Certe, inquit, si tu gratiam conuersionis nobis inspirares, proculdubio nil possemus nisi ad te sicut & illi conuerti. Innoua ergò dies nostros sicut à principio, idest eam claritatem pij desiderij, quæ iam deambulacra vulpium facta est, in nobis repara, vt fas sit redire ad dulcedinis, atque lætitiæ quondam expertæ principia. Sed tu per obstinationem nos repellis, & te iratum irremediabiliter ostendis.

Quoniam tandem emenso pertimescendi laboris opusculo per immensas mysteriorum voragines sermo noster enatuit, securissimo ausu dicam, quia in tam horrendi transmissione sali, solum Deum remigem & nauclerum habuerim. Testor enim ipsum intra cuius portus sinum anchoram meæ intentionis appulerim, quod ab ipso exordio totius huius stadij in tantum ingenij mei acumen hebuerit, quotiens aciem animi ad hæc vestiganda tetenderim, vt nisi ad ipsum, cuius vultus lumen cordi nostro insignitur lachrymabiliter respectarem; quippe qui bona conscientia id me arripuisse cognoscerem', cum magna proculdubio ab eo quod cœperam confusione desisterem. Sed infinitas super hac experientia Deus grates, qui sic nos tuo munere imbuis, vt nos nullo modo lateat quid ex te, quid sapiamus ex nobis.

EPILOGVS.

S. Norbertum alloquitur Auctor.

QVoniam ergò huius æstuantissimi freti qualemcumque Deo ductore portum attigimus, ad te tandem in quo totius sinceritatis iudicium præminere non ambigo, quasi in solidissimo littore commercia nostra magnis cordis, & corporis coëmpta sudoribus, Magister Reuerende, deponimus. Nec enim te improuidè eligimus huius nostræ supellectilis appretiatorem, immò vigilantissimum discussorem, cui prorsus insolitum scio, sine omnimodæ æquitatis intuitu censoriâ quempiam iaculari sententiâ; cuius nimirum operis gressus indesinenter præcurrere consueuit intellectualis consilij palpebra. Non absurdè, inquam, tuis præsens opusculum disquisitionibus appulisse decreuerim; præsertim cum indubitanter agnouerim neminem super interioris

hominis ſtatu in cunctis nobis contiguis regionibus maiorem diſcretionis obtinuiſſe vim. Nec id iniuriâ. Quid enim ſpirituale neſcias, cum in huius examinatione te indeſinenter exerceas? In his tractatibus noctem diei continuas, in huius contemplationis radio, totius interni habitus delectatione conſpiras. Quod ſi ad animales, quorum copia eſt infinita, magiſtros, & qui ſuis dinoſcuntur ſenſualitatibus irretiti, aliqua ſpiritualiter ſenſa proponerem, ſtudium planè meum eorum lentitudine conſiderata grauiſſimè examinarem.

Ad te igitur, qui ſpiritualiter cuncta examinas, & à nemine iudicaris, ſecurus intendo; quia ad liquidum vniuerſa, & his maiora, non penetrare non poteris; cum nihil ſit aliud quàm diuinum & ſpirituale quod viuis. Si qua ergò iſtic corrigenda perpendis, conſilio cum ſcripturis, quarum tibi non infrequens vſus extat, communicato, nequaquam corrigere dedigneris; ſciens indubiè, quia non ingratum me vllo modo reperies, ſi qua inibi obliteranda, vel potius immutanda notaueris. Cæterum ad literam nihil me dixiſſe nolo mireris: quia quod B. Hieronymum ſatis ſuperque elucidaſſe in promptu eſt, idipſum repetendo ſcedulas implere ſuperuacaneum proculdubio mihi eſt. Quæ ergò pro captu meo, & Deo, vt credo, indigno peccatori aſpirante, bona intentione peregiſſe me memini, non tantùm tua lectione, quàm oratione firmanda, & auctorizanda tranſmiſi.

Explicit Tropologiarum Liber Quintus & vltimus.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS BEATÆ MARIÆ DE NOGENTO.

TRACTATVS DE INCARNATIONE CONTRA IVDÆOS.

AVCTORIS EPISTOLA NVNCVPATORIA.

PATRI ET DOMINO SANCTÆ SVESSIONENSIS Ecclesiæ Decano BERNARDO *indignus admodum prænomine suo.*

PEtitionem tuæ sanctitatis biennio distuli, sed iam nunc nescio si dignè paruerim. Fateor enim tibi Dominum quem communem testor, multùm me huius postulationis puduit; dum tuam de me opinionem maiorem sentio quàm merui. Scientiæ enim imbecillitatem expaueram, & dum inexperta, & quæ Gregorios, Hieronymosque terrere poterant, exigor, sub assumpto turpiter fasce veritus casum, quantum licuit vrgentem te dilationibus hucusque suffugi. Inauditas planè, & malè subtiles quæ nostræ intenduntur fidei controuersias refellere, perspicacissimi animi postulat puritatem. Dominicæ námque Incarnationis illa sinceritas, oculo vestigatur non nisi à quibusdam imaginationibus lautiore, quibus cùm me nouerim acerrimè præpeditum, nimirum valde cum id aggredi cogerer, æstuabam. Si enim id facerem, & res vilipensioni pateret, (cogitabam secundùm hominem) hoc mei honoris posse fieri detrimento, immo, quod magis verendum est, tepidè tractare de talibus Ecclesiæ poterit officere documento. Attamen pensans quòd tantopere orationem præmittere me rogasti, ad eum, qui omnia mea hactenus cœpta iuuisset, cor appuli: demúmque si qua possem super tuo negotio elaborare tentaui. Si quid in eo bene potui, in hoc tibi ascribo; quia tuæ summæ humilitati humiliter obtemperare proposui. Cum puer essem, & sub pædagogo agerem, accidit me quasdam admodum seculares litterulas dictitasse: quod cum magister idem ægrè tulisset, dormienti astitit cano persona capite dicens: volo mihi rationem de litteris reddas, verumtamen manus quæ scripsit, non est illius personæ quæ scripsit. Quod cum esset mihi ab ipso relatum, animaduerti quod aliquid mihi internæ lucis impenderet Deus, vt manus mea pijs seruiret operibus.

Auctorem à secularibus literis deterret Deus. *Fusè in vita sua.*

LIBER PRIMVS.

De conceptione Filij Dei intra Virginem.

CAPVT I.

Cur tractatū fuerit aggressus rationem reddit.

TOLERABILE vtcunque est, cùm ab his fidei nostræ detrahitur, qui eius nequaquam dogmata susceperunt. At cum hi, qui Christi reconciliati videntur gratiâ, aduersus eandem controuersiarum dentes, & linguæ macheras exacuunt, omnium bonorum animi piè æmuli tali auditione tabescunt. Etsi Iudaïca inertia de Filij Dei intra Virginem conceptione submurmurat, nimirum res est inolita genti, & pudendum quiddam sibi æstimat incuti, cùm à suis Deum, qui sibi saluator aduenerat, progenitoribus traditum audit cruci. Porrò Christianus qui hoc ipso censeri nomine non refutat, qui quamuis miser & tepidus Ecclesias tamen intrat; altaria aliquotiens, & sacerdotes honorat, A dum Eucharistiæ fidelium, & peccatorum confessioni communicat; qui Dominicæ memorias passionis adorat, & interdum etiam eleemosynarum largitiones affectat. Is, inquam, quare Iudaïcis sermonibus se inclinat? Quare eorum aduersum nos contentiones assumit, ac roborat? Susurria eorum, qui per se grunnire non audent, suo, quo Deo iudice breui florebit, potentatu sustentat; & quod illi in faucibus vix loquuntur, iste promulgat: &, ô mirum! verborum suorum superstitionis arguitur, ægrè fert, B vix tolerat, sese Christianum inclamitat. Et quis furor est, vt qui Iudæum, aut Paganum se haberi, aut vocari respuit; eorum cerimonias tueatur, & instituta deffendat, in leges odium Christianas exerceat; immo idipsum vituperet, quod adorat? Dum cum Iudæa quadam facetissima de hoc ipso colloquerer; extremæ, ait, dementiæ est sui quas dicit saluatoris imagines hominem adorare; & idem mox quod adorauit, postquam recesserit, subsannare.

Ioannem hîc Comitem Suessionem intelligit.

Vita Guib. lib. 3. cap. 15.

Planè

Planè hunc non incongruè Neutericū nouo vocabulo dicā, qui neutrum sectatur, dum ea quæ laudat iura non prosequitur, & quæ videtur prosequi Christiani studij iura non laudat. Haurit ergò homo nequissimus ex Hebrçorum cōfabulatione verba nefaria, & quæ sint nostræ pudicæ fidei non modo dictu, sed vel auditione grauissima. Certè credideramus hactenus, quia legeramus Virginem illam vnicam, sine exemplo Deiferam, in vniuerso mūdo interemisse prauitates hereticas. Sanè ex ea Natus capita confregit inimicorū suorum, ipsa sunt capita draconis dati in escam populis Æthiopum. Et vnde huic valentissimæ Dominæ accedet impotentia? quin etiam conterat verticem capilli in delictis suis perambulantium. Quisquis contra Virginis partum disputat, in Spiritum Sanctum blasphemat. Nemo autem sanus dubitat, quin felix eadem fuerit Spiritu Sancto fœcunda, non est ergo blasphemia hæc remissiua.

Psal. 77. 14.
Ibid. 73. 14.

Audieramus beatitudinem mundicordium, quòd huiusmodi visuri sint Deum. Ioannes, qui nemini secundus in natis est mulierum, soluendæ calceamenti IESV corrigiæ se profitetur indignum. Hi agni carnes coquunt aquâ, & fœdè nimiū ab eis dissipatur calceamenti corrigia, qui genituram Saluatoris discrepare non æstimant ab aliis, nec habere mysteria. Omnium à sæculo Sanctorum, & qui ante gratiam præuidêre fiendum, & sub gratia tractauêre de facto, super huius consideratione sacramenti puritas intellectualis emarcuit; vbi etsi scintillam momentaneæ intentionis pius quilibet contemplator habuit; ad id tamen quod comprehendi non poterat, oratione caruit. Meritóque super hoc hominū perspicacitas siluit, vbi totius eorum naturę exemplum defuit. Ad hoc itaque capiendū nulla subtilitas spiritualis eualuit: *Generationem enim eius*, ait Propheta, *quis enarrabit. Nunquid* etiam *dicet homo, homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.*

Isaia 53. 8.
Psal. 82. 5.

Si ergò nulli mūdicordes, si nec vterinus cognitor Baptista Ioannes, si neque Propheta, neque Apostolus quippiam super tanto præsumpsêre negotio, quid sapiet, precor, animus impudicitiis enormibus sordens, apud quem flagitiosa commercia nihil residui habuerunt? Si Paulus nec ad tertium raptus cœlum ausus est quicquam tale, optimè congruit modo de his hominem turpissimum disputare? Si ipse ex affectu laudaret, laus eius in se deficeret; in ore enim peccatoris nequaquam speciosa laus esset, nedum omnium spurcissimus cum nostræ exordia salutis exprobret, & partus cœlo, ac terrâ digniores infamet. Differrem de eius genere & moribus, nisi mihi persequentia sese largior aperiret locus. Certo autem nobis cōstat certius, quia continuis ingentium facinorum, libidinumque motibus in supremæ huius blasphemiæ venit casus. Sed iam aliqua maledictorum eius proponamus, quibus, quia ex putidissimo Iudæorū fonte prolata sunt, ita respondeamus, vt impuri dogmatis susurrones cū suo promulgatore claudamus. MARIÆ vero erit, si sui supplices secundos exitus habeamus.

Eccli. 15. 9.

QVÆSTIO IVDÆI. CAPVT II.

NVllus, inquiunt, *nisi qui desipiat, credit Deum ad vteri feminei sese demittere voluisse vilitatem, & cōsuetudinarij incrementi pertulisse moras. Illud potissimum horrori est, vt is, qui Deus diceretur, per mulieris virginalia funderetur. Iisdem quoque natus, cum non dissimilia humanitati membra haberet, & feminalibus vsus est, & edendi ac bibendi necessitati subiacens, his etiam quæ consequuntur ærūnis addictus est. Vnde prorsus ridiculum est, vt is talis Deus habeatur, qui in nullo à miseriis discrepare communibus videatur. Porrò si dicatur quia de Virgine natus fuit, falsissimum est, quia homo tanta infirmitate depressus, contra leges naturæ nasci non potuit. Maximum denique huic sententiæ robur accessit; quia cum latronibus ipse, & latronum morte decessit. Et vnde malum se potuit resuscitare, qui non præualuit tam pudendi exitij facta vitare?*

Obiectio.

Hæc ille. Nos autem.

SEQVITVR QVÆSTIONIS solutio.

DEus, cui nullus similis, ne sileas neque compescaris, sed imple faciē eius ignominia, qui minuit nomen tuum: mihi enim nihil attinet de his qui foris sunt iudicare. Quæramus tamen ab vtrisque Deum incircumscriptum omnia regentem credant, nec ne; si dicant eum aliqua licet magna corporalitate finitum, & ac si senem gloriosum ex Danielis libro maiestatiuè confingant, quod dicere sunt soliti, quoniā oculos, & aures, manus, vterum, & pedes Dei vbique scripturarum reperiunt. Et nos pariter nescio quam auem eū dicemus, quoniam alatus legitur & volasse: vt est: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Et, *Filij hominum sperabunt sub alarum tuarū tegmine. Ascendit* quoque *super Cherubin, & volauit.* Quod si quemquam eorū dicti huius pudeat, & Deum incomprehensibilem, vt est, esse concedat, respondeat mihi, an is, qui vbique totus est, & vniuersaliter quæ creauit adimplet, corporalibus, quæ in mundo sunt, aut etiā spiritualibus immundiciis polluatur? Totus enim vbique omnia continet, ac implet, vt diximus. Quod si dicat, quod & verum est, naturam illam impenetrabilem, alterius non posse naturæ diuersitate fœdari, consequenter inferimus, quia nec Deus potuit, aut debuit, aut sua aut materna humanitate grauari.

Psal. 82. 2.
Ibid. 17.
Dan. 10. 6.
Psal. 16. 8.
Ibid. 17. 11.
Deus incomprehēsibilis, continens & implēs omnia, corporalibus pollui non potest.

INTERROGATIO.

SVbinde interrogatio subsequatur; Vtrum bona, an mala Deus fecerit quæ creauit?

Deus creaturas condidit bonas.

Gen. 1. 28. Haud dubiũ planè quin bona, & valde astruat. Licet enim post hominis creationem solita Moyses verba tacuerit; scilicet; *Deus vidit* Gen. 1. 10. *quod esset bonum:* quod constat non sine mysterio factum: tamen esset omnimoda absurditate plenissimum, si humiles creaturæ hominum subsidio factæ, valde dicerentur bonæ, & is, qui ad Dei imaginem est conditus, inferior fieret bonitate: immò valenter excellit; nam præpostere Conditor ordinasset, si bruta intellectualibus prætulisset. Si ergò bona à Deo est condita natura mortalium, quod vtique est, quid aspernaris quòd creaturæ conditionaliter bonæ pius Auctor illapsus est?

De originali peccato. Quòd si de originalis peccati contagio, de quo tamen apud Iudæos silentium est, agitur; Dicemus quia quiqui hoc remedio eguerunt, fide sua potius, vt parentum, quàm circumcisione, seu cerimoniis mundati sunt. Verbi gratia; feminæ apud Iudæos quondam fideles recens natæ & mortuæ, nec etiam ad templum cum hostiis delatæ; Nunquid iêre perditum? Certè fides non per sacrificia, sed sacrificia valuere per fidem; & locus in feminis circumcisioni non erat. *Respexit enim Deus Abel,* * inde *eius munera.* Ergò quicumque vel in circumcisione, seu præputio, tũc temporis saluabantur, fide meruerunt sua, parentumue saluari. Non immerito itaq; in actibus Apostolorum dicitur: *Fide* * *mundans corda eorum:* Licet nostris hostibus cõfutandis, hęc minimè susceptibilis apud ipsos nequaquã scriptura cõueniat. Sine fide etiam in baptismo cætera sacramenta cassantur. Virgo igitur paritura Deum, fide sibi mundiciam, vbi Deum susciperet, comparauit. Sed iam ad susceptam seriem redeamus.

Circumcisio & sacrificia per fidem profuêre Iudæis.

al. * & ad. Gen. 4. 4.

Act. 15. 9.

al. * purificans.

B. Virgo fide mundum Deo habitaculum præparauit.

QVÆSTIO SEQVITVR. CAPVT III.

Creditur à vobis Deus omnipotens. Et certè omnipotens non fuit, si ad hominem, quẽ bene fecerat, pro redimendo suscipiendũ pietate duci non potuit. Peccare enim, est impotentia; pietate superari potentia. In hac enim quam dicitis infirmitate plus potuit. Fecit enim quod debuit. Specialiter sanè Deus misericordiarum debitor est. Cur nobis non proponitis quod vos continua murmurationum, & querelarũ obstinatione rebelles, quasi aquila pullos in deserto circumtulit, multimoda idolatriarũ repetitione damnatos in terra promissionis tamen fouit. In lege & Prophetis vestris non modo misericors, quòd est in natura, aut miserator, quod est in efficientia, sed ipsa essentialis misericordia vocitatur, etsi ipse aliter se egisset, seipsum profectò negasset.

Obiectio. Dicitis igitur quia feminei ventris humilitas diuinæ sublimitati non congruit. Quare inquam? Quia tot sunt præsertim in sexu femineo fragilitates, vt ipsa sibi plerumque natura sordescat. Et cum sibi ipsa humanitas ob frequentes quibus obsita est miserias indignetur, ignauum est credere, quod his diuinitas vnquam implicari pateretur.

Solutio. Quare humanam Deus potius quàm Angelicam assumpsit naturam. Bene sensa sunt hæc. Debuerat ergò Deus propter euitandos carnis fœtores, Angelicos sibi vteros præparare. Hos forsitan aptiores conceptioni ipsius poteritis iudicare. Minimè gentiũ, non legistis quia *cœli non sunt mundi in cõspectu eius.* Et, *in Angelis suis reperit prauitatem?* Si de dignitate agitur, nil Creatori in creatura dignũ. Et cum sit tanta Conditoris puritas, vt conditorũ omnium iustitiæ habeât, vnde displiceant, illã rationalem, quæ videbatur infirmior, naturã congruentissima sibi ratione connexuit, vbi præter vllã meriti spem sola gratia dignationis apparuit. Nã si Angelos apprehẽdisset, supparilitas quædã videri, quia incorporei sunt, ex assũptione contigua potuisset. Vnde & in libris vestris, rebus crebrò indignissimis cõparatio diuina subiicitur, vt quicquid apud homines dignius ęstimatur, in Dei cõparatione prematur, & vbi Deo bonis indignæ hominibus similitudines dantur, nullatenus ei conferenda quæ sunt hominibus pretiosa putentur. Hinc est: *Stridebo subter vos sicut plaustrum onustum fœno.* Et, *excitatus est tanquã dormiens Dominus, tanquã potens crapulatus à vino.*

Iob. 15. 15. Ibid. 4. 18.

Amos 2. 13. Psal. 77. 65.

Fragilitas bifariam accipitur. Quid de fragilitate causaris? hæc bifariã solet accipi. Quia & cibi, potusque, ac somni necessitas, & peccandi labilitas consueuit appellari. Planè in paradiso peccati adhuc fragilitate, & morte suspensa, ex necessitate vescendi, bibendi, dormiendique fragiles erãt illi generis nostri principes. Quòd pareret eis fragilitas illa peccatũ, si contigisset non præterire mãdatum? Ex libro tuo habes: *De omni ligno paradisi comede.* Et; *Quia misit Dominus soporẽ in Adam.* Hæc dicebantur ei. Hæc in eo cum esset immunis à peccato fiebant. Quid horret Deus in homine? non naturam vtique, quam ipse condidit, sed malum quod homo addidit. Quod si horreret, facturam vtique suam iustissimè detractioni exponeret. Nam si ipse quod statuit, exauctorando ac vilipendendo destituit, præuaricatorem se constituit.

Gen. 2. 16. Ibid. 2. 21.

Homines filij & Dij appellantur. Sed absistat hæc vecordia. Celeberrimũ est in libris tuis Deum, & filios, & deos homines sæpius appellare. Ne corruptionem carnis, & vteri fœtores attendas. Non æstimes Deo quippiam præter peccata fœtere. Non habet Deus nares tibi pares. Legisti Noë altari post diluuium fabricato holocaustũ de auibus obtulisse, & Deum odorem suauitatis hausisse. Et quæ in tali vapore voluptas? Forsitan tu Deũ æstimas nebulonẽ, vt patinis fumantibus delectetur, & assarum carnium flagrantiam libenter absumat. Certè sobriis hominibus idipsum quod vsui præparatur, & nidor displicet coquinarum, ne dum Deo placeat putor auium exustarum. Putasne quia quod hominibus est

Ibid. 8. 21.

putidem, Deo suaue redoleat? Depone suillum caput, & sensum reiice carnis. Spiritualibus spiritualia compara. Deus spiritus est, & solius virtutis haurit odorem, & sola morum vitia sibi sordent. Vbi ergò Deus bona animæ vniuersa congesserat, nullatenus in virgine fragilitatem corpusculi horrere debuerat.

QVÆSTIO.
CAPVT IV.

B. Virgo absque peccato.

QVis verò ex vobis potest ipsam feminam arguere de peccato? At quoniam non suppetit vnde arguatur, sola naturæ & sexus indignitas in causa est. Si Deus in propria persona ad homines descendisset, aut personam aliquam diuinam, vnde nescio quo modo nasceretur, sibi adhibuisset. Dum sibi in nullo de sua quicquam maiestate minuisset, satis mediocres ab hominibus gratias meruisset. At quia totum pro eorum se contulit salute, humilitati & gratiæ, non est quod homo possit dignum rependere. Non fuit quod hominem magis potuisset instruere.

Pro Filii Dei incarnatione nequeunt homines dignas grates rependere.

SOLVTIO QVÆSTIONIS.

NOnne Deus in veteri tua lege sub humana specie in conualli Mambre Abrahæ apparuit? Et qui vestiri nostra ad horam imagine vnius causa hominis voluit, id facere quandoque veraciter pro suæ imaginis salute non debuit? Tantum sanè præcellere specialem debuerat vtilitas generalis. Nonne illi tuo quem dicis Deo azimus panis, butirum cum vitulinis illata sunt carnibus. Deinde legitur comedisse, & discũbenti Abraham astitisse. Et ne dicas Angelum fuisse: Lege Deum verbo ad Abraham habito abisse; & duos Angelos nominatim sodomam contendisse. Perpende igitur Deũ necdum corporatum corporalibus cibis ac potibus indulsisse. Et si tu Deum credis fuisse, nihil quantum ad humilitatem spectat, minus ego eum perpendo fecisse, quam quod postmodũ visus est hominem induisse. Creditur enim ille secundum opinionem tuam Deus corpus ex aëre perfunctorium assumpsisse. Si ergò credis Deum incorporeum ad horam corporaliter manducasse, cur discredis pro tanto salutis humanæ negotio corpus aliquamdiu suscipere voluisse. An personæ illi, licet expertissimæ fidei, pro filij denuntiatione plus debuit quàm seculorum saluationi. Porrò in semine eius benedicendæ erant omnes gentes. Quod vos non intelligitis, quia non creditis.

Humana specie Deus apparuit. *Gen. 18. 1.*

Ibid. 7. *Ibid. 8.*

Ibid. 33.

Inde concludit haud absurdum, Deum corpus humanum induisse.

CAPVT V.

QVid quod indignamini per feminæ puerperia fusum? Cogor insolita loqui, & cum pudore maximo, sed vt B. Gregorij verbis vtar: hanc ipse verecundiam in me reprehendo. Qui enim tantas pij Redemptoris iniurias non ægerrimè fert, qui inaudita integerrimæ matris probra non acerbissima animaduersione refellit, qui hæc æquanimis audit, patet quia Christianus non sit, multoque rectius isti dicitur, quòd impius hic fueris, si pius esse velis. Quare zelo vehementi non efferar, cũ videam eos, qui coniugia pulcherrima & honesta deserunt, & anus etiam sub maritis agentes, iámque rugosissimas assectantur, inquarũ quóque abusione germanorum suorum riualitati non parcunt, qui nulla desponsata Deo verẽtur, qui nullo studio fidei, sed periurij, & proditionis aguntur, quorum patres, & ex quibus isti maternæ Ecclesiæ destructionibus institerunt, sacri ordinis cædes amarunt. Hi, inquam, ad reprobi sensus augmentum de diuina disputant genitura, & assumpto Iudæorũ patrocinio, cum lingua eorum in terra transierit, in cœlũ iam posuerunt ora sua, & secundum vsitatas sordes metiuntur diuina mysteria: & cum putores exercitatę libidinis fastidire cœperit, ex se victa nequitia flagitiorum suorum crapulam in Christianas, immo in rerum cœlestium nauseant puritates.

De his in vita sua pluribus agit Guibertus.

Vitiis impudicitiæ & crapulæ immersi solent in hęreses prolabi.

Nec mirum si Deo, quem non vident, derogent, cum id genus in sese alterutrum implacabiliter hostes existant. Est tamen qui dicat aliquando: *Existimasti*, inquam, *quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Interrogo itaque eos, qui dum turpissimos vsus attendunt, virgineæ, & impassibilis munditiæ gloriam non agnoscunt. Adam, & Eua quare post transgressionem mãdati foliis pudenda texerunt? Antea nudi erant, & nõ erubescebant. Vnde pudor? Iustum fuit vt quãdiu Deo obedirent corpora rationi, concupiscentialiter rebellia non haberent; at vbi Deum postponerent, fœdis illico in se motibus æstuarent. Hi sunt motus, qui in animas, & corpora eorum qui gignuntur, peccatum originale traiiciunt. Conqueritur se proinde Dauid in iniquitate conceptum. Meritò itáque erubuerunt, qui iam membrorum suorum dominos se non esse senserunt.

Psal. 49. 21.

Inobedientia causa peccati in homine.

Psal. 50. 7.

Quæritur proinde à quibusdam quid causæ sit, quòd tãtopere ea membra velamus, cum nullas corporis nostri partes ea intentione tegamus. Non enim ea sola celamus, sed etiam propinqua eis loca, vti sunt vmbilicus, & crura videri vix patimur. Quare hoc? Cum moueantur digitus meus, oculi mei, labia mea, meo nutu, mea voluntate mouentur; & quia placidè sub meo agunt imperio, nullum mihi pudorem incutiunt. At quia partes, de quibus agimus, contra iura totius rationis effræni quadam libertate feruntur, & quasi quædam diuersa lex est, iuxta Apostolum, in membris nostris repu-

Quare pudenda corporis mẽbra velãtur.

Rom. 7. 23.

Rom. 7. 23.

gnans legi mentis nostræ, & captiuos nos ducens in lege peccati, quæ est in membris nostris; idcircò iustè erubescimus, quia velimus, nolimus turpiter hæc erigi, ex desiderij passione videmus. Verbi gratia, habe seruum aliàs vtilem, sed proteruum, coram extraneis ei quippiam imperare, aut sermonem cum eo miscere dissimulo, & quantum possum contego, quia si superbè se erigit, contemptum meum reputo. Iure ergò & virtute, & vestibus res contumax operitur, quia ad plurimam & carnis & spiritus contumeliam suscitatur. Sed ad rem redeamus.

CAPVT VI.

In statu innocentiæ pudor nullus.

Adam igitur & Eua ante præuaricationem his vacantes motibus, beatissimè impudentes fuerunt. Cui rei simillimum est quod infantulos, & impubes plerúmque pueros conspicimus sine verecundia nudos incedere, qui si titillationes aliquas paterentur, aut seipsos vtique, aut eos qui possent occurrere vererentur. Beatus ergò primus primorum hominum status: felix etiam ignorantia paruulorum: quia dum impassibilitatis mænibus circundatur, Angelica securitate lætatur.

Vtrum generationi intendissent primi parentes, si in obedientia perstitissent.

Sed quærendum est, si obediendo persisterent, vtrum duo soli paradisum incolerent, an de posteritate, immo de prole curarent. Posteritas námque dici non potest, vbi decessor non est; sed nisi procrearent, numerum non facerent: nisi numerum facerent, ad id pro quo facti fuerant, non sufficerent. Tractandum igitur est quem modum generandi haberent, cum alter agendi, altera patiendi nulla vnquam incentiua sentirent. Peccati immunitas vtrobíque constiterat. Peccatum autem concupiscentia est. Quod si sine concupiscentia, cum & cætera omnia mala vacarent, miror, sed definire non audeo, si non & vtriusque virginitas indemnis foret. Virginitas enim bonum est: Virginitatem igitur deperire malum esset. IESV bone! licet maiora per te meruerimus, quid munditiæ, quid tranquillitatis in primo parente perdidimus?

Iactitant itáque sordidis rictibus hostes deificæ natiuitatis verba putentia. Dicam, & astruam certè, digniora fuisse illa membra, quæ illi tunc partui deseruissent, quàm sint ora spurcissima, quæ se quotidianis fraudibus, & luxuriis imbuunt, & viuifica sacramenta derident. Quid quæso displicet in his membris, nisi fœdæ voluptatis expletio? Aufer libidinis suspicionem, non erit quod horreas, sed quod venereris. Vos qui turpitudines amatis, iustè dãnabimini, qui ea ipsa quæ vos turpes efficiunt membra dãnatis. Deus omnipotens! quid gratius, quid bonæ menti suauius esse potest, quàm vera virginitas, & illibatus animus? Nos audieramus ex Salomone quia *vinum & ebrietas* * *aufert cor.* Et Osee de tuis loquitur stupra potationi communicãs; *Puerum*, inquit, *posuerunt in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino, vt biberent.* Dic mihi quod vinum est generans virgines, cum soleant facere pudicitiarum cætera vina iacturam? Scio quia nescis; & ego adhuc inferam, quia illud idem est vinum, quod in libro Iudicum Deum lætificare & homines dicitur. An Deum aliquando bibisse putas: cum iuxta litteram sensu deficias, exponam tua tibi; interim si vis, garri.

Volptates virginitatis ingerunt cõtemptum.

al. * auferunt. *Osee* 4.11. *Ioel.* 3.3. *Iudic.* 9.13.

Quid vinũ lætificans Deum & homines, ac generãs virgines.

Vinum quod lætificat Deũ & homines, Spiritus Sanctus est, qui Patrem Filiumq; amore coniungit, Deoque subiungit homines. Quid autem amor nisi gaudium? & quod gaudium nisi in amore? hoc vinum, is scilicet spiritualis feruor generat virgines, quia nunquã nisi per cœlestis flammam desiderij mitigari poterũt carnis ardores. Si hoc Dei bonum, hoc pulchrum eius est, vt nihil penes Deum melius, pulchriusque putetur. Quis est qui horrere audeat virginis vterum, quis virginalis partus causetur egressum: Si velis hoc ob naturales detestari meatus; ô, quotiens hiremarũ carnium pridianas crapulas ore fœtentissimo vomuisti: Quotiens tetros vomices, & horribiliora flegmata, quàm sit liquor ille, iecisti: Sensui tuo respondeo. At Deo talium auctori nihil dedecens præter peccata scio.

Habes ergò in primis parentibus formã impassibiliter generandi, * quam quis qui ad effectum ducere poterat, si perseuerassent, in propria matre resculpsit: licet autẽ sufficere debuerit Deum humanis nullo modo attingi sordibus; accipe adhuc. Solem, vt æstimo, credis naturâ mundissimum: quotidie vides per publicos sterquiliniorum aggeres radios eius progredi; putida quælibet, ac visibus ipsis indigna lustrare; putas ex his, quæ præteruolat, aliquam eum sibi labem contrahere: insaniæ esset. Amplius: si oleum, aut balsamum aquæ iniicias, neutrum aquæ confunditur, sed per se ipsam solida vtraq; natura subsistit. Habe iterum: mens mea recogitans, & res quas viderit vspiam crebra imaginatione retractãs, cum meminerit leprosi cruẽtis vlceribus extuberati, aut ex cadauere lacero scaturientiũ examina vermium, seu recordetur passim iacentium stercorum; quid, quæso, maculæ rotabundus per hęc animus sibi rapit, nisi quantum si pulcherrima feminarum seu marium corpora simplici reuolutione percurreret, aut splendidi operis metalla reuiseret: atris aurũ claude ruderibus, licet putris terra sordescat, tamen auri minimè natura deficiet. Disce miser de materialibus qualiter spiritualia metiaris, & cum in rebus habeas exempla terrenis, perpẽde quid valeat diuinitas in æternis.

f. * quamuis.

Quòd Deus nullam in vtero virginis labem cõtraxerit.

LIBER SECVNDVS.

Deus omnia hominis vtrum susceperit, an non?

CAPVT I.

PORrò Dei filius in carnem veniens, si competentia corpori membra habuit, membrorum compositio non nocuit. Frustráque nos pudeat, quod ipsum non puduit. Et quid eum puderet, vbi nihil non sanctum fuit? Si quicquid est, bonum est; nisi vbi peccatum est, membra quæ per se bona sunt, cum peccatum non est, sancta sunt. Membra nostra imbecillitati nostræ sunt administratoria: & cum aures, ora vel nares superfluis capitum egerendis inseruiunt, cætera quid mali faciunt, quæ inferius intestinorum pondus exponunt?

Membra cum abest peccatum, sancta sunt.

Interroga putidissime & nequam de Domino nostro si spuerit, si nares emunxerit, si pituitas oculorum vel aurium digitis hauserit, & intellige quia qua honestate superiora hæc fecerit, & residua peregerit. Aut dic mihi, ille tuus, qui Abrahæ apparuit Deus, ea qua comedit in quem * alium deposuit? quomodo etiam, aut si factum est, quod consequens fuit? Contremisco dum de his disputo: sed vos filij diaboli me cogitis. Deus à vobis exigat, qui nouit quo affectu id ago. Breuiter accipite, Deum humiliter omnia hominis suscepisse, & nihil hominis veritum præter peccata fuisse. Si velitis ex ratione percipere, poterunt, vt reor, vobis ratiocinia superius habita satis esse; si vobis quod patribus vestris; si vos, inquam, non credideritis non intelligetis.

£ * aluum.

Hominis Deus omnia suscepit.

CAPVT II.

AT verò tractaturus illud quod restat de Beatæ Mariæ virginitate capitulum, quod dicitur contra naturam virgo parere nequiuisse, iustè insanus iudicer, qui cum insanis ratiocinari sic videar. Ratio tamen ea mihi est, vt si à dementibus ridear, saltem ab his, qui minùs me sapiunt, & quos addiscere libet, fidei intellectum habere aliquantisper inueniar. Ipsa, quæ verè Dei mater est, contra suos nobis hostes præbere virtutem potest. Quid de natura disputas? An natura fuit, quòd Adam de limo subitò plasmatus emersit? natura fuit, quia tunc homo de humo originem sumpsit? Natura non fuit, quantum ad naturæ vsum, quo ex homine homo procedit. Credes ergo creationi quam non vidisti, & cuius inter homines tibi minimè exempla præbentur. Credes planè non tam Deo, quàm Moysi tuo. Costam etiam in mulierem ædificatam non diffiteris. Et hoc de natura non fuit. Age ergò, poterisne credere quicquam nasci nisi congruenti illato semine. Certè cattas ex *a* nepita, & *b* capellas ex veruena, & vultures absque coïtu concipere & parere comperimus. Dei filius per sanctum Spiritum concipi non potuit, ob hoc solùm quia inuidia vestra noluit? Apiculæ ex opusculorum semine fœtus creant, cum minores musculæ crebris sibi irruant coïtibus. Ergò, Deus Pater Filio, & Filius sibi fuit impotens parare conceptum, qui tot etiam minusculis rebus sine suo præbuit semine propaginis incrementum.

Rationes quomodo virgo peperit.

a Seu nepetha herba calaminthæ genus.

b Seu vanellos aues: sed hîc pro quadrupede sumitur.

Sed dicitis: Deus quidem id sibi, & cuilibet facere poterat, sed is, cui mater sine maris semine per spiritum, vt asseritis, fœcundanda erat, nec Deus, nec Dei Filius erat; ideo nec Deus ei fecit, nec ipse sibi poterat facere. Mentimini: Dicite mihi; Isaïas postquam gentium populum, qui ambularat in tenebris, lucem vidisse magnam, & habitantibus in regione vmbræ mortis lucem dixit exortam, quis est ille *paruulus*, Qui, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis*, de quo post aliqua loquitur? Scio vos dicturos, sicut & dixistis dum quibusdam vestrum super hoc verbo confligerem: Qui filius, qui natus dicitur, homo est. Et vobis intuli cum hæc de Messia agi diceretis. Messias secundùm vestram opinionem purus homo erit. An Deus & homo? absit, aistis, vt ei qui homo sit, diuinitas ascribatur. Homo erit prudens, tempore aliquo regnaturus, finem postmodum regni, & corporis habiturus. Ecce quanta desipientia est; immò hebetudo in modernis Iudæis, ad eorum comparationem, qui Domini Iesu contemporanei fuerunt. Illi dicebant: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum.* Hi ei metas mortis consciscunt. Attendite, inquam, infelices quàm absurdè sentitis.

Deus in vtero Virginis præparauit semen.

Isaiæ 9. 2.

Ibid. 6.

Iudæi tunc temporis au Christi coæquis discrepant.

Ioan. 12. 34.

Prosequimini quæ sequuntur. *Et factus est*, ait, *principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Qui superiùs & natus, & filius, & nobis datus asseritur, nunc Deus, nunc pater futuri seculi appellatur. Et ne deïtas ipsa, vt aliquorum perfunctoria putaretur; (vt est illud: *Applica illum dijs*: vel, *Constitui te Deum Pharaonis*) additur perpetuitas potestatis, quod est, *Pater*, scilicet non Dominus, *futuri seculi.* Ibi planè sapientia, quæ modo attingit à fine vsque ad finem fortiter, disponet omnia suauiter. Denique post imperij multiplicationem, post pacis perennitatem, post solij Dauid in iudicio, & iustitia confir-

Isaiæ 9. 6.

Exod. 7. 1.

Isaiæ 9. 6.

mationem, rursum eius indefectibilitas prædicatur: *A modo*, inquit, *& vsque in sempiternum.* Poteritne iste talis sibi loculum in vtero præparare, & qui dominatur futuro sæculo, non valebit sibi præbere tantillum in isto? Cogor ad peruicaciam vestram comprimendam de vilissimis dare rebus exempla. Tradunt Physici, & historiographorum veritas, in quadam Prouincia equas vento concipere. Ergò sancto Spiritui natura præualuit, imò Dei vires locorum, & aërium priuilegia transcenderunt.

Ibid. 7.

Item vnde supra.

CAPVT III.

Probat ex vet. testamento virgineum cóceptum.

NEgatis adhuc Virginem? agnoscite eiusdem Isaïæ Prophetæ illud: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuël* Sed vos dicitis, quia *halmá* nomen hebraïcum apud vos non Virginem, sed adolescentulam significet: & adolescentula planè potest esse non virgo. At Hieronymus, quem vos scientissimum testari consueuistis interpretem, & quo vestrum quidam mecum disceptaturus perhibuit, quod in confligendo nullatenus exorbitare de eius translationibus vellet. Non modò præfatum verbum Virginem sonare, quod *betulam* dicitis, asserit; sed illam propriè Virginem exprimere, quæ virorum conspectibus maneat semper abscondita. Sed vos veteris pertinaciæ memores, illud quod est amphibolicum, idest iuuenculàm, retinetis. Nam si assentiremini, multùm vos videretur vox hæc sola subigere.

Isaiæ 7. 14.

In Isaiam lib. 3. cap. 7. post med.

Ponamus itaque adolescentulam ibi esse: dicite mihi quid est quod præmittitur: *Ecce Dominus dabit vobis signum*; mox supposito: *Ecce virgo concipiet*; Nullo præmisso, de quo adolescentula conciperet. Et iam si virgo non esset, quæ conciperet, quia per se conciperet, signum esset. Sed obiecit mihi quidam eorum lapide veterior, quod hæc eadem adolescentula vxor Prophetæ erat; & hanc esse quam in sequentibus longè commemorat. *Adhibui*, inquit, *mihi testes fideles Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ, & accessi ad Prophetissam, quæ concepit, & peperit filium.* Prophetissas in nostris voluminibus sub gratia reperi: vti Annam filiam Phanuhelis, & filias Philippi Virgines, quæ Prophetissæ, non quia coniuges Prophetas habuerint, sed quia per se prophetauerint, appellantur. Nam Oldam liber Regum sub Rege Iosia non Prophetissam, sed Prophetam vocat. In libris veteribus si alias vspiam legerim hoc vocabulum nescio. Sellum tamen Oldæ maritum non vocari Prophetam scio. Ponamus quæso iterum & hanc vxorem fuisse Prophetæ, cum certo certius sciam, sicut apud nos neque Abbatissa, neque Diaconissa, vxor Abbatis, aut Diaconi est; nec virgo, nec vidua si comitatum regeret, comitissæ nomen amitteret: sic Prophetissa ex solo suo officio, quod sic vocatur habet. Sed hoc eis diuerticulum permittamus, vnde eos ad tempus inconueniens compellamus. Quid est ergò quod sub duobus fidelibus testibus accessit ad vxorem vt dicitis suam? Accessus hebraïca consuetudine pro concubitu solet poni, vt est in Ezechiele: *Ad mulierem*, inquit, *menstruatam non accesseris.* Si igitur dicatis quia sub oculis testium fidelium Zachariæ, ac Vriæ Isaïas cum vxore, idest Prophetissa, coierit, & illa conceperit, & inpræsentiarum sub momento pepererit: quorum non ore conspuendi estis, quibus non stercoribus lapidandi, qui hinc viro sanctissimo dedecus ignominiosissimum irrogatis, & præpotens mendacium illinc astruitis.

Ibid.

Ibid. 8. 2.

Act. 21. 9.

Lucæ 2. 36.

4. Reg. 12. 14.

Ibid. 22. 14.

Ezec. 18. 6.

Si itaque stare non potest, concedamus saltem secundum vos, vt adolescentula conciperet; quare non est appositum de cuius semine eadem id quod conciperetur, exciperet: quod tamen si fieret, profectò signum quod spondebatur, signum iam non esset. Ergò aut pater enuntiandus est, aut virgo, siue adolescentula si conceperit, peperitque, signum est. Si autem signum est, contra vsum naturæ est. Igitur quoniam id, quod conceptum & partum est, vocatur Emmanuël, idest nobiscum Deus, quod & pro signo generali domui Dauid, idest Ecclesiæ præstat Deus. Intelligite aut conuincimini nequam, quia velitis, nolitis, parauit sibi quod voluit in natura, etiam præter naturam, ipse auctor & dispositor naturæ Deus. Et ipse qui disposuit, ipse qui natus est in ea, & ipse eam fundauit. Non eligere potuit, nisi quod mundius fuit. Ideo constat quia non adolescentula, non virgo, sed supra solitam hominum puritatem virgo pudicissima fuit. Et is, quem genuit, in signum, vt Propheta prosequitur, populorum stetit, quia nullus, nisi qui ad eum respexit, salutem meruit.

Ibid. 11. 10.

Dicite mihi qui affectatis magisteria vestræ legis, quæ consonantia est rationis, vt is puer nutriendus butyrum & mel comedat, quatinus reprobare malum, & eligere bonum sciat. Nunquid vt singulis singula referamus, ideo butyrum comeditur, vt totius malignitatis odium subsequatur; & in animam mellis esus sic transeat, vt boni electione nos imbuat? Fateor butyrum hucusque oderim, melque minus curauerim, à

Ibid. 7. 15.

Butyrum & mel quid significent.

modo vtraque auida fauce diripiam, cum ea docueritis eam habere vim. Scio, quia loco in hoc, vestro more cornicabimini. Audite, etsi auersi, quod verum est. Butyrum ex carne est, mel ex rore cœlesti conficitur. Per butyrum ergò humanitas Saluatoris accipitur, cuius lenitate peccatorum nostrorum asperitas temperatur. Mel, diuinitas designatur, cuius sapientiâ nostræ rationis intelligentia dulcoratur. Hæc benedictus puer ille comedit, quia in se vno vtramque substantiam Dei ac hominis adunauit. Per humanam ergò naturam, qua virtutum exempla præbuit, sciuit, id est nos fecit scire criminum fœditatem, & per diuinitatis haustum internæ dulcedinis intimauit caritatem. Sed hæc quæ dixi, risui vestro exposita sunt.

CAPVT IV.

Ibid. 11. 1. Instat, & prosequitur Isaiæ vaticinium.

SEquitur, idem Propheta post plurima: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse*; *& flos de radice eius ascendet*. Quare virga? quia recta, singularis & vnica puritatis omnimodæ, subtilitate porrecta. Dicite mihi, qui licet in quinque libris Moysi nullas recipere allegorias velitis, Propheticos tamen libros mysteriis plenissimos non negatis? Dicite, inquam, quæ sit virga? Quid sit egredi? Quis flos non de ramo, sed de radice conscendens? Certè haud dubium quin de nostro dictum Messia putetis. Peto igitur, vt ea quâ proposui à vobis distributione dicatur. Si Messiam dicitis virgam, quis erit flos? Attendite, an quod dixero vel veri simile habeatur. Si virgæ pluraliter dicerentur, de quibus flos oriretur, coniugales significare personas meritò putarentur: at quoniam virga est, simplicitatem innuere videtur. Si patrem sine sua iugali intelligas; scimus quia iuxta naturam per se nil agit masculus. Si matrem sine patre, nihil secundùm opinionem tuam; aliquid verò est secundùm meam, imò Propheticam. Hæc egressa est, quia præminens, & sine exemplo in toto humano genere ostensa est. Si dixisset: egredietur virga, de cuius ramo flos ascendet, forsitan aliquis maritum, & costam eius lateralem videlicet suam crederet: at non de ramo, non de pari, ascendit, sed de virgæ radice, de solo concretus per spiritum Sanctum Virginis matris sanguine. Sed quare flos? propter omnium odorem virtutum, & quia speciosus est præ filiis hominum; & quia de flore fructus exurgit. Ipse enim est lignum secus decursus aquarum plantatum, quod fructum suum in tempore suo dedit.

Psal. 44. 3

Psal. 1. 3.

Super hunc, inquit, *florem requiescet spiritus Domini*; & cætera. Quoniam conuenit inter nos & vos, vt hæc de Christo dicta intelligantur, Christum autem certo vos tempore victurum, certo desiturum credatis, quem & de mari & fœmina vt cæteros dicitis nasciturum: æstimare non possum quod alicui puro homini tanta inesse valeat opulentia, & continuatio gratiarum; præsertim cum non affutura, sed asseratur requietura super eum. Etsi námque spiritus Heliæ super Helisæum requieuisse; scribitur aliud est tamen spiritum hominis in hominem deuenisse, quem & duplicem legitur meruisse, aliud est totius diuini muneris plenitudinem habuisse. De seruis planè dicitur; *Quia dedit illis bona sua*, *vnicuique* tamen *secundùm propriam virtutem*. De Christo autem non ad mensuram dat Deus spiritum. At quia nostrarum scripturarum exempla non recipitis, intendite quæ sequuntur, quia plusquam humana videntur. *Non secundùm*, inquit, *visionem oculorum iudicabit*; *neque secundùm auditum aurium arguet*. Quis vnquam homo iustè iudicat, nisi de his solis agat, quæ visus, & auditus approbat? Et vnde in lege vestra tres aut duos testes, sub quorum testimonio stat omne verbum, esse iubentur; nisi de iis quæ audiuntur & videntur. Est itaque sensus: homines iudicant de his quæ sensibus comprehenduntur, minus interna curantes: iste interius, dum & iudicat humiles, idest discernit iustè merita singulorum, sua cuique distribuens; & arguit pro mansuetis terræ in æquitate, dum flagellat quos amat; vt bonitatem, & disciplinam doceat, terramque faciat, non puluerem quem ventus tollat, potum dando in lacrymis in mensura.

Isaia 11. 2. Totius diuinitatis in Christo inhabitat plenitudo, cæteris vero hominibus secundum mensuram virtutis.

Matt. 25. 15.

Isaia 11. 3. Dei js solum quæ videt & audit homo iudicat.

Et percutiet terram virga oris sui, *& spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Christus, quem nos & vos hîc intelligimus, terram virga oris sui quomodo percutit, si purus homo existit? Virgâ oris terram cædere, est aut famem super terram vocare, aut quibuslibet aliis correctionibus hominum peccata punire. Virgâ oris terram percutere, est sui virtute sermonis delinquentium animos perterrere. *Spiritu labiorum suorum interficit impium*, dum propheticæ intelligentia locutionis, à statu peccati destruit temetipsum. Quod si iuxta illud Iob: Tu non es impius: quis ergo est? Labia autem Christi, Prophetæ sunt. Spiritus eorum, interior sensus est: tu enim corpus sequeris, idest litteram. *Spiritu* quoque *labiorum suorum interficit impium*; illum videlicet quem pro Messia præstolaris Antichristum: nam per illustrationem sui aduentus destruet illum. Hæccine videtur tibi humanitus quisquam agere posse? Et quomodo etiam iustitia, & fides cinctorium

Ibid. 4. Quid terram virga oris percutere.

Ibidem.

Isaia 4.

Ibid. 5.

renum eius fieri poterit, quod in materialibus ad materialia admixtio nulla sit. Est itaque ac si diceret: Quicquid in illa Dei & hominis persona carnale putatur, totum spirituali virtute ambitur. Lumbi autem & renes quæ voluptatis loca noscuntur, rectè pro carnalitate ponuntur. Rides fortasse meam, tuam quæso prome sententiam, sed nullatenus dici poterit, quod hoc totum purè homini conueniens sit: hæc enim terrena potentia terram ore percutiet, aut respiciendo tremere faciet, non impium spiritu perimet, non fide, non iustitia, lumbos cinget.

Lumbi & renes pro carnalitate.

Inferiora quæ sequuntur de contrariarum substantiarum cohabitationibus attexerem, nisi superuacaneum æstimarem. Si quis enim velit in his, horumque similibus Christum prænuntiatum amica ratione colligere, facile poterit illa quæ pacificè conuenit diuersa videre, quod totum est: *Omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine.* Et, *populus quem non cognoui seruiuit mihi.*

Psal. 85. 9.

Psal. 17. 45.

Item de Virginitate.

CAPVT V.

DE Virginitate ergò Beatæ Mariæ quid quæritur, cum apertè sciatur, quia vbi Christus filius delegit nasci, mundissimè ac superexcellenter debuit apparari. Certè vterus idem tantò fuit mundior, quantò impassibilior. Multùm digna est virginitas, etiam quæ tentationibus perurgetur, sed longè gloriosior, si euictis, ac sopitis vniuersis motibus, primorum parentum primo statui comparetur. Creditis planè Dei spiritum Sanctos quondam inhabitasse viros, & eos non modò ad bene viuendum, verùm etiam ad prophetandum sæpius animasse. Is quóque, quia Deus est, lege minimè stringebatur, quin quos vellet etiam malos imbueret, & prophetiâ acueret. Si enim Saülem, quem dudum spiritus prauitatis obsederat, & apparitores eius, qui ad trucidandum Dauid venerant, euersa priori vecordia, idem spiritus immutauit, vt perfidus Rex cum Prophetis nudus interdiu & nocte præcineret; quid contra naturam factum super conceptu virginis disputare molimini: Quid magis contra naturam, quàm authorem Deum munditiæ sordidis illabi pectoribus. Certè multos in vestra vetustate viros sanctos habuisse vos scitis, quibus Angelos nunquam apparuisse legistis; cum Danielem omni modo cœlibatu dignissimum ex visione, ni fallor, Gabrielis, per dies plurimos elanguisse, & ægrotasse legatis. Asinam verò, Angelo sibi conspicabiliter apparente, ne ad modicum quidem claudicasse noueritis. An dignior asina, quàm Propheta: An brutum animal sanctius illis sanctis, qui nil tale vidêre, hominibus: taceo quia locuta est, quod natura non est, illud dicam quod omni irrationali creaturæ res intellectuales, & Angelicas agnoscere multo magis natura non est.

Desistite pertinaces: verbositas vestra vacet; quia ratio tota iacet: qui furtis aut fœnoribus corda conuoluitis, causas Dei sacramentorum, & sacramenta causarum quomodo peruidetis? An tantillum illud humani seminis, Dei omnipotentiæ, aut voluntati præponderat, vt nisi illud præeat, nihil Deus efficere queat; ac si auctor naturæ, naturæ adminiculis egeat: Frustra in obstinatiam vestram nitor, quia nisi hunc credideritis, quem credimus Christum, tractatum contra nos nunquam omittere poteritis istum: nec de matre bene sentietis, qui filium exhorretis. Veruntamen quod vobis non proderit, fidelibus scisse non oberit. Iam ergò ad alia transeamus.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

QVid de Domini Iesu Christi diutina inter homines conuersatione loquimini, qui Deum ipsum vestrum quadraginta vobiscum annis habitasse fatemini? In Dauid plane legitur. *Quadraginta annis proximus fui generationi illi.* Et in libro Regum: *Ambulabam*, inquit, *in tabernaculo, & in tentorio per cuncta loca, quæ transiui, cum omnibus filiis Israël.* In Deuteronomio quoque: *Habebis*, inquit, *locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo: Cúmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo fossa operies, quo releuatus es, Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te: vt sint castra tua munda, & nihil in eis appareat fœditatis.* Qui ergò tamdiu Deum inter vos habitasse iactatis, vt castra vestra regeret, vsque de terra in terram duceret, absurdum vobis vnde videbitur Deum Dei filium, vt gentes Dei notitiæ repararet, & vos ad spiritualiora vocaret, humanitatis, & contubernij communis pertulisse fastidium?

De humana in terris Christi conuersatione.

Psal. 9. 10.

2. Reg. 7. 6.

Deut. 23. 12.

Quod si sordem cohabitationis obiicitis, quia quondam palos in balteis ferebatis, & egesta humo fossa tegebatis, vt castra nitida Deo ambulanti pararetis, certè paruuli vestri, & coniuges à palorum circumlatione vacabant, nec minùs tamen aluos vrinis stercoribusque leuabant. Deus itáque, qui

subitis circumquaque mouebatur occursibus, aut minimè ista videbat, aut spurcitias marium ægrè ferebat, fœmineis ac infantilibus nullatenus grauabatur. Quid quòd pecculia inibi, ac armenta manebant. Quare non bonorum parentum vestrorum vigil solertia, post vestigia gregum cadentes è podicibus caprarum, & ouium pilulas colligebat, & spuria, vt ita dicam, vitulamina sepulchro condebat, ne dum Deus oberrans iret, fimo vaccæ pluris pretij calceos macularet. Profectò & in crepitaculis incontinentias scimus infantum, & matres, aut assseculæ huiusmodi eluebant illuuies. Quis dicere poterit quotiens ostio, vbi hæc fierent, Deus minimè feriatus astitit. Illæ etiam lues, quæ in penetralibus cubiculorum agi solent, nunquid fieri Deo circumeunte destiterant. Miserrimi hominum, qui Deum, qui spiritus est, hos corporum æstimatis haurire putores! Mirumne fuit si Filius Dei corporatus ista sustinuit, quæ vos incorporeum Deum nequaquàm per quadraginta annos apud vos tolerasse negotia? Nihil sanè Deus homo grauius tulit, quàm Deus vester vestra tunc murmuratione sustinuit. Ipse reuera vos vti aquila pullos suos portauit in humeris, quos victualia è cœlestibus missa, miraculaque frequentia, & Dei legationes assiduæ, & futurorum denuntiationes bonorum à querela cohibere non poterant. Faciliùs scimus Deo nostro suam portasse carnem, imò potiùs crucem, quàm illi vestro vestram inquietudinem. Cum enim occideret vos, quærebatis eum: ore eum diligentes, corde mentiti. Iam ergò aliqua de eius passione attingamus.

De Christi passione.

CAPVT II.

INgloriosus, ait Isaïas, aspectus eius inter viros, & forma eius inter filios hominum. Aspectus & forma, quâ speciosus est præ filiis hominum, adhuc contemnitur à Iudæis, dum opera diuina premuntur, & carnis communio, mortisue proponitur. Iste aspergit multas gentes. Vnde asperget, vel quid? Hyssopo plane illo, qui nascitur in pariete, quo Dauid aspergi se vult, & mũdabitur: quo leprosi aspergebantur in lege. Asperget verò sanguinem; sed suum: multas, inquit, gentes, non omnes: nouit enim Dominus qui sunt eius. *Super ipsum continebunt** gentes *os suum.* Nullus námque eorum licet sanctissimorum, qui ad integrum regunt seipsos, dispensationis eius mysteria temerare ausus est: quibus non est narratum de eo, viderunt. Nos sumus qui videmus, quia in eum credimus, licet aliquotiens ipsius fidei plenam intelligentiam non habeamus, Patrum tamen fidem tenaciter prosequimur, & quasi sine prædicatore complectimur. Et qui non audierant, contemplati sunt: ante oculos enim mentis nostræ credulitatis amore præscriptus est, quem etsi pene nullus annuntiat, pietas tamen affectat, vel hoc totum est: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt:* & vtraque tamen habuerunt, quia in venturum crediderunt. Vnde idem Propheta: *Vtinam dirumperes cœlos & venires.* Cœlos quippe dirumpit, qui in effectum Prophetica de se promissa produxit.

(Isaiæ 52. 14. — Ibid. 15. — Leuit. 14. 7. — Isaiæ 52. 15. — al.* Reges. — Lucæ 10. 24.)

Sequitur vox credentium conquesta de vobis: *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est*: Iis, inquiunt, quæ audiuimus, idest intelleximus, vix credere quidam volunt, & in hominis infirmitate nequaquàm Dei fortitudo cognoscitur. *Et ascendet sicut virgultum*, quia humilis apparuit, sed *coram eo*, quia ipse est in quo patri complacuit. Ascendit etiam quasi *radix de terra sitienti*, quia se passus est tardè cognosci. Ipse planè viuum granum solum pene mansit. Mortuum, multum fructum attulit. Vel ascendit tanquam radix de terra arida, quia ipse sibi origo in MARIA, cui nulla se infudit humani seminis vnda.

(Isaiæ 53. 1. — Ibid. 2. — Ioan. 12. 24.)

Non est species ei neque decor: vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum. In ijs verbis, vbi non personæ eius, sed humanarum in persona passionum despicabilitas sic notatur: illud quæstioni patet, quòd, quem dicit desideratum, post pauca refert nec reputatum. Desiderabatur, vt puto, cum ei dicebatur: *Quousque animam nostram tollis: si tu es Christus dic nobis palam.* Non reputabatur cum vorator & bibitor, dæmoniacusque vocaretur, aut in cruce rideretur. *Putauimus*, inquit, *eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*, & Iudæorum voce à Deo non esse, & peccator esse, quia sabbatum non custodierat, clamabatur: & pro arrogantia, quia Dei Filium se dixerat, percussus, *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Disciplina pacis nostræ super eum*: Ipse enim docuit & fecit modum reconciliationis ad Deum. *Et liuore eius sanati sumus.*

(Isaiæ 53. 2. — Ioan. 10. 24. — Isaiæ 53. 4. — Ibid. 5. — Ibid. 4. — Ibid. 5.)

Quid prosequor de alienis mea verbis interficiens: Cui adscribis Iudæe, quæ prætuli,

& quæ subsequuntur? quis est ille, in quo posuit Deus iniquitatem omnium nostrum, *Qui oblatus est, quia voluit, osque suum non aperuit, quasi ouis ad occisionem ductus, qui vt agnus coram tondente obmutuit*, qui *de angustia & de iudicio sublatus*, tantam habet generationem quæ enarrari non possit: Ipse secundùm opinionem vestram *abscisus de terra viuentium*, *dabit* tamen *impios pro sepultura*, vt eos in baptismo sibi consepeliendo ab impietate distrahat; *& diuitem*, scilicet diabolum, pretio suæ mortis occidat. Quis est, precor, vt plurima eorum quæ sequuntur omittam, *Qui cum sceleratis reputatus est*, qui peccatum multorum tulit, qui pro transgressoribus orauit, vt non perirent: Nunquid Messias ille, quem vos præstolamini feliciter regnaturum, à vobis hic significatus putabitur? Non hoc ei attribuitis, vt credatis purum hominem dolores vestros, & peccata laturum, non minus voluntariè, quàm simpliciter moriturum, cum sceleratis deputandum, pro transgressoribus, ne pereant, oraturum.

Ibid. 7. *Ibid. 8.* *Ibid. 9.* *Ibid. 12.*

Et cum secundùm vos non hoc ei pertineat, tanta quæ in vno eo conuenêre, miseria pariter ac potestas, in quam videbitur concessisse personam? Qui enim tantus est, vt Deo transponente, omnium peccata supportet: vt puto, non homo, sed Deus est. Si enim coram Deo non est, nec infans vnius diei, si sit vita eius super terram, mundus; præsertim cum sit de immundo conceptus semine: Cum dicat Dauid, quem Deus inuenerat secundùm cor suum: *Si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit Domine?* Et Isaïas: *Omnes iustitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ in conspectu tuo.* Et ipse Moyses, qui aliorum deprecabatur exitia, nec aliis impetrauit, & culpa exigente, terra promissionis caruit. Si, inquam, omnes propriis sunt præpediti reatibus, quis est qui idoneus omnium peccati portare sit pondus? Si enim verum est quia væ laudabili vitæ hominum, si remota pietate, iudicetur: In conspectu enim Dei omnis viuens non iustificatur; quomodo de paucorum, non dicam vniuersorum malis penes Deum acturus est, qui sibi soli insufficiendus est? Si autem de peccatorum quantitate agitur, solerter astruimus nullum paruum dici posse peccatum, quod ad Dei dignoscitur fieri contemptum. Qua igitur satisfactione quis luat, nisi eum quem offenderit pium apud se interpretem habeat?

Simplex homo pro peccatis satisfacere nequibat. *Psal. 129. 3.* *Isaie. 64. 6.* *Psal. 142. 2.*

Iustum itaque erat, vt is pro hominibus ageret, qui, secundùm quod homo, mori pro homine poterat; peccati tamen exors, hominum peccata portaret; & secundùm quod Deus erat, Deo & sibi, quia vnum sunt, eundem reconciliaret. Vide ergò quorsum, Iudæe nequam, Propheta tuus intendat, vbi nec etiam propheticis ambagibus euagatur, sed veluti historialiter narrat: & si præteritum quempiam cui congruat nescis, & futurum ignoras, eum cui innitimur tene, in quo quod prælibatum est luce euidentius completum constat. Discute Euangelia; discute quod credimus, Prophetæ nobis sensum aperuit factis Christus.

Vtrum Christus mori potuit, an non.

CAPVT III.

Qvod si quia eum dici Deum audis, ideò de morte causaris, mori enim Deo non conuenit, scire debes quia Deus, qui hominem suscepit, Deum nequaquam humanitati confudit, nec hominem Deo miscuit, sed in se stabiliter vtraque consistente natura, vna ex duabus, & in duabus substantiis extitit ipse persona. Qua ergò parte hominem, ea meritò se præbuit ipse mortalem, vt quia mors ex peccato obuenerat, ipse peccati expers, cum sponte se morti addiceret, (quam tamen, quia non peccauerat, indebitè ferret) omnes obnoxios illi miseræ conditioni absolueret. Natura námque nulla alia præter eam, quæ peccauerat, pro eadem satisfacere poterat. Congruum tamen non esset, vt quod humanitas commisisset, de Angelico quispiam ordine expiaret. Iustè itaque homo, qui omnium causas apud Deum insumeret, sed sine culpæ vllius macula fuit. Nam quia nil debuit, & à diabolo impetitus coactus est soluere quæ non rapuit, eum qui se impetiuerat, sed iniustè, corripuit, & ab humani generis possessione submouit. Cum ergò se moriens homine, & diabolum * domino exuit; & vnde secundùm tuam opinionem infirmus fuit, superbia hostis sua, vt par erat, humilitate confusa, nobis virtus accreuit.

Christus Deus & homo est sine confusione vtriusque naturæ. *Quare hominem Deum pro omnibus mori necesse erat.* *f. * Dominio.*

Dicis forsitan, qui Deus erat, non potuit, nisi moreretur, id facere? Potuit, inquam, & Deus tuus, cum Abrahæ in conualli apparuit, & ieiunus in cœlum redire. Si dicas mihi causas prandij, multò clariores polliceor me causas dicere posse supplicij. Si diceres mihi Deus vester, qui si vellet, vt dicitur, fabas aurum faceret, cur præceperit, vt super auro, & argento, ac vestibus fraus inferretur Ægyptiis? Et quare agni sanguine vestris illito postibus Angelus vltor percerit primogenitis: ego occasiones tibi luculentissimè differam passionis. Scio autem quia nisi cor fidei admoueris æquanimiter, eius rei quam exosam habeas ratio-

nem suscipere non poteris.

Danielis de Christo Prophetia expenditur. Cap 9.

Et quia Propheticis te oraculis compellare iam cœpimus, & tuorum tibi voluminum innouare memoriam; Argutius enim aliorum carmina discutere solemus, quàm nostra: audi Danielem ipsos euentus, & euentium contempora declarantem. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio; & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & vngatur sanctus Sanctorum.* Intellige Angelum Prophetæ loquentem, ac si diceret: quoniam de populi tui abductione & dispersione conquereris, spatia adhibendi remedij Deum factum propitium contraxisse noueris, vt populus quidem de iustitiis carnis ad spiritualem sese transferat cultum, & vrbs illa iam Christi sanguine sancta, nouis vetustatem mutabit honoribus, vt præuaricatoris Adæ culpa fatiscat, & illud quod antonomasticè peccatum est, idolatria, infidelitasque deficiat. Et quicquid absque æquitate ad proximum geritur, sopiatur, & quiescat, & adducatur non sanctum, vt ait Apostolus, seculare; sed iustitia sempiterna: hanc enim erigendam domum decet sanctitudo in longitudinem dierum, vt visionum, ac Prophetarum effectui mancipata reueletur impletio: & hoc totum fiet quando oleo lætitiæ præ participibus suis sancti Sanctorum celebrabitur vnctio.

Heb. 9. 1.

Dan. 9. 25.

Scito, inquit, & animaduerte. Ab exitu sermonis vsque ad Christum ducem, hebdomades septẽ, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Ab exitu sermonis quo à Dario iussa est restitui ciuitas, & templum, habes numerum annorum vsque ad Christum specialiter ducem. Hebdomades autem non dierum, sed annorum intellige. Qualiter autem septem primæ hebdomades, & residuæ sexaginta duæ vigilanter adeò subdistinctæ sunt intelligendæ, lector apud Hieronymum, quamplurium inibi auctorum compilatione facta, requirat. Vt breuiter verò cognoscat, septuaginta, nisi fallor, hebdomades, quadringentos nonaginta continent annos. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem sanctuarij dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Hac, inquit, exacta annorum serie, ipsæ * vocaturæ, & essentialiter Christus occidetur, & populus qui dicturus est, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*, conclamabit Pilato; *Noli scribere Rex Iudæorum.* Cui contra in Psalmis tituli inscriptionem ne corrumpas. Ex patre diabolo erit, non eius, quapropter? Quia non cognouit tempus visitationis suæ: & vrbem, & sanctuarium dissipabit populus Romanus cum duce Vespasiano, cuius rei finis perennem inibi habitationis Iudaïcæ pariet vastitatem.

Expos. in Daniel. lib. 1. cap. 9.

Ibid. 26.

f. * vacaturæ.

Ioan. 19. 15

Ibid. 21.

Luca 19. 44.

Et post belli finem, fixum faciens quod dixit, ingeminat: Exterminium idem statuta desolatione firmabitur. *Confirmabit autem pactum multis hebdomas vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & in templo erit abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* Quæ est enim hebdomas, quæ confirmat multis pactum, nisi quod aliàs dicitur, *Tempus, & tẽpora & dimidium temporis*; tres videlicet anni, & dimidius prædicationis dominicæ, & tres cum dimidio subsequentes, in quibus potissimùm cuneus Apostolicus, cum omni discipulatu pariter se cum Iudæis exercuit, & multos ab errore diduxit: quorum tamen omnium doctrina IESV Domini seminarium fuit. In cuius dimidio hebdomadis sacrificium defecit & hostia, quia corpore, quod est Christus, exhibito, vitulorum, & taurorum iam nihil profuit vmbra. In templo fuit abominatio desolationis, quia vbi Deus non est, neque vllum bonum est omen, neque habitari dici potest, vbi nullus est. Quia enim diabolus non verè est, vbi vera essentia non est, misera solitudo est: *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Etenim vmbra quomodo esse poterat absque corpore? Ergò nil inibi non superuacuum erat.

Dan. 9. 26. Ibid. 7.

Apoc. 12. 14.

Matt. 23. 38.

Luca 13. 35.

Et vt certo certius teneremus quod mille & amplius annis iam perstitisse videmus, tertiò sententiam desolationis inculcat. *Perseuerabit*, inquit, *desolatio*, dum & consummatio & finis videlicet sæculorum deueniat. Dicite profanum & pertinax vulgus, cuinam ista iudicabitis pertinere? Forsitan ad Hircanum, quem extremum cum * Pontifico Regem habueritis. Sed quid ista ad illum? nunquid populus, qui eius erat, negauit? nunquid non parchi eius desecuerant, non ferro, sed dentibus aures, vt sacerdotio damnaretur? Neque enim à populo aut vita, aut regno priuatus est. Velim planè à vobis nosse, quæ sit post abbreuiationem septuaginta hebdomadum cõsummatio præuaricationis, & peccati, vnde tunc finis, quæ iniquitatis delectio, quis tunc adduxerit iustitiam sempiternam. Conferte mendaces, & certè nequaquam reperire poteritis, quòd aliquid horum illi vllo modo tempori valeat conuenire. Imò sub nouis Regibus bellorum ac cædium plurima, secundùm historias, excrementa sæuisse.

Dan. 9. 27.

f. * Pontifice, vel pontificio.

De visione, & Propheta quid sentiant miror, quia nihil noui secundùm quod opinan-

tur, illis diebus acciderit. Et cum annorum adeò euidenter præfixus sit terminus, vt temporum notitia vacillare non possit, & ipsi non aliquid Propheticum, visioníue conueniens, eo loci tunc euenisse testentur: quæ erit illius, quæso, sancti Sanctorum vnctio? Si Sanctus Sanctorum est, Sanctorum omnium præcipuus est: quem vos hunc sentiatis ignoro. Hoc tamen scio, quia si sic eminens est, non alius quàm Christus est. Quod si Christus est, & is occisus talis temporis diffinitione probatur, cui auersio populi atque negatio, ciuitatis denique ac sanctuarij dissipatio ad integrum congruit cum duce præfato. Pacti quóque, quod non est aliud quàm promissio, regni cœlestis confirmatio. *Agite*, ait, *pœnitentiam*, * *appropinquabit enim regnum cœlorum. Et in dimidio hebdomadis*, cum Christus se patri obtulit, hostiæ sacrificijque defectio, ad vltimum loci ab habitatoribus tripliciter repetita damnatio. Quid dicetis, qui neminem cui conueniat nisi hunc inferre potestis. Aut ergò vestras mihi scripturas exponite, vt à prætaxata serie explanatio vestra non discrepet, aut intellectui Christiano acquiescite, à quo Prophetica intentio non abhorret.

Matt. 3. 2.

al.* appropinquat.

Si tibi minus perspicua hæc sunt, accipe euidentius quiddam. *Aspiciebam*, ait idem, *in visu noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei.* Antiquum dierum haud dubium quin ipsum Deum intelligatis; sed quis est filius hominis, qui peruenit ad illum? Nunquid comparabitur homo Factori suo? Potestas enim, honor & regnum in æternitate illa nemini datur, nisi ei, qui Deus habeatur: Populi, tribus, & linguæ ibi nulli seruiunt, nisi quem transcendere totius iura humanitatis sciunt: ideo hunc in conspectu Dei offerunt, quia eum quique fideles solum Patri conspicabilem, Patri specialiter placitum credunt. *Nemo enim nouit Filiū nisi Pater, neque Patrem quis nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare?* Ipse etiam subiungit ibidem: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; Et, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Sic peruenit ad antiquum dierum, quia qui in sole posuerat tabernaculum, qui tanquam sponsus de thalamo suo egressus fuerat, qui plusquam homo, ideo gigas, ad currendam exultauerat viam, cuius egressus à summo cœlo extitit, occursus quoque ad summum eius, ad Patrem videlicet fuit.

Dan. 7. 13.

Item prosequitur Prohctiæ explanationem.

Matt. 11. 27.

Psal. 18. 5.

Is per visum noctis quasi filius hominis veniebat in nubibus. Quia obscurè omninò venturus prædicabatur in Propheticis locutionibus quasi homo purus; vel quasi filius hominis, hoc est reuera filius hominis: quod non est aliud quàm Virginis. Vt est illud: *Quasi vnigeniti à Patre.* Sequitur: *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.* Si filius hominis est, & potestas eius potestas æterna, immobilis, incorruptibilisque est, ergò Deus & homo est. Ipse est homo sine adiutorio inter mortuos liber.

Dan. 7. 13.

Ioan. 1. 14.

Dan. 7. 14.

Psal. 87. 6.

Quis est etiam apud hunc ipsum Prophetam lapis ille abscisus de monte sine manibus, qui terræ omnia regna comminuit? nonne in sequentibus cum explanaret, adiungit? *Suscitabit Deus cœli regnum quod in æternū non dissipabitur: & regnum eius populo alteri non tradetur. Comminuet & confringet vniuersa hæc regna, & ipsum stabit in æternum.* Si omnes homines mortales non negas, & omnia quæ corpus habent transitoria credis, quæ erit vlli regni æternitas? Illumne lapidem stolidum aliquid putas? Quod si mons magnus factus est, adeò vt impleret vniuersam terram, vbi ergò commanebunt homines? vides te reiici ab historia, & typum apertissimè parturiri. Accipe itaque quia aliàs non poteris Christi nomen, quia ipsum est, quod penitus obliterari non valebit per externam religionem. Ipse sine manibus abscisus, nullis venereis operibus procreatus. Regna comminuit, quoniam ipse est qui in omnibus gentibus hæreditauit. Regnum non dissipatur, nec alteri populo traditur, quia iustitia, quæ per Sanctum Sanctorum infertur, sempiternitate firmatur. Nec aliena scilicet hæreseos alicuius traditione corrumpitur, quod alteri populo traderetur, qui superueniente perfidia mutaretur. *Domum enim Domini decet sanctitudo in longitudinem dierum.*

Dan. 2. 34.

Ibid. 44.

Psal. 92. 5.

Videtis, ô ingenia omni tortiora falce, his paucis testimoniis euidentiam fidei Christianæ, quæ non ideo sunt pauca, vt in vestris voluminibus habeantur rara, sed tam multiplicia, vt iis retexendis sufficiat nullius scientia, omnium retundantur eloquia. Si illum qui bonos in terram rectam deducit spiritum haberetis, certè ea, quæ idem per suos Prophetas locutus est, eiusdem condimento indubiè saperetis. At quia nil planè aliud quàm furta, & fœnora cogitatis, nihil planè ad piam subtilitatem pertinens affectatis. Si verum est, quia *Quod voluit Dominus fecit in cœlo & in terra*, & cæteris: qui Deus probabiliter existens hominem assumpsit, quid scrupuli habet, quæso, & quod hominem non absque salubri misterio humiliari siuerit, quóque voluerit postmodum prouexerit?

Psal. 134. 6.

Exponite quod contemporaneis suis Iesvs Domi-

Dominus ipse proposuit. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis:* & cætera psalmi, quæ valde vestro sunt errori contraria. Perspicacitas etiam vestra aut dicat, aut discat quid sibi velit Dauidicum illud: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et si enim Dauid, quomodo Filius Dei? *Ego hodie genui te*, quem sensum à vobis habeat, rogo. Gentes quoque an à patre, vtrum à matre hæreditas eius erant, & possessio termini terræ multa à vobis mente disquiro. Licet contigua planè sibi loca Palestinorum, aut Ammonitarum tributaria fecerit, abhorret tamen à vero, quòd hæreditari Gentes & possessiuè non tributariè terminos terræ tenuerit. Illud quoque: *Eripies me*, ait, *de contradictionibus populi, constitues me in caput Gentium. Populus quem non cognoui seruiuit mihi*, & reliqua vsque *viuit Dominus*. Certè etsi contradictiones habuit, non populi sed filij Absalon res nouas molientis. Sed esto vbi constitutus est in caput Gentium? Non dicam sanè Gentium, sed nec vnius gentis. An dicetis quod cùm ad Abhimelec Philistinorum Regem Saulis timidus concessisset, sit caput gentium institutus? Sed nec eorum decimæ partis. Quis fuit populus quem non cognouit? Certè Philisteos, & omnia eorum ipse cognouerat. Et vnde tanta eorum obedientia commendatur, vt in auditu auris obtemperasse dicantur? nonne Abhimelec contra Israëlem pugnaturo dixerunt satrapæ eius ad ipsum: Non egredietur Dauid nobiscum, non enim melius placare *poterit Dominum suum, quàm in capitibus nostris?* Non sunt hæc verba membrorum de capite. *Filij alieni mentiti sunt mihi.* Nunquid filij alieni secundò replicantur, inueterati & claudicantes appellantur, quia os suum, & caro sua mortuo Absalon ab ipso vocantur?

(Psal. 2. 7. — Ibid. 8. — Psal. 17. 44. — 1. Reg. 29. 4. — Psal. 17. 46.)

Deficite quæso, quia ratio vobis deficit. Quis ergo caput Gentium: Christus profectò. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium. Ipse est qui stat in signum populorum, quem gentes deprecabuntur.* Lege Isaïam, recole Psalmos, quid aliud quàm vocationem Gentium sonant. In nomine Christi gentes speraturas. Dicendum in nationibus quia Dominus regnauit: A solis ortu vsque ad occasum nomen Domini futurum laudabile, ipsumque super gentes excelsum. Et deficientibus iam in templo vestro sacerdote, & hostia, Malachias infert. *Ab ortu solis vsque occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus.* Vos autem cum à nobis interrogamini quare templo, Pontificio, & ara careatis: illico de terra in qua habitatis immunda causamini, sed prædictus in hoc Propheta non fauet vobis.

(Gen. 49. 10. — Isaia. 11. 10 — Psal. 112. 3. — Malac. 1. 1.)

Quid præterea Balaam ille ariolus: *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & confringet omnes Duces Moab: vastabitque omnes filios Eth: & erit Idumea possessio eius. Hereditas Seir cedet inimicis suis. Israël verò fortiter aget.* Quæ est stella? Maria, à vero sole illuminata, & de qua exorta est in tenebris lumen rectis corde, miserator, & misericors, & iustus. Exinde virga consurgit, totius videlicet rectitudinis singularitas ipse Christus emergit. Vide in his exemplis quæ de tuis assumpta est libris, quàm purè sine vlla patris aut seminis memoria enuntietur origo. Audi stellam quæ sine sui detrimento lumen illud emiserit. At quia lumen oculis non videbatur infirmis, partus stellæ mutatur in virgam, quæ deuios dirigat, superbos deprimat, imbecillibus sustentaculum fiat. Hæc confringit à rigore nequissimo duces Moab, gentilium vtique qui sine lege sunt, patremque habent diabolum. Moab namque ex patre vel exlex dicitur. Eth autem interpretatur stupens. Qui sunt stupentes nisi Iudæi qui nescierunt, neque intellexerunt, & in tenebris ambulant? Hi sunt filij, sed mentiti, sed alienati. Hos virga vastat, quia legis scientiam, quam falsò Iudæa vsurpat, gentili Christus populo veraciter dat. *Calix enim in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc* in hunc populum. *Verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Idumæa eius possessio est, quia tantò castigatius quæque mens ad Deum conuertitur, quantò terrenior est. Sicut mons Syon, ita & latera Aquilonis ciuitas Regis magni: vbi enim abundat peccatum superabundat gratia. Seyr pilosus dicitur: pili superfluunt corpori, significantque substantiam sæculi. Quæ est hæreditas Seyr, nisi lex, aut ipsum regnum Iudæorum, quæ iam possidet plebs Christianorum: sed hic sensus apud vos quomodo se capit ad litteram? nil enim in Pentateuco significatiuum accipietis. In terris sanè illis Assyriorum, Parthorum, Arabum, Francorumque nuperrimè alternante victoria, gentium istarum ne ipsa quidem nomina resedêre. Messias ergò vester quid faciet? sequitur

(Num. 24. 17. — Psal. 74. 8.)

Israël verò fortiter aget. Israël dicitur

(Num. 24. 18.)

directus cum Deo. Et quis cum Deo dirigitur, nisi qui fidei regulam sequitur? Is fortiter agit, qui fidem Christianam etiam inter atrocia tormenta defendit. *De Iacob erit qui dominetur & perdat reliquias ciuitatis.* Quod est dicere: Licet inter Gentes Martyrum fortitudo laudetur, de Iacob tamen, id est de Iudæis, qui Esaü, id est gentes, se per acceptionem legis supplantasse gaudebant, Christus Dominus oritur. Vnde superius stella ex Iacob, virga de Israël est. Maria enim de Iudæis quidem ducit originem, sed gentium populus cum Christo specialiter directus, Christi præcipuè ostendit fortitudinem. Perdit autem reliquias ciuitatis, quia licet homo ex fœmina oriundus, ex virtute tamen deïtatis quos à Dei ciuitate iudicabit extorres, perpetuis poterit punire suppliciis.

Ibid. 19.

Quod totum est dicere. Ille, qui Iudaïci induet generis vilitatem, tantam habebit Domini, quod ad impios pertinet, quantitatem (paternitas enim ad pios) vt quos suæ viderit vrbanitatis indignos, eos in ignes potens sit perdere sempiternos. *Pater enim non iudicat quemquam, sed iudicium omne dedit filio.* Est autem *Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas.* Miror quas hîc vestras beatitudines intelligatis ad litteram. Quod si ita fallimini, attendite quæ post pauca sequuntur. *Assumpta iterum* Balaam *parabola* ait: *Heu! quis victurus est, quando ista faciet Deus?* vbi præmisit *heu*, spondit vtique se dolenda dicturum. *Venient*, inquit, *in trieribus de Italia: superabunt Assyrios: vastabuntque Hebræos.* Hanc quam iste præconatus est vobis vastitatem, annorum iam mille continuatione probastis.

Ioan. 5. 22. Psal. 121. 3. Num. 24. 23. Ibid. 24.

CAPVT IV.

De Christi Resurrectione.

HAbentes igitur rationes ac exempla de humanitatis assumptione in Deo, de passione, Resurrectione, & Ascensione, tanta profectò vt eorum copia inopiam dicendi pariat: quorum multiplicitatem, & minus eruditi ad manum habent: & Ecclesia, cantitat ea sola protulisse collibuit, quæ Deum in homine demonstrarent. Quòd si Deus æternus aperta scripturarum vestrarum astipulatione probatur, quid magnum fecit, si corpus passum vitæ restituit, cum & Helisei cadauer id egerit? Audis Dauid cum de pressurarum nimietate quereretur, quæ solent apud homines prouocare vigilias. *Dormiui*, ait, *& soporatus sum, & exsurrexi.* Fossas alibi manus & pedes asserens

Psal. 3. 6. Ibid. 21. 17.

apud Osee, mortem se mortis, Deo exhibente, futurum. Rursusque in Psalmo: ascendisse in iubilatione Deus, & in voce tubæ. Aliásque, ascendisse in altum, & captiuam duxisse captiuitatem, ac hominibus dona dedisse dicitur. Cum certò iuxta Apostolum constet, neminem ascendere nisi quem descendisse constiterit.

Osee 13. 14. Psal. 46. 6. Eph. 4. 8.

Cum vbique scripturarum tuarum testimonia huiusmodi in modum scintillarum emicent: illud summopere claret, quòd Gentium vocatio libris passim celebrata Propheticis, indubiè completa videtur. In omnem terram iam exiuit sonus prædicatorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In quo nobis obiicere nemo potest quarumdam gentium Apostasiam, sicut nec Isaïæ qui Iudæos, Gentem peccatricem; semen nequam, filios sceleratos vocauerat. Postmodum ait: *Audi Israël serue meus, & rectissime quem elegi.* Si enim semen nequam: gensque peccatrix, quomodo rectissimus quem elegerat? Sed totum pro parte, partemque pro toto in scripturis vestris ac nostris, solere accipi non dubium vobis est: vt est illud: *Ad te omnis caro veniet*; quod non aliter intelligimus, quàm si diceret: Ad te de omni carne veniet. Illi enim de morte surrecturo dicitur: *Surge Deus iudica terram; quoniam tu hæreditabis*, non omnes gentes, *sed in omnibus gentibus.* Et cum Helias quereretur solum se relictum, audit de septem millibus, qui non curuauerant genua Baal. Si enim populus Dei quondam dicebamini, licet maxima vestrum pars aberraret, non tamen bonæ partis intuitu quod vocabimini, perdebatis. Itaque etsi mundi plurimum retro abiit, in hoc tamen Christi potentiam ex sua retrogradatione non minuit.

Ibid. 9. De vocatione Gentium. Psal. 18. 4. Isaiæ 1. 4. Ibid. 44. 1. Psal. 64. 2. Psal. 81. 8. 3. Reg. 19. 10. Ibid. 18.

CAPVT V.

Iudæos alloquitur.

IGitur quoniam aliqua in vos auctoritatibus & ratiocinatione contulimus, iam vos pauculis rogationibus compellabo.

Legem illam adeò carnaliter qua intentione tenetis? Scio vos dicturos: & quomodo legem à Deo de cœlis præbitam, imò ipsius digito exaratam, vocum terroribus, lampadum fulgoribus & montis exhalationibus promulgatam, nulli genti à sæculo datam mutare poterimus? Et si leges hominum constant, quis Dei præcepta destituet.

Ad hæc inferam; quicquid horroris, quicquid magnificentiæ extrinsecus legis dandæ constat adhibitum, non magni penditur: hæc enim in minoribus sæpe negotiis

Respondet Iudæis, probatque Deū legem abrogasse,

authoritatibus scripturæ. expenduntur. Planè Samuël cum causaretur Iudæos regium fastigium affectantes. *Nonne*, inquit, *Messis tritici est hodie? Inuocabo Dominum & dabit voces & pluuias: & scietis quia grande malum feceritis.* Certè & Ozias Rex sacerdotalis æmulus infulæ, cum sancta ingredi vsurpasset, motibus terræ ingentibus factis, quorum Amos meminit, terræ quoque hiatus præruptissimi patuerunt. Nihil sanè ibi accidit quod non vspiam faciliùs accidisset. Si Moyses quadraginta distulit diebus inediam, & itidem leuiori ex causa fecisse scimus Heliam. Si cum Domino Moyses loquebatur facie ad faciem, & Isaïas profitetur Dominum Sabaoth suis se vidisse oculis, quem viderat solium excelsum sedentem: idipsum & alij ex Prophetis quidam. Quid quod etiam Balaam ariolo & apparuisse, & sæpiùs occurrisse Deus dicitur? Tonitrua, huiusmodique clangores ex aërum importunitate contingunt. Cum etiam per Prouincias aliàs hyeme, aliàs æstate proueniant. Sin aliter, monstrum exhibeant.

1. Reg. 12. 17.

Id igitur solum in causa versetur, quia Deus ea mandata præbuerit. Quæ si ideo immutabilia iudicentur, videamus ab ipsis sæculorum primordiis quæ instituerit, quæ quoque instituta locis, temporibus, personisque mutauerit. Certè in primorum hominum illorum creatione, cum prælatos eos terrenis, aquatilibusque scriptura dixisset, Deum pariter dixisse subnexuit: *Ecce dedi omnem herbam afferentem fructum super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.* At cataclismi exacta pluuiâ, cum Noë & filiis eius secundò eiusdem prælationis verba fudisset, addidit: *Omnes pisces manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Habes Deum mutasse sententiam, vt de graminibus ad carnium edulia nos laxaret. Denique sub Moyse cum de esuum discretione tractaret, quasi oblito quod annuerat istis, omne scilicet quod mouetur, & viuit, in munera comedi vetuit.

Gen. 1. 29.

Ibid. 9. 2.
Ibid. 3.

Adam quóque vxore sibi exhibita: *Relinquet*, inquit, *homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ:* Non dixit homo Deo tunc & sapientia plenus adhærebit vxoribus, sed vxori; cum in sequentibus ob plura connubia diluuium inundasse legamus; & tamen Abraham ex latere Saræ Agar, Deo etiam aliquotiens eam procurante, habuisse. Iacob quoque, & Moysen, multosque sub lege probatissimos, numerum coniugum sine legis contradictione cognouimus. Adæ autem dicta indubiè pro Dei verbis ponimus: quem paradisicolâm Dei fuisse tunc intimum scimus. IESVS etiam Dominus hæc Deo verba ascribit.

Ibid. 2. 24.

Mulieri dixerat Deus quæ virum inobedire suaserat: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ipse idem Abrahæ loquitur: *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Ecce quantum, quamque spectabilem mulieri addixerit, quem per se docere potuerat.

Gen. 3. 16.
Ibid. 21. 12.

Caïn & Seth filij Adæ, vnde coniugia sibi contraxerint nosti: ex sua germanitate profectò. Poterat verò eis Deus aliunde creare vxores: at ipse fecit, vt sic necessariò fieret. Quod etiam de amitis, materteris penitus idem est. Et hæc siquidem omnia Dei, qui ea primo sic fecerat iussu, & edicto Moysaïco asperrimè postmodum vetita sunt. Quid quòd vnam illam quam viro costam detraxerat, inque mulierem ædificauerat, in tot diuidi breui post ipse permisit, vt iam non duo sed plures admodum fierent in carne vna? Agar ancillam à domina Sara pulsam Angelus reperit: redire ac humiliari sub hera suasit. Denique Isaac iamdudum nato, & grandiusculo Ismahele, cum Sara lusus eorum ægrè tulisset; inuito Abraham, iubetur muliercula cum prole repelli. Cui controuersiæ vox diuina, quæ superiùs eam dominæ reconciliari præceperat, intulit, & quasi pristini oblita consilij, postposito Abraham, Saræ mandat in omnibus obediri.

Præcepit præterea Deus ne sculptile, ne conflatile, ne qua similitudo, ne quod signum in terra vestra erigeretur: & tamen in tabernaculo Cherubin, Domino iubente, sunt sculpta. Quid dicam de æneo serpente ignitis obiecto serpentibus; ad quem toto exercitui eminentem, qui percussus respiceret, saluaretur? Num signum, num similitudo fuit? Et certè, libro Regum teste, vsque ad Ezechiæ tempora eum coluêre thura cremando Iudæi: & planè non nesciebat Deus illius institutor ostenti, istud eorum ad idola procliuium magno valiturum errori. Hoc inquam contra sua, si dicere audeam, scita iussit Deus.

Tabernaculum verò ipsum, quod ab imis ad suprema proprio Deus orditus est ore, Salomon noua ædificatione destituit, in tantum vt sacrilegio, imo idolatriæ duceretur, si quis post templi dedicationem ea loca cultu aliquo respectasset. Vnde & in calumniam illud crebrò dicitur: *Adhuc populus immolabat in excelsis.* Cui tamen templo, & ante, & post ædificationem fauor diuinus haud defuit.

4. Reg. 14. 4. Et passim.

Aurum, argentum, vasa, & vestes Ægyptiorum mutuò Deus ab eis accipere vos iuss-

Exod. 12. 35 & 36.

ferat, quæ humanè vobis præstita, inhumanè, vt videtur, satis, Deo tamen permittente, tulistis. Vnde dicitur, quia dedit vobis gratiam coram Ægyptiis Deus. Postmodum cum ipse legis illius censuras ediceret, furtum, fraudem, concupiscentiamque prohibuit.

CAPVT VI.

Etsi immutabilis Deus, verum vt mutabilitati hominum se aptet sententias mutare videtur. Quod & rationibus confirmatur.

HAbetis vt æstimo pleráque diuinarum sententiarum mutationis exempla, in quibus coniicere potestis Deum etsi immutabilem, mutabilitati hominum, pro ipsorum erudiendis nouitatibus, mutabiles dedisse sententias. Sicut enim videtis puerulos aliis in infantia rudimentis: aliis cum adoleuerint documentis imbui: at postquam permaturuerint modo eos seueriore disponi: cum senibus verò profundissima quæque tractari: ita intelligite Deum, cum huius sæculi processibus operatum. Nam veluti paruulum assiduis gerulorum, ac nutricum confabulationibus, ad rudimenta loquelæ conuenit informari: & succrescentem acriori iam pedagio à licentia infantiæ cohiberi, à puerilibus etiam æuo pubescente omnino restringi: iuuentam verò ad integrum eruditam sua sponte propria grauitate, remotâ ferulâ, ex virtutis amore iam regi. Ita recens Deus sæculum primò suis, & Angelorum vocibus assueuit, & quasi suorum formâ sermonum balbutientia mundi labra correxit. Vt quod optimis modò non fit, tunc etiam improbissimis, & ipsis quoque animalibus præstaretur. Paulò euectum, vti Noë, Abrahæue temporibus, paucis licet in rebus castigare, & signis sibi denotare inciperet. Sub Moyse verò quasi adolescentem à pristinis vilitatibus aliquantulum subleuare, & aliqua de viro sentire compelleret.

Ætas perfecta incepit à Christo.

Porrò sub Redemptoris gratia quasi ponderosiori iam animo, & intelligentiarum capaci totius suæ diuinitatis, ac si interni sui consilij prærupta detegeret: iis enim qui solo dominis famulantur amore, eorum faciliùs solent enuntiare secreta: *Iam non dicam*, inquit, *vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo nota feci vobis.* (Ioan. 15. 14.) In lege vestra quæ vobis Deus præmia pollicetur? Possessiones, ventrium plenitudines, vxores ac filios, longæuitates, & nulla nisi iis contraria comminatur. De æternis silentium est. Cœli præmia, tartari tormenta tacentur. Sicut sola intentatur virgo iuuenculo libidinibus æstuanti, & ei de honestè sermo fit surdus: ita cruciatibus, aut morte absterrebantur à vitiis, ad bona qualiacunque, non affectu, non monitis sed talium munerum lenocinio trahebantur.

Vetus lex temporalia, Christi vero æterna docet appetere.

Mentior nisi lex ipsa testetur idipsum: *Introduxit*, inquit, *vos Dominus in terram fluentem lac & mel; vt mandata* scilicet *eius obseruetis: & vt lex Domini semper sit in ore vestro.* (Exod. 33. 3.) Psalmus quoque: *Dedit illis*, inquit, *regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes, & legem eius requirant.* (Psal. 104. 44.) Librorum vestrorum quibusque peccantibus comminationes: *Non inferetur*, inquiunt, *corpus tuum in sepulchrum patrum tuorum.* (3. Reg. 13. 22.) Et, *Quia humiliatus est Achab coram me, non inducam mala in diebus eius.* (Ibid. 21. 29.) Multi Philosophorum gentilium, quæ vobis promittebantur duxêre contemptui; & habita, vt Diogenes, abiecerunt. Et cum orbis summa aliquibus incumberet, vt Octauianus Cæsar, paruipenderunt. Quid dicam vobis? An bona lex est, cuius præmia nil stabile pollicentur? Quid victimarum millia ponderatis? Audite Dominum in Isaïa: *Plenus*, inquit, *sum: holocausta arietum, & hircorum nolui.* (Isaiæ 1. 11. Ibid. 15.) Subditque causas: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* (Ibid. 16.) Quid autem velit extemplò prosequitur: *Lauamini; mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè*, & sequentia. *Non in sacrificiis*, ait alter, *Arguam te, quia holocausta tua meo subiacent arbitrio.* (Psal. 49. 8.) *Non accipiam de domo tua vitulos.* (Ibid. 9.) *Nunquid manducabo carnes taurorum? Sed immola Deo sacrificium laudis, redde altissimo vota super sacrificiis.* (Ibid. 13. Ibid. 14.) Idem vtique ait, *holocaustis non delectaberis. Sacrificium autem Deo Spiritus contribulatus.*

Super circumcisione tua etiam pone nugas. (Ibid. 50. 18.) Nonne lex, nonne Prophetæ pariter tibi cantant, vt auferas præputium cordis tui? (Ibid. 19.) Quod si cordis & sensuum tibi circumcisionem inclamitant, illam quæ pellium est figuram solummodò interioris notant.

Quid de ieiuniis agis, in quibus litigia, cædesque videntur? Quo contra Propheta: *Solue*, ait, *colligationes impietatis fasciculos deprimentes*, & cætera, quæ ibi Deus appretiari ieiunando dignoscitur. (Isaiæ 58. 6.)

In diligentiis Sabbathorum multa vobis solertia. Sed Deum forsitan creditis vestro otio, spectaculisque gaudere. Nec longe est super hoc idem Propheta quid sentiat: *Si auerteris à Sabbatho pedem tuum non facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & glorificaueris, dum non facis vias tuas.* (Ibid. 13.)

Pedem auertere à ſabbato fortaſſis æſtimas continentias ab itinere faciendo. Quid ſuper voluntate reſtringenda tractabis? Quòd ſi ad actionarias te conuerteris voluntates; audi ſequentia: *Et non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem.* Nulla lex imminet ſabbatis à colloquio feriari: in quo ad id iam neceſſitate compellimur, vt delicatum in eo ſolo ſabbatum computemus: ſi à malis ſpiritualiter ſubtilibus, quæ lege non ſunt vetita, linguam ac animum diſpeſcamus.

Ibidem.

Perpende igitur clariſſimos tuæ legis auctores, quantum à tuo diſcrepent intellectu, qui nihil corporeas exercitationes habentes ſolùm medullis ſpiritualibus intenderunt. Sola namque in iis obſeruationibus carnis vexatio eſt; his tamen, qui non aliquid de ſpiritualitate ſenſerunt. Etſi enim in lege tua dicitur; *Qui hæc fecerit* vel illa mandata, *viuet in eis*: Nunquam tamen eſt, quantum ad animam, quiſquam vixiſſe credendus, qui non amore & fide cæremoniis illis inhæſerit: Vnde apud Ezechielem legitur: cum enim improperaret eis præuaricationes ab eis in deſerto factas, idolatriarum incurſus, ſabbatorumque incurias; ad extremum intulit Deus. *Ergò & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent; & pollui in muneribus ſuis, cum offerrent omne quod aperit vuluam propter delicta ſua.* Quare non bona, cum iuxta Apoſtolum noſtrum lex ſit ſancta, & mandatum & iuſtum & bonum? Corticem & oſſa rodentibus non bona; interiora carpentibus vtilis, vtentibuſque medulla. Hi ſunt inimici in Pſalmo, qui terram lingunt. Pollui eos in muneribus, etiam cum legalia ipſa præcepta complerent, offerendo videlicet omne quod aperit vuluam, cum in ipſis eos oſtendi pollutos muneribus, dum nihil offerunt pro internis, ſed pro exterioribus. Vnde eſt; *Oratio eius fiat in peccatum.* Lucrum vtique petat à Deo temporale, non Deum. In ipſis planè mandatis vita eſſet, ſi Deum quis ex toto corde diligeret; vti ſi proximum curaret, ſi furtum & mendacium caueretur, frauſque non fieret. At cum iis poſthabitis inanium illorum rituum ſuperſtitio celebratur, ſine fructu mentium caro vexatur.

Leuit. 18. 5. *Ezec. 20. 25.* *Pſal. 108. 8.*

Quoniam ergò proſequebamini omnes conſpicabile corpus, & nihili pendebatis animam quæ latebat; voluit tandem Deus nobis, imò ſi voluiſſetis vobis, non iam exemplaria verorum, ſed ipſa vera, & ſaluti viciniora producere: ipſe enim per prædictum Prophetam præſtillauerat vobis. *Ecce*, inquit, *dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus nouum: Non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt: ſed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſraël. Poſt dies illos dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebunt vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo vſque ad maximum, quia propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorũ non ero memor amplius.* Vbi nouum fœdus à Deo cum domo Iſraël percuti dicitur, in veteri iam à vobis fœdere noto viuitur: vt enim noſtri Apoſtoli verbis vtar: vbi dixit, *Nouum veterauit prius, quod autem antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt.* Sed quare vetus dicitur, niſi quia caduca, & maturè peritura, viſibilia videlicet, repromittit?

Iere. 31. 31. *Matt. 6. 9.*

Illud autem iure nouum, quia incorruptibilia, & ſolis immortalibus oculis conſpicua, nullis vſibus atterenda, promittit. Nec ſecundum illud eſt, quod cum veſtris in eremo pactum eſt patribus: quia ibi minis & terroribus ad ſingula præcepta; *Ego Dominus*, inclamatur. Hîc verò *Pater noſter* appellandus prædicatur. Hîc Spiritus Sanctus, qui amor eſt, pro magiſtro adhibetur. Hîc non in lapide lex, ſed cordibus, viſceribuſque inſcribitur; quia vt idem aliàs Propheta teſtatur cor iam carneum, ſublato lapideo, ſpiritu nouo imbuitur. Tanta verò per Dei gratiam fidei noſtræ iam eſt euidentia, vt non ſit inſtruendus iam quiſpiam de incarnati Dei Filij notitia. (Iam enim rudes æquè vt docti norunt, quia ipſe eſt, qui ad omnium venit abluenda crimina.) Sed iam paſſim de corrigendis operibus, & moribus ſit doctrina.

Ezec. 36. 26.

CAPVT VII.

Ex vetere item teſtamento oſtendit Chriſti aduentum.

TRanſlato igitur, non obruto, tuis olim dato patribus teſtamento, ad ſanioris obſeruantiæ intellectus, Quid mihi porcum, leporem & oſtream, quibus veſcimur, nequam Iudæe obiicis? Templi tui veſtigia nulla ſuperſunt; Pontificia ſubſedêre, vt idem fere genus conſtet abolitum gentis tuæ, vbique terrarum diſperſiones oberrant. Sanctuario itaque, ſacerdotio, regno, ipſaque penè gente vacantibus, imò deſtructis, quis reſtat legis tenor? Tota enim ferme lex in diligentia templi, ac ſacerdotij pendet. Poſtquam hanc vniuerſæ legis ſummam, non alter quàm Deus ipſe ſubruit, quid de cæterorum præceptorum minutiis dices? Audis noui ſyderis pactionem, cuius ſuperuentu nemo adnihilari dubitat vetuſtatem. Cui ne imputas quod dici-

f. fœderis.

Psal. 109. 4. tur: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech?* Cuius ad Deum loqui in Psalmo personam putas? *Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio?* Si ad Dauid verba hæc referas, cui Deus ideo aures effecerit, idest obedientiam dederit, quia sacrificia neglexerit, æquipollens illi sententiæ erit; *Melior est* scilicet *obedientia quàm victimæ*. Si ad Messiam, quem inaniter præstolaris tuum, falsum est: quia eum æstimas subiectissimè iis cæremoniis seruiturum.

Ibid. 39. 7. & 8.

1. Reg. 15. 22.

Heb. 5. 8. Porrò si ad Christum, ipse singulariter planè *ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam*: quia holocaustis, & pro peccato nullatenus placari didicerat Patrem. Cum multi fuerint sacerdotes, quis eorum extitit in æternum? Quis verò æternus, nisi Deus? Deum autem sacerdotem dici nusquam, vt reor, inuenies, nisi Christum intelligas. Christus ergò in hoc solo sacerdos qui dixit; *Ecce venio*; quia se victimam Patri detulit pro peccato. Quia, inquit, de futili causaris sacrificio, iam tibi pater me litaturus venio: Ego enim sum, de quo, *In capite libri scriptum est, vt facerem voluntatem tuam*. Iam à persona Dauid iste sensus exorbitat. Quid est caput libri huius? *Beatus vir qui non abiit*, & sequentia, vsque ad *Omnia quæcumque faciet prosperabuntur*. Quis est cui concinat præsens versus, vt secundùm sui typum non abierit, non steterit, non sederit? Quod si tertio hoc quispiam purus homo fortasse carere poterit; duûm præmissorum alterutro quisquam homo viuens immunis esse non valuit. Quis est qui die ac nocte, idest indesinenter, in Dei lege meditatus sit? nonne Idithum cantat, *Quia vniuersa vanitas omnis viuens*. Et, *In imagine pertransiens, frustra conturbatur?*

Psal. 39. 8.

Ibid. 9.

I. Psalmus de Messia explanatur.

Psal. 38. 6.

Ipsum Christum, velis, nolis, accipies; quicquid istic supra hominem habes. Ipse non in decursu aquarum, sed secus nascitur; quia non in natura per peccatum fluida propagatur, sed in sola carnis peccati similitudine conspicitur. Et rectè non stagnum, sed decursus virgo generans potest intelligi, vbi videlicet nulla subsistit illuuies, quod benedictionis plantarium dedit fructum, sed suum, in tempore, sed suo. Quisque bonus dat fructum, sed non suum, sine Deo enim nil potest quisquam facere. Is verò præbuit propriè suum, quia quod fecit, facere non poterat nisi Deus; & ex se habuit quod fecit. Tempus quoque suum fuit: quia qui quando voluit natus est, quando voluit quoque occubuit. Tempus suum fuit, cum plenitudinis aduentu cæco mundo suæ notitiæ lumen tribuit. Folium eius non defluet, quia licet cœlum & terra transeant, verbum tamen eius non transibit. Facta eius prosperabuntur omnia, deducet enim eum mirabiliter dextera sua. His excurrisse per excessum sufficiat.

Matt. 24. 35.

CAPVT VIII.

Ecce habes, impurissime, Prophetas tuos, imò per Deum tuis obseruantiis obuiantes in tantùm, vt sacrificans, & canem excerebrans pariter conferantur. Quid mihi sues grunnire tuas, & lepores stridere facis? Quid ora ruminantia, & diuisiones replicas vngularum; qui Pontificium & templum, de quibus totæ tuæ legis vires emergunt, & in quibus eius versatur intentio, adeò euidentissimè videas adnullari? Quam vim putas, infelicissime, habitura sunt infima membra, vbi caput præcisum est? Exaudi, si minus adhuc habeas hinc testium, quod superiùs paulò libasse videmur. Loquitur Deus in Isaïa cum reiectione carnalium spiritualia bona consciscens: *Ad quem*, inquit, *respiciam, nisi ad humilem & contritum spiritum, & trementem sermones meos? Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo*. Sed dicis: certè negari non potest quin Deus porcum mandi vetuerit: planè, inquam, non minus constat quia tauros, & arietes, & cæteros sacrificari præceperit: hæcque postmodum ore proprio, vt ex Prophetis audis, irrita duxerit. Sed forsitan sacrificio, templóque repulsis, porcorum carnibus abstinere præponderat. Si porcinarum carnium esum nobis, quibus nil iussum est, improbatis, fimbrias iachintinas in quatuor palliorum vestrorum angulis quare non fertis? Qui suem præcepit non edi, ipse idem Deus mandauit & fimbrias ferri. Longè alia ratione porcum comedimus, quàm vos fimbrias abrupistis.

Isaia 66. 3.

Num. 15. 38.

Præuaricatores ergò estis, qui vobis euidenter iussa negligitis. Nos nil præterimus, qui nulla inde mandata suscepimus. Furtis intenditis, fœnora cumulantes ceruicibus egenorum. Deum ex corde diligere, & proximum vt seipsum, & cætera vtilia seponentes, circa nugas rotamini. Nunquid illud quod dicitur: *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens filios, vt bene sit tibi, & longo viuas tempore*: eo quo exterius sonare videtur modo accipitis? Nunquid Deus illius ad Noë mandati obli-

Deut. 22. 6.

Gen. 9. 3.

tus est: *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia:* Vt modò bene nobis & longam vitam spondeat, si manus nostra pullorum matribus parcat; Quid rationis habet, quòd palum in baltheo gestare iubemini: quòd egesta contegere, ne quid sordium Dei valeat oculis apparere? Si ego hominum minimus in publico tale aliquid proferrem, auditores forsitan mei non facile crederent, quod inaniter, aut sine intelligentia latenti ista contexerem. Etsi ego nullius aut grauitatis aut momenti ab aliquibus tanti pendor, vt verba mea expertia ponderis non esse putentur, Deum poteritis æstimare choraulam, vt dicta illius garrulitate vanescant. Quanto igitur humanæ minus rationi eloquia diuina concordant, tanto magis subtilitate intellectualitatis exuberant.

Deut. 23. 13.

Resipiscite victi tanto testimoniorum ac testium aggere tandem; & carne discussa sanctæ interioritatis estote capaces. *Venite* cum Osee Propheta, *& reueramur* ad eum, quem vos sequi putantes diffugitis *Dominum*: *Quia ipse* à sæculi origine, prædestinatione, & promissionibus *cepit*; & in fine temporum passionis suæ efficientiâ nos saluabit. *Percutiet*, id est animarum nostrarum doctrinis nobis potentibus vulnera pandet. Percussos denique cruore, & latice curare non differet. *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos: & viuemus in conspectu eius: sciemus, sequemurque vt cognoscamus Dominum. Quasi diluculum præparatus est egressus eius*, & cætera. Sed his sufficienter, vt putamus, edictis, alia prosequamur.

Osee 6. 1.

CAPVT IX.

Confutantur Iudæi insimulantes Christianos idololatriæ.

IMpetitis nos etiam quod crucifixi Domini Iesu imagines, vel ipsius crucis lignum adoremus: vt veluti cuiusdam idolatriæ insimulatis, quasi quod à vestra constet lege prohibitum. Nos è contra nil nisi ipsam Dei substantiam adorandam ducimus: etsi aliqua extrinseca venerari perspicimur, non id quod videtur colimus, sed quæ ex visis colligimus. Certè Nathan Propheta Dauid Regem pro Salomone petens apud vos adorasse legitur: in quo aliquid eum diuinitatis sensisse credere nefas creditur. Iosuë à ciuitatensibus Ai Israëlem conspiciens fugientem, & cæsum; coram arca Domini pronus decumbendo, diem dicitur in libro Iudicum continuasse vigilias. Nunquid arca Dea erat, aut Deus, siue Dei pars quælibet in ea delituerat? Daniel, celebrato Regis edicto ne quis Deorum peteretur à quoquam; fenestris in cœnaculo suo patentibus, tribus contra Ierosolymam temporibus, genua flectebat interdiu, & adorabat, & confitebatur Deo suo: nunquid Ierusalem aut templum, cuius obtentu illa fiebat inflexio, Deus fuerat, quia illorsum sic adorare decreuerat? Nunquid omnia, quæ adorata apud vos referuntur, diuinis cultibus dignata creduntur?

3. Reg. 1. 23.

Iosue 7. 6.

Dan. 6 1?.

Adoramus itaque in visibilibus signis, quæ significantur inuisibilia; imò vagabundum animum picturarum repentino contuitu, quasi quodam commonitorio ad interna cohibemus. Quare vobis æneus ille anguis propositus est, quem postea coluistis, nisi vt quid sibi vellet eiusmodi prodigium quæreretis? Nec Cherubin otiosa in templo, & in tabernaculo eminentia claruerunt. Boues quoque, & leones non sine re inibi singulariter exculpi meruerunt; sed idoneas inquisitionum vobis occasiones dederunt. Ridete, si placet, nos dissolutum & exanguem quasi hominem Iesum in patibulis adorare, videlicet quisque qui sapit, quàm magis fide ridiculi vestri fuêre parentes, qui Beelphegor, idolum scilicet tentiginis, quod est Priapus, adorauêre. Ridendi, imò flendi & vos, quod plerique vestrum dogmatis Christiani veritatem plene intelligunt, nec tamen ab errore desistunt. Sciatis tamen quia nobis, quibus Deus scripturarum notitiam indidit, & remota etiam imaginatione, fidei & contemplationis contulit alam, species sculpturarum necessaria non sit, sed his solis qui idiotæ & hebetes, quod litteris non attingunt, iuuamentis huiusmodi addiscunt quod sciendum sit.

Qua ratione imagines adorant Christiani.

CAPVT X.

Auctor tres Deos à Christianis ostendit haud coli.

REstat vltima quæstio, quæ à vobis proponitur ventilanda. Tres Deos nos colere dicitis, quia Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sub distinctione nos triplici, pronuntiare cognoscitis. Ex superiori testimoniorum congerie satis probatum est, quod Deus filium habeat, hunc humanatum constet. Spiritum verò Sanctum vbique paginarum vestrarum dici in promptu est. Ergo sicuti nos tres personas proferimus, ita de cultura trium Deorum à vobis patenter arguimur. Deumne incircumscriptum incõprehensibilemque creditis? Quod si forsitan, quid trium cathedras personarum, quid membra imaginando compingitis? Si Deum spiritum pensitatis, & filius, vt credimus, ei est: filius esse non potest, nisi quòd pater est; alioquin Deus non est. Potest in homine esse, quod non est homo, in Deo verò nihil quod non sit Deus. Nam

Probat in Deo trinitatem.

si iustus, pius & sapiens quis sit: aliud hæc sunt, aliud homo; & sine iis enim est homo: hæc verò cum in Deo esse dicuntur, non accidentaria, sed substantialiter Deus accipiuntur.

Si ergò filium accipitis, non quasi quem extra genuerit intelligite, sed quod gignitur in ipso conspicite. Accipite igitur Filium ac si voluntatem Patris; quæ voluntas quasi ad effectus euidentiam venit, cum carni ille se indidit. Sed hæc voluntas, quæ à Deo ad nos intenditur, virtutem necesse est habeat, per quam quæ velit queat, & hæc sit Spiritus Sanctus, qui eidem corpus in Virgine creat. Voluntas enim hominum otiosa est, nisi posse succedat. Voluntatem ergò Patris, possibilitas comitatur. In scripturis nempe sicut amor, ita & virtus idem spiritus appellatur, vt est: *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Et, *virtus Dei operatur omni credenti in salutem.* Patris igitur voluntas per virtutem hoc modo mancipatur effectui, & inde qui effectus est, nostræ traditus est cognitioni.

Voluntas Patris Filius, virtus spiritus Sanctus.

Luc.1.32. Rom. 1. 16.

De Deo cuiquam disputare fas non est. Sed cum de his; quæ circa nos sunt, exempla præbentur, ad hoc fit vt tria aliqua indisparabiliter cohærere sibi posse monstrentur: quod cum fit, *fides*, vt legitur, *iam non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Hæc siquidem Trinitas vocatiuè potius, quàm substantialiter in hoc à nobis sæculo dictitatur: in quo necessariò ad nostram intelligentiam de personis instruendam per momenta & syllabas, quia aliter non possumus, earum vocabula coniugamus. At cum vitæ fontem hauserimus, & in lumine lumen, Deum in Deo videbimus, nulla in his nominandis gradatione sermonis egebimus. Si os nostrum, lingua, & spiritus in vsum locutionis pariter nullo horum vacante, aut præstante mouentur, maximæ insaniæ est diffiteri Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse, & posse, ac indiuisibiliter operari. Si enim tres Deos diceremus, eorum planè cuique partem mundani regiminis traderemus, nec summus quisque eorum esse posset, qui pares actu ac nomine quoquo pacto haberet. Et dum modò huic, nunc illi pro partium alternationibus fauceremus, quemlibet forsitan cuius regnum minùs putaretur accommodum, aut minùs appretiaremur, aut apertis derogationibus vrgeremus. Nil tamen apud nostra dogmata experiri vos contigit, nec diu vobiscum super isto tractabimus, quia dum de iis agimus, obduratis animis risus efficimus. Deliberantibus enim credere auctores non deerunt qui poterunt erudire.

S.Gregor. homil.26.

Verè resurrexit Dominus.

Illud velitis, nolitis, audite, quia Redemptor noster, quem putruisse mentimini, viuit: Et in nouissimo die, quod & vos creditis, de terra surrecturi sumus. In carne quoque nostra Deum videbimus, Iesum videlicet, quem interpretamini Saluatorem. An in carne constitutus quis Deum videre poterit, licet iam corruptionem excesserit, quod vix Angelicis spiritibus scintillando licebit? In eum enim desiderant Angeli prospicere. Desiderium autem efficientiam quærit. Quo modo ergo videbit? In carne vtique existens, poterit intueri carnalem, Dei quippe Filium, in eo iam quod incorruptibiliter resurrexerit, immortalem. Vtraque etenim: & homo per se & Deus, Dei sunt Filius. Cum hoc careat nomine, nec mortuus, nec sepultus.

Perlucidè etiam valet intelligi, quod in carne sua, hoc est in eadem, qua est ipse humana natura, constitutum Iob suum Saluatorem se visurum spondeat. Mortalis quoque ac rationalis naturæ indiuiduum signans, quod dixit inculcat: *Quem visurus sum*, inquit, *ego ipse*, *& non alius.* Qui alius proculdubiò quodam modo esset, si hominem exuens, spiritus remaneret. Tertiò denique id replicat: *Et oculi mei conspecturi.* Vbi oculos adeò vigilanter expressit, corpus planè Dei futurum, quod visurus esset, innotuit. A corpore autem diuinitatem videri fas non est.

Iob.13.27.

Ecce contra Dei hostes, contra inimicum & defensorem arma præsumpsimus; quibus egimus quod potuimus, non quod debuimus. Multa suppressimus, quia ambigua de eorum voluminibus ponere testimonia supersedimus. Nil enim agit exemplum, quod litem lite resoluit. Si perfidis ac derisoribus videtur inane quod fecerim, fidelibus, qui talia ventilare non audent, aut nesciunt, non immeritò fortassis placuerim: quia si non valde vtiliter, valde tamen fideliter quæ iniuncta fuêre compleuerim. Si quid infamiæ pro hoc ipso, siue laudis acquiritur, meritò tibi, Pater, qui id imperasti ascribitur. Si enim benè, fidei & precum tuarum fructus est: sin malè, inconsideratus vtrobique ausus est: Nemo me arguat, errores improbissimos, cum sim tenuis & stolidus, obiurgantem. Meminerit asinam Prophetæ insipientiam castigantem. Melior enim sum, licet malus homo, quàm bona asina.

CAPVT XI.

SEd post hanc qualemcunque disputationem, cuiusdam mihi Iudæi relatio non tacenda videtur; quæ omni conflictatione

verborum potentior æſtimetur. Erat, vt A teſtatur, Lauduni, & in quadam domo, quemdam cum Iudæo aliquo clericum diſceptantem adhuc puerulus audiebat. Cùmque clericus perfidi illius reſiſtere ventoſitati non poſſet: *In nomine*, inquit, *Ieſu Domini titionem flammantem ea parte qua ardet apprehendam nuda manu, & extra oſtium domus efferam.* (Focus autem * propter erat.) Nec Iudæus obnititur, in fide IESV ſui vtrùm vreretur opperiens. At clericus B mirabili crudelitate feruefcens candentem accipit dextra reuſtum, & longiùs, qua voluit moroſitate, deportat, & proiecto illæſam monſtrat ab igne manum. Miratur ille nequam, ſed ad fidem miraculo non pulſatur. Id ipſum etiam ab eo qui mihi retulit non niſi præſtigiis comparatur.

£ * prope.

Dicite miſerrimi, nonne nomen Deitatis eſt, cui elementa obtemperant ſed vos dicitis; quia in terra poſitus ſe nunquam dixerit Deum. Cum enim an Deus eſſet ſciſcitanti, intulit: *Tu dicis*: *Eſt vt dicitis*; ac ſi diceret: tu quidem dicis, ſed ego non dico. O vecordes! attendite quod ſequitur: *A modo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris Dei & venientem in nubibus cœli.* Nempe & proditori ſignificando idem dixit: Dicenti namque, nunquid ego? ait, Tu dicis. Subaudis rem quæ eſt. Taceo de cæteris, qui corporaliter geſtis intendunt. Ioannem legite; in quo nihil penè aliud, quàm de ſua cum Patre conſubſtantialitate proloquitur. *Creditis*, inquit, *in Deum, & in me credite. Ego in Patre, & Pater in me eſt. Qui credit in me, videt & Patrem*: & millia horum ſimilia.

Matt. 27. 11.
Eiuſd. 26. 64.
Eiuſd. 26. 25.
Ioan. 14. 1.
Ibid. 10.
Ibid. 9.

FINIS.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS EPISTOLA DE BVCCELLA IVDÆ DATA: ET DE VERITATE DOMINICI CORPORIS.

al. * Vincentij Abbati Sigefrido, Frater.

*Patri & Domino sancti * Nicolai Priori* A SIGEFRIDO GVITHBERTVS *Dei familiæ, quæ est apud Nouigentum Minister; quæ Dei sunt simpliciter quærere, ac amplecti.*

QVÆSTIONEM quam mihi tua ingessit sanctitas vtrum videam, nedum enucleare valeam, nescio: Primò etiam horrori mihi est, si aliqua dicam, in quibus videar Patrum sententiæ refragari. Vnde peto, vt si quæ non tamen præter regulam dixero, ea B audias intentione qua dicam. Dicam enim sine præiudicio melioris sententiæ palpantis potius animo, quam nitentis.

CAPVT I.

1. *Quæstio.* Aug. Exarr. in Psal. 10. to. 8. & in Ioan. tract. 26. to. 9. Leo. ferm. 3. de passione Domini. Hilar. cōment. in Math. canone 30.

QVæstio est, Magistros Ecclesiæ clariores AVGVSTINVM videlicet, ac LEONEM consentire: quòd Iudas cum cæteris Apostolis Eucharistiam de Domini manu susceperit. HILARIVM Pictauensem, C Capuanumque VICTOREM ab hac intelligentia quòd acceperit dissentire. Illud, nisi fallor, dictorum suorum argumento habentes, quòd cæteris sacramento participantibus, buccella præbita simplici scilicet pane, suum Dominus insignierit proditorem.

2. *Quæstio.*

Illud quoque ad nostri adumbrationem sacrificij à quibusdam obiectari solere, quòd sacramentum hoc, signum magis, quàm veritas fuerit, & ideo Iudæ, quem ante diabolum vocauerat, idipsum Dominus irretractabiliter dederit. Hoc in litteris à te datis D ita proponitur.

Matth. 26. c. 26. Ibidem 27. Marc. 14. c. 23. Luc. 22. 14

Quibus ego subinfero, quia siue veteres, siue noui, quicumque super hac re altercantur, ac disputant circumstantiam lectionum minus plenè considerant. Nam Apostolis vetus Pascha secundum Mathæi dicta cænantibus; nullo excepto dicitur: *Accipite, & comedite.* Et porrecto calice postmodum apertiùs: *Bibite ex hoc omnes.* In Marco quoque, *Biberunt*, ait, *ex illo omnes.* Porrò Lucas primum eum ad esum paschæ discubuisse asserens, & duodecim Apostolos cum eo; quod & Mathæus, & Marcus dicunt. Post dationem Calicis infert: *Accipite, & diuidite inter vos.* Sed & panem gratias agens, & fregisse, & eis dedisse subscribitur.

Ibidem 18.

Si ergò de calice ab omnibus facta inter eos diuisione conbibitur, Iudas nullatenus excipitur; quià pedum lauatione apud Ioannem nequaquam, cum iam conscius esset proditionis, excluditur. Etsi enim nulla adniteretur authoritas, multa tamen ratio suppeteret, pro sola conceptione criminis, quem aperta opera non probarent, hominem à suis gradibus, & commilitonum communi gratia nullatenus arcendum: Ipse enim dixerat, & diffiteri non poterat, *Nolite iudicare*: Quod in arcanis peccatum adhuc latens, qui omnes ad salutem compellare venerat, nequaquam tunc temporis damnare debuerat. Quod autem de calice dicitur, par est ac si eadem euidentia etiam de pane diceretur: cum in vtroque dignitas par, immo identitas habeatur.

Matth. 7. a. 1.

Qui enim ei & baptizandi, dæmonia eiiciendi, morbosque curandi cum cæteris ius dederat: si ad vltimum ei maligna tractanti collatam aliis gratiam detraxisset, causas ei forsitan peragendæ proditionis auxisset. Quid enim virtus, quæ operatur, iuxta Apostolum, in salutem omni credenti, nisi spiritus Sanctus est, ex quo potestas super dæmonia languoresque curandas emergit? *Dedit*, inquit, *eis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia &c.* Qui etsi cum sit spiritus disciplinæ, quantum ad suam ipsorum salutem fictos effugiat, fidei tamen aliorum adiumenta ministrat. Cui ergo spiritum quem Petro dederat ad miracula non negauit, meritò nec mysteria aliis communia detrectauit.

Rom. 1. 16.

Luc. 9. 1.

At si de buccella agitur, quæ ei intincta porrigitur, signum fuit, & non signum; signum planè proditoris, sed non signum sacramenti; quæ etiam ante traditionem noui illius sacrificij, Matheo, & Marco testibus, dum

Cap. 26. 6. 21. Cap. 14. 6. 19.

quis esset proditor quæreretur, data est: quæ A quoque si quid sancti in se habuit, non ex mutatione sui aliqua, sed ex tactu forsitan Saluatoris accepit. Et diaboli ille introïtum non tam pro indigna susceptione ipsius offulæ, quam pro sua erga corripientem Dominum impudentia, & incorrigibilitate commeruit.

CAPVT II.

Luc. 22. c. 21. Ibidem.

PORRÒ de inconuenientia Euangeliorum super capitulo illo: *Veruntamen* B *manus tradentis me, mecum est in mensa*: quod Mathæus, Marcusque præscribunt; Lucas verò corporis Dominici traditioni subscribit. Si tibi respondeam, circa vilem, & patulum morabor orbem, cum penè ridendus sit, qui hoc quæsiit quasi qui in scirpo nodum repererit. Si enim ordinem capitulorum eadem dicentium, vel inter se dissonantium in Euangeliis quæras tam præposterata, adeò immutata inuenies, vt de tantillo C hoc tibi videatur magistros interpellasse fatuitas. Siue enim præcedat, siue sequatur hoc verbum, nil officit. Sed in harum partium, de quibus agimus, controuersia quæ videtur plurima non Epistolę, sed libri necessarij sunt: Et certè in ipso Paschæ veteris epulo, & post noui traditionem mysterij, aliquantus ad mensam illam proditori consessus fuit, & temerarias vtrique edulio manus apposuit. Aut quid mirum si tempus pro tempore ab Euangelista positum est, vt diceretur *est*, pro *Fuit*? Scias quia istic dicendorum copia me inopem facit. D

CAPVT III.

Agit contra Berengarianam hæresim.

SED quoniam de Domini corpore obiectiunculas fieri Epistolæ author dicit, quod signum, & non veritas extet, pauca etsi exilia, super eo contemplemur. Si vmbra est, & non corpus, in vmbram de vmbra decidimus; immo in deteriora valde deuenimus. Si boues, arietes, capræ, turtures, columbæ, & passeres, olim peccatum fuerant, hostia videlicet pro peccato, ita vt car- E nis iustitiæ vocarentur, & secundum conscientiam saluum non possent facere seruientem. Quantominus si species creditur, & non res, illa tantilli panis adeò miserabilis quantitas, omni animarum remedio indigna erit, de quo si manducauerimus, non abundabimus, si non manducauerimus, non vtique deficiemus.

Si ergò vtrumque species, & in neutro veritas, nouum baptismati Ioannis æquabitur, in veteri non proderit interna vtilitas, sed materiei precium præminebit, quantum animalia rei exanimæ, quantum ea quæ carò emuntur, panibus, obolo similibus, pręstant. Et certe vetus alio quoque modo pręualere probabitur. Si verum est quod ab authoribus traditur, quo quidem nil verius, ante circumcisionem originale peccatum sacrificiis soluebatur. Hæc autem hostia nostra passo semel Domino, si sola passi figura, vt dicitur, sit, si quid veri efficiat, nescio. Quod si sola mortis illius memoria est, quasi aliqua aut Dei, aut sancti cuiuspiam, quæ in Ecclesia pingi solet imago, perfunctoria est. Quod ergò solum præfert rudium oculis monimentum, paruum, aut nullum præstat sapientibus adiumentum.

Matth. 26. 28. Marc. 14. 24. Luc. 22. 20.

Sed scire velim quare calix sanguinis noui & æterni testamenti dicitur, vbi quid innouatur, vetustas abrogatur. Quod enim antiquatur, & senescit prope interitum est. Vetustas in peccato si est, & nouitas in gratia; gratia ipsa nulla est, nisi ad æternitatem possit. Æternum autem quiddam testatur, & spondet. Magni igitur cuiusdam boni effectiua, & non inanis, aut vmbratica est. Vnde & in cõsecratiuo Canone calix isdem mysterium fidei appellatur; mysterium enim non modo in bono, verum & in malo, & in nugis accipitur. Nam & mysterium iniquitatis dicitur; & inter agendum comediam, si videas, quid significet actus ille interrogas. Est ergo vtrumque mysterium, sed nullam vtilitati quærentium exigens fidem, quid itaque sibi vult adiectiuum fidei? Est planè ac si diceret, arcanum totius fidei, in quo scilicet vniuersæ nostræ credulitatis maiestas latet; vnde vt sequentia dicunt; ipse calix sanguinis fructum in se portat nonnisi diuinum, remissionis videlicet pecatorum.

Ioan. 6. f. 56.

Dicant ergò quænam vmbra est, quæ tantam parturit veritatem. Miror quoque quibus auribus audiant ipsius verba veritatis, *Caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus*: vbi verè quippiam est; sola species aut sola vmbra quomodo est? Et certè si post orationem sacerdotis species panis demutaretur in carnem, contentio sopiretur. Ideo igitur obiectores circa speciem exercentur. Quod si species est, & nil habet amplius quam petra, quæ secundum Apostolum Christus est; miror quare petras, ligna, & cætera quæ Christum in scripturis significare dicuntur, non ea aspectione, & laude prosequimur, qua illam hostiolam panis, ac vini, quæ in altari conficitur, quare non ea benedicta, adscripta, rata; & rursum pura, sancta, & immaculata; vitæ quoque æternæ, aut salutis perpetuæ; & vltimum postquam in sublime Dei altare per manus Angeli

sacerdotis precatione deferentur: quod non est aliud quam Christi corpus extra quod omnis hostia vacat: quare non iterum sanctificata, viuificata, ac benedicta vocamus?

Si ergò, vt illa omittam, hostia per sanctificationem viuificari dicitur, cui dominicum congruit dictum; *Qui manducat* non aliud quidlibet sed *me*, *viuit propter me*? Cesset vmbra, cesset species, vitæ ac salutis effectiua quædam in his mysteriis anima sentiatur. Et ô vecordia, elemento baptismatis per Trinitatis inuocationem tantum defertur, vt simplices aquæ ad peccata eluenda fœcundentur, ac viuificentur, & huic sacramento quod proprio Dei verbo conficitur, sola stolida figura tribuitur? Dicant qui hoc signum sine veritate asserunt, ipsum corpus Dominicum in terra degens signum fuisse, dum aliud patet, aliud latet. Latentem ergò Dominum in homine diffitebimur? Ipse resurgens à mortuis claritatem, quam resurrecturis spoponderat, discipulis non ostendit, quam tamen ante passionem in monte coram Petro, Ioanne, & Iacobo transfiguratus ostenderat. Quem humilem dispensatiuè statum exhibuit, ne incognitum aliquid rudibus aut insolitum ostentaret, vnde quos erudire debuerat, eorum sensus magis obtunderet: quid quòd in cœlo positus ne vulnera quidem sua obducere aut seruilem formam quàm futuro representabit iudicio exuere voluit, immò post iudicium transiens de humano in diuinum statum sese rursum alterabit? Si in illa quæ Deus & homo est substantia tanta specierum mutatio fuit, & est, & adhuc futura est, in ista, quæ interim in præsenti ad nostræ miseriæ munimentum & consolationem præstita est, noua creatura & ad Dei ac hominum vnionem, mirum ne est si in hac ipsa specie panis ac vini ob humani sensus horrorem sic relicta, fidem nostram Deus exerceat?

Ioan. 6, 58.

Certè ipsa Trinitas, quæ in hac vita necessariò propter nos dicitur, in Deo substantialiter minimè prædicatur; quia sensus noster, qui hic nonnisi per syllabas & spatia de Deo imbuitur, in æternitate illa sine vllis morulis, ac nominibus in lumine videndo lumen agnitione Deitatis impletur. Si hæc & alia quæ non videmus credimus, vt est in baptismate remissio, supplicia in inferno, præmia in regno, quare hîc appulsi dicimus, quomodo poterit Deus parare mensam in deserto? & si multis & bonis & malis quæ non vidimus, credimus, vt quid in vno offendimus, & aliàs potentem, hîc impotentem Deum dicimus? Ne ergò concidamus à facie eius, quasi inimici eius, quia veritas & misericordia Dei sit in Christo fateamur; & quia in nomine Patris venit, super carnales hostias exaltari cornu eius.

CAPVT IV.

ALludit his sensibus illud quod in libro Regum ad Heliã dicitur: *Recede hinc*, inquit, *& vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes.* Helias qui interpretatur Deus meus Dominus, Iudaïcum populum signat, cui in sua ipsius lege creberrimè inculcatur, *Ego Dominus*, huic imperatur vt hinc, idest, ab infidelitate recedat, quod in Abraham primitiuo factum constat. Contra Orientem iubetur vt vadat, idest ad Dei cognitionem se dirigat. *Contra* namque non solùm pro aduerso, sed & pro directione sæpe ponitur. In torrente absconditur, dum intra legis scientiam à multis quæ lege prohibentur vitiis contutatur: & rectè ipsa torrens dicitur, quæ non immutabiliter, sed perfunctoriè, & quasi ad tempus datur: Vnde & à Paulo sanctum sæculare vocatur. Carith autem vocabatur, quod occursus ignis interpretatur; quia quò magis legis mandato ab illicitis arcebatur, eò ampliùs concupiscentiarum occursibus pulsabatur. Ignis enim concupiscentia est; vnde Apostolus: *Concupiscentiam*, inquit, *nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Contra Iordanem est, quia non aliud, quam secundum gratiam Baptismatis viuere volentium præsagium, immò auspicium est: Lex enim pedagogus noster est in Christo. De torrente, inquit, bibit, dum qualemcunque vapidum, scilicet intellectum, de legis scientia populus haurit.

3. Reg. 17. 3.

Heb. 9. 1.

Rom. 7. 7.

Coruis præcipit Deus, vt ibi eum pascant, dum sacerdotibus nimia sacrificiorum ambitione rapacibus iniungit, vt eum doceant; quibus Dominus; *Vos*, ait, *fecistis hanc domum speluncam latronum.* Sed & Helias in torrente cùm plebs, vt iuxta Apostolum loquar, requiescit in lege. Corui deferunt panem & carnes manè, similiter panem & carnes vespere, dum in prosperis & aduersis, quod est mane & vespere, temporalem iucunditatem, quod panis significat, per sacrificiorum assiduitatem, & carnales obseruantias populis pollicentur. *Post dies autem siccatus est torrens*; quia post illuminationem Euangelij, gratiarum legalis doctrinæ rudimentum visum est credentibus ad salutem minus sufficiens. *Non enim pluerat super terram*, quia aduentus Saluatoris nullam in libris veteribus, qui nonnisi terrena promittere videbantur, infuderat intelligentiam. Vnde est: *Virtutem operum suorum adnunciabit populo*

Matth. 21. 13.

3. Reg. 17. 6.

Ibid. 7.

Gen. 2. 5.

Psal. 110. 6.

populo suo, vt det illis hæreditatem gentium. A

3. Reg. 8. & 9. *Factus est igitur sermo Domini ad eum dicens: Surge vade in Sarepta Sydoniorum & manebis ibi.* Sermo Domini fit, cum Verbum inuisibile creatura factum apparuit. Vt surgat hortatur, quia vt ab infimis ad superna aspiret, per nouam gratiam incitatur. In Sareptam ire iubetur, cumque sit intra se tribulatio panis, idest penuria diuinæ intelligentiæ, scire commonetur; Sarepta quippe tribulatio panis interpretatur. Quod enim in Euangelio tres panes propter Trinitatem, hoc hîc singulariter intelligitur propter vnitatem. Hæc Sarepta Sydoniorum est, quia hæc egestas, qua quis tribulatur, in eis potissimum est qui carnalia inutiliter venantur. Sydonia enim venatio inutilis interpretatur. Ibi quoque manere præcipitur, dum in hac consideratione non horariè, sed stationaliter persistere edocetur.

Lucæ 11. 5.

B

3. Reg. vt sup. *Præcepi ibi mulieri viduæ vt pascat te*; idest mandaui Ecclesiæ crucifixi Domini morte viduatæ, sine vlla panis & carnium matutini aut vespere memoria, vt simplicis documento fidei erudiat te. *Cumque venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna.* Porta ciuitatis ipse est qui dicit: *Ego sum Ostium.* Est autem Ecclesia ciuitas, quia ibi vnum cor habentes communiter ducunt vitas. Iure ergò primùm ad portam venitur: túncque mulier vidua apparet quia primum Christus agnoscitur, túncque demum quid sit Ecclesia patet. Hæc ligna colligit, quia vtrumque populum in se coünit: quod enim paries alibi signat, hoc istic lignum non inconuenienter ostentat; nam duo ligna crucis sic ista portendunt, vt alterum porrectum Iudæos ac si vnicornes innuat, alterum transuersum gentiles ac si è diuerso subintroductos ostendat.

Ibid. 10.

C

Ioan. 10. 9.

D

3. Reg. vt sup. *Et vocauit eam, dixitque ei: da mihi paululum aquæ in vase vt bibam.* Vocat eam cum patenter addiscit vocationis omnium fidelium causam. Aquam in vase dari sibi expostulat vt bibat, cum doctrinam non per deutereses, vt solebat fluitantem, sed in Christo, qui est vas electum & præelectum: *In quo sunt omnes Thesauri sapientiæ absconditi,* Vndecumque cohibitam & constantem, exhiberi sibi ab Ecclesia primitiua corrogitat. *Cúmq; illa pergeret vt afferret, clamauit post tergum eius dicens: affer mihi obsecro & Buccellam panis in manu tua.* Pergit vt afferat, cum iuxta Apostolum lectioni intendit vt doceat. Post tergum clamat, cum aliqua Iudæorum pars auersos Apostolos, & dicentes: *Quoniam repulistis verbum Dei, ecce conuertimur ad gentes*, ad se docendam etiam precariò interpellat. Ac si diceret: Hactenus me corui sacrificiorum carne pauerunt, à modò

Coloss. 2. 3.

E

3. Reg. vt sup. 11.

Act. 13. 46.

non panem, sed buccellam panis, quod prægustari potius quam exsatiare valeat, tua mihi doctrina suggerat. In corpore enim Dominico, quod ex eius mensa prærogatur, nefarium est si quippiam aut corporaliter saporosum aut aliqua exteriori * sanctitate distendens præsumatur: quia quod spiritui soli est præstitum, à corporis esse debet prorsus voluptate diuersum.

al. *Satietate.

Buccella ergò, quæ vulgò bucca dicitur, à vidua petitur, dum non armi aut quæuis frusta carnium gulæ iuuant appetitum, sed panis ac vini in diuinam carnem substantialiter per verba Dominica immutati, minoritas æquè ac maioritas salubriter transit ad animum. Quid enim ibi quantitas, in cuius etiam atomo constat salutis vniuersitas? Vbi notandum quòd eam vt in manu sua afferat postulatur, quia in potestate vtentium est quidquid inde suscipitur: Si enim in potestate nostra est filios Dei fieri, non minus in nostro sedet arbitrio per fidei amorem tanto mysterio inuiscerari. Qui autem super hac re disputat, nunquam se isti interno muneri computat. Cuius edulium, quam iccirco buccellam dicimus, siquis debita parcitate non sumat, immo pestifera largitate qua cætera quæque præsumat, in eo corpus animámque addemnat, quo animæ antidotum gulæ sapori importat, & ab escis communibus corpus Domini iuxta Apostolum non diiudicat.

1. Cor. 11. 29.

Viuit, inquit, *Dominus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus potest capere farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho.* Viuere Dominum dicit, dum eum efficacem ad tantam de substantia in substantiam immutationem fideliter sentit; nec habere se panem perhibet, nisi quantum farinæ pugillus capere præualet, quia nil de ipsa præter speciem panis essentia in hoc sacrificio se habere fida mente confirmat, nisi quòd inuocatio Trinitatis sine vllo scrupulo fidelibus administrat, quod farina significat: quasi enim molitur, quo manus ingenij nulla retractione offenditur. Inde est quod crebræ crucum Trinitates in sacratiuo Canone fiunt: quia sicut in MARIA carnem, sic in altari hoc mysterium Trinitas operatur. Pugillum autem tres primores digitos appellamus.

3. Reg. vt sup. 12.

Potest & per pugillum scriptura quia ex hiis scribimus intelligi; & est ac si diceret hoc quod in altari videtur substantiuè panem non habeo, idest non intelligo, nisi quantum capi potest ex sacræ paginæ documento. Hydriam vas aquarium dici nemo hominum disertus ignorat. In hydria farina est spiritualis in hac fragili conuersatione scientia; aqua namque pro scientia poni solet. Huic scientiæ oleum additur, quia ne

inflet ex diuina charitate conditur. Lecythus vas oleariumidem significat quod in Euangelio nomen vasorum, & hydria quod lampadum.

Ibid. *En colligo duo ligna vt ingrediar & faciam mihi illud & filio meo: vt comedamus & moriamur.* Quod est dicere: ecce dilectionem quæ ad Deum porrigitur, & eam quæ in amicum inimicumque distenditur, quibus ab omni lasciuia restringitur ac si crucifigatur animus, quasi duo ligna complector vt per hæc à mea euagatione cohibita ad me regrediar, & faciam, id est figuraliter insculpam, non panem, sed illud quod in pane signatur: non tàm mihi, quàm iis quos in fide genuero; vt comedamus quod non ore, sed pio solum affectu manditur. Et moriamur, morti videlicet, quæ per ipsum signatur sacrificium, conformemur. *Ad mensam*, inquit, *magnam sedisti?* oportet te similia præparare.

Eccli. 31. 12.

CAPVT V.

3. Reg. vt sup. 13.

NOli, inquit, *Helias timere, sed vade & fac sicut dixisti: Veruntamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea.* Ac si diceret noli vereri immutationem vultus Dauid coram Abimelech, idest translationem sacerdotij nostri ad ordinem Melchisedech; sed vade, idest processu fidei promouere, vt passioni Christi moribus configureris, cui conformia cœpisti sacramenta docere. Veruntamen mihi ex carnali obseruantia resipiscenti, in ipsa noui huius mysterij scientiola ac si subtili farinula, quam ex inutilitate veterum cerimoniarum salubriorem quia veriorem iam comperi, solidum quid & continens ac si panem ex farina facias, scilicet nutabundum & mobilem quasi puluerea leuitate animum, rationis ac si aquæ respersione constringas. Et hunc paruulum, seruando videlicet in doctrinæ tuæ exhibitione meæ capacitatis necdum adultæ modum, hunc tamen facies subcinericium, nunquam mihi adimendo, licet in baptismate lota sint, memoriam peccatorum: quia cinis significat acredinem pœnitentum, quibus conuenit cinis & cilicium.

Vbi iure notatur quod præmittitur, primũ; quia iis, qui sceleratius & in Iudaïsmo, & in gentilitate vixerunt, Dei gratia consueuit exuberare potissimùm. Inter quos cognouimus Paulum, qui se inter peccatores fatetur primum; *Vt in me*, inquit, Iesus Christus diuitias misericordiæ suæ ostẽderet primùm. Vnde est: *Vbi abundauit peccatum superabundauit gratia.* Quod in Mathæo & Magdalena etiam perpatuit factum. Pro parte ergò horum atque similium intellige dictum. Hunc panem sibi rogat afferri, id est propriæ intelligentiæ penetralibus differendo inferri. Quod sequitur, pro parte iustorum ex legis consummatione venientium, vt fuerunt Petrus, Andræas & Iacobus frater Domini, accipitur. *Tibi & filio tuo facies postea:* Idest quos ad tui conformitatem ex innocentia legis adduxeris ex peccato grauiore conuersis, per gratiæ indulgentiam vndecumque substare cognoueris: Vnde Paulus: *Nihil*, inquit, *minus feci ab his qui sunt supra modum Apostoli.* Et, *Plus illis omnibus laboraui.*

1. Tim. 1. 16.

Rom. 5. 20.

2. Cor. 12. 11.

1. Cor. 15. 10.

3. Reg. vt sup. c. 14.

Hæc autem dicit Dominus Deus: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque ad diem, in qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terræ. Ac si diceret; licet ex tuo documento noui testamenti, ô primitiua Ecclesia! rationes acceperim, tamen ex legali & Prophetica lectione Deum astruxisse comperi scientiam fidei huius, & contemplationis, quæ est in Domini corpore subtilissima nunquam desituram: Domum vtique Domini decere sanctitudinem in longitudinem diuturnam; & sacerdotij Melchisedech sine iurisiurandi pœnitentia æternitatem, & donum gratiæ tanquam olei lecythum in mente Ecclesiæ perpeti redundantia * emersurum vsque ad illum sine nocte diem, quo non ab occulto spiritualis nobis vnda se suggeret, sed in euidenti post resurrectionem incorruptibilibus oculis corporis tanquam pluuia Dei cognitio se infundet. Vbi facies terræ tantopere ditabitur, vt in * quo mens quamuis sincerissima scintillare modo vix præualet, ibi carnis oculus irremota & inobtusa acie intendere nunquam cesset.

al. * Surrecturum.

al. * quod.

Quæ abiit & fecit iuxta verbum Heliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius. Abit, cum ex Pauli aliorumque ex Iudæis sapientium plurimùm primitiua Ecclesia conuersione profecit. Iuxta verbum Heliæ fecit, cum eos, quos erudiendos acceperat, etiam super se Magistros acceperit. Ipse comedit, quia non verbo, non lingua hæc declamanda edidicit, sed ad internam animo satietatem semper ruminanda retinuit. Ipsa, & domus eius comedit, cùm vitali & alios ferculo, quo apprime opinabatur, inferciit.

Ibid. 15.

FINIS.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS NOVIGENTINI DE LAVDE SANCTÆ MARIÆ LIBER.

CAPVT I.

Se laudantes nusquã aspernatur B. Virgo.

FOEMINAM illam super omnes creaturas post Filium, & per Filium benedictam, omnium creaturarum sub Dei cultu dignissimam, labiis omnino fidelibus, licet minus idoneis, prædicemus. Cuius præconio cùm dignitas supercœlestium inefficax æstimetur, multâ tamen experientiâ cognitum est, quòd in eius conspectibus laus hominum atque deuotio gratissima habeatur. Nec id iniuria. Cum enim se hominem negare non possit; homines, pro quorum potissimum vtilitate talis facta est, & talis enituit, quomodo, non dico contemnere, sed omnibus creaturis præcordialius non amare possit? Et amplius: quę enim humano generi ad hoc proposita, imò præposita est, vt Deo gignẽdo sufficeret, vnde aliis medendis cõsuluit, inde primò sibi ipsi redẽptionis origo fuit, in quo ergò sibi primitus fuit, in aliis nõ amabit? Et quę gloriã, quam habuit in Dei Filiũ pariendo, exæquauit meritis nulli à sæculorũ initiis vsque ad fines speranda credendo, quomodo nõ ineffabiliter aggaudeat fidei nostræ, quæ ipsum Deum habet Filium pro præmio fidei suæ?

Eius fides.

In cuius conceptionis denuntiatione, illud miraculi vllis ingeniis comprehendi non pręualet, quòd puella, & meticulosa sexu, & inusitata ætate, cum sibi Angelus insolita & inaudita sponderet, fidem tanta dare celeritate potuerit: quod certè non aliter valebimus compensare mirando, nisi hanc primùm intellexerimus inter omnes homines vnicè nutritam à Spiritu Sancto. Nisi enim, plusquam humana consuetudo patitur, diuinum, maiestatiuumque quiddam ipsa ab ineunte ætate ingeniolo suo concretum cognosceret, tanta facilitate non crederet. Tanta enim excellentia promissorũ in vanitati subiecto corde non caperet. Vbi quippe nulla præcesserint munia meritorum, spei magnæ emolumenta nõ suppetunt. Quis ergo homo perpendat; imò excedens hominem quę Angelica natura coniiciat, quæ fuerit puritas, quod põdus, quæ gloria illi vt ita dicã cœlesti conscientiæ innutrita, quæ nullis sibi pręmissis scripturarũ exemplis, nullis similium à sęculo euentuũ imaginibus exhibitis, tãto verborum priuilegio sinum suæ credulitatis expanderit? Si Saræ, si Manue & vxori eius, quod ad rei huius comparationem vsitatissimum erat, vix astrui, vix credibile videri potuit. Isti iuuenculæ rerum omnium præsertim muliebrium inexpertissimæ, vnde tanta, ex tam simplicibus verbis Angeli, tam properè fides ingeri valuit? Si Moyses post tot diuinorum efficaciam signorum, qui cum Deo facie ad faciem quasi homo ad proximũ loquebatur, ad contradictionis aquas distinxit in labiis suis, de cuius excellentia dicitur; *Quia mitissimus esset omnium qui morabantur in terra*: pro cuius derogatione aduersus Aaron motus Deus Mariã lepra percusserit: Quid putamus ex quàm infinito sanctitatis fonte processerit, quod nõ cuicumque, sed diuino cõceptui, ac si semper præsagitum sibi fuisset, aurem ista adeò obtemperanter, animumque aperuit? Certè ipse Zacharias Ioannis pater, legis, Prophetarumque doctissimus, dum filij sibi eximia cœlitus enuntiaretur origo miserabiliter hæsit. Isti, quòd ex Spiritu Virgo, nõ mulier ex marito conciperet, dicto celeriùs stetit: cui sententiæ concinit quòd ei ab Angelo plenitudo gratiæ prædicatur: nisi enim diuinæ in ea virtutis ad integrum copia confluxisset, nunquam bonorum omnium vniuersitati Dei Filio concipiendi obedientiam, quod ineptis mentibus fabulosum videretur, impenderet. Ex munere enim supernæ infusionis, quod à primæuo singulariter inolitum sibi erat, non est, tali stupefacta de nuntio, sed omnimodam totius diuinitatis exuberãtiam, quasi ab æterno cognitam, gratanter excepit; quam ad hoc ipsum Spiritus Sanctus semper imbuerat.

Num. 12. 3.

Dicenti planè Angelo: *Ecce concipies & paries*. nunquam, quomodo posset fieri quia virum nõ cognoscebat, obiiceret: si se ex sponso quem videbatur habere concepturam sciret. Quis ergò istic coniecturam pro tam insolita interrogatione non sumat, quod ex veteri mirabilis gratiæ experientia virginitati perpetuæ inseruire delegisset, quæ ex præsenti, cui iam credita fuerat viro, se parituram minimè reputasset? quia enim nouæ gratię principium ipsa erat: planè competẽs fuerat, vt nouæ specialitatem professionis haberet, quæ nouo gignendi genere auctorem totius sanctæ nouitatis exponeret. Non igitur Angelus cor in ea rude aut imparatum reperit, cui cunctis tunc viuentibus adeò * inseparabilia nuntiauit, quibus tantò fidelius assensum præbuit, quantò humana natura eminentiorem inesse sibi affectum sensit.

Lucæ 1. 31. Quàm excellens fuit illius Angelo assensus.

f. * insperabilia.

In aliis sanctis mentibus spiritualium cariss-

Gratiam dat Deus

matum particulariter mensuræ, non plenitudines in præsenti sæculo prærogantur. Pro quo è regione dicitur quia in futuro erit Deus omnia in omnibus. Si itaque nunc in eis omnium virtutũ scintillæ interemicant, tũc integræ per omnes sine vlla luminis interpolatione coruscant: quod enim dicitur: *Non ad mensurã dat Deus spiritum*, ad filiũ pertinet, cuius totus spiritus ipse est. Quod autem vnicuique secundùm propriam virtutem; ad hoc vtique quod fidelibus supernæ distributiones, iuxta Apostolũ, pro fidei mensura donantur: cui simillimum est quod de incomparabili prorsus, & benedicta hac Virgine & creditur, & prædicatur. Ipsi planè nihil ad mensuram est præbitum: cum eum, qui apud Patrem totus erat, Virgo mirabilis intra septa vteri tulit totum.

sanctis ad mensuram. *Ioan. 3. 34.* *Eph. 4. 7.*

CAPVT II.

Deum in se se totum substantialiter continuit B. Virgo.

Svper qua re quæstio se infert omni contẽplatione dignissima. De nullo sanctorum sentire, aut dicere audemus, quòd in illa beatitudine sempiterna, nedũ in hac mortali vita, cuiuscumque excellentiæ sit, Deum substantialiter totum in se habeat: etsi enim omnis intra quemlibet virtutis congeries inesse perfectissimè æstimetur, nulli tamen diuinitatis vniuersitas essentialiter, vt est infusa, dignoscitur. Quod quippe dicitur futurum Deum omnia in omnibus, nihil aliud est, nisi quòd Deus, qui quosque sanctos per singulas quasq; virtutes in hoc mundo nobilitat, tunc vniuersos vniuersitate gratiarũ perfundendo collustrat. Aliud ergò est exuberare gratiâ, aliud ineffabiliter incõprehensibili repleri substantia. Quæ vtraq; singulariter benedicta de qua agimus fœmina sic habuit, vt & plenitudine gratiæ redũdaret, & incircumscriptũ inter omnes creaturas sola, nõ in suo solũmodò, vt cæteri, munere, sed totũ in seipso portaret.

Status ipsius in hac mortali vita præstantior quam in cœlo.

Vnde quæritur, & à nobis debita humilitate pensatur, vtrũ sacrosanctissima illa in mortalibus adhuc constituta mẽbris, Deũ gestando plus habuerit, quàm nunc habeat filio in cœlestibus corregnãdo: quod planè sic posse sentiri sine præiudicio intelligẽtiæ verioris existimo, quod in corruptibili carne multo magis plus habuerit, cũ plenitudo diuinitatis in se corporaliter habitaret, quã nũc habeat, licet christo suo corregnet: quãuis enim omnibus potẽtiùs creaturis feliciter viuendo persentiat, non tamen illud, quod in modò omnium gratiarum ac gloriarum abundantissimâ, imò cunctis præstantissima vbertate iam possidet, statui illi, vt mihi videtur, cõparari valebit; quo licet mortalis totum in se continuit quod Deus est. Aliud est nempe in quo totus resederit; aliud, quãuis beatissimè, quod particulariter implet.

Illam itaque ineffabilem MARIAM ex quadam parte, dum Deum concipit, beatiorem in præsenti dixerim, quàm existat in futuro: eâ penè imparitate, qua pars distare putatur à toto. Cui námque personæ, præter istam, attribuas, vt in ea se Deus totum personaliter contulerit? Ne in futuro quidem reperies, in quem coagulum inaccessæ illius maiestatis effecerit: Si enim Deo nihil est beatius, & illi beati dicuntur, vt sunt pauperes spiritu, vt sunt mites, quos virtutis alicuius splendor illuminat; quid in cœlo terráque eo corde & ventre felicius, quo se ad integrã illius creatricis essentiæ omnipotens summa coaggerat?

Obiectionibus occurrit.

Sed ad hæc iã resipiscat animus, & ipsius sacrosanctæ puerperæ ignorantias, & quasi cõmunes ei imbecillitates obiectet. Dicat itaque: Cùm ergò ipsa Deo cõcepto omnia pueri futura scire debuerit, totiẽs ad Ioseph edocendũ Angelus vexari non debuit. Occurrat igitur è contra memoriæ, quod ab Archangelo inter annuntiandum dicitur: *virtus altissimi obũbrabit tibi.* Et quid fuit illud obũbrare, nisi illius incircũscripti luminis immensitatẽ obtutibus mẽtis obtexere? virtus planè altissimi obumbrat, cũ sanctus Spiritus, cuius speciale donũ est humilitas, in conspectu rationis interioris gloriæ claritates extenuat. In conspectu ergò illo sicut nulli cõparabilis extitit dignitas, ita dignitatis potentiã non dissimilis aliis obnubilauit infirmitas. Vnde & alibi dicitur: *Pone quasi noctem vmbram tuam.* Quasi inquit, non verè, non enim quo lucemus, sed quo tenebrascimus debemus attendere. Non igitur forsitan quidpiã ignorare potuit, quæ Deum omnia sapientẽ genuit; quæ tamen & sapiẽtia, paritérque ex Deo carni suæ vnito potentia, tanta dispensatione delituit, vt sibi nec scire, nec posse deesset: cũ tamen oportuno tẽpori interim virtus contecta seruiret: sicut enim in puero IESV sapientia, ætas & gratia apud Deũ & homines pedetẽtim coaluit, ita & in matre, exolescente filio, & propalante per doctrinam & signa quod erat; quicquid in ea præter naturam factum nesciebatur, apparuit. Processu sanè tẽporis, & cœptæ efficientia dispẽsationis, & matris imbecillitas, & nati ignobilitas mirabili mysteriorũ reuelatione perpatuit. Quodam denique modo fragili sexui & ætati, si dicere audeam, lubricæ parsum super isto putamus: dum vt virtus immodica in animo tolerari potuerit corporis tenuitate, sub egestate domestica: scientiæ etiam & exterioris conuersationis generalitate temperatur.

Luca 1. 35. *Isai. 16. 3.* *Sapientissima, potentissimaque probatur.* *Luca 2. 52.*

Exacto itaque à tẽporali miseria filio; & gloriosa mater fideliũ omniũ opinione eximitur: & potuit siquidẽ ipsa similia nobis pati, & corporis obstaculo ab omnimoda scientia, quod Deus est, intercludi: & vnde tamen intercluderetur, cui semper absque dubio quod pepererat præscriptum animo tenebatur? Si propter sui exinanitionem, formæ serui acceptionem, crucis obeditionem super omne nomen exaltatur filius: cum eius contumelias

Post Filium glorissima.

& mortem maternus dissimulare non potuisset affectus, suppar quodam modo filio matri successit effectus. Sicut enim gloriam in filio præcessit humilitas, sic matris humilitatem, quæ redundabat à filio nimirum est subsecuta sublimitas: cuius gloria interior quò magis intrinseca, tantò fuit Deo contemplando subtilior; & lampas eius quò apud cogitationes diuitum despectior, eò ad statutum filij sui tempus paratior. Vnde ipse: *Tempus*, inquit, *meum nondum aduenit.*

Capro igitur emissario in solitudinem emisso, & ipsius matris pedibus luna supposita, & in idem traducta desertum, eius iam ritè magnificentia, & ex filio, & post filium omnipotentia multiplicibus aperitur ostensis. Ipsa in sanctorum visionibus, & signorum efficacia, ex cœlestium spirituum apparitione, hominum patrocinio, inferorum exactione, Reginam se cœli terræque ex suis circunstantiis vbique propalat. O ab intus gloria! ô quam respexit Deus ancillæ singularis humilitas! Si eum iam perpendas qui pertransiuit animam tuam gladium, multo auidiore lætitia vteri tui exultabis ad fructum! O ineffabilem verè etiam Angelicis rationibus fœminam, quæ adhuc carnali septa pariete illud incomprehensibile lumen tulit! quod neque humanus, neque cœlestis spiritus, non dicam totum tolerare, sed etiam peruidere non possit: videre enim suum qualitercumque Creatorem etsi permittitur, comprehendere tamen omnimodis ac peruidere negatur. Hinc est quod desiderant in eum Angeli prospicere, dum propter sui incomprehensibilitatem non cessant insatiabiliter inhiare.

Pensemus ergò dum eum ista concipit, quàm excellentiùs omni creatura viderit, dum portare datur quòd nulli licuit, vnde illud mirabiliter sensum est, quod non cognoscebat eam donec pareret. Ab eo enim statu quem ante conceptum facies eius habuerat, tantùm prægnantis forma distabat, quantùm à lunaribus radiis solaris potentia: si enim de iusto dicitur, quia exhilarat faciem in oleo, idest exteriorem suum habitum clarificat de Spiritu Sancto: quis putamus illius gloriosæ fœminæ de ingenita maiestate splendor accesserit, quæ excedens decorem Angelicum gloria eluxerit? Si Stephanus inter concilio considentes tantopere diuinitùs illustratur; ista ex plenitudine diuinitatis cui lumini comparatur?

[Psal. 103. 15.]

CAPVT III.

[Thronus eburneus Salomonis. 3. Reg. 10. 19.]

HÆc est thronus quem *fecit Salomon de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis.* Sapientia Dei Patris primùm iuxta Apostolum pacifica, ipsa est Salomon: quæ thronum de ebore sibi facit, dum sedem in Virgine, qua nil vnquam fuit castius, sibi ponit. Elephas enim, cuius ossa sunt ebur, continentis ac mundæ naturæ est. Porro grandem, nimirum ex Filio cœlis, terris, & inferis præsidentem. Hunc auro fuluo nimis vestit, cum eam non virtutum scintillis vt alios, sed ipsa substantialiter propria diuinitate interiùs exteriùsq; infercit. *Qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori.* Sex gradus sunt timor, & pietas, scientia, & fortitudo, consilium, & intellectus: quibus peruenit ipsa ad eum, qui sibi specialiter præsedit sapientiam Christum. Summitas throni, singularis eminentia est Genitricis Dei. Hæc rotunda est à parte posteriori: quia humanis vsibus despicabilis dum aduiueret quasi fabri vxor: iam nunc vbi solus Deus videt, supparem quodammodo prodigiis seostendit omnipotentiæ Dei, dum trinam machinam, vt prælibauimus, potentialiter circumplectit.

[Iacobi 3. 17.] [3. Reg. 10. 19.]

Et duæ manus hinc & inde tenentes sedile. Duæ manus, duæ sunt in Christo operationes. Operatio carnis licet fragilitati primùm addicta sit, tamen ea est quæ dicit; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Operatio diuinitatis, *Quia per ipsum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil.* Hæ vtræque operationes, pro vna persona pariter hinc & inde ipsam, quæ gignere meruit, dignitate debita roborantes, æquas & secundùm Deum & secundùm hominem, quia vnus est, habent vires. *Et duo leones stabant iuxta singulas manus.* Leo super carnis motus regium in quoque fideli dominium signat. Duo leones itaque duo sunt prælatorum, & subditorum seipsos regentium ordines Ecclesiæ. Iuxta singulas manus duo leones stant, cum quidam eorumdem ordinum actualiter sanctæ illi humanitati inhærent. Aliqui summæ contemplationi incumbendo præminent: vnde est: *Æstatem & ver tu psalmasti*; idest contemplatiuos & actuales tu instituisti.

[Ibidem.] [Matt. 28. 18.] [Ioan. 1. 3.] [3. Reg. 10. 19.] [Psal. 73. 17.]

Duodecim leonculi stantes super sex gradus hinc & inde. Per duodenarium fide Trinitatis instructi; & quatuor Euangeliorum impletione quadrati. Hi leonculi penes alios innocentes, & sui ipsorum rectores super sex gradus stant, cum sese sex virtutibus prædictis roborant. Hinc & inde sunt; quia pro captu suo quique in alterutram partem se deflectant. Vnde de vtraque dicitur: *Per diem sol non vret te, neque luna per noctem.* Quod est: ex diuinitate gloriæ, & splendoris nimietas tibi contemplanti non oberit. Porrò humanitas Christi, si sis minùs perspicax, non officit. Non est tale opus

[3. Reg. 10. 20.] [Psal. 120. 6.]

factum in vniuersis regnis; quia neque in A cœlo, neque in terra, neque subtus terra tale quid contigit, vt Deus dignaretur non Angelos, sed vterum virginis formam apprehendendo Abrahæ seminis.

CAPVT IV.

Porta orientalis apud Ezechielem 40. 6.

HÆc est apud Ezechielem etiam porta illa, quæ respiciebat ad viam orientalem, & ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam orientalem. O porta, per quam B Deus ad nos ingreditur! ô porta, qua fidei mysteria reteguntur! Speciosa, inquam, porta per quam Dei ciuitas aperitur. Hæc respicit ad viam orientalem, quia quicquid ipsa est, quicquid in ea actum est, nil aliud quam diuini luminis indicationem. Cum talis illa inter fœminas benedicta à nobis credatur. Ecce mox dum sic amatur, Dei gloria per ipsam viam ingreditur: quia quò magis eam totius venerationis internæ vlnis amplectimur, tantò à nobis euidentiùs celsitudinis eius honor agnoscitur: is enim non C commutando, sed amando penetratur.

Ibid. 43. 2.

Et vox ei erat quasi vox aquarum multarum. Illi Deo Israël, quod interpretatur cum Deo directorum, hæc fœmina gloria est, quia dum consideramus ex quanta eam Deus humilitate prouexerit, quid in ea fecerit; in his eius excellentiæ contemplationibus mens nulla non deficit. Ipsi gloriæ vox est ac si aquarum multarum, quia cum vna sit scientia hanc semper esse virginem & Dei matrem; tamen pro diuersis & diligentium & amantium qualitatibus, quamdiu præsens voluetur sæculum, non deerunt qui eius D gratissimam & verbis, & scriptis promulgaturi sint laudem.

Ibidem. Ecclesia illustratur Mariâ.

Et terra splendebat à maiestate eius. Exclude Mariam ab Ecclesia, quid erit Ecclesia nisi miseria? si ipsa non genuisset; quæ Redemptionis mentio extitisset? At quia genuit, vide quis in omnium piorum mentibus florulentissimus gloriæ spei decor emersit. Et quis ille adeò inter Christianos miserabilis, qui vel ore non præferat; qui non periculis obiiciat nomen Mariæ mirabilis? Dum E ergò tantæ eius maiestas geniture, licet cogitari plenè non possit, attenditur, eo Ecclesia splendore respergitur: quia idipsum vnde honorata tantopere constat, ad auspicium, ad propagationem, glorificationemque Ecclesiæ omnimodis retorquetur. Ipsa est terra, cui dicitur: *Dei agricultura estis*; & infra.

Ibid. 3.

Et cecidi super faciem meam. Super faciem cadimus, cum à magnitudine benignitatis à Christo impensæ, in conscientia erubescimus. *Quid retribuam*, inquit, *pro omnibus quæ retribuit mihi? Maiestas Domini ingressa est templum*, dum digno pudore concutimur: quia nil dignum Matri & Filio retribuemus. Maiestas Dei templum ingreditur: quia in consideratione nostra quid Deus in Virgine pro nobis fecerit, affectuosissimè ampliatur. Per viam autem portæ quæ respicit ad orientem templum intrat, dum per fidem dispensationis in Maria factæ, quæ singularis via est, & ad intelligentiam veri luminis vergit, mentem inspirat.

Ezec. 43. 4.

Ibidem.

Ibidem 5.

Et leuauit me spiritus. Leuat nos spiritus, cum ex repletione conscientiæ, quod est templum, in eminentiam contemplationis promouetur intellectus. *Et introduxit me in atrium interius.* In atrium interius introducimur, cum ad præcordiales diuinæ charitatis amplexus admittimur. Exteriùs autem caritas est proximi: quò enim magis Filij ex Matre humilitatem, & Matris ex Nato potentiam inspicimus; tantò amplius in eorum amore exardescimus. Vnde subditur: *Et ecce repleta erat gloria Domini domus.* Gloria Dei ratio accipitur in sacra pagina cœli terræque concretio, sed potiùs pro nostra salute in hominem diuinitatis inductio. Vnde Psalmus cum Deum mirabilia fecisse diceret: expressit, *Saluauit sibi*, inquit, *dextera sua*; subaudis genus humanum. Et illud; *Inhabitet gloria in terra nostra.* Nihil enim de Deo gloriosius, quàm quod apud infideles de eo est vilius: apud bonos humilius: apud omnes saluandos vtilius. Gloria autem est frequens cum laude alicuius opinio. In quo ergò Deus nobis erit gloriosior, quàm ex eo quod nobis extitit, non sine suis doloribus immensis inflexior? Conscientiæ ergo domus, postquam in cubiculum Regis, quod est atrium interius, introducimur, subitò sancti Spiritus illapsus diuinarum misericordiarum recordatione gloriabunda, tunc verè repletur: quia nil ad nos inuisendos Dei spiritum magis prouocat, quàm quod mens sui Redemptoris labores, & dona recogitat. Post aliqua quoque addidit.

Ibidem.

Ibidem.

Psal. 97. 1.

Psal. 84. 10.

Vitæ ac donorum Christi recordatio quàm vtilis.

Ezec. 44. 1.

Conuerti me ad viam portæ sanctuarij exterioris, & erat clausa. Via portæ consideratio est Mariæ. Sanctuarium exterius, corporeæ Virginitatis ipsius decus. Hæc clausa est, omnis pudicitiæ circumstantiâ communita: quæ non aperitur; quia nulla vlli titillationi ex parte discingitur. *Vir non transit per eam*; quia nulla maritalis intentio cadit in eam. *Dominus Deus ingressus est per eam: eritque clausa principi*: quia etsi diuinitas penetrat matris conscientiam, ipse idem, qui nascendi de virgine princeps est, non imminuit castitatis custodiam. *Princeps ipse sedebit in ea vt comedat panem coram Domino.* Sedere

Ibid. 2.

Ibidem 3.

In vtero B. Virginis Christus electos sibi copulauit.

regnantis est. In ea itaque sedit, qui in eam, A virginitate illæsa, vt Rex naturarum introiit. Ibi panem coram Domino comedit, quia electos omnes in eodem vtero sibi incorporauit. *Meus*, inquit, *cibus est*, *vt faciam voluntatem Patris mei*: Quod est coram Domino. *Per vestibulum portæ ingreditur*, *& per viam eius egreditur*, cum per humilitatem, quæ propriè sanctorum animos vestit, Virgo grauidatur; & post exhaustum idem sacrarium sub eadem via, idest intentione, vita transigitur. Sub qua enim vilitate se egerit, teste est Euangelium, cum defertur ad templum paruulus officio parentum.

Ezec. 44. 3.

Idem 46. 1.

B Post plurima quoque subiungitur. *Porta atrij interioris, quæ respicit ad Orientem erit clausa sex diebus.* Atrium interius, idest quod in Deo diligendo potissimum feruet intrinsecùs. Porta itaque atrij interioris ipsa Virgo puerpera est, per quam fit nobis aditus diuinæ agnitionis: à nemine enim scitur, à quo non diligitur. Porta ergò atrij interioris est, per cuius præcordialem amorem ad purissimæ fidei excurrimus intellectum, qui ipsius fidei fructus est, ex quo sentimus quomodo sub eadem persona, & quid Deus & homo est. Porrò etiam porta atrij interioris C ipsa est, quæ non tam priùs, quàm omnium excellentiùs ad summam Dei notitiam intromissa est: & quo ipsa spiritu sensit, per eundem idipsum nobis sentire causas dedit. Hæc respicit ad Orientem, quia quo nullus mortalium, imò nulla creaturarum rationalium vix scintillare præualuit, illuc ista, in Deum videlicet auctorem luminis liberrimè mentem fixit. Hæc clauditur sex diebus in quibus opus fit, quia conceptionis eius mysterium, ex qua introitus ad vitam homini patuit, omnem in præsenti sæculo naturam D (quod significare sex dies assolent) latuit & latebit. Cuius si corrigiam soluere dignus non est, quo maior in natis mulierum nullus est, quis putas interim dum aduiuitur dignus est?

Clariùs omni creatura Deum videt & cognoscit.

Ibidem.

De visione beatifica.

Die autem Sabbati aperietur. Si sex diebus præsens sæculum, in quo perfectorum habemus exercitia operum, per Sabbatum intelligitur requies animarum, in qua clausæ portæ tunc mysterium aperitur, quia carnis dimoto pariete, quod per speculum & in enigmate nunc cernitur, magna ex parte perspicitur: quò enim absque solitis suis integumentis simplicior, eò noster spiritus non solum ad secretorum notionem, sed & ad ipsam fit Dei visionem acutior. *Sed in die calendarum aperietur.* Dies est aperta Dei & omnium diuinorum comprehensio. Vnde Paulus. *Sequor autem si comprehendam, tuncque cognoscam sicut & cognitus sum.* Calendæ verò, quæ à conuocatione sunt dictæ, diem significant regenerationis nostræ; in qua sine dubio sicut animæ, sic corpori dum cumulabitur plenitudo gloriæ, ad integrum quoque præbebitur scientia Christi incarnationis in Virgine, & dispensationis in homine. In hac igitur interni luminis omni moditate aperitur, dum quicquid de eius diuina & humana natura sciendum est, scitur.

Ibidem.

Philip. 3. 12.

Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ deforis. Vestibulum potest intelligi corpus nostrum: quia veluti domus prætexitur vestibulo, sic anima carnis obstaculo. Cuius via est sensualitas ipsa, quæ licet corporalis sit, tamen in incorruptibilitatem, impassibilitatemque versa, quantò spirituali potentia iam præminet, tantò, si dicere audeam, in subtilitatem rationis per vim resurrectionis acuminata, puriùs Dei faciem contemplari præualet: & quantò forasticis distensionibus caret, tantò ad vnum collecta, ei cui introrsum inhiat immutabiliter etiam exteriùs hæret. Porta autem deforis, ipse est aditus & exitus virginalis: sicut porta intrinseca egressus intelligi potest de secreta essentia Patris. Princeps ergò intrabit per viam vestibuli portæ deforis, cum per ipsos non iam passiuos corporis sensus penetratur virtus, ac veritas virgineæ conceptionis. Sequitur: *Et stabit in limine portæ.* Limen portæ, summa est virginalis obedientiæ, in qua Princeps tunc stabit, cum per diuinitatis potentiam, quæ, motis omnibus, semper stat, virginem se fœcundasse; & quo modo per Spiritum Sanctum eam fœcundauerit, virginemque dimiserit ipse monstrabit.

Ezec. 46. 2.

Ibidem.

Et facient sacerdotes holocausta eius: & pacifica eius. Holocaustum totum incensum est. Holocausta eius per sacerdotes fiunt, cum in consideratione illius ex virgine humanitatis tam mirabiliter assumptæ, Reges iam & sacerdotes à Deo facti miramur, & auctorem omnium Angelis minora tulisse, perpetuis desideriorum æstibus nequaquam ardere desistimus. Pacifica eius, id est Principis, pariter fiunt, cum sancti immutabili contemplatione huius tantæ dulcedinis, & inperturbabili iam securitate quiescunt.

Ibidem.

Et adorabit super limen portæ, & egredietur. Limen portæ superius obedientiam diximus, quæ obedientia dici non potest, nisi ex certa humilitate firmetur: certa autem humilitas tunc esse solummodò noscitur, quæ ex E emergenti aduersitate inter obediendum probatur. Sicut planè limen portæ instar fundamenti subsidit: & cunctis intrantibus peruium constat. Sic ineffabilis Virgo licet aliàs prorsùs inimitabilis habeatur, super hoc penè solo vniuersorum exemplo proponitur.

Ibidem.

Obedientia ex humilitate, humilitas autem ex aduersitate probatur.

In anteriori tractu vehemens miraculum

extitisse probauimus, quod ad tam insuspicabilia cunctis promissa mortalibus sine exhortatione morosa, sine vllius oblatione exempli, illius benedictæ iuuenculæ inflecti valuerit adeò celeriter animus. Cui quippiam non minùs mirum in hac ipsa obtemperatione subnectimus. Si communibus virginibus ex nobilissimis quos essent sorituræ maritis, filij nobiliores futuri præsagio aliquo sponderentur profectò eis, & marium voluptas insignium, & gloriosa posteritas indubiè blandirentur. At verò istic summè dispariter: quæ enim, vt supra disputatum est, mentem perpetuæ virginitati addixerat; quæ etiam quamuis specie tenus in ius virile iam cesserat, vnde quæso tam facili oratione obtemperare sic potuit? quæ certè humanitùs, etsi non aliorum, tamen eius qui maritus videbatur scandalum timuit. Cuius tactuum nescia, in eadem participatione non fuit: quæ res eum quantò latuerat, tantò in huius traductione secreti more humano sollicitare debuerat. Vbi ergo nihil quod carnaliter eam delectaret in conceptu suberat: imò tantum mysterium nescientibus suspicioni aut probro patebat: mira eius obedientia sub hac humilitate probatur, quæ in tam passibili, imò Angelica castitate, totius popularis infamiæ omnimodis incuriosa videtur. Quos enim animos magis munit pudicitia, eò grauior etiam super rumore falsissimo atque rarissimo vexare consueuit verecundia. In quo tamen eius fides vel maximè super hoc approbatur, quæ & Dei promissa quantacumque forent, sicut incunctanter credidit, sic ea ipsum ordinatè, honestè ad sæculum, ac competenter moderaturum pariter sciuit. Princeps ergò super hoc limen adorat, cum affectuosissimè venerandam tantæ humilitatis obedientiam omnium menti Christus insinuat. Iustè enim honorari meretur, quæ & super se credidit, & in eo quod sibi promittebatur nihil carni placitum, sed quo spiritualiter potius præmineret, attendit.

CAPVT V.

B. Virgo gratiâ haud ad tempus, sed continuò plena ostenditur.

SEd quispiam infideli deterior obiicere poterit, quòd puellam illam rerum diuinarum prorsus insciam, quasi perfunctoriè ad tempus Spiritus Sanctus impleuerit. Quòd si ita est, quæso quid est quòd apud Deum gratiam inuenisse dicta est? Planè si inuenisse dicitur; inueniri dici non potest, nisi super eo quod quæsitum intelligitur. Ergò si gratiam inuenit, quoquomodo quæsierat; & quæ est ancilla totiens in Psalmis, ac Euangelio dicta, si à quouis obsequio extitit otiosa. Non possum exprimere ancillatum, qui aliquem, suo Domino aut Dominæ non rependit famulatum. Plurima est proculdubio ancillæ humilitas, quam Deus tantopere dignatur, vt eam respexisse dicatur. Si ergò humilitas meritum est, & non populariter bonum, sed excellentissimè bonis aliis præminens est, quam respexisse Deum probatum est, ad subitum eam sanctum Spiritum imbuisse quomodo verum? Quòd si temporaliter vt in Balaam Prophetante, & asina loquente, ac Angelum vidente, miraculum actum est, insensibiliter Christus conceptus est, quod summa Genitricis ac Geniti indignitas est. Apud Suetonium legitur; quòd in somnis sit claudo cuipiam imperatum, vt ad Vespasianum Cæsarem iret; pollice dextri pedis eius clunem læsum impeteret, sicque gressuum æquitatem attingeret, quod & factum est. Si igitur ante conceptum Virgo de Deo aut parum, aut nil sapuit, quid Vespasiano & claudo plus habuit?

Num. 22. 22. 23.

Si parasse lucernam dicitur Christo suo Deus, illius non paratur animus, ac vterus, quo se pariendum vniuersaliter contulit ipse Christus? Et ipsius certè Elisabeth iustitia vetus in Euangelio non tacetur, quæ cum ipsa prole Prophetico spiritu adimpletur, & isti etiam intentio ante conceptum religiosa detrahitur? Si Propheta Emanuëlem vocat, quod est nobiscum Deus, nec ab vllo non creditur; Angelus qui post *Aue* ei præcinuit, *Dominus tecum*, ergò mentitur? Et quæ Dei amoris ei ignorantia inerat, si cum exuberantia gratiæ Dominus ei comes erat? Si Dominus ipse vadit parare mansiones, id est locis mansorum mentes, fuitne ante verba Angeli vita Virginis ita diuini saporis expers, vt quod in aliis, omnino ad comparationem huius minoribus negotiis non negat; sibi ipsi Matrem coaptando non præbeat? Si Philosophicæ mentis est in mediis frequentiis solitudinem sibi facere, & tamen ex comitatu rationis solam esse non posse: quod putamus repurgium Filius Dei in illius fœminæ corde fecerit: quomodo, ne ad momentum quidem, ab eius illustratione recessit: quam ad futurum suæ propriæ & totius Christianitatis honorem maternitatis asciuit? Et quomodo vel ad punctum ei, ex quo genita est, defuit, qui quod ex ea sumpturus erat, Verbo, quod ipse est, ante etiam sæcula coüniuit? ipse enim in Apocalypsi dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.*

Psal. 131. 17.

Luca 1. 28.

Apoc. 13. 8.

Vbi quoque notandum quod non dicitur; *Aue gratiâ implenda*, sed *Gratiâ plena.* Nec minùs attendendum, quòd priusquam conceptum ipsi, partumque denuntiet, gratiæ ei plenitudinem inesse docet: ne post enun-

tiationem conceptûs quiſquam autumet eâ A gratiâ de repente profuſam, quam non habuerit ante horam. Et certè fides præueniente gratia ex libero maximè arbitrio conſtat. Vnde ergò beata ab Elizabeth quia crediderit, dicitur; ſi fidei admirandæ meritum nullo in ea iure prædicatur? Quid quòd ab eodem Angelo ante illius denuntiationem pro qua venerat cauſæ, inter mulieres benedicta vocatur; niſi quod in hoc eius, vt ſic dicam, idoneitas ad ſuſcipiendum Dei Filium principali ſingularitate notatur? Quòd ſi ab ignaua & cæteris morem gerente Vir- B ginibus puella tanta res exigitur, non maioris gloriæ eſſe videtur, quantum ad Virginem ſpectat, quam quod apud Iſaïam ſuper Cyro fiendum præſagatur: Quibus dictis ſubiungitur: *Accinxi te, & non cognouiſti me.* Non quoque quippiam maius, quàm quod in virgis Moyſi & Aaron celebratur, quarum altera effigiatur in colubrum, altera expreſſit amygdalum, ſi ſibi hæc gratia erupit ad ſubitum, quid exinde beatitudinis eius attigit animum, vbi nec in interiori eius gloria tanti boni nouitas futura præluſerit, & C expleto officio in modum ſcintillæ deſtiterit? Si ſic pectus geſſit à primæuo ſtolidum, quid eſt quod tam moraliter cantat deponi ſedes potentium, & exaltari humilium? Planè ſi tanta facilitate conciperet, myſterium eorum, quæ apud ſe ſecundùm quod obiicitur, tam inopinatè ſuſceperat, puellari forſitan futilitate iactaret, non, iuxta Euangelium, conferendo ſeruaret. Ergo mater Samſon pro eiuſdem naſcituri reuerentia cerimoniis addicitur, & authoris omnium mater ſubitò inſtar dementis arripitur? D

Luca 1. 45. *Iſaia 45. 5.* *Luca 1. 52.* *Iudic. 13.*

Ad hoc etiam conſiderandum quod, Angeli ſalutatione præmiſſa, ſubiicitur: *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.* Nota verborum qualitatem noſtris & penè vniuerſorum inuſitatam moribus. Laudari tantopere ſe, & ab eo quem Angelum indubiè nouerat, audit. Et quæ cauſa motus, quæ cauſa turbarum? Etſi mirari potuit, vt putatur, turbari non debuit. Res eſt quæ viris etiam ſanctiſſimis multùm argutè ſurripit, vt cùm videlicet ab inſtabili non ſine adulatione aliquotiens vulgo laudantur, illicò illac penè præcordialiter inflectantur. At verò iſtac E omni miro mirabilius eſt, quod Angelus per ſe vndecumque verax, ex diuina ei etiam ſententia proloquitur, & tamen ſuper tanta teſtimonij latione turbatur.

Luca 1. 29. *Quare B. Virgo in ſalutatione Angelica turbatur.*

Eſt ergò rei huius attentiori animo contemplari materiam. Perfectiſſimi boni natura eſt, quò ampliori amore virtutis inæſtuat, tantò ſibi miſeria fragilitatis, aut perminimæ noxæ cuiuſpiam, cui ſubiici adhuc ſe æſtimat, in conſideratione redundat: nec perpendit quid habeat, ſed cui neceſſitati ſubiaceat. Et cum diuini inſtinctus ſapore nectareo interiùs irremiſsè paſcatur, nequaquàm de his quæ adiacent gratulatur: id potius tantillum quod adhuc videtur officere, lamentatur. Vnde Dauid ſe crebrò egenum & pauperem. Ieremias clamat: *Ego vir videns paupertatem meam.* Plane alter audierat: *Inueni virum ſecundùm cor meum:* alter proculdubio; *Priuſquam exires de vulua ſanctificaui te.* Et tamen vterque quibus ſe humilitatibus addixerunt in promptu eſt. Ioannem non latebat, quicquid ab Archangelo penè ipſi Chriſto ſupparia de ſe dicta fuerant, & tamen verbo ac opere, quo humiliora poterat præferebat,

Pſal. 81. 4. *Iere. Thr. 31.* *Act. 13. 22.* *Iere. 1. 5.*

Sed impoſſibile videtur aliquibus, vt cùm aliis meliora quis geſſerit, deteriora de ſe ſentiat. Quod exemplis facilibus ſic probatur. Vides hominem pecuniarum auidum, gazis exuberare ſublimibus, & nulli vtilibus exundare diuitiis; qui quò eas multipliciores attendit, eò ſe ad habenda proripiens animo egentiores feſtinat, & habita non appretiatur dum habendis aſpirat. Quo ergò eſt ditior pauperem ſe reputat, dum aliena affectat. Et aliorſum vide quiſpiam in geſtu amorum, in directione miſſilium, in vocum diſcrimine, in anfractibus aut choraulica diſciplina, &, ne morer, omnis non ſolùm qui in qualibet vtili, ſed qui vexatur in arte ludicra, ex ſua quamuis ignobili intumeſcere conſueuit, & ſe aliis etiam honeſtis præferre ſcientia. Si igitur auarus quaſi ex copiis pauperaſcit, virtutis amor tractus interna dulcedine quantò ampliùs apud ſe ſuo intuitu inaneſcit? Si enim verum eſt, quod eſt, quia vbi intenderis ingenium, ibi valet: qua quiſque aut vera, aut falſa intentione ſe debriat; in eius rei ſtudio cæteris præſtare ſe putat. Dum enim ad hoc ſolum oculum dirigit, in quo vel inaniter ſibi quaſi præeminere videtur, dum aliorum vtilitatibus deſpiciendis ſuperſedet, ex propria arrogantia dementatur.

Quantò quis ſanctitate ſublimior, tantò in ſe humilior.

Sunt itaque valentiſſimi & illuſtres, qui quò ſunt ſcientiores, ſcientiæ ſe æſtimant egentiores: quibus eſt Philoſophicum illud: *Hoc tantùm ſcio, quod neſcio.* Porrò qui alios contemptui primus duxit, ſublime omne quicquid eſt, videt; vnde & verbum quod eſt deſpicere, ideſt deorſum aſpicere dicitur; quia infra ſe aſpicit, quos contemnit. Virgo ergò omni creatura excellentior, inſolito Archangeli fauore turbatur, quæ quantò copioſiori apud ſe merito coornatur, tantò ſibi indignior ex ſua quaſi inutilitate putatur: ipſa enim quæ ſingulariùs omni Angelo ac homine Domini pedibus,

Summæ in B. Virgine humilitatis ratio.

iuxta illud Mosaycum, appropinquauit, specialiùs cæteris de ipsius doctrina accepit; quæ non nisi humilitatem Filij sui verbo ac opere sonuit: ab eo enim mitis esse ac humilis corde didicerat. Cuius plenitudinem gratiæ antequam nasceretur ex ipsa combiberat.

In Angeli itaque non visione, sed sermone turbatur, quæ nihil eorum quæ ferebantur, in se haberi omnimodis arbitratur. Nec putes quòd ipsam etiam sibi virtutem humilitatis ascribat, quam respexisse Deum dicat, sed humilitatem, non nisi sui ipsius vilitatem appellat. Turbatur, inquam, cuius laus etiam superna non penetrat conscientiam. O infinitum robur animi, cui si vellet, certè non posset Archangelus adulari! ô beatissimæ insolens robur, quæ etiam ex ipsius Dei approbatione vexatur: sed licet coram Deo apud se dum efferri se audit, pudorem vnde turbatur pia patiatur intentio, cogitat tamen qualis sit ista salutatio: virtus enim insensata nec dici, nec potest esse: quæ etsi quod laudatur exhorrere non cessat, accidentes tamen ex meritis causas sub diuina agi aliquotiens dispositione retractat. Quæ planè Dei sapientiam paritura fuerat, non ad stolidum sapuit, sed in discutiendis diuinarum ordinationum euentibus fuit ex ipsa mirabiliter humilitate subtilis, quod etiam & est, & competit in omnibus sanctis viris: etsi nempe beatissima illa statum suum paruipendere videbatur; non tamen inane æstimabat, quod peculiari super omnes in se diuini amoris munere gerebatur. Nisi sanè quæ intra se agebantur ad liquidum discerneret, compos virtutis intimæ nullatenus esset: quæ contuendæ suæ menti adeò maiestatiua auctoritate præsedit, vt fiducia suæ incomprehensibilis, cuius sibi conscia, munditiæ dicto citius Angelicæ legationi subscriberet.

At verò elabi non debet quid sit quæ illi prædicatur affore gratia: quæ etiam eiusdem gratiæ plenitudo. Gratia pro remissione ponitur peccatorum, vt est in Apostolicis litteris: *Gratia, inquit, & pax vobis multiplicetur.* Remissis enim peccatis pacificamur Deo. Si de peccato vel originali, vel actuali eius agitur, per sanctum qui ei ex vtero coaluit spiritum, id purgatur. Si via Deo per quam ad cor veniat cuiusque fidelis parari iubetur: mater cui se generandum contulit squalori & incuriæ dimittetur? verbi gratiâ. Certè si secundùm Platonicam sententiam spiritus nostri prius creantur quàm corpora, posset Deus cuipiam spiritui optionem dare qua vellet procreari ex matre. Quod si fieret, quam putas ille personam sibi ipsi consciret? De corporis forma ac habitudine silеam. Quid honestatis, quid prudentiæ animo eius ac moribus comportaret: nil proculdubio illi adimeret, quo ipsa aliis inuidiosa non esset. Si sic hominis spiritus, ciuitatem virginalis vteri, quam sibi fundat altissimus, quo potentior est, nonne Dei multo magis perornat spiritus? Securus dico, si ciuium pariter supernorum cordis eius apparatum explicare proponerent organa, ante deficerent, quàm dicerent digna. Nam si iuxta Apostolum, Principatibus & potestatibus innotuit per Ecclesiam multiformis sapientia Dei: mysterium quod in MARIA actum est, cuius perminimam quæstionem Ioannes in natis mulierum maior enucleare non potest; quomodo apud ipsos expressibile est? Si ex his quæ circa nos fecit per Filium Deus, quæ aliquando nescierant, didicerunt, quæ in seipso Christus egerit, quomodo comprehendent?

1. Pet. 1. 2. — Gratia pro Remissione peccatorum sumitur. — Ex Platone prius creatur spiritus quam corpora. Lege Notam. — Eph. 3. 10.

Gratiam ergò sic accipiamus, vt quicquid ipsa fuit, singulariter selectum ab omni humana traductione credamus: vt pote quam inaudito sæculis priuilegio à Patre & à se sibi nouerat delegandam: per sanctum Spiritum tantis officiis affectandam, haud dubium, si audeam dicere, quod & dicam, quin in creaturis omnibus sibi soli in terra dum aduiueret, & nunc in cœlo secundam. Gratia autem hoc totum, licet omnimodo virtutum ambitu id prosequeretur, fuit: quia nulla virtus, nullum exercitium, non cuiuscumque meriti labor impensus, ad emerendam cuipiam fœminæ Dei conceptionem sufficeret, nisi gratia, & hæc non modò ineffabilis, sed inexcogitabilis omni præter Deum naturæ præiret.

Sed ipsa plenitudo quæ sit, pariter attendendum; nam forsitan ipsi specialitas deferri non potest, quæ multis ascribitur. Si enim hæc plena, & Elisabeth dicitur repleta; & de plurimis aliàs idem affatim reperitur; sed harum plenitudinum tanta esse dignoscitur penè diuersitas, quanta bonorum animorum est vbique varietas. Quotæ planè sunt innumerabilium capacitates vasorum, tot ferè constant modi statuum internorum. Secundùm propriam etenim cuiusque virtutem, iuxta Euangelium de talentis, fideique iuxta Apostolum mensuram, id est secundùm quod quemque capere possibile est, munificentia Dei est. Ipsæ quoque capacitates pro corporum animorúmque ætatibus, aut deteriorantur, aut crescunt. Aliter enim sensit Ioannes in puero, aliter corpore intellexit adulto. Plenitudo igitur pro qualitatibus mentium multis accidit, dum quisque pro Dei munere, & sua deuotione plus, minúsue recipit. Sicut enim comedentium ventres dispari omnino sese ciborum

Matt. 25. 15. — Rom. 12. 3.

quantitate distendunt, ita Dei gratiam longè dispariliori mentes distributione cognoscunt. Quò nempe Dei maiori quis amore ex*amplatur, eò, vt sic dicam, concauior receptui diuino probatur. Aliis solæ compunctionum scintillæ sufficiunt: alij supernæ contemplationis focos ferunt. Pro tenuitate itaque intellectus & fidei aliqui paruò implentur, aliqui pro captus amplitudine per infinita tenduntur. Vides ergò benedictam inter creaturas Virginem quàm peregrina inter alios gratiarum plenitudine pollet, nimirum quæ totius gratiæ auctorem beata aluo cœlum facta continet.

f. * exempliatur.

Nec illud denique licet paruum videatur, omittam, quod Virgini ab Angelo Elisabeth Senis conceptus, ac si pro astruenda fide proponitur: quod nunquam exempli gratia ab eodem induceretur nisi vt magnum Virgini videretur. Porrò Deo quid magnum fuit si Virginis ex Spiritu venter intumuit, qui olim vt eas fœcundaret aquis incubuit? Anui dare conceptum non minori facilitate subiacuit. At inter nos non minimum res ista constringitur, vbi difficultas totius naturæ, imò impossibilitas denotatur. Si enim Virgo ex Deo fœcundatur, nil mirum est, quia creaturarum, quæ sine masculis generant exemplo leuigatur. Sola post partum virginitatis conseruatio magni incomparabiliter æstimatur. Illi nihil omnino componitur, quia & diuinum est quod procreatur & prodit, & in naturis non exemplificatur. In senibus autem & effæto corpore à genitali potentia vtrobique subductis, nil minus apprecior si generent, quàm si fiat huiusmodi commercium fertile in impubibus annis. At multo minus; nam in pueris naturaliter ecoalescit calor, & physicè veteranorum inefficaciam ad gignendum iuuat, dum quod in his congelatio sanguinis impedit, in alteris primæuus feruor explicat. In summè ergò decrepitis res fit prompta miraculo, dum hinc muliebribus tremebundo iam senio non incidenti aliqua infirmitate vacantibus, illinc viribus à solito calore ac humore exhaustis, nihil est profectò residui quod motum cuiuspiam, non dico voluptatis, sed vel tenuissimæ voluntatis exsuscitet. Vnde Paulus fidem super hoc Abrahæ vel potissimùm probat, quod emortuum corpus suum & emortuam vuluam Saræ viderit: & contra spem in spe crediderit. Si præter naturæ leges ab omnibus æstimatur quod apud Hieronymum puer nouennis cum muliercula coisse, & prolem extulisse describitur; multò, vt sic dicam, exnaturalius est quod hi, quibus omnis ingenitus feruor refrixit, ad integrum nec alterutrius viuacitas potest suppleri, vtroque torpente per alterum expergiscuntur ad fœtum.

Rom. 4. 18. 19.

Ex puero nouenni mulier cõcepit.

Non igitur ab re Elisabeth cognata Mariæ proponitur, quia nisi omnimodis apud cunctos insperata physica obnitente res esset, nunquam Zacharias verba Gabriëlis tam obstinatè discrederet. Nec in exemplo adhibito nœuum quisquam beatissimæ Virgini quasi ad credendum alicuius detractionis inurat, quàm nos non immeritò pro fidei facilitate laudasse meminimus; sed sciat Angelum ex abundanti factum in vetula retulisse miraculum, vt & fidei eius adminiculum ministraret, & de tantis ipsa cognatæ prouentibus exultaret. Quin & mutuo pudori consulerent, quòd videlicet ipsa eo, cui desponsata fuerat, inscio concepisset, ista verò citra omnium spem iuuenilia repetisset. Vnde & illa cum festinatione in montana progreditur, mora latitura apud eam trimestri, ista ne stuporem videntibus sibíque ruborem pareret, sex mensibus occultatur. Et hæc, inquit, & tibi ac anui illi indubiè prouentura cognoueris, quia non erit impossibile omne verbum apud Deum, qui Virginem æquè vt sterilem, cum libuerit, soluit in partum.

Lucæ 1. 36.

CAPVT VI.

Hæc igitur beatissima dies est B. Maria, quam fecit specialiter Dominus; exultemus & lætemur in ea: cùm enim de Filio dixisset, ac si de lapide qui factus est in caput anguli, & hoc mirabile in nostris oculis, à Domino factum perhibuisset; ad hanc illicò verba transposuit, hæc, inquam, dies est, quæ solem iustitiæ protulit, qui de suis munificentiis præclarissimas dignitatum in Ecclesia horas instituit. Ipsa est etiam porta Iesv Domini, per quam iusti intrant; nulli enim iustitiam assequuntur, nisi per fidem incarnationis eius introeant. Super limen portæ huius Princeps ille apud Ezechielem paulò ante à nobis expositus, & adhuc exponendus, adorat; qui non superliminare dignitatis, sed limen eius humilitatis quod omnibus est peruium adorantes, idest in omnimoda veneratione habentes inspirat. Hoc planè Deus iure facere dicitur, quod fiendum aliis administrat. Sed præfatæ diei redeamus ad horas. Hæc, inquam, florentissima dies postquam luminare illud maius, quod & seipsam potissimùm, & lunam Ecclesiæ, stellasque Fidelium mirabilis intelligentiæ radiis illuminat, ediderit. Attendamus quantarum pariter felicitatum determinationes admiserit: harum nempe tàm origo, quàm officialis causa fuit: non enim aliter voluit, imò debuit Filius Dei ad nos egredi, nec potuit; quia nec debuit violenter

Dies est B. Maria.

irrumpere iura diaboli, cui ſponte homo manus dederat: Sed iuxta dicta Beati Leonis; *Magno æquitatis iure inibi certari dignum fuerat.* Hanc ergò ex qua crearetur obiecit diabolo; vt cum eum capeſſeret, nil aliud putaretur quàm homo.

Quæ duodecim felices horas protulit.

Prima igitur hora eſt, quod principem mundi extruſit, mundumque vicit, & hoc cruci ſe addicendo, noſque hoſti præripuit.

Secunda, quod per laticem ſuo ex latere profluentem in eadem cruce baptiſma ſanciuit. In qua paſſione in tantum diabolo vires antiquas extorſit, vt ante iudicij diem iam puniri inceperit: dicit enim Magnus Origenes, quòd poſt ipſam paſſionem, poſtquam ſanctus quiſpiam martyr aut confeſſor de præſenti victor ſæculo emigraret, ſicut ipſe ad coronam exiret, ſic hoſtis ille qui eum ſpiritualiter impugnarat, ſtatim in æterna tormenta nulli denuò nociturus intraret, & id eſſe quod ab ipſis dæmonibus Domino dicebatur; *Veniſti*, inquiunt, *ante tempus torquere nos.* Inde etiam tantas quas exercere olim conſueuerant fortitudines obtuſas videmus; nec mirum cùm poſt tot ſanctorum victorias, tot de potentioribus dæmoniis in pœnas decidiſſe credamus.

Matt. 8. 29.

Tertia, dum per reſurrectionem electos ab inferis eruit, cuius gloriæ tantum quoque priuilegij addidit, vt iuxta Prudentium, virum ſanctum & nobilem, ſint & ſpiritibus ſæpe nocentibus pœnarum celebres ſub ſtige feriæ. Illa nocte ſacer qua rediit Deus ſtagnis ad ſuperos ex Acheronteis.

Quarta, quòd per eandem aperuit credentibus regna cœlorum.

Quinta, quòd humanitatem noſtram verbo, quod ipſe eſt, perſonaliter identificatam paternæ dexteræ comparauit.

Sexta, quòd qui carnem ex nobis ſumpſerat, diuinitatem ſuam, quod eſt ſpiritus eius, nobis reddidit.

Septima, quòd eundem ſpiritum non ſolum fruendum attribuit, ſed etiam per manus Apoſtolicas, & ex eo Pontificales, aliis dari conſtituit.

Octaua, quòd per magiſtros Eccleſiæ, quod ſoli ſibi pertinebat, peccata dimitti cenſuit.

Nona, quòd Petro, & in Petro Rectoribus regni cœlorum claues prærogat; Vnde & Romæ quodam in loco ei præſcribitur.

Terruit Angelicas acies collata poteſtas
Tanta Petro, reſerare polos, & paſcere caulas.

Decima, quòd non Angelis commiſerit corporis ac ſanguinis ſui tractanda myſteria, ſed hominibus, etſi peccatoribus; quod & de Baptiſmo itidem factum eſt.

Vndecima, quòd corpus noſtrum in reſurrectione configurabit corpori claritatis ſuæ.

Duodecima, quòd in eadem Reſurrectione, ſicut carnem noſtram in Filio & Matre, omnis Principatus atque Poteſtas in cœlo venerabitur, & adorabit: ita quóque *hi qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Inde eſt quod procurator patrisfamilias à nouiſſimis denarium dare cœpit. Huic ſententiæ accedit, quòd nomen eorum coram ipſo honorabile futurum legitur. Quod ſi nomen Chriſtianum ſub tanto authore honoratur, intelligi profectò neceſſe eſt, quod aliàs iure his omnibus, qui benè vixêre ſub gratia, glorioſior retributionum prærogatiua reddatur.

1. Theſ. 4. 15.

Videamus igitur quo piæ compunctionis iubilo, diei iſti, quæ tam rutilo ſole, cœlo, inferis, terræque perfunditur, gratulemur: per quam dum introitum ſol ille ad nos habuit, ad infinitam diei ipſius claritatem, & ſub ipſa die degentium glorificationem, perpetuæ ſuæ & noſtræ nobilitatis donatiua circuntulit. Hæc eſt nubes illa leuis, quam ſol verus iſte conſcendit; iuxta Iſaïam, vt tenebroſam mundi huius illuſtraret Ægyptum: quæ pluuia totius fœcunditatis internæ terrenorum pectorum glebas emolliit: ipſa enim ſalubrium omnium doctrinarum cataractas aperuit, præſertim quæ panem Angelorum mundo expoſuit. Quæ tantâ à peccati omnis additamento in ſe leuitatem habuit, quantam ſacroſanctæ Chriſti dignitas carnis animæque commeruit. Ipſa igitur ex qua tantos animæ ac corporis haurimus honores quid excellentiæ habeat, quòd Dei Filium corporaliter in ſua carne contulerit, attendamus. Si poſt exhauſtam beatiſſimi ventris aulam minus habuit, forſitan aliquod detrimentum eius, quam ad plenum guſtauerat, gloriæ ſenſit. Abſit: Securus ex ipſa loquar, ſi læta fuit cum tolleret quod vſquam creaturæ non licuit: lætior planè cum gloria & honore coronatum aſſidere Patri æterno cum Apoſtolis vidit: & quamdiu meminerit ſe peperiſſe Deum, nunquam ne ad punctum imminui ſentiret, quem in concipiendo habuit lætitiæ fructum. Si Chriſtus Deus quia ſe humiliauit exaltatur, ergo ipſa perenni reſiduo gloriæ quod totum Deum contulit, potitur: imò clarificato prouehitur, quanto Reginæ clarius eſt Filium videre regnantem, quàm ex eo ſe ſcire prægnantem.

Iſaie 19. 1.

Nubes leuis, quæ pluuias effudit.

Quam ſublimem poſſideat gloriam.

Super limen itaque huius portæ Princeps adoret, ideſt in ſpiritu & veritate adorantes inſpiret. Vnde eſt: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Si enim de Chriſto homine dicitur: *Adorate eum omnes Angeli*

Pſal. 98. 5.

eius,

eius, de Deo nulli dubium quin adorent. A Quid sanctius, quid ea adorabilius carne, ex qua Christus gignitur, quæ habet identitatem cum ipsa, eadémque Dei Filio vnitur? Et certè in mundo positus si puer parentibus subditus, iuxta quod tulerant suæ ipsius scita legis, ipsos honorat; non est planè mirum si id ipsum quod in ea virtutis & gloriæ indidit, quod significat portæ limen, adorat. Adorare namque sicut pro diuino cultu, sic aliquotiens pro reuerentia ad homines ponitur: sicut Nathan Propheta Dauid adorasse scribitur. Vnde & Iacob B fastigium Virgæ Ioseph ab Apostolo adorasse dicitur: quod est in magna veneratione habuisse summam eius potentiæ, quæ sic inseparabiliter à Deo paratur. Si de sanctis quibus Dei filiatio promittitur, quod honorabile sit nomen eorum coram ipso dicitur; dum id in eis Christus honorat, quod ab ipso tribuitur; ipse in Matre naturam propriam, vnde ex debito sibi obnoxius est, non venerabitur? Pro quo aliis longæuitatis præmium prærogatur, à qua passus est accipere quod homo vocatur? Si apud illum honori extat, à quo totum quicquid est sumpsit, nobis tantò propensiùs C honorabilis esse debet, quantò suæ vniuersorúmque saluti eam necessariorem fœminam sperare quis præualet. Super limen ergò portæ apud Ezechielem adorat, cum per humilem obedientiam eius menti specialiter insidens, seipsum in ipsius glorificatione mirificat.

3. *Reg.* 1. 23. *Heb.* 11. 21. *Psal.* 71. 14.

Deinde *Egreditur*: quia quod apud se Benedictam illam beata interioritate prouexit, manifestâ, imò vt ita dixerim, secundâ D post se omnipotentiæ apud homines auctoritate retexit. Quis enim vel hebes nesciat, quòd ipsa est, quæ per Filium cœlo præsideat, terris imperet, inferos vrgeat? Princeps ergò egreditur, cum per principem matris principis virtus emittitur. *Porta autem non claudetur vsque ad vesperam.* Clausio hîc non ad Virginitatem, quæ sæpius est repetita, refertur. Porta igitur vsque ad vesperam ista non clauditur, quia clementiæ eius aditus vsque in finem sæculi E nulli piè petenti obstruitur. Non claudetur autem dicitur, aperietur: ipsa enim quæ post Sancti Spiritus dationem cognita est nostram omnium Virgo fudisse salutem, in suæ propalatione gloriæ, nullam deinceps passa est vetustatem; sed sicut Filij sui fides nullis persecutionum acta turbinibus destitui potuit, imò promoueri non desiit, sic benedictæ ipsius Matris honor non dico tepefieri, sed in dies pro successu temporum non semper exaltari nesciit. Si enim in singulis Fidelium ætatibus Christiana sententia, quò amplius ventilatur, astruitur; & discussa nil aliud quàm solidum respondere addidicit: Sic ipsius in sæculum clarificanda virginitas, & nullis hæresibus deuirginanda fœcunditas vel momentaneæ obumbrationi succubuit; imò imperiosissimè vltrix iniuriarum suarum per reuolutiones temporum, vnde & vbique quantum regnaret mirabilibus ostensis aperuit.

Ezec. 46. 2. *Ibidem.*

Iniurias sibi ab hæreticis & malis illatas vlciscitur B. Virgo.

Vnde sequitur: *Et adorabit omnis populus terræ ad ostium portæ.* Si princeps hoc quod ex ea accepit, id est integumentum propriæ humanitatis adorat, membris scilicet suis adorandum insinuat: rectissimè populus terræ, non pulueris, fide stabilis atque fructificans non volatilis, ipsam gloriosiorem supercœlestibus creaturis; vt pote quæ auctrix, & nouæ Dei Filij creaturæ alitrix est, non modò vt cæteros sanctos honorat, sed quasi superparem Christi humanitatis adorat. Ostium verò est ad portam aditus patentissimæ omnibus dulcedinis ad MARIAM: Quid enim miserationum illi Benedictæ non influat, ex qua fons totius ad cunctos qui tenerè pœnitent peccatores largitatis & gratiæ manat? Cui enim totum quod est misericordia se infudit, quomodo dissentiet ab eo quod in se continens ad nos fudit? Ipsi planè misereri est proprium, quia quæ se ad tanti immensitatem officij misericorditer à Deo perpendit assumptam, factamque inter ipsum Deum hominésque sequestram, non immeritò adeò specialia ad nos habet viscera, ex quibus & propter quos est tam singulariter excellens, vt misericordiam consequeremur, effecta: quia enim nullo modo idonea vt competit pertingendi ad Filium, & interpellandi ipsum cuiquam facultas suppetit, quæ eloquentia ei cuiuscúmque mediatoris gratior, imò tantopere grata esse valebit, quàm eius quam honorare, vt sic dicam, cogitur & iure necessitudinis, & suæ imperio legis? Si enim audientiam suam ab ea in aliquo absentaret, nullus ad rogandum nisi miserabiliter repudiandus accederet. Planè qui naturam condidit, & naturæ iura consequenter instituit: nulli dubium quòd apud eum personalitas materna præponderet, cum id in causis mortalium ingenita bonis omnibus consuetudo conseruet.

Proprium ipsi est misereri, vt pote sequester inter Deum & homines.

CAPVT VII.

Euangeliũ in Assumptione B. Mariæ legi solitum explanatur. *Lucæ 10. 38.*

PRæterea à plurimis quæri solet quare in eius assumptione Euangelij illud legi solet capitulum: *Intrauit*, scilicet, *Iesus in quoddam castellum*. Quod quantò iuxta historiæ corticem peregrinari videtur ab ipsa, tantò secundùm sensum moralem pleno contemplationis statu subsistit in ipsa. Quod si det Deus dicere ex sententia poterunt monstrare sequentia.

Intrauit Iesus in quoddam castellum. Quoddam solemus dicere de ea re quam noluB mus exprimere, aut nequimus. Castellum autem ex vallo & muro, turríque conficitur; & id ipsum à castrando, & coërcendo vocatur. Illius igitur Benedictæ conscientia castellum fuit, quæ quicquid Deo in se displicere poterat funditùs arcere non destitit. Sed hoc priùs habet vallum, cui ante omnia vsquequaque non defuit totius humilitatis imum. Muro deníque cingitur, cum mens eius beatissima interius bene sibi prouida, exteriori corporis sensuum custodia communitur. Turris introsistitur, cum in humili corde, castigato iam corpore, spes in Deum vnica tota proceritate porrigitur: verbi gratia; cum enim Domini totius maiestatis sibi denuntiata fuisset infusio, quid in eius ore nisi ancillaris humilitas sonuit? quid eius tota deinceps vita nisi silentium, & modestia fuit?

Eiusd. 2. 19.

Vnde est: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*. Vbi considerandum in quantæ sublimitatis fœmina illa Angelis præficienda vallo delituit: quæ cum ipsum Deum animo & ventre iam gereret, inimitabili sese deiectione cohibuit: Cum enim beatam ab omnibus generationibus dicendam se esse diceret, & tantæ gloriæ conscia existeret; maximè mirum fuit quòd ea se humilitate continuit; quod in cuiuslibet peccatoris habitu multùm laudari potuit. Quæ denique ei exterius obseruantia fuerit, ex eius in qua ab Angelo reperta est solitudine pensari poterit. Vbi non garrulorum, non amasij præsentiam offenderit, sed sola Dei cui innutrita fuerat contemplatione contentam repererit. Quin & videri impatiens cum qua festinatione montana conscenderit; & cum cognata anu Virgo trimestri morari mansione delegerit: quod iuuenculæ non minimum insigne extitit. Et inusitati cœlibatus ostentum, vt morum pondus anilium, motúsque seueros

Sanctissimi eius actus describũtur.

A non modò pateretur, sed auidissimè alacritas puellaris expeteret, ad hæc tanti maiestatis gaudij cum ineffabili concepisset affectu. Ad quem prorsus gloriæ collatæ redundantiam magnanimi respectu contulerit, ex eo propalatum est quod ipsa concinuit: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*, & cætera. Habes ergò superius murum; habes istic turrim. Quoddam itáque castellum est, quod videlicet à nemine excogitari, nedum exprimi potest, quid magnificentiæ exteriùs, quid pretij intrò habeat, quæ Dei mater est.

Eiusd. 1. 47.

Mulier quædam Martha nomine excepit eum in domum suam. Per mulierem actualis fœcunditas, imò fœcunda beneficiis actualitas designatur. Hæc Martha dicitur; quia multis amaritudinibus prouocatur. Hinc est quod ei dicitur: *Turbaris erga plurima*. Secundum hæc enim nomen eius interpretatur. In domum suam eum excepit, cum Virgo post Filium omni humana natura felicior Dei Filium concepit. Domus autem fuit animæ, domus vteri.

Eiusd. 10. 38. Martha turbata quî B. Virgini competat. *Ibid. 4.*

C At verò exceptrici illi quæ actualitas inesse potuerit vestigandum. Cæteri sancti suis commembribus officia munificentiæ pendunt; hæc verò ipsi suo vniuersorúmque Capiti specialiter ministrauit, quod alij generaliter vestigiis eius attribuunt: Si enim vulgo egenti tunicam præbeas, illa omnipotentis Filio ex Dei Spiritu & suo sanguine corporeum schema compegit. Si panem porrigas; illa suo Creatori beatorum vberum fomenta suggessit. Si mœrenti solamina præstitisti; ista gaudij vniuersalis altrices lacrymulas maternæ dulcedinis blanD dimento detersit. Quicquid prærogare poteris beneficio, hæc fœlici præcessit obsequio. Vis audire amaritudines quibus iuxta vocabuli etymologiam, gloriosa, quæ sic obsecundat, mulier irritatur? *Tuam ipsius*, inquit, *animam pertransibit gladius*. Quot Filius probra inter prædicandum sustinuit, tot mucronibus multò grauius quàm qui perferebat, imò cui irrogabantur ipsa succubuit.

Illius actiua vita.

Eiusd. 2. 35.

Et huic erat soror nomine Maria. Scitum E vbique est, contemplandi gratiam in Mariam signari. Et vtræque sorores dicuntur, quia in conscientia ex vno diuini amoris semine procreantur. Hanc verò Benedictam super omnes homines huius credimus gloria virtutis imbutam: in quam enim plenitudo diuinitatis ad integrum sese contulerat, non ad horam vt cæteri, non particulariter intinguendo sentiebat. Vnde est quod sequitur: *Quæ etiam se-*

Eiusd. 39. Contemplatiua. *Ibidem.*

dens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Secus pedes sedit, cum in Christi humanitatis susceptione debita sese humilitate depressit; sedere enim humiliari est. Vnde est: *Surgite postquam sederitis.* Porrò pedes Domini, ipsius sunt humanitas: sicut caput diuinitas. Inde & scabellum ipsa vocatur, adorarique in Psalmo iubetur. In qua Christi caro quasi quædam eius extremitas explicatur. Non immeritò igitur Benedicta illa secus hos pedes consedit; quia dum perpendit quantus à se concipitur incomparabili suæ deiectionis intuitu, eius quem gignit aut baiulat, quasi extremis contactibus hæret. Cuius quantò proniori reuerentia tractat carnem, tantò spiritualius acuminatur ad diuinæ, quæ est Verbum, substantiæ visionem: Si enim à sanctis viris dum Christi humanitas præcordialiter amatur, & creditur, ad contemplandam sensim diuinitatis eius speciem peruenitur; illam, quæ Deum & hominem in se congenuit, totúmque intra se indifferenter habuit, de Dei gloria quid latuit? Cuius in hac contemplatione quantò fuit beatitudo secretior, tantò intellectus ad diuina penetranda ex simplici & penitus indiuisa intentione profusior. In spiritualibus non aliud est videre, quàm audire; audire, quàm videre. Quid est ergò audire Verbum, nisi intelligere Deum? Sedens itaque verbum audit, quia per eam quæ humilibus datur gratiam, beatissimæ Virginis matris, animum, non prægustando, sed se vniuersaliter ingerendo diuinitas imbuit: Si enim Deitas seipsam latere potest, & ipsam benedictis omnibus, vt ita dixerim, benedictiorem aliquid diuinum latere potuit: cuius cordi & vtero quicquid illud est, quod Deus est, in nullo defuit.

Psal. 126. 2. *Psal. 108. 5.*

Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Frequens ministerium circa quod satagit, ipsa est sollicitudo circa curam dominici corporis, quam in benedicta Virgine actualitas sic ministrat, vt exterioris hominis obsequio magis quàm contemplando Deo aliquotiens insistendum credat: quod enim carnaliter genuerat, & præ oculis semper habebat, nimirum feruentiori studio indesinenter ardebat. Quod planè ad manum præsto constat, animus multo magis affectat: & quod minus sensibus adiacet, id intellectualitatis acies difficulter penetrat. Animum nempe colligere ad contemplationem, quietam postulat à strepitu forastico intentionem. Vnde & stare dicitur; quia crebris ab ea conflictibus laboratur: Dum enim ab Herode occidendus quæritur: dum Iudaïco iam iuuenis liuore impetitur: dum præcipicio intentatur; dum conuitiis obruitur; dum vltimò cruci addicitur, multo actualitas in ea animi bello distenditur.

Luc. 10. 40.

Domine, inquit, *non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Quod est ad ipsum Verbum, cui audiendo contemplatio vacat, dicere; Cum sim & infantiæ obsequiis, & iuuentæ infortuniis continuis vexationibus occupata, & compassione detrita, nullus hic locus contemplationi & internæ quieti iam est, in quo laborum & dolorum detentio crebra hanc obsidet. Et quia pro his illam certum est extra se velit nolit fieri, iube eam ad vnum actualitatis officium cohiberi. Nulli námque dubium est, quòd in corde beatissimæ Virginis maxima inter vtrumque statum super hoc altercatio fuerit; dum hinc in Deo videndo delectatur, illinc corporali eius cura distrahitur. Sed attendendum quod dicitur, *Solam.* Si sola actualitas ministrat, profectò contemplatio vacat: quæ vtique si aliquando actualitati inflectitur, proculdubio adnullatur. Quæ ergò sine interna quiete nil agere finitur, dum erga plurima conturbatur, ad spiritualia non leuatur. Quomodo itaque illa quæ se solam relinqui queritur, ab ea quæ inter molestias nulla est, adiuuatur? Sed ipsa actualitas à contemplatione auxilium habere videtur: cum mens vniformiter quod in se præponderat, exequitur: nam cum actualitas aliorsum tendit, & mens contemplandi auida secreta requirit, ex eo ipso quo de curarum multiplicitate se retrahit, quasi sorori officiosæ opitulari desistit: itaque adiuuaret si à desiderio speculandi quiesceret. Solam igitur non relinquit, si mens quæ contemplari proposuerat, actualitatis curas non refugit. Contemplatio ergò quamdiu Deo speculando feriatur, solam, actualitatem non adiuuat. At mens si à contemplandi amore fatiscat in quantum ab eo deficit, liberius iam actionalitati insistit, & ex hoc solam adiuuat.

Attamen Dominus vnum esse necessarium pronuntiat: vt enim de gloriosa illa fœmina taceamus, quæ per ministerium, quod carni illi sacrosanctæ exhibuit, ad diuinitatis suprema pertigit, omnis sanctus non nisi per fidem amorémque humanitatis ad scientiam peruenit diuinitatis. Vnde est: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet.* Officia quoque, quæ suo dum adiuueret corpori exhibebantur, approbans ait: *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Quid ergò Benedictæ illi magis necessarium, quàm corporis Domi-

Ioan. 16. 7. *Matt. 26. 11.*

nici integumentum? Quod dum texit, superni numinis sacramentum, multùm ei vt ad internum lumen attingeret, præstitit adiumentum: Si enim Christus se carne non tegeret, purus ille deitatis ignis quo se caperet? Et certè ne ipsa quidem caro, Deo in se latente, tolerabilis esset, nisi mentis eius sinum virtus altissimi obumbraret.

Nisi Deus se carne côtexisset nûquam ferri potuisset.

Lucæ 10. 42. MARIA *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Licet igitur Beatissima Virgo dulcissimi Filij corporalibus nimium distrahi videretur incommodis: & exterioribus detineretur officiis, nulli tamen credibile sani capitis habeatur, quin illa, quæ Deum vniuersitatis auctorem intra se contulerat, vnquam eius quem semel totum hauserat, quod nulli humanæ creaturæ est licitum, continua contemplatione vel ad horam fraudaretur: quibuscumque enim Filij angeretur doloribus, numquam tamen fidei eius quem indubiè Deum nouerat feruor intepuit: præsertim cui dispensationis ipsius occulta dispositio nequaquam fuit. Nam quod de nullo sanctorum creditur, de illa vniuersitate diuinitatis tantum non dubitatur habuisse residui, vt quaqua versum se ageret, nunquam à Dei visione desciret: quæ enim plus habuit in terra quàm Angelus, non minor Angelo esse debuit post tanti beatitudinem partus. Si namque in Angelis, qui ad ministeria diriguntur saluandorum, irremotus quocumque se vertant contemplationis tenor inuigilat, quid in tanta tam ineffabili Genitrice agitur, quæ proinde præ Angelis regnat? In mente planè ipsius sancta; imò, vt ita dixerim, subdiuina, absurdissimum est intelligi potuisse, post exhaustum tanti sacrarij locum, aliquod incidere detrimentum, vt quod parturiens habuerit, fuso partu perdiderit. Et siquidem plenitudinem diuinitatis corporaliter concepisse dignoscitur; quod totum iam enixa non habuit: quicquid tamen ad gratiam, gloriàmque cordis pertinet, nullo modo minùs habuisse à fidelibus æstimatur. Sicut sanè Sanctus Spiritus cum super Apostolos & credentes per linguas apparuit: recedente miraculo in eorum cordibus per scientiam, fortitudinem, & amorem sine imminutione remansit: ita post exhibitionem cœlestis puerperij, excellentia diuinæ amplitudinis in Virginea mente, sine vlla contemplationis pristinæ minoratione resedit.

Continuò Dei visione in terra potita est B. Virgo.

Act. 2. 2.

Lucæ 10. 42. Rectè igitur dictum est, *Non auferetur ab ea*, quia sicut in ipsa facta sunt nullorum sæculorum euentibus similia, sic qua semel imbuta est, eidem perseuerauit animi eminentia; alioquin si post partum defiisset, prædicta virtus videretur functoria. Etsi ergo conceptus tempore hæc in Virgine viguit gratia, hac scilicet quasi conditione vt tepesceret, aut desineret postea; vnde ei in cœlis præter humanum modum terris, & inferis tanta potentia? Profectò vbi initium & finis tantis priuilegiis conuenêre: media nunquam fateor detrimento alicui patuêre. Ad hanc itaque cessit optimæ partis electio, quia quibuscúmque famulatibus intra ipsam Martha discurreret, ad internæ semper dulcedinis nucleum eius conuertebatur optio: vnde & MARIA stella Maris, aut illuminatrix dicitur: in mari nempe ex quo turbatur erga plurima stella & illuminatrix est, quia in tentationibus sæculi, quas actualitati inseruiendo aliquotiens patitur, iugi & inuicta inter turbines speculationis luce fouetur. Hæc de capitulo præsenti dixisse sufficiat, vt videlicet ostenderemus, quomodo huius ineffabilis Dominæ prædicationi conueniat.

CAPVT VIII.

Præterea & Isaianum illud discuti operæpretium æstimamus si fortè præmissis arrideat: *Quomodo*, inquit, *descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti; sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in iis ad quæ misi illud.* Imber descendit, cum Angelus ad Virginem verba incarnandi deposuit. Nix de cœlo venit, cum se à Patre Sanctus Spiritus non Virginium sublaturus, sed candorem munditiæ ei superexcellenter aucturus infudit: Qui enim potuit dare conceptum prius in ea per fidem, cum actuali aboleuit originale peccatum. Illuc vltra non reuertitur, quia mens benedictæ illius à percepta nunquam spiritualis gratiæ prærogatiua cassatur. Illuc nempe reuerteretur, si suscepta in vacuum sine fructu accipientis ad Deum qui dederat, referretur: & hoc est pars MARIÆ, quæ ab ea non aufertur. Inebriat autem terram, cum insensibilem, ad vniuersos passionum internarum motus, Sanctus Spiritus MARIÆ reddit conscientiam. Ebrietas enim sensum doloribus illatis adimit, postmodum infundit, cum non aliunde sed ex se ipso concepturam imbuit. Nota dictum. Si secundùm litteram loqueretur, prius infundit, postmodum inebriat, poneretur.

Isaiæ 55. 10.

Lege Notam.

Lucæ 10. 42.

Germinare eam facit, cùm sine semine nostræ redemptionis pignus hinc elicit. Cùm germinare dicitur sine præmissæ sementis memoria, indubiè innuitur singularis benedictæ MARIÆ in conceptu mnnditia. Dat semen serenti cùm quæ spiritualiter concepit, cùm eo quem peperit spirituale etiam semen emittit. Semen serenti exinde datur, cum generalis sanctorum prędicatio ex Christi incarnatione exorta dispergitur: sed hoc doctoribus. Et panem comedenti, illum videlicet qui de cœlo descendit, & qui quotidianus à nobis petitur, nulli alij debitum, nisi qui auida eum cordis fauce complectitur.

Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, nullis dictionum motibus explanatum, sed incircumscriptæ rationis arcano ab humanis conatibus disparatum. Hic est liber ille qui ab hoc ipso Propheta sumere grandis iubetur. *Sume*, inquit, *tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis.* Hoc nempe Deus apud Deum Verbum stilo, id est intellectu solius Dei capi poterat: sed vt capi vtcumque ab homine posset, circumscribi humanitus voluit. Hoc ergò verbum egreditur, cum se visibile per carnem exhibere dignatur: & hoc de ore, id est de spiritu; ore enim spiritum emittimus. De ore namque egreditur, qui ex sola spiritus puritate in Vigine procreatur. *Non reuertetur ad me vacuum.* Vacuum planè rediret, si Dei Filius ad id quod cœperat inefficax extitisset. Nota quod superius dicitur non reuerti, hic etiam, sed non vacuum: à virginea enim se nunquam ne ad modicum, mente retorsit, sed qualem in filio denuntiando reperit, vsque in finem proprium, perseuerante eadem animi gloria, semper florentior in seipsa coaluit; Filius autem licet non vacuus dicitur reuerti, quia visibilitatem quam assumpserat, dexteræ necesse erat paternæ restitui. Is facit quæcumque Pater voluit, dum salutem humanam non sine suo cruore exercuit, & hoc est quod nequaquam vacuus rediit. In iis verò ad quæ mittitur prosperatur, præsertim cùm à sua dextera, quod est diuinitas, mirabiliter deducatur: quia ex eo quod passus est, nemo in eum piè credulus non saluatur.

Cui illud quoque haud multùm dissimile est, quod idem alibi ait: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem.* Quid sunt cœli nisi arcana consilia diuinitatis? Vnde ipse Filius: *Ego*, inquit, *de supernis sum.* Cœli ergò rorare dicuntur, cùm diuinæ miserationes hominibus propitiaturæ flectuntur. Nubes pluunt, cum quod in se continebant, super Christo nascituro dicta Prophetica euidenter ostendunt. Terra aperitur, cum à benedicta Virgine verbis Angelicis felicissimi vteri, imò beatissimi animi sinus obedienter panditur. Hæc est illa terra de qua dicitur: *Benedixisti Domine terram tuam*; ex qua benedictione, idest à Deo ingenita fructuositate captiuitas Iacob auertitur. Hæc est etiam iuxta librum sapientiæ, Terra posita in impensæ castitatis arido; & campus, quem nullus coniugij vomer exciderat, sponte germinans ex humilitatis profundo. Nota proprietatem verbi quia non de satis, sed de sponte nascentibus germinare dicitur: quod ad Virginem refertur.

(Isaie 8. 1. — Isaie 55. 11. — Isaie 45. 8. — Ioan 8. 23. — Psal. 84. 1. — Sap. 19. 7.)

CAPVT IX.

AD laudem communis Dominæ hæc tantilla perstrinximus: in quibus etsi parum fecimus, affectum nilominus ostendimus. Cuius gloriæ summam tametsi animâ nequaquam capimus, nedum linguâ soluamus, conatum ipsum tamen non sine præmio magno esse putamus, licet planè mentis deuotionem vocis officia nulla commendent, & ad supplendum quod sentimus facultas parua suppeditet, verùm affectare fœminam illam, & præcordiali amore complecti, non modò ipsi gratificum quæ vbera infinitæ pietatis prætendit ad omnes, sed singularis etiam est aditus per ipsius honorificentiam ad Filium, qui non minori voluntate acceptare dignoscitur quicquid ei reuerentiæ exhibetur, quàm si suæ cantarentur laudes. Si enim in sanctis suis Deus laudari iubetur, & hoc ideò quia quod de eorum virtute retexitur, ad Deum, qui dederat, non immeritò reportatur. In hac eius peculiarior laus est, quæ non solùm in eo præcellit quòd mater est, sed quod ad leuandam nostram miseriam ineffabiliter acclinis est: quod certè apud eam ex debito constat, quia quos Filius sanguine liberat, dignum est vt hæc sereniori dignatione confoueat: planè & ipse inter homines sexus viscerum plenior esse solet.

(Quàm gratum est Filio matrem Virginem laudibus extollere. — Psal. 150. 1.)

Quamprimùm igitur, cùm sit Deo, qui misericordia totus est, plena, nec natura vacet, qua sit miserendi studio prona, & id amare debeat ex debito, pro quo se Filius addixit patibulo; in ipsa nostræ intentionis figamus anchoram, cuius vox vniuersorum intercessionibus præstat cum venerit coram. Et cum penes liberalem Filium in hoc sæculo soleat in tantum præminere matris auctoritate, vt magis iubeat quàm exoret: ille qui quondam se ei fuisse non diffitetur subditum, non poterit, securus dico, in omni re illi præstabilem negare seipsum: & quod, vt humanitus loquar, non prece, sed nutu

illa intulerit, proculdubio constans erit; & quis sanctorum illa significante tacebit? Quę cùm omni supercœlestium agmini spectabilis ac reuerenda credatur, cum sanctis cæteris super suis petitionibus haud morosa à Domino audientia non negatur. Tum isti post Filium super omnia benedictæ quicquid libuerit, præ omnibus quanto præstantior est ad vota præstatur.

Inde est quòd fidem, quam de eius excellentia habemus, huic nostro tempori ostentis potissimùm mirabilius astruit. Et corda, iniquitate abundante torpentia ex iis recalificans, munificentiarum insolitarum impensione recolligit: hæc eadem namque signa, quæ antiquitus fidei ædificandæ valuerant, iam nunc eidem sine operibus vix constanti & moribus erigendis valent. Vnde ipsa ingenitæ benignitatis haud immemor, non minoris modò gloriæ portenta percelebrat, quàm quondam mundo adhuc fideliore fueuerat. Hinc se post IESV Domini nomen vnicam cui resipiscamus edocens, & suum quasi vltimæ necessitati concursum necessariorem decliuibus sæculis indicans: quia enim hodie non est prædicator qui mutiat, ipsa seipsam quæri debere, séque etiam non rogatam opitulari velle signis enuntiat. Igitur quoniam quanta sit, quantúmque veteribus portensa præconiis significare voluimus: dignum est etiam, vt quæ nostra ætate peregerit intexamus. Rei autem gestæ locus, ac testes tanta sunt contiguitate probabiles, nec sua numerositate putabiles, vt scrupulo vel insanus hærere non debeat.

Cur Beata Virgo illis temporibus miracula ediderit.

CAPVT X.

1. Miraculum de muliere, Teodeberta nomine, ab igne liberata. *Vide Herman. lib. 3. c. 27. in Append.*

CHiuiacus villa est Episcopij Laudunensis, ab ipso oppido interstitio ferme duûm milium distans, in qua vir quidam cum sua coniuge commanens, filiam ex ipsa inter alios liberos extulisse dignoscitur: quæ annorum nubilium cum habitudinem attigisset, & iocundiori tunc tempori opportunitas substantiæ arrisisset, adolescenti cuipiam nuptum datur. Hunc vtriusque parentis affectio sibimet caritudine tanta contraxit, vt sine priuatæ rei dispendio iuueni cum puella sub eisdem ædibus mensa thorúsque forent. Cum igitur in paternis illa cum viro sic ageret, & mira mater diligentia eum causâ filiæ excoleret, non maior poterat reperiri puellæ amor ad puerum, quàm socrus ad generum. Ipsa igitur celebribus eum ornabat induuiis, opiparè satagebat in epulis; ipsa faciem ac crines eluere, cubitum ituris mollia sternere; quærenti mancipium prima assistere; officium, præter thalamos, in omnibus præoccupare filiæ, &, vt vniuersa contraham, non matronæ imperium, sed discursus exhibere pedissequæ: nihil tamen adulterinum moliebatur hęc cura. Vt scilicet quasi ad se ei ingerendam distraheretur à filia, sed vt ætati lubricæ propriis filiam obsequiis commendaret, & adolescenti totis vrbanitatibus accurato filiæ affectum alliceret.

Interea diaboli versipellis astutia in partem retorquere sinistram quicquid beniuola intentione fiebat, & socrui per maledicos næuum multę fœditatis inurere, quòd videlicet nequaquam gratia prolis id faceret, sed vt eidem pro filia sese mutaret. Cum igitur incrementum sumeret in dies tam absoleti rumoris acerbitas, & mulieris animum concuteret tantæ falsitatis intoleranda malignitas, quantò se sentiebat super illa tione probri huius insontem, tantò ægriùs ferebat dici vnde quod pietatis studio exercebat, vulgi ipsa verteretur in fabulam. His itaque post aliquod tempus euicta molestiis, cœpit quem tantopere arserat subitò fastidire iuuenculũ, verens ne de cætero nota viueret, si eum quotidie præ oculis haberet; vnde non à suo eum, quod satis esset, contubernio dirimere, sed perimere iam destinat. Boni enim consuluisset si eum solummodò à sui frequentia dimouisset: at illa ad ferrum se contulit, malens hominem de medio fieri, quàm obscænæ pateret opinioni.

Mulier generum occidendum iubet.

Autumnali itaque tunc tempestate promota cum duobus pueris pactum ex placito locat: vicenos cuique solidos pollicens si eum, vti docebunt sequentia, trucidarent. Erant autem ij, vt fertur, genere Neruij, qui vindemialibus lucris adacti, in prouinciam Laudunensem sese contulerant. Ibidem ergò aliquamdiu cùm mercedis, tùm insitatę escę nouitate moratos mulier prælibata sponsione aggreditur: ijdémque acres ex natura, animo, pretio exacuti explendo facinori coarmantur. Quadam igitur die virum proprium ex industria quippiam foras acturum dirigit, filiam pariter aliorsum falsò nacta occasione transmittit; quibus ab æde digressis penum mulier secretò aperit, conductitios satellites introducit, hócque à foris obserato, generum nec mora vt vinum pransuris exhibeat sollicitare intendit: qui sumpto ocyùs lado cellarium reserat, sed priusquam in vas vina deponeret, ab ijs qui latebant intrò peruaditur, & illicò strangulatur: quod factum cum illa rescisset, iubet corpus statim ab eiusdem sceleris auctoribus tolli, & in domus superiora delatum lecto, quo cum filia cubitare consueuerat, supinari; sabanóque ac vestibus ac si somnolentum operiri.

Exacto intera exiguo temporis spatio, herus

domum rediuit, ac filia: & de prandio in A commune tractare cœperunt: quibus solitum accelerantibus larem, filiæ mater eloquitur: vade ait, & maritum, qui modò dormitum sese deposuit, excitare festina: Procedit ad stratum vsque iuuencula, soporatum iuuenem nomine vocat, tactu quoque morantem prouocat: cum ne vtique ille compellanti ac vellicanti coniugi responderet, defunctum cunctis complosis palmis inclamitat: concitatur familia, vicinia glomeratur, tantò miserabilius subito illius illacrymantes casui, quantò iustius super eius B intestatione dolebant. Funere igitur ab omnibus vera animorum ægritudine conclamato: Mater generi, imo filiæ homicida fucatis mœroribus obstrepebat, cæteris placidior eiulabat. Tantò ergò lamentabilius bonas hominis habitudines, lepiditatem morum, verbi elegantiam, scitæ insignia formæ, & ad hæc obtutus prosequebatur inuisos, quantò magis infaustæ crudelitatis ausus fieri verebatur apertos.

Pœnitet ac crimen sacerdoti aperit.

Quo talibus modis elato, mulier & euentus vtrobique siluit. Verum mulier fœdi fa- C cinoris conscia ad se versum prima prosiliit, & infructuosi pœnitudine criminis acta Presbyterum, cuius diocESEOS erat, facta confessione consuluit: à quo tanto malo conuenientibus addicta ieiuniis, aliquamdiu sub eodem medicinæ spiritualis fasce delituit. Plurimo autem emenso tempore inter ipsam & Presbyterum oboriri contigit simultates: quam Presbyter canonicæ conditionis impatiens, quo atrociori potuit iaculatur probro. Generi necem fronti mulieris impegit. Hoc parentes iuuenis ac si terrifico tonitru D experrecti: ad prętorium IBERTI Vicedomini Laudunensis rem refertu. Is quantùm in re militari viuacior, tantùm extitit in Episcopij publica procuratione ferocior. Quid verborum laciniis trahor? Vicedominus villæ se intulit; fœminam corripit; iuri sistit; causam exigit; mulier non diffitetur; sententia Lauduni ferenda differtur.

Ibertus Vicedominus.

Porrò dum cum ipsa idem causidicus cognationis eius aliquos eidem notæ subigeret: in me, ait, vnicam his liberis arma con- E torque. Neminem noueris pro certo conscium iniquitatis obiectæ. Erat verò ELINANDVS per id tempestatis Episcopus, vir planè quantum litteraturæ inualidus, tantùm administrationi forasticæ, & Ecclesiasticæ prǽsertim institutioni non nescius. Latione igitur sententiæ Pontificis traducta in curiam, cum Vicedomini hęreret animus quid facto conueniens videretur, à quodam Grammatico ei suggeritur, quòd dignè talis culpa incendij plecteretur: quod ille pro suorum morum acredine cum auida fauce

Elinandus Episcopus Laudunẽs.

legisset, quasi censuram publicam sua allegatione id roborat. At illa adeò triste iudicium cum sibi accidisse prospiceret, quæ iam diu facti pertesa doluerat, nunc miserabilius sæculo huic desperata concutitur, quóque magis ei imprǽsentiarum omnia prǽciduntur, eò vniuersa animi acies statui futuro exponitur.

Dei genitricis implorat auxilium.

Ab apparitoribus itaque postulat, vt ad cathedralem misericordissimæ nostræ Matris Ecclesiam ire liceat: & quis id prophanus abnueret? multo comitatu, qui propuniendæ exitio spectando conuenerant, miserabiliter succenturiata progreditur; & mediâ Basilicâ ad suæ purgationis cumulum, reatum proprium sub generali audientia confitetur. Deinceps communis sæculorum Dominæ pietatem humi imploratura consternitur. Quantis ad eam, quæ neminem miserum auersatur suspiriis, quanto angore rugierit, ipsa ex sequenti testificatur euentu. Inde à suo executore citata, petiit ab oratione supplicium. Ecclesia beati Iusti paululum montis deuexo posita, circumsitis illic britonibus oratorium prǽstat. Illic ministri Vicedomini in promptu habuêre tugurium, ad cuius furcam pedibus ac brachiis fœminam sola tectam subucula colligantes sumptis ex vinea proxima arundinibus & spinulis. Illius antra tegetis strue multa conferciũt, ignémque subiiciunt. Quo exesa materiei congerie in fauillam prunasque deposito, mulier consumptis libera nexibus stare videtur in medio.

Illæsa medio in igne.

At parentes generi, quem illa peremerat, eius inuidentes saluti & ereptionem eius ignis deputantes inertiæ, animositate sacrilega rursus ad sarmenta, fruticésque concurrunt: focos circa illam vsquequaque reficiunt; qui etiam impietate quamrabida, quæ solius fumi vaporibus poterat offocari, liberatam miraculo non credentes, porrectis per ignis medium hastilibus atrocissimè fustigabant. Quod solùm valde eam focis innocentibus læsit: nam cùm tota hæc profligata fuisset ambustio, remanserat item discriminis expers. At Vicedominus tantæ spectaculo nouitatis attonitus, omnibus nostratium regionum personis & partibus inaudito, barbariem protinus exhorruit rusticanam, eósque à propulsanda iam sancta fæmina heroïca, vt par erat, seueritate dispecuit: & per officiales extemplò direptis ignibus sibi asciri præcepit. Quâ sibi exhibitâ, dum eam circum circa ex circumstantiis euentum aucupando dispicit, non dico interulam, sed ne crinium vel ciliorum particulam ne minimè quidem addictam lęsioni comperit, in quo potissimùm sola vincula experta ignes obstupuit.

Assumpta itaque illa Laudunũ ipse contendit, & satis copiosiori vrbem frequentia ingreditur ad gloriam, quam pridem habuerit cum proficisceretur ad pœnam. Quam Vicedominus cum domum propriam diuertere potuisset, & curam inflictis doloribus adhibere; beata illa renuit, sed non aliàs planè ituram, quàm ad eam, quæ se saluauerat, dixit. Vestigium igitur ad Ecclesiam retorquet, mediâ basilicâ Dominæ suæ pro beneficiis nostro tempore inauditis gratulatura prouoluitur. Indicibile est quid ibidem fuderit lacrymarum: tacebimus iubilos qui multiplicitatem singultuum exhalabant, cum nusquam cohibere sese valeret turba videntium: quibus superexcellens, super tantæ subsidio peccatricis generaliter præbebatur exemplum.

Tunc eam Vicedominus sola indutam linea cùm pauimento hæreret, sublata ab humero lacerna operuit: & post inexplebiles orationes & gratias, à terra exemptam domum ducit; quam quia hastarum impulsibus læsa erat, & ignium commaculata fauillis, balneis, & quibus potuit fomentis, nec non & stratuum mollitie mulcens, dum se putat restituere sospitati, post triduum consuluit Deus ipsius sempiternæ saluti: tertio enim die saluatricis suæ manibus spiritum secura deposuit: à qua planè potuit corporale exitium deprecari, in anima meruit fusa libertate beari: ex quo etiam Benedictæ ipsius claruit misericordissimum pectus; quòd cum fœminæ illi tanta viscera in exteriori periculo pretendisset, post gratiæ suæ experientiam noluit eam mundana denuo conuersatione fœdari, sed mox quam cremando imaginariè sine læsura purgauerat, ad apicem supremæ liberationis eduxit. Vocabatur autem mulier eadem, * TEODEBERTA.

Tertio pòst die obiit.

* *Herman. lib. 3. c. 27. in Appēd. appellat Soiburgam.*

CAPVT XI.

1. Miraculum de viro, qui quòd arari præcepisset B. Mariæ Magdal. festo die plexus fuerat, sospitati redditur.

IN Gratianopolitano territorio vir quidam ex vidua, quæ sibi nupserat, priuignum habuerat, qui dum vitrico bubulci ferret officium, dies Beatæ Mariæ Magdalenæ natalis obuenerat, quam idem iuuenis indictione sacerdotali cum audisset ab opere forensi inhibitam, vitrico agricultum imperanti reuerentiam vetitæ solennitatis obiecit. Vocabatur autem idem Petrus. Vicit vitrici iurgantis imperium, bouésque aratro subiungens cum ipsius operis, ac animalium execratione prosequitur. Cum ergò iugibus cœpta maledictis illapidat, inutile sibi exauditur ad votum. Nam boues ac vtensilia, motis subitaneo tonitru elementis, fulmine absumuntur, & ipse qui id fieri exegerat, imprecando, supplicio atrociori quia diuturniori addicitur. Quæ enim bruta ac lignea cœlestis flamma vorauerat, eadem eius pedi extemplò surripuit, quem in breui cum reddidisset exesum, tibiam quòque peruadens cruris pariter suprema corripuit: carnes namque vorans, neruorum duritia tabidis fluoribus latescente, ossa retexerat, eadémque casu quotidiano vsque ad geniculum hac illacque dispersserat: ad hæc cruris pulpa deficiens vsque ad ipsa natium, inguinumque contigua nudo osse iam malè pendulo, pari sententiæ succumbebat,

Cum igitur pro misera sua habitudine, & putori, & pudori suis cœpisset esse parentibus, totum subsidio diuino se contulit, & ad quandam Ecclesiam beatæ Mariæ Magdalenæ nomini dedicatam efferri se petiit; nec id planè iniuria, vt cuius temerata festiuitas occasio punitionis extiterat, si sibi placeat satis vltra tandem remedij causa rursus existat: cui spei fortunatior quàm sperabatur à plurimis euentus accessit; nam sacer ille, qui partes iam corporis superiores attigerat ignis, merito illius extinguitur, quæ ad pedes IESV concupiscentiarum ignem extingui meruit lacrymis. Interea vnius experientia pietatis iam iamque maiora præsumens, cùm ab extremis partibus prorsus esset inutilis, comperit quandam Ecclesiam Dei Genitricis communis Dominæ celebribus vbique dici miraculis insignem: habebat & Hyppoliti martyris memoriam, ad quam cum se deuehi impetrasset, ingreditur nauem, quam dum molitur ascendere, os illud quod protendebatur aridum, quo nescio infortunio pupi illiditur, & à sua compage resoluitur: quod ille sumptum cùm ad basilicam appulisset, intra parietis Ecclesię foramen abscondit.

Cœpit igitur inibi crebris obsecrationibus mundi interpellare Reginam, vt quod aliis impendebat valentioribus, sibi prorsus imponi non negaret. Contiguum fuerat natale dominicum, & miles quispiam sæpe eum intuens basilicam reptando subire, elemosynæ causâ in domum propriam declinare suasit. Cum ergò illic aliquamdiu desedisset, die quadam ad riuulum proximè defluentem sese contraxerat, & cruorem, qui veteris vulneris stillabat ex venula, haustis manu laticibus eluebat: quod procax aliqua mulier attendens intulit; frustra niteris Petre, quia nunquam aut coxam, aut tibiam habiturus es deinceps: hanc Petrus vocem ęgerrimo concepit affectu. Ea tempestate prętati vxor militis partu edito decumbebat, miles verò, vt familiarius illa rem gereret, in alteram domum concesserat. Pedissequæ noctu nescio quid acturę, à camera in domum exteriorem deuenerant, & Petrum subaudiunt

crebris planctibus ingementem, quorum gemituum causa hæc fuerat: Virgo & mater super omnia benedicta, cum beato Martyre Hypolito in visione stratui eius astiterat, quæ martyri, vt iacenti videbatur, imperabat: Restitue, inquit, eum antiquo vigori. Martyr verò imperanti humiliter obsecundans crus, tibiam, pedémque quaqua versum olim sparsa diuinitus ad instar futuræ resurrectionis in puncto compacta recolligens, corpori eius ac si surculum arbori cœpit subiungere: in qua insertione tantis torquebatur angoribus, vt vicissim non sine clamoribus substridendo, & crebris rictibus, membrorumque motibus quid pateretur indicando, prædictas ancillulas quæ per domum vagabantur acciret.

Irruunt igitur, & illato adiacentis cubili faro, dum hac illacque dispiciunt, duos pedes Petrum & duo habere crura reperiunt. Tantus illicò ex hoc intuitu mulieres stupor exanimat, vt se non eas quæ venerant, sed mutari in alteras æstimarent. Contrectabant, & vera membra quæ tetigerant, sentiebant. At contra vnde id tam insolitum sibi prouenerat æstuabant. Tandem difficillimè excitatus, quis sibi restituisset amissa, à fœminis perrogatur. Dixerat, inquit, mihi funesta mulier quia nunquam coxam, tibiam aut pedem essem habiturus. Cumque aperuisset oculos benedictam cum martyre Virginem adhuc lectulo æstimabat astantes, quibus inuisibiliter absentatis, rem refert. Interea ad Dominum curritur domus, eíque insuspicabilis ille narratur euentus. Cunctatur diu: Nænias quæ ferebantur existimat: ab asserentibus tandem victus suis se ædibus infert: videt, vix præ stupore ad fidem se cohibet. Intra idem oppidum fratrem miles habebat vnicum, cui super ipsa fortuna statim direxit nuntium, quem ille ex pridianis vxoris fœtæ epulis appellauit ebrium: at verò postridie oppidanis iam illò ruentibus frater ille factum videre sustinens credit.

Additur ergò illi miraculo mirum quiddam, quod nouum illud Dei opificium, & infantili teneritudine impari prorsus robore, & minus congrua iuueni majestate: coxa distabat à veteri in qua ex cruris alterius asperitate atq; grossitie compositio valde diuersa videbatur haberi: & hoc erat quod eorum qui eum ante non nouerant valde adnitebatur fidei: non tamen poterat cruri vetusto ad corporis sustinentiam vllatenus exæquari: attamen quorsumcumque migrabat, quocumque videbatur in loco, totum diuinæ commilitabat laudi, quod in eius carne tam mirabiliter constiterat celebrari. Anno itaque integro magnificentia miraculi in homine claudicauit: quo obducto, super omnes creaturas post Filium, & per Filium Benedicta cum suo Hyppolito, sub eadem qua prius venerar & nocte, & figura reuertitur. Cuius nouum plasma cum iubente piissima martyr Beatissimus contrectare cœpisset, quicquid illi annotinæ creationi defuerat, excepta teneritudine cutis, & specie nouitatis veterano femori simillimè conformatur. Experrectus igitur, & visionis veritatem ex habitus pristini melioratione persentiens, dum superni spectaculi iterationem gestu suo cunctis enuntiat, & fidem facti roborat, & apud Deum, & Dei opera, nil existere imperfectionis acclamat.

Leodegarius Vinariens. Episcopus discutit miraculum.

Præterea cũ vbique loci rei adeò inusitatæ ferretur opinio ad LEODEGARIVM Viuariensem, qui nunc aduiuit, Episcopum peruenit relatio: idipsum planè in Gratianopolitano territorio, vnde homo erat oriundus, fieri cœperat, sed in diocesi Viuariensi finis obuenerat. Episcopus ergò insolito omnimodis rumore percitus, cum die quadam plurima procerum frequentia causas acturi coram eo venissent, affuit & is in cuius domo acta res fuerat cum fratre proprio; ad quos sic orauit Episcopus: *Cum vos inter omnes dioceseos meæ viros veraces ac conuersationis legitimæ norim, obtestor vos coram hac probabilium præsentia personarum, vt quæ sincerius dici à vobis queunt super signo illo, quod apud vos gestum prædicatur, referatis in omnium qui præsto sunt audientia.* Qui assurgentes vti relata sunt retexuerunt omnia: à quibus etiam post perorationem ob astantium scrupulum dimouendum, certitudinem sacramenti exegit; quo præbito, dilatis illicò quas dicturi erant causis, pariter Episcopus & proceres castrum adeunt, & hominem in Ecclesia turba circumsistente reperiunt. Aggreditur Petrum Episcopus, & primùm de infortunio sciscitatus causas audit cum effectibus. Demum fortunæ recentis euentus inquirens auribus relationem, ac rem obtutibus haurit. Perscrutatur denuò vtrùm aliquibus conijcere valeat argumentis, si eadem sibi essent insita membra quæ prius an altera: respondit ille se nescire: *Non*, ait, *possum me hac illacque pro cruris ipsius nouitate dispiciendo torquere, vos potius scrutamini, & si in ipso cicatricem repereritis ipsum quod quondam habuerim fore noueritis.* Subtilius quærunt, nec mora vulneris signa conspiciunt, nec diffitentur mirabilem Deum.

Igitur recedente Episcopo cum ille pro tanta sibi impensa gratia, quam Deo redderet vicem cogitaret, ad hoc tandem animum appulit, quatinus à forensi quod omnibus vbique erat factus theatro, Deo victurus soli sub reclusione secederet, & quia

erga se inaudita fecisset, dignum retur vt conueniens Dei munificentiæ quid ageret. Itaque diuinæ speculationi sic vacans, cum de omnipotentis beneficio humanæ visitationis præmia nulla iam quæreret; inuenit diabolus contra eius immunitatem quid machinarum ingereret. Sciebat planè maximum incentiuum ad affectandam Dei Genitricem, & ad sperandas magis ac magis eius misericordias id miraculi omnibus accidisse: Vnde nitebatur ex aliqua morum eius corruptione, diuinitùs in ipsa perpetrata fœdare: quem ergò insolentissima Deus pietate sanauerat, insolentiori diabolus infestatione pertentat.

Intempesta enim cuiuspiam noctis hora dum cubitum sese deponeret, inopinatè ad purum sine exuuiis species, imò vera effigies sibi mulieris apparet: quæ cum cætera corporis, tum maximè puerperij ignominiam impudenter ostendens, ad fœdos vsus lenociniis moliebatur allicere. Porro blandiciis minus agens, hominem terrore mactabat, cum neutro posset, iniectis etiam manibus pellicere vi volebat, & quo ille viuacius flagitio resistebat, tanto pestis hinc & inde rabidior incumbebat. Ab illa ergò nocte omnibus se ei noctibus fœmina ipsa præbebat, & quibus poterat versutiis turpi licentiæ inurebat, intantúmque fatigabat, vt mane ad se venientibus visitandi gratia vix respondere valeret, vix id quod perpetiebatur edicere.

Cum igitur multis quod ab eo ferebatur veniret in scrupulum, accidit superuenire castro illi quem prælibauimus Viuariensem Episcopum. Ea denique nocte quidam equites cum cereis suis pro reuerentia proximæ basilicæ, cui ille appendicem habebat cellulam, in ipsius vestibulo vigilabant. Et ecce in ædicula interiori vbi commanebat solita de qua audierant turba perstrepuit: ad fenestram itaque sese proripiunt, intrò prospiciunt, & in medio Petri conflictum atque mulieris attendunt, quorum ille roboratior præsentia iamiam lassabundus exclamat: pro Deo stolam sibi ab Ecclesia sacerdotalem ocyus exhiberi; qua raptim sibi iniecta, collo diabolicæ illius pellicis implicuit. Et in tantum perniciei illius iugulum torsit, vt eam pauimento prosterneret, ac penitus suffocaret: hoc in crastinum milites Episcopo referunt: adest Episcopus, victoriam stupet, quam per Petrum exercuit Deus, clientes proprios dirigit, qui tecto retecto, & fune demisso, gulæque innexo extraxere anum ingentissimam, & ab oppido elatam addixere sæuis ignibus concremandam.

Postquam autem eam Petrus offocauit in cellula, tantus fœtor ipsum qui sacris illam armis peremerat, & astantes obsedit, vt nemini ambiguum foret cadauer turpissimæ cuiuspiam extitisse, quod diabolus induisset. Cui opinioni hoc non minimum præstitit argumentum quod in fenestrellula latrinarum panni scissi ac putridi reperti sunt. Et quis hos alios esse putauerit, nisi hos quos circa se impurissimum illud in obuolutione sua cadauer habuerit? Etenim per fenestram illam irruere consueuerat. Denique additur à quibusdam, à quodam etiam constat scripturæ mandatum, quod, triumphato hoc modo diabolo, consilio Pontificum Gratianopolitani ac Viuariensis abdicata reclusione quasi periculosiori statu, monastico contubernio quasi contigui solatij gratia sese contulerit: quod minus ideò ratum constat, quia Viuariensis Episcopus, qui hæc ipsa quæ magna ex parte viderat, Domino nostro Regi excellentissimo LVDOVICO, præsente venerabili GVILLELMO Catalaunensi Episcopo retulisse dignoscitur, nil tale dixerit. Et hoc quàm nuperrimè à Viuariensi auditum Laudunensi Episcopo Domino BARTHOLOMÆO, & mihi cum ante paucos dies Cataulannensis ipse narrauerit, cum PETRI monachatum ei, sicut ab aliis audieram, obiecissem; Viuariensem nil super hoc dixisse perhibuit. Nec mea vel cuiuspiam interest vtrum monachus sit, vel non; cum sit credi operæpretium, ipsum bonum sub quocumque degat proposito habere studium, cui tantum Deus tribuerit post exhibita in se signa triumphum.

Ecce benedicta ista quod desperatissimum est apud homines, quàm ambienter efficit: & certè si in sancto quolibet viro tale quid patrauisset, meritò id fieri acclamasses: verum in bubulco simplici & omnium inscio; quid nisi consuetudinariam gratiam dices? Rarò enim aliàs se mirabilis ipsa glorificat; nisi in iis, qui eam rogare nesciunt, aut extremè peccatores sunt. Nec id iniuria, quid enim obsequenti sibi dabit ipsa iusto, si tantum sit pia ac visceralis auerso? nec super hoc ipsa degenerat: venit filius suus non iustos, sed peccatores vocare: qua enim ratione humano generi Matrem se magis esse monstrabit, quàm si offensos sine meritis ad se contrahit? *Lucæ 5. 32.*

CAPVT XII.

Miraculum quo B. Virgo adulteram conuertit.

EST præterea aliud quiddam relatu breue, exemplo magnificum, cui arrigendæ sunt aures omnium peccatorum. Ex relatione Atrebatensis Episcopi mulier quædam fuerat, quæ coniugatum virum quendam à propriæ vxoris latere illecebrosissimè

distrahebat. Quæ licet aut pretiis, aut voluptatibus acta cum quotidianæ mœchiæ non parceret, & homini misero fœdis amoribus obuoluto, iam coniugis etiam memoria ab animo penè deficeret; tamen quotiens ad Ecclesiam ibat antequam quippiam oratura precis expromeret, quocumque imaginem benedictæ Dominæ nostræ prius sibi videre contingeret, Angelicam sibi salutationem qua poterat reuerentia exhibebat. *Aue*, inquiens, *gratia plena Dominus tecum*. Coniux itaque viri quæ sibi adulterinos præferri dolebat amplexus; acerbissimis in æmulam stridebat ardoribus: & cum mariti timore nihil auderet in illam, quantò in publico ne quidem grunnire fas fuerat, tantò rabidius apud se fremebunda furebat. Ergo ad beatissimam istam conuersio eius tota sic erat, vt ei quæ se à suo fraudabat coniugio, per huius Dominæ potentiam cœlestes imprecaretur iras; atque mulierculæ illius spurcissimas riualitates non diu pateretur inultas.

Gratissima illi est salutatio Angelica.

Cumque piissimos Reginæ cœlestis affectus aduersus eam se lamentis iugibus grauiter irritasse putaret. Ipsa per se Benedicta eidem in visu dignanter apparet; *Quare*, ait, *super muliere illa vltiones à me expetis? ego planè nihil aduersus eam possum, quia quotidiana sedulitate illud mihi meum denuntiat gaudium, quo gratius aliquid ab vlla creatura audire non possum. Putasne quòd contra hanc pro te debeam irritari, quæ de mea ineffabili gloria quasi commemorans me prouocat gloriari.*

Ex quo dicto cum animus fœminæ à solitis imprecationibus penitùs desedisset, contigit æmulam sibi quadam die venire obuiam: quam veluti à diuinis iam desperata iudiciis, conuiciis lacessere sic intendit: *O turpissima, quot animæ meæ angores infligis, quæ & lenociniis tuis carnem meam à me dirimis, & præsentiam tuam quam incomparabiliter oderim, mihi obuiando opponis? Quàm libenter, imò quàm debitè tuo mala corpori inferrem, quæ quotidianum menti, auribus, ac oculis meis non desinis irrogare dolorem? Vbi enim à continuis non vacat aut thorus aut mensa rancoribus, quid ista quam mihi infers hostilitate crudelius? Restabat vnicum illud spei, quod Virgo Dei Mater aliquam in te iaculetur vltricem sententiam; sed ab hac omnino iam decidi, ipsa enim mihi dixit, quòd ipsum* Aue, *quod sibi depromere quaque die præoccupas, in tantum eam demulceat, vt nullum tibi inconueniens inferre præualeat.* Quod illa audiens, vtrum verum esset, & hæc ab ea audisset argutissimè perscrutatur: quod ea asserente, altera intulit: *A modò*, ait, *noueris quod nullatenus maritus tuus me deinceps ad tui iniuriam coütetur: & illi super hoc meam deuoueo pudicitiam, quæ meo tam paruo obsequio tantam præstitit indulgentiam.* Vnde factum est, vt ex eo quo ista castitati se redderet, illa simultatem deponeret; & hoc totum ad salutem vtriusque inter omnes fœminas Benedicta disponeret.

CAPVT XIII.

PRo iis itaque peccatricis animæ deuotionibus tam liberaliter acceptatis, pro salute etiam corporum in quibus non quæritur nisi communis sospitas animarum, ad ipsius laudem iterum vertamus articulum. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Et in quo dicitur magnus, qui exprimi non potest quomodo magnus? Dicat qui melius sentit: mihi maior Deus in nullo videtur, quàm quòd humanitus nobis condescendisse dignatur: Si enim, vt dicitur, *Omnipotentiam parcendo maximè & miserando manifestat*, dicam & ego quia nil in Deo sublimius, quàm quòd se homo factus humiliat. Qui sanè in eo quòd mitis & humilis corde est, se imitandum solummodò proponit, in quo penes ipsum magnificemur ostendit. Vnde omnipotens sermo à regalibus sedibus dicitur venisse: qui enim cœlo terráque non capitur, maius nihil mirum est, quàm quòd in vtero puellæ concipitur. Nec aliàs vt mihi videtur ipse omnipotentior est, quàm quod creaturæ conditor intra creaturam contentus est. Nec vsque laudabilior, quàm in quo factus est clementior. Sed hoc in Dei ciuitate, de qua dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te*; in qua natus est homo cum eam fundauerit altissimus ipse. Et quid gloriosius dici de ea potuit, quam quod vniuersam regni cœlorum gloriam intra se continuit? Et quis est mons ciuitatis, nisi Filius virginitatis? Ipse lapis abscisus de monte sine manibus, qui impleuit vniuersam terram.

Psal. 47. 1.

De Virgine Beata interpretatur.

Orat. Dominica 10. post Pente.

Matt. 11. 29.

Sap. 18. 15.

Psal. 82. 3.

Hæc fundatur exultatione vniuersæ terræ: quia per Sanctum Spiritum in matrem suscitatur qui est oleum totius Ecclesiasticæ lætitiæ. Vnde est: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Gladio super femur accingitur, dum concreto sibi per Spiritum Sanctum corpore circumscribitur: & hoc super femur, quia ex diuinitate præcedit, quicquid ex Genitrice foris assumitur. Hoc etiam facit potentissimè, nihil vtique magis quàm quod fit paruus in Virgine.

Psal. 44. 4.

Mons Syon, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. Si ciuitas Dei est in qua Deus habitat. Videamus idem habitator vnde constat. Mons, si diuinitas intelligitur, consequenter latera aquilonis humanitas appellatur: in excellentiam namque deitatis omnis

acies spiritualium nititur, quia Syon contemplatio interpretatur. Latera Aquilonis improuidentiæ sunt antiqui hostis. Quicquid enim à latere est, in profectu minus est: *Si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Vnde & homo captus dicitur: quia suo impetu ignauiæ addicitur. Mons ergò & latera Aquilonis Deus est, & integumentum corporis, quo f[illegible]itur auiditas cæca latronis. Et quare non latus, sed latera? Quia duo sunt in quibus sibi improuidus fuit. Alterum quod ex indebita Dei Filij peruasione ius, quod vsurpabat in homines, perdebat antiquum. Alterum quod subiturus erat ante tempus perenne tormentum.

1. Cor. 2. 8.

Ad hanc ciuitatem confluunt qui in omnis criminis labyrinthum præruptiùs ruunt. Istic alienigenæ sunt qui regno cœlorum vim faciunt, factíque piè violenti diripiunt. Istic Tyrus, qui repellunt omne pondus, & circunstans se peccatum. Vnde & Tyrus interpretatur angustia. Hîc populus Æthiopum; nigri videlicet fuligine peccatorum: quicquid est peccatis immanius, ad huius Benedictæ tutiorem omni ciuitate sinum se immergit procliuius. Et ipsa est ciuitas, in qua qui per affectum non habitant, nullius momenti habent vitas. Quæ quoque lætantium omnium est, quia quæcumque ad illam piissimam præcordialiter se ingerit, gaudiosæ spei exors non est. Et quæ sunt portæ Syon, quas diligit Dominus, nisi æternæ virginitatis, quem prima habuit appetitus, nulli comparanda in tanta sublimitate humilitas: transcendens omnia fidei ac obedientiæ virtus? Quid est Syon, nisi ipsius fœlicissima anima, in qua supereminuit eius quem in se continuit diuinæ speculationis gloria? Per has exterioris exempli portas nostra addiscit intelligentia, quanta in eius interiori habitu viguerit cœlestis vrbanitas. Nec ad has Iacob tabernacula valent, quia quæcumque exterius exercentur perfunctoria sunt, & spiritualia corporalibus neutiquam æquipollent. Præsertim cùm eius fundamenta fuerint in montibus sanctis, id est cùm Abraham, Isaac, Iacob, Dauid Patres, ex quibus Christus, non tàm cerimoniis, quàm spirituali Benedictam hanc filiam suam virtute præcesserint.

Isaiæ 35. 1.

Igitur lætetur deserta & inuia. Et quid Maria desertius, cuius ad instar Angeli ab omni sensu voluptatis extorris fuit animus? Quid magis inuium, quæ nunquam mente admiserit vel ipsius legitimæ coniugationis assensum? Potest planè in mente cuiuspiam vacare appetitus, & patere tamen viæ maritalis aduentus. Vnde sequitur: *Et exultabit solitudo*, quæ deserta fuit per impassibilitatem, inuia etiam per licitorum contemptibilitatem in tanta solitudine iam exultat, quia sine præcedentium ac succedentium exemplo constat. Vnde & beatam se dicendam ab omnibus generationibus cantat: quæ enim adeò solitaria, quàm illa quæ totum quod est, in creatura præteruolat?

Ibidem.

Et florebit quasi lilium. Natura lilij est, vt desecto solo tenus stipite si terra obuoluatur, aut aquæ ab imò inferatur, cóma eius effloreat, ac si radicitus hæreat. Virgo radice caruit, quia ad concipiendum Dei Filium vsus omnino naturæ defecit. Ab humana ergò dum massa succiditur, humilitatis terra inferius introrsum videlicet sepelitur: Sancto pariter Spiritu humectatur: inde candor diuinæ illius humanitatis egreditur, cuius fidelium vniuersitas singulari odore nutritur, cuius folia repanda patent: quia virtutum ipsius claritudines ad nostra se exempla retorquent. Subtilissimi intus virgularum radioli aureum colorem præferunt; quia omnes eius motus intrinseci supernæ sapientiæ gloriam promunt. Vnde quæ sine humano semine per Spiritum germinauit; per eundem Filij sui membra germinabit, id est germinis causa constabit. Lætabunda exultat, cum non tàm lætitiam quàm similitudinem lætitiæ exterius affectat. Laudat verò cùm ineffabili Deum interius sonoritate glorificat. Vnde magnificat eius anima Dominum, & exultat spiritus eius in Deo, quod est psallere spiritu, psallere & mente.

Lucæ 1. 47. 1. Cor. 14. 15.

Isaiæ 35. 2.

Gloria Libani data est ei. Libanus dicitur candor. Gloria Libani cœlestis est speciositas regni. Hæc Dominæ illi benedictæ specialius datur, cui ipse Rex gloriæ principaliter obnoxius, ex propriæ carnis collatione dignoscitur. Et quid in cœlo ei non obtemperat, cùm ipsa suo & omnium Creatori ex parte pene imperat? Deus bone! quantum mentis in illa fœmina est, quæ, licet proportionaliter, diuinum quiddam tota est. Et in terra datur ei decor Carmeli & Saron. Carmelus cognitio circumcisionis, Saron princeps tristitiæ: per Carmelum iustos, per Saron intellige pœnitentes: loquitur enim Deus *pacem super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Cognitio circumcisionis experientia est omnimodæ vitiorum abscisionis, hoc ad sanctos. Principes autem tristitiæ sunt, quorum vnus ait: *Venit Iesus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Effectum autem pro causa ponendo, tristitia peccatum est. Tristitiæ ergò sunt principes qui se non diffitentur potissimum peccatores. Quod totum est dicere, quicquid innocens, & peccator pœnitens ad Deum possunt habere decoris, totam sui boni originem ad gratiam referant tantæ Genitricis; quæ nisi sic genuisset, sic iustus, sic pœnitens nullo modo

Psal. 84. 9.

1. Tim. 1. 15.

modo splenduisset. Hi visuri sunt gloriam Domini: quia illam, in cuius vteri thalamo de suis gloriatus est nuptiis, cum sui Christi, & eorum quos redemit fructu sunt visione perpetua complexuri. Visuri etiam sunt decorem Dei nostri, ipsam scilicet iam clarificatam carnem cui Deo propitio merebimur conformari.

CAPVT XIV.

Apostrophe ad B. Virginem.

Aliquamdiu super omnes Benedicta fœminas in tuis laudibus delectati, ad te tandem licet supra modum peccatores, cogitationes ac verba conuertimus. Desiderio nostro ad te laudandam, ad te complectendam satisfacere non possumus, à te tamen medullitus posse deposcimus: reuerberant nos carnalitatum turbines; verum ad dirimendos illos prouocant nos expertę semper in te dulcedines: his exsatiari: has auidissimis præcordiis combibere satius est, quàm viuere: & quis viuit nisi qui te affectualiter sentit? Quis nisi demens non optet emori, si videre te possit moriendo mercari? Nonne est nostræ consummatio gloriæ, si vel possimus inter nos & tuum Filium te mediatricem habere? ex debito est, Domina, si nostri memineris, propter hoc enim facta; propter hoc es electa, vt apud dulcissimum Filium causam nostram piissima tuearis. Insere cordi & ori nostro tui nominis irremissam memoriam, quam cui dederis, securus dico, quia iam cœlestem incipit prægustare gloriam: quid enim te dulcius, quid tua recordatione securius? tibi enim non orare, sed vbique imperare præsto est. Iube ergò vt in præsenti miseria te nobis inuisceres, & iam miseria non est. Fac vt quicquid sumus ex te simus, & cum nos tibi feceris, præter tua nil restet ex nobis.

Rythmus ad B. Virginem, & S. Ioannem Euangelistam.

Ærumnarum & dolorum plena gerens viscera.
De meorum execranda peccatorum fouea,
Quorum miser velim nolim patior damna,
Te reclamo saluatricem puritatis Domina.
Ad tuorum me factorum mentionem confero.
Te spem meam singularem, Te salutem computo.
Non aspernans me contemnas, dum te Mater inuoco;
Sed hoc licet sim indignus, fac mihi quod filio.
O beata orbis omnis pretio valentior.
Tu prædicta Dei voce mundi sub primordio;
Cuius partum tota vatum præconatur concio.
Sola plebis expetenda Christianæ portio.
Virgo diues prisco pietatum quondam tempore:
His diebus non minora signa da clementiæ.
Nam si taces, ô miranda, quæ spes erit veniæ?
Nos repulsos quàm crudeles deprimenr miseriæ!
Graues mei sunt reatus; placa Deum Domina,
Si te piam sensit olim meretrix Ægyptia:
Vírque qui te, atque tuum Filium negauerat:
Corde toto te quærentem, cur fraudabis venia?
Tui nunquam moris fuit miseros despicere;
Sed plerumque non rogata consuesti visere.
Quantò magis ergò debes postulata affore,
Quæ profundo appellaris mentis meæ * vulnere, (f.* viscere.)
Plena Dei, & piorum plena prorsus viscerum:
Super omne quod humanæ linguæ valet studium.
Iam tuorum elucescunt claritates munerum.
Orna mores in me curans quicquid est mortiferum.
Nunquam fuit, nec existit par tibi vel similis:
Toti enim creaturæ superextas nobilis.
Apud Deum sic vox tua constat impetrabilis;
Vt ad aures Regis Regum nulla tam sit habilis.
In nos ergò per materna respice præcordia;
Atque nostra tu tuæ proli suggere suspiria.
Fluxum carnis atque vagos appetitus tempera.
Rore semper castitatis pectus hoc refrigera.
Omne nequam quod in nobis execraris, obrue.
Mores aptos, cor quietum, sancta quæque congere.
Virus eius atque dolos pellens, obsta Sathanæ.
Nec ipsius hortamentis nos permittas cedere.
Sola namque si cœlorum surgis in concilio,
Præcatura pium Patrem cum prædulci Filio;
Succlamabit mox sanctorum tibi iuncta concio:
Et petita quæque tuo suberunt arbitrio.

Et IOANNES tu qui quantæ castitatis conscius,
Tantæ matri, Christo dante, succesisti filius.
Audi mea secum vota, claris precor auribus.
Et à cunctis me diuerte pessimis operibus.
Tu qui terras incolenti mirè carus Domino
Extitisti, tam fœlici dignus priuilegio,
Pro tuorum apud ipsum loquere remedio:
Frangens regna mortis, eius subde nos imperio.
Illi verbo quod prompsisti quantò es vicinior:
Tantò magis interuentum præsta sollicitior.
Prosint tuæ sanctæ preces se deflenti misero.
Ora semper pro multorum peccatorum conscio.
Tuæ multùm indigemus largitatis munere.
Quid remittat vt offensas Deo differs dicere?
Quicquid enim postulàbis consequeris facile.
Ergò tandem exoratus infelices respice.
Da perennem quam amasti castitatem corporis;
Et à cunctis quæ molestant exime contrariis.
Auge sensum, firma pacem, quicquid nocet remoue.
A futuris me refrænans facta mala dilue.
O Regina iam præsenti inclamata carmine:
Custos eius ac minister præpotens Apostole:
Apud eum qui præ cunctis vos probauit agite,
Vt dignetur ad se nostros animos erigere.
Passo sanè Christo quondam satis estis memores:
Iuxta crucis eius aram quàm stetistis flebiles.
Per hanc ergo sanctæ mortis oro vos mœstitiam,
Impetretis vti nobis IESV pij gratiam.
O Maria quamuis ore te polluto nominem:
Audi tamen & à culpis interim da requiem.
Iugem quoque hac in vita da tui memoriam.
Da MARIA dulcis tota in futura gloriam.
O IOANNES digne multum Dei dici gratia,
Nos & omnes qui te quærunt in periclis libera.
Etsi corpus tribulatur, mentis pelle nocua,
Comprobetur ex effecto quod sit in te gratia.
Da MARIA tuis seruis animæ munditiam.
Da IOANNES aduersorum vincere molestiam.
Nosmet ambo ad virtutis lineam reducite:
Vt coniungi mereamur claritati cœlicæ.

FINIS.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS AD OPVSCVLVM DE VIRGINITATE.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

Quàm de se auctor humiliter sentiat.

ETSI *nos tam eximiæ huius virtutis & credimus, & credi volumus penè totos exortes, si copiosè ipsius gloriæ eminentiam ne excogitando quidem attingere, ne dum explicare, possibile est, tuæ dilectioni, licet supra vires à nobis exigat, nihil nouimus quod vsque ad sanguinem sit negandum. Præsertim cum ad puritatis studium nostra te oratione inhortari expetas, quamuis incongruè, & indignè nos hac de re constet esse dicturos, arbitramur tuæ petitioni non obedire nefas. Notitiam sanè diuinæ paginæ etsi tenuiter attigimus, cuius præcepta scita verbo, sed opere incognita: maximè fateor nostræ damnationi didicimus, si vel ea, non dico his qui respuunt,* B *sed piè rogantibus dilargiri distulerimus. Si ergò nec salutis, neque præmij cura nos aduocat, saltem vndecumque desperati, & quasi pro certo puniendi, id solùm in omnimoda illa pœna lucremur, vt non pro benedicendi inertia, cùm pro aliis malè gestis plectemur, dolor nobis gehennalis accrescat. Nec enim absque remedio est, si inter mortes vel ab vno nos redemerimus ictu.*

Tibi igitur humiliter, licet aliis impudenter, obtemperare proponimus: sed à te, seu à quibuslibet nobis exprobrandum non est, cum ea, de qua cupimus tractare, virtute vacui reperti fuerimus, cùm idem coacti fecerimus. Et certè si hoc ipsum C *ex nostro arbitrio, simpliciter tamen, & non quasi ex magisterij auctoritate fuissemus aggressi, spontaneum nostrum bonum non supercilio, aut temeritati ascribi, sed gratulatoriè excipi debuisset.*

Est & altera ratio non admodum cassa. Si enim persona qualibet sacris enuntiandis dogmatibus sibimet minus apta videtur, & ex prauæ conscientiæ obiectu silere disposuit: nimium pudens mihi videtur iste, hunc inutilem necesse est mutet intuitum, & licet plenariè corrigere non possit vitium, agat tamen pro persona quam portat. Talentum humo non subruat, etsi non doctoris, aut prædicatoris officio, clamet, ne secum alij pessima sectando pereant, vel præmunientis voto. D

Doctus, licet peccatis obnoxius, debet alios verbis ad meliorẽ frugem prouocare.

*Verbi gratià: ecce cuiuspiam diuitis filius, paterno ære consumpto, relicta sibi prædia abliguriens totum gulæ immersit, & egens ad infame viuendi deuenit exemplum. Si is igitur talis, erroris quidem pœnitens, sed pristino statui redire non præualens, aliquem moneret locupletem ne nimia effusione suas dilapidaret opes. Vide, inquiens, ne ventri aut inutili largitati studendo ad hoc vt mei sis similis delabaris. Quis istum in hoc ridiculum æstimaret? sanè iste aliter audiendus, quàm ille, quem quondam Terentianus le-*A*gitur Parmeno risisse*: Scitum hercle, aiens, hominem, qui de stultis prorsum hominibus insanos facit. *Ille suæ gulositatis fortunas iactando miserum incitat auditorem, is ne ad calamitatem ruat, sui imitationem cautè euitare doceret. Sed quia nos nosti, & quales nosti à talibus admoneri cupis: pudore recusso, non qua debemus, sed qua possumus, tuis auribus voce cantamus.*

PRÆFATIVNCVLA.

Poësi plus iusto delectabatur.

SVbiectum valde in tenera adolescentia positus peregi Opusculum. Nam cum arti metricæ, quæ comes esse consueuit tumoris ac lasciuiæ, plus iusto insisterem, quidam è meis contubernalibus, homo sine inuidia litterarum studiosus, qui rogatu suo plures à me carminum nænias extruxerat, SALOMON nomine, ad hoc etiam impulit, vt super Virginitate aliquid dictitarem. Quod opificium, vt pote insolitum, † metuculosus aggrediens biformiter horrui, dum & lusibus versuum mens dedita, seria prosaicæ grauitatis minus attigerat; & res, quæ tractanda proponebatur, difficilis etiam grandæuis intellectibus erat. Quod quomodo explicuerim curiosus sic lector aduertat; vt quæ bene senserim, Deo: si qua secus quàm debui, pubertati referat.

Salomon.

al. † meticulosus.

DE VIRGINITATE OPVSCVLVM.

CAPVT I.

Quam excellens sit Virginitas & ardua.

QVid mirum, si illud fœlix integritatis nomen adeò gloriosas in humanis moribus possidet laudes, cùm per homines suo adhuc cinere amictos, & cadauerosi huius corporis de fasce gementes, suum, modo satis arduo, & penè vires excedenti imitatione, auctorem sectari contendat? Arduo quidem. Et non minimum. Cùm eos qui diuturno carnalis experientiæ vsu iam extædiari debuerant, videamus in tantum tali appetitui non valere resistere; quinimò non velle: vt mirentur etiam ipsos, qui se continent ab hoc negotio cohibere se posse. Quod plerumque malum acrius ac magis indomitum, proh pudor! in his quos fatigat senium, quorum caput pessima longæuitate incanuit, reperiri solet.

1. *Ratio.* Voluptuosi, quomodo possit contineri, capere nequeunt.

Penè, inquam, vires excedenti Deum imitatione sectatur, cum contra naturalis irritamenta caloris, & ingenitæ titillationis acumina, non in alterum, sed in semetipsum de-

Deum imitatur qui Virginitatem colit.

certando, quod difficilius est, sempiterno conamine refragatur. In re qualibet exteriori euincenda sæpe valent astuta ingenia, armorum vires, machinæ, obsidionum molestia; operantur interea per verborum fallaciam plurimi, quæ non possunt per prælia: sed horum nihil in intestinis negotiis quicquam iuuat. Se enim quisque penes se habens, imò se in se ferens, quia aliud quàm quod est quisque non est, nec in duo diuidi, vt pars parti aduersetur, potest. Seipsum plerumque superare in tantum pene non potest, vt sua à seipso dissecari membra posse leuiùs ęstimet, quàm nolle id, quod se velle, & appetere ipsa potissimùm natura docuerit.

Admodum est arduus ꝗ cum carne sua conflictus.

Cùm igitur voluntariè quippiam mens ambiat (de his cupiditatibus loquor, quæ nos originaliter afficiunt) & vniuersi illicò corporis amor voluntati mentis comes assistat. Cum flagrent venæ, cum cordis robur elangueat, cum ignis intimus viscera lassa resoluat, cum caro & animus in vnum miserabiliter ruant, quæso in vno illo tunc homine tot ictibus obruto, quæ pars remedium aliunde delatura remansit, vnde ad reprimendum mentis rogum vel minimam stillam eliciet, qui totus est flamma? mirum nempe vnum aliquid contra se in bellū suæ propriæ voluntatis posse consurgere, vt in cuius desiderio præcipuè defecerit, id ne agat sibi imperet.

Quàm importunis tentationibus appetitur homo.

His exercitari docta conflictibus illa viua antiquorum sagacitas, dum inter se & bestias quid debeat rimatur distare; non vnum à Deo in nobis corpus esse debere & spiritum, vt nil efficiat spiritus, nisi quod corporis vsui prosit: quod satis in animalium vita promptum esse dignoscitur, prudentissimè reperit. Et vt non alterutrum alterum vicissim aut subigeret, aut præferret, sed regimen totius mortuum corporis spiritui æterna soliditate maneret, & se homo aduersum se diuisum perpetua horum duûm hostilitate nosceret, dum viueret nos instruxit. Sed Deo opitulante de his aliàs morosius tractare licebit. Ad prioris quam prælibauimus sententiæ redeamus exordia.

CAPVT II.

Iacobi 1. 17. *2. Ratio.* *Virtutes simile quid cum Deo.* *Heb. 12. 29.*

CVm *omne datum optimum, & omne donum perfectum à Patre descendat luminum*, prudentis animi cuique attendendum est, quomodo quæque quas ex eo excipimus fonte virtutes, quiddam suo semper simile habeant præbitori. Si *Deus noster*, vt scribitur, *ignis consumens est*, non inconcinnum æstistimo, quòd hi igniculi, quasi quidam æternalis illius solis radioli, nos ad eundem à quo infunduntur, arrigunt. Sed patenter rei huius enuntiat consideratio, & nostra ab ipso procedere, debere credi bona, & nullo modo credi debere bonum, quod ad ima, & terrena nostros quamuis imagine pietatis imprimat cogitatus. Si namque materialis hæc flāma suę sic naturę semper indicat qualitatem, vt indesinenter ad superna contendat; quāto plus incorruptibilis illius ignis portiones, scilicet à Deo nobis insitę virtutes, ipsum imitari, ad ipsúmque euolare debent? Hæ sunt illa dei similitudo, ad quam homo in Genesi legitur factus, hoc signatum super nos lumen vultus ipsius, propter hoc, iuxta illud Poëticum:

Gen. 1. 26. *Psal. 7. 4.*

Os homini sublime dedit, cœlumque videre*
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

alias tueri.* *Ouid. Metamor.*

Vt cuius regionis esset accola futurus, illuc crebrò lætæ spei inferret intuitus.

Omnes itaque virtutes, cum, vt dicere cœperamus, simile quid suo portendant datori: hæc, de qua loquimur, integritas mentem sui hominis seruans, & corpus integrè purificat, geminóque quodā officio similitudinem sui Conditoris affectat. Et hæc quātùm reor cæteris specialius. Aliarum sanè pleręque ita soli menti pertinent, vt si plenariè habeantur in animo, quamuis diuersa, & penitus sæpe contraria exhiberi videantur exterius, mens tamen solida absque vllius destitutionis damno arcem suæ obtinet bonitatis, verbi gratia: inter operandum aliquis orat, & ore compresso, immotis labiis dum vniuersi in quouis exercitio corporis implicat artus, Deum sola meditatione precatur. Alter filium pro ipsius flagellat facinore: prælatus quilibet in subditos acerrimè, &, vt putatur, plus æquo infrendet, & tamen discretionis neuter prætergreditur libram, qui scelera ferire, non explere nouerit iram.

Hæc sanè cum cordi mundando cautissima prouisione incumbat, membra totius corporis, ac si quosque, qui suæ præsint domui officiales, obseruat: ne eorum inertia, seu libidine interiori substantiæ diminutio fiat. Et licet sæpius animus quiddam polliceatur quietum, nec se velle nisi pudicitiam, pacémque testetur, nulla tamen securitate sua patitur membra laxari. Iam illam cœli ciuium serenitatem etiam inter carnis crebra cōuitia quasi dissimulato cogitatuum strepitu imitari affectat, imò illum summum æternæ quietudinis sinum, cui nulla admixtio incommodi accedit: cui propriè, & non collatiuè, sed naturaliter essentialis inest integritas: cui per se, & ex se, & in se existenti nihil eorum quæ per aliquid, aut ex aliquo facta sunt necessariò accidit, nec creatorū adminiculo suffulcitur: extra quem nihil omnino conditum continetur.

Ad seruandam pudicitiam cōtinuò inuigilandum est.

Verè feliciter æmula, nil in se extraneū admittens: quicquid corrumpit fugiens spiritus & carnis impassibilitate prosequitur. Felix & millies felix audacia, quæ etiam cœlestium spirituum gloriæ similari non contenta: ipsius sui, quod dictu mirum sit, tranquil-

litati Beatæ nimiũ inuidet Creatoris, non ſpe quidem eandem, qua Deus eſt, naturam adipiſcendi, ſed ea qua ſancti ex Dei filiatione deificantur requie, & pace fruendi. Hæc eſt illa fortitudo aſini, non ob irrationabilitatem, ſed ob manſuetudinem tolerantiamque in ISACHAR benedictione poſiti, qui videns requiem à carnalium bello tumultuum, quòd eſſet bona, & terram, corporis ſcilicet in quo nunc peregrinando hoſpitatur carcerem, quæ mitibus in poſſeſſionem dabitur, quia optima, humerum ſuppoſuit ad portandum pondus diei & æſtus, & habitus eſt contemptui, quaſi quædam grauis moleſtia mundi luxus. Hæc ſunt ſanctæ huius prima excogitamenta virtutis, vt ſicut ſuus auctor eſſentialis potentia ab omni motu, & ſuperflua cogitatione dignoſcitur exors, ita quémque ſui ſtudioſum integritas, quantum in corruptela poſitus homo fieri patitur, ab inordinato quolibet impetu reddat immunem: in tantum ergò ſimilem dixerim.

Gen. 49. 14.

CAPVT III.

3. Ratio.

De Filij Dei temporali generatione.

ACcedit & huic tam præcipuæ aduentioni altera non vſquequaque improbanda ratio; quòd videlicet indiſputabilis ex Patris æternitate coæterni Filij ortus, non de exterius adhibita, quæ illi natiuitati cooperaretur, ſubſtantia; ne noſtrarum geniturarum, coniugaliúmue neceſſitudinum officio, corruptiuóque ſemine conſtat celebratus; ſed ex illo inſcrutabili ſacrario, theſauróque Patris, non aliud quid alterum, quàm quod ipſe, aut effigiale, ſed ſua, abſque qua nec puncto quidem fuit, ſapientia virtuſque prodiit, competenti ſibi generandi modo; vt ipſe munditia mundificans omnium quæ mundificat glorias excederet, & ex ſe, igne ſcilicet viuificante, qui cuncta foueat Filius tanquam ſplendor exiret. Talibus ad roborandam continentiam Chriſtiana viuacitas inſtruitur argumentis, & in temporaria voluptate gerenda cedens aliis, omne quod ſibi de ſæculari amore irrepit, ſubneruat, & perpetua ſterilitate mundo infructuoſa marcere diſponens, ſpiritualiter Deo fœcunda, & illibatæ de pretio pudicitiæ, omni flore gratius, ſpe gaudioſa præpollet.

Deus ignis eſt.

Cùm igitur Deum, non ſine ſcripturæ teſtimonio, quaſi quemdam ignem accipiat, de quo nil niſi quod ſpirituale ſit, certum eſt gigni: non abſurdè ei in iſto ſe comparat, quæ dum ruitura carnis poſteritate ſeſe ſpontanea priuat, fit vt eò ſtudioſius demum fidei documentis, quos poterit Deo parturiat, & non moriturę ſobolis ſemen ad dolorem, ſed æternaliter victuræ ad gaudium fundat. Neceſſarium eſt ſi Chriſtianus quiſpiam tam beato vitæ generi refragetur, & nimis cauſetur arduum, nec debere ſeruari contendat, cum apud veteres obſeruatum euidẽti gentilium litterarum pateſcat exemplo. Veſtam quandam voluerunt eſſe Deam, quam & matrem magnam, & neſcio quæ alia infinita de ea fabulantur: quam, quia Virgo fuit, inter cætera potentiæ ſuæ miracula adiicientes, Deitatem ſibi ignis aſcripſerunt. Ignis enim nihil generat: nihil etiam Virgo. Vnde & Virgines ipſius ſeruituras fano cum inſtituiſſent, tanta diſciplinæ ſeueritate earum laſciuiæ obſtiterunt, vt legibus ediceret veſtalem Virginem ſtupri inſimulatam, & conuictam, cum ſuo viuam ſtupratore terra debere obrui: quod attentiſſimè veſtigare, nec inultum dimittere Romanis ſolertia multa fuit.

Pudicitia Chriſtianis adamanda.

A gentilibus culta fuit.

Igni comparatur.

Si igitur tantopere viliſſimum, ne laberetur, vitrum tunc temporis ſeruabatur, quod certè cum præcipuè reniteret nullum erat; & integrum ne duo quidem vilia corna valebat. Quid illud omni topazio nobilius margaritum debet habere cuſtodiæ, præſertim apud nos, quibus ſua præ auribus crebrò leguntur præmia? locum ergò in Chriſtiano pectore virtus obtineat, quos regno & gloria pollicitis Chriſtus inuitat. Si inter paganiſmum viguit, cum ſine vitę vtriuſque pręmio ſola greges miſeros pœna cogebat, amplectatur ſuã ſolitudinem quiſquis iugali conſortio huc vſque caruit, & ex cõiugatorum moleſtiis, imò miſeriis, aſtutior factus, ſuæ paci, magis verò beatitudini nunquam deceptus, precor, inuideat. Nouerat planè Apoſtolus cum clamaret, tribulationem habituros huiuſmodi, ſed quàm bonum ſibi fore non reticet, ſi ſic manerent, vti ipſe maneret. O quantę alacritatis pennas, quibus cœlum ſubeat, ſibi ſubripit: qui tam negotioſo commercio ſe immergit.

1. Cor. 7. 28.

CAPVT IV.

4. Ratio, qua Virginitas amplectenda ſuadetur.

Ex Virgine naſci voluit Deus.

EXcitat, & nòn iniuriâ, ſed perquam iuſtè illud etiã ad huius virtutis amorem, piorum quorumque affectus. Quòd ſcilicet olim propoſitum à ſæculis incorporandi verbi myſterium, non aliunde quàm ex ſacroſancta pretioſæ Virginis aluo patratũ, de ſuæ ſaluationis iocunda prouentu, fidelis mens nulla non gaudet. Quis enim vel quæ potius poſita in ancipiti de ſua ſeruanda virginitate conſilio, dum eminentiſſimum decus tanti partus attendit, non ad proſequenda protinus veſtigia tantæ Genitricis aſpiret? Mirandum ſi ſufficere conſiderando huic miraculo valeremus: magnopere nobis eſſet, quòd Deus humanę continentiæ bonum adeò magnipendat: cũ omnes noſtrę munditię ſuę puritati collatæ, pannus mẽſtruatæ à Propheta

iudicentur: & ea, quæ plerumque ipsi in nobis minus placitura putamus, aut certè quod non sine pœna est, habenda pro nihilo, hæc, etsi apud nos nulla sint aut vilia, tantopere acceptare dignetur. Cum enim aliunde, & longè nobilius, sublimiusque quàm fœminea sit Virginitas, multis modis aliis sese procreare diuinitas posset. Licet enim foret Virgo, tamen quia fœmina, vteri sui dignitas non confertur ad Deum, qui virtutum quarumque glorias mortalibus intimare veniebat. Singularem istam, quam ne coniugium fœdare videretur, laudauit quidem, sed non ex præcepto edidit, quàm reuerenda & mirabilis æstimari debeat solo, vt sic dixerim, nutu suæ electionis ostendit.

Elegit ergò suo corpori Virginis corpus, quodam nobis modo silenter innuens, quod apertè hæc sonare videatur: Etsi vestræ causa fragilitatis, imò ne coniugia malum putetis, vt Virginitati studeatis præcipere vereor, euidentibus tamen meæ conceptionis conuersationísque indiciis, ad quid potissimum anhelare debeatis insinuo; cum per integram natus ad vos deuenerim, & integerrimè vobiscum me habuerim, & inter eos, quos mei magisterij scholæ asciueram, omnes quidem præcipuè, sed illum specialius, qui Virgo fuerat, meæ caritudini familiariúsque allegeram. Quos ergò priuilegiis me honoratioribus donare videtis, quanti apud me sint eorum sinceritatis merita cæteris clariora pensare debetis. Sufficere possent hæc Virginitatis exempla.

CAPVT V.

5. Ratio.

Angelos puros & corporis expertes sibi ministros elegit Deus.

ALiud quoque non prętermittere operæpretium reor, quod illud singulariter mundum, vt pote quod est & supra & extra etiam mundum; cui nihil, dum corruptibilia regit, corruptibilitatis aut vitij infligere aliqua valet molestia, non alios ad sibi familiarius obsequendũ, quàm incorporeæ substantię creaturas assumpsit: quos sicut iã immutabiles æterna Deo obediendi voluntas, & excellentis honor naturæ, ab omni quod est indecens integerrimos reddit; sic suo auctori creaturis aliis gloriosus eorum ordo vicinius hęsit. Quorum quanta habeatur summa, quamque præmineat dignitas, ex eo præcipuè potest perpendi, quòd certa auctoritate scitur nullum hominum ad eum sanctitatis gradum pertingere posse, vt minimum Angelorum gloriæ quantitate præcellat: inde tamen excipitur quæ Dominum gloriæ ex se protulit Virgo, cui per Filium nil cœleste nõ subiectum, non nouitia, sed veteri & probata testificatione didicimus.

Dignitate Angeli præcellunt homines.

Omni itaque nobis acumine animi peruidendum Deum, cũ sibi ministros instituit, tũc adhuc futuro generi hominum, quos peccaturos nouerat, mutam quamdã in suis Angelis regulam præscripsisse, vt cum Regis sui curiam, & eius officiales singulos attẽderent, in cubiculariis, & pincernis, vt ita loquar, familiarioribúsque necessariis singularẽ munditię claritudinem mirarentur; & exinde colligerent, quòd intra palatinorũ eius contubernia admitti nullo modo possent, nisi maximo sudore eiusdem participes nitoris ac pudicitiæ, quam illi naturaliter insitam possident, priùs esse curarent. Non autem eos carnali præpeditos condidit grauedine, quibus colluctatio aduersus carnem esset & sanguinem, & violentia diuturna bellóque nimio tandem sicuti nos ad impassibilitatem pertingerent; sed absque sexu, absque exteriori interiorique creans molestia, similitudinem nobis perfectionis, cuius conformitati inhiare, quantùm nostro pulueri facultas est, indesinenti studio satagamus, præfixit eosdem.

Angelos longè superat B. Virgo.

Sed hæc tanti decoris; hæc tam digna Regis Dei familia, quibus nihil post suum auctorem conferri potest, illi in mulieribus Benedictæ, quæ Deũ suum peperit, Virginitati subiacet, & ipsa verè sublimis, quia humilis, dum sui dispensationem conditoris adorat, eiusdem dispensationis ministram consequenter honorat. Læta se ei subiicit per cuius officium partus damna proprij ordinis, de humani generis supplemento reparari gratulabunda cognoscit. Mirum sanè, sed veri plenum, Virginem Angelis principari.

Sed scio mihi obiiciendum non Virgini, sed Domini Matri Angelos fore subiectos, rem in nimiũ me extollere velle. Esto, attamen constat quia si Domini Matri subiiciuntur, & Domini Mater non esse Virgo nõ potest, profectò Virgini subesse probãtur. Priuilegium siquidem potẽtiæ ascribendum est matri, sic tamen vt Virginitas non negetur pariter honorari, quãuis eius laudi, integritati scilicet satis esse queat, quòd de illibata nascitur Deus. Sed quid tantopere à proceribus ei honorẽ queramus impendi, cum per se Rex ipse ita eam muneribus prosequatur, vt ille affectus, quẽ Beato Apostolo, qui pectori eius cænantis incubuit, Matri ad totius decus gloriæ sufficere posset. Mira cætera, quæ penè modum felicitatis exeunt, pigritamur attexere. Pensanda sagaci ea lectori committimus, qui si plenè intenderit, quod queratur de Ioannis honore non erit, qui Virgo Virginis Filio sub tanto, matris adoptiua successione successit. Haud dubium igitur, quin maiestas Angelica omnem virgineum ordinem præmaximè veneretur, cum nihil inter quarumque virtutum sanctos nobilius, sibíque similius habeatur.

Illud quoque laudi isti ex superfluo adiicere

audebimus, quod in veteribus quibuſdã Romæ picturis Saluatoris imago Paulum dextræ, Petrum verò Apoſtolum, quod præpoſterum putatur appictum, perhibetur habere ſiniſtræ. Quod cum quid ſignificaret is ordo, qui videretur inordinatus, à prudentibus exquiſiſſem, dictum mihi eſt, Paulum fore idcirco ad dexteram, quòd Virgo fuerit, Petrum ad ſiniſtrã, quòd coniugatus. De Petro nemo hæſitat, cuius ex Euangelio ſocrũ; filiam ex geſtis Petronillam nouimus. At Paulus plurimũ aliquibus forſitan ſcrupulũ mouet, ſed ſi verba ipſius pro ipſo conſulere volumus, fateor lucidum quid reperimus. Qui cum conſilium nubentibus, & vxores ducẽtibus daret, intulit nouiſſimè melius illis futurum, ſi ſic permanerent ſicut & ipſe. Ex quo hæc opinio non prorſus ignaua putatur. Dum enim ante Chriſtianiſmum patrio ſuo Deo ſine querela ſe deſeruiſſe teſtetur, & æmulatorem diuinæ legis, paternarumq; traditionum ſe ſupra ſuos coætaneos extitiſſe cõmemoret, & hoc in adoleſcentia, in qua & ad fidem vocatus eſt, fruſtra putabitur poſtmodũ Chriſtianus amiſiſſe, quod Iudæus obſeruarat.

Ad quid Paulus ſiniſtrum, Petrus dextrum locum obtineant in picturis.

1. Cor. 7. 40.

Phil. 3. 6. Gal. 1. 14.

Æſtimatio igitur, quæ in tam celebri vrbe, & vrbis loco, Eccleſia videlicet B. Petri, ſub tot Pontificum prudentia coaluit, ad certũ nobis habenda eſt. Euſebius Cæſarienſis cum huius Apoſtoli dictum de poteſtate ſororis mulieris circunducendæ in Eccleſiaſtica hiſtoria retractaret, ſororem abſurdiſſimè Pauli dixit vxorem: quod nos ita refutamus, ſicut illud, quod ad Abagarum Epiſtolam ſcripſerit Dominus. A tergò Domnus Paulus non ſine re in ipſa eius baſilica præponitur Petro.

B. Paulus nuſquam vxorem duxit.

1. Cor. 9. 5.

CAPVT VI.

SCiendum inter has Virginitatis laudes, cõtinentiam aut poſt coniugium, aut poſt lapſum magnis itidẽ attolli debere præconiis, quæ tantis muneratur præmiis quanto acrioribus de experientia voluptatum exagitatur incendiis. Quò enim grauius luctantis eſt præliũ, gratius & gloriæ ſequitur incrementum, licet nullis ſudoribus ad eius qui immaculatus eſt venire poſſit tripudiũ. Quos ego duos ordines, duorum illorum ducũ typo arbitror poſſe intelligi figuratos, Moyſi ſcilicet, & Ioſué, quos Hebræis nemo olim ambigit eſſe prælatos. Moyſen ergò, quem duarum coniugem mulierum nouimus, peccata carnis expertorũ vitam ſignificare credamus, qui de Ægypto cum Filiorum Iſraël exercitu fugiens, aquis hinc inde ſtantibus mare tranſiit rubrum; quia cum quis in mœrore, & tenebris mundi poſitus de ſuæ actionis fœditate erubeſcit, & eundem mundum deſerit; omnem ſuum cogitatum, quẽ ad Dei viſionem informat, quaſi quemdam Dei populum ſecũ ducat: & hoc per mare rubrum ideſt per amaritudinem multam lachrymarũ, quibus peccata ſibi remitti clamat dicens: *Libera me de ſanguinibus Deus.* Cuius vndas quaſi muros dextra, læuaque habet; quia ſiue tentetur, ſiue quietem mens habeat, ſuſpirio & precibus, & in proſperis, & in aduerſis nulla vnquam remiſſione præmunire ſe ceſſat.

Caſtitas poſt coniugium, vel lapſum magni eſt habenda.

Exod. 14. 22.

Elegans interpretatio.

Pſal. 50. 16.

Quarum affluentia Ægyptiis, ideſt criminibus vitæ anterioribus ſubmerſis, ad ſolitudinẽ deſerti, ſcilicet aliquantulam cordis ſerenitatem, vbi remotis vrbanitatibus Deo, ſibiq; vacantiùs viuat, accedit. Ibi in ſui ſolius bello occupatus cogitationum importunitates, quaſi vulgi enormis querimonias adeò graues plerumque patitur, vt niſi ad Domini oraculum, ideſt orationem, ſæpe recurreret; tolerare vim tentationis nullo modo ſufficeret. Ibi vitulus ſuperbiæ clam ipſo factus erigitur, ſed à ſuis auctoribus continuò cõminutus conſumitur. Ibi Beelphegor, ideſt Priapus dux libidinis furtiuæ à procaci turba, ſed mox propellendus admittitur; & ipſæ victoriæ quotiens celebrantur, non ſine damno plerumque, & aliquantulum difficilius, perpetrare noſcuntur. Nouit enim Deus ſæpius expedire his, qui poſt peccata ad ſe conuerſi ad aliquod perfectionis faſtigium pertingunt, vt aduerſis crebrò premãtur; quia ſicut pauperes qui repente quolibet modo diteſcunt facile ſuperbiunt, ſic tales niſi aſſiduè pœnis terantur ceruicem priſtini obliti erroris erigunt. Vnde & rara minùſque diuturna eis contemplationis virtus ſuppetit, quæ etſi aliquotiens ſibi conceditur, ad hoc fieri creditur, vt cum ad horam cœleſte quippiam mente attigerint, nec tamen quando voluerint, poſt amiſſionem ad id ipſum redire valuerint, peccato ſuo imputent, quod videndis cœleſtibus minus valent. Quod per illud innuitur, quòd Moyſes montem conſcendere iubetur, ex quo terram promiſſionis contempletur, cui tamen in ea habitare non datur. Sanctorum enim conuerſatio in cœlis eſt. Sed ſi omnes illuc ardent per mentis deſiderium, non tamen omnes æqualiter illic habitant per contemplationis donum.

Oraculum Domini oratio.

Ad pœnitentiam conuerſi crebris afflictionibus atteruntur; ac ſæpiuſculè ipſis contemplationis donum denegatur.

Et Ioſuẽ, qui in Dei tabernaculo, ideſt militia manſitans, ſub quadam Virginali reuerentia Moſaycæ diſciplinę indiuiſus ſemper inhęſit, & nulli obligatus coniugio celebs manſit, horum, qui integritate corporis, & animi pollent, geſtare mihi creditur formam. Qui ſecũdò populum circumcidens (vt qui baptiſmum aliqua maculauerint labe, eos oſtenderet conſcientiam confeſſione debere purgare) ad Iordanis introïtum ducatum Iſraëlis accipit; quia tales, qui ab ineunte æuo amorem diuinũ conceperint, cum ad eorũ deſcenſum, quod Iordanis interpretatur, ſcilicet ad cogitatuum ſuorum humiliationem, non timore criminis, ſed regni deſiderio peruenerint, motus mentis

Ioſué eos qui baptiſmalem cãdorem cõſeruarunt, indicat.

corporísque impetus, quasi leuis vulgi turbas, spiritus imperio protinus addicunt. Per aquas planè Iordanis illa prorsus absurdè compunctio mihi sentienda videtur, quam non amaricat, instar maris, facinoris perpetrati memoria; sed quam omni potu cibóque voluptuosiorem efficit æterni gaudij nanciscendi fiducia; quæ, iuxta nominis etymologiam, diuturnam sui descensus moram in conualli vitæ istius illacrymat; sed tamen spe fructus percipiendi sæpiùs maxima hilaritate triumphat.

Iste Iosuë dum huius beati fluminis profunda vestigat, duodecim pretiosos illic lapides reperit; quia videlicet legis decalogum, vel potius vniuersa scripturarum præcepta, quæ numero valent denario pro sui perfectione signari, solis duobus didicit mandatis caritatis impleri. Cum enim cuiuslibet mens adeò sincera crebrò compungitur, nihil inuenias vbi tantum de Deo discatur.

His ergò demum purificata fluentis, terram promissionis ingreditur, quia in cōtemplationis æthere constituta, quasi quædam nobilis aquila singulari amplitudine spatiatur. Talis etiam quisque non solum per se ad tantum culmen euehitur, sed & per eum aliis eadem gratia impertitur, dum plerumque, quæ sint illa indefectiua cœlestis regni bona, potenter docendo secundum capacitatem cuiúsq; auditoris, funiculum locutionis exporrigit: qui tamen cum omnium mediocritati conformare sese non despicit, ardua sibi & montana, vti olim Iosué, pro suæ conuersationis excellentia eligit, & attribuit. Impugnationum discrimina si contigerint, ad felicem illicò perueniunt tanta alacritate triumphum, quantum nulla Virgineum flamma excitat de experientia voluptatis affectum. Etsi bella frequentia, rara omnimodis ibi damna, nulla murmuris memoria, nec de regressu in Ægyptū crebrò sub Moyse reuersata fabula. Bella, inquam, etsi assidua, iam non aduersus carnis incendia, sed contra ea quæ extrinsecus infligit principum aëris huius spiritualis nequitia. Hæc nos non comparando vt alterum alteri præferremus duorum horū diximus, sed vt aliquid nostro operi de veterum gestis typicè attexamus.

CAPVT VII.

Quomodo generationi intendissent primi parentes si non peccassent.

SEd inter ista optimè satis nostræ occurrit memoriæ creati hominis, si in paradiso perseuerasset, qualis vita; imò ex coniuge sibi data, qualis futura esset propagatio, si sine peccato conditus creditur, & sine damno totius suæ bonę originis, quæ nisi per peccatum non patitur damnum victurus, vel Deo obedisset, si non peccasset, perenniter esset, & felici loci iocunditate fruiturus, pro certo etiam & sine peccato generaturum cōstitisset. Si tamen dicere audeamus, quòd talis, tali in loco, à talibus quoque personis exerceri opera posset. Sed si non generaturi in illo, qualiscumque ipse esset, loco dicantur; & hoc commercium, quod modo prorsus reputatur immundum, à tam mundis non fiendum astruitur, fabula esse videbitur Deum homines duos, vt duo soli toti terræ præessent, creasse. Frustra etiam eis *crescite & multiplicamini* dixisse. *Gen. 1. 28.*

Sed quia mira est absurditas id sentire, intendamus quis modus generandi esset, qui sine piaculo peragi posset. Nulla assertione indiget, hominem absque delicti contagio si creatum dicimus; si sine omni malo, ergò & carnis stimulo, quod malū est, penitus caruit. Si carnali motu caruit, proculdubio si verbo Dei paruisset, æternaliter Virgo mansurus fuit: & tamen multo plusquam Virgo hic; à Virginibus enim multo sua sudore voluptas restinguitur: huic neque quod tentaret, neque cui tentanti resisti oporteret, inerat, sed nouum istud, & singulare mirum Virginem scilicet Adam generare, Virginem scilicet Euam parere. Vnde & illud beatum supérque omnem hominum quæ nunc esse possit beatitudinem felix seculum fuisset, si fuisset, quasi enim non fuit, quod in ipso suo principio cum esse cœperit, esse destiterit: certum sanè habetur illa membra, quæ generandi explēt officia, sine prauo calore non solere moueri, motúsque illos, quos iam patimur naturales, sine peccato non posse fieri, quod totum sic à nobis tunc alienum foret, vt sicut pes aut manus, seu alij quilibet artus, innocenter sæpe mouentur in nobis; sic totum illud negotium in nullo patrantium animum, carnémue à bono quolibet affectu detraheret: & sicut in gignendo nulla vtrobique dominaretur passio, sic in partu nullum dolorem incuteret effusio.

Etsi generassent, Virgines nihilominus permansissent.

Inde iam prolapsa per suam inobedientiam origine vetus illud peccatum, à parentibus in eos, qui nascuntur ex cōcubitus voluptate deuoluitur, vt semper veteris damni immensitatem ex nouis, & quotidianis suis corruptionibus homo miserabilis penset, & intimam animæ vilitatē ex corporis tam sordida procreatione perpendat; & iam saltē serò malis, etiam quæ minima putat, voluntariè se pertimescat immergere, cum maxima soleat ædificia permodicæ quantitatis scintilla, si malè foueatur, exurere. Idcirco suæ viciatæ propaginis non ignarus Dauid conqueritur in iniquitatibus se conceptum, & se aspergi illo Hyssopo, qui nos humilitati suæ informans pulmonem tumoris expians, sanum nos sapere docuit, postulat: & se lotū baptismate gloriosa præsumptione testatur super niuem protinus dealbari. Ad hoc primæ suę creationis initium huius nobilis virtutis respondet intentio, quæ dum maiora se, & quæ in pręsenti cōsequi plenariè non valet,

Vnde Originale peccatum.

Psal. 50. 7.

laudabiliter æmulatur, quiddam inter cæterarum virtutum glorias ſingulare habere meretur. Dum enim auidius inſequitur illud, quod perdidiſſe in patribus ſe recolit, efficacius inuenit, quod nullus diſſimiliter querens ſimiliter adipiſci poſſit.

Illud itidem contemplantur, qui huic propoſito adhæſerunt, quòd in ea hominis parte, cui propriè Dei imago impreſsa eſt, integritas quædam, & Angelica manet ſinceritas, quam licet corpus quod corrumpitur aggrauet, & terrena inhabitatio deprimat, nihil tamen eſt, quod eam à corpore ſuo liberam tentet, aut ad vitia carnis vlterius inflectat. Sed tota Angelorum cohabitationi habilis effecta, ad ſuum puriſſima euolat Conditorem: eam enim quam æternam deitas & incorpoream fecit, non eſt immeritò, quod eam ſua propriè ſimilitudine inſignitam dixerim. Vim igitur ſuæ rationis ad animæ naturam mens quæque munditiæ intenta conuertit; & dum ſibi in ſe ipſa exemplar propoſitum agnoſcit, & ſe in duobus, altero quidem infimo & corruptibilibus indigenti, altero ſpirituali, & ad æterna tendere debenti, conſtare attendit, totum ſe meliori parti confert, & ad eam cui magis gloria incorruptibilitatis pertinet, quam nulla corporei fluxus fragilitas obſidet, imperium ſui totius optimè diſcernendo transfert. Anima nempe niſi carnis mollitie laberetur, & extra corpus ſemper eſſe liceret, in quo ab Angelis diſtaret? Quid ea purius, quid integrius eſſet ſecundùm quemdam modum non video. Ad hoc ergò ſuum corruptibile quiſque pius inclinat, vt quaſi duci perſpicatiori, meliúſque ſenſato incorruptibili ſuo, hoc eſt ſpiritui regendum ſubiiciat. Recta itaque conſideratione ad imitationem ſui ſuperioris caro contendit, quia dum forſitan excellentiora, ſeu cœleſtia, mente contueri non eſt poſſibile intra ſeipſum homo ex Dei opere, qui prouidè totum fecit, præſcriptam & proximam omnino inueniat formam, vbi quid agendum ſit, relegat, & quaſi ad applicitam normam prauitatem ſuæ dirigat actionis.

Ad poſtremum denique valet virtutis huius gloriæ commendandæ, quòd eam cui redimendæ ſuum pretioſum impendit cruorem, ſanctam videlicet Eccleſiam, Virginem appellare Deus gratioſiſſima quadam delectatione conſueuit. In quo etiam perlucidum eſt in pudicitiæ obſeruantia miro modo ipſum delectari, cum proprium iſtud ſuis generaliter fidelibus nomen totiens ſoleat coaptare. Hanc Virginem Beatus Apoſtolus illi vni viro, qui ſolus cunctis ſufficiat, caſtam exhibendo deſponderat. Quibus omnibus etſi non ineſset carnalis integritas, tamen illibatæ inuiolabilitas & ſoliditas fidei non deeſset.

2. Cor. 11. 2.

Hæc igitur virtus aggredientibus ſe, vti ineffabilius penè cæteris præmium parat, ita abſque cautiſſima diligentia, & ſui ipſius irremiſſa circumſpectione, vix aut nunquam incolumis ad finem vſque perdurat: quò enim pulchritudine glorioſior, eò erga curas inutiles ſubeundas tenerior, & ad vitri qualitatem quantùm perſpicua, tantùm omnis moleſtiæ impatiens debilitationi contigua. Sed iam ad eam pleniùs explicandam eamus.

CAPVT VIII.

Quibus mediis tueri debeat caſtitatis virtus.

PArum igitur tot & tantorum quas prædiximus conſiderationum animata ſententiis, quaſi leuiſſimis agitata pennis, mens cuiuſlibet ad amorem peruenit puritatis. Sed tantus amor natus, qua nutrice foueri debeat non præterire decreuimus.

1. Humilitate.

Cum omnis virtus, ſi ſola humilitatis virtute careat, virtus eſſe non poſſit; hanc incunctanter profiteri audeam abſque illa in nullo penitus valere poſſe. Etſi aliquamdiu ſtatum habere videatur, ſtatum omnino non eſt habere credenda, quæ iam impulſum ſuperbiæ gratanter accepit, ex cuius pœna peccati obſcæniſſimè ruat: in mente ſanè eorum ea voluptatis experientia incognita eſt, dum aliorum lapſus, fragiliſque ſæpius inutiliter tractatur vita, dum auditi quorumlibet turpes actus, quaſi horrorem mundocordi incutiunt, & velut amore puritatis zelo quodam, quem optimum putant, cum factis talibus factores quoque execrantur & abigunt. Infiniti tumoris faſtum concipiunt, dum ſuam ſanctimoniam ex illorum flagitioſa conuerſatione ſuſtollunt. Nec mora ei quam contemnebant ruinæ ſuccumbunt. Nec prauos actus non debere ſperni dicimus: ſed ſic perſonæ malè geſta, ne ad eorum trahamur imitationem, liberaliter aſpernari; vt perſonam non liceat pro quantitate facinorum deſperare, vel contemni.

Alios grauiſſimè, nos verò leuiter peccaſſe identidem putamus.

Nec id iniuria, fateor enim me plerumque aliorum inordinatè leuitati tantę acerbitatis me inuexiſſe iudicium, cùm ego ipſe iudex eâdem, vt puto peius, paſſione vexarer, vt non humana mihi eorum videretur tentatio, nec modeſtè corrigenda, ſed impiè, & eos me etiam videre tæderet: at cum Dei gratia non omni modo cœcus meo impudenti cogitatui obiectarem, quòd eædem illecebræ, imò perquam moleſtiores, crebrò meum animum incurſarent; vnde zelo curioſitatis potius quàm caritatis alios abhorrerem, vix multâ luctâ, multa cogitatuũ rotatione, quibus me mihi excuſabilem, illos aſpernandos merito oſtendebam, quaſi de craſſa caligine erutus, ad rationis radium ſcintillare poteram. Eſt enim vitium humanis altiſſimè moribus inſitum, vt ſua

quisque errata proprio apud se iudicio leuiget; in alteros etiam pro minimis asperrimè inuehatur.

Huic ergò morbo nostra hæc sæpissimè & specialiter virtus contigua esse dignoscitur, quia dum liberiorem hac in parte se conspicit, eò miserabilius obligatos omnes, in quibus intemperantiæ quippiam aucupatur, sui met penitus improuida, credit; & dum peruersos quorumlibet aut audit, aut considerat actus, solet fieri vt ad suos impuros, qui fortè sibi non desunt, mentis aciem reflectat cogitatus, & in quâdam aliena facta, & ea quæ cogitat, trutinâ ponderans tam leuia sua æstimat, in tantum aliorum grauat; vt largiter ea quæ volet cogitandi indulgentiam, quasi sui iam securus sibi præbeat: ac si diceret; cum illi, & illi in suorum se criminum semper actione reuoluant, humanum valde omninóq; perdonabile est, si quando mea mens in id cogitationis quasi deambulando excedat, in quo etsi animus paulisper, vt solet fieri, incidat; nunquam tamen ad carnis motum, non dico ad opus, quod accidere nulla arte posset, accedat.

Talibus cuniculis libido ad muros continentis cordis irrepit. Sic curiosa, & alterius plusquam sui studiosa mens ad remissum vitæ ordinem, imò ad extremæ perniciei lapsum cogitur labi. Humiliter ergò vnicuique de se sentiendum. Mansuetudini præcipuè studium adhibendum. Ineptæ lætitiæ parcendum; iræ in ipsis initiis limen est obstruendum. Sæpe nempe, & si nusquam legeretur, experire nos in nostris moribus contigit, grauissimum superbiæ tumorem in luxuriæ detumescere solere mollitiem: Ipsi itidem vitio inanem non minus famulari lætitiam; Iræ quoque, vt Beatus Augustinus sensisse legitur, qui primordia non subruit, luxuriæ pondus aliquando ferre non sufficit.

2. Submissione animi. 3. Mansuetudine. 4. Compunctione. 5. Patientiâ conseruanda est castitas.

Cant. 2. 1.

Istud est lilium conuallium: iste flos campi, qui licet præmiserit, flos campi, tamen non abs re subintulit, lilium conuallium, ne florem absolutè dicendo, aliquos inutiles & pulchros, vt sunt maluacei, & carduales, vellet intelligi. Addidit conuallium, vt candore, & odore nectareo optimum quippiam designaret. Campum meo sensui occurrit posse accipi tolerantiam corporalem, vbi dum homo exterior aduersitatum frequentia tunditur, quasi ager quidam dominicis sementibus apparatus, florem pudicitiæ mirè redolentem vberius parit. Solent profectò & pleraque gramina florigera coli. Porrò lilium in conuallibus, idest in intimis conscientiæ nascitur; nulla enim est carnis integritas, nisi ex amore prodeat mentis.

Potest autem per florem campi designata credi illa, quæ in impubi ætate, in pueruli scilicet ac virgunculis, ex sola naturali innocentia constat integritas: vel potius quæ in quibusdam, qui frigidi sunt corporis, & temperantiâ ingenitâ his motibus minus vrgentur, sæpius reperitur. Et hi quidem sine graui exercitio summum quiddam possident, & plerumque benè viuendo aliàs exercentur. Sed talium vix quisquam perfectioni operam dare inuenitur, vnde & spadones, quędam sui securitas ad tepore̅ animi deflectere dignoscitur. Fateor me aliquando vidisse duos fratres origine germanos, quorum alter cum sacerdotalis esset ordinis, coniugio sese cohibere non potuit: alter laïcus adeò frigidæ se naturæ perhibere solebat, vt, quod dictu miror, se penitus assereret hac titillatione caruisse. Si ergò ille incontinens ad sui continentiam studium indidisset, quàm melior illo frigido extitisset?

Per florem itaque campi, non lilium, vt supra sensimus, sed qualemcumque, bonum tamen, ista talis virginitas accipiatur: cui sensui cõcinit quòd campus terra inculta consueuit intelligi. Habet igitur campus sine laborantis manu florem, cum se quispiam sine tentatione exultat Virginem. At lilium quod vti præscripsimus & circumfossione, & fimi adhibitione colitur, & plurimùm exuberat, quid nisi votiuam animæ carnisque castitatem, quæ bello non facili conquiritur, innuit? quæ terrenas cogitationes ligone rationis discutiens, & culpas aliunde contractas, quasi stercus, quo fœcundetur, ad fletum menti admouet, & sic in conualli illa, quæ frumento quod mortuum multum attulit fructum, semper abundat, gloriosâ gradatim dum se humiliat exaltatione, ad perfectum totius florem integritatis emigrat.

Ioan. 12. 24.

Humilitatis prærogatiuæ.

Hæc etiam humilitatis sublimitas, nõ nisi in cuius apice hæc de qua agimus integritas stare vllatenus sufficit, propensius est rimanda. Cuius laudi valere singulariter illud dignoscitur, quòd nulla humani exercitij arte, nullis, vt breuius loquar, vllarum virtutum adminiculis diaboli ceruix obruitur, eius astutiæ acies hebetatur, nisi per hanc, cuius irritamentis, mox vt humilitas obiectatur, nihil fit illicò quicquid sua feralitas machinatur, & se rudem ad eam aggrediendam inuenit; quia altitudinem penitus talis propugnaculi nescit. Cum sit enim spirituali creatione subnixus, & naturæ subtilitate ad nullas corporeas necessitudines inflectatur, quid terra & vile lutum homo contra inuisibilem, & qui diffugi localiter non potest hostem, contra penè impenetrabile tanti hostis acumen facere præualebit, qui ne ab homine quidem, quem videre, quemque subterfugere potest, quíque ingenio plerúmque se inferiorem, seruare se sufficit? Sed Deus, qui omni terreno spiritualíque malo instituit medicinam, & hunc quâ industriâ euinci queat, edocuit.

Quia enim ſolâ ſui tumoris occaſione deflu- A xit, à cinere & luto, imò ab illis, qui ſe cinerem lutumque attendunt, ſpiritualis ipſius fortitudo diuino ſubſidio ſuperari promptiſſimè ſe conſpicit: quò enim quiſque penes ſuam opinionem vilior, eò ad effringendum inimici verticem fit efficatior.

Carnis ergò continentiam quam ſuis præcipuè irritat facibus, quo tutius quiſquam clipeo communibit, quàm vt in carne poſitus de ſe ſemper humilia penſet, quod ille typo proprio facere ſuperſedit cum ſpiritus eſſet? Carnis itaque ſenſus dum premitur, vis B impij ſpiritus adnullatur, & ipſa caro patiendo animi vel rationis imperium, manſuetior redditur, quo ſibi ingenitæ ſuperbiæ arrogantia, imò ipſa exterior lætitia, quâ ſæpius fœdè reſoluitur, & intima vagæ cogitationis, quâ ineptè diſcurrit, laſciuia reſecatur. Sub hac igitur nutrice cùm tanta proles, vt prælibatum eſt, alitur, neceſſe eſt, vt quæ poſt ipſam tantæ infantis gerula eſſe debeat, virtus altera requiratur: nobiliter enim oriundis infantibus ſolent grandiuſculæ ancillulæ, ſeu clientuli, qui eos quolibet ferant, C præter nutrices, attribui: nec æquum eſt vt id decoris non habeat, quæ nobilis ſingulariter extat.

CAPVT IX.

Modeſtia caſtitati tuendæ perneceſſaria, & circumſpectio.

POſtquam itaque mens pia ſuæ conſcia vilitatis, & accidenti iniuriæ tàm ſubiecta, quàm parata ſubiici, ſemet ſibi ſubdidit, neceſſarium eſt vt quicquid agat, quacumque vel quocumque eat, morum ſibi grauitas ſemper comes, quaſi gerula ac procura- D trix, motus incongruos & quicquid eſt iuuenile, contineat. Solet plerúmque poſt orationes inter longa ieiunia, poſt fletus & deuota ſuſpiria, cùm ad exteriores vſus & commune colloquium reditur, quaſi ob releuandam à faſtidio mentem, vel ob oſtendandæ beneuolentiæ & hilaritatis cauſam, quoddam gaudium exhiberi, quod dum honeſtè videtur incipi, ad turpitudinem ſæpe delabitur: nam cum per hilarem collationem verborum multiplicatur iocunditas, ſenſim ac- E cedit ioculatoria garrulitas, inde concurrentibus turpium narrationum hiſtoriis, per blanda ludicra tepefactus, imò laxatus animi rigor, ad ea, quibus aurem linguamque ſponte attribuit, cogitanda, inſperatâ & iam penè inuincibili delectatione molleſcit. Sic inquam, dum malè dulcia, quibus facilè tamen reſiſti poſſet, colloquia prælibantur, mors, cui eliminandæ neque mens, neque ratio ſufficit, & meritò ſatis conſequitur.

Noxiæ familiaritates ſunt vitandæ.

Vulnerata igitur graui hoc iaculo mente, & cogitatione huc illucque pro motu ſuæ voluptatis erranti, ad amatorias tota deuoluitur intentio nugas. Hæc loqui, hæc quærere ardentiſſimi ſibi ſtudij eſt. Etſi quando ad ſe redeat, hanc in ſe multa excuſatione humaniſſimè leuigat culpam, & ſe non vitij, aut obſcænæ cuiuſpiam rei amore id agere, ſed potius geſtationis, & alacritatis indulgentia efficere ſibi incantat. Inde pedetentim ad familiaritates venitur noxias, quæ quidem tanta religionis ſinceritate, & quaſi per alterutram orationum collationem, vel ædificatorij ſermonis impenſionem, à compunctione etiam ſolet incipere: ſed poſtmodum vſu, & amatoriæ adulationis frequentiâ, ad verba leuia, iocóſque, quibus menti improuidæ extruuntur incendia, deuenitur.

Pauliſper itaque confabulationis ludíque facibus iniectis, ſua incipit impudens animus damna ſentire; diu enim fota malè concepti amoris ſcintilla, ſi in * extratiles proruat flammas quis miratur? Tunc iam experiri cogitur morbida conſcientia eas quas in ſe funeſtus amor paſſiones habet. Tunc inimicitias & rediuiuas ad ſuam perniciem paces, tum ſuſpiciones, tum timores, iras & rixas iuxta illud Terentianum dictum, in tali negotio licet inuitus exſoluere compellitur. Tanta eſt enim eius peſtiferæ ſocietatis moleſtia, vt licet interdum ex conſuetudine mulceat, in tantum tamen plerumque rei quæ amatur fruendæ difficultas exaſperat, vt exanguem & languidum amatorem omni febre crudeliùs reddat. Sed cum quaſi pacificè, & honeſtè ab eo quod amat, ſine ira & motione perſonæ ſe abrumpere nititur, fit modo miſerabili vt peius omnimodis obligetur. Non enim vxori ad laſciuiam pronæ, lepidis ſermonibus palpandæ ſunt aures, ſed dorſum verberibus ſeueriſſimè abradendum: ſic menti cum peruerſis affectibus ſe inclinat, ſeu cum inclinata facilè cum voluerit ſe erecturam pollicens emendari procraſtinat, non ſolùm non aſſentiendum eſt, ſed etiam ſpretis omnium odiis, tantæ frœnum illicò cohibitionis eius libidini imprimendum, vt totius corporis obſequium impuris ipſius voluntatibus omnimodis debeat denegari.

f. * *exitiales.*

Praua familiaritas moleſtiam generat.

Cui enim niſi deſperato ægro cibus noxius, quantumlibet auidè eum comedat, & niſi ab inſaniſſimis detur? Dici ſolet ſæpius ab ægrotis: permittite, aiunt, nobis quod volumus manducare, quicquid voluntariè ſumimus ſaluti proficiet. Dicitur & ab amantibus, ſaluberrimè à nobis agitur, ſi ſaltem ſimplici confabulatione, & exteriori conſortio, mente in ſuo ſtatu durante, quam graue oneroſumue ſit vagis ſeruire amoribus experiamur; & dum quam noxia res exiſtat perpenderimus, eò execrabiliùs, quò expertiùs

Carnali amore irretiti, quàm difficilimè à ſe inuicem ſeparantur.

contemnemus. Quod cum plerumque aliqui, iam quod amarant fastidientes, facere moliti sint, dum quasi ex consensu sub quadam pace se cupiunt separari, consuetis illecebris, quibus iam caruisse austerum est, aut etiam personæ mollitiuis sermonibus sic arctantur, vt in omnis perditionis, obdurata mente, deuoluantur abyssos; & absque reuerentia, & cunctatione impudenter ardeant, quod veluti religiosè sensímque adamare ac si innocenter cœperant, sed quicumque quocumque amore se trahi sentit, quod suum curis aliquibus cor à Deo separat, personam, quantumcumque valeat, aptáque videatur, etsi spretâ infamiam aut damnum sibi excitet, à se reiiciat; præmij non offensionis esse sciens, si Deum sibi tali ex odio concilians, hanc offendat. Non igitur eneruiter, aut ludendo, aut eo iræ genere, de quo in Andria Chremes ille, nisi fallor, ad Simonem loquitur; *Iræ*, inquit, *amantium integratio amoris est*. Sed tam acri, & abrupta dissensione, vt spes amoris reparandi denuò nulla restet, imò non modò mentis, quæ mobilis falláxque crebrò dignoscitur, sed corporis situ, iuxta Apostoli prudens dictum, celerrimè fugiatur.

Fugiendū prauum consortiū.

CAPVT X.

Elegantiæ vultus, & vestium cultui nimiè incumbendum.

PRæterea contingere aliquādo haud dubium est, vt cum primùm ad huius febris igniculos paulatim inuri cœperit animus, & licet tentationis cuiuslibet minimè extrinsecus sentiatur calor; tamen in tantum accurando proprio vultui, habendæ etiam laudi vrbanitatis, & amatoriæ iocunditatis anhelat: Vestibus denique pro corporis habitudine coaptandis, vt tota hominis solertia circa hæc studia occupata deseruiat, qualiter acceptetur à quibusque suæ formositas speciei diligenter explorat, & cum secum, imò apud se quicquid pulchrum æstimatur vilipendat, se potissimum singularitérque prędicari affectat; summopere adamari desiderat. Amans igitur amari, dum curiosissimè personarum gratiæ adquirendæ exæstuat, & vt eius rei natura est, quo pluribus insinuatur, plurimorum concupiscentię inhiat: dum, inquam, in aliquo optati compos efficitur, illius cui inhæserit viscosissimo raptatur amore: etiam velit nolit victus desideriis amat amare. Sanè si non inhonestè vagabunda conscientia vulgi inordinatum prosequeretur, non sine turpi superbiæ genere, affectum, nunquam ad hunc amoris tenacissimum compedem prorueret, per quem detrahitur ad totius flagitij, etiam quod est deterius scienter, effectum. Vestium itaque, vultúsque nimia affectatio cum sicut fumus ignem, & ventus pluuiam, libidinosi pectoris signa portendat, & ab exteriori pellenda est vsu, & multo magis ab animi, vt pote fomes scelerum, excludenda aditu.

Non de eorum qui foris sunt, id est sæcularium lasciuia, hæc tractamus; nam nec nobis pertinet; sed eis consilij quippiam propinamus, quorum vitæ propositum ab extrinseca sollicitudine mundi silet. Hoc planè vitium propriè vagos & instabiles, non tam corde, quàm & corpore sui cultores efficit, iuxta Salomonem de muliere garrula ait & vaga, quietis impatiens, & cætera. Alioquin res sibi contrariæ essent; pulchrum se facere, & pulchrè ornari, & ab his quibus placeat, nolle videri. Hinc prosiliunt fœdissimi illi exterioris hominis habitus, ineptus superciliorum rigor, rotatus indecens, & procax oculorum: improbus, imò meretricius membrorum gestus: risus indecores, & ad omnem materiam prompti: stupidus in incedendo gressuum iactus: verba quidem primò lasciua, & ipsum qui intro feruet amorem redolentia, postmodum abruptæ iam turpitudinis impudentiam palam ructantia. Sed tanti typi elata, & impatientissimè tensa rigiditas, tam execrandus gaudij huius tumor repentè deperit, & subitò dum triumphat, affectum merentem & languidum redditum dolor intolerandus euiscerat. Inter sua enim prospera dum à quibuslibet personis non modò affectari, sed alto supercilio se postponi, imò nec respici vident: ab illis, inquam, personis, quarum exanimantur amoribus, si totius mundi formæ voluptatésque suppeterent, nullæ præter quas ambiunt eis sufficerent, & quæ adsunt libidines, non sunt remedia, dum aliarum nondum sibi subiugatur superbia.

Prou. 7. 11.

Apud veteres Ethnicos Cupido Veneris ex Vulcano filius alatus, facem sagittamque tenens quolibet pingebatur: quod non sine mysterio huic operæ congruo minimè agebatur. Cum enim ex adamata venusta specie caloris illius flamma, quæ per Vulcanum ignis Deum notatur, famulante generetur cupido, id est libidinis ęstus: idem Cupido primò alatus est, quia quem abripit infelicem, in tantam libido excitat leuitatem, vt nulla hypocrisis animi de sui prouentu amoris comprimere valeat exultantem. Vnipes etiam pingebatur, quo talium amorum instabilitas signabatur. Cęcus quoque, quia in iis nihil prouidentia operatur. Denique & puer, quia facta & dicta huiusmodi nulla ratione aguntur. Facem sagittámque tenet, quia cor, quod penetrat, miserabiliter incendit, pariter & vulnerat. Leguntur authore Ouidio duo eius iaculorum genera, alterum quod amare cogat: alterum cuius ictu amor

amor frigeat. Ad hæc igitur funeſta vulnera medullitus alterutro percuſſum telo dolet pectus, & dum mederi ſibi mutando amores nititur, vulnus in deterius augmentatur. Mutatio enim exaggerat, omnimoda deſertio ſanat.

Illo ſanè iaculo feriri illas vellem, quæ adamantur perſonas, quod amorem fugare dicitur, vt cum amatores reiici ſe viderent, ſaltem pudore pœniterent. Apollinis illud acerbiſſimum damnum vellem, vt cupido in hos verteret, ſcilicet quod cum heros præfatus de draconis illius diuini victoria iuueniliter ſuperbiret, nec iaculum cupidinis iam timeret, Daphnes ſibi vnica plumbeo telo, quod fugabat amorē, percutitur; & ab ipſa protinus fœdiſſimè Apollo deſpicitur. O Deus malè amantibus, & de ſe præſumentibus, qui benè per ſuperbum Apollinem figurantur, ita proueniat: illud pręcipuè cunctis, qui ſui in bono curam habent indicimus, & monemus, vt quantum virtute præmineat, quantumuis impenetrabile cor habeat, & amator, & quod amatur ita vtrorumque familiaritas diſcindatur, vt pote quæ multo peius operatur, quàm illa frequentatio, quę vtrobique à quibuſq; leuiſſimis inchoatur. Non mihi gelidi ſenium corporis, & diuturna religionis experientia obiiciatur, non æthiopica fœditas, in eo quod ſæpius frequentari video, opponatur. Apud diabolum qui ſuis calet & callet artibus, nec annoſitati, nec decoris aut indecoris, parcere curat, nihil tutum reperire poſſum.

CAPVT XI.

Qui auſteram vitam ſunt profeſſi, quomodo in carnis vitium miſerè labuntur.

SEd quæri interea ſolet, & pro maximo miro habetur apud aliquos, cum cuiuſlibet ſexus perſona continentiam Virginitatemue profeſſa in vitium ruit: de illis præſertim, quorum adeò ardua eſt abſtinentiæ inſtitutio, vt ab omni quod coquitur præter panem ſe arceant, tribus in hebdomada diebus nil comedant, graui miraculo ſolet eſſe, deſperationique multis. Et de his ſileo, quos adoleſcentia, ſi labantur, excuſat: illos adhibeam qui iuuentutis infortunia prætergreſſi, cum maturitas æui exhauſiſſe tumores, humoreſque paſſionum debuerat, præpoſteri facti ſpurcitiæ iuuenili iam veteres immerguntur: ſed ſi cauſas taliū ruinarum, quas non repentinas, ſed antecedenti diu materiâ cōtractas arbitror, perpendere, & examinare noſcent, dolere eorum lapſibus, non mirari poſſent. Subita adeò aliquem incurſione cadere poſſe ſicut nec experiri me contigit, nec legiſſe definire me recordor, dicere minimè audeo. Caſus, qui vocantur ſubiti, aut inolitâ deſidiâ, aut veteri interiùs coaleſcēte ſuperbia fieri mihi ſolere videntur. Dum enim mens à ſuo rigore paulatim laxari per minima quæque cœperit, & in teporem peſſimū in dies deficiendo deciderit, ſuccedente tentationis vi, quæ nunquā, diabolo id aucupante, mēti remiſſæ deeſt, mox agitari ad nequiora conſueuit. Inde non iam inſperatæ, ſed male aſſuetę cogitationis indulgentia in opus ex pœna peccati curritur; & quod turpiter conceptū humano, ſub hypocriſi abſcondebatur aſpectui, Deo iuſtè vlciſcente producitur. Solet etiam remotos à ſæculari cohabitatione plurimos confabulatio mundanorū, & qui terrena & ſapiunt, & querunt ad extremum totius dementiæ voraginiſque deducere.

Caſtitati inuigilans circumſpectè admodum ſe gerere debet.

Hæc igitur & talibus ſimilia, quorum vecordia grauitati non concordat, ſic attendamur dixiſſe, vt ex ipſis contrariis quæ congruè ſalubriterque agenda ſint videamur prudentibus innuiſſe, ac ſi, verbi gratiâ, alicui dicerem: perdis teipſum quia malè viuis, & ille proculdubio nil aliud intelligeret, niſi ſalua te ipſum benè viuendo. Hæc itaque morum maturitas totius temperantia eſt actionis, vt quantum humanum eſt, nil minus aut nimium ſit, aſpectus, ſermo, membrorum motus, gradus etiam ipſe nil ſuperuacaneum prætendat exterius. Supra omnia interior animi regula tam ſubtili prouiſione incedat, vt nullo ab ęquitatis ordine permittatur deriuare torpore. Ergò nihil eorum, quæ caro deſideranter intendit, intra mentis portas admittendum eſt; nec ad illa oculorum intorquendus eſt intuitus, quorum cordi Chriſtiano conſtat prohibitus appetitus.

Sub tali igitur gerula, optimo fateor omnium prouiſore ſanctæ huius virtutis prouehitur honeſtas; & quæ per ſe progredi præ tenero adhuc robore, nec per ſe ſubſiſtere ſufficit, ſanctæ grauitatis quaſi circumcincta ſuſtentaque brachiis repentino caſui, & ingruenti moleſtiæ ſubtrahatur; ſicque veluti ab ineuntę etate eius ſolidata ducatu cum ad prouectiorem deuenerit ſtatum, tracto in naturam pio vſu, per ſe iam firmior vbique vigeat. Sed quia nutricem ac gerulam pro noſtra facultatula diſtribuimus, pubeſcentem adoleſcentulam laſciuia ſuperbiaue pulſatam, quis magiſter deprimat, & intermiſſo, obiectoue ſubiiciat, remancipetque operi: parce dicendum.

Timori Dei ſtudendum.

Nihil æſtimo tali officio aptius, quàm diuini timoris iugem memoriam: primò quidem pœnæ iudicialis metus ſi adſit, nil officit, imò proficit, dum conuerſionis initia bono mœrore afficit, & virtutis appetendę prima plerūque materia ſit. Sed ille ſanctus in ſæculum ſæculi permanens timor; quo ſui gratiā patris offendere mens deuota veretur adeò tuendæ integritati neceſſarius eſt, vt nulla ſine illo eius gloria conſtet; nulla inquam, quæ ſine hac, amoris ſcilicet diuini intentione, paruiſſimos tentationis cuiuſlibet impetus tolerare non præualet: hac enim ſpe Dei dilectionis obtinendæ robur, contra cuncta diſcrimina piorum animis innaſcitur: qui caſtus filiationis non ſeruitutis timor, dum vagos animi carniſq; motus liberali curuat imperio, tutam irruenti animam reddit periculo; nec vſpiam deſidiæ præbet locum, qui formidat amittere ſolum bonum; nec placet ſibi ſi impunè patrare liceat quicquam malum. Accedenti igitur ad Dei ſeruitutem ſtandum *Eccli. 2. 1.*

Ibid. 28. 14. in iustitia & timore est: Beatus enim vir qui semper est pauidus; qui autem mentis est duræ, corruet in malum.

Ex Dei amore iugis lætitia.

Sed tanti disciplinę documenti instanti studio informatæ, quis maritali fœderabitur lege, nisi is, de cuius semine indesinens sibi accedat non aliud quàm iuge gaudium partus, amor videlicet Dei, qui caritas dicitur? Cui cum nunc assidua inesse lætitia ex conscientiæ puritate dignoscitur (nam si sæcularis amor suos inaniter exultare facit, quàm potius spiritualis?) Quid cum de conualli hac doloris erutus, omni nubilo caruerit, nisi totus in conspectando Deo gaudium, & totus iocunditas erit? Non igitur cuiquā transitoriæ virtuti, vt sunt fides & spes, Virginitas consummata coniungitur; sed illi qui nunquā excidit spontaneo amori, qui nunc quidem cœptus, sed in regni perceptione perfectus, gloriosus infinitè Deo de sua felicitate gratulabitur. Post tot & tam graues carnis spiritusque congressus; post tumultus & desideriorum leuium voces importunissimas, quæ cum tanto sudore comprimi solent, iustum sanè est, vt post tot prælia Deo annuente pacem, sileat omnis terra à facie victoris spiritus; & quasi pro cuiusdam belli optimè exacti præmio, quietum & solidum, absque insolentia cuiuspiam incursus carnis habitatorulum rector spiritus obtineat, & totius conquiescat incendium passionis, quàm adeò copiosa represserit confligendo vnda sudoris.

Quantum boni ex eodem amore pudicus exhauriat.

Ad impassibilitatis itaque gloriam anima suo etiam adhuc corpore angustata perueniens, tanto tamque affectuoso ad omnem puritatis integritatem amore contrahitur, vt non modò quasi naturaliter aliquid voluptuosum, sed veluti Paradisus amænitasue incomparabilis quędam sibi videatur; & quod prius penè importabile, nunc leue supra omnem æstimationem fiat. Isti ergò post illos prælibatos pedagogos, qui eius adhuc adolescentis, discipulari iure, fregêre ceruicem; isti, inquā, quasi perpetuo marito nectitur Virginitas, vt etiā præmulta vi dilectionis, securitatem de sua in hoc sæculo perseuerantia præsumat: & iuxta quandam gloriosi Antonij sententiam: Deum non iam timeat, sed amet: & bonū non tam propter boni ipsius præmium, quàm propter idipsum quod est bonum, sectari studeat: & peccatum non pro debito supplicio, sed solius tuendæ suæ bonitatis diffugiat voto. Sed ad prosequenda cætera eamus.

CAPVT XII.

AD hunc igitur, ô sanctæ integritatis cultrix anima, tantæ eminentiæ statum anhelans, dū sincerè viuere incæperis tuæ perseuerantiæ profuturas sitienter accipe rationes.

Obiectiunculis, in virtute pudicitiæ fieri solitis, occurrit.

Multi plerúmque cuiuslibet professores religionis sibi obiectare solent, non magnopere curandam carnis continentiam, quæ veterum exemplo paginarum núsquam penè firmatur, nusquam ex præcepto vlli seruanda indicitur: imò cum in principiis humanæ creationis homo non sine fœmina cum membrorum competentia ad gignendum producitur. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram* eis dicitur; Fatuus est cui tale vt excipiat iugum, suadetur.

Gen. 1. 28.

Contra hæc refellenda non opus est laborare sermonem. Audiant tamē breuiter Deum pro tempore & causa sęculis mandata dedisse: & in initio propagando semini per vxorū numerum vacare licuisse maiores, sed successu concrescente generis homines ad vna legitimè redactos coniugia. Gentilis etiam sub hoc tenore cohibita est licentia. Romana quóque liberalitas ad vnitates coniugij, pariante etiam Christianismum ratione consensit. Verbum itáque illud de genere multiplicando, quamdiu opus fuit, viguit. Attamen etsi scripturæ nil ob infamationem cōnubij de Virginitate dixerunt, tamen quia dignū erat, vt Dei Filius quiddā maius quàm coniugium, quod bonum & legitimum est, ostenderet: si non voce pręcipiendo, tamen exemplis innuendo, quod ex eius imitatione, & natiuitatis singulari puritate collegit Christiana fidelitas, exercere præcipua studuit volūtate.

Quomodo id scripturæ loci intelligendum.

Nec illud impudens genitalium artuum argumentum ad tutelam suæ libidinis aduocat, sed quæ licent, & non expediunt à se prudenter eliminat, vt ad ea quę non licent euincenda robustior fiat. *Melius* sanè *nubere quàm vri*, scilicet quibus illis neq; professio obuiat, neque votum aut suum aut cuiuspiam parentis obligat. Votum parentis dico secundùm quod canones vsque ad duodecennīū fieri posse sanxerunt. Hos à voto resilire sacrilegium permaximum est. Sed his pondus diei æstus, id est anxietates vitæ huius tentationum tolerantibus grande, imò speciale præmium, dum eis canticum nouum, exceptis aliis, cantare datur: in quo, præ cęteris qui hoc carent munere, singularis eorum de carnis integritate lætitia denotatur, & agni vestigiis quocumque vadit, inhærent; quia cum reliquis virtutibus conformari Christo gestiant, etiam in ista acutius eiusdem gressibus prosequendis inuigilant. Sed hæc vulgatissima eius laus est. Ad alia promoueamur.

1. Cor. 7. 9. Concil. Tolet. 4. c. 48. Triburiens. cap. 6. vide ad cap. 66. Concord. Regularū Menardi.

CAPVT XIV.

ORdo illorum qui ita viuant in sancta Ecclesia non plurimus est: At qui sunt? Aut ab aliis ineunti ætate Deo offeruntur, aut se ipsi offerunt. Porrò talium vitæ cœpta mundiția sub qua debeat cautela tutari breuiter mordeamus. Primò in ipsis puerariis rudimentis, & inepta familiaritas expuenda, & lubricum deceptoriumque magisterium, quamuis aliàs vtilissimum, refutandum. In primordio enim colligi solet, quod toti postmodum noceat vitæ. At introïtus ipse adolescentiæ, si timorem Dei comitem habeat, facili tentationem congressione deturbat: quantò namque aliquis experitur carnalia, eò leuiora corporalis appetitus patitur discrimina: Nam quid peri-

Cautè se gerant qui monasticum institutum fuere professi.

culosius quàm præteritæ voluptatis memoria? Talibus planè, quibus escæ mortiferæ necdum malè dulcis sapor inhæsit, si seductorij collegæ lenocinium aspernentur, si vagos visus contegant, si ad viam cogitationum reuocare sciant errores, leue fit quicquid tentationis ingruerit.

Solent tamen hi ex nimia sui fiducia, quadam curiositate videndarum specierum, plerumque liberius æquo laxare intuitum; & dum alienas aucupantur facies; dum clipeum palpebrarum nimium temerè ab oculis amouent; cordis lumini quæ improbè contuentur crudelis stimuli iaculum intorquent. Trahuntur igitur per id sæpius ad totius mali voraginem. Contingere tamen solet, vt neque visus admodum incendat, sed placidè ad amandum visa suadeat, neque confabulatio, vel etiam ipse tactus vsquequaque ad turpitudinem proruat: & ideò fœdus ille carnis motus parum displiceat. Sed animus, quauis occasione, aliquando facti pœnitens, ad pœnitendum culpæ dolore adducitur. Sed ne perfidiæ probrum apud eam cui perpetuitatem amoris promiserat personam incurrat, admonetur à sua mente, vt quasi sobriè iam cum ea acturus vsum collocutionis non deserat. Vnde fit, vt absque vlla cunctatione amor malè repetitus in tantum efferueat, vt ad imum abruptissimæ profunditatis auidissimè ruat. Ex quo prouidus lector aduertat; quanta animaduersione primi tentationum assultus, quantumlibet adulentur, refutandi sunt.

Præcauenda itaque dæmonum, vel ipsius carnis illecebrosa, & dolosa suasio; ne cũ nostras nobis virtutes prætendimus, & per plana nos campestria ituros confidimus, in foueas, fraude hostis adopertas, miserabiles deuoluamur. Omnimodis quóque, miroque studio attendendum, ne dum volubilis animus acriter, vt solet, inæstuauerit ad videnda quæ appetit, cupidini addicti oculi animo obsequantur: quia cum crebrò id quod simpliciter respicimus, nobis atrociter noceat, illud quod præuia mente mala fit, quantum putamus infelicem animam euiscerat? Et contingit aliquotiens, vt cum visa ad nullum calorem noxium videntem moueant, tactus procaciter præsumptus in tantam libidinis fornacem, etiam mente inaniter renitente, præcipitet, vt vix aut neutiquam absque contagione conceptos digerere queat ignes. Inaniter fateor tunc mens renititur vt extinguat, cum manus spontè emittitur vt incendat. Non solùm deniq; visus arcendus; tactus plus omni igne vitandus, sed ipsa perquàm maximè vicinitas, allocutióque cauenda.

CAPVT XV.

Quibus modis maculetur Virginitas.

QVæri præterea ab aliquibus solet, quibus peccandi modis perdita virginitas æstimetur. Quæ inquisitio nimium obscæna videtur, cum magis rimari debuerant qua virtutis instantia plenius obtineri posset, quàm quo discrimine perdi. Hæc enim quæstio remissioris animi est, illa feruentis. Sed tamen quia in stamine lineo laneum non debet subtegmen inseri: nec grossitudo corporis vitiati spe subtilitatis virgineæ gloriari audeat; quisque non quousque discurrat, sed quod vitare debeat. Restringendæ cordis lasciuiæ quisquis huius puritatis obtinendæ studiosus est, tantopere inuigilet, vt vix, aut quo minus, seu rariùs potest, delectationem huiusmodi caro præsentiat, ne vlla vi delectationi consensus accedat. Beati Gregorij, & non nostra sententia est, quòd consensus à culpæ effectu non distat, cum volũtas misera interius quod extra non potest, ambienter peragat; si tamen Deus districtè hunc iudicare proponat.

Quæ igitur spes illic exultet virginitatis, vbi teatrum totius perstrepit fœditatis? Et patens fateor ruina talibus foret vtilior, quæ & spe falsa animum tumere vetaret, & casus experientia à talibus vlterius affectandis acerrimè absterreret. Cùm ergò Deus quid iustè, quid piè iudicet ignoremus, idcircò sciamus nil de pręmio Virginis nos manere, quos mẽtis luxurię constiterit obedire. Frustra de macula exteriori fabularer, quę interdum colloquiis impudicis, & inhonestis tactibus extorquetur, in quibus & naturaliter spado quispiam ingenitam sibi ab ortu carnis integritatem, per hanc spurcissimam animi corruptionem absque dubio amitteret.

CAPVT XVI.

Quantis voluptate carnis irretitus malis coarctetur. De consol. lib. 3. metro 7.

SEd quia ad satis de his infortuniis huc vsque latrauimus, integritatis huius gloriam de sui quotiens accederit casus miseria contemplemur, ait nobilis ille author Boëtius, cum de latrone pudoris voluptate ageret:

Habet hoc voluptas omnis,
Stimulis agit furentes, & cætera.

Sed quibus stimulis? Qua, inquam, doloris insania languidum excarnificat pectus, & dum furibunda remedia furiosi cupidini ad exaggerandas furias exquiruntur, ad extremos defectus, & cruentas torturas mens vndique lacera, & dissipata deuoluitur. Etsi aliquotiens doloribus acta pœniteat, exactores illicò redeunt Pharaonis, & flagellatum cor miserum ad solitum suæ pensionis cogunt, duriora semper adiectantes, properare vectigal. Vnde mox ad odium totius Religionis acceditur, sancta claustra, & fraterna contubernia fœtent: quicquid peruerso amori resistit, quamuis optimum, maledicitur: cœpti cuiuslibet boni pœnitentia consequitur.

Pessimæ istius cicutæ primos vti referimus profectus, & eiusdem cõtritæ obscænos odores, succósque mortiferos prælibatus Author

in anteriori, vt opinor, sententia plenè elucidat. *Quid, inquit, de voluptatibus loquar? Quarum quidem appetentia plena anxietatis est, satietas verò penitentiæ.* Sed ex præfatis habes anxietatem. Quæ verò illa satietas, quàm venenosi & atroces illius cruentę comessationis gustus, cuius tam putidi sunt ructus, vt suâ auditores famâ teterrimè vexent. Cuius refectionis defectui ad effectum quidē suum momenti spatium penè sufficit, sed infiniti doloris mœror breuissimæ ipsi delectationi succedit. Sed quis mœror? acerrimus, & nullius dāni temporalis tristitiæ cōferendus, qui in tantum suum plerumque stimulo angoris agitare consueuit authorem, vt propriâ seipsum dexterâ in mortis eligat præcipitare discrimen; & cum perpetrati facinoris sibi præter se conscius non existat, neminem non scire arbitrans suæ dente suspicionis adeò dirè infelix animus corroditur, vt iam omnium inter quos habitat exanguis ac pauidus, super suo cum adhuc lateat flagitio, iudiciū pręstoletur.

Ibidem. Prosa 7.

Talibus igitur subesse suppliciis, quid nisi imaginarius quidam infernus verisimillimè æstimetur? Sed dum post lapsum aliquotiens erubescit vehementer confiteri quod egerit; apud se quandam continentiam profitetur, seque per se tantumdem cohibiturum pollicetur. Quantum ne suus quidem pastor, si sibi foret confessus, arceret. At ista fallax præsumptio malè fotum in multiplicia crimina crimen propagare protinus non desinit: & dum latens delectat cor iniquitas, quoquo pacto signo vel opere quouis ad omnium propalatur notitias. Tunc impudentia, & pariter induratio consequitur: reprobo sensu, & desperatione ad vltimum concluditur.

Verecundiam sanè ante peccatum tanquam seruilem metum vtilem plerumque dixerim, post culpam tantò perniciosiorem, quantò prauo suo pudori tuendo personam videris non confitendo cautiorem. Ametur igitur confusio quæ gloriam adducit; ad Babilonem enim hoc modo venisse plurimùm nostræ liberationi proficit.

Cum quis in nefandū hoc vitium lapsus est, debet confiteri.

CAPVT XVII.

TAcere prorsus nos proposuisse de cœlestis remunerationis quantitate, quæ debetur virginibus nemo miretur; quia & nos latet, & ei enuntiandæ non sufficimus; & quę non patent oculis tepidos minus excitant auditores, ea verò quorum dura experiētia est, & quæ abs quolibet vsualiter probari quàm mala sunt creberrimè solent, exempli adhibitione digniora mihi visa sunt, vt saltem horreat animus tantillum mellis in apis ore quærere, dum cogitat aculeum qui cruciet inesse illius caudæ. Et illud inculcare non abs re est, quòd eo stimulo concitatis nil sit vtilius, quàm claustri, monasteriique perpetuitas, sæcularium quampræcipuè colloquij fuga personarum, rumorum euitatio, & quicquid animosè carnalis amplexatur electio.

Monastica instituta, fugaque sæculariū, Virginitati tuendæ optimum remedium.

Inter quæ summopere ciborum & victualium omnium ingens in sumendo habenda discretio, & seruilis multi operis instantia, & iugo parsimoniæ curuanda ferocitas, ne dum cordis munditia sine abstinentia exteriorum voluptatum quæritur, quærentis effectus, vt dignum est, eludatur.

Supra hæc permaximè & extremè bonum fore arbitror, obrepentes animæ qualiscumque lasciuiæ motus proprio, cui sui potissimùm pertinet cura, Pastori quamprimùm in ipsis suggestionis initiis pandere; nec summatim aut simulatè, sed suum adeò quantum valet denudare cogitatum, vt totum se Rectoris iudicio insinuet gubernandum: nemo enim benè subditus regi à Prælato poterit, cuius ipse conscientiæ ignarus erit. Si ergo æger oboriente morbo sibi prudenter prouidet, menti medici necesse est, vt materiam modúmque ægritudinis pronuntians, vniuersum se mancipet: hæc quidem facto grauia, sed quò grauiora eò vtiliora.

Tentationes Patri spirituali sunt aperiendæ. Vide caput 4. Regulæ S. Bened. instru. 51. & cap. 7. gr. 5.

Igitur tantilli laboris virtuti præmium ego mirè potens, mirè suaue præfigere etiam in hoc sęculo audeam, ad cuius comparationem tantillus verè labor ille putetur. Neminem huius talis titillationis gnarum latet, vt reor, quanto suspicionum turbine, aut animo adhuc celante fota, aut opere perpetrata libido miseram vexet mentem, quantis captiuatum sollicitet hominem curis. Libido sanè transacta, vt ait quidam, semper sui relinquit pœnitudinem; Et mens malè conscia, vt alter ait, propriis semper agitatur stimulis. Sed pius quisque puritatis studiosus talis spurcitiæ ab intimis rudera discutiens, cum corporeis iam regnare motibus cœperit, & obsoleti sui vulgi quadam vi imperatoria sedare tumultus, quis dignè differat quæ lux, quæ pax, quæ securitas cordi illicò illi innascitur, quod non meditati flagitij fœditas inficit, non appetitus impudici ardor inurit, nulla quæ à Deo separet cupido distendit.

Quanti boni, pacisque vel in hoc sæculo obueniat puritatis studioso.

Hoc est illud oleum, quo mens gloriosè delibuta, faciem contemplando suo exhilarat creatori. Ipsum etiam lętitię oleum, quo Sanctus Sanctorum præ suis participibus vngitur. Hoc, inquam, est oleum, quod doloribus intestinis medetur: quo ossa nostra, scilicet virtutum nostrarum abdita, irrigantur & roborantur; iuxta illud contrarium in Psalmo: *Sicut oleum in ossibus eius.* Hoc itidem nostrum debere caput impinguari, mentem significans, aliàs perhibetur. Bona itaque conscientia quid suauius, quid in præmium præsenti fœlicius dixerim? quæ cum obtineatur aliquotiens cæterarum studio, hac potissimùm virtute castitatis acquiritur.

Psal. 108. 18.

CAPVT XVIII.

Quorumdam animalium puritate homines ad pudicitiam prouocantur.

SEd quis adeò prædicatæ tantisque priuilegiis muneratæ refragari continentiæ audeat, quam neque suis propriis, neque humanæ cuiuspiam vitæ exemplis saluator solùm imitabilem fore perdocuit, sed etiam bestiarum auiumque feralium documento celebrare non renuit? Consideremus Castores quos vsualiter * beueres vocitamus; quorum testiculi cum plurimùm valeant medicinæ, maximas insectationis molestias eorum causa in suis referuntur regionibus perpeti: qui dum pro eisdem acrius se viderint infestari, cum suæ fugam saluti sufficere non posse persenserint, sese humi deiiciunt, ea pro quibus vrgentur membra mordicus abscidunt, & suis insecutoribus quasi quandam redemptionem pro se dimittunt. Quid tu Christiana persona facies, an amorem tuæ libidinis factitandæ tuæ vitæ præpones? abscide à te quod diaboli nequitia à te exigit. Gaudere & pasci de tua luxuria appetit; abscide, inquam, & proiice abs te: ne cum ea infernum subeas. Sine luxuria viuere potes, cum illa, etsi corpore, infeliciter anima.

* Gallicè, Bieures.

Accidit demum eidem bestiæ vt amissa corporis illa parte, rursus ab ignaris aliquibus impetatur, sed cum fatigari cœperit, fugiendo sese diuaricatis posterioribus cruribus resupinat, & se quod quærunt non habere pandendo clamat, sicque dimittitur. Et nos quælibet nequam suggerente Sathana, & acriter instante, humiliantes nos sub potenti manu Dei reiectis terrenis affectibus cœlo inferamus intuitum, opere conclamantes: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Vade retrò Sathana cum nugis tuis: Hac tua libidine iam dudum me cœlestis castrauit amor. Si beuer vltroneus officio tam vtili, scilicet quo generat, caret, & quod præcipuum habet pro vita libenter impendit, perdendum ab homine gratantiùs est, quod plus sibi officit, quàm proficit.

Gal 6. 14.

Scimus quoque vultures crudeles aliter, absque concubitu pro modo suo & parere, & fœtus creare. Si hanc Deus integritatis gloriam nequissimis inseuit auium, quid tu rationalis anima quam præmium Virginitatis non latet, à continentiæ tenore refugis?

Dei gratiâ castitatis thesaurus conseruatur.

Sed quia nisi summo erga Deum vigente affectu virtus hæc valere non potest, ignis quidam non honorarius, sed continuus nostro suggerendus semper est pectori, cuius ea natura sit, vt omne quod aliunde noxium feruet, extinguat. Anima ergò nostra amore illius dilecti singularis ardendo incandeat, & osculum oris eius anxia votis, anhela desideriis exposcat; osculum, inquam, illud quod intima supernæ aspirationis illapsione perficitur, quo ore de illis ineffabilibus labiis, & anhelitu tantò mirabilius & dulcius, quantò secretius hauritur; qui, iuxta Beatum Ioannem Apostolum, concupiscentias in se exsuscitet sempiternas; & vbi omni fauo gratiori saliuâ eius tingimur, quæ totius diuini verbi salutiferum nostra innouat in mente saporem. Sicque cum singulari titillante lasciuia, post alieni oris blanditias animus tenerè agitatus oberrare voluerit, memoriæ ea dulcedo reuocata totum quicquid vagos exterius fomentat obtutus contemplatione expertæ aspirationis amaricat. Sed quando tactus impudicè lenis & inhonestè delectans menti nostræ suggeratur, non illi desit, nec vitio aliquo oppiletur illius foraminis apertura, per quod dilectus suam possit immittere manum, ad cuius tactum venter, id est nostræ carnalitatis fragilitas, intremiscat; & cum Ezechiele, eadem manu nobis semper facta comite, assiduè confortetur, & mollia quæque refutet.

A quibus caueat castitati inuigilans.

Cant. 5. 4.

Ezec. 3. 14.

Si amplexus & cætera mundi frequentia voluptatum interioribus irruat oculis, & ad se eos contorquere velit, æmulemur sexaginta illos fortissimos proceres Israëlis qui lectulum ambiunt Salomonis, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: qui quidem sexaginta, operis pij perfectione, eum qui post exercitium laborantes manet denarium iam merentur; ideóque tantò vigilantius lectulum Salomonis, id est sacram suam animam, quò vera pax & pacificans Christus quiescit, obseruant; quanto interiori curæ ab exteriori exules vacant. Et hoc non sine gladiis, id est magnis acuminibus discretionis, quibus hinc superflua cogitationis excidunt, illinc operis noxij repentinis incursibus militari quadam instantia obsistunt. Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Per ensem istic mihi longanimitas inter aduersa posse intelligi videtur, quia ex transuerso capulo, & prominente parte, crucis effigiem, in qua tolerantia notatur, præfert; & ex inferiori longitudine patiendi perseuerantiam portendere æstimatur. Ad hoc adiiciendum quod à summo sperula præminet, quia totam nostram inter incommoda sustinentiam à spe superni brauij descendere haud dubium est. Hoc igitur ense femur carnalium concupiscentiarum comprimendum irremissè est; nec frustra, timoribus enim nocturnis excludens, diabolicis scilicet dolositatibus arcendis, immodica vigilantia adhibenda est.

Cant. 3. 7.

Deinde si nebula & terra omnium obscænorum motuum densitas animam irruperit, cantare necesse est animum resistentem;

Cant. 1. 4. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigra, inquit, vt tabernacula Cedar, vtpote quæ inter obscurà vitæ mundialis, in caliginibus erumpentium tempestatum sub spe manentium ciuitatis milito, & corporalis molestiæ nubilo necessariò adhuc turbor: sed licet his aliquotiens inuita subiaceam, formosa tamen sum vt pelles Salomonis, quia quiddam simile Martyrum molior, dum eum, quem illi contra principes potestatesque tenebrarum, visibilium persecutorum, incentorum, positis corporum, in tegumentis animæ scilicet, pellibus, confligendo sortiri studuêre triumphum. Hunc ego aduersus carnem & sanguinem exposito vitiorum pondere, circumstans me peccatum excutiens, non sine carnis acri iniuria, & animi angustia diuturnis conflictibus dimicando obtinere nitor.

Dispensatiuè sanè à Deo agitur, vt cum tentationis fuco aliquando mea conscientia offunditur; à timore suæ, quæ forsitan surriperet, elationis excidat; & quantò suo iudicio nitorem consuetum amisisse se dolet, eò apud intimum inspectorem formosior extet. Sicut enim lilium inter spinas, & si quando earum aculeis illiditur, vim sui tamen odoris non minuit, sic mens æterni sponsi iam amore donata, inter illas, quas Rex Ægypti, diligenter maribus enecatis, fouere desiderat filias, id est fluxos mollesque cogitatus, ac si inter mulierculas turpes, Regiæ Virgo munditiæ, speciei & honoris gloria excellentis emineat. Expergiscamur igitur, & omnimodum à nobis laboris exigamus vectigal, & emundandæ operam demus menti, nec vacando virtutes sponte nobis æstimemus innascituras, & sicut vulgò iocülariter de Presbyteris solet dici: quod infulati operantur, & rebrachiati comedunt. Ita nos exertas habendo manus exercendæ corporis voluptati, ac sopitos habendo diuinis officiis sensus somniando putemus promereri Deum: at longè aliter.

Hæc tibi ô sancta & excellens omni pio exercitio anima, coactus monitu contra me ipsum vehementi impetu delatraui, & dum vitia animorum tibi multa circumlocutione distinxi, me ipsum vellem nollem tibi expandi. At si de virtutis studio quicquam dixi, naturæ potius ascribere debes potentiæ, quæ nunquam à bono prorsus est exors, quàm meæ in aliquo studio experientiæ. *Narratio stulti*, vt ait quidam, *quasi sarcina in via.* Sed penes te excusatum de longi loquio præsumere me audeo, qui quod ausus sum, rogatu potissimum feci tuo. Dant tibi alij pictos & copioso ornatu spectabiles libros, ego vtinam vtile aliquid tuis queam deferre conspectibus. Accipe igitur de tua te salute monentem, & licet me secus agere quàm dico cognoscas, ne asperneris quod pro tua tibi saluatione depromitur. Libens quæ iusseris egerim. Præmium saltem laboris huius tuas mihi orationes impende.

Nota auctoris summam animi demissionem.

Eccli. 21. 19.

FINIS.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS IN LIBROS QVATVOR DE PIGNORIBVS SANCTORVM.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

Domno, & Patri, sancti SIMPHORIANI *Abbati Odoni;* GVITBERTVS *Dei Genitricis vtinam minister ac seruus; Lætos in Dei seruitium habere processus.*

Auctor instituti sui rationem reddit.

CVM plurimæ quæstiones super A dente Saluatoris, quem nobis contigui sancti Medardenses habere se asserunt, apud me perstrepent; cum vulgariter aliquibus fategissent, censui literis pauca super capitulo isto perstringere, & tacitis aliorum sensibus quid animus meus inde sentiret edicere. Dum ergò rem ipsam in ipsa libelli fronte aggrederer, & quod conceperam vix pagina integra dictando eniterer, tanta pro similibus dicendorum influxit copia, vt cœpta indefinitè B mox desereretur materia. Cúmque alia sed non aliena ab hac occasione prosequerer, excudi primum, imperfecta quam adorsus fueram oratione, libellulum. In sequenti (re quam dicere deuoueram iam libata) vbi de Domini corpore sermo incidit, totum etiam tunc quod loqui super dente cœperamus excidit. Vnde ijs quæ irruerant disserendo profligatis, tandem in Tertio conatum meum exercui; sed nescio vtrum quippiam, quod prudenti cuipiam sit satis, ex- C plicui.

1. Quòd corpus Christi in Eucharistia vicarium Christi appellarit, ipsi obiectum est.

Cæterùm si quid senserim, ex fide sensa totâ fidei securitate protulerim, si quis melius sentiat, velim. Attamen ex meis beniuolis lectoribus illud in Secundo Libellulo sub notauit; quòd panis ac vini mysterium vicarium Christi appellarim: quod ob hoc sibi minus idoneè dictum visum est, quòd id quod vicarium dicitur, minus eo, cuius vicarium est, aliquo modo æstimatur. Sed si di- D cta mea attendisset quibus .... quod est ex Virgine, & significati quod in .... constat, à me sæpenumero identitas enunciatur, omnis eius illicò ambiguitas sopiret, cum ipsa verba Dominica mox inibi subiecta met .... ad sui memoriam id fieri imperant, numquam de vicissitudine quæstio motaretur. Quis enim * vicar ... cuiuslibet repræsentandi dubitat, quod super * repræsenta ... memoriam innouat? Magis planè in

f. * vicarium.
f. * repræsentatam.

causa esse videtur, quòd Spiritus Sanctus *Pignus* dicitur, quòd Filius ipse *Splendor gloriæ*; *Figura substantiæ*; & aliàs *Imago Dei* appellatur. Et certè vicarium quid obsistat vocari non video, quod & ipse cotidianum appellat: ac si suggereret, sic eo in præsenti, dum dicitur hodie, vtendum, vt ad illud æternè fruendum, quod consìdet dexteræ paternæ, nos ducat. Quod planè sic in hoc sæculo fiendum mandat, vt in sæculis sæculorum, cum ad speciem huius originis pertigerimus, fieri non egeat, sentire non possum quin opportunè vicis cuiusdam speciem, ipsa licet omnimoda veritas, gerat.

Eph. 1. 14. Heb. 1. 3. 2. Cor. 4. 4.

Huius itaque opusculi te iudicem, vir amantissime, creare disposui, quem & acrimonia nusquam torpentis ingenij, non modo literæ statum examinare perdocuit, sed ad ipsius literæ, vt sic dixerim, spiritum disquirendum contemplandi assiduitas assueuit. Te ergò securus elegerim, quem ad corrigenda etiam hostilia progredi non nisi ex ingenitâ tibi humilitate didicerim.

Porrò quòd te audiente quidam * .... us mihi obiecit, satis vtique promptulus ad loquendum, sed minùs prouidus ad id quod delatrauerat tuendum. Scilicet quòd contra sapientiæ librum eos, qui in inferno sunt, aut futuri sunt, cor impœnitens & habere, & habituros dixerim; vbi videlicet legitur: *Dicentes*, inquit, *intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum*, & cætera, tali oratione ni fallor occludam. Quòd enim eorum mens in diabolicum furorem, obstinationémque deciderit, satis in eodem quem de interiori mundo vocauerim Libro, probasse me memini; sin aliàs, ea sola quasi contrarij oppositione conclusi, quòd quâ beniuolentiâ Christus in cœlo suos sibi commembres vnit, atque concorporat, eâ rabiei similitudine diabolus eos, quibus caput efficitur, sibi conformes factos inuiscerat.

* f. æmulus.

2. Quia malè fuerit interpretatus illud Sap. cap. 5. a. 1. Quod potissimùm in lib. de interiori mundo refutat.

Valde enim absurdum, & omni rationi inconcinnum nemo dubitat, quòd qui maleuolus à præsenti migrat, illic recuperet quod hîc dum aduiuit habere non curat; alioquin Salomonis sententia vacat, qui lignum præcisum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem decidens, quocumque loco ceciderit, immobiliter manere pronunciat. Non enim maneret, si à capitis sui alteruter, siue bonus, siue malus, conformitate, statúque desciret. At quia à tanti libri sensu sese absentare dinoscitur omnino nefarium: ita eorum pœnitentiam differamus, vt ipsorum impœnitudinem perpetuam non negemus.

Eccl. 11. 3.

In hoc sanè solo eis pœniterè posse ascribimus, licet pœnitendi eis vsquequaque nullus sit fructus, quòd inter acerbitates suppliciorum sic peccata, pro quibus sunt puniti, fastidiunt, vt rursus extemplò cùm infructuositas animo tanti sui doloris occurrerit, quòd nulla ratione mutari possit, furor desperationis corda subuertat, & in tantum oderint quod sunt, vt eos pœniteat, quòd minùs peccatores, minúsque in suis voluptatibus dum aduiuerent, efferati fuerunt.

Cui concinit Isaïæ illud. *Sola*, inquit, *vexatio intellectum dabit auditui*. Quod in libro sapientiæ pœnitentia dicitur, hoc apud Isaïam intellectus appellatur. Et licet apud Salomonem nec ratio, nec scientia apud inferos futura pronuncietur; tamen sine intellectu in hoc solo non esse noscuntur, quod semper discernunt pro quo patiuntur; sed inter patiendum, quia nullus discretionis est fructus, ad obdurationis, & contemptus insaniam relabuntur.

Isaiæ 28. 16.

Eccl. 9. 10.

Vnde est illud Iob, cùm terram miseriæ, ac tenebrarum describeret: *Vbi*, inquit, *vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* Ordo planè esset, si is, qui pœniteret, ab eius rei effectu, imò & affectu, de qua pœnitudinem gerit, absisteret. Nullus ergò ibi ordo est, dum pro malo cruciatûs hinc pœnitet, illinc desperatur mali appetitu furens feruet. Quem furorem sempiternus ille horror significat, qui in animis spei omnis alienatione crudelibus enormiter flagrat. Quod totum liquidissimè in Iudæ proditoris facto perpenditur, quem dum factæ proditionis pœnitet, nequaquam tamen resumpto culpam corrigendi studio, à sua pernicie manus arcet.

Iob. 10. 22.

Certè si ipse, qui tali quæstiuncula obligare me voluit, præsens esset, ab eo quærerem, & multò rectiùs quàm quæsiuit, quid super fatuarum in Euangelio Virginum verbo sentiret, quæ dari sibi oleum à prudentibus, & à sponso clausâ iam ianuâ aperiri sibi petunt; cum nulli dubium sit, quòd post resurrectionem, quæ illic euidenter innuitur, nullus de suo statu seu saluandus, seu perditus, inibi dubitare sinatur. Cum enim dies quorumque mortis, dies iudicij in scriptura aliquotiens nominetur (in ipso enim exitus nostri puncto sententiam aut saluationis, aut damnationis nostræ suscipimus) nullo modo quempiam latere potest quas hereditates in posterum sortiatur, vbi ab integumento corporis exuto spiritu, ad æternitatis seu bonæ seu malæ notitiam nullatenus caligatur.

Matt. 25. a. 1.

Dies mortis, dies iudicij; intelligitur.

Si ergò exutum recèns à corpore suarum sortium nihil latet, & post resurrectionem multò euidentius per experientiam corporis & animæ, vitæ sequentis habitus patet, vbi nec falsa pietas, nec adulatio, non dico se promouet, sed esse non præualet: verba ista quomodo in illa veritate constant, quæ in huius sæculi vanitate, si apud aliquem sapientem modo depromantur, non stant? Quis enim in præsenti alienæ conscientiæ, si sanum sapiat, testimonium ferat, quod suæ, si iustè penset, nequeat? Quis ergo nugaciter à Deo quicquam tunc expetat, aut ab homine exigat, qui in præsenti quomodo se metiatur, ignorat? Non enim mendacia ei obtendi poterunt, cuius cuncta iudicio nuda erunt.

Quod etiam quod alibi legitur, multi dicent: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus?* Numquid in illo supremo examine, quasi sui ipsorum ignari, elementariis vocibus cum Deo cordium teste contendent? Dum ergò in absurdum litera tendit, attendendum est qui in ijs sese sensus aperiat. Erit itaque non quod perspicax tunc spiritus dicat, aut cogitet, sed quod ab homine in præsenti magnis hypocritarum virtutibus, quæ putantur, stupefacto pensari possunt: vel ab ijs hypocritis captata ab hominibus laude cæcatis sentiri queunt, qui ea, quæ de se ab hominibus celebrantur, apud Deum constare credunt. Vnde est: *Væ desideranti-bus diem Domini.* Cœcus enim præmia sperat, quibus se dignum falsus miserorum adulationibus æstimat.

Matt. 7. 22.

Amos 5. 18.

Sic itaque qui in inferno sunt intra se pœnitentiam gerunt, cum per sui considerationem, & damnationis exemplum perpensâ sanctorum excellentiâ alios pœnitere compellunt. Si enim eos, qui in inferno puniuntur, solem iustitiæ, quia eis non luxerit, doluisse sentimus, verbum sapientis: *A mortuo*: scilicet *perit confessio*. Et Psalmi: *In inferno quis confitebitur tibi?* Et, *Non est in morte qui memor sit tui. Impius* quoque *cum venerit in profundò* * *malorum contemnit.* Prauo intellectu obruimus. Vbi enim sancti stant in magna constantia, nisi inter huius vitæ

Eccli. 17. 26.

Psal. 6. 6.

Prou. 18. 3.

al. *peccatorum.

aduersa? Hîc impij labores eorum abstulerunt, dum eos frustra tantopere pro Deo laborare dixerunt. Igitur in scripturis pensemus similia, alioquin aduersum se constabunt plura rebellia.

LIBER PRIMVS.

DE SANCTIS, ET EORVM PIGNERIBVS.

CAPVT PRIMVM.

SI de statu generalis omnium resurrectionis errare malum est, multò ampliùs ipsi capiti resurgenti aliquid detraxisse peruersum. Cùm enim totius huius spei efficientia ab ipsius exemplo dependeat, proculdubio tota sponsionis huius consequentia infirmatur, si in eo qui spopondit faciendi possibilitas titubauerit, aut de eo quippiam, quod promissum est, quomodocumque cassatur. Nam cùm qui promittit promissa non implet, aut falsitatis arguitur, aut de eo, quòd alios ditaturum se dixerat, minus posse se perhibet. Deo ergò aut potentiam imminuendo decoquere, aut quasi infidelitatem in promissis inurere, cum sit vel succogitari horrendum, nemo sibi sub nomine pietatis attribuat, quod impium omnium rationi probabilissimè constat; quódque ad contumeliam credulitatis vniuersæ respondeat.

Qui Ecclesiç falsa tribuit, ipsam dedecore afficit.

Si enim pro singulari Ecclesiarum suarum excellentia sibi adscribunt, vnde potissimùm fidei nostræ iura succumbunt, omnino hic honor detestabilis æstimandus, qui spebus vniuersorum parturit declinationes & lapsus. Certè si dextram tantopere auro oneres, vt vires eo ornatu corporis totius enerues, multùm erit huiusmodi inutilis pulchritudo, quæ pro particulari decore, officiat vniuerso: sicut ex emergentium frequentia surculorum interitus accidit ramo, immò in arboris corpore toto.

Ecclesiarum consuetudines diuersæ nil officiunt fidei Catholicæ.

Porrò etiam in iis quæ Ecclesiasticè aut tenentur aut docentur, tanta moderatio hactenus constat inolita, vt nullus promulgare præsumat, nisi quod Catholicæ consonantiæ sub ratione, aut exemplo examinatior censura confirmat. Sunt etenim quædam, quæ tenentur, sed non docentur; sicut sunt consuetudines aut ieiunandi, aut psallendi, quæ etsi diuersa sunt actu, nusquam tamen discrepant à fidei sensu; nec aliter faciens argui potest, qui à dissimiliter abstinente, aut canente per intelligentiam nullatenus abest. Alioquin, qui in simili * fide diuersitatem frugalitatum officiorúmq; deffenderet, ex sui singularitate priuilegij schismaticus & meritò dici posset. Si ergò diuersum quippiam psallis, dissimilitérque ieiunas, non est competens aut idoneum, vt hoc aliis non minora bona tractantibus importunus prædices, aut iniungas. Audi Apostolum: *Qui manducat, Domino manducat: & qui non manducat, Domino non manducat.* De similibus idem iudicare in promptu est.

*f. * fidem diuersitate.*

Rom. 14. 3.

Absque Baptismate & Eucharistia fides constare nequit: quorum vbique par est forma.

Sunt præterea quæ tenentur & docentur, vti sunt & baptismatis, ac hostiæ Dominicæ sacramenta, quæ quia in tantum sunt Christianitati communia, vt sine ijs subsistere non valeat fides nostra, sic auctoritate tenentur semper indissimili vbique immota, vt semper, & vbique eadem comitetur, præcedat, & subsequatur paris formæ doctrina. Paris, inquam, formæ, vt quod extrinsecus pronunciatur, secundum id docentium procedat oratio. In quibus tamen duobus id refert, vt sine aqua aut sanguine Christianus esse non valeat; sine Eucharistia verò esse possit, si tamen in eius constanter fide permaneat. Quod in plerisque potest probari Martyribus, siue Eremitis, quorum alteri numquam, alteri semel aut rarisimè sumpta, sancto deinceps opere se ei incorporantes, longæua solitudine sanctificati sunt.

Aliquando fides sine operibus ad iustitiã reputatur.

Rom. 4. 4.

Idem est & in præceptis, vt vacantibus cæteris, fides ad salutem sufficiens tenenda doceatur. Vnde Apostolus: *Ei autem qui non operatur, fides reputatur ad iustitiam.* Amplior nihilominus charitati prærogatiua tribuitur, dum fidei spéique præponitur, dum sola pro omnibus æstimatur, dum sola opus quasi antonomasticè prædicatur. *Opera*, inquit, *manuum nostrarum dirige super nos.* Quæ sunt communia cuiuslibet professionis bonæ exercitia. *Et opus manuum nostrarum dirige:* idest, meliora charismata, eminentiorem scilicet viam, nos doce. Hæc apud nos & tenta docentur, & docendo tenentur.

Psal. 89. 7.

Ibidem.

Præterea sunt quædam, quæ etsi inter summè necessaria saluti nostræ, de quibus agimus, non computantur, sine quibus viui rectè non potest, tamen & tenentur, & in Ecclesijs prædicantur; sine quorum planè vsu, & præsentia multi vitas bene transegerunt, & transigunt: vt sunt cadauera sanctorum; vt pignera, de ijs videlicet quæ fuerunt in vsibus ipsorum. Hæc nobis sunt reuerentiæ ac

Quis in Ecclesia sanctus est habendus.

honori, pro exemplo præsidióque eorum. In quibus equidem ea sola authentica ratio habenda esset, vt is duntaxat diceretur sanctus, quem non opinio, sed vetustatis, aut scriptorum veracium traditio certa firmaret. Is enim quomodo putas, vt ita dicam, sancitur, cuius auctoritatis memoria vlla nescitur, nedum quod nec literis, aut aperta miraculorum experientia solidatur? Literis dico ad roborandum efficacibus: sunt enim quam plurimæ super quibusque sanctis relationes, quibus potiùs eorum præconium apud infideles impiari poterat, quàm aliquatenus illustrari. Vbi enim etiam quæ vera sunt adeò pannoso, & pedestri, & vt poëtico verbo vtar, humi serpenti eloquio proferuntur, immò inconditissimè delatrantur, vt cum minimè sint, falsissima esse credantur.

Gestis falsò scriptis, aut malè conditis, contumeliâ afficiuntur sancti.

Et quomodo talium auctorum subornandæ astipulabitur falsitati oratio, quæ ex sui indignissima cruditate etiam veritatem ponit in dubio? Et quibus super huius inflictione næui parsum putamus, cum non vitas, sed potius nænias aliquorum Apostolorum tantâ infuscatas fuligine videmus? Et harum rotatus fabularum omnis carri stridore deterior; quam ædificationem afferet pijs, qui etiam incentiuum blasphemiæ suggerit impiis? Quid Thomæ historia, nisi strepitus aurium appelletur, cui non semel Augustinus, sed locis pluribus refragatur? Egebat forsitan aut Deus, aut sancti eorum, iuxta illud Iob, mendacio, vt pro ipso loquerentur dolos. Si ipsi sancti Apostoli qui quasi capilli aut barba summo capiti cohæserunt, huiusmodi fallaciis minimè caruerunt. Et nisi ex Euangeliis, & suis ipsorum actibus nostræ insignirentur notitiæ, aliquorum animos talium figmenta turbarent.

Iob. 13 7.
Apostoli quasi barba aut capilli Christi capitis.

Quid dicam de illis, qui nullis aliorsum testimoniis claruerunt, & ex eo quod scripturis qualibuscumque celebrari putantur, potissimum tenebrantur? Quid super illis agam, quorum nec initia, nec media vlli patent, & in quo omnis laus cantatur, finis penitus ignoratur? Et quis illos, vt se iuuare debeant, deprecetur, quos nescit vtrum quippiam apud Deum mereantur? & nonne grauiter hominis conscientia offendit, quæ eum, de quo nil magnum sperat, Deo pro se intercessorem obtendit? Nonne suæ prorsus acumen orationis, immò intentionis obtundit, qui eum quem rogat, vtrum commune quid cum Deo habeat, nescit?

Acta eorum, qui vt sancti coluntur, cautè sunt discutienda.

Certè vidi quosdam, qui cum diutissimè aliquem, vt ferebant, sanctum, ex Britannia delatum pro Confessore habuissent, mutato derepente animo pro Martyre celebrarunt. Causas cum rogitassem, nil dignius super Martyrio hominis, quàm de prætermissâ confessione dixerunt.

Legi testor Deum, & ijs, qui mihi præsto fuerant, cum nimia detestatione relegi: scilicet in vita Samsonis celeberrimi, apud Francos & Britones, Sancti, Abbatem quemdam, quem sanctum Pyronem lectio illa agnominat: cuius cum finem vt beatum putabam ritè legendo prosequerer, reperi cumulum sanctitatis, hominem videlicet ebrietate madentem, puteum incidisse, sícque enectum.

Nec illud excidit, quòd LANFRANCVS Cantuariæ apud Anglos Episcopus, successori postea suo ANSELMO, tunc Abbati Beccensi quæstionem infert, super quodam prædecessore suo, qui in vincula coniectus, quia pecuniis sese redimere renuit, peremptus est.

Elfego nomine.

Quid dicam de iis sanctis, quorum aut finis est in malo propatulus, aut latet vtrum bonus an malus, aut inter vtrumque sit scrupulus? IESV pie! cuiusmodi sanctus cuius finis constat ambiguus? Antequam ergò eum deprecer, necesse est vt de veritate sanctitatis eius altercer. Illud dicere audebo prophanum, quod ararum ponè sacraria altissimos tribunalium instar thronos obtinent, quorum tempus, natalis, ac vita, dies quoque & qualitas mortium in nullius viuentis memoria resident. Etsi eos fideles pro nomine sanctitatis honorant, sacerdotes tamen (quod pace ipsorum dixerim) non rectè iudicant, qui vulgus opinionis suæ vento circumlatum non corripiunt, nec emendant. Si enim sine testimoniis ad gradus summos legitimè nemo prouehitur, illi temerè falsis immò sacrilegis vocabulis insignientur, ad hoc vt cunctis mortalibus emineant, proponentur, qui forsitan in loca pœnalia relegati, aut in tartara perditum ducti, si sibi profuturum scirent, & facultas suppeteret, opem à mortalibus cum illo diuite precarentur.

Antequam quis inuocetur de ipsius debet constare sanctitate.

Sit itaque videre Pontificum, sit Dei populi videre Custodum, quatinus suis prouideant, vt si æmulationem Dei habent, hanc duntaxat habere sinantur secundum scientiam, ne peccent, si rectè offerant, & rectè non diuidant. Si, secundum Prophetam; *Væ eis qui dicunt malum bonum, & bonum malum:* quæ maior peruersitas, quàm tales sacris altaribus intrudere, quos fortassis ab ipsis sacris aditis conueniebat extrudere? Si hi è quorum corporibus post mortem miracula effluxerunt, à cruciatibus in anima liberi, vt legimus, non fuerunt, iustum enim vix saluari expertò didicimus, quid de illis sperare licebit, quorum claritudini neque visus, neque auditus, neque scripta, neque miracula concurrerũt? & certè dificillimè credendum

Ecclesiæ Prælatorũ est, vt debitè sanctorum cultui incumbat populus, inuigilare.
Isaia 5. 20.

signis erat, præter illa quæ bono continuatus initio finis ediderat.

Signa exteriora haud indicia sanctitatis.

Hæc etenim ita, vt sic dicam, amphibola reputantur, vt sicut dextris sic & sinistris partibus glorias suppeditare dicuntur: qui enim filiis Israël mare Rubrum diuisit, Magno Alexandro pamphilicum. Lege Suetonium, quomodo Vespasianus impactum pedis pollice sustulerit claudum. In promptu quoque est in ortu prępotentum principum, vt puta præfati Alexandri, Iulij Cæsaris, Octauiani; sed & aliorum signa præmissa, & in mortibus habuisse Carolum, & Ludouicum filium eius prognostica. Vnde & nostro tempore in nostrorum, & Lotharingorum, seu Anglicorum Regum occasibus, & innouatione regnorum, sæpius cometes emersisse conspeximus.

Ludouicus Grossus seu sextus, scrophas curat.

Quid quod Dominum nostrum Ludouicum Regem consuetudinario vti videmus prodigio? Hos planè, qui scrophas circa iugulum, aut vspiam in corpore patiuntur, ad tactum eius, superaddito crucis signo, vidi cateruatim me ei cohærente, & etiam prohibente, concurrere. Quos tamen ille ingenita liberalitate, serena ad se manu obuncans, humillimè consignabat. Cuius gloriam miraculi cùm Philippus pater eius alacriter exerceret, nescio quibus incidentibus culpis, amisit. Super aliis Regibus qualiter se gerant in hac re, supersedeo; Regem tamen Anglicum neutiquam in talibus audere scio.

Quod Philippo patri criminibus obuoluto negatum est.

Id Anglicus Rex potestatis minimè habet.

CAPVT II.

§. I.

SCiendum ergò plurifariàm signorum dona distribui: sunt enim quidam per quos ac si canales eadem portenta feruntur, & dum per hæc aliorum vtilitati militant, ipsi eorum quæ per eos fiunt exortes habentur. * Quod in loquela asinæ, & Angeli visione, Prophetia Balaam, & * Caïphæ certissimè coniici potest; quia quæ exterius sonuerunt, à se penitus aliena fuerunt. Vnde & à morientibus cuiuscumque meriti multa videmus futura prædici, & de sequentis sæculi statu plurima enunciari. Inde & secundum hunc modum verba infantium prorsus innocentium solemus appretiari; nam super suis ipsorum, aliorúmque euentibus, ab eis solent quasi per hebetudinem plena prouidentiæ dicta iactari: quod sub sequenti patebit exemplo.

* *Num.* 22. & 23.
* *Ioan.* 11. 51.

Signa & visiones non eorũ, quorum ministerio fiunt, sed aliorum identidem vtilitati inseruiunt.

Infantulus videt inter agentem sacra mysteria Presbyterum manu puerulum hostiæ loco tenentem.

Nuperrimè, scilicet Pascha præterito, die ipsa, cum eadem festiuitas ageretur, in vrbe nobis contigua Suessorum, mulier quædam ad Ecclesiam proprium infantulum suscipiendæ gratia communionis adduxerat. Cúmque tempus Eucharistiæ conficiendæ accederet, & puerulus rerum adhuc omnium inscius, sub præsentia matris à sacerdotis tergo consisteret: vidit in medio altaris dum res diuina geritur infantulum omni specie pulchriorem inter manus sacerdotis erigi. Quod cum intueretur puerili curiositate, qua visa silere non finitur, Ecclesia audiente, exclamat ad matrem: *Domina*, inquit, *nonne attendis quam pulchrum puerum super altare Presbyter teneat?* Matrem verò respicientem, nihil huius visionis attigerat. Post paululum autem, cum post eleuationem demitteret sacramentum, & operiret syndone, rursus inclamitat. *Ecce*, ait, *albo panno inuoluit eum.*

Cúmque cunctis audientibus hæc eadem replicaret, capacioris intelligentiæ quidam animaduertunt, innocentiam puerilem aliis oculis pulchrum illum puerulum intueri; aliis pallam materialem qua intellectualis obuoluebatur attendi. Ecce ille qui hæc vidit, huic sæculo innutritur, nec sequentem spei æstimatur melioris ad vitam. Vnde scitur indubiè, quòd visio hæc, eius qui vidit nec prodit meritum, nec amplificat gloriam, sed audientium fidei addit magnificentiam. Et quomodo id suæ vtilitati aut gloriæ vidisse dicatur, qui vix aut nullo modo, vt pote infra sensum, quid olim viderit meminisse dinoscitur?

§. II.

REperiuntur porrò & alij, quibus nec propter pręcedentia merita id prouenit, neque ijs ex sententia rationis obtingit, sed sine respectu omnis studij ac laboris, penè totius iustitiæ gloria accidit. Quod in sanctis innocentibus perspicuum constat, qui sine contemplatione aut Dei, aut præmij passi, quidquid Dei est obtinuêre in præmio: figuli enim est potentiæ, facere vas in honorem, facere in contumeliam. Ipse nempe est qui obiicit: *Non licet mihi quod volo facere? Cui enim vult miseretur, quem vult indurat.* Nec modernæ super hoc differtur ætatis exemplum.

Matt. 20. 15.
Rom. 9. 18.

Apud SANCTIQVINTINENSE oppidum, quidam itidem paruulus fuerat, parentum iudicio allectus ad clerum; iámque acholyti, nisi fallor, gradum subierat. Is ante absidis frontem, inter altare videlicet ac absidem, quadam solemni die hora sacrificij pro officio acturus astiterat. Patenam autem cum hostia quæ erat offerenda gerebat. Imago denique à fronte cancelli gypsea, crucifixi Domini speciem præferens, eminebat, quæ non longe à QVINTINI Martyrys sepulchro distabat. Cúmque imagini

Sainct Quentin.

Acolhytus puer imaginem alloquitur: cui & ipsa dedit responsum.

assisteret, & offerenda deferret, puerili tàm verbo quàm sensu ad imaginem dixit: *vultis*, ait, *Domine de pane meo?* Cui ille euidentissimè respondere dignatur: *Ego*, ait, *in proximo tibi de meo pane dabo.* Qui his auditis morbo corripitur, & infra dies paucissimos suo quem breui tenuerat exutus hominiculo; compos trabeæ cœlestis efficitur, & ante imaginem, quæ id sibi spoponderat, sepelitur.

Hæc clero Ecclesiæ ipsius referente edidici, & tumulo adstipulante rem vidi, & credidi; sicut primùm, quod retuli, à Domino Archiepiscopo Remensi RADVLPHO audiui. Suessio quoque testatur clerus, populúsque Lauduni. Dicit Seneca in libris de beneficio; *Quia qui vicem alienæ largitati restituit, mercatoribus exæquatur; qui autem gratuitò impendit, Deum imitatur.* Certè & securus dicam, quia multò magis naturale est Deo gratiam impendere, quàm cuiuspiam merito respondere.

§. III.

SVnt præterea aliqui quorum fides multum de misericordia diuina meretur, ita vt ille, cuius cibus est vt faciat voluntatem Patris sui, illis potissimùm efficientiam suę ipsorum salutis ascribat, quos in expetendo quod ceperant, fide animosiores inuenit. Vnde & ad multos eius familiare verbum est. *Fides tua te saluum fecit.* Quod est dicere: in tantum mihi placet fidei vestræ importunitas, vt mei vice vestra ex vobis pendeat sanitas. Quod & nouo nostris temporibus ipse monstrauit exemplo.

De puella postquam voluptatibus indulsisset, & peccata fuisset confessa, à summo vitæ discrimine fide sua meruit liberari.

Circa confinia, nisi fallor, *Cameracensis, Adartensisque* Prouinciæ, iuuenis, & puella, plurimâ consanguinitate finitimi, ruri sub eisdem ædibus commanebant. Cúmque assiduitas contubernij familiaritatem, familiaritas ineptiæ conceptæ præberet ausum, malè cautam subitò propinquitatem impudens vitiauit incestus. Nec mora ingestæ libidinis iuuencula persentiente conceptum, cœperunt mutuò assiduo non sine lacrymis murmure conqueri, infamiam suorum oculósque vereri. Itaque digredi à natali solo constituunt. Sed puella proprij admodum meticulosa reatûs, concurrit ad Presbyterum, & cum atroci dolore suum confitetur admissum. Quo facto, à rure illo, noctu quasi in exteram secessuri regionem, vtrique commigrant. Qui extra agros illos haud procul euntes, marginem putei iam dudum desolati peruium habuêre. At iuuenis, consedeamus ait, vt vteri grauetudinem super oram putei pausando leues. Credidit illa dolis; & cùm vecordi iuueni assedisset, impulsam à pectore illam nequissimus præcipitauit in puteum.

In puteum deiicitur.

Cúmque post paululum reddita sensibus ex casus altissimi dolo gemisceret, cœpit ad ear an viueret quasi compellando clamare. Viuam itaque sentiens querulæ vocis mussitatione captata, sensim ad eam lapides prærogare aggreditur. Illicò muliercula conticescens, in adiacentem putei angulum non tam quietura quàm saxeos imbres euitatura concessit. Et dum nec spiritum, ne muttum quidem facientis im pio hauriret auditu, mortuam non minùs ex lapsu quàm ex lapidum collisione putauit. Recedit itaque & ad propria facinore lætior tecta regreditur. De puella nisi quòd incomitata excesserat, fabula rara fuit.

Igitur in sinu illius caueæ constituta, cùm desperatissima pastum ne Deo quidem præstolaretur ab ipso, sensit ex eo qui capiti eius imminebat cespite stillam latices elabi frequentiùs, cui ora subiiciens eo tantillo reficiebatur illapsu, vt Sardanapali copias exæquaret. Quid differam? Quadraginta inibi fermè dies exegerat, nec alio victu, quàm eâ quam prædiximus fouebatur ex gutta. Interea die infra Quadragesimum quodam, subulci & opiliones per agros vndecumque compascuos pecora circa viciniam putei ductitabant; in quibus dum discursitant locis, audiunt è profundo vocem suggrunientis ibidem. Qui capita per supremum putei demittentes, humanum ruisse quippiam inibi ex voce percipiunt, quem dum multa vocalitate ciuissent, fœminam aduertunt. Rogitant quænam esset: Quæ & cuias esset, magna clamoris eruptione pertonuit.

40. Diebus detinetur ibidem.

Quo audito pastores ad villam proximam pegasea alacritate se conferunt, illam, quæ exitialiter periisse, vel extorris abiisse ab omnibus ferebatur, reperisse se aiunt. Nec mora illò ruit rusticana frequentia; muliebre conuolat vulgus, non teneritudo puerulos, non annos pigritia pressit aniles, quin ocior quisque concurreret. Dimittitur quoque qui demersam funibus efferat, & expectantibus turmis exhibeat. Qua exhibita, & relato tantæ saluationis euentu, non intra rus idem miraculi sese fama cohibuit, sed in remotas se regiones, virtus isti tempori prorsus inusitata circumtulit.

Ecce quid valuit fides in pœnitentia. Ecce quid valuit in intentione corrigendi perseuerantia. Ille fidem habet in pœnitentia, qui post Confessionis gratiam, ex securitate emendationis conceptæ nunquam diffidit de venia. Hæc est ergò illa fides quam in omnibus pene præcedentibus Patriarchis tanta replicatione commendat Apostolus, vt etiam Raab & Iephte connumeret, qui fidei tantopere prædicatæ obscuriores admodum cæteris

Heb. 11. 31. & 32.

cæteris causas habent. Est autem huius quæ mihi videtur præcipua mulierculæ fides, fidelis & irreuerberatus in sua ad Deum necessitate concursus: quæ tamen tanta apud Deum est, vt etiam ijs, quorum correctio est nullatenus secutura, negare subsidium pietas superna non possit. Vnde à Prophetis crebrò ei ingeritur: *Ne moreris*, inquiunt, *propter temetipsum*. Et, *propter honorem nominis tui libera nos*. Inde & certò certiùs dicam Deum, qui pietas est, seipsum negare non posse, quin & ijs qui à se futuri sunt extorres etiam celerius quàm iustis assistat, dum iustos salubriter tentat, & illis quod expetunt ad suum ipsorum iudicium citius prærogat.

Dan. 9. 19.
Psal. 78. 9.

§. IV.

De Erlebaldo, Cameracensi Decano, sanctitate & doctrina conspicuo.

SVnt denique & alij, qui non pro sola fide ad subitum sed modernas & supercœlestes glorias multâ sancti laboris longæuitate merentur. In Cameracensi Ecclesia, ante hoc fermè biennium Decanus, qui & summus Æditiuus templi fuerat, cui ERLEBALDVS nomen erat; qui in multis quos circumquaque faciebat ad populum sermonibus, ad fructum veræ confessionis ostendendum, idem quod modò retulimus referebat exemplum.

Is corpus proprium graui abstinentiæ fasce profligans, perpetuo cilicij squalore contabuit, in quo vix aut numquam mundicias habuit, in quo tanta vermium ingenitorum scaturiginis instar insolentia coaluit, vt mirum haberetur quomodo id caro humana tolerare potuerit, cum eo numquam ne quidem cubitando caruerit. Culcitra neutiquam vsus, scamnum pene sine vllius sternij fulcro pro cubili habens, numquam nudus accumbens. Igitur cum vitæ huius propinquaret ad finem, cœpit in spiritu grauissimè à dæmonibus molestari, & ab ipsis veluti per volutabra trahi. Cúmque passionis huius causæ ad eum inuisentibus quærerentur, intulit hoc sibi apprimè à diabolis obiici, quòd sibi commissum minimè plene coërcuerat Clerum.

Morte igitur sibi obita, cùm plurimis bona specie apparuisset, tum maximè Episcopo modo tali. Interrogatus ab eodem qualiter secum ageretur, respondit: *Triginta*, inquit, *ijs diebus præteritis quotidianâ sum flagellorum cæsione multatus:* Ad quem Episcopus: *Et tu*, inquit, *Domine quam ob causam?* Et ille: *Mirum*, ait, *est quod dixisti, cum sciat hominem etsi sanctum, tot velit nolit fragilitatum lapsibus subiacere: sed & de ijs quæ Deo, & mihi confessus es cogitare debueras, vt corrigereris, sicut mihi spoponderas. Ne cuncteris ergò corrigi, quia expedit tibi vt facias.* In natali itaque Domini sibi finis obtigerat.

Hac deinde visione & aliorum alijs publicatis, cum iam secundum seriem earum, & vitæ ipsius pietatem sub spe bona de eo omnia crederentur, festum consequenter Paschale transierat. Et ecce in monasterio BROTBVRGENSI, quod multæ religionis sanctorum est Virginum, duæ adolescentulæ clarissimæ indolis fuerant, quarum cum obiret altera ante Dominicæ Resurrectionis diem, à sodali conuenta, & multis obtestationibus est obstricta, quatinus carne deposita si spiritui eius Deo permittente liceret ad se rediret, & quid secum boni aut mali gereretur, ediceret. Tantopere enim mutua se dilectione deuinxerant, & quæ inter viuendum omnium suorum consciæ vicissim fuerant, obeuntes non esse nolebant.

Igitur post aliquot puellæ mortis ac festi Paschalis dies, cum superstes iuuencula dormitorium nescio quid actura petisset, ecce comes amantissima nil funebre, nil horridum præferens; sed quod gratiosius sensibus poterat apparere subrutilans, repente astitit. Infinito illa stupore succingitur, & hæsitanti tamen ore qualiter se ageret, ipsa requirit: *Feliciter*, inquit, *ago: die enim sanctæ Resurrectionis recèns actæ, Dominus* ERLEBALDVS *Cameracensis Decanus, & ego cum eo, cum immensa frequentiæ cœlestis lætitia ad omnipotentis Dei faciem recepti sumus.* Dixit & excessit, sed tam citò dimissam immodico dolore compressit. Fuit autem homo iste cum sacerdotio, quo fulgebat, & in scripturæ scientia copiosus; & mihi valde amicitia affinis, cui sicut de eius honore supremo, vt debeo, gaudeo, vtinam à modò inueniar gratiosus. Hæc fides operosa commeruit, quæ pij laboris commercio Deum sibi effecerit debitorem. Hæc ab Episcopo Laudunensi Domino meo BARTHOLOMÆO cum audissem, tot propemodum postea de prouincialibus huius beati hominis testes secuti sunt, qui super hac re indissimilia sonuerunt, quot iam in memoria mea recenseri non poterunt.

§. V.

AT quia hæc signa non tam pro sui nouitate, quam pro causarum ipsarum reddenda diuersitatis ratione retulimus, illud adiiciendum reor, quòd sicut euidentia, & indubia sunt præcordialiter affectanda, ita fucis aliquibus non facta sed ficta, diris sunt animaduersionibus punienda. Qui enim Deo quod nequidem cogitauit, ascribit, quantum in se est, Deum mentiri cogit. Si quis me homuncionem alicuius falsitatis accerseret, aut mihi quod non fecerim fecisse impingeret, multùm mihi horrori & odio esset. Et quid eo funestius, desperatius, damnatius, qui ipsum totius puritatis Deum fontem solo

Sicut vera sanctorum acta honori Deo, ita & falsa dedecori vertuntur.

Puer defunctus, velut sanctus imprudenter colitur.

ambitu fœdissimæ voluntatis attaminat?

Certè vidi, & retulisse me pudet, vulgarem quemdam puerum militis alicuius, vt ferebatur, armigerum die parasceues biduo ante pascha proxima Bellouago villa occubuisse: attinebat autem viri cuiusdam prædicatissimi Abbatis. Cœpit mortuo illi pro sacra illa in qua obierat die gratuita sanctitas imputari. Cúmque id rustici rerum nouarum cupidi celebrassent, repente oblationes, & cerei ab omni agrestium pagensium vicinia ad eius tumulum comportantur. Quid plura? Tumba superstruitur: locus ille domo ædificata præcingitur, ab ipsis certè Britanniæ finibus B ad eum peregrinantium soli rusticorum, nullorum verò procerum cunei tendebantur. Videbat hæc ille sapientissimus Abba cum suis religiosis monachis, & munerum cōportatorum blandiente frequentia, infecta miracula fieri supportabat. Etsi in profani vulgi auaris pectoribus capi potuerunt fictitiæ surditates affectatæ vesaniæ, digiti studio reciprocati ad volam, vestigia contorta sub clunibus: quid facit modestus & sapiens, qui præfert propositum sanctitatis, dum fautorem se præbet in talibus?

C Crebro teri perspicimus ista susurro, & factâ feretrorum circumlatione ridiculâ, & eorum, quos à rabie declamandi rabulos Hieronymus vocat, mendaciis cotidie cernimus alieni marsupij profunda nudari. Quorum tantâ nebulonitate concutimur, tantâ diuinorum adulatione ferimur, vt iuxta præfatum doctorem scurras, helluones, & catellanos liguriendo exuperent, coruos, ac picas importuna garrulitate præcedant.

§. VI.

Quid de falsis reliquiis ipsomet præsente Guiberto actū fuerit.

SEd quid crimen in numerum iacimus, si D non ad errorem potius improbandum speciale aliquid inferamus? Celeberrima quædam Ecclesia huiusmodi circumuagationes agebat, & ad sui reparationem damni quæstus adhibito prolocutore quærebat. Cumque super reliquiis suis sermonem plus æquo extuberat, prolato philacterio ait: (Ego autem in præsentiarum) Sciatis, inquit, quòd intra hanc capsulam de pane illo, quem propriis Dominus dentibus masticauit, habetur: etsi minus à vobis creditur, ecce heros, ait, iste (de me autem dicebat) quem vos in literis plurimùm valere testamini, verbo meo si necesse fuerit testis assurget. Fateor erubui E cum audissem, & nisi eorum præsentiā, quos ille auctores habere videbatur, reueritus essem, vt pace ipsorum potius, quàm illius qui loquebatur, agam, falsarium ostendere debuissem. Quid dicam? ne monachi quidem, nedum clerici, ab hoc turpi emolumento se continent, vt res hæreticas super fide nostra

A etiam me audiente pronuntient. Iuxta enim illud Boëtianum: *Iure insanus iudicarer, si contra insanos altercarer.*

CAPVT III.

§. I.

Tabulis Ecclesiasticis quinam ascripti censendi, sunt.

SEd vt res quæ præ manibus est, liberius valeat præuideri, de ijs, qui appellantur sancti primò tractandum. Certè cum pro sanctis habeamus Apostolos, & quos pro martyribus tutò probauit Ecclesia, certè super confessoribus serior sententia ferri potest. Martyres planè etsi scripta conticeant, solius prærogatiua sanguinis extulit; nec quæritur in martyre quæ vita præcesserit, cum ad vetustissimorum repurgia criminum cruor ipse satis sit. IESV bone! quidni, cum ad omnem gloriç sufficientiam etiam sceleribus abolitis potis sit: Pœna enim ipsa sicut ante baptismum, ita post baptismum culpas obliterat, & vices agit lauacri, ac saluationis, immò clarificationis certissimæ effectrix est. Pœnam dico quam rectissima causa præcesserit: proinde in Canonibus præcipitur; vt si quis reperiatur idola destruens, & pro hoc ipso eum contingat interimi, vt non pro tali occubitu martyr habeatur. Et certè hîc bona causa videtur; sed quid quod intentio causæ aliquotiens deprauatur. Donatistæ non imparia martyribus passi sunt, & quia extorres à caritate fuerunt, frustra tulerunt. Reliquiæ Manichæorum pridem Suessionis zelo Dei plebis arserunt, sed extorres à iusta causa, solummodo addemnatis corporibus sibi damno fuerunt. Super quibus in libris Monodiarum mearum laciniosius dixi.

Concil. Eliberit. can. 60. Iusta causa martyrem facit.

Monodiarum lib. edidit Guibertus.

Si ergò de Martyris sanctione sententia tantâ ambiguitate profertur, de Confessoribus, quorum finis minus aliquotiens certi habet, quæ censura ferenda? Si in Martino, Remigio, ac similibus totius Ecclesiæ sensus adæquitat, quid de eis proferam, quos præfatorum æmulum per villas ac oppida cotidie vulgus creat? Cum enim alij alios summos conspicerent habere patronos, voluerunt & ipsi quales potuerunt, & * fecêre suos. Sic poëtæ cum primo opuscula nobilia emisissent, postmodum ipsorum æmulatione quique inertium ducti, *scripserunt*, (vt ait Horatius) *Indocti, doctique poëmata passim.* Artium repertores, & qui suis aurea sæcula duxêre temporibus antiqui in Deos Deasque leuarunt; medij tantoperè numerosa numina cumularunt, vt postremi, abrogatis quibusdam, quosdam secernerent, selectosque vocarent. Samaritæ relegatis in Babiloniam Iudæis Deos sibi conficiunt: *Vnaquæque*, inquit, *gens fabricata est Deum suum.*

f. * facere.

4. Reg. 17. 29.

Pastoral. part. 2. cap. 11. initio.

Babilonij fecerunt sibi Socoth Benoth. Cuthtei Nergel; & alij alios. Apud beatum Gregorium constat, quòd is, qui displicet, cum ad intercedendum mittitur, irati animus ad deterius prouocatur. Sed omnes diffitentur se tales qui displiceant patronos elegisse.

Dicant ergò mihi quomodo sibi illum patrocinari æstimant, de quo quicquid est sciendum ignorant. Nusquam de eo scriptum præter nomen inuenies. Cæterùm, tacente clero, anus, & muliercularum vilium greges, talium patronorum commentatas historias post insubulos, & litiatoria cantitant; & si quis earum dicta refellat, pro defensione ipsorum non modo conuitiis, sed telarum radiis instant. De quibus ergo ne suspicio quales fuerint residua quidem extat, quis hos nisi extremè demens ad pro se interpellandum prouocat? Et oratio illa quid valet, vbi orantis animum eius quem Deo pro se prætendit omnimoda incertitudo remordet? Quid, inquam, prodest, quæ sine peccato numquam est? Si enim oras quem sanctum nescias, in eo ipso peccas, quo veniam impetrare debueras; quia non rectè diuidis cum rectè offeras. In quo planè orans dubitas, Deum nullatenus placas; sed dum de tua petitione diffidis, irritas: ad eius namque iniuriam respicit, ad quem is prolocutor dirigitur, quem non nouit. Et quomodo tibi proloquatur qui tibi suspectus habetur? Etsi bene non opinaris de eo, quid te meriturum credis ab ipso? Dicit quodam in loco Ambrosius: Super me debet esse cui me committere paro.

Quem sanctum nescit cum quis orat, peccat.

De cuius itaque statu omnino ambigis, talem petere nonne insani prorsus est capitis? & quem ignoras vtrum melior te sit, quare postulas vt penes Deum pro te sit? Vide Dominum vsque ad translationem montis fidei meritum commendantem, & hæsitationem cordis apertè vetantem. Ac si diceret: si quid magnum proponitis quantumcumque illud est, si vel parum hæsitatis, amittitis; & multò tolerabilius est de suo merito quemque diffidere, quam de eo, in quo spes tua penes Deum pependerit, patrono tuo videlicet, desperare. Quia enim minus tibi attribuis, illum adhibes: & certè nosti quia si interpres tuus falsitatis arguitur, quicquid impetrare potueras, perdes.

Matt. 11. 23.

Sed quid in ijs diu versor cùm tanta sit in totius sanctæ Ecclesiæ ore pudicitia, vt etiam Matris Dominicæ corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat, ob hoc videlicet quòd necessariis argumentis comprobare non valeat? Et cum vas illud omni creatura post Filium præclarius, quod Dominum maiestatis vniuersorum contulit, quod numquam vlli ne Angelicæ quidem naturæ licuerit, irremuneratum, inhonoratumue dimisisse ad experientiam corruptionis credere nefarium sit, (præsertim cum quod corpori suo glorificando debuerit, materno corpori, ex quo est quod est, redhibere obnoxius sit) resuscitatum nequaquam dicere audeamus; nec ob aliud profectò, nisi quòd probabilibus indiciis id asseuerare non possumus. Etsi enim alias in dissertione sacræ paginæ ratio aliquotiens sola conueniat, rationem autem adhibita scripturarum in se exempla contineant, hîc tamen & si ratio eam ad integrum corpore resuscitato clarificatam opportunissima vndecumque comportet, verùm quia euidentia probamenta non suppetant, credere quidem de ipsa quicquid glorificatius est, etsi tacitè possumus, neutiquam verò approbare valemus.

Apertis argumentis corpus B. Virginis glorificatum asseri non potest.

Nefarium tamen est credere illud corruptioni obnoxium, reliquisse Filium.

Ratio suadet in cœlū fuisse assumptum.

Ratio planè proculdubio euidens videtur, vt cùm multa quorumcumque sanctorum corpora cum eius Filio resurrexisse credantur, illa, cuius caro non altera quam Filij est, præsertim quæ nulla patris nisi sola sancti Spiritus in conceptu eius fomenta cognouerit, quomodo sub legibus antiquæ maledictionis in puluere terræ resederit, quæ auctorem benedictionis singulariter electa protulerit; cum sine detrimento, si dicere audeam, carnis Filij esse non possit, si Matris carnem sub communi sorte dimiserit, & priuilegium peregrinæ carni contulerit, quod matri suæ ipsius veræ carni negauerit? Latenter quidem id minimè sentire vetamur, quia tamen testimonia non adiacent, asserere prohibemur.

Probat id euidenter.

Si de illa cuius gloriam metiri omnis creatura non præualet, ea quæ præmissa sunt docere non possumus, de ijs quorū salus & perditio incerta sunt, quid nisi silentium sempiternum imperare debemus? Porrò sunt quædam de aliquibus scripta, quæ multò deteriora næniis ne subulcorum quidem essent auribus inferenda. Certè cum plures sanctis suis summas antiquitates attribuant, moderno tempore eorum scribi vitas expostulant. Quod à me profectò sæpe petitum est. Ego autem in his quæ obtutibus subiacent, fallor; & de ijs quæ nemo vmquam viderit, quid veri profiteor? Si dicerem quæ dici audiui, & etiam sum rogatus, vt super laude horum tam ignobilium dicerem, quin etiam ad populum declamarem; & ego, si quæsita dicerem, & illi, qui talia suggerebant dicere, publico pariter cauterio digni essent.

Recusat Auctor incerta atque incognita sanctorum acta conscribere.

§. II.

De sanctorum reliquiis quarum nullū prorsus est dubium.

Sed ijs, quos sui ipsorum auctoritas exauctorat, omissis; eos, quos certitudo fidei exequitur, attingamus. Certè & de ipsis

error est infinitus, aut hi illum, & eundem alij habere se asserunt: verbi gratia, caput Baptistæ Dominici cum Constantinopolitani habere se dicant: Angeriacenses Monachi idem se habere testantur. Quid ergo magis ridiculum super tanto homine prædicetur, quàm si biceps esse ab vtrisque dicatur? Sed abrogatis ludicris seria attendamus. Cum ergò constet id quod nusquam geminari potuerit alterutros habere non posse, perspicuum est hos, vel illos, plurimæ falsitati succumbere. Quòd si in hac re quæ tota pietati commilitat, mutuâ ad se versum arrogantiâ mendacioque confligunt, pro diuinis dæmoniaca agunt. Alterutri ergò qui decipiuntur atque decipiunt, idipsum profectò quo se iactitant, indebitè colunt. Quòd si indignum aliquid ab eis colitur, ecce quanto discrimini series ei obsequentium vniuersa addicitur. Quòd si Ioannis Baptistæ non est, alicuius verò sancti est, non mediocre tamen mendacij malum est.

Constantinopolitani, & Angeriacenses Monachi caput S. Ioan. Bap. habere testantur.

Quid de capite Ioannis ago, qui de innumeris sanctorum corporibus itidem in dies audio? Planè decessor meus Ambianensis Episcopus,* cum corpus Firmini martyris, vt putabat, quatenus de theca in thecam efferret; nullum inibi pitacium, ne vnius quidem literæ testimonium, quis ibidem iaceret, inuenit, Ab Atrebatensi, & ipso Ambianensi Episcopis, audiui quod refero. Qua de re vrbis Episcopus plumbeæ laminæ mox inscripsit, quod illic conderetur. *Firminus martyr Ambianorum Episcopus.* Nec mora in Monasterio sancti Dionysij idem actitatur. Parata ab Abbate ornatiori capsa dum inde extollitur, dum cum membris caput euoluitur, membranula in martyris naribus reperitur, in qua quòd esset Firminus Ambianensis martyr expromitur.

* S. Godefridus: vide obseruationem nostram.

Nullum de corporis S. Firmini existentia in Ambianensi Eccles. Sed in Dionysianomonast. euidens testimonium reperitur.

Igitur Ambianensibus, cum nil in tanto astipuletur negotio, aliis autem è regione, cum vel vocem testimonia qualiacumque suppeditent, ratio quæso cuiuslibet iudicium factura consedeat? Quicquid in plumbea à Domino Episcopo scriptum est lamina nonne iure cassabitur, cui in conscriptione illa nil prorsus testificatur? Et certè Dionysienses illi quomodocumque vel mutiunt, qui saltem literulis vtcumque subnixi sunt. Qui ergò venerantur quod nesciunt, & si sanctum quid sit, numquam tamen sine magno periculo sunt. Si aliàs, in enormi multum sacrilegio. Quid enim magis sacrilegum, quàm pro diuino excolere non diuinum? quæ namque Deo pertinent diuina sunt. Et quid Deo pertinacius, quàm illi qui Deo vnicorpores sunt?

§. III.

AVdi quod querimonias nostras elucidet, & de ijs quæ sunt prælata diiudicet. Odo quidam Baiocensis Episcopus, Roberti Comitis Northmannorum naturalis filius, & Gvilelmi senioris Anglorum Regis naturaliter frater, sanctum Exvperivm prædecessorem suum castro Curboïlo cultu permaximo honoratum desiderantissimè requirebat. Cúmque Ecclesiæ cui inerat æadituum centum denariorum libris munerasset, vt eumdem ab ipso reciperet, ille malè argutus aucupato cuiusdam rustici Exvperii nomine tumulo eruit, & ad Episcopum detulit: Interrogat Episcopus vtrum sancti Exuperij quod intulerat esset, necne; quin etiam sacramentum ab eo exigit. Hoc, inquit, iureiurando tibi asseuerabo, quòd corpus Exuperij sit, de sanctitate autem numquam, quia multis id prænomen ascribitur, quorum sententia longe peregrinatur à sancto. Igitur hoc modo Episcopus æquiuocatus à fure quieuit. Oppidanis autem mercimonium de patrono suo quod fecerat custos inclaruit. Qui conuentus ab ipsis, respondit; Reuisite signa feretri eius, & nisi illabata videritis luam pœnas.

S. Exuperij loco, Exuperij rustici corpus subinfertur.

Ecce ad quantum totius religionis dedecus coëmptio Episcopalis eualuit, dum promoto tam profanè rustico Exvperio, sacro Dei quo intrusus est altario accessit, nũquam fortassis desitura contagio. Tanta indissimiliter facta vbique loci memoriæ meæ sese subiiciunt, vt ad referendum tempus viresque deficiant, cum non de integris eorum corporibus tantæ, quantæ de membris & membrorum particulis fraudes fiant, dum ossa vulgaria pro sanctorum pigneribus venundanda dispertiant. Hoc planè fit per eos qui, iuxta Apostolum: Quæstum existimant pietatem, dum quod esset, si saperent, suarum conducibile saluti animarum, hoc excrementa efficiant crumenarum.

Nota. 1. Tim. 6. 5.

CAPVT IV.

§. I.

SEd hæc omnia à peruersitate radicis emergunt, quæ non est alia, quàm quòd eisdem adimitur quod communi sorte debuerat omnis commereri humana natura. Si enim certo certius de terra hominis origo consistit, & persoluto mortis debito in eamdem ex primæ damnationis legibus recidit, præsertim cui dictum est, *Terra es, & in terram ibis*: Deus, meâ sententiâ, nec præsenti, nec secuturo cuipiam dixit; *Aurum vel argentum es, in aurum vel argentum ibis.* Vt quid precor homo à sua natura, immò à Dei imperio eruitur, vt quod conditionaliter nulli competit, aureis vel argenteis conchulis inseratur?

Defuncta sanctorum corpora non auro aut argento includi debent.

Si vir sapiens alia præter terrã humanorum

Vide annotationes nostras. Eccli. 40. 1.

corporum sciret receptacula, non diceret, Quòd *graue iugum super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vsque dum redeant in matrem omnium.* Nota quam concinnè dictum sit, matrem eorum, & matrem omnium: Si mater mihi dicitur, quæ ventris loculum, & hunc immutabilē, qui alterari non potuerit, præbuit; consequentius & mater ipsa est, quæ materiam essendi mortalibus dedit; & plusquam mater est planè, quia quod secundis non licet matribus iteratò nos recipit. Quocumque enim apparatu sarcofagorum amoliri à te tactum terræ volueris, velis nolis, terra fis. Et quæ dignitas vt quis auro argentóue claudatur, cum Dei Filius saxo vilissimo obstruatur? Quod à sæculorum primordiis ne superbissimis quidem Regibus cōstat inolitum, nec vnicum memorię meæ suppeditatur exemplum; & cum infinitas thesaurorum copias sepulchris immergerent, numquam legisse me memini quòd loculis aureis seu argenteis marmora pura mutarent: quæ Dei æmulatio est, sed non secundum scientiam, vt fides nullum fructum afferens, sed quæ multum pariat indecens: nostro tempore commentetur, quod nulli vmquam religioni, nullis vsquam diuitiis exhibitum à sæculo comperimus?

Nota.

E tumulis erui corpora sanctorum Guiberto non probatur.

Certè si sanctorum corpora sua iuxta naturæ debitum loca, idest sepulchra seruassent, huiusmodi quos recensui errores vacassent. Per hoc enim quod è tumulis eruuntur, membratim huc illúcque feruntur; & cùm pietatis obtentus occasio circumlationis exstiterit, ad hoc subeunte nequitia detorqueri cœpta est intentionis rectitudo, vt penè quæ simpliciter fieri consueuerant corrumperet vniuersa cupido. Si tanti loco meriti Tobiæ mortuorum sepultura ascribitur, vt inter cæterarum beneficia humanitatum RAPHAELIS specialiter fere testimonio collaudetur, & ante Dei oculos gratè admodum delata dicatur, quid impietatis & culpæ putamus obtineat, qui corpora naturali debito priuans quauis leui occasione molestat? Et quæ non dico leuior, sed importunior occasio, quàm vt discipulus præponatur magistro? Ille lapidi intrudatur, hic auro claudatur? Ille nec plene subtili syndone obuoluatur, hic palliis, aut sericis, auróue textili subcingatur?

Apud splendidissimum Papam GREGORIVM, hi qui corpora Pauli Apostoli, Laurentíjque Martyris inscij conspexêre grauissimè sunt puniti. Quid de ijs iudicij proferetur, quibus auaritia sola in causa est, & sanctorum corpora faciunt irrequieta dispergi, immò, vt sic dicam, pro sola oblationum illatione cotidiano ostentui haberi? Solent namque pixidibus eburneis, aut argenteis nuda sanctorum ossa contegere, & ad tempus & horam pretio sese ingerente retegere. Spiritus SAMVELIS, qui vt spiritus naturali alacritate vigebat, per Pytonissam inquietari se quia euocabatur, queritur: & ossa materialia quæ hac illacque dispersioni patent, si possint iustissimè non querantur? * IACOB, & IOSEPH tantopere de sepulturis mandant; & omnes sancti sepulcra sibi præparant: de reportandis ad genitale solum ossibus operam gerunt, in domo sua, idest in parentela, inter scilicet contribules suos non sepeliri, quasi pene damnari metuunt: quid aliud videtur nisi quod corpora ad resurrectionis gloriam immutanda omnimodis magni pendunt?

1. Reg. 28. 15.

* Genes. 47. 30. & 50. 24.

Si nemo, idest ratione se agens, carnem suam odio habuit, quin escæ ac potûs obsonia cotidianæ indigentiæ cōministret, quantò magis illud, in quo necessitati luxuria nulla communicet, vt in haustu victualium aliquotiens contingere solet, præcordialiusque quamuis sumptuoso tristis huius, vt ait Poëta, ministerij ambitu, spem ad melioris vitæ statum porrigens extruere debet, vbi liber ab hyeme sæculari, & præsentium tutus ab imbre turbarum, vocem Archangeli surgere iubentis expectet? Si huiusmodi vocat Apostolus dormientes, ego tales existimo inquietare nefarium; præsertim cum in hac ipsa quiete neminem qui euigilare compellat alium præstolentur, nisi eum qui faciat de mortuis viuiscentes.

Eph. 5. 29.

1. Tes. 4. 15.

Dicat quisque quod sentit, securus planè ego inferam, non Deo, non sanctis ipsis vmquam fuisse placitum, vt eorum cuiuspiam debuerit reserari sepulchrum, aut dirimi per frusta corpusculum. Apud gentiles respectu humanitatis omnino inopibus pollinctorum, & vespilonum generaliter obsequebantur officia, & vulgaris sandapilæ, & certè quorum spes, intereunte corpore, pariter interibat: & nos eorum busta suffodimus, membra diuidimus, quos sanè plurimis documentis super hac motione irasci comperimus?

Planè GREGORIVS, cum PAVLI Apostoli caput ab Augusta, nisi fallor, Tiberij peteretur, se prorsus id non audere respondit; illa quam superius dixi super eius repertoribus animaduersione prętensa. EADMVNDVS apud Anglos non ignobilis gloriæ Rex & Martyr existit, cuius in sui tuitione corporis zelum vellem sancti æmularentur cæteri, qui in statu dormienti simillimo huc vsque persistens à nemine videri se dignatur aut tangi. Nostra enim ætate, vt ea quæ in eius passione leguntur taceam, Abba quidam eius loci plus æquo curiosus, vtrum, vti vulgabatur, caput eius post abscisionem corpori esset vnitum, præmisis ieiuniis cum

Lib. 3. epist. 30.

quodam suo monacho adnitente tentauit; sed tentationem illam tanta confestim puniuit infirmitas, vt in neutro vlla deinceps remaneret manuum vtilitas.

Si sic quietum suis tumulis fore quemque liceret, super corporum, pignerúmue sacrorum mutatione sine concambio altercatio tota sileret, nec ij illum, illi eumdem habere se dicerent, si illibata vniuersorum, vt iustum esset, monumenta manerent: & dum omnes in sibi attributa terra immoti quiescerent, fraudes, quas prælibauimus, super eorum multifida distributione non fierent, nec indigni dignorum loca tenerent.

§. II.

Non peccant qui reliquias cuiusdam sancti pro alio venerantur.

QVæritur quoque ab aliquibus vtrum eorum reliquiæ cum alteræ pro alteris honorantur, & non sint eius, cuius esse putantur, aliquid perniciosum colentibus importare credantur. Quod ego non æstimo: cum enim Dominus de eis dicat, *vt sint*, inquit, *vnum sicut & nos vnum sumus*, cum ipsorum vniuersitas sub Christo capite sit quasi quædam identitas corporis, & vnus cum Deo sit spiritus ipsi adhærentis, inter eorum ossa qui sancti sunt, non est error si alia pro aliis excolantur, qui commembres in sui auctoris corpore dinoscuntur. Aquo sensu non discrepare videtur, quod quatuor coronatorum festiuitas sub aliorum quinque martyrum nominibus ex Romana auctoritate recolitur.

Ioan. 17. 22.

Die 8. Nouemb.

Sed ad hæc forsitan quiuis quærat, vtrum Deus simplices quosque exaudiat, cum per eos inuocatur quos esse sanctos non constat. Cui respondendum, quia sicut Deum, qui eum, de quo est incertus exposcit, irritat; ita eum si fideliter sanctum illum credens, qui non est sanctus exoret, placat: verbi gratia. Ponamus aliquem qui eleemosinam putet esse peccatum. Si ergò is scienter eleemosynam faciat, reuera profectò ex conscientiæ intuitu peccat, cum tamen aliorsùm verè sit bonum quod faciat. Ita planè si sanctum quis æstimet, quem sanctum quidem dici audiat, sanctum verò esse non constet, si eum præcordialiter, & secundum fidem interpellet, apud Deum, qui causa & fructus est orationis, intentio deprecantis tota defigitur, quocumque modo animus per simplicitatem super suo intercessore errare videatur, & quod sub spe boni honoratur, numquam à boni remuneratione cassatur.

Qui certè sanctum existimat, colitque, quamuis talis non sit, fructum recipit orationis apud Deum.

Deus causa & fructus orationis.

Si enim recipias Prophetam in nomine Prophetæ, idest qui solum sine re aut iusti, aut Prophetæ nomen exhibeat, tu Prophetæ, aut iusti meritum, præmiúmque sortiris, quo ille iustus ac Propheta fraudatur, qui solum vtriuslibet nomen, habitúmque prætendit. Et certè multi parum literati in suis creberrimè precibus mentiuntur, sed auris diuina intentiones potius quam verba metitur. Si enim cum debeas dicere: *Assit*, dicas, *Absit nobis Domine virtus spiritus sancti*: Si cum singultibus ores non tibi officit. Non est Deus grammaticæ curiosus: vox eum nulla penetrat: pectus intendit.

Explicit Liber primus.

LIBER SECVNDVS.

DE CORPORE DOMINI BIPERTITO, PRINCIPALI SCILICET, AC MYSTICO.

CAPVT PRIMVM.

IGITVR iis, ac si procemio futuræ nostræ disputationis, explicitis, ad fundamentum quod in initiis iecimus, pretiosos fidelis eloquij lapides apponamus, & nucleum dificillimæ, & à multis mihi propositæ quæstionis terendo, & quasi dentibus effringendo quæramus. Ob hoc nempe densissima tractatus præteriti veluti rudera exhausimus, vt licentiùs circa nodum, vtinam Deo fauente, solubilem! elaborare possemus.

Cùm quidem super sanctorum Reliquiis, quid cogitandum, quid agendum sit hucusque dixerimus: illud dispositioni nostræ omnimodo supersedit, quòd dentem Saluatoris, quem nouennis forsitan exigente naturâ emisisse potuerit, quidam in vicinia nostra se habere contendunt. Nec desunt alij qui vmbilici superfluum quod nuper natis abscinditur, sunt qui circumcisi præputium ipsius Domini habere se asserunt, de quo magnus Origenes, *fuère*, ait, *quidam qui de ipsa Domini circumcisione non erubuerunt libros scribere.*

Dens saluatoris.

Vmbilicus. Præputium.

Duobus ergò sequentibus omissis, primo capitulo quod nos propinquius vrget hæreamus. Hoc enim abrogato, liquidiùs exinanientur & cætera. Etsi probari potest hoc in terra resedisse de eius proprio, miror quam vicissitudinem nobis noluerit dimittere in corpore figurato; figurato, inquam, quod sic vmbra fit secundum speciem, vt non discrepet à virtutis efficacia secundum præcedentem veritatem. Præcedens autem, ipsa est personalis veritas, in quam refertur, & identificatur significatum. Quod enim ob sui memoriam tradidit faciendum, indubiam suæ proprietatis præsentiam refert. Quæ tamen hîc præsentia, si aliud esset quàm ipsa proprietas, non maior esset quàm annuli coniugalis penes vxorem præstantia. Ad vxoris enim memoriam, annulus vicissitudo fieret mariti. Alterum ergò sicut nascendo de Virgine, patiendo in cruce aliquantulâ temporum morâ præcessit, dedit causas alteri, quod ad eius vt sic dicam, vicariam identitatem sub eius exemplo successit.

Verè corpus Christi in Eucharist. sacramento.

Inde à me potissimùm illud primùm veritas appellatur, de quo ista quæ agimus tractabilia nobis sacramenta manarunt, quia qualemcumque recipiat veritatem illud quod à primo sub figura demittitur, primum tamen principaliter verum est, quod causam subministrat illi, quod ab eo deriuatum est. Illud enim proculdubio veritas principalis & est & dici potest, in quo nil aliud adumbratur quam capi intuentium atque tractantium tam sensibus quam intellectibus valet. In altero autem etsi omnis habenda veritas est, principale tamen non est, quia à principali inflectitur quod est, & ad id reciprocari sibi semper conuenit, cuius species ac relatiuum est.

Speciem verò non particularitatem, sed figuram, quam vsus exterior prætendit, accipio, cum sit hoc totum quod est præcedens suum. Vnde & in Psalmo, spiritus principalis Pater appellatur: non quòd secundum diuinam essentiam Filio, & Sancto Spiritui principetur, sed quòd Filij, ac Sancti Spiritus ab ipso origo deducitur. Vnde qui in Psalmo principalis dicitur, personarum tamen vltimus nominatur, cum ex ipsius ore Filij in tribus vocabulis primo ponatur, vt à Propheta euidenter innuatur, in natura illa quòd nil prius, nil posterius habeatur, licet grata leuitas substantiis subsistentiarum quasi origines supponere machinetur, cum neutrum in diuina essentia capi posse videatur; cum sola essentia, dum de diuinis agimus, dici conuenientius æstimetur. Cùm enim subsistentia ab aliquibus substantiæ origo dicatur, qui vigilat, diligenter attendat, quomodo in Deum substare ac subsistere cadat, cum humani capacitas ingenij, & linguæ humanæ licentia nil præter essentiam de Deo habilius dicat.

Psal. 50. 14.

CAPVT II.

§. I.

HIs per excursum dictis, tandem repetamus omissa. Illud itaque principale corpus, quod materiam sequentibus præstitit sacramentis, si sui residuum in terrâ dimisit, parte prouectâ ad superos, quæ necessitas fuit nos quasi alterius corporis in hac vita oppignerare mysterio, cum satis omnino esset de propriæ carnis eius gaudere residuo? Et certè sine vllo intellectualitatis acumine, sine vlla experientia contemplandi, carnis nostræ adiacebat obtutibus, Dominicæ, carnis quas prædixi particulas intueri, & digitis attrectare; nec opus erat per vini panisque materiam, rerum videlicet apparentium, fidei, iuxta Apostolum, nostræ substantiam exercere. Plurimum enim animus exercetur, & quasi extra suæ habitationis castra egreditur, cum ex intentione visibilium inuisibilia speculari docetur. Gratiosum planè est, & cunctis desideriorum æstibus affectandum, rem quæ est excolenda ipsam sine typis, sine figurarum velaminibus, præ visibus habere, ardere præcordiis, vlnis cordis astringere. Et cum Deum non lateat amorem eorum quæ videntur, & sensibus adiacent, affectuosius in hominum sedere ac hærere iudicio, numquam decuit, vt qui in eius semper possumus delectari propriè proprio, impenetrabili multis subtilitate fatigemur potius quàm iocundemur vmbratico.

Cum ergo sufficeret tantillum illud residui, si tamen tantillum dici potest, quod toti mundo præponderat, ad gaudij vniuersalis fideíque tenorem, quid IESVS Dominus in figurata rursus hostia carnem suam mortalibus dat obsidem? Certè securus dicam, quia frustra ad sui monimentum vicarium dimisit corpus, qui tot portionum, quæ sui sufficerent facere mentionem, in terra reliquerit munus. *Hæc*, inquit, *quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

1. Cor. 11. 24.

Scire velim quam de se haberi memoriam affectat, & cur alia, quibus magis inter suos celebretur, inducat, cum non dico tot ac tantæ partes, sed ad totius mundi concursum corporis eius, quod de Sancto Spiritu Virgo conceperit, minutia in atomi modum vel vna sufficiat. Videtur autem mihi quasi sit dicere: cum nihil in terra resideat, vnde mea apud vos memoria recalescat, vbi enim nihil sensualitati vestræ præstat, quod

intellectualitati præsentiam meam innouando exhibeat, dignum est vt tale quid vobis à me fiat, vnde me vobis pro me restituam, & de mei apud vos præsentia quam amastis, & adhuc desideratis, nihil imminuam. Quid aliud prælibatus sermo, si vigilanter attendas, resonare videbitur?

Duo ergò erunt corpora nobis ad hanc memoriam inculcandam præstituta? Nonne Apostolis, sed contra solum Iudam agens, loquitur, *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis?* Sed ne hoc contrarium æstimetur illi promisso: *Ego autem vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, omnibus diebus vestris:* Sciendum procul dubio quia hoc intelligendum est de tutela, in quantum Deus est, spirituali, illud de præsentia corporali. Quod si de præsentia hac agitur, profectò qui dentem eius, vel vmbilicum, seu quod legitur circumcisum sibi arrogat, vsquequaque mentitur. Quod enim dicit, *Me*, quicquid humanitùs vnquam fuit, complectitur.

Ioan. 12. 8.

Matt. 28. 20.

Quòd si particulas illas illum esse negas, partem pro toto, & totum pro parte, poni posse forsitan ignoras: synecdochicè nempe non solum loqui scripturas, sed & ipsos quosque illiteratos, & vulgares hac figura sermonum vti, nulli non perspicuum. Si enim tibi casu quolibet pedem, manum, vel vltimum vnguem atteras, & interrogeris quid habeas, nonne illicò infers læsi me inquis? Et quota pars vnguis ad totum? Si te læsum non diffiteris cùm perminima tui particula quatitur, illud *me* quòd semper ab ipsis haberi non posse fatetur, pari sensu tenebitur. Si amicos, animarum nostrarum dimidium; & propinquos sanguinis, carnem nostram appellare solemus; cum singuli dicimus *me*, quid aliud, quàm totum quod est in nobis, & ex nobis exprimimus? Certè si sanguinem minuas, capillum tondeas, reseces vnguem, & rogitaret quis cuius essent hæc, aut tua esse, aut de te responderes. Si de agro aut corio fieret subcisiuum, non ideò non esse de agro, aut corio quod excisum fuerit, nisi insanus asseret.

§. II.

Audi adhuc antequam ad arctiora contra te progrediamur, quod partem tuam premat: ab eo ipso Domino alibi dicitur: *Qui manducat me viuit propter me.* Ecce sicut superius diximus. *Ego vobiscum sum:* Et, *Me non semper habebitis:* diuersa sonare, ita primum illud *Me* aliud significat quam secundum. Est enim dicere. Qui exterius meum, carnem videlicet & sanguinem, manducat, viuit ex eo ipso quod interiorem hominem illuminando viuificat. Cum ergo fieri non possit ad literam, vt totus ab aliquo manducetur, nisi pars pro toto accipiatur, secundum interiorem sensum indifficulter id agitur, præsertim cum fides corporis ita habeatur, vt quod minutatim porrigitur, totum in suis minutiis teneatur. Sicut enim de manna in Exodo legitur; quia *Qui plus collegerat non habuit amplius, & qui minus parauerat nihil minus*, sed cuique prout edere poterat est impensum: ita huiusmodi sacramentum, prout in quoque sese capit intellectus, aut minuitur, aut excrescit: minuitur secundum propriæ obscuriorem intelligentiam fidei, vbi tamen minor non est vtilitas sacramenti: excrescit autem, secundum capacitatem fidelis ingenij, in quo eadem quæ in simplicibus manet æqualitas ad salutem sacri cibi, omnibus iuxta pietatis à Deo indultæ mensuram in nullo clauda est sufficientia tanti doni.

Ioan. 6. 58.

Matt. 28. 20.

Exod. 16. 18.

Quid in sumptione corporis Christi efficiat meritorum inæqualitas.

In omni autem materiali re maioritas, & minoritas, ideo esse dinoscitur, quòd quorumque in quibusque naturis quantitates corporum æquas magnitudines habere non possint, & quod in maiorum molium enormi crassitudine continetur, in minorum tenuitate neutiquam capiatur. In huius verò sacrificij mystico apparatu longè aliter se modus habet, præsertim cum in illa dispertitione, licet non dissimilis aliis quantitatibus disparitas habeatur, secundum tamen interioris oculi pensum, non plus refert ab altari qui totum quicquid conficitur inibi sumit, quàm qui portiunculam omnino perminimam. Si enim multos in ara proponas panes, putas quod singuli illi singula Dominica corpora faciant, & non magis numerositas quantacumque fuerit hostiarum ad vnam internæ contemplationis redigatur effigiem?

In quo etiam illud annotandum, licet proposito minus conueniat, quia aliquos in hoc ipso errasse cognoui, quòd sacramentarios illos panes super aram dum solemnia aguntur, in pixide quis ignorante sacerdote dimiserit, & diuina re exactâ remansisse compererit. Casus ille ad cleri iudicium, qui illi Ecclesiæ seruiebat, delatus, hunc habuit censuræ finem, quòd videlicet quidquid erat in pixide, quæ super aram, dum fierent sacra, resederat, pro confecto sacramento haberetur, & communicaturis pro Eucharistia præberetur. Quod absurdissimè factum, hebes est qui dubitat. Quo enim orantis intentio, immò memoria aut notitia quidem nulla porrigitur, qua ratione sacrari posse creditur?

Panes, qui in pyxide inscio sacerdote super altari remanserunt, non esse sacratos.

Quia requiritur offerentis intentio.

Certè si ipsi pallæ corporali sacerdote inscio subiiceretur, aut in quauis parte calicis gutta præter id quod ab ipso propositum est,

pependisse post exactum mysterium videre- A tur, nihil profectò inibi ad sacramentum pertinens à sapiente aliquo sentiretur. Nihil enim ibi fit, nisi in eo quod fides expostulantis attingit, nec quippiam quod sacrum fiat aliunde contrahitur, nisi id solum cui verbum Dominicum, quod solummodo sacramentum conficit, coaptatur. Quod facit infidelis aut catechumenus post Euangelium in Ecclesia, hoc facit panis improuidè appositus, aut in aliqua parte calicis fortuitò stilla dependens inter sacra.

Sed ijs semotis, ad ea quæ cœperam re- B deundum. *Qui*, inquit, *manducat me, viuit propter me*. Si ergò Christum ita manducari intelligas, vt in distributione illa per membra, membrorumque segmenta in ora suscipientium cedere credas, verbi gratia, vt iste digitum, ille digiti partem percipiat, sicque per singulas partes corporis, & item partium frusta procedat, profectò huic sensui verbum Christi non consonat. Quod ergò dicit, *Me*, vniuersitatem substantiæ, quæ tunc erat, significat, immò id quod ex vtráque natura erat. Ac si diceret. Qui mandu- C cat me in quantum homo sum, viuit propter me in quantum Deus sum. Cum enim sit Deus in duabus, ex duabusque naturis, ex altera nostrum mortale viuificat, ex altera nostrum vitale clarificat. Hinc est quòd corpus & sanguinem, quódque singulariter tradit, vt quod corporis nostri humilitati eximendæ ab ærumnis naturalibus attinebat, per suum corpus in nostros vsus præbitum induceret; &, iuxta quod in Leuitico legitur: *Anima enim omnis carnis in sanguine est*; per sanguinem suum animarum nostrarum in- D terna lustraret.

Ioan. 6. 58.

Qui Eucharistiam sumit totũ Christum, hoc est hominem & Deum mãducat.

Leuit. 17. 14.

Quod luce euidentiùs ostendit, dum ad exhibitionem corporis nil aliud infert, nisi, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*: quod tamen & ipsum additamentum Apostoli Pauli est. Ad sanguinem autem, tantò latius tractat, quantò animam corpore pretiosiorem existimat. Hunc enim & pro eis quibus loquebatur, & pro multis effundendum perhibet in remissionem peccatorum. Si ergò sanguis ad diluendas à peccatis animas exponitur, profectò patenter ostendi- E tur, nullum animabus inesse peccatum, nisi quod ipsarum animarum appetitu, ac consensu peragitur: sicut enim manubrium sine ferro nil explicat, ita corpus sine animæ voluntate præter originale non peccat.

1. Cor. 11. 24.

Si adhuc exempla rogitas, præsto planè erunt simillima. Cum enim dixisset Ioannes: *Multi ex Iudæis crediderunt in eum*, adiecit: *Iesus autem non credebat se eis*. Iuxta Beatum namque Augustinum, non se eis credit, quia etsi credat, non nisi tamen baptizato Eucharistiam corporis sui committit. Dicit & alias: *Qui credit in me, non credit in me: sed in eum qui misit me*: Alias etiam: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius*, &c.

Ioan. 2. 22. & 23.

Eiusd. 12. 44.

Eiusd. 6. 54.

CAPVT III.

§. 1.

QVia igitur de bipertito corpore Domini, vero videlicet (quod superiùs principale diximus vnde hæc sequentia sacramenta manarunt) ac mystico, quod figuratum supra appellauimus, quo omni luce purior veritas sub panis ac vini vmbra conficitur, loqui cœpimus: antequam de dente, & reliquiis Saluatoris disserere adoriamur, quæstiones quæ exinde fieri solent sub præmissis testimoniis ventilare quidem volumus, nescio tamen si definire poterimus.

Ab altaris sacramento manant cætera sacramenta

Quæritur vtrum corpus illud quod ab altari sumitur, speciem viuentis Domini aut mortui gerat. Viuentem autem eum scimus, semper cohabitantem in se habuisse personaliter Deum: nomen verò Dei Filij, & cum nomine ipsam rem, non amisisse nequidem mortuum. Cum ergò se asserit manducandum, ostendere plane videtur suæ personalitatis indiuiduum: personaliter autem Deus ac homo est: Deum ergò & hominem mandibilem fieri quæ permittet ratio? In eo enim verbo quo dicitur: *Qui manducat me*: Sic necessariò intelligi debere videtur. Temperantius autem illic: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet*. Quæ itaque altercatio inter sani capitis homines ex hoc versari debet? Si Christi anima Deum sibi habuit insessorem, mysterium illud simplicis creaturæ, quod purè sacris officiis adhibetur, quis audebit dicere, quin Deum habeat viuificatorem? Qui enim de Sancto Spiritu, & Virgineo sanguine cretus, indiuiduam Dei ac hominis personam exhibuit, panis ac vini substantiæ ad sui nobis repræsentationem affluentissimum totius diuinitatis illapsum inuiscerare non debuit?

Ioan. 6. 58.

Ibid. 56.

Si aqua baptismatis non modo viuifica per spiritum, sed viuificans appellatur, illi naturæ, quæ indiuinum vniuersa mutatur, à superna præsentia, à perfecta Dei inhabitatione exanimata credetur? Illa per cloacas ruitura, spiritu fœcundante, diluendorum temporalem, immò horariam accipit potentiam peccatorum, hæc hostia siue ad salutem hostium sumpta, siue à peccatoribus, & indignis præsumpta, ad thronum gloriæ semper refertur, numquam desitura prouehitur;

Sacramentum illud omnia delet peccata.

fidenter dico in eius corpore, à quo prodiit, nullas vmquam indignitates, non indignas humilitates vſquam ab improbis perlatura ſuſcipitur. Si enim à quolibet dignè percipietur, quid aliud quam ſummo illi capiti cohærentium per ſui ipſius quam ſuſcipit carnem illicò commembris efficitur? Quo namque magis modo in corpus IESV quiſque traiicitur, quàm ſi communicando huic carni ac ſanguini intimetur?

Ab indignis ſuſcipientibus nil læſionis accipit Chriſtus.

Porrò ſi improbus illud ſumas, teipſum, quia ſacra ſacrilegè ſuſcipis, profectò condemnas, & in eo quod corpus Domini nequaquam diiudicas, idipſum quidem, quantum tibi attinet, vilipendis atque dedecoras, ſed à tuis iniuriis ſummam illam excellentiam impenetrabilis vſquequaque tuetur immunitas.

§. II.

Chriſtum abijſdem non ſuſcipi falsò nonnulli putabant: quos infra confutat Guibertus.

SEd nemo ægrè ferat ſi ex perſona cuiuſdam aliter ſentientis paulò longius videar diſputare: pro fide, inquam, aut perfidia ſuſcipientium conſtare putatur, aut quaſi deficere ſacramentum, qui infideliter, aut contemptui ducens illud ſumit, in quantum non reueretur, nec honorificat, ſi fidelis eſt, in quantum diſcredit, ſi ſit infidelis, & mente refutat corpus Domini: ergo ſenſu meo non video quomodo animabus aut corporibus talium poſſit aptari. Si enim in ſacratiuo Canone pro ijs ſolum oratio prætenditur, qui orthodoxi, qui cultores fidei Catholicæ ſunt, & maximè qui famuli ac famulæ Dei ſunt, quod meritum obtendi ſufficeret, nedum cum additur: *Quorum*, inquit, *tibi fides eſt cognita, & nota deuotio:* quid hic habet infidelis, quid reprobus Chriſtianus? Si pro vobis ô Apoſtoli, & cæteri ſancti diſcipuli, & pro multis effunditur ſanguis ille in remiſſionem peccatorum, multis videlicet, non aliis quam electis, habent quamcumque, ſibi tamen peſſimam praui quilibet facultatem exterius ſuſcipere ſacramentum, ſed rem ſacramenti non habent. Suſcipiunt quidem quod viſibile ſolum eſt, ſed quia ad vitam nequaquam nutriuntur ex eo perpetuam, illis exinanitur quod inuiſibile & vtile eſt. Et quomodo illi tanta res adaptatur, quæ in vitam æternam percipientibus datur, ſi ad gehennæ incendium irrecuperabiliter præparatur?

1. Obiectio.

Pro electis Chriſti ſanguis effuſus.

Si bonæ fidei catechumenus quia nondum baptizatus eſt, diuinis ſacrificiis iubetur abſiſtere, ei qui infideliter aut impudenter accedit ad iſta, quomodo poterit prodeſſe, immo non ad cumulum damnationis obeſſe? Cum Euangelizantibus diceretur, vt hoſpitaturi dicerent: *Pax huic domui*, adiungitur *ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra. Sin autem ad vos reuertetur.* Si prædicatoris beneficium reprobis infructuosè dilargitum, ad ipſum reciprocatur cuius eſt meritum, in corpore ineptè irrationabiliterque ſuſcipientis, & in anima ſordidè tractantis putas tantum munus tam fœdo carcere claudetur, ſqualentibus adeo locis indebitum? Si ſpiritus ſanctus diſciplinæ effugit fictum, nec habitat in corpore ſubdito peccatis, immo corripitur à ſuperueniente iniquitate, diuina iſta ſubſtantia, quæ Filij Dei corpus, per eiuſdem ſpiritus plenitudinem, & Filij perſonæ identificationem, efficitur; illi ſpurciſſimo cordi ſe quomodo inferet, cuius Sanctus ille Spiritus habitationis impatiens ſordes ferre non præualet?

Lucæ 10. 6.

Sap. 1. 5.

§. III.

SEd dicit quiſpiam: Ergò ſi ſacramentum non eſt, nec rem ſacramenti habet, quiſquis eſt qui tale quid ſuſcipit, quare damnationi ſubiacet? Ad quod ego inferam: ſi panis ille nihil in ſe ſacrum præter quam panis communis haberet, ille tamen qui id ſumit corpus eſſe Dominicum æſtimaret, & ad id impudenter accipiendum ſeſe ingereret, non minori proculdubio iudicio ſuccumberet, quam ſi IESV veriſſimum corpus eſſet: Videtur ergo mihi ſentire prophanum, vt tanta dignitas, quæ loco indebito nihil vtilitatis, immò nefariæ huic proditioni cauſas totius maledictionis importat, tali intruſione damnetur; ad cuius honorem nullo modo pertinet, ſi gratia hæc, quæ totius munditiæ nutrix eſt, turpis conſcientiæ contagiis obruatur, & miſer homo ſub hac præſumptione mulctetur.

2. Obiectio.

§. IV.

PVtaſne quod ſi quiſpiam infidelis id ſumeret, corpus Domini eſſet? Et quomodo irriſoriè aut ignoranter ſumenti corpus Domini eſt, cui ſuper ipſo myſterio nulla fides eſt? Etſi à puerulo aut quolibet inſenſato, qui vtrum ſit ſacramentum diſcernere neſciat, præſumatur; huicne tali, quòd corpus Domini inſolenter ſuſceperit, imputatur? nullatenus aſſentior. Dicam, ſed ſine præiudicio melioris ſententiæ, nulli imputari debere benè ſumptum aut malè hoc corpus, niſi qui primùm potuerit vel ex parte agnoſcere fidem eius. Certè naturaliter fatuis, & amentiam incurrentibus peccata etiam grauiſſima, quæ dementiâ, & fatuitate committunt, ad damnationem imputare nullus audet, nec eum addicere peccato quis debet, qui malum, conſcientia diſcernente, non perpetret.

3. Obiectio.

Planè indubium eſt innumeros Epiſcopalis, & ſecundi ordinis extitiſſe viros, qui &

hæc sacra populis celebrarent, & fidem veritatis internæ sacrorum eorumdem nullatenus haberent. Putas ergo cum ista gererent, nec pretium eorum quæ exterius videbantur actitare tenerent, quòd quantum ad se pertinebat aliquid cœleste conficerent? Minimè: nec panis ac vini penes ipsos substantia mutabatur, quia Dominicorum verborum, per quæ mysteria consummantur, actum eorum exteriorem fides mentium nulla consequitur, quæ spiritualis transformationis arcanum sola specialiter promeretur.

§. V.

4. Obiectio.

SEd ad hæc, in quo vel præcipuè diuina virtus eminet, gratia ista, quæ fictos sacerdotes effugit, fideles populos, quibus ista geruntur, non deserit, dum corpus idem quod non est corpus apud illos, qui id ipsum infideliter administrant, fit sacramentum & res sacramenti ijs qui, licet infideli, fideliter tamen astant: verbi gratia, si baptismum subeat Iudæus quispiam quod crebrò contingit mente perfidâ, lucri causâ; numquid immunitatem peccatorum assequitur? Et qui ad tantam puritatem fictus maleuolusque procedit, is ipse Spiritus Sanctus, cuius potentiæ fuit sanctificare baptismum, nullo modo præualuit indulgere peccatum qualecumque vel minimum: quod quidem si potuisset, non potentia profectò sed impotentia, & hæc iniusta fuisset. Sanè vecordi & impœnitenti condonare reatum, nihil aliud est, vt mihi videtur, quàm criminosis atque superbis fauorem indulgendo præstare malignum. Et quomodo Deus erit, si scelera sua perseuerantibus in eis impunè remittit? fictus certè baptisma subiit, & illud nempe quod sanctus Spiritus ad imprecationem cuiuscumque sacerdotis indubiè imbuit, & efficax fecit, & tamen inefficax reperit, qui fictus accessit.

Ecce luce clariùs fit euidens, quod vbi fides non est, sacramentum etiam fit impotens. Nec mihi quis obiiciat, quòd etiam ethnicus hæreticusque baptizat; quia alia auctoritas est in dando, quàm confessionis diuini nominis in suscipiendo. Ad dantem enim & sacrificantem ministerium exterius refertur, ad Christum verò efficientia reportatur; cui sicut dicitur: *Hic est qui baptizat*, perhibetur etiam, quia solus sacrificat. Si ergò dantes, id est ministros, singularis, quia eam sibi retinuit, Christi commendat auctoritas, in confessoribus vtique discernendis, dum in hoc versamur sæculo, constat multa dubietas vnde Psalmus: *Statuit*, inquit, *aquas quasi in vtre*: Si aquæ spiritualia dona sunt, de quibus alibi dicitur: *Flumen Dei repletum est aquis*; vel etiam ipse baptismus, hæc cui vult Deus infundit, cui vult obserat, pro intentione videlicet ac merito accedentis, & cohibet, & dat.

Ioan. 1. 33.

Psal. 77. 13.

Psal. 64. 10.

§. VI.

5. Obiectio.

HIs etiam aliquid non minus quam superiora poterit valere subiectum. Scimus & ex multiplici Canone tenemus simoniacè ordinatos, siue Præsules siue Presbyteros nihil à suo ordinatore recipere, sed & cū alios ideò ordinauerint, aut sacrificauerint, quod à nemine acceperint, seu facere, seu dare non posse. Huic tamen tam negotioso periculo conditio diuina se ingerit, vt si ab illis, à quibus simoniaci nesciuntur, sacrum quippiam per eorum manus impositionem accipitur, per fidem suscipientis, & pestem illam ignorantis, virus totius illius hæreseos vacuetur in tantum, vt quod simoniacus ipse non habet, cum videbitur etiam non habita præstitisse, ratum ex sola accipientis fide constet. Ponamus quoque è regione sanctum aliquem totius simoniacæ cladis expertem, cuius secundarij, Archidiaconi scilicet, aut Decani simoniacè conducti ad eum Ordinandos inducant; à sancto quidem illo quantumlibet sanctum legitimúmque sit quod dat, nihil accipiunt, sed tamquam exanimes ad solem nec vident, nec sentiunt.

Si hæc ad sacrificij diuini comparationem per minima ob vnius peccati immanitatem & detrahuntur & dantur, & diuinæ pro gratia suscipientium censuræ mutantur, in illo sacrosancto mysterio à damnatis iustus non discernitur? Scio nec in ijs Beato Gentium Doctori me obuium præbeo dicenti: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*: quia qui de Dominici corporis veritate non dubitat, & id ipsum atrocis aut flagitiosi animi improbitate, vt sic dicam Ecclesiastico verbo, communicat, in quo tantæ personalitati non defert, nosse velim quid sacri, quid vtilis ab altari refert? Esto: Ecce vel sacramentum, etsi insolenter & stolidè, non tam sumptum quàm præsumptum. Etsi hoc certè conceditur, quomodo tamen rem sacramenti inde referat, non videtur: quòd si res sacramenti deest, sacramentum sumpsisse quid prodest?

1. Cor. 11, 29.

Sacramentum trifariam vsurpatur.

Sacramentum autem trifariàm diuiditur. Pro iureiurando namque ponitur; & pro re quoque sacratâ dici solet: pro mysterio etiam accipitur. Sit ergo res sacra, sitque mysterium, hoc totum fit, sublatâ re sacramenti, indigno supplicium. Dicemus itaque quod huius tanti muneris cœlo ac terræ adoranda maiestas putentissimo pectori scelesti cuiuspiam se libenter immergat, ob hoc scilicet solùm, vt damnandi hominis miserum

cor exurat? Absit hoc à piissima benigni A IESV anima. Corde credo ac ore confiteor quòd ad hæc sancta præsumpta accedens, dignissimè puniatur, sed nullatenus profiteri audeam quòd tantæ veritatis dignitas locis infamibus teneatur. *Etsi nouimus*, ait Apostolus, *Iesum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus*. Iam ergò in paternæ coæqualitatis prouectus assessu, ad contumelias tolerandas iterum redigetur, vt vitioso, qui quondam quo caput reclinaret non habuit, obsolescere modò cogatur hospitio? Audeo & bonam fidem ad Deum habeo; vnde & B tutiùs dico, Iesum Dominum crucem potuisse portare faciliùs, quàm humanam conuersationem tolerare fœdis in moribus. Ad hoc igitur eum reciprocata miseria referat, vt ad referendos nostri generis rursus errores redire inuideat? Impossibilitatem suam forte fastidit, & ad consueti quondam corporis molestias quietis impatiens decedere gestit.

2. Cor. 5. 16.

Addiscere velim ab aliquo, quid sit: *Qui manducat me, viuit propter me*. Quid est manducare, quid est me? Amphibolum est, & C benè ac malè manducari potest. Dominus absolutè, Apostolus conditionaliter ponit. Sed quid manducatur? *Panis*, inquit, *quem ego dedero, caro mea est*: & Psalmus. *Panem*, inquit, *Angelorum manducauit homo*. Manducare mihi nihil aliud videtur, quàm ad seipsum IESV vitam exemplificare: & hoc est quod dicit *Me*: ac si diceret *Me* non manducat, qui non se mihi vniendo concorporat. Mihi non credatur, nisi verba Dominica meis consonare probentur. *Panem*, ait, *nostrum cotidianum da nobis hodie*. Ex quorum D persona id loquitur? Eorum planè qui dicunt, & dicere possunt: *Pater noster qui es in cœlis*. Quorum putas pater? vtique electorum, qui Dei patris moribus assimilari contendunt. *Estote sancti*, ait, *sicut ego sanctus sum*: hi, inquam, filij clamant. *Panem nostrum*: ac si dicerent. Te opere ac veritate fatemur patrem nostrum, da nobis panem, non exterorum, sed propriè nostrum. Cuius est hæc oratio? Indubiè saluandorum, dicunt E enim; *Adueniat regnum tuum*: idest, coalescat sancta Ecclesia, quæ speciale Dei regnum est, quod alias dicit non esse de hoc mundo: Si enim de mundo esset, mundus suum diligeret. Ergo panis iste qui & dicitur Angelorum, quis audeat dicere quod alicui pertineat reproborum? Soli itaque sorti conceditur electorum. *Qui* igitur, *manducat me viuit propter me*; idest, nemo carni & sanguini meo communicat, nisi quem inspiratio mei interna viuificat.

Ioan. 6. 58. — Ibid. 52. — Psal. 77. 25. — Luca 11. 3. — Matt. 6. 10. — Leuit. 11. 44. — Matt. 6. 10. — Ioan. 5. 19. — Ioan. 6. 58.

Pensa si vis quid homo damnandus hîc habeat, quem sibi diabolus ad gehennam vitiis innutriendo mortificat? Nam huiusmodi hominem, quod tamen Dei solius discernere sit, cum sit prouisus ad mortem, quomodo vel semel in vita, dignè sacris illis participare valeat, nullatenus video. Quem enim pani (qui in vitam datur æternam, & qui pignus salutis æternæ vocatur) constat proculdubio fieri non posse concorporem, tantum reor in hoc sæculo à veri sacramenti omnimoda susceptione discordem, quantum in futuro ab ipsius re sacramenti, esse constabit extorrem. Dico namque, nec sanum quis sapiens diffiteri poterit, quòd qui semel illud dignè susceperit, vllo modo exors ab æterna, cuius certissimum pignus est, salute non erit. Vides itaque cuius, ex toto, vsui pertineat esus iste.

§. VII.

SI animum insolentem ambiguitas adhuc vlla remordet. Lege Beati Cypriani librum de lapsis. Illic, nisi fallor, inuenies aliquos, qui in persecutione conciderant, & de sacrificij cruore gustarant, tempore pacis indultæ ac si innocentes Ecclesijs se immiscuisse fidelium, ac æquè vt cæteros idem Dominici corporis suscepisse sacramentum, aliquos nescio mares aut fœminas nitidis, vt tunc temporis moris fuerat, linteolis extulisse domum, & arcis suis indidisse seruandum. Nec mora cum id sumendum reuiserent, in fauillas ac cineres reperêre redactum. Pusiones etiam ipsi qui genitricum vlnis ad Eucharistiam ferebantur, postquam ipsam de sacerdotis manu ore susceperant, tussitantes reiiciebant, si tamen & ipsi quippiam de immolaticio cruore sorbuerant. Quid igitur corpus Domini ad fauillam? Quæ causa ei proprium puniendi corpus, cum eos qui à corpore suo desciuerant, potius vltum iri debuerat? Certè qui tantum suo corpori honorificentiæ aliàs ac humanæ tuitionis attribuit, nunquam si corpus suum esset in cineres redigi permittere debuit.

6. Obiectio.

Dic mihi quiuis, quare Dominus abiturus è mundo vicarium quo frueremur interim nobis corpus effecerit? Plane inferam, propter commune solatium, suique memoriam, fidem quoque exercendam. Si ergo tria hæc causa videntur, vbi hæc ipsa deesse probantur, vices inibi Christus omnino cassas habere putatur, præsertim vbi solatio nulli est, memoria desit, cuius fides exerceri debeat, immò velit, non habetur. Hoc non modo in Ethnicis, sed in auersis à Deo Christianis aspicimus, quos infidelibus deteriores vocat Apostolus. Vbi ergo fides non est, quæ adiuuetur, & deuotio, quæ id exigat, nescio quas ibidem vices Christi corpus efficiat. Vide itaque quia solis fidelibus, & hoc ad partem

partem saluandorum pertinentibus mysterium istud attineat. Cæterum qui procaciter id vsurpat, bonis enim ac malis interim facultas ista suppeditat, nescio vtrumne vel ipsum sacramentum sumat; scio tamen quòd ex eo quòd æstimat sacramentum esse, se damnat.

§. VIII.

7. Obiectio.

QVid quòd à muribus, canibúsq; absumptum audiuimus; quòd negligentiâ custodum putre aut mucidū disperit: quòd casibus diuersis addicitur: quòd denique flammis aduritur? An corpori Sacrosancto quod mures abroserint, quod canes prolâbuerint, applicabitur, vt quod ad animæ potiùs, quā corporis vsum fidei nostræ vix magnanimitas emeretur, hoc gratuitò muriū canúmque dentibus apparetur? Dicemus ergò quòd vilium bestiolarū dentes fortuitu molant, quod tantis affectibus totque cum lachrymis Christiani Præsules, cum pijs gregibus, Christo tamen præpontificante, immolant? Hoc quæso omnibus sanctis omnino oblitteretur à sensibus.

Superius constat vtcumque probatum, ad fidei veræ subsidium hoc muneris à Deo pręstitum, & quod solius fidei merito attribuitur, nulla creatura, nisi verè fidelis hinc pascitur. Et cùm hoc vnico cibo vera quorumque fides alatur, nullatenus constat esse sacramentum, nedum præstare rem sacramenti, postquam ad impias animas & animalia bruta trāsigitur. Quod si hoc mysterio nostræ redemptionis ascribitur, res nostræ credulitatis aduersariis valde ridicula promouetur. Si enim occentari possunt qui super Dominico corpore libenter disputant, & id figuram non veritatem esse volunt, quod bestiis & hominibus commune sit idem, facili argumentatione nos subigent, & ex solo pudore hebetudinis nostræ conuincent, dum nostra sacramenta hominibus ac bestiis cōmunia dicent.

Ad fidem ergò vbilibet reperiatur, sacramenti veritas habeatur, ad incidentes bestiarum seu quorumlibet aliorum discriminum casus, quia non est fides cui hæreat, substantia, quæ prius fuerat, habeatur, potiùs quàm næuus illi vnicę sinceritati, tantę turpitudinis inuratur. Si enim dum vritur, dum putresit, dum roditur, lambíturque, eâdem vbiq; maiestate procedit, tanta gloriæ nulli miseriæ non subiecta decedit. Et licet ijs videatur addicta periculis, non tamen vacant à grauibus animarum suarū exitiis, qui tantę rei pręstituti videntur esse custodiis: & corpus Domini verè produnt, qui id obseruantiâ dignâ destituunt; quod tamen sacramentum non est, dum trāsit in externa pabula; illis verò est proditio totius veri mysterij, & crimen desertionis horrendę, quibus rei huius erat attributa diligentia.

§. IX.

Obiectionum summa.

HIs vltra quam putaueramus digrediendo tractatis, hæc nostris super hac re sermonibus clausula supponatur, vt nulli humanæ, immò terrigenæ creaturæ cibus iste, in quantum supersubstantialis dicitur, in alimentum nisi verè fidelium, & ad vitam prædestinatorum æternam deuenire posse credatur: quòd si deuenerit, nihil aliud quàm purè panis esse putetur, nec hoc tamen dictum repetere piget, quia si infidelis aut prorsus indignus accedat, ex eo quod impudenter ad ea quæ sibi non competunt, se ingerit, se concremat, nec tamen credi licet quòd tanta dignitas, adeò fœdæ habitationi cohæreat, sed sicut baptismus sanctus est, & beniuolos sanctos facit, ita maliuolis præter suæ fraudis crimen, nil aliud quàm publica vnda facit. Hæc pro meo captu dico, & ad fidem, Deo teste dico; Si quis aliter sentiat, viderit vt sanum sapiat.

CAPVT IV.

§. I.

COntra hæc minus temperanter asserta, breuiori quia temperatiori ratiocinatione respondeam.

Refelluntur obiectiones.

Verissimum quidem est, quòd Eucharistia propriè proprium veræ fidei sit alimentum. Sed contra illud quod indignis, non modò res sacramenti, sed non esse sacramentum dicitur, non solùm auctoritate, sed etiam si ipsa deesset plurimâ ratione renitimur.

Ab dignis & sceleratis suscipitur Christus.

Primò si quidē, quia inconueniens valde est, vt mutabilitas & alternatio tantis mysteriis ascribatur, vt quod Petro & sacramentum & rem sacramenti præstiterit, hoc Iudæ sub eodem momento neutrum cōstiterit: vt baptismatis aqua, quæ post sacramenti perfunctionem subterraneis admixta laticibus, nil iam refert ab aquis communibus, in nullo præponderare videatur; dum quod isti quasi pro sua dignitate aliquid est, isti pro indignitate sua nihil illicò fiat, & tantæ maiestatis eminentiam miseri homuncionis malignitas repente destituat. Ille quippe qui in præsenti agens non minus Iudæ suísque persecutoribus, quàm MARIÆ suísque complicibus se tractabilem prębuit, qui etiam retro abituros ad suum discipulatum dignanter asciuit. Qui etiam nunc Patri cōregnans solem suum bonis æquè vt malis impertit. Qui etiam, iuxta Danielis librum, sicut fidelibus sic perfidis Angelicam custodiam delegauit, quod in Michaële Hebræorum principe, cui Græcorum princeps obnitebatur, ostendit: Nunquam credendum est, quòd in hoc tempore quemquam à suis sacramentis excipiat, præsertim cùm tempus miserendi sit, quo neminem à sua largitione sequestrat.

Dan. 12. 13.

Quòd si extorres eos à dono isto nunc faceret, in iudicio quid ab eis exigeret, quibus nihil super hac gratia in præsenti commisisset? Etsi apud improbos sententia ista constaret,

Innumeri ex iis quæ obiecta sunt, (si admitterentur) errores atque incommoda scaterent.

quod scilicet improbitas eorum sacramenta A subuerteret, frustra mens eorum de sua fœditate metueret, quæ corpus Domini pro sua nequitia ad priorem substantiam redire sentiret: verbi gratia; ecce nescio fragilitatis meæ conscius vtrum odio an amore sim dignus, cùm ad sacramenta illa accessero, quid spei, quid fructûs inde me relaturum credere potero, si propter peccata mea tantã rem ad nullari desperatâ mente cognouero? Et quis in carne positus aliquotiens non de sua electione diffidat? Quotiens ergò miseria mihi meę humanitatis ingruerit, accedenti ad Do- B minicam mensam corpus Domini nec sacramentum, nec res sacramenti mihi erit? Consideret itaque sapiens quantæ inconuenientiæ ex hac opinione generentur, & firmissimè sine praua vlla interpretatione sentiat, quia *Qui manducat*, iuxta Apostolum, *corpus idem indignè, iudicium sibi pro certò manducat.*

1. Cor. 11. 29.

§. II.

REmotis igitur pessimis, & quę infiniti erroris causa sunt indaginibus, hoc solum cogitetur, quod sacramentũ & res sacramenti dignis, sine re autem sacramenti simplex sa- C cramentum cõstet indignis. Qualiter autem versetur in indignorum animis atque corporibus, ipse solus nouit, cuius substantia quocũque dispertiatur, quidquid inde cõtingat, nec perire, nec vspiam obsolescere possit. Cui illud parabolicum Salomonis non inconcinnè coaptatur: *Sortes*, inquit, *mittuntur in sinum sed à Domino temperantur*: quæ sortes nil melius, quàm soli Deo cognitæ intelligantur huius muneris dispertitiones. Intra sinum ergò latent, quia clausæ mutuò sub diuinis mysteriis D se continent. Ex quo vigilanter & pulchrè à Domino temperari dicuntur, quia multi sine re sacramenti hæc suscipere æstimantur, qui Deo eorum correctionem prouidente, vitæ exinde æternæ nutriuntur; dum aliud longè in Dei sedet arbitrio, quàm hominum temeritas arbitratur, cùm proba initia sine improbo demutantur, aut bona initia termino ignobili decoquuntur: temperat igitur superna pietas, quæ iudicare immò præiudicare non metuit sibi ipsi incircumspecta seueritas.

Quis sacramenti gratiam percipiat, solus nouit Deus.

Prou. 16. 33.

Ibidem.

Sortes itaque mittuntur in sinum, quia fin- E git singillatim corda hominum, sed intellectualiter postquam intrabimus in sanctuarium Dei, discerni faciet opera singulorum. Vnde non modo diligentibus; sed quocumque etiam nunc detineantur in crimine, dilecturis aliquando Deum, Spiritus Sanctus in suis prouentibus cooperatur ad bonum, etiam in suscipiẽdo huius Eucharistiæ donum.

Obiiciat mihi qui vult Cypriani, quos mihi opposuit contentiosus ille, cineres; & senis illius, de quo in gestis seniorum legitur, visiones; qui sacramento redeunte ad aram indignis ab Angelo videbat prælibari carbones, quia super hoc mea numquam vacillare poterit fides.

§. III.

POrrò si de muribus aut bestiis agitur: aut de eo quod casualiter vspiã consumi videtur, nos nõ aliter asseuerare pręsumimus, nisi quòd substantiam à Deo speciei illi inditam adimi nulla ratione credamus. Scripserunt quidam falli oculos nostros super tanti quæ videtur corruptione mysterij, & oculos CLEOPHÆ & MARIÆ MAGDALENÆ à Domini notitia aliquantisper abstentos inferũt: quę argumenta nescio si mihi & pluribus aliis vmquam satis erunt. Hoc tamen scimus quia ex ea parte, quæ species est, huiusmodi quasi infortuniis subiacere putatur, ex ea verò quâ veritas est, suo principali quod paternæ dexteræ considet insertũ nullo detrimento mutilatur. Ex his ergò accidentibus, quę apud infideles derogationi mysteriorũ nostrorum patent, nec auctoritatibus defensari præualent; hanc qui non desipiunt sententiam teneant, vt hoc residuum quasi de hoc specialiter sit dictum, igni reseruent, & eum à mortuis rediuiuum sic habeant, vt quicquid de eo est, non alibi quàm in glorificato eius corpore sentiant: nec magis horreant murium ventres, quàm scelerosorum, quę magis Deum exacerbant, mentes; quia quocumque traiiciatur, ad suum redeundo principium, ab omni iniuria contutatur; nec hæreticum dici debet, si quis pro defensione tãtæ rei, ne locis vilibus deputetur, sententiam paulò liberius ęquo prębet.

Nulla læsione aut turpitudine afficitur Christus, cùm à sceleratis, bestiisue mãducatur; vel species sacramenti corrumpuntur.

§. IV.

AT quoniam de conformitate huius, quod in sacra mẽsa conficitur, corporis antelibauimus, hoc diffinire debemus, quod corpori illi omnino conueniat, quod iam apud Patrem immortale incorruptibiléque corregnat. In quo mihi nullus obiiciat quòd cùm idem Deus & Dominus mysteria eadem traderet, dixerit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et, *Hic est sanguis qui pro vobis & pro multis effundetur.* quasi illud quod traderet, iuxta statum, quem habebat tunc temporis, determinandum esse doceret; sed hoc falsum æstimet, quia qui ex vnitione Deitatis semper fuit immortalis (mortem enim non suscepit ex debito, sed adhibuit ex proposito) hæc ipsa tradidit in statu incorrupto, quem statim ostendit in monte Petro Ioanni & Iacobo.

Idem prorsus in sacramento, qui & in cœlo.

1. Cor. 11. 24. Matt. 26. 26. Marci 14. 24.

CAPVT V.

SEd quia quemdam de amicis meis apprimè literatum audiui plurimũ ab hac exorbitare sententia, vt dicat *Corporis illius mysteriũ, quod sacerdotis, & populi fide, Dei verbo præcedente, in altari conficitur, carnis Christi passibilis & mortalis habere figuram*: Dignum mihi videtur, vt latiori paulò disquisitione tractemus, & minus omnino quàm tantæ eruditionis vi-

Nec passibilis, nec mortalis est in Eucharistia Dominus.

ro competeret, competenter, & astutè eum super re tanta sentire monstremus. Si enim, quod superius breuiter dixi, circumspectè attenderet, longè alia de Domini nostri IESV passibilitate aut mortalitate dissereret: proculdubio namque si illud quod ab ipso Saluatore dicitur: *Nemo tollit à me animam; sed ego pono eam*, debitâ subtilitate discuteret, nunquam adeò improuidè Domino notam passionis, & mortis inureret. Planè ab homine animam tolli possibile constat, cui in patiendo, atque moriendo casualis experientia horis & momentis omnibus astat; at verò is, de quo crebrò retexitur, quia nondum venerat hora eius, (cui nimirum euentus horarum & horæ euentuum immutabiliter subsunt) animam ponit, quia per se sumptam, & à se creatam quando vult, & quomodo vult, emittit. Hominibus etenim extorquetur, ab eo autem, qui quidquid est à se est, & in quo nihil fit, nisi quod voluntarium est, sponte sumpta, sponte resoluitur. Quæ enim illi foret moriendi necessitas, quem in sua secunda natiuitate sancti semper est Spiritus in concipientis vtero comitata libertas? Vnde soluisse dicitur quæ non rapuit, qui pœnas peccatorum non à se commissorum solus inter mortuos liber luit.

Ioan. 10. 18.

Libere Christus mori se addixit.

Psal. 68. 5.

Si peccandi nobis per corruptionem naturæ contracta necessitas, moriendi nobis necessitatem consequenter indicit; is, qui neque originali, quia de Spiritu & Virgine sancta natus est, neque quam non addiderat maculâ fuscatus est, qua lege peccati titillari potuit, qua quoque pœna ad persoluendum naturæ peccatricis debitum adactus est? Vbi ergo originis atque actus culpâ vacare dinoscitur, quas exactiones mors, & passibilitas habere permittitur? Si enim per peccatum mors nostræ humanitati inducitur, vbi peccatum non est, mortis efficientia adnullari probatur, quia proculdubio sublatio causæ, effectus exinanitionem facere nullatenus dubitatur.

In eo nullum vsquã peccatum.

In primi hominis primo statu si peccati cuiuspiam non incessisset euentus, nullus profectò passionis aut mortis interuenire potuisset occursus, nec accessisset in progeniei eius propagatione genitorum qualiscumque vetustas, vbi concupiscentialis inobedientiæ nulla animum demoliretur atrocitas. Quid enim ibi nouum, quid alacre, quid integrum, vbi rodit anxietas conscientiæ mordacis affectum? Si enim, iuxta Salomonem; *Animus gaudens ætatẽ floridam facit*; & is esse cognoscitur paradisus, quem ab initio Dominus plantauerit, intellectualibus videlicet Angelorum, & hominum animis, primò inseuerit, licet plerisque Angelorum, se omni naturæ hominum perfunctoriæ stationis loca, sed mox desitura præbuerit, vt nimirum nullo modo de suæ mentis ac corporis impassibilitate continua gratulari quis possit; quid de mente & corpore Filij Dei censendum est, vbi in identificatione personæ non modo homo, sed & plenitudo diuinitatis corporaliter insita est, cum etiam de puro homine, & qui sine peccato viuere non didicit, dicatur, quia vita eius quasi quoddam Regnum Dei, pax est etiam in præsenti, & gaudium in Spiritu Sancto?

Ex peccato mors.

Prou. 17. 22.

Colos. 2. 9.

Primus, inquam, homo ante peccatum, si dicere audeam, passibilis & impassibilis, mortalis etiam & immortalis fuit; quia ad passiones, & mortem per peccatum suo sed non libero abusus arbitrio labi potuit; & si intra veram se libertatem non peccando continere voluisset, impassibilis proculdubio perseuerans mori nullatenus potuisset. Cui secundus homo IESVS scilicet Dominus penè pari quodammodo formâ successit, tantò impassibiliori naturâ, quantò liberiore editus, immò ineffabiliore Dei pariter & hominis geniturâ. Vnde enim passibilis dici posset, cui omnimoda peccati in origine, & actu remotio, pœnam, quod est passio & mors, accedere nullatenus sineret? Si impassibilis primus homo per peccati continentiam, & immortalis esse valeret, Dei Filius vnitam sibi nostræ fragilitatis substantiam multò impassibiliorem, &, vt sic dixerim, immortaliorem reddere non deberet? Sine concupiscentia ergò ex solo Sancto Spiritu intra Virginalem concretus vterum, naturaliter impassibilis, & immortalis in mundo natus est.

Rom. 14. 17.

Impassibilis & immortalis Christus.

Ita inquam impassibilis, & immortalis, vt sicut ille primus per inobedientiam ad passiones & mortem se sponte demisit, ita & iste secundus ob restitutionem iustitiæ ad dolores ferendos & mortem, quorum in nullo erat debitor, sese vltro deponeret. Nisi enim is pro hominibus pœnas, quas non meruerat, lueret, eos qui merebantur, & suppliciis obnoxij erant, nullatenus liberaret. Pasibilem ergo volo credas & mortalem ob hoc solum, quia pati atque mori pro humana redemptione voluit, non quia aliquod naturæ debitum in patiendo atque moriendo ex traduce primi parentis attraxerit.

Passus est itaque & mortuus quia voluit, non quòd ex Adam lege debuerit. Quam ergo similitudinem Christi pasibilis, & mortalis sacrificio Dominici corporis & sanguinis irrogas, quem certis ex sui ipsius ore sententiis immortalem impassibilemque scire debueras? *Nullus*, inquit, *ascendit in cœlum, nisi filius hominis qui est in cœlo.* & alibi. *Ego in Patre & Pater in me est*, & multa horum similia antequam ex hoc mundo transiret de sua cum Patre consubstantialitate commendãs. Si filius hominis in cœlo est, & ibi vnum cum Patre est. Dicit enim alias, *Ego*, inquit, *de su-*

Ioan. 3. 13. & 14. 10.

Ibid. 8. 23.

pernis sum: quod non est aliud quàm si diceret, ego in spiritu principali, quod est Pater, sum, quam passibilitatem, quam quoque mortalitatem illi inferre conaris, qui sicubi scripturarum passibilis, & mortalis appellari inuenitur, ob hoc proculdubio solum dicitur, quòd pro voluntatis arbitrio morti se exposuit, non aliqua necessitate succubuit.

Non est igitur passibile & mortale in Christo quippiam, quod viuificis illis sacramentis comparare debeas; dum si fideli, & non pertinaci intentione perpendas, nihil omnino nisi incorruptibile, & immortale; nisi quod sponte mori voluit in ipso reperias. Aliud est enim quod ex libito, & gratanter facimus; aliud quod angariati, & quasi debitis vrgentibus adimplere compellimur. Sed super hoc dictum sapienti sat sit.

CAPVT VI.

§. I.

Quemdam confutat asserentem quotidie in altari Christum crucifigi.

RElatum quoque mihi à quibusdam eiusdem amici mei necessariis, quòd non modò consulendo, vel cum familiaribus literatis, vt assolet, conferendo, sed palam, in mediis videlicet frequētiis omnino ignauorum, & rudium disputando soleat dicere, quòd in confectione hostiæ salutaris IESVS Dominus cotidie crucifigatur in altari: quod nos Catholicos & omnes piè sapientes tantâ animaduersione conuenit execrari, quantâ eumdem Dominum nostrum auctoritate oportet de summa impotentia vel æterna miseria expiari. Quid enim de Deo indignius est, miserabiliúsque sentire, quàm quòd Deus fiat miser æternus pro nostra beatitudine? Quid verò impotentius Deo imputare poterimus, quàm quòd cotidianis eius suppliciis ad nostræ reparationis adminiculum indesinens egeamus?

Certè si sic se res haberet, vt vitæ auctorem cotidiani suspendij atrocitas trucidaret, nihil in cœlesti præmio adeò felix, adeò gloriosum esset, quod nō tam diuturnæ calamitatis contemplatione in ipsius remunerationis Christo sponsore vilesceret. Et quis non mortem illam magnæ inutilitatis argueret, quam non modo numerosis, sed ineffabiliter infinitis in dies vicibus repeti constaret? & quid quod in singulis cotidiè Ecclesijs, quin etiam altaribus plura sacrificia delibantur? Ergò tot patibulis impotentissimus ille, si ita est, Saluator dicetur affigi, quot Missas vbique altarium constiterit celebrari.

Certè si nulla suppeterent scripturarum suffragia, totam tamen hanc vecordiam ratio obrueret vniuersa. Etsi enim ipse Ecclesiasticę institutionis actus, qui fit inter sacrificandum similitudinem Dominicæ passionis innuere non dubitetur, & in Domini nostri fieri commemoratione credatur, nefas tamen est vt ob hoc ipsum quotienscumq; fit, crucifigi dicatur. Quamuis namque significantia quælibet significatis aliquotiens præponantur, non tamen eadem sunt quæ vmbraticè prænunciāt, & quæ veraciter subsequuntur: verbi gratia: In baptismate trina mersio triduanam Domini significat sepulturam, nec tamen dicimus quod quotienscumque alicubi baptizatur, totiens vbilibet Christus sepeliatur.

Licet planè hostia illa memoriam nostram quotidianis accessibus in sui refricet veritate, nil tamen iteratæ iniuriæ Deo infert, numquam deinceps morituro pro passionis imagine. *Christus sanè resurgens ex mortuis iā non moritur, mors illi vltra non dominabitur; quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autē viuit, viuit Deo.* Quod si resurgens non moritur, & tamen omni die per omnes aras iuxta tuam sententiam crucifigitur, illud Apostolicum semel scire velim quomodo à tua prudentia intelligitur, quo peccatum, idest hostia pro peccato factus mori dicitur. Et quómodo Deo viuit, qui millies repetitis vbique terrarum appensionibus sic vexatur?

Rom. 6. & 10.

Si iuxta Petrum Apostolum in hæc ipsa verba tractantem *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, vt nos Deo offerat,* qui tot pœnarum casibus addictus est, ad Deum offerendo quomodo quemquam leuat? Si semel moritur, & saluti æternæ ex eo nos reparat, dignum est vtique & competens diuinitati mysterium quod celebrat: Si autem mortuus postquàm resurrexerit perpetuâ sese vt sic dixerim crucium illatione carnificat, miser factus beatitudinem quam non habet nemini planè suppeditat.

Hebr. 9. ¶. 24. &c.

Non enim, ait Apostolus, *in* manufactis sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: neque vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Ecce vides ad lucidum, nisi tuę mentis cæcutiens ex peccato reperiatur obrutus, quomodo tuis verbum Apostolicū occenter erroribus. Sed rogitare te velim vtrum nouum veteri, an vetus nouo apud te pręponderet Testamento. Non ambigo quin dicas Nouum. Quod si Nouum præeminere existimas, quid auctoritatē mortis Christi per cotidianas eius crucifixiones in tantum euacuas, vt multò magis authenticus Pontificis in sancta quotannis ob sui caritatem videatur introïtus, quàm indesinens omni die nostri Saluatoris interitus?

al. manufacta sancta.*

Si enim secundum scripturas passionis eius primæ efficax supplicium crederes, numquam eius improperium, quod pro te si sanum sapias pertulit, in suspendia etiam sæculo coæua distenderes.

Quòd autem idem sacrificium quotidianis iterationibus frequentatur, non eius pœnaliter crucifixioni in dies repetendæ refertur; sed quòd diurnâ excessuum varietate malitia quotidianâ tanti mysterij repræsentatione diluitur. Non enim eum qui hoc semel opus explicuit eadem semper resculpendo vexamus, sed fluidam memoriam ad eorum menti originem innouandam reuocamus, quæ sine vlla iterandi necessitate omnium saluti quondam acta comperimus,

§. II.

INterrogandum etiam censeo vtrum corpus illud, quod semper, vt dicis, crucifigitur, idipsum sit, quod de Virgine natum constat; & quod in cruce pependerit. Scio quod respondebis idipsum. Ergò si idipsum creditur; & huic passibili & mortali, vt doces, conformari debere creditur quod in altari conficitur; doceri velim vtrum idem corpus sitan aliud, quod passibile & mortale à te traditur, & illud quod paternæ iam dexteræ impassibile & immortale consedisse dinoscitur. Si dicas idem non esse, certè duo corpora IESV Domino inducuntur. Aliud enim erit quod passioni & morti constabit obnoxium, aliud planè quod ad incorruptionis iam pertigit firmamentum. Cum ergò sacri panis & calicis mysterium corruptibilis sit carnis indiculum, in peruersam dualitatem secernitur Saluatoris substantiæ indiuiduum. Porrò si hoc te dicere pudeat, & vnum esse fateris corpus, passibile scilicet in altari, & quod Patri in gloria cœlesti consideat. Vide secundum præfatum Apostolum, ne Christum factum incorruptibilem, atque immortalem, iterum crucifigas, & ostentui habeas, immò quod veritati conuenientius esse cognoscitur, teipsum vniuersis de Deo digna sentientibus ridiculum exhibeas.

Heb. 6. 6.

Hæc tibi vt opinor tractata sufficiunt, si animum correctioni admoueas; si verò obdurari delegeris, hæc forsitan non improbanda fidelibus ridebis vt fabulas. Desistant ergò quærere Dominicorum trutinatores statuum, vtrum hoc, quod inter nos fit sacramentum, conueniat passibili, an impassibili; Christo mortuo, an viuenti.

Ioan. 7. 39.

Tale Christi corpus in sacramento, quale post resurrectionem.

§. III.

ALiter enim neutiquam intelligi debere perpendunt, nisi vt in ea qualitate accipi debeat, in qua, cùm corpus idem manducandum discipulis proponeret, erat. Si enim, inquiunt, in conuiuijs quæ post resurrectionem exercuit cum eis, hæc ipsa mandasset, & hoc corpus suum esse dixisset, nemo corpus aliud ritè intellexisset, nisi quale tunc fuerat cùm ista dixisset, immò inter cœnandum dixisse recolitur, non se de genimine vitis bibiturum donec illud in Regno suo cum eisdem bibere videretur; quod Regnum non aliud quàm passi iam corporis clarificatio est. Vnde est: *Spiritus nondum fuerat datus, quia Iesus nondum fuerat clarificatus.* Qualis ergo tunc erat cùm talia ediceret. *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet.* Et, *Qui manducat me, viuit propter me:* tale existimant ipsum, quod vitalem ex altari esum præbet.

Ioan. 6. 57 & 58.

Sed cassa de IESV mortui similitudine quæstio est, quia qui mortuus est, in sua ipsius morte non aliud quàm Dei Filius est. Qui enim ab origine mundi, antequam temporaliter nasceretur, occisus dicitur, & quæ cum patribus acta sunt egisse legitur; sicut, vt ita loquar, antequam esset, fuit, ita mortuus semper idipsum quod viuus fuit, vnde nil inter viuentem & mortuum discerni debuit. Ipse apud Iudam Apostolum secundò populum de Ægypto eduxit. Et Paulus Christum in deserto ab Israelitis tentatum dicit. Mysteria autem eadem per omnimodam diuinitatis affluentiam viuificari, sin alias saltem sacratiuus ipse Canon euidenter ostendit, *Sanctificas*, inquit, *viuificas, benedicis & præstas nobis.* Per quæ omnipotentem efficacia reddit.

Iud. 5.

1. Cor. 10, 9.

§. IV.

HÆc itaque seponamus, & ea quæ de dente & vmbilico Saluatoris omissa fuerant, repetamus. In quo primùm illud est attendendum, quod sicut de sancto Spiritu dicitur: *Expedit*, inquit, *vobis, vt ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet:* ita qui huiuscemodi reliquias sibi arrogant, verba, vt mihi videtur, veritatis infirmant. Quid est enim si non abiero? Planè nisi præsentiam corporalem subtraxero. Paraclitus ergò non venit nisi ista subtrahitur: quia nisi quicquid corporeum ipsius est à memoria abrogetur, ad contemplandi animus fidem nullatenùs subleuatur. Superiùs dictum est, quòd ad exercitationem fidei nostræ, à principali corpore ad mysticum Dominus noster nos voluit traducere, & exinde quasi quibusdam gradibus ad diuinæ subtilitatis intelligentiam erudire.

Nil reliquiarum suarum in mundo Christum reliquisse contendit Guibertus.

Ioan. 16. 7.

Quasi ergo de extrinsecæ visionis crassitudine ad imaginationis tenuiorem contuitum, ac si de cannabo subduxit ad linum; dum de specie sua corporali ad agnitionem huius

mysterij nos promouit, vt de tractabili carnulentia resipiscentibus alterum quiddam pollicens, immò continens, species effingeretur altera: Dum enim rudis, & formarum allegoricarum inscius quispiam duo illa materialia, panem ac vinum scilicet, in altari proposita contemplatur, & in ijs corpus IESV ac sanguinem sentire docetur, ad quantam putamus summam diuinæ curialitatis educitur?

Quod si hoc tam operosum fieri mandauit Deus, sic tamen vt primi parte corporis non careret mundus, ergo tria corpora habet Deus. Erit itaque primò conceptum corpus ex Virgine: secundò illud quod sub figura agitur in pane & calice: tertiò quod impassibile, immò glorificatum iam assidet paternæ dexteræ: cui sententiæ si velit quilibet refragari, dicens idem esse de Virgine natum, crucique appensum, & illum incorruptibilem in paterna prouectum, fallitur: quia etsi eidem existit personæ proprietas, longè dissimilis tamen in qualitatibus naturarum inuenitur essentia: glorificato etenim nulla deinceps mortis poterit passionisue suæ dominari potentia. Sed hunc libellum congruenti iam termino succludentes, aliud initium adoriamur, & hæc ipsa quæ in præsentiarum mittimus, & alia quæ, Deo inspirante, nos adiecturos credimus, resumentes, contra eorum non Reliquias, sed blasphemias accingimur.

LIBER TERTIVS CONTRA SANCTI-MEDARDENSES, QVI DENTEM SALVATORIS HABERE SE ASSERVNT.

CAPVT PRIMVM.

§. I.

Cum falsa Deo aut sanctis ascribit, honori diuino derogat deuotio.

PENES Deum ac Sanctos eius omnimodis est approbanda deuotio, sed cum sibi tantum deuotio arrogat, quantum nullatenus religionis ratio subministrat, vnde pius quilibet diuinorum cultor præmium opperiri potuerat, fit miserabile quiddam; vt inde pœnam nequissimi erroris insumat. Cùm enim de Deo aut colitur, aut dicitur aliquid quod ipsius veritatis testimoniis indubiè obluctetur, nimirum accidit vt tantò deterius, quantò incorrigibilius mens exorare probetur: dum sub pietatis colore peccatur. Nil enim peius quàm mala agere, & hæc ipsa quæ inconsultè geruntur, pro exercitio boni operis æstimare. Vnde ergo & quando error iste corrigetur, qui non solùm error non creditur, sed etiam diuinæ dignationis prærogatiua putatur?

Error vbi religio creditur difficillimè corrigitur.

Omnis peccati correctionem animo delinquentis inducit, aut timor, aut pudor: timor, aut diuinæ auersionis, aut extremæ animaduersionis: pudor, aut mordacis intra conscientiam reatus, aut timidi ob vulgi fabulam ad homines vultus. Vbi ergo nec cogitationum animus ambage turbatur, nec facies ex cuiuspiam visione suffunditur, resipiscendi profectò materies nulla suggeritur. Quidquid vituperabile, & etiam alienationis à Deo plenum, & Ecclesiasticis auctoritatibus omnino obuium, dum quasi prædicabile iactitatur, & priuilegio cuiusdam singularitatis ascribitur, numquam ad regulam veri studij vllo modo castigatur? In quo namque alicuius piaculi conscientiæ penetralia metus vrget, spes correctionis plurima commouet: vbi verò cultura sanctitatis obtenditur, in quo tamen mentis intentio à iustæ credulitatis æquitate diducitur, nunquam ad lineam emendationis assurgitur.

§. II.

INde est, quòd finitimi nostri Sancti-Medardenses Monachi antiquo penes corda hebetum coaluêre mendacio, dum ea sibi super dente Saluatoris, quem nouennis pro natura ediderit, attribuunt; in quibus spei vniuersalis columen atque fastigium quasi phalarico iactu destituunt; & dum se celebrare appetunt, fidei communis præcipua munimenta prouoluunt. Cui enim post fidei agnitionem spei vigor obruitur, quid aliud quàm radix totius boni appetitus, & exercitationis exciditur? Si succum integræ credulitatis habuero, & sanctorum actuum vndecumque thyrsos emisero, arefacta spei radice, qua caudex atque ramusculi humectantur,

Dentem Saluatoris habere se contendũt Monachi S. Medardi Suessionensis.

nil in omni arboris machina quod delectet, aut expediat expectabo. Si benè feris, si benè proueniunt incrementa sementis, totámque grando dilapidet dum falcem mittis, quid ex hoc emolumenti prosequeris?

Probat Guibertus dentem nusquam in terris Christum reliquisse.

Velim à vobis agnoscere quænam de resurrectione sentitis: vt in fine sæculi fienda reticeam: Dominum ipsum, cuius dentem præ manibus habere vos traditis, nequaquam resurrexisse negatis. Si resurrexit, particulariter quæso resurrexit an totus? Si totum resurrexisse testamini, vbi quas vobis assumitis partes erunt? Si partim, quæ de nobis resurrecturis edixerat promissa quid proderunt? Planè si probari potuerit, in seipso quæ nobis de nobis spoponderat non implesse, ambiguitatem non minimam nostris videbitur spebus inferre. Inferendum enim ac si proposito aliquis argumento putabit: Quid, inquiens, cæteris sequentibus, qui in seipso fidem dictorum suorum non explicat, faciet? Capillum de capite nostro non periturum dixerat, & ipse corpori suo quasi subcisiuum efficiens particulas terræ mandat, residuum cœlo inferens se resurrexisse pronuntiat? Qui istis implendis sibi constat insufficiens, qui sua ipsius colligere sit impotens, nostra membra per humanam incuriam hàc illácque dispersa quomodo colliget?

Luca 21. d. 18.

Dum Ecclesiam vestram peregrinis opibus vultis attollere, & de vestro statu longè nobiliora, longè ab aliis excellentiora iactare, ad id extremæ vesaniæ ad vestri sensus reprobi cumulum erupistis, vt non solùm, quod dictu nefarium æstimatur, dici tamen operæpretium est, Prophetica dicta, sed ipsum Dominum IESVM mendacij velitis accersere. Si à Propheta dicitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: profectò Propheta, isdem non immeritò falsitatis arguitur, quia Deus ipse sine dubio perpetuæ corruptioni addicitur. Et quid magis corruptelæ sine spe recuperationis expositum, quàm Deus ille est, quem à resurrectionis gloria, & incorruptione constat extrusum?

Psal. 15. 10.

Deus meus quid infortunij accidit denti illi, nunquam ego eum fatebor cum reliquo corpore de Sancto Spiritu in aluo virginea procreatum, sed aliunde aduentantem Dominicis hæsisse faucibus, ac si de externæ surculo arboris insitiuum. Corrumpitur ergò dens ille, quia, vt verbum ipsum ex seipso resoluam, dum à suo corpore abrumpitur, & eo clarificato in terra relinquitur, & sempiternæ miseriæ addemnatur, dum, sin aliàs, vel in fine sæculi cum cœlo terráque cremabitur. Igitur aut arrogantiæ, aut mendacij arguemini, & non qualiscumque mendacij, sed eius, quod in diuina blasphemos, & si obstinatiùs repugnetis, circa Catholicam vos doctrinam reddam hæreticos.

Maior itaque nobis suggeritur spes, quàm Patri & auctori spei nostræ IESV Domino, dum per ipsum colligi à corporum nostrorum dispersione nos credimus, in quo ipsum labefactari conspicimus? Et ecce vestri gratia nos plus quàm IESVS hic. Nos igitur omnimoda regeneratio manet: IESV autem in tantum particularis est facta, vt aut numquam in sempiternum, seu vsque ad communem resurrectionem perfici restet: tunc forsitan venturo IESVS denti locum aperiet, aut hiulcâ adhuc fauce dentem tunc vagabundum hucusque recipiet; sicque dentis, ac vmbilici, & si qua sunt alia, iterata clarificatio, sicut fuit olim secunda circumcisio, fiet.

§. III.

Sancti-Medardenses vehementer insectatur.

Act. 2. 27.

ATtendite falsarij quàm paruus ignis hic vester quantum virorem veritatis Christianæ consumat. Si nulla, præter Propheticum quod præmisimus, suppeterent testimonia, præsertim cùm idipsum Beatissimus PETRVS contra Iudæos super Dominicæ Resurrectionis assertione protulerit, sub hoc arcto positis vobis saltem super isto capitulo multùm esset respondere conueniens: Prophetam etenim adeò egregium, & tanti principatus Apostolum refellere cùm vehementis insaniæ sit, miror quomodo dicere præsumitis, vnde euidentissimè tantis auctoribus contraitis. Certè si multimodæ vobis rationes aliæ concurrerent, quæ quoquo modo vel ad momentum hoc asseuerare valerent, magnopere tamen hoc aggredi conscientiæ vestræ horrere deberent, quæ contra vllos longè inferioris gloriæ viros, super hac re neutiquam meritò vel mutirent.

Quòd si dicitis corruptionem non esse, est planè, etsi nondum corruptus est, corrumpi necesse. Et quid valeat deteriore modo corrumpi, quàm clarificato corpore vniuerso perpetuæ desperationis squalori dimitti? Et quomodo audetis rem adeò ineptam asserere, cùm eum non negetis surrexisse, quomodo contigit dentem proprium aliqua obliuione prætermisisse? Quòd si à memoria excidit, aut eum sponte remisit, in resurrectione quid faciet, cùm aliorum membra coadunans ipse in sui parte perditum ibit?

Ponamus itaque quasi posse fieri vos tanto munere locupletes: Velim ergò respondere dignemini in cuius corporis ius in resurrectione cessurum dentem, & cætera quæque putatis. Non minus etenim de vmbilico, & cæteris, quæ de ipso habere dicuntur, quàm de dente apud nos agitur; quod planè de vno

Eadem ratio de vmbilico ac dente Saluatoris.

dicitur, redundat ad cætera. Vbi igitur se conferent quæ de Domino Saluatore seruantur, cùm vltimus dies ille ingruerit? Si ad pristinum reditura sunt corpus, quó se recipient, quæ loca sese ijs recipiendis aperient? An edentulus Saluator clarificatus hucusque mansit, vt locum denti superuenturæ seruaret? Et certè denti tantillo locus conueniens in virili quod est Dominica fauce nequaquam competeret. Esto. Quò se ymbilicus quæso reponet? Numquid duæ clarificationes in eodem corpore celebrantur? Res est quæ nusquam legitur, quæ nullis testimoniis approbatur. Quid ergò infertis, qui omnia sententiæ vestræ circumstantia infirmari, & ridicula fieri perspicitis?

§. IV.

POrrò ipsi Domino, vt Prophetis supersedeam, cur næuum tantæ infidelitatis inuritis? Si ipsum in præsentiarum haberetis, æquè vt Iudæi ab eo nec iniustiùs audiretis, quis ex vobis arguet me de peccato? Quod infirmius, quódque insensibilius in homine extat, non periturum in nobis perhibuit, & ad sui ipsius confusionem, & nostram omnium diffidentiam, vestra prudentia tantum sibi residuum, non de capillis, sed de eius carne & ossibus astruit? In qua diffidentia tamen nequam emergit vtrobique respectus, quia sic sentire, sic dicere, & diuinorum dictorum fidem patenter impugnat, ac infirmæ cuiuspiam considerationis oculum non paruo cogitationum turbine densat, dum in se Dei promissionem non expleri posse quique metuunt, quam in semetipso nequaquam præmisisse subaudiunt. Si enim cuilibet promittas copiam, cùm tuam tuipse supplere non possis inopiam; certum est eius cui spoponderis penes te labefactari fiduciam.

Dico quod infirmis aut versipellibus animis aliquando queat officere, sed quia Dei misericordiâ nullius circa nos super tali contuitu videmus, non dico acui, sed potius cœcutire versutiam, hoc non vestræ cautelæ imputabitur, quæ iuxta legis vetitum, tam malæ profunditatis cisternam effodere non veretur, in qua brutorum quocumque animalium præcipitium aperitur. Certè etsi nemo ibi lædi, Deo auctore, & sæculo nostro minus hanc doctrinam appretiante, permittitur, non minor tamen impudentiæ vestræ reatus intenditur, quia à vobis indesinens subministratur occasio, quâ quis improuidus periclitetur.

Exod. 21. 33.

§. V.

IN quo illud vobis per maximè obiectatur, quod cùm hæc in euidentia omnium docere soleatis, numquam tamen cùm quasi signum cui contradicitur sit, cui generaliter à prudentioribus in dies obsisti audiatis, numquam, inquam, exagium melioris sententiæ perquisistis, nec quàm esset à scripturis absonum attendistis. Si enim vel tenuiter ipsas de suæ ac nostræ statu resurrectionis sententias tentassetis, nec morâ planè scintilla huius quam dicimus ad liquidum eluxisset veritatis. Et quid est furiosius quàm ad aures Ecclesiæ promulgare, quod non possit vllius disputationis assertione constare? PAVLVS ascendit Ierosolimam, & confert cum PETRO, & cæteris Euangelium ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrerit, & vestra prudentia in quibus hæsitat addiscere erubescit? Ad Horatianum illud aduertite mentem: *Cur, inquit, nescire pudens praué quàm discere malo?* Nec tantæ tamen hebetudinis per vos estis, vt ad plenum capere non possitis, quòd ad paternum solium pars vna commigret, altera corruptionibus addicenda à tanto exul corpore subsfet. Quæ ratio patiatur, vt partem tanta gloria maneat, partem infelicitas æterna subducat?

Gal. 2. 1.

Si nulla opem verbis nostris suppeditaret auctoritas, sufficere valeret adeò partium suarum impatiens in tam Sacrosancti corporis maiestate diuersitas. Si enim in nostris purorum hominum corporibus in resurrectione, quando immutabimur, tanta erit vniformitas, vt glorificatâ vniuersitate membrorum, ne quidem quantum capit atomus in aliquo resideat vlla de pristina vilitate indignitas, in illo quæ dementia æstimare nos faciet inconcinnum quippiam, qui personaliter & Deus & homo est, vt aliquid in illo sit dignum, aliquid secludatur à digno? Si ore Doctoris gentium, in quo loquitur Christus, nobis promittitur, quod ipse reformaturus sit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, qui partem corporis sui sub inutili humilitate sine vlla rationabili occasione dimisit, quomodo corruptionis humanæ despicabilitatem, ad suæ claritatis prouehet conformitatem, qui quasi impotem se præbuit ad id resumendum quod sui fuit?

Philip. 3. 21.

Videte ergò ne dum membra Dei quasi pro honore, & genio, ac speciali prærogatiua Ecclesiæ vestræ vobis arrogatis, ex eo quod in hac sententia vestro vos honori commilitare putatis, Deum vsque ad terram, vt sic dixerim, humilietis, de cuius vos dente iactatis. Si honorem ex Deo quæritis, quem Deum quæso eum putare poteritis, quem apertissimè videmini arguere falsitatis: Si vester honor ad eius, ex quo honorari cupitis, redundat infamiam, quam excepto

honori redhibeteris gratiam? Et quomodo est A vestrum rationabile obsequium, si id colitis, & aliis colendum ingeritis, quod nullius præfert fidei argumentum? Obsequium planè rationabile, dicit Apostolus, in quo non sine verissima redditione causarum liberè exercetur animus. Nam cum quemuis quispiam veneratur, & prædicat, & venerationis ac prędicamentorum causas ignorat, multa facilitate labefactatur aut claudicat.

Rom. 12. 1.

Cum quis causam honoris, quo aliquem prosequitur, ignorat, facilè hallucinatur.

Et certè cùm apud omnes iactantiæ huius percrebrescat opinio, rarissimè tamen credulitas quorumlibet sapientium suppetit isti verbo. Cum enim ratio super hac re vestra B vndecumque titubet, vix reperitur nisi rudis & inscius, quem ad credendum informet: & vbi omnis arguti animi diffidentia occurrit, quis ad tractatus huiuscemodi promulgationem nisi impudens & peruersus erumpit? Solus hanc pudor garrulitatem cohibuisse debuerat, ne documentum quod sanis constat probabile non esse capitibus, hebetudini quisque disertus ascribat. Quòd si qualibuscumque intellectibus rationes nequaquam oblatæ sufficiunt, ecce pro partibus vestris paratus sum mihimetipsi, quæ C vestro possint dogmati munimenta adniti, obiicere: & postmodum sine vlla simulatione obiecta, tota etiam puritate refellere.

CAPVT II.

§. I.

San. medardensium Obiectio 1.

SIc itaque vestra procedere putatur opinio, immò talibus emergere argumentis vestra videatur assertio, non quòd tale quid vnquam ratiocinationis à vobis audierim, sed quod tale aliquid per animi coniecturas D mei aduersus hanc meam Disputatiunculam dici, immò oblatrari à quolibet posse putauerim: nihil enim à vobis dignum probi alicuius auditione percepi, hoc vos consuetos interrogantibus respondere cognoui. Nunquid non secundum ætatulæ morem naturaliter dentes nouennis emisit? Quibus, inquam, assentior: sed multæ aliæ rationes se ingerunt, quæ longe diuersiora quam refertis ferunt. Hæc dicens, quæstionis pelagus motare verebar, illud Boëtianum menti subiiciens; *Iure*, ait, *insanus iudicarer, si contra insanos loqui intenderem.* In eo namque E quod cuiusque menti pro voluntate præponderat, non multum sibi prouidet, qua ratione respondeat; hoc solùm incubat cordi, quatinus diuersæ partis intuitum obstinatis clamoribus subigat. Probum enim videtur improbis tantopere alia pro aliis absurdissimè intonare, vt quod ratiocinando non præualent, saltem valeant strepitibus obtinuisse continuis, quasi viciniora victoriæ. Age ergo, & pro vobis nostra exerceatur oratio.

§. II.

Obiectio 2.

SI Deum & Dominum nostrum dicis ob sui memoriam, & suis ac suorum sequacibus, quod in mensa sua fit reliquisse mysterium, vt consolationem, quam suis suæ præsentiæ cohabitatione præstabat, absens vicario munere præpararet; nos ita non capimus, vt pro perfunctoria præbitione mysterij, ad gaudij vniuersalis cumulum datæ corporis illius, vt sic dicamus, superfluæ portiones iccircò debeant absentari: perfunctorium planè ideo dixerimus sacramentum, quia & ipse idem panem nominat cotidianum, solummodò videlicet quamdiu, iuxta Apostolum, cognominatur hodie, necessarium. Hoc itaque sic ad eius memoriam celebrari dicitur, vt istorum habendorum nequaquam ratio denegetur; quia etsi generalis est vtilitas per sacramentum Christi corpori coüniri, non debet tamen priuatorum gloria suorum priuilegiorum maiestate priuari. Sicut enim priuilegia singulorum legem non possunt facere communem; ita communis gloriatio suam priuato cuilibet nullo modo detrahit claritatem.

Luc. 11. 3.

Heb 3. 13.

Priuilegia singulorũ legem non faciunt.

§. III.

Obiectio 3.

SI Christum pro sæculo passũ visibilis reportat memoria sacramenti, quæ tamen figura soli cuilibet perspicua est sapienti, cur Deus ad eorum consolationem, pro quibus ista susceperit, hæc à sua carne decidua, & quasi sui corporis excrementa haberi non permiserit? Si illius in cruce de latere sanguis, & aqua profluens, forsitan terram aut saxum attigit, si absorptum aut attritum quoquo pacto aboleri contigit, quomodo putas ea, quæ vocasti superius subcisiua, ac si nostræ fidei refricandæ vades sub potiori colenda honore non potuisse dimitti? Sacramenta igitur illa ritè nobis ad eius memoriam prosunt, quia nobis etiam vnionem cum IESV Domino suscipiendo pariunt: hæc autem animis minus intellectualibus fidei, vt sic dictum sit, tractabilis inuisibilia rudimenta conferunt.

§. IV.

Obiectio 4.

SVnt ergò quidam huius agnoscendæ veritatis gradus, vt dens, ac vmbilicus ille visibilis tractabilisque simplices erudiat, quod fit in altari mysterium, * imagi... tiones exerceat, iam quasi ad tertium cœlum contemplatio ad eum, qui paternæ dexteræ considet, sese exacuat. Quia ergo esui communi caro & sanguis conuenire non poterat,

** Hîc aliquid deesse videtur. † imaginationes.*

mutatur à Domino in vsibus humanis habile sacramentum. Sacramentum itaque ipsum aliud quiddam exhibere videtur, quàm caro aut dens, qui à resuscitato residuus perhibetur. Residua enim ipsa carnis quondam exhibitæ veritatem insinuant, carnis autem significatæ mysterium, eorum fit efficax, quibus per eius vsum carni diuinæ incorporentur, & viuant. Est ergò dens, ac vmbilicus probabile sub temporum nostrorum extremitate susceptæ olim dispensationis indicium, & generaliter animarum saluti commilitat sacramentum.

§. V.

Obiectio. 5.

QVòd si controuersia putatur post resurrectionem illud esse residuum, controuersiæ itidem ascribitur baptismus post baptismum. Baptismus nempe quem Christus exceperit, gloriosior videri potuit quam sequens, cum ipse longe melior præcedente successerit. Sic & Christus cum resurrexit, si ad nostræ mutabilis mentis monimentum aliqua post se sibi attinentia dimisit, futurus post iudicium gloriosior hæc eadem glorificata inserere sibi non poterit? Dicimus enim quia etsi resurrexit, non tamen resuscitatum corpus, ad eam quam post iudicium habiturum est immutabilitatis gloriam prouexit. Si namque esset integrè clarificatum, non remansisset latus quod Thomæ ostendit apertum; nec vulnera patula hucusque persisterent pedum ac manuum, quæ paternis illata consessibus sic conseruat, vt in die iudicij tam ijs, qui eum pupugerunt, quàm omnibus reprobis conseruata producat. Vbi ergo cicatrix non obducitur, perfecta nullatenus semimutato, vt sic dixerim, corpori clarificato adhibetur, & vbi perfecta adhuc corruptelarum integratio nondum est, quod minus factum in eo ipso constat, aliquo modo supplendum est.

Ioan. 20. 27.

Formam quoque serui transfundet in diuinam.

Quid autem de supplemento tractem, cùm forma ipsa serui, quæ iustis ac reprobis æquè erit, ipso iudicante, perspicua, post iudicium tota in diuinam transferetur formam? Vnde & illud est: *Et transiens*, inquit, *ministrabit illis*: quem transitum nos non intelligere debemus alium, nisi quòd totius humanæ, quod in eo apparet dispensationis ministerium, in diuinæ illius maiestatis redigetur statum, immò Dominium, in quo transitui electorum suorum visioni cōministrat, dum suæ satietatem contemplationis eis numquam fastidiendæ suppeditat.

Lucæ 12. 37.

Vbi igitur in diuinitatis speciem, formæ serui translatio est futura; vbi cicatricum obductio, per immutationem legitimam aduentura; quid cunctamur dicere, quòd residui, quod nos habere credimus, resumptio sit illicò secutura? Dum planè vulnerum concauitas æquatâ superficie complanatur, quid mirum, si quod ad fidei nostræ solatium nobis interim est commissum, eidem vnde deriuatum constat corpori compingatur? Certè si quid maius aut minus apud Deum esse potest, non maius apud eum æstimatur cicatricum hiatus obstruere, quàm reliquias humano affectui ex consulto ingenitæ prouisionis applicitas, inuisibili qua dispersa recolligit sibi contractione subnectere.

§. VI.

Obiectio. 6.

SI Filius Dei ipse super Iudæis inimicis suis ostensum sibi à Patre testatur: *Ne occidas*, inquit, *eos, nequando obliuiscantur populi mei*: Dum præsentia Iudaïci populi, quem præ oculis habemus, memoriam in nobis refricat Christi crucifixi; & libros veteres, qui de ipsis scripti sunt, & ad ipsos ex suis ipsorum, quæ ibi prænunciata sunt infortuniis, nostrarúmque prouentibus fortunarum magis reddunt authenticos, quis super dente illo, quis itidem super vmbilico nostram poterit obscurare sententiam; quin sicut mysticum illud corpus ad sui nostríque vnionem dinoscitur institutum, ita quicquid de illo, quod principale vocamus, non quod præcedat maiestate, sed tempore, residui in terra haberi dicitur, ad probationem eius quam suscepit dispensationis, & ad solidationem fidei infirmorum valere cognoscitur?

CAPVT III.

§. I.

Respondet 1. Obiectionibus.

AD hæc inferre poterimus: Si de principali suo corpore quasi ad experientiam suscepti quondam hominis superesse quid creditur, fidei Catholicæ penè virtus vniuersa conuellitur: nam si fides sperandarum substantia rerum est, argumentum quoque non apparentium, quomodo in corde credentis cuiuslibet sperandæ res subsistunt, vel substant, cuius cogitationum intelligentiæ de inuisibilibus ad visibilia remeant? Quod enim videt quis, quid sperat? Si fides ac spes solummodò ex intellectualitate appetenda consistunt, sicut ex acie interiori fouentur atque proficiunt, ita ex consuetudine corporea & sensualitatis affectatione lentescendo deficiunt.

Quid fides. Heb. 11. 1.

Rom. 8. 24.

Si Saluator nonnihil corporis reliquisset, fidei exercitationem impediret.

Fides itaque substantiuum quiddam debet esse in animo cuiuspiam, vt quæ in spiritu contemplatur, quasi aliquid solidum intra mentē teneatur. Quò ergò fidei acumen intenditur, immò quid speratur, quid creditur,

vbi res sperata, res credita in conspectu materialiter aspicientis appenditur? Quæ exercitatio animi illic fiet, vbi in ijs quæ intuitui subiacent consideratio se exercet? Vt quid, nisi se primò subducat, Paraclitum non venturum denunciat, si iccircò corporis sui reliquias in terra dimittit, vt incarnationis suæ credulitatem humanis magis pectoribus inserere possit? Qui carnis præsentiam ideò discipulis absentaturum se perhibet, quatinus intellectui copiosior se spiritualitas repræsentet, credendum nullatenus quòd verba sua vllo pacto infirmare voluerit; in eo videlicet quòd secundum vos interra residuum facere de se voluerit.

Planè indubiè suis sermonibus contraisset, vt qui Paraclitum non venturum dixerat, nisi ipse abisset, partem inter nos eiusdem corporis, cui mens humana rursus intenderet, reliquisset. Esset quippe facere, nec minus, vt ita dicam, eadem facta deficere; si corpus proprium, vt nos ad spiritualia castigaret, subtraheret; partémque alia subtractâ parte dimitteret. In verbis Dominicis nil repugnans, nil absonum reperitur, tota Euangelicorum dictorum congeries immutabili semper vnanimitate vestitur.

In verbis Domini nil repugnans.

§. II.

Respondet 2. Capilli, sanguis, aqua &c. quæ è corpore Salvatoris deciderunt, haud periere.

IGgitur si de sanguine & aqua quæritur, & quòd in terra sint obliterata obiicitur, non aliter planè ex hoc respondebitur, quàm de capillulis infantiæ, corpusculo vtique grandescente, deciduis, quæ, quò defluxerint, in quidue versi fuerint, sicuti de aquæ & sanguinis quæ prælibauimus illo profluuio, non nemini fixa sententia est. Putas ergo perditum ierint? Si dens tuus, quem tu tibi arrogas, adhuc vsque in miseriis non subsistit; cæteri dentes, quos sub eâdem natura eum emisisse constiterit, quâ putas incuriâ, hâc illâcque disiecti credentur? Tuo quem habes denti fortunatior aura subrisit, dum aliis tabido secundum verborum tuorum consequentias squalori addictis, auro & niueis lapillis coornatus obrutilat: & mirum quia cùm plures emiserit, & par vniuersis reuerentia debeatur, obrutis reliquis tu vnicus vnicum hunc habere te iactitas.

Si igitur capilli, dentes, aquæ fluxus, & sanguinis quadrifidi vulneris cruor, qui indubiè ad terram vsque distillare potuerit, in terrenis ruderibus in finem corrumpenda desederint, resurrectionis humanæ status, ac nostræ promissio ex ore Dominico ad sui similitudinem conformitatis, non video quomodo constare sine enormi fallacia possint: & certè multò tutior quam stultior dico: quia si in aliqua promissorum quis suorum portione declinat, ambiguum omnino efficitur, quod de cætero rectitudinem pollicitationis adimpleat. Et si tantum de eius corpore, qui auctor est promissionis, corruptum iri conceditur, facili disputatiuncula adnullari poterit, quidquid in eo factum vel de nobis fiendum prædicatur. Si enim ex perceptione præsentium munerum firma est expectatio futurorum, & qui in suæ proœmio locutionis fallitur, textu orationis procedente neglectui ducitur; perpendendum proculdubio constat, quia si constanter in sui ipsius restitutione quod spopondit exhibuit, omnes eos quibus sponsorem se præbuit, fidei dictorum suorum indubitanter adnexuit; quòd si in promissorum veritate titubare dinoscitur, quicquid in verborum eius statura præeminet, totum incontinentia fluitante subigitur.

§. III.

Respondet 3. Infantis Christi defluentia corporis qui colligeret nemo. Quare.

SEd illud potissimùm obtendi sufficeret, etiam si nil quod ad hæc posset responderi, suppeteret; quòd Domini IESV pueritiæ tempore profectò nullus esset, qui eiusmodi defluentia ex eius capitulo Sacrosancto colligere affectaret, præsertim cùm de eo nemo maius quippiam tunc temporis æstimaret, quàm de æquæuo aliquo qui tunc esset. Et quis de humani * generis reliquiis tunc tractaret; cùm post mortem alicuius aliquid de eius corpore reseruasse apud Iudæos prophanissimum esset? Et quid apud eos pollutius quàm mortui hominis ossa contingere, cùm ad singulos quosque contactus excubare aliquamdiu pro castris, & aquas iubeantur expiationis adhibere. Præter tabulas Testamenti, auream Vrnam, Aarónque Virgam, nil quod à veteribus accepissent monimenti vsquam extitisse dinoscitur. Et quis ea, quæ illi puero attinebant, seruanda duceret, in quo nil à communi respectu dignius autumaret?

*f. * corporis.*

§. IV.

B. Virgo minimè id præstitit.

QVòd si obiicitur Beatam Virginem Matrem id potuisse seruare, & quasi superstitiosa ipsius posterorum cultui voluisse traducere, ita suscipietur, sicut Lauduni apud nos lac ipsius Benedictæ in columba cristallina hucusque retineri dicitur. Quod quantum à vero, & etiam à veri simili exorbitet, facili argumento liquet; quia neque ipsa asseruarit; præsertim cui nunquam in IESV infantia tantum otij, tantúmque securitatis extitit, vt sui memoriam tanti penderet, quatinus de sui in futura sæcula lactis productione curaret, cui vix intra natale latere solum, vix viuere tunc liceret. Et quis tantæ arrogantiæ vel signum in eius benedictis moribus, in ipsius adorando habitu

Ipsius lac asseruatur in Ecclesia Laudunensi.

Quod improbat Guibertus.

reperire potuerit, in cuius ore nil nisi ancillaris humilitas vnquam sonuit? Quæ res quoque tanto minus poterat, non dico in plurimas ætates, sed nec in aliquot annos sub vlla constare custodia, quantò magis idem coagulum semper decoquitur naturali inconstantia.

Esto autem. Et quæ vetustatis exempla illi maturissimæ, ac nullius laudis auaræ menti suppetebant in talium obseruantia pignerum, vt quod nunquam fieri viderat, nec eatenus factum audierat, prima quasi imaginem cuiusdam ventositatis inciperet? Et si per eumdem Spiritum, ex quo conceperat, non nosse non poterat, quod is, quem genuerat per fidem, suæ dispensationis mundum omnem impleturus erat, quid dentulus, quid vmbilicus ille, quid denique cætera custodiri debuerant, quæ in tanta Filij sui claritate non amplius, si ex aliqua veteri consuetudine seruari possent, valitura putabat, quàm meridiano valet lucerna sub sole?

Certo itaque certius sæculorum Dominam nouerimus nunquam nænijs talibus studium impendisse. Næniæ planè essent, si is, qui se Deum & hominem sæculo plenis fide prodigiis publicaret, segmentis atque minutiis huiusmodi ad nihil omnino vtilibus celebrari appeteret. Quod si ipsa non fecit, quis ergò fecisse potuerit, cùm id temporis nullus, qui hoc appretiaretur, nedum aliqua caritudine appectoraret, extiterit?

CAPVT IV.

§. I.

Respondet 4. Integrè Christi corpus in resurrectione fuit glorificatū, licet non aliterquàm antea appareret.

SEd ijs paulisper amotis, ad propositum redeamus. Si ergò corpus Dominicum post resurrectionem dicitis necdum integrè immutatum, necdum plenè clarificatum, quia non obduxerit foramina cicatricum, ostenditis fateor in hoc ipso hebetudinem indubiè sensuum vestrorum. Si igitur clarificatus integrè non est, quia eas non obduxit, ergò non dicam integrè, sed ne ad modicum quidem vel immutatus, vel glorificatus est, qui nulla vel immutationis, vel glorificationis suæ signa post resurrectionem discipulis ostendit. In nullo enim ab ea specie quam videre pridem fuerant soliti, alteratus ipsis apparuit. Ergò quia nihil eis nouæ claritatis resuscitatus obtendit, dici ab aliquo potest, quia nihil maius à Patre resurgens, quàm antequam pateretur, emeruit.

Certè nec ipsâ quâ in cœlum conscendit horâ quippiam nouioris aspectus obiecit, vt in ipsa declaratione resurrectionis non alium seipsum ostenderet, quàm idem ipse fuerat antequàm obiret. Si enim insolitum aliquid splendescendo proponeret, nunquam quòd caro rediuiua foret, crederetur; sed potius vt suspicati sunt, quòd alter, aut spiritus esset. Vnde est: *Ego sum nolite timere.* Et, *Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* (*Ioan. 6. 20. Luca 24. 39.*) Dignum itaque fuit, vt simpliciter in ea quam assueti fuerant specie, adhuc eisdem rudibus appareret, ne de insitata claritate ad externæ opinionis errorem animos minus capacium deriuaret.

Quare Dominus vulnerum cicatrices resuscitatus Apostolis ostendit.

Qui itaque in subobscura habitudine quasi spontiuè susceptâ, iam gloriâ imminutus apparuit, quid mirum si inobducta clauorum loca eis exhibuit? Quibus tamen? Apostolis planè primùm, & postmodum Thomæ, & hoc vtrisque hæsitantibus, hoc & semel. Vide si duobus Emmaus pergentibus: vide si in creberrimis per dies quadraginta pro argumento cōuiuiis aliquid obducendum prodidit: vide si mulieribus pedes eius tenentibus, si cuipiam alias cum ostento passionis apparuit. Quid ergò fuit dubiis cicatricum antra contrectanda porrigere, nisi identitatem propriæ personæ non consuetudine faciei, sed recentioribus mortis suæ signis ostendere? Quid post resurrectionem vulnera illa reseruata portenderent, si etiam hucusque manerent? An vt Patrem ac si virum obliuiosum per eadem dispensationis pro hominibus susceptę commemoret? Esto. Certè alia curanti Patri sola sine vulneribus caro suæ dexteræ assidens commonere sufficeret.

§. II.

Respondet 5. In die iudicij eorumdem vulnerū notæ in Christo nonne conspicientur.

SEd obiicis quod vel in die iudicij visuri sint reprobi ac impij eum videlicet quem pupugerunt. Si eum, cui te iniuriam irrogasse memineris, sine vllo illius quam intuleris iniuriæ monimento conspicias, nonne confestim perpetrati in eum facinoris temet videndo commemoras? Et quid tibi lacerum faciet latus; quid in manibus pedibusque fixuræ clauorum, vbi filij hominis parebit signum? In illius gloriæ throno quomodo conueniet quinquipertiti vulneris horror. Et certè cum discipulis comedens ac bibens manibus mandenda tractabat, nunquid sanies hianti vlcere tunc fluebat? Absurditas infinita.

Qui pro veræ testimonio quam resumpserat carnis, manducauit sæpenumerò cum suis, non necessariò, sed dispensatiuè; qui ianuis clausis intrauit ad ipsos solâ potentiâ, non naturâ; interstitia namque parietum non penetrant pondus carnis ac ossa, nec æthereum habitationem talis naturaliter patitur corpulentia; quod totum virtuti resurrectionis ascribitur: qui se longiùs iturum fingit dum

dum à duobus præfatis remanere compellitur, non potuit ad horam signa passionis recens actæ cuilibet dubitanti proponere, ex quo sui ipsius tùm natura, tùm persona probetur? Nonne illa coram PETRO, IACOBO & IOANNE in monte transfiguratio perfunctoria extitit, vt probaret quem post resurrectionem statum habuerit, quem tamen vt erat cùm resurrexisset pro infirmitate videntium ostendere supersedit? Ac si diceret: quia vobis non expedit vt immutati corporis claritatem vobis rediuiuus ostendam, non enim competenti intellectu caperetis eam, hanc modo vobis superstes expono, vt eam perpendere ac recolere addiscatis, cùm naturæ glorificatæ excellentiam habitu humiliore, quia obscuriore, contexero.

§. II.

Respondet 6. Explicat quomodo Christus in iudicio extremo formam serui immutabit.

POrrò de translatione serui formæ in diuinitatis formam, si sic intelligas, vt in alteram speciem demutetur, & tunc cum obductione cicatricum dens, & vmbilicus ille, & si quid est aliud residui, quasi veteri trunco insitiuus surculus apponatur, dicimus planè quia si sic se res habet, duæ resurrectiones Christi erunt, & bis immutabitur. Si tantus error coalescit in capite, quid poterit de membrorum resurrectione quis credere? Transitum illum de forma in formam Christi nil aliud intelligimus, quàm absorptâ morte in victoria, & exacto impio & impietate eius, diuiso videlicet ab ira vultûs eius, appropinquat cor illius, tulto scilicet impio ne videat gloriam eius, admittuntur electi soli ad videndam gloriam diuinæ visionis ipsius. Hinc est quod Iuda exeunte dicit: *Nunc clarificatus est filius hominis.* Tunc planè transit ad hanc clarificationem, cùm de forma serui, quæ iustis & iniustis communis est, transire nos facit, scilicet solos electos ad æternam sui visionem. In hoc transitu eis ministrat, cùm reprobis abdicatis ipsos suo vultu exsatiat. Christus itaque transit, cùm post iudicij diem etiam serui formam à reproborum contemplatione secludit, & electorum obtutibus sese videndum aperit, immò eos sibi videndo transfigit.

Psal. 54. 22.

Ioan. 13. 32.

CAPVT V.

§. I.

Producunt San-Medardenses quoddam miraculum tempore Ludouici Pij patratum.

IGitur ijs contra huius sententiæ executores emissis, illud aduertamus quod in sancti-Medardensi Ecclesia miracula pluris pretij super illo dente declamitant. Primum, nisi fallor, & quod potissimum memoriæ succurrit, id est. Inter Capellanos LVDOVICI Pij Imperatoris in eius ipsius præsentia super isto tractabatur. Cúmque valde à Monachorum sententia resilirent, nihil de corpore, quod Virginis vterus fudit in terris, resedisse ferentes, ad Missarum solemnia constat ventum. Illic in sacris mediis philacterium ab altari dicitur substitisse suspensum: quod sibi, & aliquibus, qui viderunt, extitisse aiunt argumento. Sed quod quæso argumentum? Quæ superna quæso vox, quis precor Angelus detonuit, dentem Saluatoris tunc esse quem tenellus ediderit? Sed quid ad me Angelus, quid vox? Si Throni, & Dominationes istud asserent, nulli verè fidelium, sed fidei scientiam habentium animi assentiri vllo modo deberent. Qui, vt superius diximus, & millies repetendum ducimus, si capillum de nobis non periturum asseuerat; si quippiam in terra habet residui, in se credentes potius exemplo suo desperare, quàm doctrinis credere mandat. Et certè martyrum cineres numquam, nec ossa toto orbe circumlata recolligit, qui sua fieri post resurrectionem putria hâc illácque permittit.

Id non probat dentem saluatoris extare inibi.

Sed perpendere libet, quàm hebes miraculum ipsum fuerit, dum animaduerti non præualet, quorsum suspensio illa intenderit: quod enim ab ara in aërem volucritat, de sacro, vt sic dicam, ad in sacrum se subrigens altaris sanctitudinem ac si impatienter se ferre demonstrat. Et si verbum idem, quod est suspensio, velimus attendere, quod videtur suspensum, putatur ambiguum: sed quid loquor ambiguum, cùm ambiguum proprie sit, quod esse & esse non possit. Hoc verò nullatenus, nisi seipsum velit inficiari, qui est veritas Deus: adeò autem surditatis ineptæ miraculum, quod in argumento rei huius ne multum quidem faciat, cum stultè scriptum sit, stultior est qui retractat.

§. III.

Dens ille sancti cuiuspiam esse potest.

SEquuntur & alia non minus dubia, quæ iccirco dixi dubia, quia ad id approbandum omnino sunt muta: hoc enim, cui signum ascribitur, sanctum aliunde esse potest, hoc autem quod dicitur, esse non potest; etsi esset, talium signorum testimonio, quia dens sit Dominicus, portendi non posset. Sancti ergò cuiuspiam dens ille credatur, cuius merito forsitan tale quid concedatur: etsi certè nullius sancti esset, vel fides planè credentium exigeret, vt quod speraretur, obtingeret. Multa enim fieri possunt, non tam eius merito, per quem prærogatur, quàm illius cui impenditur.

Fides sæpius causa miraculorum.

§. III.

* Vulgò, Luni. Hetruriæ oppidum ad mare situm.

QVod in * Lunensi vrbe ante annos aliquot contigisse dinoscitur. Vigiliæ natalis Domini à fideli populo inibi agebantur. Interim piratica classis portui allabebatur, qui appellatur Veneris, vrbem depopulatura repentinis incursibus, dum res nocti diuina protenditur. Interea dum citatis myoparonibus vadosum præproperant scindere rostra salum; in Ecclesia cathedrali puer primam nescio an secundam primi nocturni lectionem pulpitum lecturus ascendit. Cúmque benedictione susceptâ adoriretur legere: *Consolamini, consolamini popule meus*; illicò ex eius ore Spiritus Sanctus subdistinguendo subiecit dicens: *Ad portum veneris Salandræ* (Salandræ autem naues dicuntur à saliendo vocatæ.) Quod cum ab omnibus non mussitando, sed strependo repeti ac corrigi iuberetur, puer sæpe numerò eadem replicauit. Mox Decanus Ecclesiæ conceptâ dicti sententiâ, populos in arma consuscitat, & portum Veneris adire mandat. Illic ingenti classico appellente littoribus obuia turba resistit, & vrbem nec morâ peruadendam ex Deo armata, hoste fuso, præmuniit. Ergò sicut ad meritum proloquentis pueri neutiquam pertinuit, ita multotiens non per eum, à quo putatur, exporrigi fit, sed in illum, qui meretur accipere beneficij fructus, excurrit.

Puer nunciat pyratas adesse in portu dum Vigiliæ Natalis Domini agerentur.

Isaia 40. 1.

§. IV.

De quodam scortatore aquis absorpto.

AT signorum illorum tenuis mihi valde videtur auctoritas, immò scripti illius vilis admodum probatur indignitas. Nam in eorum libello qui super dente hoc, & Sanctorum loci miraculis actitat, de Monacho aliquo refertur, quòd scorto soleret muliere abuti, quo tamen noctu dum pergeret, aquas tranare propinquas necessariò oporteret; in quo transitu, inter vndas eum peccati sui pondus enecuit. Qui Abbatis iudicio à cimiterio fratrum extorris est habitus. Sed Abbati, vt pagina illa refert, nescio quis Sanctorum inibi, vt dicitur, apparuit; eíque, vt dicitur, dixit: *Confer*, ait, *eum cæteris, quia in obedientia tua mortuus est.* In qua quæso obedientia? An Abbas ei præceperat vt se periculo fluminis ingerens impudicæ concubitum sectaretur? Certè quoquo pacto eatenus Abbati aliàs obedisset, in hac profectò re obedisse dici non potest, quia obedientia nusquam nisi in bono, nisi per abusionem, intelligi potest. In qua igitur obedientia mortuus est? Sanè si de obedientiæ nomine dubitatur, audiat Apostolum de ipso filio Dei: *Ex ijs*, inquit, *quæ passus est, didicit obedientiam.*

Heb. 5. 8.

Potest itaque coniici, quia quibus præter modum totius rationis talia adnexa sunt, fide & iccirco susceptione penitus indigna sunt. Et certè videmus gemmulis ac * pernulis peregrinorum littorum vndecumque ornatum, ex antiquitate dentis memoriam non dentem esse traditione susceptum; & quid intra idem philacterium lateat non experimento præsentium, sed sibi succedentium sola ratione probari. Venerantur ergò ipsi bifariam illa quæ nesciunt, dum eos prorsus latet, quod auro illo, ac lapide clauditur, & nullo modo constare præualet, quod continere theca ipsa putatur.

* *Melius*, perulis, id est margaritis Gal. *Perles.*

§. V.

Nullas corporis Filij sui reliquias posteris conseruauit B. Virgo.

IMputabitur itaque MARIÆ, quòd quæ apud illos haberi dicuntur, sola seruare potuerit. Ergò eam, quæ ex Deo supra omnem Angelicam humanámque naturam statum Filij sui futurum agnouerit, nimirum quam supra omne quod est post Filium Spiritus Sanctus imbuerit, quomodo resurrectionis ordo latuerit? Si enim latuisset, dignum profectò fuisset, vt resurrectionis suæ fidem facturus ipsi primùm appareret. Ipsi verò quare appareret, quæ resurrecturum indubiè sciuit antequam pateretur ac resurgeret? Et sanè dictum scitur: *Tuam*, inquit, *animam pertransibit gladius.* Vnde & euentuum, & de eo loquentium verba conseruans, conferebat in corde suo. Cui enim fidus nemo habebatur, cui tantam rem crederet, non inconcinnum vtique erat, vt sua apud se sensa, & experta contegeret. Cùm ergò neque ipsa futuri status eius non ignara, neque vllus qui eum à communi hominum massa secerneret, hæc posteris reseruarit, superuacanea omnino habeantur quæcumque quis de corpore tanto præsumpserit. Constat namque apud nos Apostoli quantùm breuis tantùm rata sententia; Quia corpus idem annunciatum est ab Angelis, prædicatum est in mundo, assum ptum est in gloria.

Matri suæ saluator primo non apparet: quia certò resurrectionem ipsa tenebat.

Luca 2. 37.

1. Tim. 3. 16.

Porrò de cæteris definimus, quia si in Canonibus cautum est, ne quando martyribus connumeretur, si quis inter confringendum idola perimatur, alio enim forsitan errore diducitur, vt nullus quamuis bonum ad speciem habitu efferens, pro sancto facile habeatur, nisi quoquo pacto ex diuina reuelatione probetur. Quæstum autem ex Sanctorum, vel circumlatione, vel ossium eorum ostensione quærere, quàm prophanum sit, discite si velitis æquè sanctos auaritiámque taxare.

Ex reliquiis Sanctorum quæstum persequi, profanum est.

LIBER QVARTVS DE INTERIORI MVNDO.

CAPVT PRIMVM.

§. I.

Res terrenas abdicare debet qui contemplationi se addicit.

INTERIORIS mundi statum, quem visio externa non capit; imaginatio vlla non concipit, sola nimirum virtus contemplationis attingit. Vbi enim nihil materiale, nec quod sensualitati subiaceat, inuenitur, vno planè intellectualitatis acumine penetratur. Illo proculdubio vno oculo, illo vno colli sui crine, idest vnicâ & indiuisibili cogitationum intentione & cohibitione, quâ sponsa in Canticis sponso potissimùm placere dinoscitur. Cuius intuitum sicut in ijs tractabilibus habere non possumus, ita locorum corpora, & loca corporum in illius consideratione sentire neutiquam perualemus. Sicut in qualibet pagina, si sententiam contemplatiuam attenderis, aliis oculis literas, quibus sententia continetur, inspicis, aliis hoc ipsum, quod solâ ratione colligitur, contemplaris.

Cant. 4. 9.

Ad hæc autem vis imaginationum nulla se confert, quia vbi nec temporalitas, nec temporalitati obnoxia moles aliqua menti se ingerit, nihil visum, aut quod videri possit, exteriùs in se admittit. Quæ enim nonnisi formas, & corruptibilium consuetudinem recipit, semper tenuitatis impatiens vsitatarum rerum recordatione grossescit. Quòd si ad quamlibet speciem subtilitatis velit eniti, non nisi externæ visionis extrusâ frequentiâ ad intellectualia discernenda valet intendi. Inde & clauso ostio iubemur orare Patrem: hoc & primum, & secundum, & tertium cœlum, de quo Apostolus. Hoc igitur modo cùm spiritualitas quasi ad quoddam æthereum cœlum & sola, & à terrenis omnibus incomitata progreditur; specialiter spiritualibus spiritualia comparat, dum intellectuali subtilitate incorporeas illas species mundi interioris examinat.

Matt. 6. 6.
2. Cor. 12. 2.

§. II.

Visiones in sacris scripturis mēti solùm corporeas ingerūt imagines.

SEd quod dicimus præpedire valde sacrarum in veteri ac nouo Testamento visionum videntur historiæ, quæ ad illum euectæ statum nonnisi corpore earum imaginum visa reportant. Cùm enim in Dei visione EZECHIEL & ventum turbinis, & Aquilonem, nubem magnam, & ignem inuoluentem, splendorem in circuitu, quatuor animalia quadrifidam habentia speciem: Cùm etiam ædificium in monte metiri conspiceret, quid aliud quàm effigies corporalitatum præscriptas aspexit? Ibi limina, ibi portæ, ibi vestibula & fenestræ, ibi vir sub specie æris, ibi calamus funiculusque mensoris. Quid plura? Ibi aut corpora aut similitudines corporum contuentur, nec aliud quippiam peruidetur, quod non formas præsentium vndecumque resculpat. Hoc ISAIAS, HIEREMIAS, DANIEL, & si qui alij, quibus se conspicabilem præbuerit Deus, non veritate, sed signis ac figuris enuntiant, dum solium Dei se vidisse declamitant, & solij speciem saphiro, ac chrysolito comparant.

Ezec. 1. 4.

Deus Prophetis sese figuris & signis ostēdit.

Cùm ergò diuinam formam aut igni comportent, aut in humanas habitudines per membrorum singulorum schema distribuāt, non est ibi quod de vera omnipotentis Dei simplicitate dicatur, cùm quicquid de illo incircumscripto agitur, corporalibus angustiis comprehendi posse putetur. Nil enim ibi est, quod secundum puritatem sempiternæ essentiæ dictitetur; est autem quod figuris & ænigmatibus adeò præstringatur, vt de eius natura nil proprium, sed quod membris ipsius allegoricè attineat, prædicetur. Signis igitur ac figuris cùm vniuersa consistant, & in veteris Testamenti auctoribus nihil quod de Deo essentiale credatur, inueniri queat, præter illud: *Ego sum qui sum*. Et, *Qui est misit me ad vos*: cætera quæ de eo feruntur tantopere humanæ consuetudinis dicta, factáque redolent, vt in omni præter peccatum passione nostris moribus vel motibus morem gerant.

Exod. 3. 14.

Hæc quidem apud antiquos, apud quos penè omnia figuraliter contigisse cognoscimus, testémque Apostolum hinc habemus: sed & in nouo Testamento non longè secus ac aliàs se res habet, dum quæcumque

1. Cor. 10. 11.

in Apocalypsi dicuntur, à formis in nullo extrinsecis dissentire videntur. Vide ergò quam die Dominica & cuius ac si circumscriptionis formam viderit. Et summopere tamen attendendum quod dicitur: *Fui in spiritu.* Quid est fui in spiritu? Scilicet in spiritualium contemplatione. In spiritu enim non fuisset, nisi quod spirituale est, conspicuum habuisset. Si ergò nihil nisi spirituale conspicuum sibi fuit, quid est quod nisi formas corporeas dicere non potuit, quas duntaxat præ oculis habuit?

Apoc. 1. 10.

Attende itaque diuinæ descriptionis nonnisi humanum modum: attende gladium bis acutum, candelabra, & stellas; &, vt ad habitum redeam, lanæ albæ capillos, pedes auricalco compositos. Ita vniuersum volumen euolue nusquam nisi humanitùs dicta reperies; nusquam non dico substantiale, sed essentiale aliquid de Deo ibi profertur, si quid autem prolatum ibidem constat, multo allegoriarum velamine palliatur. Quicquid quoque illic de statu sanctæ Ecclesiæ præcantatur, coloratis sermonibus inumbratur; & licet qui viderit, in spiritu fuisse dicatur, quæcumque intrinsecus spiritualitas delitescat, nihil nisi corruptibilis speciei, & corporale proloquitur.

§. III.

Quæ in mundo nisi nisi materialia suggerunt.

IGitur quoniam qui de præsentium visione ad interna videnda commigrant, nil aliud, quàm quod in mundo consueuerant videre, reportant: putari ab aliquo posset, quòd eædem formæ apud spiritualia haberentur, quæ apud superos, immò apud inferos, quod nos sumus, haberi videntur. Quæ vniformitas specierum si ita est, quod nullatenus credendum est, ergo inter corpus & spiritum nec distantia nec dissimilitudo est, immò, vt breuius omnia contraham, certè nec ipsa spiritualitas aliquid est. Si enim nullus sæculum inter vtrumque gradus, si de altero in alterum quasi de corpore transitur in corpus, nunquam de præsenti hoc qualicumque bono transitur in melius. Bona enim sunt à Deo condita, sed imaginaria, his vtimur interim, donec frui detur ijs, quæ, ob transibilitatem horum, vocantur æterna.

§. IV.

Qui visiones retulerunt suas, corporeis rebus similia exhibuere.

DEnique & prælibato sensui adniti videtur, quod apud Beatum Papam GREGORIVM omnis qui de exteriori isto ad interius illud redituri rapiebantur, nonnisi ijs similia quæ hîc assueuerant, vidisse se recoluerunt. Si enim pontes, si fluuios, si fœtores sulphureos, si amœnos præterea campos, si aureis laterculis exædificatas domos quique retulerint, hoc nimirum de similitudine præsentis statûs intulerint. Nec secundum solam dialogi seriem hæc aliquibus apparuisse putaueris, & non potius per omnes quas me non dico legisse, sed etiam audisse meminerim visiones.

Quid enim quod BEDA in gestis Anglorum dum hinc timoris, hinc gloriæ plenas suæ genti aliquando manifestatas reuelationes intexit, nulla nisi nostris vsibus conuenientissima dicitur. Illic enim & montes, & castella, inclementias aëris, & plumbeas damnatorum arcas, laceras in pœnis positorum tibias, quædam loca putoribus exhalantia supplicio punitorum apparata, principis cuiusdam virilia cotidiano animalis nescio cuius morsu corrosa, pecuniarum quoque montes, pallia & olosericа, pannos opiparè textos, multifidam suppellectilem, ijs in illo examine ad suæ peruersitatis argumentum opponenda, qui libenter accipiunt munera, vt scilicet peruertant iudicia. Nec desunt exempla moderna, cùm si qua videri de animarum statu hodieque contingat, à modo quem prædiximus nulla disparilitate differat.

§. V.

Itidem Dominus in Euangelio materialibus vtitur exemplis.

SVper hæc autem omnia, IESVS ipse Dominus quid nisi materiale supplicium minitari videtur? Vbi enim ligari manus & pedes mandat; in tenebras quoque exteriores proiici imperat; ibíque fletum affuturum & stridorem dentium pariter denunciat, quid aliud quàm consuetudinarias nobis passiones ostentat? Et certè si vexari criminosas, siue leuius peccatrices animas, eodem materiali supplicio quo corpora æstimamus, non bene, iuxta Apostolum, spiritualibus spiritualia comparamus; quod tamen exemplo proposito satius comprobamus.

1. Cor. 2. 13.

Quàm multi ob terrena acquirenda suppliciis & laboribus diuersis sese immolant.

Vide hominem infinitâ quæstus cupiditate detentum, cruentissimis vt cupita acquirat ambienter addici laboribus, quantâ fame sese discruciet, quantis insomniis, quantísque sudoribus, vt certè celeri vitam terminaret exitio, si id tolerantiæ alicui intorqueretur inuito. Quod perpendere ex captiuorum patientia, qui pro pecuniis cruciantur, est liquidum. Nam tormentis adeò enormibus illos excarnificari videmus, pollicibus, genitalibúsque suspendi, dentes forcipe erui, vngues ligno

coarctante comminui, calces sale illitos caprarum lingua sublambi, & hæc omnia tanta æquanimitate, immò animi iocunditate perpeti, quanta thesauri spe repositi animum in suis angulis exultantem conicere valeas deliniri.

Certè turrim miræ magnitudinis ignibus candescentem experimento didicimus, lingua quemdam sua madenti prorsus extinguere solitum, ob id studij solummodo exigentem nummi pretium. Si ergò corpore tantis profligato miseriis animus spei occultæ gaudio debriatus ab eadem molestia conquiescit, cernere in promptu est, quia sicut caro vexationibus agitur, anima aliquantisper à tantis vacante turbinibus, ita corpore nullatenus molestato anima multotiens sola tristitiæ conceptione mactatur.

Sancti Martyres. Spirituali spiritali-a bus comparantes.

Corpora itaque corporalibus, spiritus spiritualibus, vt præmisimus, comparantes, alterutrum sine altero cruces suas pro loco & tempore tolerare conspicimus. Quod in sanctis martyribus, exterioris sui hominis doloribus interiori gaudente, constat euidenter expositum. Altrinsecus autem super ijs, quos acrimonia consumit acediæ, perspicuum est, quantis lacerum pectus disijciatur angoribus, planè, vt putatur, corpore extrinsecus requieto. Vides in hypocritis inedias, frigorum tolerantias, interdiu vix nocte soluendas stationes, noctu quasi peruigilis orationis excubias, & hæc leuissima ducit gloriæ inanis auiditas. Identidem quoque in Sanctorum mentibus efficit cotidianas suarum carnium mortes breues, ac momentaneas expectationis supernæ suauitas. Constet ergo probatum, quia sicut pœna forinseca reddere dinoscitur cadauerosa corpuscula, sic spiritualis alacritas, aut latens mentis vitium, nostra aut fouet, aut torquet interna.

Aliter autem desides, & hypocritæ.

Sancti viri qui ponderent quotidianas mortificationes.

CAPVT II.

§. I.

Quas Prophetiæ sanctique Viri à Deo accepere notitias sæpiusculè aperire nequiuerunt.

HIs itaque sub ista distributione dispectis, quomodo animarum supplicia à tormentis corporalibus distare putanda sint: & quare ipse Dominus, ac sancti quique de statu illo adeò carnaliter non dico senserint, sed dixerint, pariter attingamus. Si enim de sensu eorum agitur, sensa Prophetica, vt seriem præmissæ locutionis exequar, multò spiritualiora fuerunt, quàm ipsi suis insinuare auditoribus, non dicam potuerunt, sed debuerunt. Dicam tamen, quod & indubiè asseram, quia nec potuerunt, nec debuerunt. Si enim possent, quæ ex parte de IESV nasciturо, & mysteriis Ecclesiæ nouerant, ad publicum propalassent, si ea quæ partim sibi interluxerant, exprimendi licentiam habuissent.

Psal. 50. 8.

Vnde Psalmistæ vox est. *Incerta*, inquit, *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Si incerta apud ipsum, de cuius semine erat nasciturus, erant, dubiæ sententiæ si ferrentur quid proderant? Porro si occulta pro sui incertitudine, minus sunt vtique manifestanda. Quò enim quippiam occultius est, eò si incertitudo sese obiiciat promulgari periculosius est. Quæ ergò sibi quidem manifestata, sed cæteris incerta ac occulta nouerat, digna admodum dispensatione silere decreuerat. Vnde Apostolus: *Audiui*, inquit, *arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quod bifariam intelligere possumus, & est ac si diceret: Nec per se licitum est homini talia dicere, nemini nempe loquentes scribere solemus, non homini loqui, id est alteri cuipiam explanare.

2. Cor. 12. 4.

Non itaque potuerunt, quia non debuerunt. Spiritus enim Prophetarum nisi eos sicut quis equum fræno cohibuisset, mysterium quod mente conceperant, mysterium non fuisset: prodere sanè non poterant quod sub tanti dictatoris sigillo tenuerant. Si enim humani arbitrij aut potentiæ humanæ non est contemplationem Dei, aut sacræ scripturæ, cùm velit, habere; sic eis nullatenus licere potuit, de futuris mysteriis aut sentire quantum vellent, immo nec ipsum totum penetrare quod dicerent. Sicut nempe in visionibus quæ ex Deo sunt multociens de nostris euentibus edocemur, quæ tamen quomodo aut quando euentura sint inibi colligere non valemus; ita particulariter eorum tacta sunt corda, vt nulla eisdem suppeteret quæ viderant explicandi potentia. Impotentia autem eorum nil aliud, quàm indebitum est. Vnde est quod de Domino dicitur, quòd nullum signum potuit facere in Capharnaum. Non potuit ergò, dictum intellige, non debuit: indebitum enim erat, vt eis signorum beneficia impenderet, quos fidei suæ applicare non poterat: vnde & margaritas ante porcos poni vetuit, quia diuini eloquij candor spurcis mentibus minimè congruit.

Humani arbitrij non est, Dei contemplationem, & Sac. Scripturæ notitiam habere.

Luc. 4. 23.

Mat. 7. 6.

§. II.

IGitur, vt ad seriem redeamus, quicquid à Prophetis corporaliter de Deo non tàm censum quàm dictum est, humanæ intelligentiæ constat condescensum, quia nec ipsi verba, quibus diuinæ essentiæ modum comprehenderent, inuenire potuerunt; nec vlli animos, qui, quæ dicerentur (si dici ab aliquo vllatenus possent) valerent capere,

Probat iterum de scientia Dei, quæ in contemplatione hauritur, fandi facultatem humanam non suppetere.

habuerunt. Qui ergò dicere, quiue audire non poterant, meritò super Dei natura silebant. Quæ autem dici necessitas exegisset, nisi consuetudine locutionis humanæ dixissent, & in sua ipsi dictione amentium more deficerent, & si qua supra se dicerent, sicut ipsi sua dicta non caperent, sic intellectores dictorum neutiquam reperirent. Vnde & indignas Deo aliquotiens comparationes similitudinesque attribuunt, dum plaustrum onustum fœno, dum potentem crapulatum à vino dicunt.

Amos 2. 13. Inde aliquando comparationes Deo indignæ ascribuntur.

Quibus ergò capaces illi non fuerant, non nisi corporalia & nostris vsibus familiaria enunciare poterant, & quæ minus bonis hominibus conuenientia videbantur, etiam Deo nequaquam ascribere verebantur, vt ex eo ipso quod summæ maiestati indigna componerent, quicquid apud nos maius ac dignius esse potest, indignum Deo prorsus, si ei conferatur, ostenderent. Inde est quod Ezechieli quatuor animalium monstrorum simillima corpora, & facies portentuosiores quam Iani, nam quadruplices ostenduntur, vt ex enormi, quantum ad nos, specie, sola intellectualitas quærenda notetur. Si enim Angelos suos facit spiritus, & non nisi spiritualia constant, in cœlestibus indignissimum in aliquo supernorum credere est tales inueniri corporum habitus. Cùm planè Angeli gloriæ claritate perplaceant, hæc autem inuisę nimium effigiei horrore displiceant, cùm literæ ratio deficit., solum quærere restat quid innuant.

Psal. 77. 65. *Ezec. 1. 5.* Angeli incorporei.

Homines ergò ad homines de sola corporalitate loquuntur, quia si quippiam de intellectualitate senserunt, sensa tamen sua nequaquam exprimere potuerunt. Vnde & æstimare est eos, qui ad internum eius sæculi statum, ad nos tamen redituri exeunt, quod alia videre non possunt, nisi quæ corporaliter viuentibus vsitata sunt, & sub imagine terrenorum subscintillent nobis aliqui radioli æternorum. Si enim ita capere possent, vti illi qui ad hoc sæculum redituri non essent, in carne sanè ista adhuc positis, non modo verba, sed & ipsi extra carnem subtiles pridem & acuti intellectus hebescerent, & in sese visa deperirent, nedum alijs sibi incomprehensibilia explicarent. Ad eorum itaque similitudinem loqui possunt hominibus, dum ab internis redeunt, quæ foris videre consueuerunt, quia sancti omnes quæ in diuina contemplatione cernere aliquando, vel momentanèe potuerunt, nunquam sermone, vel litera emittere possibile habuerunt.

Homines corporalia tantùm enunciant.

Cùm ergò de gloria Sanctorum in visione, aut odores præsentiunt, aut hymnidicos choros exaudiunt, aut claritates hauriunt, tota hæc non secundum naturæ spiritualis veritatem, sed iuxta visibilium, qua assueti sunt, qualitatem. Quæ enim aut speciosiora, seu pretiosiora, aut delectabiliora sunt inter homines, ea nobis per internas ostendunt visiones, vt ex eis quæ apud nos potissimùm appretiari solemus, indultæ sanctis gloriæ argumenta sumamus. Vnde in Apocalypsi, & stolis amiciri albis, & palmas gestare, victoriæ signa, in manibus, & coronas in capitibus aureas habere dicuntur, quòd regnantium sit. Quæ igitur in amœnitatibus, in florulentiis, in splendoribus habitudinum denotantur, non illorum, qui Chiliastæ vocati sunt, hæreticorum nænias recreant, qui post resurrectionem mille annos in carnalibus deliciis pollicentur, sed quibus homines delectari solent, hæc pro saluatorum demonstranda gloria visionum ordines exhibent.

Apoc. 7. 9.

Porrò quæ de reuelatione glorificatorum dicimus, ea ipsa de punitorum damnatione sentimus. Nam cùm ignibus crebrò animæ secundum scripturas videantur aduri, cùm flagellis addici, putentibus vndis immergi, & ea, quæ ex GREGORIO & BEDA Doctoribus exhibita sunt, fieri, non aliud sunt, quàm quod corporaliter reis solet infligi; hoc spiritualiter patiuntur; nec nos, quibus denunciatur, cruciari talibus miseriis addemnatos crederemus, nisi quia pœnas, quas assiduè consueuimus experiri, cognoscimus. Quia ergò spiritualem illam linguam, qua spiritualia spiritibus respondent, audire non possumus, ex corporalium notitia quasi fucos intellectualitatis exprimimus, & ex ijs vnde constat corpora profligari, animas animaduertimus coartari.

§. III.

IGitur quoniam corporalibus suppliciis animas puras coërceri posse non credimus, quibus pœnis angi * possit & debeat attendamus. Superius ex Apostolo dixi spiritualibus spiritualia comparanda, & mirum valde est, si tormentis tractabilibus intractabilis anima dicitur affligenda. Dicere tamen primitùs esset de eo, qui, sicut Apostolus Gentibus ait: *Qui dicimini præputium ab ea quæ vocatur circumcisio*, ab exteriori hoc mundo appellatur interior. Sicut enim in corpore meo, quod omnibus in promptu est; intrinsecus, subiacet anima inuisibilis ita huic materiali creaturæ, quæ rationabilibus irrationabilibúsque naturis conspicua est, altera subest machina, quæ solis rationabilibus, & hoc immortalitate exutis, constat visibilis & peruia: Cuius statum vlla mens visibilium imaginibus occupata metiri non præualet; animorum tantùm oculis à sæculi pituita liberis adiacet.

Cùm materialibus minimè, quibus ergò pœnis afficiantur animæ? f. * possint & debeant.

Eph. 2. 11.

Sicut nempe verbum spirituale dicimus, quod spiritu, lingua, & dentibus efficitur, vnde Apostolus *Psallam*, inquit, *Spiritu*. Verbum etiam, vt sic dixerim, mentuale, quod solâ cogitatione labiis tacentibus disponitur, vel differitur; verbum quin etiam intellectuale, quod sine interiori vlla ordinatione verborum purissima contemplatione tractatur: ita mundus iste, in quo degimus, visibilis, & imaginarius dici potest, quia & obtutibus nostris substat, & oculis vacantibus eius corporalitas menti retractabilis est: ille autem interior tantò difficiliùs penetratur, quantò corporibus, locis, ac temporibus nil ibidem continetur, nil agitur. Et quantò à nostro vsu discrepat, qui vix vspiam intuitum mentis affigimus, nisi ad ista quæ consueuimus, tantò ad illum interiorem peruidendum obnixiùs nebulas nostræ intentionis abrumpimus.

1. Cor. 14. 15.

CAPVT III.

Vtrum diaboli mundum hunc inhabitent.

VBi quæritur vtrum diabolo & eius Angelis generaliter habitabilis habeatur hic mundus, quoniam principem huius mundi, in quo agimus, vocat eum Dominus: Et Apostolus, principem aëris huius, principem etiam tenebrarum harum, spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

Ioan. 12. 31. Eph. 2. 2.

Quæritur itaque si is, qui ita ob sui intra hunc aërem diuersationem aërius appellatur, ac inter nos inuisibiliter diuagatur, vtrum & illi tali sæculo contiguus habeatur. Cui quæstioni primò ingeritur, quòd quantæcumque dignitatis ac puritatis seculum illud sit, dicere non audeo quòd bonis ac malis commune non fuerit. Natura enim dæmonum cùm sit ingenitis alacritatibus præacuta, sic ob sui perspicacitatem, immò spiritualis potentiæ agilitatem, quantumcumque exteriori diuagetur in mundo, tantò propriè propriam conuersationem in interiori obtinet illo, quantò sibi maior cum eo constat naturæ communio. Si enim spiritualis est mundus, nec crassioris corpulentiæ constat diabolus, vbi identitas substantiarum exceptâ rationalitate vtrobique dinoscitur, alter ab altero absentari non finitur.

Nunc diabolo peruius est mundus.

Ante diem ergò iudicij mundus ille interior diabolo iccircò peruius est, quia animabus in æternum supplicium detrudendis hoc spatio, Dei exactor & seruus est, & datur crudelitati illius huic officio obsequendi libertas, donec grano discreto à paleis iudicetur ei auferenda potestas. Et certè ipsum cum funesto suo exercitu infernum huius mundi incolas æstimo. Quidni cum ergastulis relegati pœnarum tantùm à præsenti sæculi statu dirimantur, vt siue nobiles sint filij eorum, siue ignobiles à Beato Iob ignorare dicantur? Hoc tamen ab huius mundi similitudine alter ille diuiditur, quod in isto boni ac mali promiscuè continentur: illic verò cœlibes ac perditi, sub infinita ab inuicem distinctione clauduntur.

Iob. 14. 21.

Post diem itaque extremum cum suis complicibus diabolus ipse communicato supplicio, liberos ad exercendam pristinam pestem iam non poterit habere meatus, & tantò vniformior in solita sua puritate fiet mundus, quantò per eum vltra transire valebit nemo pollutus. Hinc est quod cœlo nouo facto, terrâque nouâ, interior exteriórque peruius ac habitabilis erit sanctis. Sanctis namque tàm igne purgatis, quàm beata corporum immutatione promotis, & sæculo immò mundo ipso à veternis sordibus conflagrato, & in incorruptibilem habitum reparato, fiet status habitationis habitatorúmque vndecumque conueniens, fiet vtrobique vnà facto repurgio mansor ac mansio florens. Et sicut corpus ac anima in sanctis sub vnius beatitudinis gloria iubilabunt, sic exterior interiorque mundus ad vnam puritatem ex alterius concrematione redacti, splendidos sine omni importunitate discursus sanctis vbique triumphantibus apparebunt.

Post diem iudicij haud quaquam: mundus enim fiet purus.

Apoc. 21. 1.

Ipsum tunc habitabunt sancti.

CAPVT IV.

§. I.

Neque electi in cœlo corpoream gloriam, neque in inferno reprobi corpoream pœnam habent.

AD rem itaque quæ cœpta fuerat redeamus. Pœnas illas, quæ in illo abditiori mundo reprobis inferri dicimus, corporeæ vel incorporeæ sint si diffinire volumus, ex contrario melius sentire valemus. Quærendum planè prius est vtrum electi corporeas, an incorporeas in cœlesti Regno glorias assequuntur. Si corporeas glorias æstimemus, vt scilicet voluptatibus, gustui ac epulis vacent, nihil explicamus, immò scripturis obsistimus. Non, ait, gaudeatis super spiritibus qui vobis subiiciuntur, sed gaudeatis quod nomina vestra scripta sunt in cœlo. Certè ipsi Apostoli adhuc rudes Domino inferunt. *Domine*, inquiunt, *ostende nobis Patrem*, *& sufficit nobis*. Illud quoque: *Iterum* autem *videbo vos*, *& gaudebit cor vestrum*. Si in talibus cœlicolarum gloria, quid terrenum hic quæritur? Quæ iocunditas corporalis in Dei Patris visione putetur? Quid quod Psalmus ait. *Quid* enim *mihi est in cœlo*, *& à te quid volui super terram? Deus*, inquit, *cordis mei & pars mea*. Si ergo *Qui videt filium*, *& credit in eum*, *habet vitam æternam:* & in cœlo ac in terra nihil quæritur, nisi vt Deus habeatur, rogo quis locus corporeis voluptatibus datur?

Luca 10. 20. Ioan. 14. 8. Ioan. 16. 22. Psal. 72. 25. Ioan. 6. 40.

Cùm ergò nihil exemplorum suppetat, per quæ quis carnale in cœlo quid intelligat, mirum est si quis secus æstimet, ac si in ipsa veritate mendacium quærat. Si igitur totum spirituale est, quicquid in Dei præmio est, consequens mihi videtur, vt quod in spirituali mundo à spiritibus licet malignis administratur, idipsum quoque quod puniendis prauorum spiritibus attinet, etiam spirituale putetur. Sicut enim Angelos fœtore humano grauari non credimus, sic animas corporalibus suppliciis vexari non posse dicimus.

§. II.

SEd, sicut superius dixi, ex contraria parte melius rem attingere possumus. Si iuxta Apostolum: *Regnum Dei non est esca, & potus: sed pax, & gaudium in Spiritu Sancto:* Videamus è regione quàm diuersa ab ijs, turbulentia scilicet æterna, ac perpetuus motus, atque tristitia, vigeat in inferno. *Erit*, ait Dominus, *ibi fletus, & stridor dentium.* Quid animarum fletus, nisi præcordialis earum & interna mœstitia? Fletus enim qui non nisi à corporatis rebus emittitur, & stridor, qui dentatis ritè ascribitur, ad dolorem incorporearum ipsarum insaniam furorémque refertur. Stridere namque cùm de homine dicitur, furentium est. Est ergò dolor perpessæ, & in æternum perpetiendæ miseriæ. Est etiam stridor, dum commembris diaboli anima, iam contemptrix omnium diuinorum pœnitere incipit, non se peiora quàm fecerit effecisse.

Rom. 14. 17.

Matt. 8. 12.

Quid fletus in inferno, & stridor dentium.

Vnde est. *Impius cum venerit in profundum malorum contemnit. Omnis*, ait, *arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Exciditur videlicet à potestate peccandi, quod tantumdem valet, ac si diceret: Ligate illi manus ac pedes. In ignem verò mitti, perpetuo male agendi est appetitu cremari. Vnde & illud: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Si enim est, vt verè est, quia in interiori illo mundo cupiunt, metuunt, gaudéntque, doléntque, licet impiis nequaquam gaudere conueniat, tria tamen alia eis ne momento quidem abesse queant; non dicam quod eisdem passionibus addicantur, quibus olim subiacuerant, sed tantò rabidiùs, quantò spiritualiùs, vt nil aliud in eis ipsæ, non vnæ sed omnimodæ passiones, quàm ignis indefectiuus & semper inurens fiant.

Prou. 18. 3.

Matt. 3. 10.

Matt. 22. 13.

Psal. 57. 9.

§. III.

QVòd si quis mihi obiicit Beatum GREGORIVM, quòd corporeo dicat animas igne puniri; aduertat, quòd ibi dicitur. *Teneri*, ait, *Spiritum per ignem dicimus*, vt in tormento ignis sit videndo ac sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur, quo videt, & quia cremari se aspicit, crematur. Quod totum est; quia damnatum se aspicit, animi scæuâ exacerbatione decoquitur. Vide hominem æterno ergastulo relegatum, mortiferâ mortificatur acediâ. Vidi hoc anno quemdam, qui timore paupertatis laqueum sibi, nisi à suis erueretur, iniecerat. De circumstantia ergo sua, secundum Beatum Papam spiritus habet, vnde crucietur.

Igne materiali animas torqueri dicit B. Gregorius. Dialog. lib. 4. cap. 29.

Quòd si diuitis pœna ignis corporalis obiicitur, libentissimè Papam Sanctum, si præsens esset, inquirerem, si ignis ille corporeus, vt dicit, habetur, & gustus, & digitus, & lingua, pari modo corporea tenebuntur. Quia ergò non assentire tanto magistro nefarium ducimus, & spiritualibus corporalia in omnimoda illa interioritate miscere nescimus, Deo, quæ necdum nobis experiri contigit, committamus. Nemini enim obnitimur, sed pro captu nostro sensa simplici intentione proferimus.

CAPVT V.

§. I.

COnstat itaque quia sicut Sanctorum beniuolentiæ, cùm ad Dei visionem perueniunt, inæstimabili semper dulcedine crescunt: ita reproborum animæ capiti suo diabolo vnitæ, tantò vehementiùs peccandi desiderio non sine atrocissimo tormento æstuant, quantò ab eo, cui cibus est peccata suggerere, nullâ intentione discordant. Et sicut sanctos pœnitet visâ Dei gloriâ, quòd ampliùs pro ea adipiscenda non laborauerint; sic impij ægerrimè dolent, quòd ad ea supplicia deuenturi non ampliùs malignis voluntatibus inseruierint. Quidni? De aduiuente impio dicitur: *Sub lingua eius labor & dolor:* labor videlicet, quo malè agendi studio insudat; dolor, quo ea quæ desiderauerit crimina perpetrare non præualet: & quid de illo, qui Sathanæ concorporatur, dici poterit, quanta in eo vehententia pessimi appetitus erit? Si sancti sempiternis in Deum ardoribus feruent, improbi perpetuis furoribus strident.

Quid Sanctorum exercitij in cœlesti gloria; quid impiorum in cruciatibus æternis. Diabolici bus peccata suggerere.

Psal. 10. 7.

§. II.

HVic opinioni nostræ se confert Euangelicum illud capitulum de diuite & Lazaro, in quo si benè discutitur, status interioris mundi plurimùm aperitur. In quo primùm si perpendas quid sibi velit, quòd idem diues non se resuscitari, & ad patris domum mitti, sed Lazarum postulat, inuenies eum, qui de hac vita cum nequissima

Ad quid diues non se, sed Lazarus vt in mundum mittatur orat.

Matt. 26. 29.

voluntate exierat, quia nullam sese corrigendi voluntatem, si resuscitaretur, & ad sæculum rediret, habebat: eamdem namque peruersitatem quâ inter cruciatus carere non poterat, sese nullo modo deserturum pro certo cognouerat. Nec eum è regione profectò latebat, quia si pristino statu restitueretur in mundo, & prioribus studiis emendatiora non gereret ad centuplicationem damnationis in eadem postremo tormenta recideret. Lazarum ergò resuscitari securè precatur, de quo non aliud sperabatur, quàm qui ante experientiam gloriæ pius sub morbo ac inopia vixerat, rediuiuus non nisi bono melior fieri poterat.

§. III.

Eccl. 9. 10.

Quare tantâ beniuolentiâ fratrum saluti consulit diues ille.

Accedit quoque nostræ sententiæ, quòd qui iuxta Salomonem nec sapientiam, nec scientiam, neque rationem apud inferos habebat, quem scilicet diabolicæ intentionis furor agebat, quare pro fratribus ne & ipsi perditum irent tam beniuole postulabat. Quòd si beniuolentia bonum est, & hæc ipsa supplicio subest, profectò & sapientia, & scientia, atque ratio contra præfati sapientis dictum inibi est. Quia verò sanctus in eo spiritus mentiri non potest, quàm sit futilis ista petitio videre in promptu est.

Superiùs dictum est reprobos in inferno non solum carnalibus affectibus non carituros, sed peruersis etiam amoribus coarsuros. Hæc diues ille perpendit, dum fratres aduentare metuit, scit enim in quocumque fratrum geminari sibi supplicium, & in quorum cultu ac desiderio à diuino amore desciuit, in eorum quam propositam sibi habet damnatione incenditur pariter ac insanit. Dum ergò sibi gehennam, vt sic dixerim, quincuplicari veretur, à suo conuentu fratres Lazaro docente amoliri precatur.

Sed ab aliquo obiici potest, quia pœna illa sine bono actu euitari non poterat; ergò sine beniuolentia non erat, qui eosdem correctiora agere præoptabat. Cui inferimus. Sunt multa quæ velle videmur, quæ tamen nolle nos euidenter agnoscitur: nam si insanabilem morbum patiaris in digito, quem abscindere monearis à chirurgo, dicis tibi malle præcidi, quàm manus, totius ope morbo gliscente, destitui. Dicis te hoc malle quàm illud, cùm neutrum probatissimè nolis. Talis fuit voluntas in diuite, vt volendo nollet, & nolendo vellet, potius quam supplicij incrementa subiret. Quoscumque itaque impij contra Deum amarant, hos iusto iudicio coram se cruciari considerant, quorum pœnas ipsi semper in se reciprocant.

CAPVT VI.

Corporales non sunt animæ, nec sensibiles, nisi modo spirituali.

Isaiæ 66. 24.

Iob. 30. 17.

Qvæ autem corpora animæ habeant ego nescio, illud potissimùm meo sedet arbitrio, typicè debere intelligi quod dicitur ore Dominico. *Vermis eorum non morietur: & ignis eorum non extinguetur.* Si à Beato Iob putri & tabido iustè dicebatur: *Qui me*, inquit, *comedunt non dormiunt.* Ad spiritum non video quomodo referatur, quia nasci vermes ex spiritu nondum audiuimus, aut vermes mordere spiritum. Quia ergo dissentit à littera vermem spiritualem, quod est perpetui angoris aculeus, & semper infructuosa compunctio, compingamus in anima, cuius ignis nequaquam extinguitur, quia in finem totius desperatæ miseriæ indefectibili anxietate decoquitur.

Quid vermis spiritualis.

Quanta damnatorum tormenta.

Si parum crucis ijs qui in inferno sunt ac tortionis existimas, quid peius quàm infinitâ rabie efferari, & diabolo ac Angelis eius omni vecordia conformari putas? Et iusta planè eorum amentia, quia quibus in sæculorum sæcula refrigerij omnis desperatio constat æterna, quid aliud est eis nisi rabies semper noua? Si, Apostolo teste, tristitia huius sæculi appellatur mortem operans, dum ex concepto rancore & nimietate doloris manus sibi quis inferre compellitur, quam irremotæ mortis acerbitatem mentium illarum atrocitas fouet, quæ ne momenti quidem vnius otium sustinet? Spebus etsi falsis aliquotiens lenitur animus in hac vita, illic est adeò interior sine omni ineptæ cogitationis adulatione seueritas, vt nulla surripere possit, quæ vel ad punctum miseris allubescat inanitas.

2. Cor. 7. 10.

CAPVT VII.

Qui à Domino fuere ab inferno liberati, quomodo in tenebris constituti fuisse dicuntur.

Porro si ij, qui de inferno, Domino resurgente, sunt eruti, dum inibi essent in tenebris dicuntur fuisse constituti, cum nullas ibi tenebras nisi solius fastidij paterentur, quæ diuinæ visionis diuturnis priuationibus quotidie augerentur, qui spe tamen eius aliquando potiundæ nullatenus priuabantur; quid, non dico eorum oculis, sed cordibus obscurius, quibus tantæ crassitudo desperationis obtenditur? Dicant alij ignes, sulphur obiiciant, procellarum spiritus pariter attexant, securus sententiam fero, nullum deterius baratrum, nullum crudelius apud illos exitium, grauius vniuerso tortore tormentum, quod tam pium, tam serenum Dominum sunt desperabiliter amissuri, quem ad summam infelicitatis atque miseriæ non sunt vsquequaque visuri: vsquequaque enim non tenebrascerent, si aliquorsum respirarent.

Ioan. 6. 40. Si enim *Qui videt Filium, & credit in eum habet vitam æternam*. Et, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum, & quem misisti Iesum Christum*: Vt sola beatitudini sanctorum sufficiat Dei visio sempiterna, quis contraire vel obniti audeat, principalem immò singularem damnatorum calamitatis esse causam, quia sint æternaliter à Dei contemplatione seclusi? Nec in aliquo videtur absurdum, immò & veritas & verisimillimum constat, quia quod sanctis vitam sicut oculi corpori claritudinem præstat, hoc reprobis mortem sicut noctem priuatio luminis irrogat.

Eiusd. 17. 3. Præcipua reproborũ pœna in inferno, à Dei contemplatione priuatio est æterna.

CAPVT VIII.

§. 1.

Incorporeæ animæ probantur.

PRæterea & de animarum à quibusdam sic forma tractatur, vt eisdem ab ipsis humanæ appingantur effigies, quam ego sententiam sicut non sentio, ita nec capio. Si enim aurem & oculum, narem & labium, pectus & vterum, renes & coxas, pedes ac tibias illis ascribas, nimirum facis esse corporeas. Quòd si corporeæ sunt, quomodo intra corpus se capiunt? Quòd si ita capiuntur, sicut minora vascula intra maiora tenentur, scire velim quomodo duo intra alterutrnm corpora sub tanta arctitudine cohibentur. Hæc dico non contra ipsos, sed secundum potius verba ipsorum, qui scripserunt animas corporum suorum habere effigies: tales enim sunt quos refellere temerarium dico. Si ergò corpori corpus inseritur, ita necesse est coaptetur, vt os ori, manus manui, quodque cuique membrum membro apponatur: & si, vt assolet, præcidi contigerit, pro vno duo amputentur.

Denique etsi ita effigiatas credas, necesse est eas & locis, & morulis circumscribas, totumque quod spiritus sunt & vocantur his auferas. Quæ etiam quantitas earum maior quàm corporis, quæue alacritas erit? Quòd si pro argumento assumitur, quòd secundum species corporum in visione videntur, facilè obruitur, quia nec corpus, nec anima est, quæ sic videtur, sed sola visæ rei imago ad animum reportatur.

Putent itaque suffragari sibi quòd diues in inferno linguam, digitum Lazarus habebat. Sed velim ijs obiicere, vtrum in spirituali illo mundo aquæ erant? Quòd si erant, ergo incolæ eius materialibus his egebant. Esto. Et vnde ad restinguendum gehennæ focum adeò efficaces fuerant? Deus meus ibi gutta quid faceret, cùm incassum linguæ illi Ganges & Indus influeret? Extremum ergo digiti Lazari guttam inferre intelligimus, cùm per intentionem vel minimam eius ministraretur diuiti cuiuslibet paruissimæ indulgentiæ munus. Iste est minimus digitus, quem Pharisæi & Scribæ, impositis oneribus grauibus & importabilibus, in humeros hominum nolunt ad ea leuanda mouere.

Quid aquę, quas diues expostulat in tormentis.

Quòd si adhuc imago humana defenditur: Quid apud Beatum Gregorium in sphæra ignea Germanus efficiet, in quam partem Scholastica in columbam versa se conferet? Tota igitur controuersia hæc collidatur ad vnum, vt neque humanam, neque igneam, neque columbinam speciem eis imputemus, sed prorsus eas omni corporea re ac similitudine denudemus, eamque subtilitati intellectuali vniuersam mancipemus. Inconueniens enim est vt spiritualis habitatio habitatores dicatur habere corporeos. Si sanè IESV Domini verba sunt: *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo*. Et, *Non bibam de genimine vitis, donec bibam illud nouum in Regno meo*. Et hoc idem Regnum cotidie petitur vt adueniat: indubiè dicimus, quod cœlum, id est superior illa pars triplicis machinæ, quæ & ob digniorem sui partem sedes Dei appellatur, nihil aliud est, quàm spiritualis interioritas ista: in qua ac si extra mundum istum regnare se Dominus perhibet, quia hic princeps sibi aëris huius cum suis plurimũ aduersatur, in illo autem quietè omnia possidet.

Dialog. lib. 2. cap. 35. Ibid. cap. 33. Ioan. 18. 36. Matt. 26. 29. Eiusd. 6. 10.

Hoc Regnum, id est, quibus per caritatem regnauit & regnat, postquam *tradiderit Deo & Patri, tunc erit Deus omnia in omnibus*. Vnde & latroni dicitur: *Hodie mecum eris, In paradiso*: Paradisus enim est, vbi iugis Christi visio est; quod nũsquam nisi in illo spirituali sæculo est. Neque namque cœlum discipulis videntibus ideo ascendit, vt, parte inferiore vacante, parti superiori insideat; sed quasi digniorem locum obtinere se monstret, ex quo minus intelligentibus apud Patrem præsidere se indicet, cùm apud interiorem illum mundum, neque altum, neque imum, aut locale aliquid esse constet; præsertim qui tempora, & loca non habet.

1. Cor. 15. 24. Luca 23. 43.

Sicut ergo sensualitas per seipsam rationem atque intellectum non dico superordinat, sed nec penetrat: *Animalis enim homo non percipit quæ Dei sunt*: ratio autem & intellectus non solùm ista sub se discernit, sed & diuina subintrat, sic Deus & sancti, quasi intellectus & ratio, corporea cuncta dijudicant, ita tamen vt neutros corporea illa contingant.

1. Cor. 2. 14.

HÆC SINE PRÆIVDICIO MELIORIS SENTENTIÆ HVCVSQVE DECVRSA, NON VERBORVM AMBITV, SED SOLA FIDE MVNIMVS.

FINIS.

HISTORIA, QVÆ DICITVR
GESTA DEI PER FRANCOS
EDITA A VENERABILI DOMINO
GVIBERTO ABBATE MONASTERII
SANCTÆ MARIÆ NOVIGENTI.

INCIPIT EPISTOLA GVIBERTI AD LISIARDVM SVESSIONENSEM EPISCOPVM.

PATRI ET DOMINO SANCTÆ SVESSIONENsis Ecclesiæ Episcopo LYSIARDO, GVIBERTVS *perpetuò suæ liberalitati debitor, quidquid dulce & vnicum creditur in affectu.*

CVM ab amicis mihi sæpe suggereretur aliquibus, quare Opusculum præsens proprio non insignirem nomine; hucusque repuli, planè veritus piam historiam personæ odibilis fœdare vocabulo. Ratus autem ipsam per se claram præclari hominis titulo posse fieri clariorem, ad te tandem appuli; & Operi sui autoris nota depresso, iocundissimum luminare præposui. Cùm enim tuæ vetustissimæ nobilitati, scientia litteralis, serenitas specialis, modestiaque moralis accederet, DEO *iustè creditur prouisore dispositum, vt tantæ reuerentiæ munus Pontificij dignitas honestaret. Sequens itaque scedula tuo amplectendo nomine infloretur; quæ ad se quidem incondita, tui cui scribitur amore condiatur; & officij quo præmines, auctoritate firmetur. Non deerant sanè præsules & alij, quos huius aliorumque scriptorum meorum notiones, aut etiam opiniones attigerant: his certè sepositis, ad te summa fuit concurrisse voluntas. In qua tibi est lectione pensandum, quòd si etiam aliquotiens me à vulgari grammatica peregrinari contigerit, idcirco fecerim, quod vitia, immo illud humi serpens eloquium præcedentis corrigebam historiæ. Et villas video, vrbes, ac oppida studiis feruere Grammaticæ: vnde à veteribus historicis noluissem si facultas suppeteret discrepare. Pensa denique quòd inter rei familiaris curas, & crebras auditiones causarum, dictandi mihi, immò quod grauius est, translatandi æstuabat intentio: & dum diuersa, non sine mordaci importunitate foris audire compellerer, stabiliter intus quæ orsus fueram cepta tenere cogebar. Longè alia, quàm in* Expositionibus Geneseos, *vel aliis Opusculis tractatoriis me vsum stilo, nemo miretur: decet enim, licètque prorsus operosa historiam verborum elegantia coornari; sacri autem eloquij mysteria non garrulitate Poëtica, sed Ecclesiastica simplicitate tractari. Id ergò peto gratè suscipias, & pro perenni tui nominis monimento retineas.*

Lysiard. nobilitate & scientia clarus.

Quare elegantior huiusce historiæ stilus, quàm in aliis ipsius operibus.

EXPLICIT EPISTOLA.

PRÆFATIO SEQVENTIS HISTORIÆ.

AD præsentis opusculi executionem multum mihi præbuit ausum, non scientiæ literalis, cuius apud me constat forma pertenuis, vlla securitas, sed historiæ spiritualis autoritas. Quam enim certum semper tenui solo DEI numine, & per quos voluit consummatam, eam non dubium habui per quos etiam rudes ipse voluerit conscribendam. Qui enim eos per tot difficultates traduxit itinerum, qui succidit ante ipsos tot excrementa bellorum, dubitare non valui, quòd rei gestæ mihi, quibus sibi placeret modis, inderet veritatem; nec negaret competentium ordini ornamenta dictorum.

Erat siquidem eadem historia, sed verbis contexta plus æquo simplicibus, & quæ multotiens grammaticæ naturas excederet, lectoremque vapidi insipiditate sermonis sæpius exanimare valeret. Ea planè minus eruditis, nec de locutionis qualitate curantibus, ob illius nouæ relationis amorem satis oportuna videtur; nec aliter quàm illi sentiunt, ab auctore dici debuisse putatur. His autem quibus pabulum eloquentiæ estimatur honestas, dum ea minus aptè dicta perpendunt, vbi narrationis dinoscitur expedire comitas; & prolata succinctè, vbi facundiæ paregorizantis decuit laciniosa varietas, dum susceptæ materiei seriem nudo procedere vestigio vident, iuxta Poëtæ sensum, aut dormitant, aut rident: quin etiam, malæ præsumptæ orationi, quam longè diuerso oportuisse cantari modo considerant, inuident. Pro statu planè casuum sermo coaptari debet orantium: vt verborum acrimonià, bellica facta ferantur: quæ ad diuina pertinent, gradu temperatiore ducantur. Qua gemina, si facultas mihi suppeteret, formà, in huius stadio operis excurrisse debueram: vt & facinorum suorum insignia nequaquam verbis recitata disparibus insolens Gradiuus agnosceret, & numquam grauitatis sibi inditæ tonum, cum de pietate res agitur, modestia Mercurialis excederet. Quæ licet ex sententia adimplere nequiuerim, benè tamen ab alio gesta, plurima ex parte approbare nec minus probare didicerim.

[Margin: Qualis historici, qualisque res diuinas tractantis stilus.]

Ergò alienorum iudiciorum, valde temerarius, (sed ex fidei amore) & impudens, me fateor incidisse discrimina: quia dum corrigendi voto, hæc me compererint attigisse studia, fortaßis secunda deterius appretiari poterunt, quàm priora. Cùm enim paßim videamus feruere Grammaticam, & quibúsque vilißimis præ numerositate scolarum hanc patere nouerimus disciplinam, horrori fuit, & si non vti debuimus, vel vti potuimus, hanc nostri gloriam temporis non scribere: immò reliquisse sub inconditi scabredine sermonis historiam, videram, his Deum diebus quàm fecerit à sæculo, mirabiliora geßisse: gemmamque huiusmodi extremo diuersari in puluere: tantique contemptus impatiens, curaui quibus potui eloquiis, id omni carius auro, quod neglectui tradebatur, absoluere.

[Margin: Grammaticæ tum feruebat studium.]

Nec id solo præsumptiuè, instinctu egi meo, sed sua aliquibus petitione, huic adnitentibus fideliter voto. Quidam sanè, prosa vt scriberem: metro autem id fieri plerique rogabant: quoniam talis me studij in primæuo rudimenta celebrasse satius iusto, compererant. At ego iuuentute, gradu, experientiáque prouectior, non id verbis plausilibus, non versuum crepitibus enuntiandum rebar, sed maiori, si dicere audeam, quàm omnes belli Iudaïci historias maturitate dignum digeri, si esset cui DEVS copiam super hac re tribueret, arbitrabar. Nec diffiteor me post Ierosolymæ captionem, ex quo illi, qui tantæ interfuerant expeditioni redire cœperunt, ad scribendum ea animum appulisse: sed quia quarundam circa istud importunitatum obices adstiterant, distulisse. Sed quia, DEO permittente, nescio si volente, voluntati meæ constat oblata facultas, in id quod piè affectaueram fortasse à cunctis ridendus, inceßi, cachinnos ac triscuria prætergrediens aliquorum, dum modo diuturni eruptioni conceptus quacunque delatratione sategerim. Et si sit qui rideat, non tamen iuxta posse gerenti ac sanum intendenti detrahat: nec meis præproperè næuum dictis inurat, sed si penitus aspernatur, posthabita lite verborum, ipse malè perorata rescribens, exempla dictandi præbeat.

[Margin: Poësi plus æquo incubuerat Guibert.]

Porrò si quis aliquid subobscurè dictum causetur, notam sibi hebetudinis infligere vereatur: cùm pro certo nouerim, quòd ex his quæ in subiecto libro dixerim, nemini in litteris exercitato iustè quæstionem mouerim. Corrigendum igitur, nescio an corrumpendum, historiæ ipsius aggressurus exemplar, primò causas & neceßitates quæ huius occursum expeditionis vrgebant, sicut audieram, proposui referendas: & sic, occasionibus præmonstratis, res demum attexere gestas. Quorum tenorem, ab illo priori quem prosequor auctore, multa * varietate prolatum, ab eis qui eidem interfuerant viæ, edidici. Ea sanè quæ ferebantur in libro, contuli crebrius cum ipsorum qui facta viderant verbo: & proculdubio expertus sum, quia neutrum discreparet ab altero: quæ autem addiderim, aut ab his qui videre didicerim, aut per me ipsum agnouerim.

[Margin: Ex relatione texit historiam.]

*[Margin: al * veritate.]*

Quòd si quippiam aliter dictum, quàm se res habet, constiterit, in cassum fateor mendacij mihi

mihi probra callidus deprehensor obiecerit, cùm me fallendi desiderio nulla dixisse, sub DEI *testimonio scire possit. Quid enim mirum si fallimur, dum aliena facta referimus, cùm nos ne nostræ ipsorum quidem cogitationes, ac opera, non dico verbis exprimere, sed ne colligere tacita saltem mente possimus? Quid de intentionibus loquar, quæ adeò latere plerumque probantur, vt vix ab ipso interioris hominis acumine discernantur? Non est igitur seuerius arguendum, si ignoranter in verba prolabimur: sed illud est irremissibili censura terendum, cùm falsitas ex industria deceptionis, vel cuiuspiam subornationis voto contexitur.*

Iccircò non mirum si in nonnullis hallucinatur.

Porrò de nominibus hominum, prouinciarum & vrbium, multa mihi est difficultas ingenita: dum enim quædam, quorum attigerim notionem, malè ab illo auctore expressa cognosco, remota quælibet, eòque magis incognita, eadem prauitate enuntiata non dubito. Verbi gratia: Turcos, *cotidiano increpitamus strepitu;* Corozaniam, *quiddam noui nominis vocitamus: vbi vocabulorum vetustas quoniam penè prorsus obliterata delituit, antiquitate omni, etiam si ad integrum patuisset, amota, nihil nisi quod publicè cantitatur dicere libuit. Si enim* Parthos, *vt aliqui sentiunt, non* Turcos, Caucasum, *non* Corozaniam *ponerem, quasi sectando autentica, obscurus fierem: mèque illis qui de propriis regionum nominibus certant carpendum exponerem. Et maximè illud attendo, quia sicut in his prouinciis, terras nouis constat vocabulis insignitas, itidem immutari non dubitamus & exteras. Namque si ea, quæ olim* Neustria, *modo* Northmannia *appellatur; & quæ* Austria, *nunc* Lotharingia *pro aliquibus accidentiis nuncupatur: idem apud Orientales quomodo fieri non credatur? Vt asserunt planè quidam, ipsa quondam* Memphis *Ægyptia,* Babilonia *nunc dicitur. Vulgari itaque modo malui enuntiare aliqua, quàm obscurari aut contendere ponendo diuersa. De nomine autem* Podiensis* *Episcopi diu hæsi: vix in huius operis fine edidici: non enim in meo habebatur exemplari.*

Quare nomenclatura recentiori in citandis propriis nominibus fuerit vsus.

Parcat quoque Lector mea sermonis incuriæ: indubiè sciens, quia quæ habuerim scribendi, eadem mihi fuerint momenta dictandi: nec ceris emendanda diligenter, excepi: sed vti præstò est, fœdè delatrata, membranis apposui. Nomen autem indidi quod arrogantia careat, gentisque honori proficiat: scilicet,* DEI GESTA PER FRANCOS.

* *Vulgò, le Puy.*

LIBER PRIMUS
GESTORUM DEI PER FRANCOS, SIVE HISTORIA HIEROSOLYMITANA.
CAPUT PRIMUM.

Coæuorum virtus minimè est vituperanda.

QVORVMDAM mortalium vitiosè aliquotiens, sed non semper, moribus constat inolitum, vt modernorum facta vituperent, prætetita sæcula sustollant. Et quidem laudanda fuit veterum modestiæ contemperata felicitas, & retractatione consilij moderata viuacitas: sed nemini discreto, qualicumque virtuti nostræ, sæcularis eorum fuerit vllo modo anteferenda prosperitas. Etsi enim in antiquis virtus defæcata præminuit; tamen in nobis, in quos licet sæculorum finis deuenerit, dos naturæ nequaquam prorsus extabuit. Prædicantur meritò pro hominum nouitate, priscis acta temporibus: sed multo iustius efferri digna sunt, quæ mundo prolabente in senium, peraguntur vtiliter à rudibus.

Regna quondam extera, bellis suspiramus insignita potentibus: stragem *Philippicam*, & vbique inclementem, non sine continuâ sanguinis effusione victoriam, suspicimus: *Alexandri* rabiem de camino Macedonum ad totius Orientis exitia emergentem, tonantibus eloquiis pensitamus: *Xersis* in Thermophilas, *Darij* in Alexandrum copias, cum execrabili infinitarum gentium digladiatione metimur. *Chaldaïcam* superbiam; *Argiuam* acrimoniam; *Ægyptiorum* spurcitiam, instabilémque *Asiam*; *Pompei Trogi* & auctorum disquisitione sublimium miramur. Prima *Romanorum* instituta; sub communis vtilitatis censurâ; & Imperij propagatione complectimur. Et tamen, si horum omnium ad purum discutiatur essentia, non modò apud probos quoslibet laudabilis ipsorum habetur audacia: sed meritò patet infamiæ pertinax belligerandi, sine vlla ratione, pro sola dominandi libidine, vecordia.

Respiciamus ergò, immò resipiscamus, ad huius quas despicimus æui fætulentas, vt sic dixerim, fæces, & minimum digitum nostrum, patrũ quos plus æquo extollimus, nostrorum dorsis grossiorẽ, iuxta illud fatui Regis dictũ, reperire poterimus. Si enim prælia Gentiliũ,

Præcellunt Gentilium, Christianorum gesta bellica.

& regna multo armorum labore peruasa perpendimus, nullas eorum vires, nulla prorsus exercitia nostris, per DEI gratiam, æquiparanda censebimus. Si DEVM in Iudaico populo magnificatum audiuimus; IESVM CHRISTVM, sicut heri apud antiquos, ita & hodie apud modernos, esse & valere certis experimentis agnouimus. Reges, Duces, Dictatores, ac Consules vspiam pugnaturi populorum examina conflauerunt; & edictis potentibus, vndecunque gentium, numerosos exercitus contraxerunt.

Hi tamen, hi coëunt hominum terroribus acti.

Quid de illis dicam, qui sine domino, sine principe, solo videlicet DEO impulsore, non modò extra natalem prouinciam, extra etiam originale regnum; verùm quoque extra multitudinem interiacentium nationum progressi atque linguarum, de extremis Oceani Britannici finibus, vsque ad totius terræ meditullium castrorum suorum acies produxêre? De* noua & incomparabili *Ierosolymitanæ* expeditionis victoria loquimur, cuius tanta erga eos qui non desipiunt existit gloria, vt nostra, quod nulla præterita meruerunt, tali titulo iubilemus insigniri tempora. Hoc nostros aggredi, non inanis famæ, non pecuniarum, non dilatandi limitis coëgit ambitio: quibus occasionibus innituntur aut nisi sunt penè omnes, qui contra quoslibet arma mouent, siue mouerunt. Quibus illud poëticum opportunè dicitur:

Quis furor ô Ciues, quæ tanta licentia ferri,
Gentibus inuisis proprium præbere cruorem?
Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

al.* illa.

Si enim pro libertate tuenda; aut pro publica re defendenda sumerent causam, excusationem vtique prætendere possent honestam. Vbi autem aut Barbararum gentium, aut metuitur Gentilitatis incursus, ab armorum iure nullus debet miles arceri: & si ista defuerint, pro sola sanctæ Ecclesiæ tuitione consueuerunt quam legitimè bella tractari. At quoniam in omnium animis hæc pia desinit intentio: & habendi cunctorum peruasit corda libido, instituit nostro tempore prælia sancta DEVS, vt ordo Equestris & vulgus oberrans, qui vetustæ Paganitatis exemplo in mutuas versabantur cædes, nouum repperirent salutis promerendæ genus: vt nec funditus* electa (vti fieri assolet) monastica conuersatione, seu religiosa qualibet professione, sæculum relinquere cogerentur: sed sub consueta licentia & habitu, ex suo ipsorum officio, DEI aliquatenus gratiam consequerentur.

f.* electa

DEO ergò incentore, motas* audiuimus nationes, & ad omnia necessitudinum affectionúmque genera præcordiales aditus precludantes, tanta auiditate ad Christiani nominis hostes euertendos exilium petere: orbémque Latinum, notitias etiam terrarum excedere, quanta neminem alacritate vidimus aut epulas aut dies festos adire. Honores amplissimi, castellorum & vrbium dominia spernebantur: vxores pulcherrimæ quasi quiddam tabidum vilescebant: omni gemma quondam gratiores promiscui sexus pignorum fastidiebantur aspectus: & ad quod mortalium nullus aut vrgere imperio potuisset, aut suasione propellere, ad id subita mentium demutatarum obstinatione ferebantur. Non erat Ecclesiasticæ cuiquam personæ necessarium: vt ad excitandos pro hoc ipso populos in Ecclesiis declamaret: cùm alter alteri non minus monitis, quàm exemplo domi forísque profectionis vota clamaret. Ardebant studia singulorum: & tanta illis facultas videbatur illud iter ineundi, quibus nullæ sumptuum copiæ suppetebant, quanta illis quibus ingens possessionum venditio, aut thesauri repositi opulentissimum viaticum conuehebant. Videres dictum Salomonis euidenter illud impleri: *Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.*

al.* vidimus

Omnigeni status & conditionis homines cuncta abdicabant vti contra perfidos ad bellum proficiscerentur.

Prou. 30. 27.

Hæc locusta nullum bonæ operationis saltum dederat, quamdiu longę iniquitatis congelatione torpuerat: at vbi solis iustitiæ feruor* incanduit, genuinæ illicò transmigrationis euolatione prosiliit: dum de patris domo ac cognatione digreditur: & per sanctæ intentionis assumptionem moribus immutatur. Ipsa regem non habuit: quia quæque fidelis anima omni ducatu, præter solius DEI caruit, dum illius se contubernalem æstimat, eúmque præuium sibi esse non dubitat, cuius voluntate & instinctu se cœpisse, quem in egestatibus solatio sibi futurum coniubilat. Sed quæ est quæ egreditur vniuersitas, nisi illa, quæ ad vnum idémque appetendum numerosissimarum plebium corda vertit simplicitas? Cùm solam quasi specialiter *Francorum* gentem super hac re commonitorium Apostolicæ sedis attigerit, quæ gens Christiano sub iure agens non illicò turmas edidit: & dum pensat se DEO eandem fidem debere quam Franci, Francorum quibus possunt viribus, nituntur & ambiunt communicare discrimini? Videres *Scotorum* apud se ferocium, aliàs imbellium, cuneos crure intecto, hispida clamide, ex humeris dependente* psitarcia, de finibus vliginosis allabi; & quibus ridicula quantum ad nos forent arma copiosa, suæ fidei ac deuotionis nobis auxilia præsentare. Testor DEVM me audisse, nescio cuius Barbaræ gentis homines ad nostri portum maris appulsos, quorum sermo adeò habebatur incognitus, vt lingua vacante, digitorum super digitos transuersione

al.* excanduit.

al.* Sytarchia.

crucis signa prætenderent; hisque indiciis, quod nequibant vocibus, se fidei causa proficisci monstrarent. Sed de his suo loco vberiori forsitan circumlocutione tractabimus: nunc de *Ierosolymitanæ* vel *Orientalis* statu, qui tunc erat, Ecclesiæ, aliquantisper agamus.

CAPVT II.

II. al.* Dominicorum suppliciorum.

A Temporibus fidelis *Helenæ*, Constantini Principis matris, per loca * dominiorum & suppliciorum vestigiis insignita, basilicæ sunt, per eandem Augustam, & ministeria digna basilicis instituta. Quem institutionis ordinem post decessum præfatorum, per Romani imperij successiones, diuturnis temporibus, Ecclesiastica historia docente, comperimus perdurasse. Orientalium autem fides, cùm semper nutabunda constiterit, & rerum molitione nouarum mutabilis & vagabunda fuerit, semper à regula veræ credulitatis exorbitans, ab antiquorum patrum auctoritate desciuit. Ipsi planè homines, pro aëris & cœli cui innati sunt puritate, cùm sint leuioris corpulentiæ, & idcircò * alacrioris ingenij, multis & inutilibus commentis solent radio suæ perspicacitatis abuti: & dum maiorum siue coæuorum suorum despiciunt obtemperare magisterio, *Scrutati sunt iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio*. Inde hæreses & pestium variarum genera portentuosa: quarum tanta pernities & inextricabilis extitit labyrinthus, vt veprium vel etiam vrticarum feracior vspiam fieri nequaquam incultissima possit humus. Omnium hæreseon catalogi perlegantur: libri antiquorum scripti aduersus hæreticos recenseantur, mirabor si præter Orientem & Affricam, vix aliqui sub Latino orbe cernentur.

Orientalium fides nutabunda.

al.* aeriosis ingenij perspicacitate solent abuti.

Psal. 63. 6.

Vnde hæreses.

Pelagium, nisi fallor, Britonem hæreticum nescio quo legerim; sed illorum vel erroneos, vel errores colligere neminem vnquam potuisse crediderim. Ipsi fuerunt terra in suorum maledicta magistrorum opere, spinas & tribulos germinans operantibus se. Ex Alexandria *Arrius*, ex Perside *Manis* emersit. Alterius rabies sanctæ Ecclesiæ vestem, maculam aut rugam non habentem, tanta scidit atque cruentauit instantia, vt eius consideratione, breuior penitus tempore, locis contractior æstimetur persecutio *Deciana*: vtpote cui post Græciam, plenissimè succubuerunt Hispania, * Illiricum, & Africa: Alterius fabulæ, & si ridendæ, argutissimorum etiam virorum longè latéque obtuderunt quasi præstigiis quibusdam acumina. Quid *Eunomios*, *Euticetes*, *Nestoriósque* loquar? monstrorum millia texam? Quorum aduersus nostros tam pertinax vecordia fuit, adeóque difficilis victoria prouenit, vt viderentur hæreses non gladiis sed fustibus decollari. Recolamus veteres de originibus Regnorum historias, & garriamus super ridiculo statu Regum, & Asiaticam leuitatem, super subita Principum destitutione ac restitutione miremur.

Pelagius.

Arius. Manis.

al.* Illires.

Eunomius. Entiches. Nestorius.

Qui ergo doceri de eorum fœda mobilitate desiderat, rotabundos in regnis alternantésque Antiochos, Demetriósque recenseat: & quem hodie florentissimum viderit in imperio, gentium facilitas subditarum eum non modo à fascibus, verum naturali cras exulem disperget à solo. Vnde hæc ipsorum, & in actu sæculari, & in Christiana professione nugacitas, ad hoc vsque tempus in tantum viguit, vt neque in Eucharistiæ confessione, neque in Apostolicæ sedis subiectione penè quicquam illis commune nobiscum sit. Sed si illud, quod de *panibus fermentatis sacramenta conficiunt*, conuenienti aut vero simili ratiocinatione defenditur: quia, quod recta cum fide geritur, materialis fermenti admixtione non læditur: & quod veteribus cæremoniis Dominus finem ponens: postquam cum azimis agnum comedit, de eodem pane, quia alius non aderat, nec secundum legem quam implebat, induci tunc poterat, Corporis sui Sacramenta contradidit, azimorum illatio, quæ tunc affuit necessitati, non eis videtur ad institutionem pertinere mysterij: sicut buccellæ intinctio, non sacramenti peragendi, sed Iudæ proditoris fuit ostensio: si, inquam, ista aut quælibet alia aut falsò aut veraciter obtendi possunt, quid de *Spiritu sancto* dicturi sunt, qui adhuc eum secundùm reliquias hæreseos Arrianæ, minorem Patre & Filio profana mente contendunt? Cùm ab institutis paternorum Canonum, & ab Occidentalis Ecclesiæ pio ritu, sensu ac multimoda actione discordent, hunc damnationis suæ adiecerunt cumulum, vt claudicare perhibeant, inflicta ei propriæ naturæ inæqualitate, DEVM. Si enim ex Filij DEI præcepto, IN PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI nomine baptizandum est: & hoc idcircò, quia hæc tria vnus DEVS est: quicquid in his tribus asseritur minus alterutro, DEVS profectò non est.

Græcorum erronea doctrina.

Talium ergò congregatio taurorum inter vaccas populorum, excluserunt etiam nunc eos qui probati sunt argento, dum quidam nostratium, hac Græcorum altercatione citati, clarissimos de *Sancti Spiritus processione* ediderunt libros. At quoniam offendiculum ponit DEVS coràm his qui voluntariè peccant, terra eorum ipsos sui habitatores euomuit, dum primò fiunt à notitia veræ credu-

Psal. 67. 33.

Ob ipsorũ peccata Gentibus traditæ sunt diuersæ Prouinciæ.

litatis exortes; ac meritò deinde ac iure, omnis suæ terrenæ possessionis extorres. Dum enim à Trinitatis fide desciscunt, vt adhuc sordescant qui in sordibus sunt, paulatim vsque ad extrema suscipiendæ Gentilitatis detrimenta venerunt: & procedente pœna peccati, alienigenis irruentibus, etiam solum patriæ amiserunt: aut si quempiam ibidem remanere contigit, externis indigenæ sese sub tributi redibitionibus subdiderunt. Prædicatissimæ nobilitatis vrbes *Antiochia*, *Ierusalem* ac *Nicæa*: etiam Prouinciæ, *Syria*, *Palestina* & *Græcia*, è quibus nouæ gratiæ seminaria pullularunt, abortiuis florentibus Italis, Gallis, Britonibus ab interno virore radicitus defecerunt. Taceo quod in ipsis, vt ita dixerim, quisquiliis Ecclesiarum tantæ abusiones inoleuerunt, vt in plerisque illorum regionibus, nemo ad presbyterium prouehatur, nisi primò coniugium sortiatur: vt de vnius vxoris viro, qui eligendus est, *Apostoli* sententia compleatur: cum idem dictum non de eo qui habeat & vtatur, sed de eo qui habuerit habitámque dimiserit, constantissimè Occidentalis Ecclesiæ auctoritate firmetur. Taceo quoque, contra consuetudinem Latinam, mariorum fœminarúmque, dignitatis etiam Christianæ personas indifferenter emi, ac si bruta animalia, distrahi: & longiùs à patria ad crudelitatis augmentum, vt gentilium fiant mancipia vendendas emitti.

1.Tim. 3. 2. Quî Apostoli illud intelligatur.

His denique omnibus præponderare videtur, quod Imperiali apud eosdem constat generaliter lege sancitum: quòd de omnium videlicet filiabus, concessa passim quasi pro iusto licentia, assumi debeant subituræ prostibulum. Verbi gratia: Ecce quis habet tres aut quatuor filias, vna earum ad lupanar exponitur: & de eo ipso tam putenti lucro, quod infelicium illarum est passione quæsitum, pars nescio quota miseri Imperatoris defertur ad fiscum; pars in sumptus eius quæ turpiter id meruit, retinetur. Ecce clamor in Domini Sabaoth aures nimis truculenter ascendens. Præterea sacerdotes quibus est sacramenta diuina tractare commissum, Dominicum corpus post prandia in locis, vt audiui, plerísque conficiunt: & ieiuno cuilibet absumendum porrigunt. Dum his & aliis similibus malitiarum modis exerrant, dum in suis adinuentionibus eunt, nouum constituit DEVS super eos legislatorem: *Vt sciant gentes quoniam homines sunt.* Et dum terminos patrum suorum scienter transgrediuntur, ad hoc meritò deuoluti sunt, vt pecoribus facti petulantiores, opprobrio habeantur. Sed aliquantisper edisserendum est, cùm Christiano cultui aliquando deseruisse noscantur Orientalium nationes, vt in Paganismum redierint, quo tandem auctore nitantur.

Nefanda Oriental. scelera.

Psal. 9. 21.

CAPVT III.

III. Mahometi dogmata. *De iisdē, & Mahometi origine vide Cedrenum, & Damascenum de heresibus, sub finem.*

PLebeia opinio est, quendam fuisse, qui si benè eum exprimo, *Mathomus* nuncupetur, qui quondam eos à Filij & Spiritus sancti prorsus credulitate diduxerit, solius Patris personæ, quasi DEO vni & creatori inniti docuerit, IESVM purum hominem dixerit: & vt breuiter eius dogma concludam, circumcisione quidem decreta; totius eis impudicitiæ laxauit habenas. Quem profanum hominem paruæ multum antiquitatis existimo: non ob aliud scilicet, nisi quia Ecclesiasticorum doctorum neminem contra eius spurcitiam scripsisse reperio. Cuius mores vitámque cum nusquam scripta didicerim, quę à quibusdam disertioribus dici vulgò audiuerim nulli debet esse mirum, si dicere velim. Frustra planè ab aliquo, si falsa an vera sint discutiatur, dum hoc solummodo attēdatur, quantus ille magister fuerit, de quo tam nobilium facinorum gloria propagatur. Securus enim quis de eo malè cantat, cuius malignitas quidquid praui dicitur transcendit & superat.

IV. Vnde suum hausit venenum.

Alexandrinum, quo nescio tempore, Patriarcham obisse constiterat: & vacans, vt assolet, Ecclesia sese multa animorum varietate disciderat: & dum quisque in eam quam affectat personam, liberiori voluntate protrahitur, erga eos qui diuersa sentiunt, acriori seueritate inuehitur. In quem ergo plurimæ consideratio partis incesserat, haud procul inde Eremita manebat. Quem, causa eius essentiam comperiendi, scientiā facundiámque noscendi, cùm crebrò quidam eorum argutiores inuiserent, ex eius confabulatione coniiciunt, eum intelligentiam Catholicæ fidei non habere concordem. Quo cognito, confestim penitus ab hominis quam ceperant electione desciscunt: & in maximo mœrore pro sui reprobatione constituunt. Contemptus igitur cum * modestia dilaceraretur atroci, quoniam non potuit ad id quod ambiebat assurgere, ad Arrij similitudinem meditari secum anxiè cœpit, quo modo effuso quod conceperat perfidiæ veneno, ad sui vltionem Catholica passim posset documenta peruertere. Tales namque homines, quorum tota intentio humanæ prona est laudi, letaliter feriuntur, intolerabile rugiūt, si æstimationem suam qualibet senserint occasione imminui. Hac antiquus hostis apud Eremitam suum oportunitate prouisa his miserandum dictis aggreditur: S*i*, inquit, *vis euidens repulsæ tuæ solatium, & multò maius quàm Patriarcha valeres habere magisterium, inter eos qui ad te proximè venient nota diligenter iuuenem tali veste, tali vultus & corporis habitudine,*

al. * mœstitia.

tali etiam nomine: hunc animis acrem, tuisque competentem moribus, eà doctrinà quæ cordi tuo adiacet imbue; hunc institutionum tuarum fidissimum auditorem, propagatorémque tuo magistratu prosequere.

Ille sollicitus hoc oraculo redditus prædicta sibi inter aduentantium cuneos circonspexit insignia; iuuenémque recognitum affectuosè tenuit, peste qua tabescebat imbuit; & quia pauper erat, & pauperi minus auctoritatis suppetebat, hoc ei statim modo diuitias procurauit. Ditissima quædam mulier viduitatem, obeunte marito, inciderat: eam sibi nuntio sordidissimus Eremita contraxit, & de coniugij iteratione submonuit. Illa cùm diceret, iuxta suæ statum honestatis non se præstò habere quem duceret; ipse intulit, se sibi aptum inuenisse prophetam; & eam, si sibi acquiesceret, per eius nuptias felicem omnino victuram. Multa mulierem circumlocutione præstringit; & ad præsens ei futurúmque sæculum affuturas prophetæ illius prouisiones pollicens, in amorem ipsius quem non nouerat hominis, femineum iecur exporrigit. Spe igitur omnium quæ fierent, & quæ fienda essent præcognitionis illecta, suo vati coniungitur; & pridem miser *Mathomus*, fortunis vndecunque micantibus, ad inopinatos fasces, forsitan non sine sui ipsius incredibili stupore, prouehitur. At cùm sæpius vtrorumque commercia lecti vnius vrna susciperet, Propheta cœpit egregius morbo epilepsiæ, quem *caducum* vulgò dicimus, aliquotiens acriter, prophetissa cernente, vexari; & euersis obtutibus, facie tabida, labiis spumantibus, dentium eius stridoribus ipsa terreri. Insperato hoc euentu perterrita, recurrit ad solitarium; quódque sibi accidit causatur infortunium: & animi prorsus ægritudine consternata, præoptare sibi fatetur interitum, quàm execrabile arreptitij subire coniugium.

Vidua ipsi ab eremita vxor adiungitur.

In epilepsiam incidit.

Innumeris itaque querimoniarum modis Eremitæ improperat, nequam sibi præbuisse consilium. At ille cùm incomparabili præmunitus esset astutia: *Desipis*, inquit, *fatua; dum id quod est claritatis & gloriæ, tu tuæ ascribis iniuriæ. An nescis, improuida; quia quotienscumque prophetarum mentibus* DEVS *illabitur, tota corporis humani massa concutitur, quia ferre non præualet carnis infirmitas, cùm ei se applicat diuina maiestas? Resipisce tandem, ne insolitis visionibus expauescas, beatásque sancti hominis tortiones gratanter attende, præsertim cùm eum tunc virtus spiritualis instituat, super his omnibus quæ sciri & fieri in futurum à vobis expediat.* His feminea leuitas releuata sermonibus, totum iam non modò tolerabile, sed etiam sacrosanctum & spectabile arbitrabatur, quicquid priùs fœdum ac despicabile putabatur. Interea per hæreticum Eremitam ad prophana dogmata homo ille, Diaboli fistulâ, imbuebatur; & ipsius quaqua versum præeunte præconio, propheta ab vniuersis creditur.

Mahometum vxor repudiandum dicit, sed eremitæ suasionibus deterretur.

Cúmque iam longè latéque in omnium opinionibus fama proficiente, clarescerer; & suis documentis circumiacentium ac remotarum prouintiarũ acclines populos conspexisset; communicato cum suo doctore consilio, legem scripsit, vbi suis sequacibus totius turpitudinis, per quod magis traherentur, frena remisit. Quo facto, infinitæ multitudinis vulgus aggregat: & vt magis vaga corda præmissa religione deciperet, triduo eis ieiunare imperat; & vt DEVM attentè postulent pro legis acceptione sollicitat. Hoc etiam eis signum dat: quia si DEO sibi legem dare placuerit, more eis insolito, & per manum, de qua non speratur, dabit. Interim *vaccam* habebat, quam ita manui suæ assuefecerat, vt quotiescumque aut eius vocem audiret, vel videret præsentiam, vix eam vis vlla teneret, quin ad eum intolerabili quadam auiditate concurreret. Factum igitur libellum cornibus animalis circumligat, & in tentorio quo versabatur illud occultat. Tertio denique die super omnem qui conuenerat populum eminens, tribunal ascendit, & declamare productis vocibus ad populum cœpit. Quæ cum, vt ita dixerim, summa aure verborum sonum attigisset, è tentorio subteriacenti confestim egreditur, & per medias coadunatarum gentium turmas, volumine cornibus imposito, ad pedes loquentis quasi cõgratulatura vacca contendit. Mirantur omnes, raptim volumen euoluitur, anhelanti turbæ exponitur; petulantia turpi lege permissa, gaudenter excipitur. Quid plura? oblati libri miraculum centuplicatis fauoribus celebratur.

Quâ astutiâ fert legem.

Propagatur vbique gentium quasi cœlitùs veniens; indifferenter coeundi noua licentia; & quantò magis pollutionum concessarum exuberat copia, tantò magis tacito fœditatis nomine, DEI remissiora tempora indulgentis prædicatur gratia. Tota Christianitatis censura conuitiis mille damnatur: & quicquid olim honestatis ac vigoris ex Euangeliorum tenore constiterat, crudelis vocatur acerbitas: at præceptum quod vacca detulit, generalis appellatur, & ipsa solùm à DEO commendata libertas. Non *Moysi* antiquitas, non Catholica nouitas reputatur: quidquid ante legem, sub lege, quicquid sub gratia, inexpiabili falsitate notatur: & vt Psalmo minus congruè vtar, *Deum non fecisse taliter omni nationi:* & iudicia sua nulli à sæculo alij manifestasse, cantatur. Profusior libidinis adimplendæ facultas, & bestialem

Psal. 117. 9.

iam superans appetitum, non coniugiorum A iam, sed scortorum numerositate voluptas, procreandorum liberorum superficie palliatur. Sed dum in his quæ quasi vsualia sunt, nequaquam fluxus naturæ restringitur; vsque ad ea quæ non conueniunt, nec nominari in nobis debent, brutis etiam pecoribus inexperta, concurritur.

Huius nefarię institutionis obscuritas Christianum tunc nomen obtexit; & adhuc * pertinentia penè vniuersi, Affricæ, Ægypti, Æthiopiæ, Lybiæ, & iuxta nos Hispaniæ remotissimos sinus oblitterat. Sed hunc tantum támque mirificum legislatorem quis B exitus de medio tulerit, dicendum est. Cùm subitaneo ictu epilepseos sæpè corrueret, quo eum superiùs diximus laborare, accidit semel dum solus obambulat, vt mobo elisus eodem, caderet; & inuentus, dum ipsa passione torquetur, à porcis in tantum discerpitur, vt nullæ eius præter talos reliquiæ inuenirentur. Ecce legifer optimus, dum Epicureum, quem veri Stoïci, CHRISTI scilicet cultores, occiderant, porcum resuscitare molitur, immo prorsus resuscitat, porcus ipse porcis deuorandus exponitur: vt obscœnitatis magisterium obscœnissimo, vti C conuenit, fine concludat. Talos iure reliquit, quia perfidiæ, ac turpitudinis vestigia, deceptis miserabiliter animabus infixit. Cuius talorum titulo exegimus tetrasticum iuxta Poëtam, *Aëre perennius, Regalique situ piramidum altius*: vt vir egregius omni iam porco felicior cum Poëta eodem dicere valeat: *Non omnis moriar, multáque pars mei vitabit Libitinam.* Quod est:

Manditur ore suum, qui porcum vixerat, huius
Membra beata cluunt, podice fusa suum. D
Cùm talos ori, tum quod sus fudit odori,
Digno qui celebrat cultor honore ferat.

Quod si *Manichæorum* sunt vera repurgia sectæ, vt in omni quod comeditur pars quædam maneat commaculata DEI; & dentium comminutione, & stomachi concoctione pars ipsa DEI purgetur; & purgata iam in Angelos conuertatur, qui ructibus & ventositate extra nos prodire dicantur: sues de huius carnibus pastas, quot credimus Angelos effecisse & magis hinc inde flatibus emisisse? Sed omissis iocularibus quæ pro sequacium derisione dicuntur, hoc est insi- E nuandum: quod non eum DEVM, vt aliqui æstimant, opinantur; sed hominem iustum, eundémque patronum, per quem leges diuinæ tradantur. Hunc cœlitùs assumptum astruunt; & solos talos relictos ad suorum fidelium monimentum, quos etiam infinita veneratione reuisunt: porcorum vero esum, iusta prorsus ratione, contemnunt, qui morsibus eorum dominum consumpserunt.

al. * per Orientis.

CAPVT V.

V.

HÆ igitur quas supra diximus gentes, postquam per longa tempora, post multas posteritates, error cœptæ Gentilitatis inualuit, cum Palæstinam, tum Ierosolymam ac sepulchrum Domini peruaserunt; Armeniámque, Syriam, partémque Græciæ, penè vsque ad illud mare quod *Brachium sancti Georgij* dicitur, obtinuerunt. Inter omnia Orientis regna *Babilonicum* imperium, ab antiquo præpotentissimum fuit, & regnis quampluribus imperauit: attamen *Parthorum* regnum, quos *Turcos* corrupto nomine vocitamus, in re militari, & equestri elegantia, animi etiam virtute, præpollet; sed terrarum amplitudine minus patet. Imperator itaque *Babilonicus* eas quas præmisimus prouincias magno exercitu occuparat; sed temporis processu, Turcorum emergente copia, Assyrijs euictis amiserat.

Hij igitur armis viuaciores, & consuetiùs vtentes audacia; dum Constantinopolitanum vrgerent imperium, & eidem vrbi penè obsidendæ viderentur irrumpere, *Imperator Græcorum* minis eorum frequentibus, & assiduis incursionibus tremefactus, misit in Franciam: scribens *Rothberto* seniori Flandrensium Comiti Epistolam: multiplices ei obiectans causas, quibus excitari eius animus posset ad defendendam periclitantem Græciam. Non autem ideò sollicitabat eundem virum, quòd tanto negotio, solius ipsius æstimaret sufficere posse concursum, licet ditissimus esset; & magnam valuisset conflare manum: sed quia non ignorabat, quòd si vir adeò potens idipsum aggrederetur iter, nostræ secum gentis auxilia plurima, pro sola nouitate rei contraheret. Fuit verò Comes isdem, quantùm sagax in rebus bellicis, tantùm perspicax & facetus in litteris. *Is Ierosolymam* orationis gratia aliquando profectus, forsitan *Constantinopolim* per uiam habens, cum ipso est Imperatore locutus, vnde & apud eum sumpta maiore fiducia, de adiutoriis est expetendis appulsus. Ipsam autem Epistolam, quam inserere opusculo isti omnino piguit, quædam ibidem dictorum, verbis tamen vestita meis, proferre libuit.

Petit Imperator Græcorum à Roberto Fland. Comite auxilia.

*De Ecclesiis querimonia est, quas siquidem Gentilitas euersâ Christianitate tenebat, in quibus equorum ac mulorum, cæterorumque animalium catabula construebat. Quod in tantum verum fuit, vt etiam fana sua, quæ Mathomarias vocant, inibi * instituerent, & infinitæ quoque turpitudinis commercia exercerent, vt*

Imperatoris Epistola.

al. * constituerent.

non iam Basilicæ, sed meritoria & scenæ fierent. Porrò de Catholicorum necibus frustra agerem: cum mortuis in fide, vita æternalis videretur instare concambium: superstites sub miseri iugo famulatus vitam gererent, ipsis, vt arbitror, mortibus acriorem. Virgines enim fidelium deprehensæ, publicum fieri præcipiebantur scortum: cùm nusquam pudori deferretur ac honestati coniugum. Matres corruptæ in conspectu filiarum, multipliciter repetitis diuersorum coitibus, vexabantur; cùm filiæ assistentes, carmina præcinere saltando nefaria inter huiusmodi cogerentur. Eadem statim passio, quod dici quidem & dolor & pudor est, reuoluebatur ad filias, quæ etiam fœditas obscœnis infelicium matrum cantionibus ornabatur. Totius denique nominis reuerentia Christiani, prostibulo tradebatur. Cùmque sexui fœminino, quod tamen excusari poterit, pro competenti natura non parcitur, in masculinum pecualitate transgressa, solutis humanitatum legibus, itur.

Vnde, vt vnius execranda & penitus intolerabili auribus maiestate flagitij, illa, quæ in mediocres & infimos, desurebat petulantia, panderetur, dicit quendam eos abusione Sodomitica* interuenisse Episcopum. *Et quomodo præceps, & omnibus omnino vesaniis præferenda libido: quæ semper consilij frontisque fugax perpetuo impetu agitur, & quo crebriùs extinguitur, eo viuacior flamma iterata succenditur: erga humana se temperet, quæ brutorum animalium inauditis, & ori Christiano vetitis commixtionibus sordet? Et cùm sit miseris permissa suo ipsorum arbitrio multiplicitas fœminarum, parum est apud eos, nisi & dignitas tantæ spurcitiæ volutabro commaculetur marium. Nec mirum si DEVS exoletam eorum nequitiam, & in clamorem versam impatienter tulerit: tantáque funestorum habitatorum execramenta, more antiquo, terra vomuerit.*

al.* intremisse.

Cum ergò de Constantinopolitana quam potissimùm verebatur, & quæ transito Sancti Georgij Brachio imminebat obsidione, multâ querelâ tractaret, inter cætera intulit: *Quòd videlicet si non alia subueniendi sibi videretur nobis occasio, saltem propter senos, quorum corpora ibidem tumulata habentur, Apostolos, ne ab impijs, aut incendio conflagrentur, aut in voragines demergantur, celeberrimam perhibet Ciuitatem omnimoda opitulatione dignissimam.* Et certè nihil verius. Vrbs enim illa, non modò Sanctorum illorum monimentis excellens; sed & auctoris merito & nomine præcluens: præsertim cum ex reuelatione superna, ex vetustissimo oppidulo eam toti mundo spectabilem, Romámque secundam fecerit, vniuersi, si fieri posset, Orbis concursu, & suffragio digna fuit.

Caput B. Ioannis Baptistæ Constantinopoli.

Sequitur demum post Apostolorum illationem, & dicit, *Apud se Beati Ioannis Baptistæ caput haberi:* quod quamuis falsò dicat: *hodiéque, ac si viuentis capillis, & cute videatur insigniri.* Quòd si verum est, quærendum apud *Ageriacenses* est Monachos, de cuius Baptistæ Ioannis capite glorientur: cùm pro certo habeamus; neque duos Ioannes fuisse Baptistas; neque vnum ipsum, quod dici nefas est, fieri potuisse bicipitem. Et considerandus etiam sub hac occasione, plurimus quidem, sed non perniciosus error, qui Gallicanas præcipuè, de Sanctorum corporibus obsedit Ecclesias: Istis illum, illis eundem, seu Martyrem, seu Confessorem se habere iactantibus: cùm duo loca non valeat occupare integer vnus. Quod totum contentionis malum inde sumit originem, quòd Sancti non permittuntur habere debitæ, & immutabilis sepulturæ quietem. Et planè ex pietate descendisse non ambigo, quod eorum corpora argento operiuntur & auro; sed iam euidenti & nimium turpi auaritiæ militant, & ossium ostensiones, & feretrorum, ad pecunias corrogandas circumlationes: quæ omnia desiuissent, si eorum, vt ipsius DOMINI IESV, forti apposito obice immobili clauderentur membra sepulchro. Sed his omissis sequentia attingamus.

Prolixiùs de his in tractatu de pigneribus Sanctorum lib. 1.

Nota: Non probat sac. reliquiarum ostentationes. Quare.

Præterea adijcit: vt, *Si non tanti cohibitio mali, si non præfatorum Sanctorum ad hoc ipsum eos animaret amor; saltem auri argentique, quorum innumerabiles illic habentur copiæ, cupiditas illiceret.* Infert denique & quiddam bonorum virorum frugalitati incompetens, vt videlicet, *Præter hæc vniuersa pulcherrimarum fœminarum voluptate trahantur:* quasi Græcarum mulierum species tanta esset, vt Gallicis modo quolibet præferrentur; soláque earum causa Francorum exercitus in Thraciam ageretur. Dum hæc sordidissimus ille Tyrannus ediceret, meminisse debuerat, quod ob hoc ipsum, hæc sibi suísque aduersitas potissimùm* ingeneret: quia edicto celebri, de pluribus vniuersorum filiabus, vnam per omne imperium suum prostitui iuberet; & fisco proprio lucrum fædissimæ passionis inferret. Nec minus illud, quod de pluribus filiis, vnum eunuchizari, data præcepti auctoritate, mandauerit: & corpora marium ademptis viribus eneruia ac effœminata reddiderit, quæ vsibus militiæ iam non habeãtur vtilia: immo ad detrimenti cumulum, abscidatur in ipsis propago futura, cuius incrementis sperari valerent contra hostes auxilia. Qui ergò damnauerit vltrò sua, iam quærere meritò cogitur aliena.

Quàm peruersa Imperatoris mens.

al.* ingrueret.

Sed attendendum etiam quòd is ipse Imperator non ex legitima purpuram successione susceperit: sed cùm de officialibus Palatij sub Principe, qui, nisi fallor, *Michaël* vo-

cabatur, esset; & cuidam portioni plurimæ A Occidentalium militum præesset, quos excellentiores apud Græcum Imperatorem, & ad eius custodiam magis contiguos ingenita eorum probitas fecit: collectâ ex subiectis militibus audaciâ, nouas res contra ipsum Principem moliri cœpit. Qui Constantinopolitana contra Imperatorem ciuitate persuasa, captum eundem luminibus ilicò feraliter priuat, & in quodam municipio arctæ custodiæ mancipat; & iura Imperij totius B expers iuris vsurpat. Qui Francos quidem, ea quam diximus necessitate compulsus, expetiit; sed postquam tantæ dignitatis proceres conuenisse adeò instructos modestia & armis, equites vidit, multitudini multum, sed multo amplius prudentiæ eorum inuidit. Ast vbi ad effectum eorum peruenit intentio, creuit huius contra nostrorum efficaciam inuidentiæ magnitudo: dum post Ierosolymitanam victoriam veretur, ne victricia in se arma retorqueant, præsertim cùm eo potiorem sibi æmulum, inter nationes nequaquam esse didicerant. Auditum tamen nobis constat, ante huius vitæ compertum primordia, matrem hunc habuisse sortilegam: quæ sibi sæpe prædiceret, quia ex Francis originem duceret, qui ei Imperium vitámque adimeret. Cuius oraculum ipsis effectibus explere forsitan *Boëmundus* affectat: qui tantopere illi insistit, vt sæpenumerò cum eodem confligens vertere terga compulerit; & plurimam prouinciarum eius partem suæ ditioni addixerit. Qui cùm genus ex Normannia ducat, quam Franciæ partem esse constat, ob hoc vel maximè Francus habebitur, quia Regis Francorum filiæ coniugio iam potitur.

Boëmundus duxit vxorem Regis Frācor. filiam.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

I. Vrbani Papæ præconia.

VRBANVS Papa, ante Papatum A *Odo* vocabatur, ex Francis claro germine oriundus, ex territorio & clero Remensi; & existens, vt ferunt, nisi falluntur, Papa primus ex Francis. Is Cluniaci factus ex Clerico Monachus, post Abbatem gloriosæ memoriæ qui adiuuit *Hugonem* non multo post rexit officium prioratus: inde proficiente merito, Ciuitati Ostiæ, *Gregorij* septimi Papæ iussu, destinatur Episcopus: ad extremum Apostolicæ sedi præficitur Pontifex summus. Cuius quanta magnanimitas extitit, huius profe- B ctionis incentiuo innotuit, quod dum primus ipse præbuit, quonam pacto id fieret, totus mundus obstupuit. Attestatur statui mentis, finis eius splendens miraculis. Defuncto etenim ac sepulto eo, sicut succedens ei *Ostiensis* scripsit Episcopus, cùm plurima signa iam fierent, adstitit quidam sepulchro illius iuuenis; & membrorum damnum sibi imprecatus est, si per Vrbani merita, qui Odo diceretur, signum vnquam factum fuerit ac fieret. Necdum pedem à loco extule- C rat, cùm officio sermonis amisso, & altero laterum paralysi intercurrente correpto, postridie, Vrbani virtutum testimonia mortuus ipse perhibuit.

Post mortem clarus miraculis.

Is itaque vir eximius cùm ab *Alexi* Græcorum principe magnis honoraretur exequiis: & precibus quidem, sed multo propensius generali Christianitatis periculo pulsaretur, quæ quotidianis Gentilium minuebatur incursibus: & Sarracenorum namque irruptionibus Hispanias audiebat sepissimè conturbari. Pro hoc ipso, suæ gentis sollicitaturus homines, commeatum facere destinauit in *Franciam*, Apostolicæ nempe sedis Pontificibus ab antiquo consuetudinarium fuit, si quam sunt passi à finitima gente molestiam, auxilia semper expetere à Francis. *Stephanus* & *Zacharias* Pontifices, vterque sub *Pipino* & *Karolo* Regibus confugium fecit ad ipsos: quorum prior, è Pontificibus sequentem, facta vsque Ticinum expeditione, Ecclesiæ suum patrimonium reparando, propriæ sedi restituit: *Desiderium* Regem qui violentiam intulerat, ad eorum quæ diripuerat redditionem sola armorum intentatione coëgit. Cæteris enim gentibus erga Beatum Petrum, ergáque pontificalia decreta, timoratiùs humiliúsque se habuit gens eadem: nec temeritate, quâ alij assolent, velamen maliciæ arripere contra Deum voluit libertatem.

Suppetias ab antiquo soliti sunt Romani Pontifices à Francis ex petere.

Vidimus iam annis emensis pluribus, Teutonicos, immo totius Lotharingiæ regnum, beati Petri eiúsque pontificum præceptis, Barbarica quadam obstinatione reniti: & ambientes malle aut diuturno siue sempiterno Anathemati subiacere, quàm subiici. Audiui anno præterito dum cum Archidiacono quodam *Magontino* super sua ipsorum rebellione congrederer, quòd Regem nostrum cum populo in tantum vilipenderit, ob hoc solum quia Dominum Papam Pas-

Francorū erga summum Pontif. deuotio continuata.

chalem cum suis Principibus gratè vbique susceperit, vt eos non modo *Francos* vocauerit. Cui inquam: *Si ita eos inertes arbitraris & marcidos, vt celeberrimum vsque in Oceanum Indicum nomen, fœdè garriendo detorqueas, dic mihi ad quos Papa Vrbanus contra Turcos præsidia contracturus diuertit? nonne ad Francos? hij nisi præissent & barbariem vndecumque confluentium gentium viuaci industria, & impauidis viribus constrinxissent, Teutonicorum vestrorum, quorum ne nomen quidem ibi sonuit, auxilia nulla fuissent.* Hæc ad illum.

Quàm firma perseueransque illorum fides.

Fateor verò, & omnibus credibile est, huic tanto, gentem istam Deum reseruasse negotio: præsertim cùm pro certo nouerimus, quia ex quo fidei signum, beato *Remigio* tradente, sumpserunt, nullius vnquam perfidiæ suscipere contagium vel ad horam adquieuerunt: quo vix, aut nullo modo, nationes aliquæ mundæ manserunt. Hij sunt qui dum adhuc sub errore gentili positi, Gallorum, sed Christianorum arua pugnaci intentione subigerent, nemini vnquam pro Christi fide aut pœnas intulerunt aut mortem: sed eos quos Romana seueritas ferro ignique punierat, auro argentóque recondidit, gemmis electróque contexit ingenita liberalitas gentis. Nec solùm intra se passos, his honoribus contendit ambire: sed & Hispaniis aut Italia seu quibuslibet gentibus aduectos, tantæ desiderio affectionis excoluit, vt Martyrum seu Confessorum, quos tantopere seruat, amor, & celebrem reddiderit & illustrem, fidesque irremisso tenore donauerit; ad extremum huius Ierosolymitanæ victoriæ triumphis extulerit. Quia enim portauit iugum ab adolescentia, sedebit solitaria: inter omnium videlicet gentium proprietates gens nobilis, prudens, bellicosa, dapsilis, ac nitida. Quibus proprium cum sit nomen; quarumquumque nationum homines, mutuato immo præstito ipsorum agnomine honorantur. Quos enim Britones, Anglos, Ligures, si bonis eos moribus videamus, non ilico *Francos homines* appellemus? Sed iam ad proposita redeamus.

CAPVT II.

II. Papa venit in Galliam conuocatque Claromonti Cócilium.

Papa igitur *Vrbanus* Regni nostri fines ingrediens, tanta vrbium, oppidorum, villarúmque lætitia & concursione excipitur, quantò omnium qui aduiuerent memoriis incompertum fuerat, quod aliquando Apostolicæ sedis Antistes in regiones has venisse videretur. Annus itaque incarnati verbi *millesimus nonagesimus quintus* properabat euolui, cùm Præsul idem, valde frequens accelerauit conuocare Concilium, cui tandem in vrbe *Aruernica*, scolasticissimo omnium præsulũ Sidonio gloriosa, dedit locum, cui tamen immutatæ *Claromonti* constat esse vocabulum. Quod fuit tanto celebrius, quanto excellentis & inusitatæ personæ ora cernere, verba audire erat desiderabilius.

A. D. MXCV.

Quot inibi Antistites.

Illic, præter Episcoporum & Abbatum examina, quos circiter quadringentos, per prominentes ferulas fuisse, aliqui numerauerant, totius Franciæ & appendicium comitatuum literatura confluxit. Erat ibi spectare quàm serena grauitate, ponderosa comitate præsideret, & vt præfati *Sidonij* verbis vtar: quàm *piperata facundia*, ad obiecta quælibet Papa dissertissimus detonaret. Notabatur quanta vir clarissimus modestia tolerabat, suas tumultuosè causas ingerentium, loquacitatem · quàm parum appreciabatur, nisi secundum Deum, cuiuspiam personalitatem.

Papæ facundia & æquitas.

III. Philippum Regem à piorum cætu eiicit.

Inde *Philipum* Regem Francorum, cuius trigesimus septimus tunc Regni recensebatur annus: qui propria, *Berta* nomine, vxore relicta, Andegauensis Comitis vxorem sibi, *Bertradam* vocabulo, deuinxerat, tanta auctoritate excommunicauit, vt intercessiones spectabilium personarum, & multiplicium munerum illationes contempserit· & quod intra Regni ipsius demorabatur limites non extimuerit. In hoc ipso Concilio, sicuti antequam ab vrbe digrederetur proposuerat, hácque de causa Francos expetiuerat, maximam ad sibi adsistentes concionem habuit: & inter cætera, quæ excessêre memorias auditorum, hac intentione disseruit. Eius enim scientiæ litterali, eloquentiæ cooperabatur agilitas: non enim minor ei videbatur in Latinæ prosecutione locutionis vbertas, quàm forensi cuilibet potest esse in materno sermone pernicitas. Nec altercantium multitudo, obtundebat concionantis ingenium; sed licet prædicabilium Grammaticorum elegantiis ambiretur, & causarum emergentium nebulis offundi videretur, & oratorum superexundare copias, ac sermonum quorumcumque facetias superequitare litterali luculentia putabatur. His ergò, etsi non verbis, tamen intentionibus vsus est.

Vrbani Pontif. oratio habita in Cócilio.

IV.

Si inter Ecclesias toto orbe diffusas aliæ præ aliis reuerentiam, pro personis locisque merentur; pro personis, inquam, dum Apostolicis sedibus priuilegia maiora traduntur: pro locis verò, dum Regiis vrbibus eadem quæ personis dignitas: vti est Ciuitas Constantinopolitana, præbetur: Illi potissimùm Ecclesiæ deberemus: ex qua gratiam redemptionis, & totius originem Christianitatis accepimus. Si enim verum constat quod à Domino dicitur, quia videlicet salus ex Iudæis est: *& Dominum Sabaoth*

semen nobis reliquisse constat, ne sicut Sodoma fimus, & Gomorræ similes fiamus: & semen nostrum CHRISTVS est, in quo salus & omnium gentium benedictio est: ipsa terra & Ciuitas in qua habitauit & passus est, scripturarum testimonio Sancta vocatur. Si enim hæc terra, DEI hæreditas & Templum sanctum, antequam ibi obambularet ac pateretur Dominus, in sacris & Propheticis paginis legitur: quid sanctitatis, quid reuerentiæ obtinuisse tunc creditur, cùm DEVS maiestatis ibidem incorporatur, nutritur, adolescit, & corporali vegetatione hac illácque perambulat aut gestatur? &, vt cuncta quæ longo verborum gyro narrari possunt, digna breuitate constringam, vbi Filij DEI sanguis, cœlo terraque sanctior, effusus est? vbi corpus, pauentibus elementis mortuum, in sepulchro quieuit, quid putamus venerationis emeruit? Si ipso Domino nostro recens interfecto, & à Iudæis adhuc Ciuitate possessâ, Sancta Ciuitas ab Euangelista vocatur, cum dicitur; Multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis. *Et à Propheta Isaia dicitur;* Erit sepulchrum eius gloriosum: *cùm ipsa sanctitas, ciuitati semel DEO ipso Sanctificatore per seipsum indita, nullo malo superueniente exinaniri valeat: & eodem modo indiuisibiliter sepulchri gloria constet: summis studiis, Fratres Karissimi, vobis elaborandum est, vt sanctitas ciuitatis, ac sepulchri gloria, quæ Gentilium frequentatione quantum in ipsis est crebrò polluitur: si ad auctorem illius sanctitatis & gloriæ aspiratis, si ea quæ in terra sunt vestigiorum eius signa diligitis, si expetitis: DEO vos præeunte, DEO pro vobis præliante, mundetur.*

Ioan. 4. 22. Rom. 9. 29. Iudæa terra sancta. Matt. 27. 53. Isaia 11. 10.

Si Machabæis olim ad maximam profuit pietatis laudem, quia pro cerimoniis & Templo pugnarunt: & vobis, ô milites Christiani, legitimè conceditur, vt armorum studio libertatem patriæ defendatis: si limina etiam Apostolorum, vel sanctorum quorumlibet, tanto sudore petenda putatis: quid crucem, quid sanguinem, quid monumentum eruere, quid visitare, quid pro his eruendis animarum precia impendere, detrectatis? Indebita hactenus bella gessistis: in mutuas cædes, vesana aliquotiens tela solius cupiditatis aut superbiæ causa, torsistis: ex quo perpetuos interitus, & certa damnationis exitia meruistis. Nunc vobis bella proponimus, quæ in se habent gloriosum Martyrij munus: quibus restat præsentis & æternæ laudis titulus. Ponamus modo in Ierusalem CHRISTVM neque mortuum, nec sepultum, nec ibidem vixisse aliquando. Certè, si hæc deessent omnia, solum illud, ad subueniendum terræ & ciuitati vos excitare debuerat, quia de Syon exierit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Si enim ex Ierosolymitano, quicquid Christianæ prædicationis est fonte manauit: riuuli, quaqua versum toto terrarum orbe dispersi, Catholicæ multitudinis corda retorqueant, vt solerter attendant quid fonti tam irriguo debeant. Si ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant, *iuxta dictum Salomonis: gloriosum vobis videri debet, si ei loco repurgium possitis impendere, vnde Baptismatis purgamentum, & fidei documentum vos constitit accepisse.*

Rationes quibus Christianos ad expeditionem Ierosol. arma induere adhortatur Pontifex. Eccles. 1. 7.

Et est vobis præterea summa deliberatione pensandum, si ipsam matrem Ecclesiarum Ecclesiam, vobis elaborantibus, ad Christianitatis cultum reflorere, DEO per vos agente, contigerit, ne forté contra propinqua Antichristi tempora ad fidem partes Orientis aliquas restitui velit. Perspicuum namque est, Antichristum non contra Iudæos, non contra Gentiles bella facturum: sed, iuxta etymologiam sui nominis, Christianos peruasurum. Et, si Antichristus ibidem Christianum neminem sicuti hodie vix aliquis habetur, inueniat, non erit qui sibi refragetur, aut quem iure peruadat. Iuxta enim Danielem, & Ieronymum Danielis interpretem, fixurus est in Olineti monte tentoria: & Ierosolymis, In Dei templo, tanquam sit Deus, *certum est, Apostolo dicente, quòd sedeat: & iuxta eundem Prophetam: tres Reges, Ægypti videlicet, Africæ, ac Æthiopiæ, haud dubium quin pro Christiana fide primos interficiat. Quod quidem nullatenus fieri poterit, nisi, vbi nunc Paganismus est, Christianitas fiat. Si ergo piorum præliorum exercitio studeatis, vt sicut ab Ierosolymis DEI notitiæ seminarium accepistis: ita illic mutuatæ redibitionem gratiæ restituatis: vt per vos nomen Catholicum propagetur, quod Antichristi Antichristianorúmque perfidiæ refragetur: quis non coniicere potest, quòd DEVS, qui vniuersorum spem exuberantiâ virtutis exuperat, per scintillam vestram tantæ paganitatis arundineta consumat, vt Ægyptum, Africam Æthiopiámque, quæ à nostræ credulitatis communione desciscunt, intra huius rudimenta legis includat: & homo peccator, filius perditionis aliquos rebelles inueniat?*

Antichristus tantùm Christianos persequetur. 2. Thess. 2. 4. Dan. 7. 24.

Et ecce Euangelium clamat Ierusalem calcandam à Gentibus, donec impleantur nationum tempora. *Bifariàm intelligi possunt* tempora nationum, *aut quia Christianis dominatæ sunt ad placitum, & pro suis libidinibus turpitudinum omnium volutabra sectatæ sunt, & in cunctis his nullum obicem habuerunt: tempus enim suum habere dicuntur quibus ad votum cuncta suppetunt, vt est illud:* Tempus meum nondum aduenit; tempus autem vestrum semper paratum est: *vnde & voluptuosis solet dici,* vos habetis tempus vestrum. *Aut rursus,* Tempora nationum *sunt plenitudines Gentium, quæ antequam Israël saluus fiat, subintraturæ sunt. Hæc tempora, Fratres Karissimi, modo forsitan implebuntur, dum per vos,*

Luca 21. 24. Ioan. 7. 6.

DEO cooperante, Paganorum potentia repellentur: & fine sæculi iam propinquo, & si gentes desinent conuerti ad Dominum: quia iuxta Apostolum, Oportet fieri à fide discessionem. *Primùm tamen necesse est, iuxta Prophetas, ante aduentum Antichristi, in illis partibus, aut per vos, aut per quos DEO placuerit, renouari Christianitatis imperium: vt omnium malorum caput, qui ibidem Regni thronum habiturus est, fidei aliquid contra quod pugnet reperiat nutrimentum.*

2. Thess. 23.

Cogitate itaque apud vos, quòd vos Omnipotens ad hoc fortasse prouideat, quatenus Ierusalem per vos à tanta conculcatione restituat. Rogo, perpendite quibus cordibus gaudia illa poterunt concipi, cùm Sanctam Ciuitatem vestro adminiculo viderimus suscitari; & prophetica nostris temporibus, immò oracula diuina, compleri. Moueat memoriam vestram quod voce ipsius Domini ad Ecclesiam dicitur: Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. *Semen nostrum DEVS adduxit ab Oriente, quia duplici modo Orientalis illa prouincia edidit primitiua incrementa nobis Ecclesiæ. Sed ab Occidente eam congregat, dum per eos qui vltimi, fidei documenta cœperunt, Occidentales scilicet, (quod per vos, præstante DEO, fieri posse putamus,) Ierosolymitana damna restaurat.*

Isaia 43. 5.

Si scripturarum vos non excitant dicta, nec nostra vestros animos penetrant monita; excitet saltem vos, eorum qui sancta loca adire desiderant magna miseria. Perpendite eos qui peregrinantur, & per mediterranea illuc vadunt: siquidem opulentiores sunt, quantis redhibitionibus, quantis violentiis subiacent, dum penè per singula miliaria pensiones coguntur, & tributa dependere; per quasque Ciuitatis portas, per Ecclesiarum, & templorum ingressus redemptiones exsoluere: ad quasque de locis ad loca demigrationes, inflicta qualibet accusatione, ad redemptionem compellere? dare verò munera detrectantes, quomodo Gentilium præfecti consueuerint, verberibus truculenter vrgere? Quid de his dicturi sumus, qui nihil prorsus habentes nudæ fiducia paupertatis, dum nil præter corpora videntur habere quod perdant, iter illud arripiunt? Dum ab eis pecunia, quæ non est, suppliciis intolerandis exigitur: dum callos talorum, ne fortè quippiam ibi insuerint, dissecando ac reuellendo rimantur: crudelitas nefandorum ad hoc vsque perducitur, vt aurum vel argentum miseros absorbuisse putantes, aut data in potum scamonia, vsque ad vomitum, vel etiam eruptionem eos vitalium vrgent: vel ferro, quod dici nefas est, discissis ventribus, intestinorum quorumcumque inuolucra distendentes, quidquid habet natura secreti, horribili concisione aperiunt. Recolite, precor, eorum milia qui detestabiliter perierunt: & pro sanctis locis agite, vnde vobis pietatis rudimenta venerunt, ante vos, in sua bella mittendos, Christum fore signiferum indubitanter credite, & præcursorem indiuiduum.

V.

Crux militum vestimentis affigitur.

Perorauerat vir excellentissimus, & omnes qui se ituros vouerant, Beati Petri potestate absoluit; eadem, ipsa Apostolica auctoritate firmauit: & signum satis conueniens huius tam honestæ professionis instituit, & veluti cingulum militiæ: vel potiùs militaturis DEO, passionis Dominicæ stigma tradens, crucis figuram, ex cuiuslibet materiæ panni, tunicis, byrris & palliis iturorum, assui mandauit. Quòd si quis, post huius signi acceptionem, aut post euidentis voti pollicitationem, ab ista beneuolentia, praua pœnitudine, aut * aliquorum suorum affectione resiliter, vt exlex perpetuò haberetur omnino præcepit, nisi resipisceret, idémque quod omiserat fœdè repeteret. Præterea omnes illos atroci damnauit anathemate, qui eorum vxoribus, filiis, aut possessionibus, qui hoc DEI iter aggrederentur, per integrum triennij tempus, molestiam auderent inferre. Ad extremum, cuidam viro omnimodis laudibus efferendo, *Podiensis* vrbis *Episcopo*, * cuius nomen doleo quia neque vsquam reperi, nec audiui, curam super eadem expeditione regenda contulit; & vices suas ipsi, super Christiani populi quocumque venirent institutione, commisit: vnde & manus ei, more Apostolorum, datâ pariter benedictione, imposuit. Quod ille quàm sagaciter sit executus, docet mirabilis operis tanti exitus.

al. * aliqua.

* *Ademarus siue Aymarus nuncupabatur.*

CAPVT III.

VI.

TErminato itaque Concilio, quod *Claromonti* habitum, circa Beati Martini octauas, Nouembri mense consederat, magnus per vniuersas Franciæ partes rumor emanat: & quisque ad quem primo Pontificis præceptum, præuolans fama detulerat, de proponenda *Via DEI*, (sic enim Antonomasicè vocabatur) contiguos sibi ac familiares quosque sollicitat. Iam Palatinorum Comitum pruriebat intentio, & mediocritas equestrium virorum parturire iam cœperat: cùm ecce, pauperum animositas tantis ad hoc ipsum desideriis aspirauit, vt eorum nemo de censuum paruitate tractaret, de domorum, vinearum, & agrorum congruenti distractione curaret; sed optimos possessionum quæstus, multo pauciori precio venditaret, quàm si eorum quemque ferocissimæ captiuitatis carcer includeret, qui necessitatem celerrimæ redemptionis indiceret. Erat ea tempestate, pro generali defectione, frugum etiam apud ditiores magna

Via Dei expeditio Ierosolymitana.

penuria; cùm etsi aliquibus passim emenda suppeterent, nulla tamen aut vix aliqua vnde emerentur haberent. Iam inopum greges addidicerant herbarum sponte nascentium victitare radicibus, dum panis rarissimi parcitatem, quæsitarum vndecumque escarum edulio propensiore compensant. Imminebat planè etiam potentiorum obtutibus omnium æstimatione conclamata miseria: & dum singulus quilibet, vulgi minimi per crudelem inediam considerat torsiones, indicta sibi parsimonia magnis elaborarè sudoribus metuit, ne sumptu facili dilapidentur opes. Auarorum sitibunda præcordia, qui tempora lætabantur cruentis arridere fœnoribus, dum modios diu seruatæ frugis intendunt, crebris annorum numerare recursibus pensant, quid superaddere possint, ea vendita, cumulandis pecuniarum montibus.

Interea dum illi cruciantur, hij ambiunt, repente *In spiritu vehementi conterens naues Tharsis*, per omnium penè animorum aures CHRISTVS intonuit, & is qui educit vinctos in fortitudine adamantina, quibus irretiebantur desperatorum hominum corda, cupiditatis vincla disrupit. Cùm enim, vt superius dixi, illud minus fertile tempus omnium substantias coartaret, dum ad spontaneum innumerabiles animasset exilium, diuersæ plurimorum copiæ deferuntur in medium; & quæ cara videbantur dum nullus mouetur hominum, commotis ad hoc iter omnibus, vili præcio traduntur venum. Cúmque multi negotium huius profectionis accelerant: vt vnicæ rei exemplo eorum quæ vendebantur subitas & insperatas vilitates exprimam: quod insolitum dictu est, quinque denariorum pretio, septem distrahebantur oues. Frumentorum illa defectio, vertebatur in copiam: & dummodo suppetat cuique quantulamcunque quoquo pacto congregare pecuniam, dat quidquid habere videtur, non pro sua, sed pro taxatione ementis, ne DEI posterior aggrediatur viam. Erat itaque ibi videre miraculum, carò omnes emere, & vili vendere: carò quidem, quæ ad vsum deferrentur itineris, dum præproperant; vili verò, dum sumptuum impendia coaggerant: & quæ paulo ante nec carceres nec tormenta ab eis extorquere poterant, breui nummorum numero cuncta constabant.

Psal. 47. 8.

Nec illud minus ridiculum, quod hij plerumque, quos nulla adhuc eundi voluntas attigerat, dum hodie super omnimoda aliorum venditione cachinnant; dum eos miserè ituros miseriúsque redituros affirmant, in crastinum repentino instinctu pro paucis nummulis sua tota tradentes, cum eis proficiscebantur quos riserant.

Quis pueros, quis dicat anus ad bella moueri?
Quis quit virgineas annumerare manus?
Quis referat senium trepida grauitate fatiscens?
Bella canunt omnes, nec se pugnare fatentur.
Martyrium spondent, gladijs vel colla daturos.
Vos iuuenes, aiunt, manibus tractabitis enses;
At nos hic liceat CHRISTVM tolerando mereri.

Licet enim æmulationem DEI habere viderentur, sed non secundùm scientiam, tamen DEVS qui multa vanè cœpta ad pium intorquere consueuit finem, simplicibus illorum animis comparauit, ex sua ipsorum bona intentione, salutem. Videres mirum quiddam, & planè ioco aptissimum, pauperes videlicet quosdam bobus biroto applicitis, eisdémque in modum equorum ferratis, substantiolas cum paruulis in carruca conuehere; & ipsos infantulos, dum obuiam habent quælibet Castella vel vrbes, si hæc esset Ierusalem, ad quam tenderent rogitare.

VII. Cum cuncta bello arderent, actutum, indictâ à summo Pontifice expeditione Ierosolymit. fuere extincta.

Erat eo tempore antequam gentium fieret tanta profectio, maximis ad inuicem hostilitatibus totius Francorum Regni facta turbatio; crebra vbique latrocinia, viarum obsessio; passim audiebantur, immò fiebant incendia infinita; nullis præter sola & indomita cupiditate existentibus causis extruebantur prælia; & vt breui totum claudam, quicquid obtutibus cupidorum subiacebat, nusquam attendendo cuius esset, prædæ patebat. Mox ergo & mira & incredibili ob insperabilitatem, animorum immutatione commoti, signum Pontificis prædicti præceptione indictum, Cruces videlicet, ab Episcopis & Presbyteris sibi precantur imponi. Et sicuti rapidissimi venti impetus solet non magna pluuiæ vnda restringi; ita ilico contigit ad inuicem simultates vniuersorum & bella sopiri, per inditam sibi aspirationem, haud dubium quin CHRISTI.

CAPVT IV.

Petrus Eremita, dux exercitus.

PRincipibus igitur, qui multis expensis & magnis obsequentium ministeriis indigebant, sua morosè ac dispensatiuè tractantibus, tenue illud quidem substantiâ, sed numero frequentissimum vulgus, *Petro* cuidam *Eremitæ* cohæsit; eique interim, dum adhuc res intra nos agitur, ac si magistro paruit. Quem ex vrbe, nisi fallor, Ambianensi ortum, in superiori nescio qua Galliarum parte, solitariam sub habitu Monachico vitam duxisse, comperimus: vnde digressum, qua nescio intentione, vrbes & municipia prædicationis obtentu circumire vidimus;

Per Galliam verbum Dei disseminat.

Ipsius vitæ genus.

vidimus; tantis populorum multitudinibus A vallari, tantis muneribus donari, tanto sanctitatis præconio conclamari, vt neminem meminerim similem honore haberi. Multa enim fuerat, ex his quæ sibi dabantur, dilargitione erga pauperes liberalis: prostitutas mulieres non sine suo munere maritis honestans, in discordibus vbique paces & fœdera, mirâ auctoritate, restituens. Quidquid agebat namque, seu loquebatur, quasi quiddam subdiuinum videbatur, præsertim cùm etiam de eius mulo pili pro reliquiis raperentur: quod nos non ad veritatem, sed B vulgo referimus amanti nouitatem. Lanea tunica ad purum, cucullo super vtrisque talaribus, byrro desuper induebatur; braccis minimè, nudipes autem: Pane, vix pisce numquam vino alebatur.

Pili ex eius mulo pro Reliquiis extrahebantur.

Is itaque vir, partim opinione, partim suo monitu cum immanem conflasset exercitum, per *Hungarorum* terram delegit abire. Quorum Regiones cùm earum rerum quæ ad alimentum pertinet opulentissimas, idem vulgus indocile reperisset, cœperunt luxuriis enormibus contra indigenarum mansuetudinem debacchari. Cùm enim plurimo- C rum annorum segetes triticeas, vt in ea terra moris est, in modum turrium per agros stabilitas cernerent, quas nos *metas* vulgariter vocare solemus; cùm carnium diuersarum aliorúmque victualium, quorum illa feracissima tellus est, copiæ suppeterent, non contenti humanitate eorum, mirâ dementiâ, ipsi alienigenæ cœperunt conculcare gentiles: & cum idem, vt pote Christiani Christianis venalia cuncta gratanter ingererent, ipsi, libidinis impatientes, piæ hospitalitatis ac beneficentiæ immemores, D bello gratis eos aggrediuntur: dum illos opinantur nihil ausuros contra, ac penitus futuros imbelles. Rabie igitur execranda, publicis quos diximus horreis per eos ingerebatur incendium: puellis eripiebatur, violentiâ allatâ, virginitas: dehonestabantur coniugia, crebris raptibus fœminarum: vellebant, siue vstulabant suis barbas hospitibus: nec iam de emendis vsui necessariis quippiam tractabatur: sed quisque eorum, prout poterat, rapinis & cædibus nitebatur: sic se acturos mirâ lasciuiâ contra Turcos li- E berè minabantur.

Militum dissolutiones per Hungariã proficiscentium.

Castrum quoddam interea habuêre peruium, cuius nullo modo poterant euitare transitum: is enim terræ situs est, vt in modum angiporti nequaquam ad dexteram vel sinistram pateat diuerticulum. Ipsum solitâ insolentiâ obsidere aggressi sunt, sed cum propè capiendum esset, repentè, non curo quo euentu, ita obruti sunt, vt pars gladiis occumberet, partem fluuialis vnda submergeret: pars sine vllis stipendiis, immò turpi pauperie, magis autem pudore, in Franciam consumpta rediret. Et quia idem castrum *Moyssonem* vocabant, & reuersi ad suos *ad Moyssonem vsque* se fuisse dicebant: magnâ omnium irrisione excepti sunt.

IX.

Petrus autem cùm illud indisciplinatum vulgus, vtpote mancipia & publica seruitia, nullis hortamentis cohibere valeret, cum Allemannorum aliqua frequentia & nostrorum fæce residua, quâ potuit inde prouisione elapsus, in Kalendis Augustalibus *Constantinopolitanam* attigit vrbem. Sed hunc eius aduentum, Italorum, Ligurum, Longobardorum, cum Transalpinarum videlicet partium hominibus magnum præcesserat agmen, qui eius & cæterorum Franciæ Principum ibidem decreuerant præstolari Comitiam: non enim eam arbitrabantur se habere militiæ frequentiam, vt Græcorum auderent, contra Turcos exituri, præterire prouinciam. *Imperatoris* autem edicto iussi sunt omnium quæ vendebantur in vrbe, vti vellent, habere commercia: sed *Brachium Sancti Georgij*, quod à Turcorum partibus limitaneum erat mare, ipsius principis consilio vetiti sunt transmeare: quia paucos innumeris perniciosum dixerat obuiare.

Francorum insolentia.

At ipsi nec prouincialium sunt humanitate detenti: nec imperatoria vllatenus affabilitate molliti: sed nimis insolenter agebant: vrbis palatia deuoluebant: publicis ædibus ignes subiiciebant; & detectis Ecclesiis, quæ plumbo operiebantur, plumbum idem Græcis venale præbebant. Hac Imperator tam fœda præsumptione turbatus, præcepit procrastinatione remota, vt memorati Brachij æquora transmearent. Cui freto transpositi, eadem, quæ citra egerant, nequaquam vltra iterare cessabant: & qui contra Paganos voto certamen insumpserant, passim Ecclesiarum excidiis, Christianorum inuolando substantiis, contra nostræ fidei homines factorum immanitate pugnabant. Dum enim nullius experiuntur seueritatem Regis, qui iudiciali deuios vigore retorqueat, nec diuinæ reuerentiam concipiunt legis, quæ mentium leuitatem matura recogitatione deprimat, repentino prolabuntur interitu, quia *indisciplinatis mors obuiat, & quidquid pensi moderatique nihil habet, parum durat.*

CAPVT V.

X.

TAndem *Nicomediam* attingentes *Itali, Longobardi, & Alemanni* Francorum impatientes superbiæ diuelluntur ab ipsis. *Franci* namque, iuxta naturam nominis, magnæ quidem sunt titulo viuacitatis

insignes; sed, nisi rigido frænentur dominio, inter aliarum gentium turbas, sunt iustius æquo feroces. Transalpini itaque, quos prædiximus diremptos à Francis, *Rainaldo* quodam sibi Duce creato, eam quæ dicitur *Romania* prouincia, intrauerunt: & quatuor dierum itinere Nicomediam prætergressi, inter eundum castrum offendêre quoddam, quod auctori placito nomine vocatur *Exorogorgum*: quod habitatorum suorum omnium vacuatum præsidio, sine mora turbæ patuit influenti. Incolæ autem profugerant, superuenientium timore extrusi; & dum de sua ipsi salute desperant, de substantiarúmque suarum copiis, quæ plurimæ erant, transponendis omnino non curant. Vnde, multam victualium opulentiam ibidem reperientes, ad plenum fuêre refecti.

Conflictus cum Turcis, qui plures è Christianis interficiũt.

At *Turci* comperientes Christianos obtinuisse castellum, magnâ illud obsidione cinxerunt. Ante municipij portam puteus, & subter idem, non longè à mœnibus, profluebat alter, vbi positis ipse Dux eorum *Rainaldus* insidiis, Turcos quasi callidus obseruabat. Nec mora, qui obseruabantur occurrunt; eâque die, qua *beati Michaëlis* memoria celebratur, peruaso cum suis Comitibus Duce, plurimos ex eis qui sibi insidiabantur interimunt; alios Castri munimenta turpiter subintrare compellunt. Quod illico Turci circumuallantes tantâ incursione presserunt, vt hauriendarum facultate, penitus obsessi, priuarentur aquarum. Ibi fuit tanta sitis ariditas, vt flebotomo equis suis asinísque illato, animalium cogerentur haurire cruorem: Alij, in piscinam zonas demittentes atque pannniculos, eaque in os exprimendo suum, remedij sibi aliquid contrahere videbantur: Alij, quod horrori est dicere, idipsum quod minxêre bibebant: Alij fodiebant, & se intra id quod foderant immergentes, arentia pectorâ terra ipsâ recens fossâ operiebant; sic interiorem æstum suum temperare aliquantulo humore se posse credebant. Sed Episcoporum Presbyterorúmque præsentium, idemque patientium, non ibi defuêre solatia, qui quantò videbant atrociora pericula, & humana negari auxilia, tantò magis eis, ne deficerent, satagebant spondere cœlestia.

Aquæ penuria in castris ipsorum.

Hæc octo dierum spatio apud illos perseuerauit angustia: interea dum vni pariter videntur subiacere miseriæ, non vni tamen omnes pariter suspirant DEI misericordiæ; sed potius machinantur sibimet, hij qui duces extiterant, præsidium perfidiæ. *Rainaldus* etenim, qui eis in prosperitate præfuerat, clam sibi Turcos fœdè conciliat: pactus eisdem quòd totius militiæ comitatum sibi proderet quem regebat. Egreditur itaque ad illos quasi pugnaturus; sed in ipsa dirigendæ aciei affectata specie, cum multis suorum profugit ad ipsos, perpetuò remansurus: Residuos, est captiuitas consecuta. Quibusdam eorum captis de sua fide est facta discussio; CHRISTVMQVE negare iubentur: sed CHRISTVM inflexibili amore, animo & voce fatentibus capita amputantur.

Dux Rainaldus abiecta fide cum Turcis fœdus init, eisdemque suum tradit exercitum.

Et veterum similes modò CHRISTVS habebit honores,
Martyribus decorans sæcula nostra nouis.
Quam redolente ferunt insignia tempora lauro,
Qui breue quid, secto ferre parant iugulo.
Dixero felices, qui per momenta tulêre
Hos tenet æternum viuere certa fides.
Iam fæces nostras non desperare licebit,
Ausas quod cuiquam vix imitabile sit.

Captiuorum alios, datâ viuendi, immò morosiùs moriendi, indulgentiâ, sed magis violentiâ, inter se diuidunt, funesta sub cruentis dominis exhibituros seruitia: Quosdam alicubi prostituentes, quasi ad signum, sagittis iaculantur: alij quasi pro donatiuo dabantur; alij vendebantur. Quibus dati fuerant, in proprias abducebant eos sedes: alios in eam quam *Corozaniam* dicunt Regionem: alios ad *Antiochenam* pertrahunt vrbem, miseram pro qualitatibus scelestissimorum dominorum passuros seruitutem.

Cruciantur Christiani.

Hos in supplicium fateor diuturnius isse;
Quàm quibus ad subitum mucro caput tulerit.
Hunc agitat crudelis herus, duróque labori.
Mancipat: ingrato seruit vbique pius.
Vapulat officiosus nec tormenta fideli
Desunt, quo studio commodiore gerit.
Quod videt aut audit, quem transfigit indies actum,
Quod cælebs est ad turpia fit sibi crux
Hos ego non dubitem satis atrius excruciari,
Quàm queat equuleus per spatium tridui.

Hos primos nouitati nostræ, & desperato propè huius vitæ nostræ statui Martyres fecit DEVS.

Petrus ille interea qui à nobis supra expositus est, de multâ comitum suorum vecordiâ, sæpe vexatus, & crebra strage confusus, tandem cuidam Transequano, & cogniti generis viro, armis quantum ad se strenuo, nomine * *Gualterio*, primatum suæ gentis dederat: vt quos documentis distinere non poterat, ille saltem militari autoritate restringeret. Is itaque *Ciuizum*, ciuitatem quandam, quæ Niceæ vrbi, secundùm positionem loci, præminere dicitur, cum suo illo dementi exercitu properabat attingere.

al. * Gualtero.

al. Cizicum.

Quod *Turci*, nostrorum vestigia aucupantes vbi comperiunt, illuc cum multa pessimæ voluntatis auiditate contendunt. Euntes igitur præfatum *Gualterium* cum sua frequentia, medio itinere offendunt; eúmque cum suorum plurima parte interimunt. *Petrus* verò, quem *Eremitam* agnominant, dum vesaniam eius, quam conglomerauerat, gentis compescere non valeret, *Constantinopolim* prouidè secesserat, quia ipsorum effræni & incircumspectâ leuitate inuolui metuerat. Turci ergò in eos inopinatè effusi, quosdam dormientes reperiunt; alios non modò armis, verum etiam nudos vestimentis inueniunt; quos pariter continuò neci tradunt. Inter eos Presbyterum quemdam reperiri contigit Missas agentem, quem in ipsa sacrorum statim confectione mortificant; & dum immolat DEO, ipsum eundem coram eius altari sacrificant.

Presbyter sacra faciens occiditur.

Quæ ferri potuit gratior hostia,
Quàm cuius Domino fit caro victima?
Quid tunc corde precum fudit ab intimo,
Cùm grandi streperent prælia classico?
Victores lacerant, arma retinniunt:
Mœrens exululat turba fugacium.
Aras ambierat Presbyter optimus,
Complecténsque DEI sacra medullitus,
IESV, dixit, *ades præsidium bone:*
Cùm te iam teneam spes pereat fugæ:
Iungam perpetuò iam tibi fœdera.
Occidor: perages cœpta DEVS sacra.

At verò si qui euadere potuerunt, *Ciuizene* vrbi sese fugientes inferunt. Alios, quos tueri fuga non valuit, præcipitium maris absorbuit: dum satius eis est mortem eligere, quàm inferenti succumbere. Alij montana petentes fouebantur in rupibus: alij delituêre per syluas. Nec mora, Turci correptis his aut punitis quos extra repererant, eos aggrediuntur, & obsidione concludunt qui in castrum confugerant, in tantum, vt ad succendendum idem castellum ligna conueherent. Quibus deinceps hij qui obsidebantur ignem subiiciunt; & DEO iudice, dum eos qui intus erant Turci æstimant concremandos, tota vis ignium concessit in Turcos, & ex eis consumpsit aliquos; nullatenus autem nostrorum attigit vllos. Instantibus deinde illis, municipium capitur; viui, quos quærebant, comprehenduntur: idémque, vti pridem de aliis egerant, dispertiuntur; & ad eas, vnde hostes venerant, prouincias, perpetuò futuri exules, destinantur. Hæc vt dicta sunt, mense peraguntur Octobri.

At perfidus *Imperator*, comperto fidelium infortunio, nequam elatus lætitiâ, facultatem residuis iubet attribui, transito videlicet *sancti Georgij Brachio*, in citerioris Græciæ partes regredi. Retrogressos cùm in suæ ditionis terra vidisset, arma vt sibi eorumdem venderentur, iure iam necessitatis, exegit. Comitiæ *Petri* Eremitæ talis fuit exitus: cuius historiam ideo sine alterius materiæ interstitio prosecuti sumus, vt eam aliis nullam impendisse opem, sed Turcis addidisse audaciam monstraremus. Nunc itaque ad eos quos omiseramus, qui eadem, quâ Petrus præcesserat, subsecuti sunt viâ, sed longè feliciori modestia, reuertamur.

CAPVT VI.

XII. De Godefrido, qui duobus cum fratribus, Ierosolymam valido exercitu cōflato pergit.

DVx *Godefridus*, Eustachij Boloniensium Comitis filius, duos habuit fratres, *Balduinum*, qui Edessenæ vrbi præfuit, & post ipsum fratrem, Rex effectus Ierosólymæ, nunc vsque regnat: & *Eustachium* qui paterno comitatui præest. Hij patrem habuerunt potentem, & sæcularis ingenij virum: sed & matrem literis quidem, nisi fallor, eruditam, & ex Lotharingis ingenuè admodum oriundam: sed potissimùm ingenita serenitate, & magna erga DEVM animi deuotione præstantem: cuius diutinæ religioni tam spectabilium debebantur, vt credimus, gaudia filiorum. Illi planè, de quo loqui adorimur, *Godefrido*, ex materna hæreditate apud Lotharingos ducatus accesserat. Hij tres, à matris nequaquam simplicitate degeneres, cùm multa armorum gloria: tùm modestia non minore floruerunt. Solebat narrare gloriosa mulier, cùm huius profectionis exitum & filiorum suorum miraretur euentum, quoddam se audisse ex ore filij ducis tale præsagium, multo antequam fieret aliquod peregrinationis initium. Dicebat namque se desiderare proficisci Ierosolymam, & hoc non simpliciter, vt alij; sed cum violentia exercitus, si sibi copia suppeteret, magni. Cui secundum diuinum, à quo intuebatur, instinctum, mirabilis super hoc postmodum opportunitas arrisit.

Tres itaque hij, maximis quos habebant oblitis honoribus, perrexêre. Sed quò cæteris fratribus prudentior, eò Godefridus Dux extitit militiâ numerosiore potentior. Huic adiungitur *Balduinus* Comes de Montibus, *Rothberti* Flandrensis Comitis iunioris patrui filius. Cum nobili igitur rerum equestrium pompa & spectabili fortissimorum iuuenum frequentia, *Hungarorum* ingrediuntur terram: habentes tamen eam, quam Petrus tenere non valuit, erga suos milites disciplinam: & duobus ante Domini Natale diebus, primi ante omnes Franciæ Principes, vrbem attigêre *Constanti-*

nopolitanam, sed hospitati sunt extra ipsam. A

At perfidus Imperator territus, audito clarissimi Ducis aduentu, detulit ei reuerentiam; sed minis extortitiam: præbens ei pro mœnibus, in burgo videlicet vrbis, commanendi licentiam. Hospitio itaque ad imperium Imperatoris accepto, ad contrahendas vndecunque paleas equísque necessaria, Dux & quique suorum, armigeros proprios destinabant. Et cùm arbitrarentur licitè ac securè se discurrere posse quo vellent, clam Princeps ille nequissimus, his qui circa se versabantur imperat, vt Ducis ministros, quocumque peruadere possent, indifferenter occiderent. Quod vbi Balduino, Ducis fratri compertum est, obtendit insidias; & cùm suos reperisset Turcopolitarum violentiâ molestari, acerrimè eos, vti decebat, aggreditur: & DEO prosperante, tanta victoria potitur, vt ex eis, sexaginta comprehensis partim occiderit, partim Duci fratri obtulerit. Hæc ad impij Imperatoris vbi deuenêre notitiam, multa animaduersione torquetur. Quo eius motu cautior sibi redditus Dux, burgo vrbis, quo successerat, cessit; & extra fines eius castra figit. At Princeps, illati doloris non immemor, cùm dies esset acclinis ad vesperum, directo eo quem cogere poterat exercitu, Ducem cum sua gente ad bella lacessit. Quos Dux vehementi excepit instantia, & in fugam pulsos, persequendo coëgit in vrbem: septémque peremit eorum. His ita feliciter actis, Dux ad sua castra rediuit: ac per quinque dies resedit ibidem, donec ipse Imperatórque confœderarentur ad pacem. Sed sibi timidus Princeps exegit à Duce monitis, vt Sancti Georgij Brachium transiret, spondens quod omnium victualium negotia, vti haberentur Constantinopoli, eis deferri iuberet: & pauperibus quoque eorum eleemosynam impenderet. Quod & factum est.

CAPVT VII.

XIII. Aimarus Podiens. Episcopus pietate & scientia clarissimus.

QVoniam igitur de Duce diximus cuiusmodi huc vsque commeatum habuerit, restat vt ad interioris Franciæ proceres redeamus: & qui fuerint, quáue perrexerint, quos etiam euentus habuerint, aliqua ex parte tangamus. Podiensis Episcopus vir, vitâ, scientiâ, documentis & militaris dispositionis sagacitate mirandus, cum innumera suarum partium gente per Sclauorum regionem proficisci delegit. Cuius vocabulum, quia superius me ignorare dolueram, nec per eam discere potui, cuius esse videor interpres, historiam: Per eos tandem qui in illa expeditione eum nouerant, eóque vsi sunt, attigimus eius notitiam: vocabatur autem idem preciosus vir, Aimarus.

XIV. Hugo. Magnus strenuissimus.

Inter cæteros Principes, initium mihi videtur à Philippi Regis Francorum fratre Hugone Magno sumendum: qui etsi ab aliquibus opulentia ac potestate præceditur, nulli tamen quantum ad originem spectat morúmque probitatem secundus habetur. Cuius in armis strenuitas, cum generis maiestate serenitas, præter hæc etiam erga omnem sacrum ordinem humilitas, quam suæ ipsius nihilominus temperantiæ condiebat honestas, iustissimè prædicatur. Huic quidam procerum innitebantur: & si quid bellorum iure euictis Gentilibus, eos obtinere contingeret, ipsum sibi Regem præficere meditabantur.

XV. Stephanus Comes ditissimus ac liberaliss.

Post hunc Comes Stephanus, vir tantâ potentiâ præditus extitit, vt fama testetur tot eum pollere dominio castellorum, quot annus constat honore dierum: cuius, dum hic ageret, admodum excellens liberalitas fuit, grata satis personalitas: consiliorum verò vndecumque librata maturitas: in rerum equestrium industria, tantâ * nobilitate præminuit, vt eum tota illa sancta militia, cùm in procinctu contra Turcos existeret, dictatorem sibi ac magistrum * efficeret. Huic sagacissima fœminarum vxor accesserat, quæ Guilielmi senioris Regis, qui Anglorum Scotorúmque sibi regna subegit, filia fuerat: cuius prudentiam, munificentiam, dapsilitatem, opulentiámque, si laudare velimus, vereor ne viro magnifico nubem ex fœminea, quam & in viduitate meruit, laude feramus.

al. * mobilitate.

al. * effeceris.

Robertus Flandrensis.

Ad horum cumulandas vires, Robertus iunior senioris, ad quem Imperatoris missa est Epistola, filius, tota animi viuacitate dirigitur: & Flandrensium Comitatum, cui multa armorum magnanimitate præfuerat, ad hoc vt eorum qui pro CHRISTO exules fieri delegerunt, commilito vocetur, immutat. Qui huic quod cœperat negotio quàm perseueranter institerit, gestorum præsentium prosecutio declarabit. Hij vxores clarissimas, cum filiis gratissimis relinquentes, quidquid in affectionibus maius est, proposito postposuerunt exilio. De honoribus possessionibúsque reticeo, quæ quidem extra nos sunt. Sed illa stuporem nobis generant: quomodo maritorum vxorúmque, sobole mediante immò agglutinante caritates, sine alterutrorum periculo ab inuicem diuelli poterant.

Principes illi vxores, possessiones &c. derelinquunt.

XVI. Roberti Normanniæ Comitis laudes.

Denique Robertum Normanniæ Comitem tacere minimè conuenit: qui quidem corporis pondus, * lenitatem quam hîc habuerat

al. * leuitatem.

voluntatis, nimiámque effusionem pecuniæ A animi esculentioris, non sine maiori somnolentia, celebriori petulantia, fluxum, eâ quâ in Dominico viguit exercitu perseuerantiâ & virtute piauit. Isti adeò naturaliter insita *clementia* fuit, vt in eos qui penes se reatum proditionis ac iudicium mortis inciderant, vlcisci non fineret: quin etiam si qua accidissent, eorum infortuniis illachrymaret. Cuius quidem in rebus bellicis audacia: & quantum ad prauas machinationes, qui- B bus multos fœdari cernimus, nulla versutia, meritò laudaretur, nisi quibusdam tacenda indignitatibus vrgeretur: quod totum iam tamen ei condonari debet. Quia pro his horúmque similibus, Deo ei temporaliter retribuente, carceralem, amisso omni comitatus honore, custodiam fouet.

CAPVT VIII.

XVII. CVm istorum quos de sua quisque prouincia secum traxerat inclitis ordini- C bus, mediocrium principum exiit multitudo. Quorum numerositas, quia nostram viderur obnubilare noticiam, in præsenti supprimimus, habituri meliorem, processu historiæ, quosdam forsitan exprimendi causam. Vnius enim, duum, trium, seu quatuor oppidorum dominos quis numeret? quorum tanta fuerit copia, vt vix totidem coëgisse putetur obsidio Troiana.

Eo tempore cùm inter regni primates super hac expeditione res fieret, & colloquium ab eis, cum *Hugone Magno*, sub D Philippi Regis præsentia, Parisiis haberetur, mense Februario, tertio Idus eiusdem, Luna eclipsim patiens, ante noctis medium, sanguineo paulatim cœpit colore velari, donec in cruentissimum tota horribiliter est conuersa ruborem: At vbi auroræ crepusculo naturæ rediit, circa ipsum lunarem circulum insolitus splendor emicuit. Quadam autem æstiui diei vespertinâ irruente horâ, tanta ab Aquilonis plaga efflagratio apparuit, vt plurimi è domibus suis sese proriperent, quærentes quinam hostes prouincias E suas adeò graui ambustione vastarent. Visæ sunt præterea non multo pòst tempore, mense Aprili stellæ noctu, ac si pluuia densè de cœlestibus labi. Quod in tantum apud plerasque Ecclesias portento simile, quod & fuit, habitum est, vt Litanias pro hoc ipso quod significatur damno auertendo instituerent; & scriptis tempus & euentum traderent. Mense rursus Augusto, sexto Idus eiusdem, ante Solis pene occubitum, Lunæ pars prope media est in nigredinem, multis intuentibus, versa: vbi dicendum, quod licet luna in pleniluniis naturaliter patiatur defectiones, sunt tamen aliquæ in ipsis colorum eius mutationibus portensiones. Vnde & in Pontificabilibus & Regum gestis exinde solent fieri annotationes. Visa sunt & alia pleraque quæ narrare supersedimus.

XVIII. Raimundus Comes S. Ægidij proficiscitur cum alijs.

Ad extremum *Sancti Egidij Comes Raimundus*, non ad sui vilitatem, sed pro summâ ponitur. Qui, quia in supremo Franciæ limbo morabatur, quantò minorem operum suorum notitiam nobis præbuerat, tantò huius seriem historiæ, à principiis vsque ad finem, maximæ suæ virtutis, & constantiæ monimento nobilitat. Qui quidem naturali cuidam suo filio comitatu quem regebat relicto, propriam coniugem, cum filio quem ab ea exegerat vnico, secum duxit. Erat autem præfatis nostris Principibus ætate maturior; & exercitu, nisi quantum ad garrulos hominum *Prouincialium* mores spectat, nulli inferior. Cùm ergò copiosissima fortissimorum militum manus, eâ quâ Romam proficisci solemus viâ, vsque in *Appuliam* deuenissent, ex calore insolito, quæ tunc erat æstatis, ex corruptione aëris, de escarum insolentia, innumeri perniciem nimiæ contraxerunt infirmitatis & mortis. Ad diuersos itaque sese contulerunt, transituri mare, portus.

Brundisium plures: hos suscipit anius Ydrons;
Illis piscosi patuerunt æquora Bari.

XIX. At *Hugo Magnus*, non expectata suorum & militum, comprincipúmque comitia nimis inconsultè, nimis præproperè adito *Bari* portu; nauigatione prospera deuehitur *Dyrrachium*. Considerandum namque sibi fuerat, quia ad tantarum expectationem personarum, ad tantas equitum peditúmque copias, totius Græciæ, vt ita dixerim, fundamenta tremuerant. Et licet aliorum procerum multo maior, quàm ipsius, apud nos reputaretur auctoritas, apud exteros tamen, præsertim apud inertissimos hominum *Græcos*, de Regis Francorum fratre præuolarat infinita celebritas. Cùm ergò Dux Imperatoris, qui ibidem commanebat, non magnâ hominem spectabilem attendisset cinctum manu; subripuit illius animo ex tantæ solitudinis oportunitate nequitia: illúmque comprehendens, præcepit Constantinopolim ad Imperatorem cum multa prouisione ac reuerentia duci: ob hoc solùm vt fidem timido Principi daret, quòd per eum vitæ suæ, & honoris prorsus indemnis existeret. Is ergò illustris viri casus, maximam sequentium procerum fortitudini eneruationem intulit. Idem námque facere, quod ab isto exigebat, seu vi, seu clam, seu precariò cæteros coëgit Principis fraudulenti astutia. Sed iam finis huic libello accedat.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

I. De Boëmundo Roberti seu Vviscardi filio.

Ex cunctis ferè Occidentalium A partium Regionibus, cùm innumerabilis exercitus appulisset *Apuliam*, ad *Boëmundum* Rotberti, qui *Vviscardus* vocabatur, filium, singularis magnificentiæ virum, aduentantis multitudinis peruenit verbum: is tunc temporis *Amalfitanos* obsidione compresserat. Cui cùm nuncius de eâ quæ confluebat gente superuenisset, sciscitatus itineris causas: audit, quia Ierusalem à gentibus, immò Dominicum sepulchrum & sacra ibidem loca ignominiosè habita, ab eorum dominio eximere properarent. Nec ei demum tacitum B est, quot cuiusque generis, quantæque excellentiæ viri, relictis, vt sic dicam, honorum maiestatibus, ad hæc peragenda quàm inaudita auiditate contenderent. At ille interrogat, an arma deferant: vtrum peras, an aliqua huius nouæ peregrinationis insignia præferant: quæ ad vltimum, in bellis signa conclament. Respondetur, arma planè Francico vsu gestant. Crucis autem figuram, aut in humeris, seu vbilibet, ex qua volunt materia vel panno præceptum est, vt C vestibus assuant: Remota autem arroganti varietate signorum, humiliter in bellis fideliterque conclamabunt, *DEVS id VVLT*. Ad hæc ille cordis excitatus à fundo, DEO inspirante, compungitur: & pallium preciosissimum iussit afferri: Idémque, per cruciculas fecit incidi: suáque sibi imposita, suis, qui idipsum quod vouerat affectabant, cruces apponendas expendit: nam milites qui ei in illa obsidione obsequebantur animo repentè mutato, ipsum, quod suus ipsorum Dominus, iter aggrediebantur. Tanta autem ad id voti tunc militum multitudo D confluxit, vt frater eius, Siciliæ Comes, *Rogerius*, admodum doleret: quia in ea obsidione omni penè suorum fidelium solatio fraudaretur.

Crucis signum vestibus incisum.

II. Boëmundi Normanni res gestæ.

Sed paucis expediendum est, quo sanguine cretus; quibus idem *Boëmundus* ad hoc honoris sit promotus accessibus. *Robertus* quem agnominari *Vviscardum* diximus, ex Northmannia extitit oriundus, & tenui satis loco natus. Is à natiua quam præmisimus regione vtrum sponte egressus nescio, an pulsus, pedes in Apuliam abiit; ibi equos, & arma, quibus eques fieret, qua potuit arte, commeruit: inde castella quædam, contractis iam vndecumque qui sibi auxiliarentur prædonibus, non absque næuo tamen proditionis vsurpans, aliáque perinde crebris incursionibus fatigata occupans, etiam vrbes præditas obsedit, & ad necessitatem deditionis impulit. Et, vt paucis absoluam, tantopere nouus homo suæ loca dominationis extendit; in tantum quæ voluit quæque perdomuit, vt sicut in Epitaficis eius versibus dicitur: *Vrbe expulerit eum, Quem Ligures Regem, Roma Lemannus habet:* Henricum videlicet Augustum, virum vtique innumeris, immò ferè iugibus victoriis fortunatum.

Parthus, Arabs, Macedúmque phalanx non texit Alexim: Græcorum, qui nobiscum sæpè agit, principem. Sed sæpenumero eum subigens, nisi veneni haustus ei subitò vitam præripuisset, caput coronatum infra paucos, vt dicitur, dies, Constantinopolitanis sedibus intulisset. Videat qui vult hodie filij eius *Boëmundi* potentiam, qui veterum obliterata vilitate parentum, Philippi regis Francorum filiam duxit in coniugium, & prædicti Alexis aggressus est obtinere violenter imperium. *Rogerio* igitur fratre eius remeante Siciliam; & propè omnimodam gentis suæ amissionem, quæ tota Ierusalem videbatur itura, dolente.

Idem *Boëmundus* contractis, quæ ad tantam profectionem necessariæ erant, copiis, conscensis cum suo exercitu nauibus, aura famulante secunda; littori *Bulgarico*, feliciter euectus, exponitur: in cuius comitatu cùm multa equestrium virorum probitas, tum principalium non parua sublimitas extitit: inter quos, *Tancredum*, Marchionis cuiusdam ex Boëmundi, nisi fallor, sorore filium: cuius frater cum Hugone magno præcesserat, cui *Guillelmus* erat vocabulum: & quendam qui dicebatur de prima ciuitate *Richardum* nominatiores agnouimus, virum sanè pulcra corporis habitudine spectandum: quem pro *Constantia*, Boëmundi coniuge, ad Franciæ Regem vidimus legatione perfunctum. Ingressus igitur cum suis *Bulgariæ* regionem, multam opulentiam eorum quæ ad victualia pertinent repererunt. Et cùm ad *Andropolitanam* deuenissent vallem, ibidem donec tota eorum classis perenatasset & allaberetur, expectauerunt. Tota igi-

Tancredus Boëmundi nepos.

tur gente coacta; collectis proceribus consi- A lium cum eis communicat, pari omnium indictione præcipiens: vt per Christianas transitum habituri gentes, benignè innocentérque se agerent; nec eorum patriam depopularentur, pro quorum suffragio venisse debuerant: ea solum, & quàm pacificè, dato tamen pretio, acciperent, quæ ad victualia sufficere possent. Processerunt inde, & dum de vrbe in vrbem, de rure in rus, de oppido transierunt in oppidum, vberrimum vbique reperêre commercium, donec in eam quæ vocatur *Castoria* deuenêre prouinciam: vbi & Dominicum solemniter celebrauêre Natalem: commoratíque sunt aliquot diebus B ibidem.

Quæsierunt igitur à prouinciali gente negotium, sed ipsi noluerunt eis præbere consensum: eo scilicet quòd vererentur eos, militares illos æstimantes non peregrinos, & quia vellent exterminio terram tradere ac perimere illos. At illi modestiâ, quam habuerant, in furorem versâ, diripiebant equos, boues, asinos, ac quælibet sibi vtilia. Egressis tandem de Castoria occurrit *Pelagonia*: vbi quoddam Hæreticorum castrum reperiunt, quod vndique aggressi, ad suum C subdi coëgêre imperium: & igne subiecto, combusserunt cum suis habitatoribus castrum. Inde ad fluuium perueniunt qui dicebatur* *Baudarum*. Progressus est ergo *Boëmundus* cum aliqua suorum militum parte: in manu autem cuiusdam sui comitis partem dimisit residuam. Quod Imperatoris, qui inde non procul aberat, dum comperisset exercitus, Comitem, Ducis qui præcesserat destitutum præsidio, aggreditur, & Comitis socij repentinâ hostium incursione turbantur. Perueniunt hæc ad aures *Tancredi* for- D tissimi: & dicto citiùs retrogradum sumens iter, séque in flumen præfatum proiiciens, ad eos qui impetebantur tranando peruenit: & duo penè milia secum auxiliariorum, qui post ipsum * enatuêre, contraxit. Hostes reperit: & contra suos acriter confligentes, acriori, vt par erat, animositate peruasit: nec mora, subegit. Apprehensi itaque ex eis plurimi, ante Boëmundi præsentiam deducuntur, & in vincula coniiciuntur. Ad quos idem Princeps: *Cur*, inquit, *& Christi & meum insequimini gentem? Ego Imperatori ve-* E *stro nihil euersionis molior*. E contra illi: *Ex nostra deliberatione nil agimus, togam Principis emeritari, militiam professi sumus: & quicquid nobis præceperit, necessariò prosequemur*. Quod vir egregius cùm audisset, impunitos ac irredemptos, illicò laxauit abire. Quartâ feriâ, quæ apud Christianos est *Caput* vocata *ieiunij*, bellum istud factum constat.

al * bandarum.

Suis succurrit Tancredus atque Imperatoris exercitum fugauit.

al. * enatarerunt.

al. rogam.

CAPVT II.

III. Fœdus cum Boëmundo fraudulenter init Imperator.

ALexis Imperator comperto viri eximij facinore, vni ex suis necessariis, cuius potissimùm innitebatur consilio, tunc mandauit, vt maguanimem cum suo exercitu Ducem per terram suam honorificè deduceret, donec ad sui præsentiam Constantinopolim deueniret. Cúmque per ipsius imperij municipia & vrbes transiret exercitus, regionum quarumque incolis imperiale iubebat edictum, quatinus ei satagerent comportare copiam rerum vndicunque venalium. Sic autem militiæ illi per prouincias properare dabatur, vt nullus eorum, qui Boëmundo cohæserant, intra cuiuslibet ciuitatis muros ingredi permitteretur. Nisi sunt autem idem milites irrumpere quoddam castrum bonis, quæ tunc videbantur competere opulentum. At vir ille illustris id vetuit: partim ne terræ iura turbaret: partim ne Imperatoris tenerum adhuc animum offenderet: immò ne pacta cum eo per internuncios recens facta cassaret. Vnde cœptam ineptiam, ægrè ferens, iratus suis qui cœperant, & specialiter Tancredo, repressit. Id vespere contigerat. Mane autem facto, procedunt castrenses, & præ se crucis vexilla ferentes, ad Boëmundi conspectum cum multiplici humilitate & religione contendunt. Ipse verò affabiliter eos ac mansuetè admittens, indultâ eisdem sua gratiâ, à se lætabundos emisit.

Denique ad quandam deueniunt vrbem, quæ *Serra* vocatur: vbi sua fixêre tentoria: nec illis diebus congrua sibi defuêre commercia. Ibi *Boëmundus* cum duobus præfectis Palatinis in concordiam rediit. Vnde pro eorum nouo fœdere, & pro iure seruando prouinciæ, iussit restitui quidquid incolis sublatum fuerat prædæ. Exinde alterius, quæ dicitur *Rusa*, ciuitatis fines attigerant; & ecce, Græcorum promiscuum vulgus, illi nobili obuiam viro concurrens, quælibet venalia pro tempore conferebat: ibíque, triduo ante cœnæ Dominicæ diem, castra posuêre. *Boëmundus* autem proprio illic comitatu dimisso, *Constantinopolin* proficiscitur, paucis secum militibus eductis, cum Imperatore colloquium habiturus. Interim *Tancredus* procurabat exercitum, & dum videt quousque, iam exhausto marsupio, victui necessaria difficulter emere, proposuit apud se, quòd tritam viam desereret: & ad partes minus frequentatas itinerantium assiduitate, suos deflecteret, vbi largior emendorum affluentia cunctis suppeteret. Diuertit igitur eos à strata publica; vallémque diuersorum alimentorũ vbertate confertam,

pauperioribus suorum consulendo, subintrat: in qua & Pascha Dominicum debitâ populus cum ipso affectione concelebrat. At *Alexis* Boëmundum ad se venire comperiens, plurimam aduentanti reuerentiam iussit impendi; & hospitalia in ipsius ciuitatis Burgo præberi: quo recepto, ad colloquium accersitur; veniénsque apud ipsum secretò acturus excipitur.

IV. Interea Dux *Godefridus*, cum fratre *Balduino*, ac deinde *Sancti Egidij Comes*, vtrique cum manu non exigua, attigêre *Constantinopolitana* suburbia: tunc *Alexis* perfidus, qui olim contra Turcos auxiliorum putabatur auidus, acerbitate rancoris infrenduit; & qua fraude tot militias, sibi, vt putabat, ingruentes, turpi præcipitaret exitio sæpè reuoluit. Sed DEVS, cuius illa pia agmina ducebantur instinctu, ita eos est tuitus, vt nullus ad eorum læsionem nequissimo pateret locus: Immò, omni possibilitate succisâ, grauis misero incuteretur metus. Denique visis confluentium cuneis, Constantinopolitani turbantur: consiliúmque quæsituri, glomerantur. Dum enim timent ne ciuitas superuenientium numerositate prematur, & eorum prouinciæ depopulationi tradantur, in consilij habiti euentilatione reperiunt, quatinus sacramentum exigat tyrannus à Francis, *Quòd nunquam sint sibi nocituri vel suis*. Quod vbi fuit nostrorum primoribus agnitum, magna est illicò subsannatione contemptum. Perpenderant planè: quia si quo pacto primos exercitus à cœpto exerrare contingeret, tot tantósque milites stipendiorum inopes factos, contra ea quæ fecissent sacramenta, perfido Principi inferre prælium opporteret. Et certè, *si nobis*, inquiunt, *nullus incumberet timor futurorum, id solum, quod per Græculos istos, omnium inertissimos, iurare cogeremur, nobis esset sempiternè pudendum. Planè eos dicturos minimè ambigimus, quia velimus nolimus, ipsorum imperio paruerimus.*

Ad hæc Imperator, fortissimum *Boëmundum* aggreditur: & muneribus parat allicere, quem plurimùm verebatur: Bello enim eum sæpè vicerat: & ideò illi potius quàm cæteris imminebat, quem suum specialiter æmulum agnoscebat, Spondet ergò ei quindecim dierum itinere terram eidem se daturum citra Antiochiam, in longitudine: octo nihilominus in latitudine. Frangitur illustris hominis hac pollicitatione seueritas: nec differt sacramenta tyranno: & quod *Hugo Magnus* cùm necessitate, tum pecuniâ lenocinante iurauerat, hoc is eo consensit tenore iurare, vt *si Alexis ea qua* * *iurando* * *paciscebantur infringeret, ille ab his, quæ iureiurando firmauerat, liber esset*. Sed si quis percunctetur, quare is & alij à suo sint rigore, ad deferenda tyranno sacramenta, deflexi: sciat proceres suorum in Domino commilitonum subuenisse necessitati, quibus erat multa penuria, si mercatum euntibus negaretur stipendij. *Alexis* quoque nihilo secius & ipse nostris fidem sacramento præstiterat: quia *ipse cum eis, suo pariter comitante exercitu, deueniret, terrâque marique iuuaret; ac vtrobique conuehi victui emenda iuberet: si qua etiam illis euenire damna contingeret, sine imminutione restitueret ad* * *supplementum. neminem in hac expeditione vexari, lædi, occidi, aut vellet, aut sineret, quantum sibi facultas suppeteret.*

al.* viro. al.* paciscebatur.

al.* supremum.

CAPVT III.

V. COmes præterea *Sancti Egidij*, cùm castris suis occupasset Bizantea suburbia, pars verò militiæ necdum ad integrum conuenisset, cœpit tyrannus Comitem sollicitare per nuntium, vt, vti alij fecerant, facere & ipse sibi pateretur hominium. Mandabat hæc tyranni insolentis astutia: sed è contra, quomodo nequissimi vlcisceretur inuidiam, Comitis gloriosi cœperat iam secum ruminare prudentia. At Principes, Dux vtique *Godefridus*, *Hugo Magnus*, *Robertúsque* Flandrensis, & cæteri, dixerunt, quia nunquam contra aliquem qui Christiano censeatur agnomine, arma portabunt. Insuper & *Boëmundus* intulit, quia si bellum Imperatori moueret, & sacramenta securitatis abnueret, Imperatoriæ ipse adminiculum partis existeret. Itaque Comes, communicato * cum suorum quoque necessariorum consilio, *vitæ ac honoris indemnitatem*, iurat Alexi impio: quòd *nec per se videlicet, neque opitulando alij, illius faueret exitio*: Cúmque ei verbum de hominio replicassent, dixit se capitis malle subire periculum, quàm tali modo se ei fore obnoxium.

al.* cum suis consilio.

Interea *Boëmundi* exercitus Constantinopolitanis arcibus propinquabat. *Tancredus* itaque, sacramentis quæ exigebantur ab Imperatore compertis, cum ea quam ductabat omni penè Boëmundi frequentia: *Sancti Georgij* celeriter *Brachium* prætergreditur. Ad hæc, *Sancti Egidij Comitis* exercitus, per eiusdem vrbis confinia castra ponendo dispergitur: qui Comes ibidem cum suis copiis aliquantisper desidere disposuit. *Boëmundus* etiam cum Imperatore remansit, vt cum eo valeret tractare licentiùs, quatinus imperiali edicto, pro conuehendo victualium vndique negotio, gentibus trans Nicæam positis denuntiaret. *Godefridus* autem Dux, qui præcesserat, cum Tancredo

peruenit *Nicomediam* : Nicomede aucto- A re, qui subegisse Cæsarem, & non triumphasse, in triumpho cantatur insignem : & triduo cum suis vterque copiis mansit ibidem. Perpendens itaque Dux quibusdam vias præpediri obicibus; nec facultatem suppetere, qua tanti numerositas exercitus Nicæam valeret adire: quoniam eam, quâ *Petri heremitæ* homines transierant semitam, tanta non posset vllatenus multitudo prætergredi, direxit ante se tria hominum milia cum asciis atque securibus, qui callium præpedimenta dirimerent; iterque fieret liberum, aperiendo angustias vsque Nicæam. B Erat autem via incredibiliter ardua pernimis scrupea; & minacis proceritatis montana procedens: quam, qui præmissi fuerant, excisis cautibus dilatantes, cruces ferreas ligneásque stipitibus imponebant altis: vt nostri non exorbitarent à tramite, signis eminus stipitum visis. Tandem venêre *Nicæam*, quæ totius Romaniæ metropolis est ciuitas, Bithyniæque caput, trecentorum decem & octo Patrum Synodo clara; sed *Omousij* assertione, & *Arrij* damnatione præclarior: pridiéque Maij Nonas, circa vrbis territo- C rium castra sedêre, tertio ex quo à Nicomedia recesserant die. Antequam autem Boëmundi aduentaret exercitus, tanta panis ibi dicitur extitisse penuria; vt vnus panis aut vicenis aut tricenis denariis venderetur. At *Boëmundus* vt adfuit, maximas quorumque venalium copias, terráque marique * euexit, statímque omnium vsui aptorum opulentia repentina confluxit.

al.* connexit contraxit.

CAPVT IV.

V.
Nicæa obsidetur à Francis & capitur.

DOminicæ ergò die Ascensionis, cœ- D pêre pro muris vrbem vndecunque peruadere; & machinas instruere, phalas erigere, instaurare phalaricas; murorum ac turrium gyros frequentibus per ambitum pulsare balistis. Tantâ autem animorum acrimoniâ obsessio vrbis incipitur, vt solius bidui infra spatium, muros effoderent. Verùm *Turci*, qui ciuitatem obtinebant, ad alias nuntios ciuitates dirigunt, quo ad eos, scilicet opem laturi, conueniant: eo vtique modo, vt indubitanter per Meridianam portam introeant, quoniam ea pars ab obsidio- E ne sit libera, nec opitulari volentibus illic ipsis vllus obsistet. Vnde contigit, vt eâ ipsâ die, cùm Sabbatum post Domini Ascensionem esset, à Comite *Sancti Egidij*, & à *Podiense Episcopo* portæ aditus muniretur. Accidit ibi res clari nomine digna facinoris. Egregius namque Comes isdem, cùm fide ad Deum, tum fortis & aptu ad arma, nec minus instructissimo cinctus exercituobuios A habuit auxiliariorum cuneos properantes in vrbem. Qui animo diuinæ subsidio virtutis innixo, aggreditur Turcos & superat, compellit in fugam, partémque eorum maximam truncat. Sed fœdè repulsi, nouas intendunt conflare copias: quarum fisi adminiculo cum multa exultatione iterare bella decernunt, aduectis pariter secum funibus: quibus nostros ligatos Corozaniam abductare proponunt. Hac ergò spe dum extolluntur inani, ex supremo montis, qui vrbi prominebat, pedetentim alter post alterum cœpêre progredi. Qui à nostris gratanter, vt B decebat, excepti, cæsa sua capita, pro testimonio nostrorum victoriæ, reliquerunt. Quæ post eorum fugam balistis ac fundis, ad terrorem Gentilium, proiiciebantur in vrbem.

At beatæ memoriæ *Podiensis* Episcopus & Sancti Egidij Comes *Raymundus* : infirmando vrbis statui insistentes, turrim quandam, quæ erat ipsorum contigua castris, factis subter ad eius fundamenta eneruanda cuniculis, destituere aggressi sunt. Fossoribus igitur ad hæc efficienda locatis, cum arcibalistis, & arcubus, & balearis habenæ tor- C toribus, pariter suffodientium defensores adduntur. Itaque vsque ad soli subsidentis extremitates arce succisa, nutabundum interim parietem tignis asseribúsque sustentant, & penitus ædificij calce iam diruto, sic ignem subiectis trabibus inde subiiciunt.

Ast vbi nubila nox indixit vtrinque quietem,
Lapsa facit subitam turris castrata ruinam.
Tempora sed noctis quia sunt minus apta duellis,
Francigenæ cessant, ne Turcos nocte lacessant.

Illicò tamen Turci, pro suæ salutis tuitione D solliciti, totâ sagacitate consurgunt: & murum tantæ ibidem fortitudinis, tantâ celeritate restituunt, vt postridiè nullum eos lædendi valerent nostri reperire locum. Interea loci, recens adueniunt viri, armorum gloriâ celeberrimi, Comitésque ditissimi, de quibus supra egimus, cum frequentiis quæ sibi cohæserant militaribus: ad quorum aduentum omnis ille Domini coniubilauit exercitus: Normannorum scilicet Comes *Robertus*, & Carnotensis Comes *Stephanus*.

VI.

Igitur *Boëmundus*, vrbem obsedit à fron- E te, & *Tancredus* à latere: tertio loco, Dux *Godefridus* : quarto, *Flandrensium* Comes: quinto Comes *Normannicus* : sexto *Sancti Egidij* Comes, & Podiensis Episcopus. Ita verò eam obsidere intendunt, vt nullum introeundi exeundíque obsessi reperire quirent aditum. Erat ergò ibi considerare collectum totius Francorum militiæ, nobilitatis, prudentiæ, armorúmque claritudinis

florem: quos in equestri loricatorum galeatorúmque decore, hij qui exercituum quantitates pensitare didicerant, centum circiter millia putauêre. Porrò pedestris populositatem turbæ, & illorum numerum qui affectabantur equestribus, posse ab aliquo supputari non æstimo penitus. Planè, non modò quæ à clientibus siue mancipiis solent præberi officia militaribus personis, deferebantur à talibus: sed ad obsidiones, ad prælia, adeò eorum fuerat virtus, & instar Leonis audacia necessaria maioribus, vti solent arma vel vtensilia quælibet, bello seu opere exercendis, oportuna aliquotiens esse manibus.

VII.
Dicere nullus Sermo valebit,
Quanta per ipsum Tempus ibidem
Armipotentum Fulsit honestas.
Tam generosi Germinis agmen
Nulla coisse Terra per orbem,
Viderit vsquam. Singula si vis
Regna retexam, Factaque passim
Prælia dicam: Aut genus, aut vim
*Qui queat horum, Non erit * ille* (al. * illic.)
Æquiperare. Ecce, relicta
Sede parentum, Fœdera vitant
Coniugiorum: Pignora sordent,
Pœna domus sunt: Feruet in omni
Milite cura Martyriorum.
Cúmque cruoris Omine fusi
Turba trahatur, Quis reperire
Possit inertem? Quisque Leonis
Pectore fertur. Ergo Nicææ
Mœnia cingi, Cernere gratum.
Campus equorum Lore nitebat,
Et phalerarum Forma sonúsque
Cuique placebat: Lux Toracarum
Pulchrior haustis Solibus ibat:
Aëréque flauo Cassis & vmbo,
Limbus eodem Fulgidus extat.
Hosce videres, Turbinis instar,
Ariete crebro Voluere muros.
*Reperit * arcus Cuspis eorum* (al. * artus.)
Francica duros. Obtudit enses
Crebrius ossis Vulnus acutos.
Comparat illos Mœnibus altis
Cedere Turcos, Lignea turris.
*Comminus * illis Prælia feruent:* (al. * illic.)
Mutua quique Spicula torquent.
Missilium vis Iactus inanis.
Mors inopina Quosque supinat.
Gloria nostros Cœlica fortes
Reddiderat: tunc Corpora fatis
Exhibuêre. Quærere gaudent
Præmia morte. Marcidus omnis,
Acer & audax Redditur istic:
Quem melioris Optio vitæ
Ritè probarit. Laudis auaræ
Crimina mentis Inde procul sunt.
Credidit omnis Id dare CHRISTVM,
Si sibi digni Nominis auram,
Bella pararent. Nec sibi quisquam,
Quisquis honesti Quidlibet egit,
Arrogat actum,
In Darium *Scythicos non his conferre triumphos*
Quibimus: aut sciri poterunt molimina Cyri.
Digna viro Thameris, quæ clauserat vtre cruoris.
Luxeris euentum, bone Pyrre *tuendo Tarentum.*
In vacuum garris noua sumere prælia Barris.
Hannibalis comites semel & bis, térque Quirites
Vt segetem cædant: victi tamen vrbe recedunt.
Si fuit indemnis sub Cæsare pugna, decennis.
Sit pro iactura per Gallica mansio rura.
Tempus huic operæ breue, prospera cuncta fuêre
Cùm DEVS esset in his: probat optima omnia finis.
Obtigerit cui mors cum martyre gloria fit sors.
Quisquis eget, taxat, quia crimina pœna relaxat.

VIII. Quandam eiusdem vrbis partem obiectio laci, longè latéque stagnantis, ambierat: vnde hostes summissis ratibus, liberum exeundi intrandíque videbantur habere meatum: ex quo etiam lignorum, pabulíque fiebant eis, & quorumcunque deuectiones vtilium. Quamobrem proceres, coacto concilio, sua omnium assertione decernunt, vt ad *Principem Constantinopolitanum* legatio destinetur, quæ suggerat naues quamplurimas *Ciuizenam* (al. Citicenam.) vsque vrbem debere perduci, vbi portum constat haberi: ac deinde boum sine numero paria conglobari, qui eas per montanas siluásque conuectent, donec prædicto inferantur lacui. Nec mora, velox operis executio deliberata ac expostulata, Principe maturante, prosequitur: paritérque hij qui vocantur *Turcopoli*, quos non alios quàm familiares eius militias intelligimus, diriguntur. Adductis ergo, prout Principis vrgebat imperium, puppibus, ipsa qua deportatæ sunt illuc siluerunt die; at noctu eas intruserunt lacui, & cum eis Turcopolos armis instructissimos. Mane itaque classe composita, cum multa modestia, ac si ex eorum vectigalibus essent, proficiscebantur ad vrbem. Turci quibus erant ista spectaculo mirabantur, ambigentes, an sua ipsorum, vel Imperatoris hæc eadem esset euectio. Postquam verò ea quæ viderant hostilia fore nouerunt, timore letali extabuerunt, sed quantum illi lamentis & fletibus, tantum nostri indulserunt gaudiis, gratiarúmque Deo rependarunt plausibus.

Reddidit igitur id ipsorum infortunium

hostes vsquequaque defectos: iámque de A suis & auxiliariorum viribus desperantes, *Imperatori* missâ legatione promittunt, quia deditionem facerent vrbis: si eos cum vxoribus & filiis abire licere, apud Francos impetraret, permissis vnâ substantiis. Quorum tyrannus petitioni gratantissimè fauens, non solùm impunitate donauit, sed etiam summo sibi farciendos amore, Constantinopolim vsque contraxit. Cuius insidæ per omnia menti, principalis in hoc opere subiacebat B intentio: quòd si Francorum discrimini locus fortè vllus aliquando pateret, penes se ipsos haberet, quos eisdem oportunè obiiceret. Septem hebdomadis tribúsque diebus hac sunt obsidione detenti; & ex nostris plurimi munus ibidem recepêre martyrij. De quibus indubiè sententia proferetur; quòd qui mortis exitio sese pro fidei obiecêre iustitia; inter eos profectò apud Deum censeantur, qui sanguine in pretium dato, præmia meruêre cœlestia: nec eos illis impares dixerim qui famis occubuêre miseria. C Hoc enim ibi modo, periit multitudo perplurima. Si namque iuxta *Prophetam*, quod historialiter dicere liceat, *Melius fuit occisis gladio, quàm interfectis fame*, qui proculdubio cruciatu diuturniore sunt moriendo torti, non erunt, vt credi fas est, absque corona nobiliore martyrij.

Hierem. 4. 94.

CAPVT V.

IX. Ciuitate itaque reddita, & Turcis Constantinopolim ductis, tyrannicus ille Princeps, nimium de vrbis restitutione gauisus, nostrorum primoribus munera infinita largitur: & quibusque pauperrimis eleemosina copiosa tribuitur. Ex quo mediocribus exercitus personis, quas munificentia illa est visa prætergredi, multa fuit inuidentia contra Principes, ac simultas ingenita. Nec, iuxta quendam modum, id prorsus iniuria. Hij nempe exercuêre prælia: ad hos attinuit totius obsidionis effectus, molium vectiones, machinarum balistarúmque im- E pactio: hij, inquam, vt breuiter claudam, portauerunt pondus diei & æstus. Primâ igitur die qua ab vrbe recepta digressum est, pontem quendam peruium habuerunt, circa quem biduo continuato manserunt. Tertiâ autem die cùm expromeret iam tenuis aurora crepusculum, surrexerunt nostri, & dum adhuc dubiâ sub luce cæcutiunt, biuio scinduntur in vno; & biduo integro sub duobus disparati proficiscuntur agminibus. In altero agminum *Boëmundus* erat, *Robertus* ex Normannia: *Tancredus* quoque cum plurima militia: à Comite *Sancti Egidij*, Duce *Godefrido*, *Podiensi* Episcopo, *Hugone Magno*, Comite *Flandrensi*, per auia quædam adducebatur alterum.

Turci Francos impugnant.

Tertiâ denique die in *Boëmundum*, comitésque eius, fit *Turcorum* infinitæ multitudinis, cùm repentina, tùm terribilis, & prope non ferenda collisio. Videres eos scenicè super nostrorum, qui putabatur, timore garrire, æstimantes eos ex inopinata incursione terreri: & bellicum, quod consueuerant, signum terrificis suæ linguæ vocibus inclamare. Licet ergo vir eximius, manu impeteretur enormi, non amisit timore consilium: sed confestim sistere gradum præcipit omnibus, & papilionibus deuolutis, iussit celeriter castra consterni. Priusquam verò ea quæ præceperat explicarentur, propriis militibus infit: *Si vos meministis militiæ quam professi estis, consideratâ necessitate quæ vrget, ite; viriliter eis occurrite; honorem, pariterque vobis vitam defendite: at vos pedites, tentoria diligenter extendite.* Quo dicto citius expleto, Ecce eos Turci subitâ præuolatione obambiunt, spicula iaciunt, pugnáque, pro more, fugaci, pectoribus sagittas incussêre sequentium. Franci verò propositi fidelis memores: nec semper celebris suæ virtutis ignari: licet euidenter agnoscerent tantæ numerositati se impares, tamen obuiare furentibus viuaci animositate contendunt. Illic *Comes Normanniæ*, recordatus, vti decuit, paternæ bellicositatis & nobilitatis auitæ, magnâ illicò armorum exercitatione, hostiúmque repulsione, defensione exempla D exercitui nostro, aliquandiísper exterrito, præbuit.

Affuit etiam DEVS, vt fœminarum quæ comitabantur, non illic quoque illis deesset instantia, ipsæ enim aquas recreandis militibus, quàm sedulò deferebant: sed multò vigilãtiores instigationibus eos suis ac monitis, solertioréſque reddebant, quàm illata fierent vnda recentes. At vbi *Boëmundus* moneri cœpit tanti inæqualitate congressus, ijs qui deuia sequebantur: illicò nuncio mediante, notificat, Comiti Sancti Egidij *Raimundo*, Duci *Godefrido*, *Hugoni* Magno, *Podiensi* Episcopo, aliisque eorum comitiæ, vt celerius aduenire præproperent, non ob aliud, sed ad bella quæ imminent. *Si*, inquiunt, *prima penes Turcos, pugnæ rudimenta videre collibeat, iam sunt quæ vultis: præsto venite.* Ducis itaque nomine dignus, specimen militiæ *Godefridus*, & ab ea quæ Regi competit, fortitudine non degener, immò pardalicâ, vt sic dicam, animositate patrissans, *Hugo* Magnus, cum suis primicopiis, quadam epulari alacritate concurrunt. Deinde Podiensis Episcopus, non modò multis quibus emicat armis, sed monitis pre-

cibúsque sacris communiit ipsum:

Sique foret tepidum, feruescere compulit agmen.

Ad extremum sicut erat ætate grauior, experientiáque instructior: & consiliis idcircò securior, Comes Sancti Egidij *Raimundus* Prouincialium suorum manipulis succenturiatus erupit. Superinspecto igitur hostili exercitu tanta nostris admiratio increuit, vt nil aliud mirarentur, nisi vbi gentium vbiue terrarum tam infinita coaluerit multitudo. Erant autem *Turci*, *Arabes*, ac Sarraceni, quorum inter hostes & numerus & dignitas eminebat: copia minus patens, de auxiliariis & minus celebribus populis erat. Videres montium iuga de hac collectione prophana, & collium conuexa densescere: innumerabilibus frequentiis omnia operiri campestria.

Suos milites hortantur Duces ad pugnam.

Primores itaque cum sibi subditis commonitorium habuêre sermonem: *Si* DEO, inquiunt, *hanc quam exercetis militiam deuouistis; si patrias, si domos, si coniuges, si liberos, si denique corpora contempsistis: & ipsa quinetiam sola resederunt gloriosis exponenda martyriis, quid vos ad istorum considerationem, precor, exterreat? cùm vnius vestrum ex* DEO *fida sagacitas, totius huius vilissimi vulgi superstitione præualeat. Si hic vobis fuerit obeundum: regnum vos cœleste manet, felici obituros exitio: Si viuendum, expectat vos, si de fide præsumitis, certa victoria: post victoriam, gloria: post gloriam, maior audacia: ad hæc ex hostium diuitiis opulentia copiosa. Vtrumlibet ergo accidat, inest vobis vtrobique securitas: & vbique, neutiquam quid timeatis habetur: nulla vos iam retractatio vel dubietas remoretur. Ergo mentes & corpora fidei Dominicæ Crucis addicite: & contra hunc aggestum palearum, tantillos videlicet ac penè nullos homines, arma capessite.*

Præterea, ordinatim acies disponuntur. In sinistro cornu magnanimus *Boëmundus*, Comésque *Normannorum*, miles acerrimus *Tancredus*, & qui dicitur de prima ciuitate *Ricardus*. *Podiensis* autem Episcopus altrinsecus è regione hostium per montana progrediens, Turcorum exercitus ambiebat. Sinistræ etiam illi parti *Raimundus* Comes adequitat. In dextro autem Dux *Godefridus*, Flandrensísque *Robertus*, *Hugo* Magnus, & reliqua præpotens, vtpote CHRISTO pugnaturorum manus. O bone, internorum cognitor, DEVS, quid in tanto lachrimarum tibi fusum est apparatu? Quid in illo procinctu, ex omnium animo, piæ compunctionis ac confessionis emersit? Et dignâ, vt par est, consideratione quis penset, quantâ mentium teneritudine, ex tui solius spe, cunctorum generaliter corda dependerint? quantis ad te, CHRISTE, mœroribus singulorum quorumque iustitiæ aut peccata clamauerint? Fleuerant, CHRISTUMque adhuc piis piissimum suspiriis irritabant, cùm ecce Crucis frontes cunctas præeunte sigillo, non dico leonum, sed quod magis competit, martyrum animositate, confertissimos, vexilla feruntur in hostes.

Mox abeunt Arabes, Persæ, Turcique feroces:
Ante pios populi, terga dedêre truces.
Fit fuga, dispersè miserum protenditur agmen:
Non secus ac lepores diffugiunt Arabes.
Quanta fugax acies: fit eorum prodiga cædes
Nostrorum gladij, vix potuêre neces.
Damna ferens membris, cuiusque retunditur ensis:
Falce velut segetes: sic resecant homines.
Hic caput, hic nares, hic guttura truncat, hic aures.
Scinditur aluus huic, obuius omnis abit. (al. * obit.)
Obstupuêre manus, riguerunt brachia cæde.
Nemo repellit eos, quoque ferente mori.
Nempe subinduerat sensus hebitudo profanos,
Excipiunt veniens pectora cæca malum.

X. Potiuntur victoria Franci.

Fuisse autem eorum hostium qui victi fuerant numerum quadringenta sexaginta millia traditur, præter Arabes: quorum adeò enormis extitit pluralitas, vt omnis eorum hebetarit nostros quantitas. Primùm quidem, conclamatâ desperatione salutis, ad sua quàm properè trepidi tentoria tendunt: ibique quæ præ manibus habuêre correptis, diffugiunt; totáque vnâ die nostri eos instantissimè persequuntur: spoliis itaque illis recedentibus farciuntur ereptis: & post innumeras sanguinum fusiones, copiosæ pecuniæ, preciosarum vestium, pecuariorum plurium, quæ tulerant fugacibus, solatio potiuntur. Ab hora autem tertia vsque in horam nonam huius pugnæ, immò internecionis Arabicæ, flagrauit incendium. Duo verò ex nostris reuerendi nominis proceres, *Iosfredus* quidam de Monte scabioso agnomen habens; Et *Guillelmus*, de quo supra diximus, Tancredi frater; aliíque quamplurimi, quorum nomina solius DEI notitiæ sunt credita, ibidem occubuerunt. Hîc planè, hîc experimur virtutis Christianæ insignia: & dum hæc paucorum cum innumeris bella miramur imparia; totum necessariò referre cogimur ad CHRISTI solius auxilia. Si enim de his qui nondum à DEO desciuerant Iudæis, dicitur in veteri pagina: quia *persequebatur vnus mille & duo fugabant decem millia*: non minus de hac mihi videtur sentiendum victoriâ, vbi hominis prorsus ingenium, quâ arte à tantillis innumerabiles euinci valerent, spes & æstimatio defecit humana. (Deut. 32. 30.)

Sed forsitan quiuis obiectat: rustica manus erat, & gregariorum militum peripsema, passim

passim vndecumque coïerat. Certè ipsi Franci, qui se tanto obtulêre discrimini, pleno ore fatentur, nusquam Turcis illis genus hominum comparabile posse cognosci; adeò argutos animis, ac strenuos armis: qui etiam cùm in initiis cum eis bello confligere cœpissent, eorumdem nouitate armorum propè sunt desperati. Nostris enim inexperta erat tanta eorum in equitando agilitas; in euitandis nostrorum incursibus vel ictibus mira pernicitas: præsertim cùm non soleant ipsas emittere nisi fugaciter pugnando sagittas. Est autem eorum opinio, quòd Francorum contribules existant; & præ cæteris gentibus solis specialiter Turcis & Francis deberi militare fastigium.

CAPVT VI.

XI. IGitur eis hoc modo repulsis, & die noctúque à Francorum facie fugitantibus, contigit Ducem qui Niceæ præerat, cum multa amentia timoris post finem obsidionis elapsum, decem millibus occurrere Arabum, cui inquiunt: *Minime gentium, quamobrem ita miserè exterritus fugis? Francos*, ait, *me penitus dispersisse ac interemisse putaueram; totámque eorum summam rebar iam sempiternæ captiuitati traditam: & dum eos paulatim per manipulos aduentantes & turmas, subacturum me æstimo, & in exteras ligatos terras abducere, tunc subitò tam numerosi apparuêre exercitus, vt campis & montibus eorum multitudinis enormitate repletis, nusquam ab eorum frequentiis nostrarum videretur regionum terra vacare.* Captiuitatem quam asserit factam, ad exercitum conuenit Petri Eremitæ referre; sequentem verò multitudinem ad eos qui vrbem nuper subegêre Niceæ. *Cùm ergo*, inquit, *tot populorum examina vidissemus & instar segetum cuneos crebrescentes, qui armorum nequaquam defensione præsumpsimus: nec enim tutum fuerat: mortem contiguam euadendam, vel pede adminiculante censuimus. Vnde fateor: etsi remoti, ex eorum, quos vidimus, dira recordatione concutimur, adhúcque de experta, licet ad momentum, ipsorum ferocitate timemus: Quòd, si & vos meæ experientiæ fidem præbere velletis, huic quàm properè loco cederetis: quia si vos eorum manus contingat incidere, multiplices sine dubio vestræ improuidentiæ constabit pœnas vos luere.* Hæc illi audientes, & credendum iudicantes expertis, verterunt celeres vestigia cuncta retrorsum, & per vniuersam sese diffudêre Romaniam.

XII. *Simulant Turci Fracos deuicisse, vnde intra vrbes admissi grassantur, diripiuntque Ecclesias.*

Interea è vestigio fugitiuos Turcos subsequi curabant nostri: præcedentes autem illi, dum vrbes & castra pertranseunt, sese Francos vicisse passim iactitando efferunt; sícque terræ habitatores, quâ ibant, mendacibus verbis eludunt: *Nos*, aiunt, *agmina Christiana repulimus; eisque totius deinceps ausum congressionis abstulimus. Itaque nos intra vrbes vestras admittite: & gratanter eos qui tantopere vos tuentur excipite.* Ciuitates ergò ingressi, Ecclesiarum diripiebant ornatus, publicarum ædium spoliabant copias; aurum argentúmque, diuersi generis animalia, & si qua suppeterent, eripere moliebantur vtilia. Ad hoc etiam quosque Christianorum filios pro mancipiis abducebant: cætera quæ minus prædæ patebant, incendiis absumentes: aduentum nostratium semper præeundo, verentes. Hos denique profanos per solitudinum nostri auia disquirentes, terram desertam inuiam & inaquosam intrauerunt, de qua vix miserandi emerserunt. Hinc famis, inde sitis agitabantur inopiâ: nihilque pertinens esui poterat reperiri, nisi quod spicarum confricatione aliquotiens videbatur crudelis inedia temperari. Ibidem plurês equestris viros dignitatis constat obisse: dum desertorum insolentia, vitam equis adimeret: itinerúmque impatientia, delicatos perimeret. Vnde boues, capros, arietes, &, quod mirum magis est, canes saginarios tunc fieri, equorum vehiculorúmque grandis coëgit egestas: his enim omnibus pro modulo impertiebantur, vel qualescunque sarcinulas.

Turcis expulsis Iconium ingrediuntur

Exinde opulentam ex his quæ vsui prosunt, eos contigit introire prouinciam: attigerúntque *Iconium* ciuitatem, Pauli Apostoli tolerantiâ & scriptis insignem. Ast prouinciales admonebant præmuniendo nostros, vt aquas vtribus impositas secum deferrent: quia diei vnius itinere, nihil aquarum penitùs reperiretur. Ita ergo fecêre, donec ad cuiusdam oram fluminis deuenêre. Ibique per biduum hospitia sumpsêre. Præeuntes itaque qui præcursorum officio fungebantur, peruenêre *Erachiam*, vbi Turcorum plurima phalanx adglomerata coïerat, id solum præstolans, quomodo CHRISTI valerent perturbare militiam: quos nostri inuenêre, & solita audacia intrepidi peruasêre. Hostes verò celeri elabuntur fugâ.

Non secus ac missa iactu baleare sagitta.

In vrbem ergo, iam libero patente aditu, nostri intrant: quatuórque mansere diebus ibidem. Ibi *Tancredus* Boëmundi nepos, & *Balduinus* Ducis Godefridi frater, non diffugio militiæ, sed animorum acredine, ab exercitus contubernio digressi, vallem quandam, quam *Botentroh* vocitant eâ linguâ, sunt ingressi. *Tancredus* itaque, vti erat consortis impatiens, à præfato etiam Ducis fratre diuiditur, *Tarsúmque* specialis Apostoli nostri adoranda natiuitate præcluem, cum

Lapsis in fugam Turcis Tarsum vltro ciues Tancredo dedunt.

suis aggreditur. *Turci* ex vrbe, obuij aduentantibus ad bella prosiliunt; sed imminente concursu ad vrbis, de qua prodierant, munimenta refugiunt. *Tancredus* verò, admisso post hostes equo, portam vrbis castrorum suorum positione conclusit. Nec mora, *Balduinus* adueniens, ad obsidionem ciuitatis ipsius altrinsecus & ipse consedit: & Tancredum expostulat, vt capiendæ ciuitatis participium indulgeat, quam suo secum exercitu collaborante capessat: quod Tancredus multa animi indignatione refutat, dum sibi & ciuitatis dominium, & victoriæ insignia arrogare desiderat.

Nox itaque superuenit, & Turcorum vulgus, obsidionis impatiens, nec eius qui obsederat pertinaciæ & virtutis ignarum, vniuersum prorsus aufugit. Quibus ita extrusis, hij qui in vrbe commanebant, ipsius profectò terræ gentiles, Christianæ scilicet homines conditionis, in ipsa egressi ad nostros nocte, conclamant: *Franci*, inquiunt, *maturate ingredi ciuitatem, quia alienigenæ diffugiunt: in tantum vestræ fortitudinis concepère timorem.* Ast vbi eluxit, loci ipsius primores vrbem vltrò dedunt: & hiis, quos super eius dominio iurgia motare compererant, aiunt: *Illum nobis præsidere deligimus, quem cum Turcis adeò acriter hesternò egisse cognouimus.* Verum Balduinus, Tancredo peruicaciter instans, ciuitatem secum pariter cohortabatur intrare, & prout cuique facultas inesset, spoliis diripiendis insistere. At Tancredus non inconsultè refert: *Id se habere propositi, impugnare vtique Turcos: non spoliare Christianos: præsertim cùm se spontè elegerint, nec alterum quàm se velint.* Licet hæc diceret, considerans tamen eum potentiâ præminere copiosioris exercitus, vellet nollet, viro illi pro tempore cessit. Cui inde recedenti duæ per deditionem, optimæ se ei subdiderunt ciuitates: *Athena* videlicet, & *Mamistra*, & castella quamplurima.

Item Atheniam & Mamistram.

Actus breuiter perstringuntur Balduini.

At quoniam de hoc ipso *Balduino* nullus forsitan deinceps referendi sese aperiet locus, paucis insinuare velim quàm fortuniosus eius fuerit exitus. Apud *Edessam* Mesopotamiæ vrbem, sicut ab his qui ibidem versati sunt, accepimus, vir quidam Ducatus honore præfuerat, qui Christianam prouinciam quam regebat, non tam armis à Gentilium incursibus, quàm pecuniariâ redemptione protexerat. Is senio grauescente iam squalidus, cùm esset ei vxor sine liberis, identidem anus, dum Francos agnouisset Mesopotamiæ contiguos finibus, multo æstu desiderabat quempiam, quem sibi adoptaret, ex Francorum habere nobilibus: qui, quod ipse precio, hoc ille defensaret armis ac viribus. Contigit interea quendam familiarem illi militem, huiusque sui desiderij conscium, cum hoc ipso *Balduino* habere colloquium. Cui cùm ille adipiscendi ducatus spem indidisset, si à præfato seniore se adoptari permitteret, Comes credidit, & milite comitante *Edessam* adiit. A quo affectu nimio, præterquam sperabatur exceptus, ab vtrisque est in filium adoptatus. Adoptationis autem talis pro gentis consuetudine dicitur fuisse modus. Intra lineam interulam, quam nos vocamus *Camisiam*, nudum intrare eum faciens, sibi adstrinxit: & hæc omnia osculo libato firmauit: idem & mulier post modum fecit. His explicitis, cum ciuitatenses eum ab honoris pristini culmine expositum, priuatum iam cernerent, coniuratione clam facta, eam, in qua cum Balduino morabatur, obsedere repentè curiam. Recordabantur enim quorumdam quæ eis intulerat malorum. Obsesso itaque eo, cum adoptiuus eorum nouus resistere Francica animositate pararet, senior eum mira fide cohibuit, dicens pro certo scire se ab eorum manibus nullatenus erui; ipsum verò, pro sua defensione facillimè posse periclitari. Infinitis ergo ab eo extorsit precibus, vt repugnare desisteret: & cùm ille illacrimans miserabiliter, malle se cum eo mori diceret, repulit hominem; & cum obsidente se populo egit, quatinus nouo illi Principi parceret; seipsum verò prout vellet occideret. Quod & actum est.

Interempto itaque eo, *Balduinus*, ducatum sibi ex adoptione delatum, strenuè obtinuit: & ex Francis equites, ac famulos ad sui custodiam, memor expertæ nuper proditionis, adhibuit. Non multo post autem tempore, cum Dominicus Natalis adesset, noui Ducis necem in ipso solemni die, iteratâ conspiratione, diffiniunt. Qui eorum tractatus Ducem minimè latuit. Insinuat igitur & ipse hiis, qui in suo assectatu erant, Francis, vt festis Ecclesiæ loricati ac galeati, immò ac si ad bella parati, equites assisterent; pedites lanceis, gladiis, bipennibus se munirent: & sic vbique procederent. Quo facto, vrbani se à Duce præuentos intelligunt: ipse enim cum multa armatorum ad Ecclesiam constipatione processit, ac sacro officio interfuit. Ipsâ tamen die siluit. Postridie autem conuocat Edessenos, & de proditione causatur; & cum legibus eos ad confessionem cogeret, diffiteri quæ proposuerant minimè permittuntur. Conuictis itaque totius vrbis primoribus, his quidem pedes incidi, illis manus, alijs cum naribus aures, quibusdam linguas cum labiis, generandi verò officialia cunctis: omnibus nihilominus di-

uersa per exilia longè latéque distractis. Et cum denique nullus resedisset qui turbam denuò sibi concitare quiuisset, tum demum securè experitur, quis tanti Ducatus fructus ac felicitas esset. Vitam ergo cum multis opibus & prosperitate ducebat, plurimis vrbibus imperabat, inter quas *Seleucia* ab antiquo celebris eminebat: donec post fratrem *Godefridum*, qui Ierosolymæ regnauerat, ex Ducatu quidem peruenit ad regnum: sed exinde, nullius excepit terrenæ felicitatis augmentum: immò pro Deo beati laboris exercitium: vtpote cui iuge est cum gentilibus prælium.

Balduinus peruenit ad regnum.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Obiectionibus, quòd quæ narrat minimè audierit, occurrit.

NEMO iustè, vt æstimo, me id operis deridet agressum. Etsi enim neque Ierosolymam isse, & plerasque personas; loca nihilominus ipsa mihi hactenus contigerit non nouisse; in nullo, generali vtilitati reor obesse: siquidem ea, quæ scripsi vel scripsero, à viris veritatis testimonio præditis constat audisse. Si mihi planè id obiicitur, quia non viderim, id obiici non potest, quòd non audierim: cùm visui auditum quodammodo supparem profectò crediderim. Quamuis enim

Segnius irritent animos demissa per aurem;
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus:

Tamen quis historiographos, quis eos qui Sanctorum vitas edidêre ambigat, non solùm quæ obtutibus, sed ea scripsisse quæ aliorum hauserant intellecta relatibus? Si námque verax, vt legitur quidam, & *Quod vidit & audiuit, hoc testatur*: authentica proculdubio vera dicentium narratio, vbi videre non suppetit, comprobatur. Si sit itaque qui carpat, qui cœpta despiciat, habet vtique liberam optionem, si velit vt corrigat: & cui nostra displicent, sua scribat.

Ioan. 3. 32.

Introeunt Armeniam Raimundus, Boëmundus & Godefridus.

Igitur Dominicus exercitus cum Ducibus suis, *Raimundo*, Sancti Egidij Comite, *Boëmundo* atque *Godefrido*, aliisque quampluribus *Armeniam* ingreditur; de Turcorum incursibus, si acciderint fortè, lætatur. Inter eundum itaque peruium habuêre castellum, cui adeò difficilis esset accessus, vt cassum videretur ibidem cuiuslibet molimen assultus. Erat autem illic *Simeon* quidam, Christiano insignis agnomine, prouinciæ gentilis eiusdem, qui à proceribus nostris dominium huius regionis expetiit, quo eam à Turcorum irruptionibus deberet tueri. Nec dare ei munus distulêre petitum: ipse verò desedit ibidem, laturus terræ præsidium.

Deinde Cæsaream Cappadociæ.

Denique nostri progredientes, *Cæsaream* Cappadocum attigêre. Postquam autem Cæsariensium excesêre prouinciam, ad quandam multæ pulchritudinis & situs vberrimi ciuitatem peruenêre, quam trium spatio hebdomadarum Turcorum obsedit exercitus, antequam ad eos pertingeret nostræ expeditionis aduentus: sed nullus eis obsidendo prouenit effectus. Nostris ergo aduenientibus, suâ ipsorum deditione ciuium, vrbs eadem suscepta est. Hanc eques quidam, qui *Petrus de Alpibus* vocabatur, à Principibus precariò exegit: quatinus quantum ad Imperatoris Græci, ac procerum fidem nostrorum spectat, defenderet regionem: cui, cum nimio affectu, vti fidelitas interpellantis emerebatur, indulta est. Nox diei illi accesserat, *Boëmundo* auditum est, quòd hostes, qui pridem vrbem illam obsederant, crebris, sed non magnis promotionibus subsequentes, nostros præcederent. Contentus itaque solâ sibi pertinentium militum comitiâ, præcessit; sed eos qui quærebantur, non reperit. Vrbem quoque, quæ *Coxon* apud eos dicitur, attingunt: vbi earum, quæ vsui habilia erant, rerum plurimam opulentiam repererunt. Loci ergo illius indigenæ, intra ciuitatis portas, nostris gratanter admissis, trium illos dierum opportunâ satis refectione confortant.

II.

Audit præterea *Sancti Egidij Comes* Turcos, qui Antiochenæ vrbi consueuerant præstare custodiam, ab eius decessisse præsidio: partémque sui præmittit exercitus, qui eam obtineant, & dominio seruent eius. Electis igitur de propriæ militiæ primoribus quatuor, quorum tribus idem inerat, scilicet *Petri*, vocabulum, quartus *Guillelmus de Monte Pislerij* dicebatur, qui & apud nos armis celebrior habebatur, dirigit eos illò cum quingentis equitibus. Haud procul itaque ab vrbe prædicta, vallem intrant, & in ipsa valle castrum reperiunt: & ibidem ciuitati Antiochenæ, Turcos cum manu copiosa præsidere audiunt: quos etiam maximo apparatu & armorum & hominum sese instruere contra Francos, si quando sibi ingruerint, addiscunt. *Petrus* ergò, vnus ex his quos superius *Petros*

vocari diximus, cui etiam agnomen à loco, qui *Roasa* dicitur, fuerat, à sociorum cœtu se diuidens, vrbis cuiusdam quæ *Rugia* dicitur, vallem ingreditur: & inuentis Turcis Saracenísque, cum eis congreditur: & interemptis eorum quamplurimis, alios persequitur. Hoc Armenij attendentes, & de viri fortitudine iocundati, propter insolitam aduersum Turcos audaciam, ditioni illius se mancipant. Nec mora, cuidam *Rusæ* nomine, ciuitati, habitatorum deditione, præficitur: in plerisque itidem castellis excipitur.

Exercitus autem residuus, à *Coxon*, illa quam diximus vrbe, digressus, per angustam ac confragosam incredibiliter, quorumdam processit montanorum semitam, adeò arduorum, vt nemo eum qui præibat vllatenus præcedere posset. Sed alios post alios sigillatim pedetentimque procedere necesse foret. Arcto namque & nimis scrupeo calli prærupti * maximi vorago subtererat, vbi, si equum equo offendi contingeret, desperabili statim præcipitio deperiret. Videres cuneum militarem, qui pridem insolentiâ itinerum, inediâque de equestribus pedites facti erant, feralibus affici tristitiis, pugnos collidere, vellicare capillos: & mortis sibi imprecato exitu, loricas & galeas, quælibet arma, sine vllius precij respectu, denariis tribus aut quatuor seu quinque distrahere: & dum non suppetit emptor, clipeos, aliáque peróptima in profunda disijcere, dummodo valerent tanto discrimine corpora, vix sibi sufficientia expedire. Ex his tandem scopulis ac rupibus, postquam cum intolerandis emersêre laboribus, vrbem quamdam *Marasim* dictam introeunt, cuius ciues eis obuiam lætabundi prodeunt, & abundè exercitibus venalia conuehunt. Recreauitque exhaustos tellus vberrima, quousque restitueretur eis Domini *Boëmundi*, qui subsequebatur, quémque præstolabantur ibidem, præsentia.

al. * maxima.

CAPVT II.

III. Antiochiã tandem perueniũt; quam & expugnant.

Denique perueniunt in illa campestria, vbi Syrorum prædicatissima metropolis sita dinoscitur *Antiochia*, cuius titulorum sunt specialia, præter ea quibus ad sæculum floruit priuilegia, quod Christiani nominis inde pullularunt insignia. *Pharphar* ipsius ciuitatis fluuius nuncupatur. Ad cuius cùm nostri peruenissent contigua loca pontis, quidam ex eis quibus præcedendi castra officium fuerat, maximam Turcorum offendêre manum, qui plurimis suffarcinati copiis: suggerere properabant obsidendis auxilium. Quos nostri vbi perspexerunt Francicâ in eos ferocitate concurrunt, & penè sine vllo temporis interstitio subigentes, hac illácque dispergunt. Laniant miseros instar arietum, & quæ paulò ante terrere potuerant arma, proiiciunt: fugit per cuneos turba gregaria: vulnerant & obruunt, dum mixtim properant, socia agmina: pridem superba rabies, sentit humilia, & quæ nostrorum æstimabat se gauisuram stragibus, lætatur si possit eruere, vel cum pudore, corpora. Hij qui venerant expugnandis ferre suffragium, fiunt continuò congeries fœda cadauerum: & quas deferebant obsidendis copias, destinauit omnipotens obsessoribus, consilio misericordiore, præbendas. Hijs igitur non aliter quàm segetes grandine cõminuuntur, oppressis multa nostris resederunt spolia: innumera frumenti vinique relinquuntur impendia equorum, camelorum, asinorúmque pedestribus cessêre subsidia. Itaque nostri super præfati fluminis oram castra constituunt.

At *Boëmundus*, iunctis sibi lectissimorum militum millibus quatuor, portæ ciuitatis sese opposuit: & ne quis ab ea exiret vel ingrederetur in ipsam, vigilias eâ ibi nocte continuauit. Postridie ad ipsam vsque Antiochiam, duodecim Kal. Nouembris, cùm quarta esset feria, & media iam ageretur dies, deueniens consedit exercitus, trium ciuitatis portarum, obsidentium diligenti instantia, præpeditis aditibus, sed quarto vacante, quoniam nullus ei obsidendæ patere poterat locus, montanorum contiguorum altitudine plurima, angustiáque obstantibus. Tantus autem non modò ciuibus, verùm Turcis præstantibus, nostrorum metus incutitur, vt eorum contra nostros nemo procederet; nemo, ac si nundinas acturi venissent, vlla eis hostilitatis molimina intentaret: & hæc fucatæ superficies pacis quindecim fermè diebus, veluti conclamatâ, perstiterit. Circa vrbem autem ipsam, fertilissima huius obsidionis extitêre primordia; omnium vsui conuenientium, tempore nouorum inibi recens acto, feruebat opulentia: vineas, sed quo tempore miror, vindemia dependente refertas; frumenta non horreis sed foueis atque cuniculis, immersa vbique reperiebant: cum nec arboribus poma deessent; & quælibet vitæ ipsorum commoda solo vberrimo suppeditante confluerent.

Armenij autem & *Syri*, ex quibus præter, vt sic dixerim, Turcos epibatas, tota vrbs illa constabat, cùm vrbem ipsam incolerent, & Christianæ sese titulo conditionis efferrent, crebrò nostros inuisere; & esse eorũ vniuersum addiscere; & suis, quæ apud nostros aucupati fuerant, nuntiare. Cùm enim Francos suæ assiduæ confabulationis visco allicerent; & se à Turcorum facie fugitare, multæ adulationis lenocinio; nostrorum auribus

mussitassent, vxores tamen proprias excedere nullatenus ab vrbe sinebant, & ad ipsas; digressi à Francis, postliminium facientes; quæ istinc subintelligere poterant, ad Turcos Christianorum partium infirmiora ferebant. Proposito igitur eorum cognito; ac essentia Syris interpretibus sita, Turci de ciuitate aliquotiens erumpere, aliqua nostris subripere, dum victualibus quæritandis oberrant, calles consuetos obtexere, plagam montanorum marisque petentibus ex inspetato proruere, nihil ab insidiis & irruptionibus vacare permittere.

f. Scita.

Haud procul autem inde Castrum habebatur quod vocabatur *Areg*: in quo præcipuæ ferocitatis Turcos pro præsidij ipsius tuitione locauerant; qui Francis, aliquotiens inconsideratioribus, frequentium incursuum turbas incutiebant. At Principes, tantæ impatientes iniuriæ; non parua equitum peditumque conflatâ manu; mittunt qui explorent vbinam delitescere soleant, qui tot suis mala irrogant. Repertoque eorumdem latibulo, obuios quidem primò se illis præbent; sed postmodum, fugâ callidè simulatâ, eò se ab insequentibus duci sinunt, vbi indubiè nouerant latere in insidiis *Boëmundum*. Ibidem, Turcis insectantibus, duo ex nostris occubuerunt. At de latebris sese Boëmundus excutiens, hostibus cum debita animaduersione occurrit; eos qui videbantur terga vertisse reduxit, & confertissimâ armorum consertione conflixit. Ex eis itaque plurimos interimit, alios captiuos abducit; ad vrbis portam quos cœperat pertrahit, ibique, ad terrorem spectantium ciuium, capitibus cædi præcipit. Ast aliqui ciuitatensium, cuiusdam conscendentes portæ suprema, quaquaversum fatigabant nostros suarum iactibus sagittarum: in tantum vt intra ambitum castrorum Boëmundi, missilium nimbus influeret; & mulier ibidem ictu sagittæ occumberet.

Denique Principes consilium communicant, constituúntque & ordinant, vt castrum fieri deberet in cuiusdam vertice montis, quod *Malrequard* appellarunt, cuius præsidium formidinem sibi valeret submouere Turcorum. Fiebat itaque oppidum, sed præcipuè illic videres, in lapidum comportatione, primorum manus elaborare Principum. Non istic egena manus conqueri poterat, aliquas sese per maiorum potentiam angarias tolerare, cùm eos qui sibi dominabantur attenderet, in extremi etiam executione operis, nullo modo sibimet ocium indulgere. Sciebant namque piæ naturæ instinctu, etsi non legerant, quòd *Marius* ille secundùm *Salustium* ait: *Si tu te*, inquit, *molliter agas, exercitum autem imperio cogas, hoc est Dominum non Imperatorem esse*. Peracto itaque castro, Principes illud custodiêre vicissim.

Appropinquabat Natale Dominicum: & frumentum, cæteraque corporum alimenta cœperant vehementer imminui; & caro constiterat in toto exercitu omnia vendi. Victualium quærendorum caussa nulla patebat facultas vel longiusculè euagari: intra Christiani quoque hominis fines, nihil penè iam ad * vsum pertinens poterat reperiri. Porrò in *Sarracenorum regionem* non nisi cum expeditione plurima quisquam valebat progredi. Igitur vrgente inedia, coacto Proceres concilio sese discutiunt; qualiter consuli debeat tantæ frequentiæ hominum, famis atrocissimæ, nisi ei subueniatur, subituræ periculum. Tandem vicaria consultatione reperiunt; vt aliqua pars exercitus stipendiis vndecumque contrahendis insisteret, altera cœptæ obsidioni vacaret. Ad hæc itaque *Boëmundus* intulit. *Si vobis*, inquit, *ô strenui milites, tutum videtur: ego Flandrensis Comitis suffultus comitia, victualium procurationi operam dabo*. Quod à quibusque iunioribus tantâ est gratulatione susceptum, quantò maiori extabuerant, non modò ariditate, verùm omnimoda necessitate ciborum. Celebrata itaque, affectu & alacritate qua poterant, Natiuitate Dominica, postridie, cùm esset secunda feria, duo illi prædicti Principes, allectis sibi viginti peditum militúmque milibus, Sarracenorum prouincias depopulari aggrediuntur.

al. * esum.

CAPVT III.

IV.

INterea Turci, & Arabes, Sarraceni aliique Gentiles, qui coierant ab Ierusalem & Damasco, & Halep, aliisque gentibus, pari animo conglomerati, præsidium eidem laturi, cum infinito agmine, Antiochiam properabant. Hij iam comperérant Christianos in suos fines, pro frugum cæterorumque vtilium collectione, cursuros: & crepusculo adhuc dubio, contra nostros acie præparata, vbi eos expectare didicerant, cum alacritate in tristitiam mox vertenda, contendunt. Dispertiuntur itaque sese per duarum acierum turmas, alteram à nostrorum frontibus præmittentes; alterâ retrogradâ omnem eorum ambire exercitum molientes. At *Flandrensium* Comes, de diuina nullatenus virtute diffidens, præfixo cordi ac corpori suo signo Crucis, fretus insigni Comite *Boëmundo*, ea, qua tantos decebat viros, hostibus magnanimitate occurrit. Pugna conseritur; sed in ipsa primi attentatione congressus, fugax hostis auertitur.

Mutantur bella trophæis: atque terga vertentium illisa corporibus, multipliciter rasilis hasta confringitur. Fraxinos creberimè longas hostilis excipit vmbo, & magnis impactæ viribus, per nimietates ictuum in hastulas minutantur. Galea mucronibus oberta, occipitium non defendit à vulnere; loricarum, vt putabant, impenetrabilium prætextiones, tenuitatis accusant. Nullis corporum partibus munimenta profuerant; quidquid tutum Barbari iudicant, infirmatur: quidquid Franci terigêre, conscinditur. Sternitur campestris superficies numerositate cadauerum: & crebra mortuorum congeries, graminosi pridem ruris exasperat æquor: inuiso vbique, terra gentilium cruore respersa, nigrescit. Qui nostrorum cædi fuêre superstites, vitam sibi gressuum celeritate lucrantur; & spoliis propriis, non ad horum caritatem, sed ob sui agilitatem exonerari lætantur. In alterum itaque statum, sese animi nostrorum habitudo commutat, dum metus in audaciam, pugna in victoriam, mœror in lætitiam, fames in opulentiam suscitatur: nudus induuiis, pedes vehiculis, pauper pecuniis, erutus gratiis, victor tripudiis ampliatur.

V. Interim dum ista geruntur, *Turcos*, qui Antiochiæ præerant, *Boëmundum* cum *Flandrensi Comite* obsidioni deesse non latuit. Tanta ergo tutiores absentia, sæpius ad bella lacessere nostros exibant sollicitè, quæ pars obsidentium haberetur infirmior, aucupantes. Tandem aptum diem, cùm esset tertia quædam feria, suæ fortitudini exerendæ videntes, subitò minus prouidis ingruunt; & ex peditibus militibúsque quamplurimos, dum nihil verentur, occidunt. Magnificus quoque *Podiensis* Episcopus suæ curiæ maiorem, eundémque signiferũ suum, inter eos qui perimebantur, amisit. Et nisi fluminis alueus, cuius crepidini castra confederant, interiacens obstitisset, nostrorum internecio non parua & quàm crebra fuisset. Ad hæc egregium *Boëmundum* regredi contigerat*, direptis Sarracenorum prouinciis; & ea in quibus Tancredus morabatur montana reuisere: dum æstimat aliquid, quod prodesset obsessoribus ciuitatis, se posse ibidem reperire. Cùm enim quidquid præ oculis habuerant quique nostrorum diripuissent, multi tamen ex eis nihil inuenêre; vacuíque rediêre, eorum scilicet quæ victui necessaria forent.

At nusquam expers consilij Boëmundus, dum eos ineptè oberrare conspiceret, adoritur, dicens: *Si commoda vitæ vestræ disquiritis; si vestris ritè, prout vrget inedia, corporibus prouidetis, ita agite, quatenus dum victus quæritur, victum quærentium nullo modo vita necetur. Desinite discurrere montanorum per auia: cum sciatis hostes vestros incognita vobis horridarum solitudinum fouere latibula. Iunctus pariter (alter enim ex altero fit fortior) procedat exercitus, vt si parti infertur violentia, partis alterius valeat experiri præsidia. Sic enim, si ouis à manu vel præsentia pastoris exerrat, rictibus dinoscitur patere lupinis: sic miles si à commilitonum contubernio soliuagus exeat, quibuslibet proculdubio ludibrium prædonibus extat. Satius itaque vobis sit apud vos & cum vestris, vel tenui cibo pasci, quàm inextricabili captiuitati addictos lautiori edulio vesci. Itaque vnà ire, paritérque redire, cœtibus delectari, præsumptiuè nil agere, quorumque est censura bonorum: liberè euagari perire volentium.* Dixit, & ad socios repedans, in nullo obsessores reditu suo opulentiores reddidit.

Verùm Armeniorum Syriorúmque calliditas, cùm videret in exercitu extenuari cibaria, exinaniri venalia, per quælibet sibi cognita obambulantes loca, coëmptas circumquaque fruges ad exercitum inopia laborantem deferunt; & adeò immoderata caritudine vendunt, vt asini vnius exfrumento sarcina octo eorum Byzanteorum precio distraheretur, quos ibidem *purpuratos* vocitant, qui centum viginti nummorum solidis æstimabantur. Ibi pensari potest, quàm horrendo famis succubuêre discrimini, quibus nulla suppeditabat facultas precij. Et vbi Principes coangustare iam cœperat pecuniæ difficultas, quid ageret ille, quem omnibus pridem opulentis, iam extrema premebat egestas?

VI.

Torserat grandis cruciatus illos,
Victus artabat tenuis supremos,
Viribus fusis rabies famei
Reddidit imos.
Copiæ panum fuerant remotæ,
Non boum carnes, nec erant suillæ:
Vulserat passim manus indigentum
Gramina quæque
Quidquid escarum poterat fuisse,
Suppetit tandem reperire nulli.
Soluerant artus, tulerant & ausum
Pectora laxi.
Tenditur dirum cutis in tumorem
Qui cibi nullum tenuêre morem.
Esca defecit, periit facultas:
Dant ea mortem.
Soluit occisos breuis angor omnis,
At fame tactos agitant dolores:
Vnde protractæ meliora gestant
Præmia mortes.
Hos fouet planè cibus Angelorum,
Optimo gaudent brauio laborum,
Quo magis pondus tolerasse constat
Suppliciorum.
Cæteri pugnant, variosque casus

Ferre concertant, grauibus secunda
Vlla vix præstant, meliora lætis
Tristia censent.
Iam cruces CHRISTVM geminas ferendo
Prosequi curant, potiora iussis
Aggredi gaudent quibus autor vnam
Iusserit isdem.
Huic *fames atrox cor inane carpit,*
Aridus dudum stomachus fatiscit:
Viscerum strages, cerebri ruinas
Passio fecit.
Intus hæc tabes animum fatigat,
Inde bellorum feritas molestat,
Et dies & nox ibi plena curis
Cædibus instat.
Acris extat mens, tenuésque vires;
Ægra sed mentis reparant vigores
Inque fundendos minimum verentur
Ire cruores.

CAPVT IV.

VII. Guillelmus qui se inaniter prædicabat, clàm aufugit.

GVilelmus interea quidam, qui *Carpentarius*, non quia faber lignarius esset, sed quia in bellis cœdendo more carpentarij insisteret, dicebatur, homo Transsequanus; dictis potens, sed opere parcus; *magni nominis vmbra*; vir maiora se aggrediens, & qui nihil relinquebat explicitum: qui etiam cùm Ierosolymitanum esset aggressurus iter, direptis contiguorum sibi pauperum substantiolis, profanum viaticum præparauit: is, inquam, inediæ, quam multò egentiores summa cernebat tolerare fide, impatiens, silenter aufugit. Cuius quidem in armis gloria: in iactantia verborum solummodo habebatur: nullatenus in re gesta. Is in Hispaniis, cùm expeditio Francica ad auertendos, qui ex Africa ibidem confluxerant Paganos, moraretur: iste cuius vniuersa erat in verbis audacia, fœdè recessit, & innumeros sua auersione fefellit.

Nec sine euidenti Dei creditur accidisse iudicio: vt, quos popularis celebriores fama reddiderat, deterrimos omnium, laborúmque impatientissimos, ostentaret diuina sententia. Nec in huius solùm persona id portenti patuit, verùm de aliis, quorum supersedebo nominibus, id ipsum claruit: vt quorum hic inter nos armorum terribilis admodum fuerat & famosa ferocitas, eorum in illo Dominico exercitu, mitior fieret etiam leporibus miseranda tranquillitas. Quod quantò à recto diuersius fuit, tantò magis contemptibile haberi debuit. Si enim hîc positi, dum sine iure pugnarent, dum sceleste pauperes præda eisdem fierent, non immeritò planè inter ista, pro animarum suarum damnatione, timidi fuissent: at verò, vbi omnimoda salutis erat * æternæ securitas, ibi profectò fuit criminosa timiditas.

al. * internæ.

VIII. Petrus Eremita in insipientiam versus, excessit.

Ad hoc, vt stellæ quoque iuxta Apocalypsim de cœlo cadere viderentur: *Petrus* ille, de quo supra actum est, celeberrimus Eremita, & ipse in desipientiam versus, excessit:

Quo geris hæc Petre consilio? cur nominis immemor extas?
Si Petra constat origo Petri, solidum quid denique signat,
Quid tibi vis meminisse fugæ? faciles nescit petra motus.
Siste gradum: veterem recolas heremum, ieiunia prisca.
Iunxeris hactenus ossa cuti, tenui radice runetem
Tendere debueras stomachum, pecuali gramine vesci
Quid dapis immodicæ memor es? nil tale monasticus ordo,
Nil tua te genitura docet: vel te tua dogmata pulsent.
Ceu populos ad id angis iter: fieri quoque cogis egenos.
Sic præiens modo iura feras: quæ quosque docendo tulisti.
Hic aliquando fugax cereris, pisces ac vina terebat.
Sanctior esca foret Monacho, porri nasturcia, napi,
Cardamus, atque nuces, corili, tysanæ, frux, lentis, & herbæ,
Pisce meròque procul posito, frusto tamen addita panis.

IX. Guillelmum & Petrum Tancredus redire cogit.

Hos itaque piæ obsidionis, immò sanctæ passionis refugas, *Tancredus* vir pertinacis in hoc CHRISTI negotio constantiæ, persequitur, comprehendit: & vt par erat, non sine plurima eos contumeliarum illatione, reduxit. Quibus tamen reditum sermone spondentibus, credulitatem distulit, donec fide mediâ vterque pepigit, quòd ad exercitus communionem redirent: & Principum iudicio pro militiæ desertione satagerent. *Guillelmus* igitur, vellet nollet remeare compellitur: & pro curia magnifici Boëmundi, totâ nocte ibidem excubaturus, exponitur. Postero verò die, vbi auroræ fibra recanduit, ante illius viri spectabilis ora inducitur. Cui eo quo merebatur pudore suffuso, ita Senior ille proloquitur: *Cùm*, inquit, *vbique gentium Franciæ nomen Regiæ, inter omnia Regna, maiestate præmineat, cùm virtutis atque constantiæ, post DEVM genitrix integerrimos hucusque viros emittat, te, garrule nequam, & omnium impurissime, te suo dedecori ac infamiæ tulerat: te à modo, ac si portentum*

habeat. O bone rerum Pater, cuius modi Carpentarium habebamus: qui sicut architectus dolabro lignum: ita lanceis & ensibus triuerit terga Gentilium? Ecce ictuum assiduitate faber idem mille interdiu spatas obtuderat: & populos Ethnicorum solus ipse, feriatis nobis exciderat. Vbi est illa fastuosa rigiditas, & circa Ligerim ac Sequanam innutrita loquacitas, vbi constare dinoscitur parsimonia actus, & crepitat indesinens loquacitatis tronitrus? Solus iste laboranti poterat succurrere Lunæ, cum tamen nil efficax, fœdè torpens, prætendat in opere. Et certè competebat illi tuæ tantæ fortitudini, vt qui gentis Dominicæ extitisti proditor in Hispania: idem cœpti honoris hic habiturus cumulum, molireris in Syria. Esto. Planè tibi conueniebat nil aliud agere: & ideo super reatu adeò turpi, largißima venia donabere.

Iam huius tam irrisoriæ declamationis, Francos circumstantes pudere cœperat: vixque à viro substomachante impetrant, vt sileat. Pepercit improbo illustris viri seueritas, non ignara modestiæ: eo quidem contenta tenore, vt dato polliceretur Sacramento, numquam se ab Ierosolymitano resilire itinere, siue prospera occurrerent, vel tempus obuiaret inopiæ: spondet & ipse Tancredum, qui eum à subterfugio cohibuerat, amicum deinceps fore, si eum viriliter constiterit permanere. His dictis vtrobique assensum est. At non multo post tempore *Carpentarius* ille mirabilis, qui quondam, in tuto positus, carnificium se exercere minabatur in Turcos, sacramenti incontinens, fideique prodigus, furtiuus fugam iterare non distulit.

Has autem exercitui ipsi, licet pio, penurias obrigisse nulli mirum habeatur: cùm indubiè credi possit, quia diuinæ, quæ eis si benè agerent non deesset, prosperitati, maximis criminibus obluctabantur. Cùm enim tanta eos vrgeret egestas, & quique negatis atrociter profligarentur eduliis, si quempiam ab exercitu remotius ire contingeret, pro pretio exiguo aliquis, non alius tamen quàm nostrorum, eum si solum reperiret, occideret. Inde igitur ea per omnes infelicitas bacchabatur, vt vix in tanto hoste mille equi reperirentur: hinc panis vniuersos feraliter excruciabat angustia: quæ tamen non arcebat, sed aliquos acriùs instigabat ad crimina. His verùm sibi diuinitùs accedentibus flagellis, non dubium est multos eorumdem ad sui recordationem pœnitendo reductos: & de suis desperantes viribus, ad DEI solius subsidium, sub tanta miseria, vnicè præstolandum, spei instinctu melioris, appulsos. Fiebant planè his iam eruditiores euentibus, vt quò magis suas attenderent aut copias extenuari, aut fortitudines eneruari, eò amplius ad Deum, cui omnia possibilia crederent, docerentur debitâ humilitate subiici.

X.

Præterea, quidam quoque ex legatis, nisi fallor, tyrannici Imperatoris, qui *Tetigus* vocabatur, & illi obsidioni intererat, vir siquidem grauis æuo, sed naso, quâ nescio occasione, deciso, & ob id vtens aureo: hinc timore Turcorum coactus, illinc famis periculo coartatus, multâ mendaciorum coornatione politus, Seniores adoritur: *Vestram, ô Optimi Duces, excellentiam grandis cogit scire necessitas, quantis intra nos anxietatibus deprimamur: quantis etiam extra terroribus stimulemur. Et cùm foris habeantur pugnæ, intus famis non desistant nos excruciare dolores, nullum vsquequaque patere videtur effugium: nullum adiacet quod nos faciat respirare solatium. At, si prudentiæ vestræ fore credatur idoneum, detur mihi facultas in Romaniæ partes eundi, & faciam istinc frumentum, vinum, hordeum, carnem, farinam, caseumque & cætera diuersis vsibus commoda, tum plurima ac frequenti classe deduci: ac indesinentem quorumque venalium per maria commeatum, imperatorio passim præeunte edicto, procurabo institui. Equorum, & si quæ sunt alia animalium atque vectigalium vtilitates, omnis vobis per terram, Græcorum prouincia deportabit: Imperator ipse, quem vestra latuit hactusque penuria: ad deferenda indigentiæ tantæ subsidia, summoperè vbi comperierit, properabit. Et vobis sacramento astruam quòd hæc, vt dixi, omnia fide perseueranti compleam: quæ etiam cum explicuero, cœptæ huius obsidionis laboribus me nullatenus repræsentare timebo. Quòd si vestrum contubernium, famisque participium me detrectare veremini, ecce tentoria mea: ecce remansuri sunt apud vos necessarij mei, quos etsi ad tempus reliquero, in finem contempsisse non potero.* Dixit, & procerum aures multæ lenocinio circumlocutionis illexit. Igitur ille recessit omnino non veritus crimen quod in eum, turpiter dum peieraret, incessit; nec vnquam deinceps ad id quod spoponderat, cuncta mentitus, accessit.

XI. Ingenti fame cruciantur oppugnantes vrbem.

Itaque in tantum eos cœperat instantia hostium visque constringere, vt nostrorum nullus, pro quocumque negotio, præsumeret papiliones suos aut communia castra excedere. Ad hoc omnino miserabilius eos inquietabat domestica, & rabiei simillima pestis inediæ. Si enim, vt ait quidam, *Nihil illâ fame molestius quæ extorquetur inuito*: quas torsiones æstimamus passos, quibus continuè crucibus addictos, qui nullâ spe ad modicum, vel falsâ, releuati, illis verè inexpugnabilibus muris quotidie adsidebant? Vulgus autem, pauperie omnimodâ exesum, per diuersas oberrabat prouincias: alij Cyprum,

Romaniam aliqui, quidam per montana vagari, victus insufficientia coangustante, iam cœperant. Porrò viam maris, occursus vbique Turcorum creber occluserat. Nusquam denique patebat nostris exitus.

XII. Audiens interea *Boëmundus* innumera Turcorum agmina nostrorum superuenientia castris, Principes alios aggreditur, dicens: *Cùm tanta iam nostri paucitas exercitus habeatur, vt vni conficiendo certamini tenuis iam ac insufficiens videatur, nedum ad duo exercenda prælia bifariam disparetur: retractandum nobis est, si à nobis, cum qualicumque exercitu, Turcis obuiam ingruentibus itur, quis huic ciuitati obsideri cœptæ, impugnator interim, quis tabernaculorum nostrorum defensor relinquitur? Si ergò vestro ratum videtur arbitrio, delectam optimorum partem peditum, ad custodiam vrbis destinemus obsessæ; equites verò, quasi fortiores, Turcorum insaniæ comparari debere censemus.* Dixerat, & nulli Principum ab eius dissensêre consilio.

CAPVT V.

XIII. *Boëmundus Turcos aggreditur.*

IAm hostium examina iuxta Castellum vrbi contiguum, quod vocabatur *Areg*, Castra posuerant, trans pontem Pharphareum. Dies erat procliuis ad vesperum, & omni *Boëmundus* citatâ militiâ de castris egreditur, & properans inter flumen adiacentémque lacum castrametatur. Vbi mane inclaruit, celerrimè exploratores dirigit, vt Turcorum quantitate perpensâ, qualiter se agant, & vbi commaneant, festinent renuntiare maturiùs. Paulò processerant, hostésque quorum personabat aduentus, quærere cœperant, cùm ecce infinita eorum cernunt emergere examina, per duarum acierum legiones disparata; retro verò eorum pedetentim multitudo subsequebatur maxima. Quibus prospectis quantocius regrediuntur: *Hostes*, aiunt, *iam imminent, videtote vt fortes vos & paratos inueniant.* Ad hæc *Boëmundus*, suis in CHRISTO fratribus ac commilitonibus excitandis, eloquitur:

Milites adhortatur.

Victoriarum vestrarum, ô optimi milites, creber euentus, non paruæ vobis ministrat occasiones audaciæ. Fidei hactenus contra perfidiam bella gessistis; & inter omnia discrimina felices exitus habuistis. Delectare vos profectò iam debuit CHRISTI fortitudinis sæpissimè euidens experimentum: præsertim cùm certo certius noueritis, in illis quæ potissimùm vrgebant præliis, non vos pugnasse, sed CHRISTVM. Quæ ergò valeat vestræ menti, pro incursu aliquo, desipientia desperationis irrepere, quos, mala nulli hactenus attentata, Deo subleuante, euadere quibus triumphos homini impossibiles contigit prouenisse? in tantum iam precor, apud vos fides experta proficiat, vt nulla vobis humana deinceps fortitudo resistat. Hac itaque animos tutiores efficite, cautè procedite, & CHRISTVM vestra, vt assolet, vexilla ferentem, totâ mentium acrimoniâ consectari nunc, & conclamare curate.

Quibus fideliter ac viuidè circumspectéque se acturos acclamantibus, & acierum quoque suarum eidem distributionem, vtpote bellorum expertissimo credentibus, iubet idem *Boëmundus* quemque Principum appendices suas sibi colligere, & propriam singulos aciem ordinare. Sex igitur, vti dixerat, aciebus expositis, ad peruadendos hostes factis singillatim cuneis, cum summa cautela quinque procedunt. At *Boëmundus* cum suo agmine, ad ferendum, si necessitas incubuisset, subsidium, posterior sequebatur. Nostris itaque, hoc modo distinctis, dum animis spirantibus stipati, confertissimè gradiuntur ad prælium, alter alterius latere tacto solicitabat socium: vt nullus, quantum spectaret ad cuiusque personam, pateretur claudicare conflictum. At vbi res manibus agi cœpit,

Nec morâ, curuatis adeunt hastilibus hostes,
Cúmque calent animis, & equos calcaribus vrgent,
Ac vtrobique feris quatitur clamoribus æther,
Concurrunt acies, torserunt spicula Turci.
Francigenæ impactis terebrarunt pectora telis.
Ictibus ensis hebes fuerat, fecère fragorem
Collisi calibes: molitur vulnera ferro,
Quæ sitit obscenum rapidissima dextra cruorem.
Ac si cornicum videas examina mota,
Et velut immodico processerit agmine turdus:
Sic cœleste iubar tunc protexère sagittæ,
Aëra densantes iaculorum grandine cæcum.
Arma crepant & equos rapit impetus, æsque retinnit:
Cæsa dolent, victricia gaudent, dissona vox it.

Vbi verò totum pondus exercitus quod primas subsequebatur acies, atrocissimo illi certamini se infudit, cœpit nostrorum graui hostium impetu acumen obtundi; & eorum proficiente numero, à proposita virtute parumper inflecti. Quod *Boëmundus* attendens: qui custodias retrò auxilium laturus obseruat, multæ animaduersionis motu infrenduit. Comitem stabuli ergò accersit suum, *Robertum* scilicet Girardi filium, illócque dirigit: *Vade*, inquit, *vtere iam nunc magnanimitate quâ debes, & quæ tanto negocio competit, & assumpti huius intentionem tibi propone laboris, dum causam nobis & tibi fore noueris totius Christianitatis auxilium, Ierosolymam DEO redimere, ac eius liberare Sepulchrum. Nec minus tibi constat, diuinis potius adiumentis id operis administrari, quàm humanis.*

Age itaque & tuam patienti CHRISTO, iam defer audaciam, nec tam opportunus te segnem locus inueniat, quem tuo forsitan Deus honori præparat. His concitus ille sermonibus, totâ Deo mente innisus:

Exilit, & densas dirimit mucrone cateruas:
Signa Ducis præfert, quæ sic diuersa veretur,
Vt sibi dum præeunt pars nostra vigore leuetur.
Non igitur secus ille furit, quàm fœtibus orba
Assolet ereptis, obiecta necare leæna.
Mucro vias aperit, confertum discidit agmen:
Obuia contuderat, cuneum docet ire sequentem.

Tandem victoriam referunt Christiani.

Hinc itaque nostri, dum Boëmundi non incognitum signum sibi in nullo vacillare conspiciunt, & prædictum Stabuli Comitem tantâ in Turcos animositate bacchari, resipuêre simul, tantáque hostes violentiâ propulêre, vt solius fugæ cogerentur sperare præsidia: Nostri denique fugientibus instant: & dum sine ordine properant, præcipites actos vsque ad Pharpharici pontis angustias, cædere ac detruncare non cessant. Quâ Turci cæde susceptâ, castrum, quod *Areg* superiùs nominaui, subintrant, omnimodis spoliant; ignem municipio eidem subiiciunt, numquámque deinceps ad id redituri diffugiunt. *Armeniorum* autem, *Syrorúmque* gens perfida, qui inter vtrosque populos medij, præliorum aucupabantur exitus, vt cui cessisset victoria, illi potissimùm inhærerent: dum Turcos inferiores attendunt, aggrediuntur quasque semitas obsidere, & Turcos prætereuntes perimere. Igitur ex hiis quæ hostibus detracta sunt victis, crudelis nostrorum indigentia illa conualuit, equis & sumptibus subleuatur; ab ipsis insuper, euentu triumphorum crebrescente secundo, Turcorum feritas contemnitur. Vnde & post victoriam, centum eorum qui bello occubuerant capita præciduntur, & ad Turcorum, qui obsidebantur exanimationem, ante muros Antiochiæ suspenduntur. Est autem consuetudo Gentilium, vt cæsorum capita ad indicium victoriæ reseruare ac ostentare soleant.

Fidem amplexurum se Imperator spondet, si à Turcis ablata ipsi restituantur.

Interea dum hæc peraguntur à nostris, *Babylonicus Imperator* legationem ad Principes nostri exercitus direxerat, per quos de his quæ erga Turcos egerant eis gratulabundus extiterat, pariter quoque, & si falsò, spoponderat, quòd Christianus fieret, si gens nostra Turcis ea quæ de eius Imperio diripuerant, ademisset, sibíque restitueret. Diximus planè superius Babylonicum Imperium longè potentius Regnis Orientalibus extitisse; sed Turcos armis animísque ferociores multa eius vsurpasse. At hij qui vrbi obsidendæ relicti fuerant, & ipsi quoque cum *ciuitatensibus* acerrimè conflixerunt, non modò vno in loco, sed ante portas ferè omnis eius vrbis. Dies autem triumphi huius quinto Idus Februarij, pridie ante ieiunij caput. Nec id iniuriâ, vt qua die ante ipsa ieiunia debentur Christianis epulæ, eâ, quam potissimum affectabant, hostium iniquorum saginarentur cæde. *Franci* igitur, tantæ victoriæ feruente tripudio, votorum multitudine Deo cooperatori gratulantes, non sine plurimo prædarum fructu, ad castra recedunt: *Turci* verò impatientes præ pudore videri, cuniculis & caueis, si valerent, regrederentur in patrias.

CAPVT VI.

XIV. Castrum prope vrbis obsessæ portam constituitur.

Denique maiores exercitus, dum crebrò perpendunt plurimas se perpeti ab his qui obsidebantur incursuum indignitates, coacto Concilio diffiniunt: vt antequam aliquam quouis casu suæ militiæ minorationem patiantur, ad portam vrbis, vbi eorum fanum habebatur, vbi quoque pontem constat haberi, castrum instituant, vnde aliquantisper hostium tentamenta restringant: cui eorum sententiæ, cuncti sunt iuniores assensi. Ad hæc *Sancti Egidij Comes* primus intulit: *Ego*, inquit, *stipendiis fulciam: idémque seruabo castellum: tantùm mihi opitulamini ad ædificandum.* Cui refert Boëmundus: *Si libitum vobis sit, spondeo me iturum cum Comite isto, qui se praeobtulit, ad* portum Sancti Simeonis, *vbi pariter eos tuebimur, qui huic insistent operi: Residui, obsidioni operam dent; nec hostes vrbis portas excedere sinant.* Comes itaque ac Boëmundus ad Sancti Simeonis, vti proposuerant, processêre portum. Hij verò qui remanserant, castellum instituere fuerant aggressi: sed Turci huius ædificij principia vehementissimo impetu turbauerunt. Repentino ergò nostros peruadentes incursu, terga eos vertere coëgerunt, plurimos occiderunt; diem Francis lugubrem intulerunt.

Turci irruptione facta è Christianis nonnullos interficiunt.

Comperiunt postridie Turci aliquos Principum obsidioni deesse, & quòd ad portum Sancti Simeonis abissent: multo apparatu se instruunt, atque à portu redeuntibus subitò occurrunt. Cúmque Comitem ac Boëmundum cum militari frequentia aduentare conspicerent, cœpêre stridores & garritus fædè nimis conclamando emittere: vndecumque nostros ambire, iaculari, sagittare, vulneribus etiam inflictis truculenter occidere. Tanta namque fuit eorum irruptionis acerbitas, vt nostri vix elaberentur per contigua montana præcipites, & quaqua versum patere potuisset excessus. Qui potuit aliquâ volucres, vt sic dixerim, equos celeritate

prætergredi, euasit: si quem Gentilis alacritas reperit segniorem, occubuit. In hac tantâ, quæ putabatur, calamitate, nostrorum millenarium mortui superauere numerum: quos fidei testimonio *probabiles*, iuxta Apostolum, inuentos, gloriosa post necem exceperunt præmia passionum: quibus, si quas necesse fuerit peccatorum luere pœnas, sola sanguinis effusio omnem fuit potentissima purgare reatum.

2.Tim.2.15.

At *Boëmundus* infinita super tali infortunio anxietate detritus, viâ compendiosiore digressus à sociis, cum paucis ad obsidionem peruenit equitibus, quos & reperit congregatos insimul. Efferatis itaque omnium super suorum internecione animis, & CHRISTO amarissimis fidelium singultibus prouocato, eos qui tanta sibi incommoda intulerant vnanimiter inuasuri, ad prælij loca perueniunt. Stabant hostium cohortes, de recens acta victoria, è regione securæ, æstimantes istic se itidem effecturos quæ cum Comite & Boëmundo se egisse iactabant. Verùm malignis de nequitia proponentibus, benignus DEVS piè disponit quæ debeat remedia præstare mœrentibus. Insignes ergo viri, dolore fratrum interfectorum compassionis adacti, signo Crucis Dominicæ frontibus animísque præfixo, vniuersa in illos virium suarum collatione funduntur Quorum illi vnanimitate perpensâ continuò cedunt, & ad Pharpharicum pontem per eius angustias transituri contendunt. Angustabatur transeuntium multitudo dum fuga præproperat, & cum peditum equitúmque cuneus, spatio sese breuiore coaggerat, suum quisque comparem, dum nititur præteruolare, præcipitat. Nec nostris super* isto vigilantia deerat: vt vbi vulgi fugientis frequentia densescere videbatur, ibi non de vulneribus sed de præcipitio ageretur. Quod si quis aquis immersus, aut per pontis columnas rependo, aut manibus enatando ad aridam conarentur emergere, illicò à nostris, ripam fluminis ambientibus, medias vndas cogebatur absorptus insumere.

Illos persequitur Boëmundus, moritéque afficit quamplurimos.

al.* istos.

Tanta autem huius redibitio cædis extitisse cognoscitur, vt Pharpharis vnda potius cruoris quàm laticis putaretur. Tantis ibidem victi victorésque concrepuêre clamoribus; tanta pereuntium & perire cogentium, támque terribilis vocalitas ferebatur, vt pulsari strepitibus cœlorum supremitas crederetur. Crebris telorum iactibus, cæterísque missilibus fiebat nubilus aër, globíque solaris claritas, iaculorum errantium interstitio tegebatur. Mulieres vrbis indigenæ, Christianæ quidem, circa muri propugnacnla spectaculo huiusmodi pascebantur: & dum Turcos perimi, tótque ærumnis addici prospiciunt, à facie ingemunt; sed auersis vultibus Francorum prosperis euentibus latenter applaudunt. Cogebantur autem Armenij ac Syri, cùm essent Christiani, sagittas ad nostros emittere; quidam autem ex ipsis, & idipsum faciebant sponte. Occubuerunt siquidem istic duodecim de eorum primoribus viri, quos verbo Caldaïco *Satrapas*, secundùm eorum barbariem *Admirauisos* dicunt: aliíque quamplures, de magis præditis ac solertioribus ipsorum personis, quibus tota incumbebat defensio ciuitatis: qui ferebantur mille extitisse quingenti. Qui verò huic residui fuêre exitio, nostris, vti ante consueuerant, insultare desierunt: nulla eorum garrulitas, nil deinceps scurrile apparuit: dies ista diuturnum illorum gaudium mœrore mutauit.

Ergò superueniens nox, vulgus vtrumque diremit,
Destiterántque manus, animis agitantibus arma.

In tantum autem hæc nostris profuit victoria, vt numquam vlterius tantum roboris ac virium viderentur habere; eorúmque vox conticescceret irrisoria. Porrò etiam de multis, quorum nostros necessitate constabat vrgeri, affatim refecta est, DEO propitio, indigentia.

Postero igitur die cùm diluxisset, Turcorum aliqui de vrbe prodeunt: mortuorum suorum cadauera colligunt: quædam quidem reperêre: alia verò, intra fluminis alueum enecta disperiêre: & quæ inuenire contigit, ad fanum suum quod *Mathomariam* vocant, vltra pontem Pharpharicum sepeliêre, ad portam Antiochiæ. In quorum tumulis reposuere pallia, Byzanteos aureos, sagittas & arcus: plurâque alia vtensilia, quæ exprimere supersedimus. Quarum inferiarum cùm ad nostros deuenisset notitia, funestum cimiterium illud, multo armorum freti apparatu, adeunt, fractísque sepulchris erui corpora exinde præcipiunt, factáque congerie in cuiusdam foueæ ima deuoluunt. Quorum capitibus tamen amputatis, ad sua ea deportari fecere tentoria: quatenus eorum qui occubuerant, supputatio haberetur certa, exceptis quatuor equorum oneribus, quæ asportauerant Imperatoris Babylonici legati, patratæ scilicet contra Turcos victoriæ testimonia. Quæ Turci attendentes, multo ægrius tulere de expositione cadauerum, quàm tulerant super interfectione ipsorum. Non enim iam mœstitiam, modestis fletibus temperabant: sed pudore recusso, eiulatibus prædicabant.

Tertiâ ab hinc die castrum præfatum ædificare cœperunt: ex his videlicet lapidibus

quos fractis Gentilium sarcofagis tulerunt. Castro denique explicito, cœpit iam ciuitas quæ obsidebatur arctari: in tantum vt is, quem pridem habuerant, iam inciperet tumor omnino reflari. Nostris autem libera quouis eundi aperiebatur facultas: montanorum etiam, quondam difficiles, oportunas deinceps habuere ad quærenda victualia semitas. Igitur omnibus quaqua versum viis Turcorum vtilitati præclusis, quædam pars à flumine, vbi castrum, & iuxta castrum sita erat Ecclesia, possibilitatem exitus siue introïtus adhuc præstare videbatur. Quod si quidem castrum, cùm nostræ esset partis, si fuisset à nostris integrè communitum, frustra iam hostium aliquis prodeundi libertatem præsumeret attentare. Concilio itaque proceres coacto, id reperere consilij: vt vnum è suis eligant, qui castri custodiæ præficiatur, sollicitè muniat, fideliter tueatur, quatenus omnis Paganorum oberrãtium per montes & campos excursus, omnimodis abstineatur: aditus verò vel exitus vrbis nihilominus abscindatur.

Cúmque persona tanto negotio passim per Principes disquireretur idonea, *Tancredus* ille, qui in bellis Dominicis titulum sagacissimæ iuuentutis nunc vsque meretur & meruit, propriæ viuacitatis impatiens, illicò erupit, dicens: *Si scirem pro tanti laboris instantia quid mihi imposterum vtilitatis obtingeret, ego sollicitudine competenti, domesticorum meorum contubernio fultus, idem castrum satagerem roborare; & vias per quas hostes nostri procedendi solent habere licentiam, DEO auxiliante, conabor occludere.* Cuius Principes beneuolâ illatione gauisi, spondent continuò se eidem prębituros quadringentas marchas argenti. Ægrè tali promisso, quia ad quantitatem studij videretur exiguum, Tancredus assensit: attamen, si desisteret ne deputaretur inertiæ, equitibus atque clientibus, qui sibi familiariter adhærebant, confestim & indubitanter assumptis, dominium castelli obtinuit; facultatem egrediendi extra vrbis portas, hostibus abstulit, maximámque eorum quæ ad equorum pabula pertinent penuriam, lignorum etiam cæterorúmque vtilium, plurimam raritatem indixit.

Itaque vir egregius, perseueranter commanere delegit ibidem; & subtractis commeatibus cœpit circumcingere, immo obstruere omni vigilantiâ ciuitatem. Ipsâ autem die quâ idem castrum subierat, magna frequentia Armeniorum atque Syrorum per montana veniebat, quæ obsessæ ciuitati diuersorum alimentorum stipendia conuehebat. Quibus optimus ille eques, vt officij cœpti prosperos haberet euentus, non tam forte, quàm DEO ingerente, fit obuiam; & apprehensis, multam frumenti, vini atque olei, aliorúmque non minus necessariorum diripuit copiam. Nec iam vir bonus conqueri potuit, cùm tam pio exerceretur negotio diuinitus sese oblitum, sed in hac quamprimum fortuna edidicit, quòd, neque vnquam nimiè corporalibus indigeret, & deinde fructus æternitatis, post ipsa carnis subsidia, sibi non deesset ad Deum. Erat itaque Turcis, quolibet extra muros eundi, siue gerendi, penitus circumclusa potentia: hísque quæ infra vrbis mœnia reperiri poterant, cogebantur esse contenti, donec caperetur Antiochia.

CAPVT VII.

XV. Christiana pietas in castris vigebat.

IN hac ipsa obsidione magnus Christianæ legis extitit vigor, vt si aliquem quibuslibet conuinci criminibus constitisset, acerrimæ sententiæ principum exercitus iudiciali censurâ succumberet. Præter hæc autẽ, specialiter corporalis impudicitiæ flagitia iubebantur vlcisci: nec id immeritò. Qui enim penuriis ambiebantur atrocibus; qui quotidie hostium, nisi DEVS protegeret, videbantur patere mucronibus, his profectò nullus rationabiliter debuerat ingeri petulantiæ cogitatus. Et quis ibi esse poterat aditus voluptatis, vbi erat indesinens suspicio mortis? Vnde fiebat, vt ibi nec mentio scorti, nec nomen prostibuli toleraretur haberi: præsertim cùm pro hoc ipso scelere, gladiis, Gentilium DEO iudice, vererentur addici. Quòd si grauidam inueniri constitisset aliquam earum mulierum, quæ probabantur carere maritis, atrocibus tradebatur cum suo lenone suppliciis. Contigit interea quendam prædicatissimi omnium Cœnobij Monachum, qui Monasterij sui claustra fugaciter excesserat, & Ierosolymitanam expeditionem, non pietate, sed leuitate prouocatus, inierat, cum aliqua fœmina ibi deprehendi; igniti, ni fallor, ferri iudicio conuinci; ac demum, Podiensis Episcopi cæterorúmque præcepto, per omnes castrorum vicos miseram illam cum suo amasio circumduci, & flagris nudos ad terrorem intuentium dirissimè verberari.

XVI.

Adhæc etiam vt patientiores ad penurias, circumspectiores ad vitia fierent, præfatus Podiensis Episcopus multifariam exhortationi vacabat: nec vllus dies Dominicus, aut festa apud Christianos transigebatur celebritas, quâ non per quosque castrorum angulos diuinorum verborum prędicaretur auctoritas. Iniungebatur autem id, si qui fortè interfuissent, ab eodem præsule, Episcopis, Abbatibus,

Abbatibus, aut clericalibus, quæ videbantur eruditiores, personis.

XVII. Dignum autem relatu mihi videtur, quoniam se operi nostro Abbatum nomen immersit, quendam ibi extitisse *Abbatem*: qui cùm huius viæ adhuc inter nos tractaretur initium, & se competens tanto itineri non habere comperisset pretium: illud Crucis signum, quod vestimentis ex aliqua materia factum apponi consueuerat, ipse nescio sibi quo artificio mediâ in fronte præsculpsit: vt non modò pictum, sed militaris stigmatis instar ferro esset inflictum: quo facto, vt fraus mendacio firmaretur, ab Angelo sibi per visionem illud celebrauit impressum. Nec spei huius qualiscumque defuit fructus, nam id cùm subintellexisset indocile & nouarum rerum cupidum vulgus, plurimis hominem in sua & extra suam regionem prosequutum est muneribus. Nec tamen poterat argutiam solerter inspicientium, talis latere fallacia: cùm patenter virus extillare videretur Crucis ipsius violenter inscripta lineola. Is tandem profectus, cùm Antiochenæ obsidioni interesset, quæ mendosè confinxerat, licet ab aliis iam dudum deprehensa, aperuit; & lucri intentionem non tacuit. Qui quidem honestè ibidem se habuit, & dominico exercitui multa documentorum gratia profuit. Æmulationem quippe Dei habuerat; sed non secundùm scientiam prorsus id egerat: in tantum autem eminuit, vt captâ Ierusalem, Beatæ Mariæ Ecclesiæ, in valle Iosaphat positæ, Abbas præficeretur; ac tempore succedenti, Cæsareæ Palestinorum metropoli Archiepiscopus crearetur.

Fraus Abbatis cuiusdam.

Qui tamen multùm profuit Christianis.

Factus Cæsareæ Archiepiscop.

Illud autem constat esse indubium, quòd, nisi diuini verbi creberrima eis ministrarentur solatia, numquam inter tanta famis bellorúmque discrimina, adeò perseuerans eorum extitisset patientia. Vnde quoslibet vitâ probos, scientiâ præditos, non minus, immo magis, inter eos valuisse dicimus, quàm eos qui arma ipsa propriis contra hostes tractauêre manibus. *Qui enim animi defectum admonitione consolidat, maior profectò eo est cui vires suo hortatu præstat: præsertim cùm hij qui commonitores erant, eidem tolerantiæ in omnibus communicarent.* Quid de illis ad vltimum dicam, qui in hac ipsa expeditione diuersis in locis Martyrij professione sanciti sunt? Quid, quod non modo sacerdotes, non litterati quilibet, sed viri militares, & quique plebeij, de quibus nulla poterat fore confessionis spes, ad huius sortem gloriæ asciti sunt? Multos etenim captos ex his à Paganis audiuimus, qui cùm iuberentur fidei sacramenta negare, maluerunt capita gladiis exponere, quàm fidem, qua semel imbuti fuerant, Christianam prodere.

Martyrij palmam plures adepti.

Inter quos, specialiter quem referam elegi vnum, militarem equidem virum, genere nobilem, sed præ omnibus suæ cognationis & ordinis hominibus quos nouerim moribus magis insignem. Hunc à puero mihi cognitum, sancto vidi adoleuisse ingenio: præsertim cùm ex eodem quo & ego municipio oriundus extiterit, & tam ipse quam parentes eius, parentum meorum beneficia tenuerit, eisque hominum debuerit; vnà mecum creuerit, mihíque ad integrum vita eius studiumque patuerit. Cùm enim equestri iam præminuisset officio, armorum fuit singularis titulo; sed omnis petulantiæ immunis à vitio. In *Constantinopolitani Imperatoris*, scilicet *Alexis*, celeberrimus palatio: nam in eius obsequiis consueuerat peregrinari sedulò. Qui quidem quantum ad suum spectabat modulum, cùm esset in exteriori benè fortunatus copia, adeò largus habebatur in eleemosyna, in tantum frequens circa diuina mysteria, vt non videatur militis, sed potius Antistitis eius vita. Cùm enim eius recolo iugitatem in oratione, pietatem in verbo, benignitatem in munere, sanctæ eius nimiùm aggratulor intentioni; sed non minus ingemo meæ. Talem enim ipsius sum expertus actionem, quæ meruerit, non alium quàm Martyrij finem. Glorior certè; & gloriari possunt quicumque illius consequi potuêre notitiam, non præsumo dicere amicitiam: quia quisquis eum vidit, proculdubio Martyrem vidisse se nouerit.

Quid nobilis, Matthæus nomine gloriosè egerit.

Is planè à Paganis captus, cum cogeretur Christi negare fidem, inducias expetiit à perfidis vsque ad proximum sextæ feriæ diem: Cui cùm libentissimè annuissent, æstimantes eum morosiori retractatione mutandum; accidit demum, vt dies præfixus adesset: eúmque furor Gentilium vrgeret, quatenus eorum sententiæ cederet, dixisse fertur: *Si iccircò gladium me impendentem distulisse putatis, vt horum dierum mihi lumina parua lucrarer; & non potius vt ea ipsa die, qua Dominus meus IESVS CHRISTVS crucifixus est, mori mihi contingeret, dignum est vt euidens fiat, quid mens Christiana cogitat. Insurgite ergo,* inquit, *& quo vultis me exemplo occidite: tantum vt ei, pro ipso interemptus, animam meam restituam, qui pro generali omnium vita hodie impenderit suam.* His dictis, gladio imminenti subiectum protendit iugulum; & cæso capite, transmittitur ad eum, cuius similitudini mortis inhiauerat, Dominum. Is vocabatur *Matthæus*: verè, iuxta interpretationem sui nominis, non alij quàm Deo donatus.

Dempto capite illustre fidei testimonium Christo dedit.

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

Qua mente auctor scribat historiam.

OPVSCVLI huius mei, præter spiritualem, si quis tamen futurus est, fructum, ea intentio est ita me velle dicere, vti ab alio, si eadem scriberet, mihi referre voluerim. Talis namque animo meo voluntas adiacet, vt sit magis subobscurorum appetens; rudium verò & impolitè dictorum fugitans. Ea quippe quæ meum exercere queant animum pluris appretior, quàm ea quæ captu facilia, nihil memorabile auido semper nouitatis largiuntur ingenio. Ego planè cùm plura scripserim & scriptitem, ita omnes extrusi ab animo, vt mihi soli profutura putem: nulli alij placitura curem. Opinionibus itaque omnium supersedi: ideóque mei securus aut negligens, præstolor me quorumlibet verborum verbere cædi. Prosequamur igitur cœpta, æquanimitérque toleremus hominum nos dilatrare iudicia.

Antiochenam obsidionem prosequitur.

Quæ facta sunt in Antiochena obsidione, nemini relatu possibilia existimamus: quia inter eos qui ibidem interfuerunt, nullus profectò potuit reperiri, qui cuncta, quæ circa eandem vrbem agi potuerunt, valuisset peruidere; & ita ad integrum comprehendere, sicut se habet ordo gestæ rei. At quoniam ea quæ passi sunt in penuriis, bellorumque diuersorum casibus, summatim perstricta sunt, à modo videtur idoneum, vt ad quem finem obsidendo deuenerint, quémque fructum tanti laboris habuerint, vtcumque carpamus. His diebus, nocte quadam rutilum in modum ignis super exercitum nostrorum emicuit; & speciem, haud ambiguâ formâ, pariter exhibuit crucis. Quod, quique illic sapientium, incendium, ad bella retulêre futura: vbi tamen esset, quod crux videretur innuere, certa salus & successura victoria.

Quidam de primoribus, qui vrbi præsidebant, Turcis, vocabatur *Pyrrus*: qui familiaritatem *Boëmundi*, quo nescio pacto, nactus, cœpit intercurrentibus nunciis crebrius eius vsitare colloquium; & mutuò super his quæ & hinc & inde gerebantur communicabant sæpius ambo consilium. Interea soliditati amoris, per assiduitatem colloquij, gliscente fiduciâ; paulatim Boëmundus suggerere ei aggreditur, quatenus Christianæ ditioni subiiceret vrbem, cui dominari ei plurimâ ex parte constabat, suadens etiam vt Christianismum susciperet: spondens nihilominus, si hæc duo fieri adquiesceret, quod multum ipsi quæstum, cum potiori honore quàm ibi hactenus obtinuerat, impenderet. His promissionibus ille non semel, sed multotiens sibi ingestis, tandem lenocinante emolumento, consensit; eíque huiusmodi mandata direxit: *Trium*, inquit, *turrium custodiæ præsum: ipsas tuo tradam dominio, quacunque hora tibi collibuerit & oportunum fuerit, te in ipsas, vel quos volueris, gratanter admittam.* Hæc spes quam maximè attollere cœperat Boëmundum, & dum securius præstolatur ciuitatis introitum, conceptam mente lætitiam vultu præferebat eximio. Verens igitur, ne cùm ille proderet ciuitatem, aliquis nostrorum sibi Principum totius principatum ciuitatis eriperet, callidè exercitus seniores adoritur.

Non latet, ait, *vos, ô excellentissimi Comites, quas inedias, quos algores, quamque truces excubias, hanc vrbem obsidendo tulerimus: cunctisque personis magnorum, minorum, atque mediocrum incumbere æqualiter dinoscitur ferale fastidium, nullumque patere remedium. Consilio itaque apud vos habito, quæso perpendite, an huius vrbis dominium vnicuilibet nostrum obtinere sinatis, si alicui contingat istius proditionem fieri ciuitatis. Mihi autem videtur non incongruum, vt si seu vi, seu clam, seu precariò quisquam eius obtinebit ingressum, illi proculdubio ab omnibus concedi vrbis debere dominium.* Ad hæc Principum sententia longè diuersa extitit; & eius opinioni seuerâ fronte restitit, dicens: *Non satis esse conueniens, vt vbi par labor atque metus, non sine pretij maiestate petita sunt, & vbi periculum æquâ omnibus lance pependerit, ibi vnicuilibet, tot tantorumque dolore quæsitus, debeat magistratus attribui. Quis enim non iustum esse censeat, vt in quo vniuersorum certamen exæstuat, illic generalis omnibus requies & pars, post victoriam iure perueniat?*

His Boëmundus ægrè susceptis, & graui audita trutinans animo, abscessit. Nec mora, peruenit ad Principes, quod ab hostibus eorum innumerabilis Barbararum na-

tionum, ad subueniendum Antiochiæ, conflaretur exercitus: & mutato repente quisque animo, ad alterutros, coacto concilio, fabulantur: *Si*, inquiunt, *Boëmundus qualibet techna occupauerit ciuitatem, nos sibi redditam eum patienter habere feramus: ea sibi conditione indita, vt si Imperator, quod pollicitus est præstiterit auxilium nobis: & ea quæ pariter spopondit ac iurauit congrua largitione prosequitur, ciuitas ipsa, nobis tradentibus, iuri Imperatoris cedat: si verò fefellerit, in partes Boëmundi, sicuti ipse expetit, tota concedat.* Quo cognito vir ipse clarissimus, iam preces ad *Pyrrum* quotidie securus ingeminat; & multâ huiusmodi promissorum adulatione circumuenit: *Ecce optime*, inquit, *Pyrre, vides, ad hæc nobis efficienda quid opportunitatis arrideat: ne ergo, quæso, differas: ne, quidquid communiter vtile molimur, si per aliquem, quod absit, detegatur, amittas.* Pyrrus, Boëmundi legationi congratulans, opem suam non se dilaturum vllo modo, renuntiat. Et, ne virum illustrem redderet diuturna effectus mora suspensum, *Pyrrus* idem proprium filium latenter Boëmundo dirigit, & de vrbis deditione vt fidenter speraret admonuit: *In crastinum*, ait, *cum primò diluxerit, vniuersam Franciæ militiæ manum tubis insonantibus, in vnum coge; & quasi deprædaturos Sarracenorum terras, vt assolent, longiusculè à castris progredi iube: continuò tamen dextrorsum per montana reuertere. Ego verò intra ciuitatem, tuum præstolabor aduentum, tuos absque dubio quos immittere libuerit, in eas, quæ meo iuri parere videntur, turres vtique recepturus.*

Pyrrus Turcorum Dux Vrbem tradit Boëmundo.

IV. Ad hæc *Boëmundus*, quæ audierat non segniter exequi properat; & accito quodam cliente suo ei præcipit, vt, quasi præconis functus officio, Francorum castra circumeat: quibusque denuntians, quatenus summa se cuncti diligentia præpararent, ac si in terram Sarracenorum procedere debeant. Nec mora, Principis imperio famuli sagacitas irretractabiliter obsecundat; nec Francorum expeditio obtemperare detrectat. Quid apud se lætæ spei concipiat Boëmundus Duci Godefrido, Flandriensium Comiti, itidemque & illi de Sancto Egidio, necnon & Podiensi Episcopo denunciat: iamque tutior ex sponsionibus Pyrri, fatetur sibi Antiochiam eâ nocte tradi. Ea igitur exercitu, qua diximus, ordinatione disposito, militares equidem viri, per campestria obambulare iubentur: peditum frequentia, per montana processit. Totâ itaque nocte proprium iter expediunt, & antequam pareret aurora crepusculum, pro turribus, quas ille fœlix proditor peruigil excubans obseruabat, adsistunt.

V. Ibi *Boëmundus* de equo desiliit, & Francis insolita iam auctoritate intonuit, dicens: *Procedite, & ab ea, quam dudum passi estis inquietudine, respirate: præerectam vobis scalam conscendite: & ne diu vos morer, diu exoptatam vobis Antiochiam capite: quia quæ pridem Turcis subiacuit, vestræ in proximo, si DEVS annuerit, cedet custodiæ.* Ad scalam Franci perueniunt, quæ mœnibus ciuitatis innixa, & ad eadem fortiter illigata, sexaginta illico hominibus ascensum præbuit, quibus intra turres exceptis, earum ipsis homo custodias delegauit. At ipse *Pyrrus*, attendens quòd adeo pauci ex Francis ascenderent, non tam nostris, vt post modum claruit, quàm sibi timidus, verens ne ad sui ipsius perniciem cœptæ proditionis trepidaret euentus, seuerissimè ad præsentes Græcâ linguâ infremuit: *Parum*, inquit, *Francos habemus.* Hisque dictis Boëmundum vehementer inclamitat: negotium nimirum accelerans quod gerebatur, ne ciuibus, antequam Franci conueniant innotescat. At Longobardus quidam ex famulis, Pyrrum intelligens de Boëmundi absentia conqueri, quam celeriter ad virum qui petebatur properat: *Quid*, inquit, *adeo stupidè agis? Quid cum tanto languore, tam ardua cœpta prosequeris? Ecce iam nos trium turrium custodias obtinemus: & tu, huius rei euentus adhuc dubios, quasi contemplaris eminus? Expergiscere, manus admoue, mediæ teipsum actioni insere.* Ocior ille festinat cum suis ad scalam; & tam proditoris boni, quàm eorum qui ascenderant, erigit intentionem.

Confestim, qui subierant illas Pyrri turres, attendentes Francos vndecumque confluere, proprium cœperunt cum multo inclamare iubilo signum: *DEVS ID VVLT, DEVS ID VVLT.* Idem autem magnis acclamant vocibus, qui ascensuri prò mœnibus stabant. Præuenire tunc alter alterum in subeundo scalam infinitâ contentione certabat; & quisque subuectus, vti prius poterat, turres & alias occupabat. Quicunque his obuius extitisset, tradebatur neci: inter quos etiam occiditur frater Pyrri. Interea scala disrumpitur: & tota nostrorum multitudo subteriacens, & quæ præcesserat, graui animorum ægritudine sauciatur, dum superiores differri sibi verentur auxilium: & infra positi, his qui ascenderant timent detrectare suffragium. Sed industria reperit citò locum. Porta namque ibidem clausa atque contigua, à sinistra parte latebat: nocte nimirum præpediente reperiri non poterat, quæ etiam interdiu, loco infrequenti constituta, minus patebat. Palpando tamen, vrgente curâ, sentitur, ab omnibus: statim ad eam curritur, fractis repagulis serisque

panditur, Francis irruentibus peruia efficitur.

VI. Audires horribili vniuersam ciuitatem fragore confundi: & dum isti de tanti laboris fine coniubilant, illi insperatâ omninò sui omnium subuersione collacrymant: nihil moderati vsquam, penes victores victosque constabat. Illicò *Boëmundus*, vt intentam sibi redderet vrbem: illud Turcis omninò notabile cognitumque vexillum, coram prospectu castelli, quod adhuc captioni restiterat, (suum vtique) iubet in cuiusdam montis supremitate præstitui. Erat in vrbe peruasa, eiulatuum enormis immensitas: & dum per omnia fugitantium fit angiporta occursus, incitantium victorum ad cædem, feralis ferebatur ac truculenta vocalitas: & dum recordantur quas pertulerant in eorum obsidione miserias, quas ipsis mortibus acerbiores inedias: omnes quas inferre potuerint, insufficientes arbitrantur eorum reatui pœnas. Puniebatur Armeniorum Syrorumque, Paganorum cohortibus omni meritò exæquata perfidia: quia, quos ad suam ipsorum internecionem, Turcorum adminiculo haud segniter inuigilasse compererant, tandem à supplicij pensione dispare nolebant. Et certè tamen fateor, quia ipsorum innumeris pepercissent, si inter Ethnicos, ac nostræ fidei homines, aliquam habere discrepantiam scissent. In tanta planè confusione temporis atque negotij: nox quippe fuerat: & populandæ cunctos ciuitatis auiditas, & morarum impatientia perturbarat: nihil forsitan vestium qualitates discernere, nihil barbarum incrementa permiserant.

Nostris autem, in assiduo positis procinctu, fatiscentium genarum maciem horribilis primum situs ambierat: & Francico more, incuria diutinæ peregrinatiouis, omisso, barbulam quisque rasitare distulerat. Quod Podiensis Episcopus attendens: & ne in mutuas ruerent cædes, si quando vspiam præliari eos contingeret, pro barbarum similitudine Turcos alterutrum se putantes, verens: & crebrò eos radi, & Cruces argenteas, vel cuiuslibet materiei alias, cuiusque collo præcepit appendi, ne alter ab altero quasi alienigena possit intercipi. At hij, qui in tentoriis resederant, dum mane ciuitatenses audiunt vehementissimâ tumultuatione moueri, è papilionibus prodeunt. Boëmundi vexillum ante mœnia castelli, nondum capti, celso in monte conspexêre præfixum. Currunt properè, portasque ciuitatis irrumpunt. Turcos Sarracenosque quos repere re percutiunt: illis tamen à cæde saluatis qui subintrauêre castellum. Turcorum verò aliqui, Francos intelligentes ciuitate potitos, per alias vrbis portas elapsi sunt. Intra vrbem autem sexuum diuersitas indiscretè perimitur: exiguæ spes ætatis exciditur: & dum seniori effœto non parcitur, ambigi non potest quantâ ferocitate iuuentus bellis apta conciditur.

VII. Interea Cassianus qui Antiochenæ præsederat vrbi: dum Francorum metuit manus incurrere, fugæ subsidio vitam sibi lucrari desiderans, cum plurimis comitibus, haud procul ab Antiochia in Tancredi confinia deuenit. Sanè dum fugere præproperant, equos suos omnimodis defectos reddiderant: iamque nequaquam progressius ire valentes, in domicilium quoddam diuerterant montanorum: itaque habitatores, *Armenij* videlicet atque *Syri*, vbi suum immanissimum hostem paupere delituisse tugurio, fortunâ eum iam aduersante, cognoscunt, comprehensum, capite truncant: succisamque ceruicem ad *Boëmundi* præsentiam deportant: vt exinde penes eum, pro insoliti oblatione muneris, libertatis gratiam obtineant. Cuius balteo vaginâque cultelli sublatis, sexaginta Bizanteorum precio vendenda taxarunt. Gesta sunt hæc *Nonas Iunij*, cùm quinta haberetur feria. Cerneres ciuitatem cædibus explicitis, intolerandis exundare fœtoribus: fora, plateas, atria, vestibuláque ædium, quæ pridem, multâ æquoris gratitudine, marmoreæ crustulæ distinxerant, tetertimo iam vniformiter cruore sordebant: infinitorumque cadauerum passim decumbente congerie, truculenta spectacula, aurarumque corruptarum feralitas, oculorum ac narium miserabiliter sensus infecerant. Sternebantur vicorum angustiæ corporum strage putentium: & dum nec efferendi tot funera facultas aliqua subiacet, nec tutum à fœtoribus diuerticulum vsquam patet, assiduitas visionis ac spiritus, præ sensibus constitutum decutiebat horrorem. Vnde iam per ipsa cadauera, quibus stratæ erant semitæ, nemo, *vsu præbente audaciam*, verebatur incedere.

CAPVT II.

VIII. IGitur *Curbaran* quidam dictus, Regis Persarum, quem veteri *Sogdeanum* nomine, vt Romani *Cæsares* vocare solent, Maior domus, vel potius militiæ Princeps cùm adhuc infra regnum Persidis, in illa quam *Corozaniam* vocant prouincia moraretur: (dicunt autem quidam terram circa Caucasum *Corozaniam*, corrupto à rudibus nomine, appellari) à præfato *Cassiano*, Antiochenę vrbis Principe, crebris compellabatur

Cubaran Persa Militiæ Princeps contra Francos progreditur cum maximo exercitu.

nunciis, quo sibi sub tanta obsidionis angustia posito concurreret: pollicens, quia si Francos auerteret, aut vrbem liberatam ipsius dominio contraderet; aut subuentionis laborem maximâ impensione munerum exæquaret. Cúmque admodum grandem iam idem militiæ Princeps, huius spe pollicitationis illectus, conflasset exercitum; & à summo sui erroris Pontifice, (habent enim & Papam suum, ad instar nostri) licentiam Christianos perimendi poposcisset, ac accepisset; ad eruendam Antiochiam properare, infinito agmine succenturiatus intendit: Ierosolymorum præfectus (quos barbaricâ illi linguâ *Admirauisos* vocant) plurimo confestim exercitu, ipsius aduentantis copias auxit. Itidem Damascenum regem, cum expeditione non minima, suis contraxit auxiliis. Gentes autem illæ, quas profanus euocauerat Princeps, præter Turcos, Sarracenos, Arabes, ac Persas, cogniti videlicet apud historiographos nominis homines, nouitiis censebantur vocabulis, *Publicani* scilicet, *Curti*, *Azimitæ*, & *Agulani*, cum aliis innumerabilibus nequaquam gentibus, sed portentis. Eorum siquidem quos *Agulanos* appellant tria numero millia extitisse feruntur: qui neque gladios, neque lanceas, aut sagittas, nulla penitus arma formidant, quia omni ex parte cùm ipsi, tum equi eorum ferro adoperiuntur. Hi nihil armorum prorsus in bellis præter enses vsui habent.

Curbaran igitur cum tanto gentium fastu ad Francos ab Antiochia diuertendos contendebat. Cúmque iam fieret vrbi contiguus, ecce Cassiani defuncti filius, *Sensadolus* vocabulo, obuius eidem Principi affuit, & cum multa ad eum mœstitudiue dixit: *Cùm magna tuæ fortitudinis habeatur celebritas, & tuarum victoriarum vbique gentium incomparabilis procedat opinio, de tuis, vt spero, præsidiis neutiquam, vir inuictissime, mihi desperare licebit. Dum enim tua nemini videam non valere suffragia, tuáque passim constet ob facinorum claritatem reuerenda potentia, non mihi pudori est coram te mea deplorare infortunia: cùm certum teneam, ea quæ exorauero in cassum nullo modo prorsus itura. Meminit gloria tua quot à patre Cassiano, dum in Antiochia obsideretur, legationes habueris; & quod, dum ei subuenire deliberas, captam à Francis vrbem audieris; nunc interempto parente intra præsidium eiusdem ciuitatis obsideor, eadem proculdubio mihi ipsi præstolans euentura, quæ patri cognouerim facta. Si Antiochiam peruaserunt, idémque plurimis Romaniæ ac Syriæ municipiis vrbibúsque fecerunt, indubium profectò est, quod & vobis & aliis nostræ hominibus gentis atque locis, identidem facere proposuerunt. Excellentia itaque tua, admotis contra tam rabidos ausus viribus, excitetur: & omnia occupare volentibus hominum pauperrimis, cœpta possibilitas abscindatur. Mihi nempe in meis infortuniis, tuorum auxiliorum spes suprema restitetat.* Cui querimonias exaggeranti ille refert: *Si*, inquit, *vis vt his tuis instantibus periculis obstem, tuísque vtilitatibus attentius operam dem; oppidum quod defendis, & pro quo supplicas meæ ditioni contrade: & postquam meis castelli custodiam delegauero, tunc experieris quantum pro tuo exercear commodo.* Ad hæc *Sensadolus. Si Francos*, ait, *mihi prorsus interimas; mihique eorum desecta capita tradas, admittam te in oppidum; factóque tibi hominio, tuo iuri idem seruabo castellum.* Cui Curbaran ait: *Non ita mecum acturus es: sed continuò castrum trades.* Quid plura? Prophani Principis vicit exactio, & se iuuenis à dominio castelli exponens, illum qui extorquebat, non diu inde gauisurum, induxit.

IX. Antiochiã obsidet.

Tertia postquam Antiochiam Franci irruperant, dies agebatur, cùm ecce, Turcorum præambuli ante vrbis mœnia cucurrerunt: reliqua verò exercitus frequentia ad Pharpharicum fixit tentoria pontem. Aggrediuntur ergò quamprimùm turrim ponti contiguam, quâ magnis expugnatâ nisibus, omnes interimunt quos reperere intrinsecus: nec cuiquam illorum vita indulta est, præter soli eorum domino: quem tamen, exacto postmodum contra hos bello, nostri inuenerunt compeditum ferro. Postridie exercitus properauit ad vrbem: ac in medio duûm fluminum, castrorum sibi loca legentes, duos ibidem egêre dies. Capto itaque castro, cuius præsidem in vincula coniectum prædiximus, *Curbaran* vnum de suis proceribus euocat, quem sagacem sibíque fidum nouerat, eíque imperat: *Vade, & hoc mihi oppidum, ea qua debes, & de te spero fidelitate defende.* Cui ille: *Imperio*, ait, *super hac re tuo difficulter obediam: id tamen eius rationis conditione perficiam, vt si Francis cesserit victoria, detur mihi victoribus castrum tradendi licentia.* Curbaran verò: *Eius*, ait, *consilij, constantiæque te nouerim, vt quidquid tibi exinde agere libuerit, securus assentiam.*

Castri ergo illius munitione explicitâ, Princeps ille funestus ad sua regreditur castra: cui Turcorum suorum aliqui, raptis recens cuiusdam pauperis peditis armis, ad nostrorum ludibrium præ oculis ea ingesserunt; ensem scilicet, diutina rubigine scabrum; nigrum, ad instar fulginis, arcum, & lanceam impolitam, multorum annorum fumo infectam: eíque garriendo dicunt: *Ecce arma, quibus nos Francorum expugnabit exercitus.* Et Curbaran arridens eis. *Hisne lucidis adeò ac fortibus armis, Orientem depopulabuntur? his viribus Caucasi extrema subdentur? eásque*

fortaſsis quas antiquitus obtinuere terras Amazones, ac noſtri quondam ſibi vendicauere parentes, poterunt adimere nobis Franci prorſus inermes? Dixit; & accito confeſtim notario, ait: *Scribe quantocius eoſdem apices per diuerſa pitacia, quæ per prouincias Perſidis dirigantur, ad Papam videlicet noſtrum, ad dominum etiam noſtrum regem Perſarum, ad præfectos quoque & commilitones diuerſarum regionum. Quorum hæc quidem habeatur ſententia:*

X. *DOMINO REGI MAGNIFICO PERSARVM, PAPÆQVE BEATISSIMO, & Omnibus aduerſus Chriſtianos ſanctam profeſsis militiam: CVRBARAN ſuæ militiæ princeps,* Salutem *atque victoriam.*

Epiſtola Curbaran, Regi Perſarum atque ipſius ditionis principibus inſcripta.

Gratulor ſummæ diuinitati, Patres ac Domini, quòd tempora nobis gaudiis ſemper opportuna ſuppeditat: & victorias de hoſtibus gentium, vbique miniſtrat. Tria hæc vobis arma transmittimus, quæ quidem Francis tulimus, vt videatis quo munimine polleant, qui nos à patria exturbare deſiderant. Sciri autem à vobis volo, quia Francos qui nobis omnibus minabantur exitium, intra ipſam quam cœperant Antiochiam obſeſſos teneo: caſtrum verò quod præminet vrbi altrinſecus, è regione obſeſſorum, poſsideo. Et cùm meæ adiaceat ad libitum voluntati aut concluſos trucidare, aut extremæ captiuitati addicere; vos interim dum redeam nulla volo noſtri cauſa ſollicitudine cruciari: ſed ſcire indubitanter nos eorum omnino dominari. Solito ergò tutius vacate delitiis; lautiora epularum obſonia celebrate: multiplicatis coniugum ſcortorumque gynecijs, generi propagando inſiſtite & ſuccreſcens filiorum numerus, Chriſtiano, quod iam tum & nomini, valeat obuiare. Teſtor verumtamen ſummum, beatiſsimo Mathomo patrocinante, tonantem, quoniam non ante veſtræ oculos maieſtatis intuear, donec regiam vrbem, ſcilicet Antiochiam, appendicémque Syriam, Græcos atque Epirotas, quos dicunt Bulgaros, meo ſub iure coerceam: Apulos quoque & Calabros ad veſtræ gloriæ incrementum meæ ditioni ſubiungam. Valete.

XI. At mater Curbaran ipſius, quæ in Aleph manebat ciuitate, per idem tempus acceſſit ad ipſum, eíque mœſta ſuggeſſit: *Velim*, inquit, *noſſe, ſi conſtent, vt dicitur, quæ de te celebrauit opinio?* Cui filius: *Quæ illa? Bellum*, inquit, *Francis te illaturum æſtimant. Nihil*, inquit, *verius. Fili*, ait, *virorum optime, per ingenitos tibi liberaliſsimos mores, quæſo, conteſtari te audeam, ne eis pugnam inferas, ne tuæ detrimentum laudis incurras. Cùm enim vſque in vlteriorem ſuperioris Indiæ Oceanum armorum tuorum claritudo refulgeat, tuiſque præconiis reſpondeat vltima Tyle: quare pauperum hominum ſanguinibus tuos obducere mucrones affectas, quos impetere inanis eſt pœna: & ſuperaſſe, nulla ſit gloria? Et cum reges valeas terrere remotos: quid tibi cordi eſt laceſſere aduenas miſeros? Perſonas eorum, fili, fateor, meritò contemptibiles ducas: ſed pro certo noueris, quia Chriſtianæ religionis admodum præcellit auctoritas. Ideò precor, ne velis attemptare, quod te poſtmodum cœpiſſe ſerò doleas.*

Mater Curbaran filium deterrere conatur ab Chriſtianorum internecione.

Hæc ille cùm audiſſet, lumine ad eam toruo reſpectans: *Quid*, inquit, *tibi aniles texere fabulas? Deſipis, vt conijcio: & in amentiam verſa, ſine intellectu verba proſequeris. Planè plures vrbium domini mihi militant, quàm ipſi in tota ſui exercitus vniuerſitate homines exhibere præualeant: & tu, mente delira, æſtimas, quia Chriſtianæ præſumptiones teſtimonia meæ virtutis obtexunt? Fili*, ait, *amantiſsime, eorum de quibus loquimur hominum nomina flocci pendo: ſed eorum auctorem CHRISTVM, omnimodis ne abhorreſcas exoro. Nulla forſitan eis tecum pugnare potentia, ſed DEI ipſorum eſt, ſi præſtare velit, certa victoria: ipſe ſuos, etſi ſegnes & ignauos, pro ſui ſolius gloria ſolet defendere & eorum cuſtodiæ, quorum paſtorem ſe * nouit, immò redemptorem, inuigilare. Putáſne quòd is qui ſidei ſuæ curuauit imperia: qui huc vſque contra nos dedit eis potiri victoriâ, non poſſit etiam modò, veſtra niſu perfacili amoliri molimina? Ipſi námque, ac ſi DEO à mortuis reſurrecturo, à Patre dicitur:* Surge, *inquit*, DEVS iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. *Si igitur ipſe terram iudicat, quoſdam videlicet à maſſa perditorum diſcernit & ſegregat: alios verò reprobat: & non omnes gentes, ſed in omnibus gentibus, partem de toto aſſumens, hæreditat. Audiat prouidentia tua, fili, quam ſeuerus eos punit, quos à ſui notitia exſortes ſinit. Ait Propheta Dauid:* Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Renuit ille Matris aſſurgere monitis.

al. * meminit. Nota elegantia ipſius monita.

Pſal. 81. 8.

Pſal. 78. 6.

Vos Francos iſtos, non ideò quia aduenæ ſunt, voſque gentiles contemnitis: non armorum obſcuritatem, non vitæ mendicitatem abiicitis, ſed in eis ſolum potius Chriſtianum nomen horretis. Et certè is, qui in eis deſpicitur, pro eis, cum neceſſe extiterit, effuſa ira prœliabitur. Si his prophetico ore promittitur, quòd à ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini habeatur: dum non ſuper Iudæos ſed ſuper omnes gentes excelſus prædicatur: & DEI ipſius ore, quæ plebs ſua non fuerat, iam plebs ſua: & quæ non dilecta dilecta vocatur: dum quæ extiterat in Iudæis, in nationes adoptionis gratiâ transfertur, & in reliquiis DEI vultus eorum Iudæorum vtique præparatur; quis niſi demens filios DEI impugnare molitur? Prænuncio tibi planè, quia ſi eos bello aggrederis, ingens tibi incommodum infamiamque parabis: certa militiæ tuæ damna ſubibis: ipſos etiam ſpoliorum tuorum ſublatione ditabis: tu quoque turpi fugâ excedendo laberis.

Pſal. 112. 3.

Rom. 9. 25.

Vaticiniū.

Non te hoc siquidem in prælio manet interitus: sed certum tamen habe, quia tibi vita comite præsens nequaquam transiet annus. DEVS enim ipsorum, perpetratum non illicò scelus vlciscitur; sed vsque dum ipsum permaturuerit crimen, criminosi aliquotiens pœna differtur. Ideòque vereor, fili, ne tuæ, quod absit, truculentia mortis accrescat, dum protelatur.

XII. Ad hæc *Curbaran*, ex materni miraculo sermonis redditur hebes; & de propinquæ nomine mortis, exsanguis & tabidus, infit: *Et tu, horum velim scire, quomodo sis consecuta notitiam: gentem videlicet Christianam vires huiusmodi contra nos exerturam: nosque in hoc ipso quod imminet prælio deuicturam; nostra eos spolia direpturos, & quod præsenti anno mortis repentinæ incidam laqueos.*

Fili, ait, *centum prope annorum tempora decursa noscuntur, ex quo in abditis quibusdam sectæ Gentilis voluminibus repertum constat, quòd populus Christianus bellum nobis illaturus insurgat, nosque ad plenum subigat; & quò nunc dominium exercemus, ibi sibi prorsus regna constituat, Gentilitásque fidelibus subdita fiat. Sed in hoc scientia nostra fuscatur, quia nescimus, vtrum modo, an in longa tempora compleatur. Ego etiam Astronomicam disciplinam diligentiori intentione disquirens, innumerarúmque sortium conte͡cturas attendens, æquâ omnium collatione edidici, quia à Christianis hominibus nos esset omninò necesse deuinci. Ideòque præcordialiter tibi indoleo: quia indubium mihi constat, quòd ex te iam propemodum orbata remaneo.*

Mater, inquit, *velim mihi differas aliqua, de quibus hæsito. Consule*, ait, *ne dubites, námque quæ sciero, præstò habes. Boëmundus, & Tancredus Dij habeantur, an homines, quæso*, inquit, *mater edoceas: & si ipsi Francos in præliis victores efficiant, precor, edicas. Fili, Boëmundus & Tancredus, communi vti & nos mortalitati obnoxij sunt: sed quia pro fide sua agunt, gloriam clari nominis, DEO eis cooperante, meruerunt. Deum autem Patrem profitentur, cuius Filium pro se humanatum itidem venerantur: qui tamen idem esse in Spiritus sancti vnitate creduntur. Quoniam*, inquit, *non Deos, mater, sed puros homines nostrique simillimos attestaris, nil aliud proculdubio restat, nisi vt facto prælio comparemur collatis viribus illis.*

XIII. Igitur mater intelligens filium ad bella cum Francis agenda procliuem, & suis nolle consiliis animos adhibere, collectis quæ circa se reperiri poterant copiis, ad memoratam superius vrbem *Haleph*, de filio suo nimiùm suspecta, concessit. Tertiâ posthac die *Curbaran* arma sumit; & Turcorum plurima cum eo frequentia ciuitatem adeunt, ex ea parte, qua illud, quod nuper cœperant, captúmque sibi communierant, erat castrum. Nostri autem se æstimantes eisdem posse resistere, aciem aduersus illos instaurant. Sed tanta eorum copia extitit, vt nostris obsistendi virtus aut audacia nulla foret. Coacti igitur regrediuntur in vrbem: quibus agmine glomerato fugaciter portam intrantibus, adeò fuit angustus introïtus, vt pluribus accideret lætalis, ex mutua compressione, defectus. Quinta erat tunc feria: & quidam extra vrbis præliabantur portam, aliquos intrinsecus aduersus oppidanos confligentes, totum constitit in præliis continuasse, donec vesperasceret, diem.

CAPVT III.

XIV. *Ex Christianis timore perterriti aufugiunt nonnulli.*

SEd quia Christus, qui quondam, etiam nunc quos elegerat nouit: ea nocte quidam qui, vt ita dicam, de eorum genere non erant, per quos salus in Israël veniret, dum se Turcorum exercitu ambiri, dum

Bella diurna vident, vix noctis limite claudi,
Intremuère, timor penetrauit pectora cassus,
Atque sub obtutu mors sola pauentibus adstat.
Funditus ante viros sua vita pependit inertes:
Non nisi iam Turcos trepida sub mente tuentur:
Hostili reputant iam se mucrone feriri.
Quisque suis ibi subsidium desperat ab armis.
Cogitat ergò fugam: qui contempsere DEI spem,
Turpiter obscœnas profugi subiere cloacas.
Dignus eis fuit exitus, qui tale verendis
Exemplum dedit agminibus. Reptando fugaces
Ad mare perueniunt: manuúmque pedúmque reuulsas
Amisere cutes: exesis carnibus ossa,
Abradunt cautes: Pauli Doctoris ad instar,
Cui fuga per murum dederat vitare Damascum.
Hij sibi concinnas insigniuere latrinas.

XV. Fuere autem hi qui recesserant, *Guilelmus* quidam ex Normannia, nobiliter omninò progenitus, cum *Alberico* fratre, qui à primæuo scholis datus clericum fecerat, & postmodum à clero apostaticè ac turpiter, militiæ amore, desciuerat. Municipium quoque eorum, ex quo agnominabantur, exprimerem, nisi generis eorum amicâ mihi contiguitate deuictus, pudori ipsorum parcere definissem. *Guido* etiam quidam, qui *Trossellus* cognominabatur, qui trans Sequanam opppidorum dominio potentiáque clarissimus: genere verò Franciæ vniuersæ conspicuus habebatur, fugæ illius insignia vexit. Extitere & alij huius sanctæ militiæ desertores: qui cum in patriam repedassent probro & execrationi habiti, vbique conclamabantur infames: quorum quidem aliquos ignoramus; quibusdam verò, quorum

in promptu notitia est, derogare noluimus.

XVI. Ad portum itaque qui dicitur *Sancti Simeonis* deueniunt, naues nautásque reperiunt; nautis inquiunt: *Quid hìc vobis præstolari infelices? Illos omnes quibus victualia conuehere solebatis, morti noueritis destinatos: vrbem enim ipsósque intra vrbem, Turcorum obsedit exercitus; & nos propria corpora ab eorum pernitie vix nuda excerpsimus.* Qui tristis nuntij iaculo terebrati, postquam apud se diutius stupentes hæserunt, salutem ad vltimum in fuga ponentes,

Conscensis ratibus petierunt æquoris alta.

Nec mora, illis volumina marina sulcantibus, Turci adsunt; quos ibidem inuenere, perimunt: naues quas in ipso sali vado repere re, comburunt: exuuias illorum quos enecuere, diripiunt. Porrò postquam illi degeneres, & superni iuuaminis refugæ, per obscœnissima, vt ferunt, loca recesserant: residui qui perseuerare delegerant, iam tolerare hostilia sine vllo interstitio arma nequibant. Murum ergo inter se hostesque construunt, quem, continuatis excubiis, nocte diéque custodiunt. Ibi nostrorum oppressio adeò miseranda suboritur, vt ad infames cibos, equorum asinorúmque carnes, compellerentur.

XVII. *Per visum Christus Presbytero apparuit asseruitque Christianis fore præsto.*

Interea die quadam, Principibus exercitus ante castrum quod intra vrbem obsidebatur positis, & pro omnimoda quam patiebantur miseria animo atrocissimè consternatis, ecce quidam Presbyter astitit coram eis, & ait: *Patroni & Seniores, visionem excellentiæ vestræ refero, quæ consolationi vestræ, si ei credideritis, proderit, vt spero. Cùm in Ecclesia Beatæ DEI Genitricis quadam nocte dormirem, Dominus IESVS CHRISTVS, cum ipsa Matre piissima, & beato Apostolorum principe Petro, mihi apparuit, & adsistens,* dixit: *Scisne qui sum? Minimè,* inquam. Dixerat, *& ecce in ipso capitis eius nimbo, vti solet, in picturis fieri, crucis species apparuit. Interrogatione ergo iteratâ Saluatoris imago repetiit: Necdum nosti quem videas? Non aliàs Domine,* aio, *tuam reuiso notitiam, nisi quia tuis modò conspicio ceruicibus imminere crucis effigiem, quod tuam specialiter, quocumque pingitur, insignire consueuit imaginem. Haud,* inquit, *erras: Ipse ego sum. Confestim, non immemor eius quàm pariter patiebamur angustiæ, pedibus me illius aduolui, & deprecabar obnixè quatinus communi pro fide certantium calamitati succurreret. Optimè,*inquit, *quæ tolerastis attendi, à modo vobis opitulari non differam. Meo instinctu huius expeditionis vota sumpsistis: Nicæam ciuitatem me expugnante cœpistis: multiplices sub meo ducatu victorias habuistis: & cùm vos huc vsque perduxerim, ærumnis quas in obsidendo vrbem Antiochiam passi estis indolui, quaque intra vrbem modò etiam toleratis. Sed cùm vos tot beneficiis tantisque triumphis extulerim, vbique victores induxerim, sanos incolumesque seruauerim: vos meo munere abutentes, & cum Christianis malè egistis, & cum paganis mulieribus fœdissimè cohæsistis: fœtorem nimij clamoris in cœlum emisistis.*

Cur sæpius hominibus pœnas infligat.

Adhæc pietatis inuincibilis Virgo, & humani generis MARIA ad DEVM semper interpres, & clauiger æthereus Antiochenorum specialis Episcopus Petrus, ad vestigia misericordissimi Domini prouoluuntur: deprecantur & rogant, vt populo laboranti suum impendat solatium. Vbi etiam ipse mirabilis Petrus per se intulit: *Meminit, Domine, maiestas tua, quam pudendis domum meam in hac vrbe attaminarunt pagani sordibus: redundat ad tuæ diuinitatis iniuriam, quòd tua sacraria flagitiis complenere & cædibus. Cùm ergò eos tandem, miseratus, expuleris, gaudiumque super hac re cœlo intuleris: tu tam pij facti pœnitens, eorum superbiam regredi in statum pristinum aduersus temetipsum patieris?*

Motus ergò his dictis, Dominus mihi dixit: *Vade, & dic populo meo, vt ad me præcordialiter conuertatur, & ego me ad ipsos totis polliceor visceribus reuersurum: & intra quinque dies maximam vobis præbebo subsidium. Letanias itaque instituant: Istudque Responsorium Ecclesiastici quique decantent:* Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua: contere fortitudinem illorum, Domine, & disperge illos, vt cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu DEVS noster. Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector noster Domine. Quibus peroratis adiecit Presbyter: *Si de his quæ dicta sunt, aliqua vestris animis irrepit ambiguitas, ego in huius nomine veritatis, cuicunque volueritis me examini vel iudicio, seu ignis seu præcipitij, plena fide submittam: & si lædi me contigerit, læsioni meæ atrociorem quàm potestis addite pœnam.* At vir vndecumque canonicus Podiensis Episcopus, Euangelia iubet, Crucémque deferri, quatinus verba eius fides adstrueret sacramenti.

XVIII. *Obsessione cincti forti animo futuros mutuò iurant duces.*

His peractis extemplò Principes, communicato consilio, mutuò sibi sacramenta dederunt, quòd scilicet, *Neque mors, neque vita à cœpta eos defensione suffugere cogeret, quantacumque vel ipsos vrgeri necessitate contingeret.* Primò igitur *Boëmundus*, secundò *Sancti Egidij* Comes, Hugo Magnus, *Robertus* Normannicus, Dux *Godefridus*, Comesque *Flandrensis*, pari se nunquam quod cœperant, deserturos, animositate iurarunt. At *Tancredus* ea conditione iurauit, quia *quamdiu quadraginta militum suffragio niti posset*, non solùm ex ea quam patiebantur tunc, obsi-

dione sese nequaquam subduceret, sed nec ab Ierosolymorum itinere abduci, nisi obuia morte valeret. Quæ res audita minoribus, magnam in totius subiectæ multitudinis pectoribus fortitudinem parturiuit.

CAPVT IV.

XIX. Cuidam per visum lanceam, qua Christi latus perforatum est, in Antiochena Ecclesia absconsam ostendit B. Andræas. V. infra lib. 7. cap. 1.

ANtequam quoque Antiochena ciuitas caperetur, cuidam de exercitu, *Petro* nomine, Beati Andreæ Apostoli species apparuit, dicens: *Quid tecum agitur?* Cui ille stupidus non ad interrogata respondit: sed, *quis esset*, quæsiuit. Ille *Andream Apostolum* se esse non tacuit: *Nouerisque*, ait, *fili, quia cum vrbem*, *DEO aperiente*, *Francorum virtus intrauerit*, *ad Beati Petri Coapostoli mei ac fratris Ecclesiam ibis, ibique tali in loco lanceam, qua Saluatoris nostri IESV CHRISTI perforatum legitur latus, inuenire poteris.* Dixit, nec addens plura, recessit. Cuius visionis conscium heminem homo isdem facere tunc voluit: nec eam apud se tanti pendit, vt ludibriis somniorum, quibus penè indesinenter afficimur, maius in vllo æstimaret valere aliquid. Et tamen non fui, dum cum Apostolo loqueretur, penitùs immemor: ei intulerat: *Domine*, inquit, *si hoc quod à te præcipitur nostris edicerem quod fidei indicium dubiis adhiberem, vnde ad credendum cogi possent?* Ad hæc verba gloriosus Apostolus hominem corripuit: & ad beati fratris basilicam, in eum quo erat reposita lancea locum spiritaliter asportauit.

Capta postmodum ciuitate, cùm DEI populus his, quas prælibauimus, subiiceretur exitiis, idem iterum memorabilis Apostolus, qui iustè omnimodis earum rerum procurator fieri cœperat, quas ad charissimi fratris ornatum domus pertinere cognouerat, homini illi Petro rursus apparuit: *Quare*, inquit, *distulisti manifestare quod iusseram? Cùm videas tuos hinc inediarum periclitari incommodo: illinc Turcis insistentibus, fouea iam propemodum desperationis illabi, ea quæ me prænuntiante didiceras, ipsis notificare debueras: cum proculdubio eos scire conueniat, quia quocunque lanceam eandem pertulerint, victoria sibi certa proueniat.* Quâ Apostoli admonitione secundò habitâ, nostris cœpit verborum quæ in visione audierat seriem prædicare. Populus autem hominis dicta reuerberans, mendacij simile quid putabant: vndique enim eos circumcingentibus malis, spem aliquam eius concipere rei nullatenus poterant. At ille pertinax, & ex Apostolici sermonis auctoritate solidior, asseuerabat sibi apparuisse Apostolum; & bis in visione dixisse: *Propera*, & *dicere quantotius militiæ Domini periclitanti ne differas: quatinus timore recusso DEO adiutorium pollicenti indubia fide cohæreat; citra enim quinque dierum spatium tale quid Dominus reuelabit, per quod multo gaudio sua pectora releuabit; & si prælium eis ingruerit, hoc sacro præeunte signo, omnis sibi hostilitas deuicta mox subierit.* Cœpere interea ad dictorum illius credulitatem, sedulâ hominis illius suasione vocari; & vicariâ iam commonitione, spei qualiscumque respiratione iuuari: *Non ita*, inquiunt, *nobis est despiendum, vt nos pro fidei defensione conclusos, DEVS tot hactenus victoriarum præstitor, de se sperantes, & ad se gemebundis animis inhiantes, Turcorum gladiis concidendos exponat: sed pro certo credi debet, quia post tristia tempora, lucem nobis suæ miserationis ostendat; timoremque suum super eas quæ se non exquisierunt gentes immittat.*

CAPVT V.

XX.

IGitur qui tuebantur castrum Turci, tantâ circumfuderant nostros instantiâ, vt intra quandam, quæ in prospectu Castelli erat arcem, tres eorum milites obstruserint. Prodeuntes etenim è Castello Pagani tanto in nostros baccabantur incursu, vt penitus tolerare nequirent. Duo itaque ex his quos incluserant militibus, vulnerati aufugiunt, tertius diem aduersùs hostes, in sui defensione, continuat: adeo vt duos ex eis super muri deambulacra, sectis ipsorum hastilibus, occiderit: Ipsi etenim tres hastas Turci præ manibus concidendo minuerant. Erat autem militi illi nomen *Hugo*, & agnominabatur *Insanus*, de domesticis cuiusdam *Iosfredi*, qui de *Monte scabioso* prænomen habebat.

XXI. Quâ Boëmundus arte milites excitat ad pugnam.

Memorabilis autem *Boëmundus*, cùm ad castrum expugnandum, vix aliquos suadere valeret: nam qui domi delitescebant, panis aliqui penuriâ artabantur; alij gentilium rabie ac numero terrebantur: graui animaduersione citatus, ex ea ciuitatis iubet ignem parte supponi quâ situm fuerat nuper defuncti palatium Cassiani. Quod quique videntes, derelictis quæ cremabantur omnibus, alij ab incendio confugiebant ad castrum; alij ad Comitis Sancti Egidij confluxere portam; quidam ad Godefridum coïere Ducem: quisque ad eam cuius indigena putabatur gentem. Mox ad cœptæ destitutionis augmentum, vehementissimæ nimietas tempestatis incessit: ita vt fieret tanta valitudo ventorum, quo neminem pæne liceret incedere rectum. *Boëmundus* interea dum conflagratione horribili abradi funditus conspicit vrbem, cœpit pro Ecclesia Beati Petri & Sanctæ MARIÆ, aliisque Ecclesiis anxiè

nimis æstuare. Ab hora tamen tertia vsque A ad noctis medium, flamma desæuiens, Ecclesiarum domorumque duo milia redegit in cinerem. Circa meditullium ergo noctis, pyræ furentis conquieuit acerbitas.

XXII. Præterea Castellani atrocissimè vexabant nostros, qui versabantur in vrbe: assiduo ipsos molimine inediâ fatigatos, interdiu ac nocte pulsantes: nihilque vtrorumque exercitus nisi lanceæ & gladij disparabant. Videntes itaque nostri indesinenti se duellione teneri: nec sibi si omnis victualium copia B suppeteret, aut edendi, aut bibendi oportunitatem vlla ex parte concedi: inter se & hostes, cæmento ac lapide castrum ædificant, machinis frequentibus ambire festinant, vt vel de cætero aliquantisper securiores existant. Pars aliqua Turcorum commanebat in castro, quæ momentis propè singulis nostros consueuerat irritare bello: alia propter Castellum, quodam hospitabatur in campo. Nocte ergò sequenti ignis species à plaga Occidentali de cœlo prolabitur, ac intra hostilia castra cadendo demittitur. Vtrisque C partibus spectabile plurimum præbuit casus iste miraculum. At vbi mane inclaruit, quo citius potuere Turci à loco, in quo desederat cœlestis flamma, recedunt: & ante Boëmundi, quam occupauerat portam, castra reponunt. Quod portentum, illud quod sibi imminebat patenter, si intellexissent, enuntiare videbatur exitium.

Ignis Turcorum exitium prænunciat.

Porrò oppidani, qui crebris nostro exercitui irruptionibus incumbebant, penè sine vllo temporis interstitio; intentis arcubus, nostrorum vulneribus aut necibus insistebant. Qui autem exteriùs ciuitatem valla- D uerant, & mœnibus adiacens territorium longè latéque contexerant, custodiâ adeo vigilanti vniuersæ introïtus vrbis obstruserant, vt nusquam exire vel ingredi, nisi noctu, & hoc clam omninò valerent. Cum tanto namque numero idem hostes, luxuriâque conuenerant, vt passim nihil aliud quàm homines ac tentoria viderentur, preciosa supellex, variarum vestium claritates, armentorum ac pecuariorum ad victualia greges: ad hæc in similitudinem, vt ita dicam, templi, ornatæ vxores: tum præterea ad libidi- E nis cumulum, pharetratæ cum arcubus aduenere virgines, vt veteris in eis Dianæ noua cerneretur species: vt non causa bellandi, sed potiùs sub obtentu putarentur conuenisse gestiendi. Prælio planè maiori exacto, ab his, qui interfuere asseritur, quòd etiam recens nati infantuli, quos in ipso procinctu expeditionis enixæ mulieres fuerant, dum pro vrgentium Francorum insecutione præproperant, séque morarum ac oneris impatientes exoccupant, medio proiecti reperirentur in gramine, vti eos, dum sibi quàm illis plus metuunt, negligenter effuderant.

XXIII. In hunc itaque, quo diximus, modum, Turcis vndique nostros prodire vetantibus, & exteriori prorsus sibi necessariorum procuratione negatâ, famis per omnem penè exercitum successere pericula: & atroci inediarum insolentiâ, pauperiorum quorumque præcordia pulsabantur. Cùm enim Franci, Antiochiam obsidentes, vniuersam ciuibus contrahendarum escarum copiam ademissent, tantò in vrbe capta artiorem repererε substantiam, quantò diligentiorem, ne contra se muniretur à Turcis, ipsi obsessores habuere custodiam. Extenuatis denique quę ad vsum pertinebant omnibus, panis exiguus vno Bizanteo emebatur. Annonæ ergò raritas, & condimenti parcitas, cùm plurimam vbique peperisset angustiam, multis, præ inopia tumescentibus, extorsit animam. De vini potione tacendum, quod ab omnium generaliter ore perierat. Et planè malum biberet, cui nihil suppetebat vt ederet. Iam deficiente legitimi victus obsonio, equinæ carnis quisquam vix reuerebatur edulium; contristabatque plurimos frequentibus quæsita macellis, & cariùs empta, paucitas asinorum. Pullus, quindecim solidis vendebatur; & duobus ouum, nuxque denario. Vbi enim hominum frequentia, cibíque totius penuria, necesse constitit cara ibidem haberi omnia. Ficorum, carduorum, atque vitium frondes in pulmenta transierant. Iamque in arboribus fructus quæri cessauerat: Olerum vices, quorumlibet foliorum concoctæ diuersitates agebant. Equorum, camelorum, asinorum, boum, bubalorumque carnes, personarum opulentiorum deferebantur ad esum; sed sicca eorumdem tergora, in morem sæpiarum concisa, dum diuturno igne coquerentur elixa, accuratissimam pauperioribus, præbuere coquinam.

Quam maximam ciborum penuriam patiuntur obsessi.

XXIV. Legantur vbique gentium vrbes obsessæ, historiarumque veterum vniuersitas retexatur, quosnam populos valebimus inuenire, qui à paterna regione exules: erga tantas indigentias pertinaces atque duri, adeò potuerint perseueranter existere? Planè si Troiana decennio suo illustris obiiciatur obsidio, datas profectò vicariæ securitatis sæpenumero hinc indéque profitemur inducias: in quibus & hebetatarum virium reficiebantur acumina: & stipendiorum affluentia terræ ac pelagi cooperatione successit. Et si aliquos aliquando obsessos, aliqua vspiam inediæ contigit pertulisse discrimina, nimirum id tulerunt pro libertate tuenda: cùm *corporum & patriæ defensio præ omnibus omnino sit rebus habenda*. Hij nulla libidine plus habendi, immò

sub obtentu pro Deo egendi, à naturali di- A ducti sunt solo: hij vt diuinas ab Ecclesiis amolirentur iniurias, eas ciborum, accubituum, excubiarum, frigorum, pluuiarumque sustinuêre miserias; indeficientisque timoris angustias, quas à sæculo nequaquam passas quis audierit vel legerit gentes vllas. Et quod maius dinoscitur præstare miraculum, cùm intra proprios adhuc tenerentur fines, vix in sui Regis exercitu tridui spacio patiebantur tentoria, etiam cum non excedere cogerentur à prouincia. Nullus, vt æsti- B mo, eorum qui illi subiacuêre periculo extitit, qui anxietates valeat animorum, corporúmque tormenta recolere quæ eos ibidem contigerit tolerare. Hæc animaduersio, viginti sex diebus continuis perdurauit.

CAPVT VI.

XXV. Stephanus Comes Blesensis extra vrbem Antiochenam quid gesserit.

EO tempore *Stephanus* Blesensis Comes, vir multæ quondam modestiæ, magníque consilij, quem vniuersus sibi e- C xercitus delegerat præceptorem, acri se perhibens morbo detentum, antequam Antiochiæ nostris patuisset introïtus, in quoddam concesserat oppidulum, quod constat *Alexandriolam* vocitatum. Capta verò vrbe, & rursus obsessa, cùm Comites Christianos intra vrbem diris calamitatibus comperisset vrgeri, necessitate nescio an voluntate, huc vsque distulit auxilium ipsius præstolantes. Ipse verò, vbi edidicit Turcorum examina ciuitatis pro mœnibus consedisse, callidè ad D montana processit, & quænam hostium copiæ haberentur attendit. Cùm ergo papilionibus rura operta conspexisset innumeris, humana tactus cogitatione, recessit, dum æstimat quod in vrbe conclusis succurrere vis mortalium nulla possit. Vir namque expers totius leuitatis, fugax ignauiæ, & amore præstantissimus veritatis, dum se nequaquam eis subuenire posse æstimat, & illos morituros, sicut circumstantia testabantur, non dubitat: si sibi interim prouideat, nihil infamia dignum se facere putat, dum se oportu- E niori tempori reseruat.

Et certè multo meliorem eius fugam arbitror, quæ indecens factum martyrij repensione correxit, quàm eorum perseuerantiam, quorum reditus se in totius spurcitiæ, & sceleris profunda deflexit: si tamen fuga dici debuit vbi certa, vt dicitur, ægritudo prætendi potuit. Quis Comitem *Stephanum* & *Hugonem* magnum, quibusdam eorum, qui perseuerauêre, ob hoc vtique quia redisse visi sunt, comparabiles dixerit, quorum tanta honestas semper extitit? finis ad huius rei, de qua criminantur, executionem adeò claruit, vt de his iam secura laus cantari possit; illorum verò vita, omnium bonorum pudor sit. Attendamus illos, qui de Ierosolymitana, quia ibi interfuerunt, captiuitate superbiunt; & videbimus quia in flagitiis, proditionibus, periuriis, nemo eorum alicui se patitur esse secundum: horum anteriora ac posteriora, redolere probantur honestum. Illi, *quia Ierusalem viderint & Sepulchrum, putant de cætero sibi securè criminibus insistendum*; & sanctis ad sui comparationem hominibus improperant reditum; nec, sese per scelera infinita putentibus, eorum finem considerant prædicandum. Sed his omissis, cœptæ seriei intendamus articulum.

XXVI. Digrediens ergo ab *Alexandriola* municipio suo, Comes isdem, ad eam vrbem, quæ appellatur *Philomena*, peruenit. Iam Imperatori tyrannico captam Antiochiam fuerat nuntiatum: quo ipse cum multis copiis accelarabat iter, æstimans se à Francis eam sine dubio recepturum.

Imperator odio Francos persequi dignoscitur.

Comes itaque cùm Principem cupidissimum obuiam habuisset; & ille de statu Christianæ militiæ ac ciuitatis proditæ eum requisisset, Comes vtique captam vrbem minimè reticuit, castrum verò Turcos adhuc retinere perhibuit. Sed, *prohdolor!* ait, *gaudium ciuitatis obtentæ, iterata turbauit obsidio: dum qui Turcos pridem obsederant, vice miserabiliter commutata, circumcinguntur à Turcis. Qualiter autem postquam inde recesserim se egerunt, incertum habeo.* Hæc quidem secretò Principi à Comite sunt suggesta. At Imperator hæc audiens, & ab spe cui innitebatur decidens, *Guydonem* Boëmundi germanum, virum militari viuacitate conspicuum, quosdamq; alios euocat; rémque multo deterius quàm comes ei dixerat, manifestat. *Quid*, inquit, *facto opus esse decernitis? Franci atrocissima Turcorum obsidione premuntur; aut fortasse, iam eorum occubuere mucronibus; seu etiam per diuersas sunt prouincias iugo æternæ captiuitatis addicti. Quia ergò deferendo eis præsidio nihil nobis potentiæ, aut opportunitatis arridet, præsertim cùm si progressius eamus, verendum nobis sit, ne nos Turcis occurrentibus perimamus, si vestræ prudentiæ videtur idoneum, reuertamur.* Hæc dicens, perfidissimus ipse, sine dubio iocundabatur, quia perisse audierat, quos non minori quàm Turcos inuidentiâ execrabatur.

XXVII. At *Guido* audito fratris Boëmundi Francorúmque discrimine, tam ipse quàm familiares ac necessarij eius vehementissimis eiulatibus complorantes, etiam aduersus ipsum Dominum; sumptâ iam meritò, vt putabant, iurgandi audaciâ, conquerebantur, dicentes: *DEVS omnipotens, iudicium cuius*

à recto numquam exorbitat, qui super sortem iustorum nullo modo peccatorum sceptra relinquis, cur populum, qui parentes, vxores, filios, honores eximios, solum naturale reliquerat, immò pro tui desiderio sese cotidianis crucibus mortique tradiderat, nefandorum hominum gladiis feriendum, absque subsidio tuæ protectionis obieceris? Planè si verum fore constiterit, vt ita eos siueris profanis manibus internecionis exitio tradi, quem deinceps reperies tuis mandatis obtemperare volentem, cùm te ad tuos defendendum vniuersi à modò iudicare debeant impotentem? Sed esto. Pro te occidi volueris; gloria & honore eos coronaueris. Certè & si illis regna centuplicata contuleris, fidei tamen tuæ hominem, & capitis commotionem opprobriúmque sempiternum in gentibus feceris. Vniuersum Christiani nominis orbem extremæ desperationis ac incredulitatis foueæ intrusisti, nequissimis verò hominum irrefragabilem contra tuos audaciam perpetuò contulisti. Non erit denique vlterius iam, qui magnum quid de te præsumat, cùm eos, qui cunctis mortalibus specialius tibi obsequi putabant, tam indigno subrui fine conspiciat. Dic ergò, piissime, qua te deinceps tui fronte vocabunt, cùm tui tales tuorum exitus expectabunt?* Has & alias in eis anxietatis & diræ querimoniæ voces, ferocissimus dolor expresserat in tantum, vt in toto quem tyrannus ille ductabat exercitu, nulli penè Episcoporum, Abbatum, Clericorum, Laïcorúmque, nimietate stuporis absorpti, auderent per aliquos DEVM inuocare dies. *Guido* autem fratris vnanimitatem, tantiq; Principis magnanimitatem ad memoriam reducẽs, replicatis miserabiliter optimis viri qualitatibus, mœrorem intimũ multis vlulatibus personabat.

al. * inuocabunt.

Præterea in reditu positus *Imperator*, dum, rupto Francorum obstaculo, Turcos libetiùs passim oberraturos iam iamque formidat, his qui sibi militabant hominibus imperat: *Ite*, inquit, *& imperiali edicto totius regionis huius homines cogite; vniuersa Bulgariæ loca vastate: vt cùm Turci prouincias nostras depopulaturi discurrerint, nihil ad vsum pertinens istic valeant reperire.* Vellent itaque nollent, ij qui nostris concurrere festinabant, Christiani videlicet, reuerti cum Imperatore coguntur. Et milites quidem præceptum properabant implere tyrannicum, pedites per angariam sequebantur exercitum: & dum celeritatem equitum assequi affectant, inextricabili sese infirmitatis impedimento præcipitant. Passim ergò tanti impatientes laboris deficiunt: & inter eundum innumeri eorum languoribus apprehensi occumbunt. In vrbem denique Constantinopolitanam repedante tyranno, quique per Græcias, in sua vnde venerant, remearunt. Hic itaque huic libello finis accedat.

LIBER SEXTVS

CAPVT PRIMVM.

CVM in Authenticis historiis Sanctorum Patrum, DEO auctore, patrata bella relegimus: & pro tantillorum hominum penè nulla fide, tanta euenisse perpendimus, (non quod beatissimos *Iosue*, *Dauid*, *Samuelem*, tantillos appellemus: sed quod excepto eorum merito, cæterorúmque quorum nunc vsque DEI Ecclesia prædicat claritatem,) plebis Iudaïcæ despiciendam ducimus vanitatem infelicissimos hominum, pro solis DEO ventribus seruientes, nisi ratio obuiaret, placentiores DEO putare possemus, quàm istos, quorum tota spiritualis fuerat seruitus. Illis namque à sola idololatria tutis, prosperè proueniebant omnia, crebræ victoriæ, multa copia: istis verò difficulter vincere, inter vincendum damna frequentia, raræ opulentiæ, continuæ quidem, & tunc crudelissimæ egestates: cum ij non militarem, sed monachalem quantum ad parsimoniam sanctimoniámque pertinet, vitam ducerent. Quod totum ratio gratissima nobis exponit, dum attendimus, quia *DEVS flagellat omnem filium quem diligit*; & quibus temporalia disciplinæ rigore subducit, his spiritualia sempiternæ dulcedinis affectione disponit.

Ad Heb. 12. 6.

Igitur post verba *Petri* illius, cui beato Andrea interprete reuelationem Dominicæ Lanceæ diximus factam, multâ populus exultatione Christianus inualit: & tanti quem præstolabatur euentus spectaculo de profundo desperationis emersit. Indice itaque illo, ad locum, quem designauerat, ab omnibus curritur: & in Ecclesia beati Petri secus altare Dominicum fieri fossa iubetur. Tredecim ergò hominibus, à luce prima in vesperum, haustam efferentibus terram, homo ipse inuenit Lanceam. Videntes autem auditæ visioni, omnimodis concinuisse rem gestam, magnam cuncti concepêre lætitiam: nec minorem lætitiâ, iam contra omnis hostis audaciam. Acceptam hoc modo Lanceam,

Lancea, de qua priori lib. cap. 4. repetitur.

Lanceam, cum ingenti extulere gloria: & ab illa die, de bello agendo cœpere fidenter inire consilia. Denique dum primores Christiani agminis, coacto consilio, quid facto opus esset pari sensu euentilant, id antequam prælientur faciendum censent: quatenus Turcos primum directa legatione conueniant, vt à Christianorum finium occupatione desistant: nec CHRISTI facere seruos extorres: aut mortibus addicere velint, sed se, suo contenti termino, sub propria regione contineant. Accito igitur illo *Petro*, huius operis initiis non incognito Eremita: & adhibito illi quodam *Herluino*, vtriusque linguæ perito interprete, pariter ambos ad prophanum Principem dirigunt, eisque materiam sermonis imponunt. Qui cùm ad Gentilis illius tabernaculum deuenissent; & admissi horrendo Diabolici hominis conspectui adstitissent, huius modi serie perorarunt.

Petrus Eremita allegatur ad Turcos.

II. Oratio.

*Plurimum principum nostrorum animis miraculum intulisse noueritis, quòd terram nomini antiquitus Christiano, solidà libertate, possessam, adeò irreuerenter & improbè introire ac vsurpare cœperitis. Cùm enim indubiè sciueritis, ex nostrarum, quas audistis, assiduitate contra vos victoriarum, CHRISTI nullatenus desciuisse potentiam; vestrámque aduersus ipsum experti sitis parum posse valentiam, nullo modo æstimant quòd totiens bello pulsi, præliandi contra DEVM audeatis vlterius iterare dementiam. Vnde iam vnanimiter arbitramur; quòd prudentia vestra non ob aliud hucusque conuenerit, nisi vt per Christianos, qui nobiscum versantur Pontifices, fidei nostræ dogmate imbui possit. Proculdubio namque scimus, quia nequaquam de vestra salute curatis, sed * contra Catholicam credulitatem bella tentatis. Petimus ergò pariter vestræ consulentes insccientiæ, vt ab hac præsumptione cessetis, scientes quia Beatus Petrus Apostolus, DEO præbente, eam sibi arrogat, cuius primum minimè Antistitem se ignorat; & quam nostro, licet peccatorum, officio, restituere ad DEI cultum, qua illam imbuit, cogitat. A Principibus etiam vobis substantiam, quam detulistis, vniuersam referre, summa liberalitate, conceditur: nec si pacificè recedatis, aliquis nostrorum vobis læsionem quamlibet molietur.*

al. * si.

At Curbaran dictorum Petri magnificentiâ præcordialiter læsus, iam Turcorum, qui astiterant, his auditis, immaniter ferociente superbia, ait:

Responsio. III.

Terram, quam dicitis vestræ ab antiquo Christianitati extitisse subiectam, nostram, nobisque omnimodo iure debitam probabimus: præsertim cùm eam nationi, vix fœminas æquiparanti mirifica virtute tulerimus. Porrò ingenti desipientiæ deputamus, quòd vos, venientes à finibus terræ supremis de nostris nos minamini, immò tota virium collatione conamini propulsare sedibus: cùm vobis ad id explendum suppetant non opes, non arma, non numerus. Christianum verò nomen, non modo non excipimus, sed abruptissima despectione respuimus. Et, vt ea quæ intulistis breui clausula finiamus, vos qui legatione fungimini, ad vestros principes ocyùs reuertimini, eisque dicite: quia si nostræ conditioni fieri desiderant consimiles, & CHRISTVM diffiteri, cui videntur acclines, nos non hanc eis tantùm prouinciam, sed & maioris opulentiæ & amplitudinis dabimus terram; hisque Castellis ac vrbibus gratuitò dilargitis, nullos ipsorum patiemur pedites, sed generaliter cunctos instituemus equites: & vbi ritus pariter indifferentes habebimus; de mutua pariter amicitia, & contiguitate gaudebimus. Quòd si à proposita deliberauerint exorbitare sententia, incident, sine dubio, inuisæ citiùs mortis exitia, aut æternæ subibunt captiuitatis exilia, seruituri vtique tam nobis, quàm posteritati nostræ per sæcula. Dixerat; ac celeriter legatione reuersa, militiæ Christianæ Ducibus notificata sunt omnia.

CAPVT II.

IV. Ad Deum piis exercitiis confugiunt Christiani.

EXercitus itaque in arcto admodum constitutus, dum istinc crudeli vexaretur inediâ; Illinc dirâ Gentilium, qui se prorsus ambierant, formidine roderetur: tandem ad diuina sese subsidia refundentes, ieiunia triduana *Podiensi* magnifico institutore concelebrant. Letanias supplices, ab Ecclesia in Ecclesiam, explicant: confessione peccatorum sincera se mundant, & Episcopali vel sacerdotali consequenter absolutione promerita, Corporis ac Sanguinis Domini sacramento, plena fide communicant, eleemosinas, prout potest, quisque largitur; sacrificia vbique diuina pro se offerri exorant. Denique sumptâ iam ex his securitate, de bello proponitur, ac intra ciuitatem sena illico acies ordinatur.

V. Ordinantur acies ad pugnā.

In prima acie in his videlicet, qui primas vires ictusque Turcorum exciperent, extitit *Hugo*, iuxta sui nominis qualitatem verè Magnus, adiuncto manui eius vniuerso Francorum agmine, & præter cæteros *Flandrensi* comite. Audiui de hoc ipso Regio homine, quia, antequam de prælio ageretur, suus eidem dispensator, non paruo precio pedem cameli emerat, hoc nempe magis eius esui competens reperire non potuerat. Quem dominicum hominem victualium insolentiâ adeò extenuauerat, vt vix equitare sufficeret, & cùm suggereretur ei quatenus non ad bella procederet, sed vel cùm Castelli obsessoribus in vrbe maneret, *Absit*, inquit alacriter, *planè vadam; & vtinam cum morituris, funera illic beata contingam.*

VI. Porrò in secunda acie, Dux eximius *Gode-*

fridus cùm ſuo locatur exercitu. Tertiam Northmannorum Comes *Robertus* cum ſuo cuneo fecit. Quartæ, præfuit vir ſpectabilis *Podienſis Epiſcopus*, ferens ſecum Lanceam quæ recens inuenta fuerat Saluatoris, Hæc conſtitit ex ſuo ipſius, & Raimundi Sancti Egidij Comitis, comitatu. Ipſius autem ad expugnandum caſtrum, ne in ciuitatem oppidani deſilirent, præſentia deſedit in vrbe. In quinta acie fuit *Tancredus* cum ſuo agmine. In ſexta, *Boëmundus* cum ſua poſtremus inceſſit militia.

VII. *Præcedunt viri Eccleſiaſtici ſacris veſtibus induti.*

At Epiſcopi, Preſbyteri, Clerici, ac Monachi, Eccleſiaſticis ornati induuiis, præmiſſis pariter proceſsêre Crucibus, decertaturos votis ſtudentes adiuuare flebilibus; & ipſi quoque præſtolantes, ſi ſuos cædi contingeret, martyrij munus. Quidam certaminis exitum de mœniorum eminentia proſpectabãt, Dominicæ Crucis ſigna præ manibus exhibentes, & exinde procedentem exercitum conſignantes. Eo ergò quem præmiſimus ordine, per eam, quæ erat ante eorum fanum, quod *Mathomariam* noſtri dicunt, portam, adeò pedetentim lentéque prodeunt, vt etiam cuilibet aniculæ infirmanti, neceſſe nullatenus videretur temperatiorẽ habere gradum. DEVS omnipotens quantis illic animorum rugitibus clamabaris, & fame diutinâ fatiſcentibus quorumque corpuſculis, rapidiſſimus, ex timoris inſtantia, in tuas altiſſimè aures miſerorum cordium dolor aſcenderat! Quantis anxietatibus mens, corpori tunc reſidua agebatur; & cùm cogeret imbecillitas deſperare victoriam, ſola DEVS in mentibus omnium, pia pro te ſufferentia tractabatur. Mœrore præcordia quatiuntur, & exucatum longâ inediâ caput lachrymarum concutiebat ariditas: iam exterioris hominis deficiente materie, ſpiritualium deſideriorum violentiæ concrepabant. Bone DEVS quidnam rei, huiuſmodi deuotionibus poteras denegare, quos tantis æſtibus conſpiciebas, immò faciebas ardere? Dum namq; conſidero in illis, à facie, militarem ferociam; ab intimis, Martyrij præponderare modeſtiam, reor & cenſeo à ſæculis, vllis exercitibus, parem in vtraque parte non fuiſſe conſtantiam. Hos reuera dixerim tunc clamaſſe in cœlum, hos ſacris fateor inſonuiſſe tubis, qui non virium robore, ſed ſingulari exercebantur auſu mentis.

VIII. *Chriſtianos irridet Curbaran: qui nihilominus timore perculſus fugam meditatur.*

Interea *Curbaran* cõſpicit exeuntes; & dum alterum alteri ſuccedere lentis attẽdit egreſſibus, eorum paucitate quam putabat irriſâ, *Sinite*, inquit, *egredientes progredi, vt magis valeant cum fugerint à regreſſu ciuitatis excludi.* At vbi vniuerſus exercitus portas exceſſit, *Curbaran* intuitus Francorum gentem ordine numeróque pollentem, tum demũ intremuit. Illicò ſuæ Maiori domus, iam de fuga nutabundus, imperat, vt ſi à prima caſtrorum parte ſuccendi cerneret ignem, emiſſo præconio ſtatim edici faceret, per diffuſum vbilibet hoſtem, Francorũ cuneum captare Trophea victorem. Cœpit interim *Curbaran* ſenſim veſtigia ferre retrorſum, ad mõtana contendens; noſtríque illorum proſecutioni irrefragabiliter imminebant. Præterea Turci, ſuperuacua calliditate, ſe diuidunt, parſque eorum circa plagam maris inambulat: pars Frãcos immobilis ſuperuenientes expectat: tali noſtros æſtimantes ambitu concludi poſſe. Quod noſtri attendentes, auſu quodam præſumptiuo, ſeſe itidem, intenſa in eos acie, à cæteris diuiſêre: Sed hac ſua inſolentia, ipſi ea die ſeſe ſolos noſtro exercitui damnum fecere, dum vix, præter aliquos equites, peditum vlli viui euasêre. Huius temeritatis motor, cum quibuſdam aliis extitit quidam noſtras, *Clarembaldus de Vendoilo* nomine: qui in his quidem celeberrimus: in illis prouinciis nihil geſſit vtile.

Prælium committunt Chriſtiani.

Interea ſeptima acies, contra illos maritimos, ex duabus aciebus, Ducis ſcilicet *Godefridi*, & Comitis *Northmanniæ* ſumpta, contexitur: & *Rainaldus* quidam Comes eidem præficitur. Ibi tota acrimonia, eo die, extitit præliorum: noſtrorum enim plurimos ſagittarum ictibus extinxerunt. A Pharphari autem, flumine ſcilicet, hoſtium equitatus vſque ad montana porrigitur, quæ à ſe duûm milium ſpatio diſparantur. Gentilium ergò phalanges parte ab vtraque proſiliunt: & Francorum cuneum, quos noſtri Turcorum primis incurſibus, quaſi fortiores obiecerant, ſagittis iaculiſque configunt. At qui præerat regiæ mentis *Hugo* magnificus, à paterna magnanimitate non degener, inter hoſtium iactus ad ſubiectos exclamant: *Patimini*, inquit, *& ſecundos ac tertios audacter præſtolamini ictus: quia iſti ſunt receſſuri dicto citius.*

IX.

Et ecce, copiæ innumerabiles cœperunt de montanis emergere, quorum & equi & ſigna multo candore nitebant: noſtris autem maximus ad eorum contuitum ſtupor increuit, verentibus vtique ne contrariæ venirent adminiculum ferre parti, donec comperiunt id fore, etiam viſibiliter, ſibi præſtitum adiutorium CHRISTI. Quorum ſpecialiter fuiſſe Duces opinati ſunt glorioſos poſt militiam martyres, *Georgium, Mercurium*, atque *Demetrium*. Hæc à noſtrorum plurimis viſa: & cùm aliis quæ viderãt retuliſſet; plena, vt par erat, fide sũt credita. Et ſi *Machabeis* olim pro circumciſione & carne porcina pugnantibus, euidens apparuiſſe legitur cœleſte ſuffragium, quantò ampliùs his debuit, qui pro repurgio Eccleſiis adhibendo, & ſtatu fidei propagãdo, fuſi ſanguinis CHRISTO detulêre ſeruitiũ. Primi ergò illi hoſtes, qui à maris parte conſtiterãt, tanto noſtrę gẽtis obſtaculo ſeſe repercuti

Pro his pugnat Chriſtus.

non ferentes, focos herbæ subiiciunt, hoc A videlicet fugam signo illis innuentes, qui dum prælium fieret, tentoria seruauerunt. At illi signo moti, preciosioribus quibusque direptis, fugam ineunt. Franci verò, vbi potiores eorum vires agnouerant, ad eorum scilicet tentoria contendebant.

Porrò Dux *Godefridus*, Flandrensisque Comes, *Hugo* denique Magnus his, qui crepidini fluminis adequitabant, iunctis nisibus ingruebant. Hi planè tres cum suis, DEI Filium pro se crucifixum præ oculis appendentes, vniuersæ eorum frequentiæ fortiter immerguntur. Vbi verò & alia nostra B agmina id viderunt, totâ in aduersas acies animositate se ingerunt. E regione, hostium etiam multitudo, rabie intoleranda conclamans, & ipsa concurrit. Est autem huiusmodi eorum mos in acie positorum, vt cannis æreis, quibus pro hastilibus vtuntur, & cymbalorum tinnitibus, terrificisque vocibus, infinitos fragores emittant, vt vix equi hominesque à tanti sonitus terrore, subsistant. Sed nihil eorum tunc valuêre conatus; penitus eorum sunt exinanita molimina. Cœpto etenim nostri bello, primo hostes profliga- C uêre conflictu, & ad eam, quam præ mentibus dudum habuerant, fugam, celeri expediuntur effectu: quos tamen nostri, irremissâ instantiâ, per castrorum suorum medium prosequuntur. Nec spoliorum hinc inde iacentium cupidine raptabantur, CHRISTI inimicorum solo pasci cruore malentes. Persequuntur illos itaque ad pontem vsque Pharphareum, & Tancredi vsque castellum. Occupauerat ergò, illis recedentibus, campum spoliorum gloria grandis: stabant ibi, ab hominibus quidem inania; auri autem & D argenti ornamentorumque quàmplurium, non egena tentoria. Ouium, caprarum, boum fusa vbique pecuaria: equorum, mulorum asinorum copiosa subsidia: frumenti, vini, ac farinæ, collata sine discretione obsonia.

Dimicantes quid soleant Turci.

At Syriæ, Armeniæque coloni, qui in illis versabantur partibus; comperientes Francis insperatam cessisse victoriam, obuios fugientibus Turcis se vbique præbentes, ad montana concurrunt; & quoscumque comprehendunt, interimunt. Nostri præterea redeuntes; & immenso cordis iubilo, in- E comprehensibilia præconia rependentes suo cooperatori CHRISTO, cum triumphi cœlestis honore ciuitatem introeunt. Ille autem, qui vrbis præerat præsidio, videns militiæ principem, nostris insistentibus terga vertentem, omnino intremuit. Et perpendens minus tutam à modò castelli fore sibi custodiam, signum cuiuspiam nostrorũ Principum, postpositâ dilatione, expostulat.

Prælium aduersum fecerunt.

Christiani grates Christo rependunt. Vrbemque ingrediuntur cum triumpho.

Comes Sancti Egidij contiguus loco, vbi hæc petebantur existens, signum proprium petitori exporrigi celeriter mandat. Quo ille castrensis excepto, turri præfixit. At *Longobardi*, Boëmundi fauore omnium æmuli aliorum, ipsius enim patrocinio nitebantur, Principi castri illius inclamitant. *Hoc signum*, inquiunt, *non est Boëmundi*. At ille cuius esset rogitans, cùm didicisset, quia Sancti Egidij Comitis, deposuit illud, Comitique restituit. Petitóque Boëmundi & accepto, securitatem pariter accepit, vt de his, qui in oppido secum erant, si qui nostræ fidei iungi vellent, cum ipso Boëmundo copiam remanendi haberent; sin aliàs, absque vllo sui ipsorum incommodo recederent. Ad iura itaque Boëmundi concedente castello; & ex eius officio ad oppidi custodiam hominibus inductis, post paucos dies Baptisma suscepit is, qui castrum reddiderat, & cum eo si quis Christiano nomini communicare maluerat. Si qui suis hærere legibus voluerunt, & propria super isto libertate potiti sunt; & vsque in Sarracenorum terram, ipsius Boëmundi commeatu, educti sunt.

X.

Hoc bellum quarto Kal. Iulij, in suæ passionis vigilia Petrus & Paulus egerunt, eius vrbis miseriæ condolentes, & nouorum Ciuium exitia non ferentes, qui eas eliminauerant, quæ templum DEI Sanctum attaminauerant, gentes. Ipsi namque misereſcere iure debuerant, quam vtrique prædicando docuerant. In Ecclesijs planè stabula constituebantur equorum, & in parte ipsius maioris basilicæ beati Petri, Mathomi sui erexerant domum. Victi denique hostes cùm hac illacque diffugerent, montes ac valles, rura ac nemora, calles & auia quibusdam semiuiuis, aliis mortuis, sauciis innumeris opplebantur. Repentina ergo DEI miseratione respecti, diuturnæ famis calamitatem celeri felicitate mutarunt, vt vbi duobus pridem solidis ouum vendebatur, bos vix denarijs duodecim distraheretur: & vt breui omnia sine claudam, vbi inediæ rabies incesserat, ibi tanta pecuniarum omniumque victualium vbertas accessit, vt subita emersione passim exoriri videretur omnis plenitudo rei, & aperuisse putaretur Dominus cataractas cœli. Tanta tentoriorum numerositas extitit, vt cùm quique nostrorum tabernacula diripuissent, ditatis omnibus, iamque prædarum sarcinas fastidientibus, vix inuenirentur, qui raperent. Nec paupere occupante rem quamlibet ditior vllus superueniens violentiam inferebat, sed alter alteri sine contentione cedebat.

CAPVT III.

XI. Antiochiā Imperatori offerunt.

POst hæc Principes nostri, Dux *Godefridus Sancti Egidij* Comes, *Boëmundus*; *Northmanniæ* Comes, *Robertúsque* Flandrensis, & cæteri omnes, acto pariter consilio, *Hugonem* Magnum, & *Balduinum* Comitem de Montibus, pluresque alios illustris nominis viros, ad *Imperatorem* dirigunt, vt vrbem Antiochenam reciperet, & quæ nostris fuerat pactus expleret. Iêre siquidem, sed postmodum ad eos à quibus missi fuerant reditum distulêre. Quodam enim in loco consecuti à Turcis, quibus equi ad manum fuere elapsi sunt: quibus procul, aut captiui abducti, aut ferro finem sortiti sunt. *Comes de Montibus*, cui infortunio succubuerit, adhuc nobis minimè certum est. *Hugo* autem Magnus, quare reditum suum detrectare voluerit hæc aliquibus videtur occasio. Cùm esset aliàs strenuitatis immensæ, in procurandis tamen his, quæ vsibus tanti hominis sufficientia crederentur, minus se sollicitum exhibebat: & ideò vir honestissimè delicatus, inter eos, qui aut tenaciores erant, aut in his contrahendis acriores, quibus aut maior erat vel in nullo secundus, egere timebat. Sed de eius reditu, iustè nemo queri debuit, qui postmodum, ad hoc idem postliminium faciens, Martyris & optimi semper militis nomine insigniendus, occubuit.

XII. Agunt de Ierosolymitano itinere.

Denique non multo post, tractatum est quomodo Ierosolymitani itineris, pro quo tanta tulerant intentio consequeretur effectum: idemque populus, qui ad id desiderantissimè aspirabat, qualiter interim regeretur, donec ad rem esset ventum. Perpenderant planè proceres, quia inter eundem multa æstiuo tempore inaquositas habeatur: & idcirco, ad Kal. vsque Nouembris differenda profectio iudicatur. Interim ergo assentientibus huic consilio cunctis, seniores exercitus per vrbes & oppida, sibi ad inuicem distributa & acquisita, se diuidunt: & vbique per subiectos sibi populos, à præconibus celebrari præcipiunt, quatenus si quis eorum egeret, sub donatiui pactione potentioribus adhæreret. Fuit inter alios vir equestris ordinis, armorúmque exercitio summopere præminens, de primoribus Comitis Sancti Egidij necessariis existens, *Raimnndus* nomine, cognomento *Pilitus*, cui & militum & peditum plurimi sese contulere. Huic itaque, & pro sui munificentia, & pro ingenita industria, multis applicitis, conflato non exiguo exercitu, itur in Sarracenorum terram, castrúmque aggrediuntur quod dicunt *Talamaniam*. Oppidani verò idem, cum essent Syri, à præfato sunt viro propriâ statim deditione recepti. Quo intra idipsum municipium octo commorante diebus, nunciatur eidem haud procul inde haberi castrum Sarracenorum, innumerabili vulgo frequentissimum. Ad hoc irrumpendum dum rapidissimo ferrentur assultu, DEO penetrante, subigitur. Habitatoribus ergo correptis, qui Christiana sacramenta suscipere adquieuerunt, seruati sunt incolumes: qui detrectauêre, necantur.

Diuersæ Raimundi incursiones in Turcos.

His explicitis, DEO gratias redhibentes Talamaniam reuertuntur: & tertia die inde digressi, ferocissimam munimentis, ac variarum gentium coactione superbam ciuitatem, vocabulo *Marram* expetunt. Hæc prælibato contigua erat præsidio, in quam à circumiacentibus castris ac vrbibus præcipuè ab Haleph, Sarracenorum Turcorumque sentina confluxerat. Quibus phalanga Gentilium obuiam, dimicatura, processit; nostríque se æstimantes cum eis posse, pro more, bello decernere, citâ illorum sunt tergiuersatione decepti. Attamen hostes idem, creberrimè prodeuntes, non desistebant lacessere nostros. Tota itaque dies, vtrarumque partium vicariis incursibus recursibúsque occupata subducitur. Acerrimus ergò nostros cum decoqueret æstus; & insuetâ ariditate sitis quorumque interiora fatiscerent, remedio nullatenus suppetente, voluerunt ea nocte iuxta eandem vrbem tentoria ponere. Ciuitatenses autem cùm subintellexissent nostros aliqua ex parte nutare, Syri enim primi de fuga cœperunt agere, acriùs eis, ex eorum facti propensa pusillanimitate feroces, iam non verentur insistere. Quâ irruptione vexati, animas DEO, studio pietatis extrusas quàm plurimi reddiderunt. Hæc finalis eorumdem dies, quinto Iulij mensis die facta dinoscitur. Residui autem Franci Talamaniam regressi, cum suo Duce *Raimundo* plurimis desedêre diebus ibidem. Antiochiæ verò commanentes, multa se tranquillitate, opulentiáque gerebant.

XIII. Aimarus Podiensis Episcopus migrat è vita.

Sed hanc eorum serenitatem, occultâ, quâ nescimus, dispensatione, obscurissimo confestim turbauit nubilo DEVS. Is enim qui eos rexerat, qui interius exteriúsque eos piissimè fouerat, vir DEO sæculóque spectabilis, Podiensis Episcopus *Aimarus*, ægritudinem incidit: piíque sudoris labores, perpetuæ requietionis sabbatismo detergere ei Omnipotens, largissimâ miseratione disposuit. In ea itaque, quæ vocatur *Ad vincula Sancti Petri*, festiuitate decessit: cumq; cui regni cœlorum claues, ac solutionum pertinent potestates, & absolutorem reperit,

ianuarumq; cœlestium introductorem commeruit. Oboritur illicò in CHRISTI vniuerso exercitu, acerbissimi doloris tristitiæque nimietas: & dum frequentes misericordissimi hominis beneficentias, cuiuslibet ordinis sexus & ætatis quisque recenset, inconsolabiliter, dum nulla præstolatur remedia, mœret. Tanta ad eius funus, tamque præcordialis ipsorum Principum conclamatio fuit, ac si generalis interitus denunciaretur illis. Tantum ad eius nec dum sepulti feretrum, ab omni illa, cui paternè præfuerat, gente pecuniarum oblatum est, quantum vspiam gentium ad altaria quælibet, sub tantumdem spatio temporis deferri, non vidit, vt arbitror, vllus: quæ quidem pauperibus statim pro ipsius anima tota sunt dilargiti. Horum namque, dum aduiueret, gesserat, tanta sollicitudine curam, vt diuitibus id præ omnibus in dies duceret inculcandum, quatenus egenos diligerent, eorumque misericordiis insisterent, ipsos asserens suæ ipsorum vitæ custodiam.

De egenorum sublevandis miseriis egregia ipsius dicta. *Desunt in MS. Remensi.*

Iudicium, inquiens, *sinè misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. Nisi enim minoribus vestris, tamen naturæ consortio comparandis, humanitatis sinum præstiteritis; ea quæ vobis & illis non dispariter à DEO creata; à vobis tamen inæqualiter correpta noscuntur, non eis communicaueritis, diuinæ proculdubio vobis ostium misericordiæ percludetis. Hos*, inquam, *quorum reficimini gratia, aliquibus bonorum vestrorum particulis refouete: certi, quia sicut ipsi temporaliter sine vobis, ita vos sine illis non potestis in sempiternum viuere.*

Hæc hisque similia vir mirabilis, crebris orationibus eis ingerens, memorabat.

CAPVT IV.

XIV. Raymundus S. Ægydij Comes Albaram vrbem occupauit, cui Episcopum præfici curauit.

IGitur *Raimundus* Sancti Egidij Comes Sarracenorum prouincias intrat; & ad quandam vrbem quæ appellatur *Albara* exercitum ducat: quam, vbi ei manus admonuit, continuò eam cœpit, & omnes, quos ibidem reperit, Sarracenos mulierésque peremit. Quam continuò subactam, fidelibus, vt potuit, colonis instaurat; consultisque prudentibus viris, Episcopum eidem vrbi censuit ordinandum, qui paulatim Ethnicos, CHRISTI fidei documentis imbueret, & in fanis ipsorum, repurgio primùm adhibito, pietatis ministeria ac regenerationis mysteria dispensaret. Virum igitur ætate habilem, scientiâ prædicabilem eligunt; eumque Antiochiam consecrationis gratia ducunt. Qui institutus Antistes, Ierosolymitanæ profectionis persecutionem non idcircò neglexit; sed instituto quodam, qui se ad id officij vltrò obtulerat, ad custodiam præsidij vrbis præfecto, cum aliis perrexit. Is, valdè insolitâ ibi vsus audaciâ, paucissimis, quia censuum ita tenuitas exigebat, sibi comitibus ascitis, ciuitatis asseruare cœperat arcem. Et quia Sarracenis idem locus iam fiebat infrequens, rarissimi qui remanserant Gentiles eius iuri se mancipant, eíque reditus, tantum vt vitam sibi concederet, de proprio labore ministrant.

XV. Disceptatio de Antiochenæ vrbis dominio Boëmundum inter & Raymundum.

Præterea Antiochenis plurima fortuna vndecumque florentibus, omnium Sanctorum dies festiuitatis instabat, quo terminus iterandæ expeditionis præstitutus fuerat; cùm ecce principes, sui non immemores propositi, apud Antiochiam pariter coiêre: consiliumque ab alterutris quærere cœpêre, quatenus, cuius causa venerant, iter quirent ocius expedire. At *Boëmundus*, antequam Dominica militia motum faceret, super ea quam sibi pacti fuerant ciuitatis habuit redditione tractatum: sed *Sancti Egidij* Comes nullatenus Boëmundo præbebat assensum, dum veretur illud quod Imperatori fecerat sacramentum. Quapropter proceres, inter vtrosque medij incedentes, in beati Petri Ecclesia sæpius glomerantur. Referebat Boëmundus vrbe sibi à Pyrro prodita, omnium ex ea partes, ipsorum Principum sibi largitione, concessas. Sancti Egidiensis è contra refert, quia iureiurando astruxerat Constantinopolitano Principi restituendam ciuitatem, saluâ persolutione pactorum sibi: & hoc totum factum ex consilio Boëmundi. Interea Pontifices, qui altercationi dirimendæ institerant, cum *Godefrido* Duce *Flandrensi* atque Northmannico comitibus aduocatis, cæterisque senibus additis, seorsum oratione cuiusque auditâ, se segregant, vt ventilatâ, ex collatione causarum, sententiâ, iudicium proferre deberent. Sed perpensis queritantium dictis, quasi neutri super isto fauerent, cùm ad conuentus frequentiam reuertissent, dum ad inuicem tantos viros irritare verentur, iudicium distulerunt.

Quod ex industria factum Comes ipse comperiens, *Ne*, inquit, *contentio præsens CHRISTI fidelibus generet turbam, Sepulchrique Dominici videatur protelata libertas: ne cupiditatis næuo, parte ex aliqua notabiles æstimemur, parium meorum, præsentium Principum, sententiæ me fauturum profiteor; saluo eo quòd me Constantinopolitano Principi spopondisse inuitum vos, qui adestis, fratres & domini, scitis.* Nec morâ, Boëmundus & ipse huiusmodi dictis assensit. Ambo ergo, omni iam lite summotâ, dextras, fide mediâ, Episcoporum in manibus præbent, constantissimè asseuerantes quòd nullo modo

Dei militia eorum deinceps iurgiis turbaretur. *Boëmundus* itaque sumpto consilio castrum de montanis, viris victualibusque communit. Comes itidem *S. Egidij* cum suis consilium communicat, quatenus palatium Cassiani quem patrio vocabulo *Admirauissum* vocitant, & turrim quæ portæ præminebat pontis, ex parte videlicet portus Sancti Simeonis, stipendiis largioribus inserciat.

CAPVT V.

Antiochenæ ciuitatis descriptio.

ANtiochena, ciuitas incomparabiliter est decora, nulli ædificiorum maiestate secunda; situ placens, aëre impassibili: vinearum fertilis, territorij vbertate fœcunda. Ab Oriente, quatuor montanorum proceritate procingitur: ab Occidentali plaga, (4. Reg. 5. 12.) fluminis cuiusdam, Sacræ paginæ non incogniti, quod *Pharphar* dicitur, piscium feracissimis vndis propter muros alluitur. In altiori montium, castellum miraculo dignum, præminet: sed impenetrabili securitate præstantius: inferius, ciuitas plenissima gloriarum, & veteris pompæ monimentis adhuc superba nobilibus, trecentas & sexaginta Ecclesias suis cingens ambitibus. Pontifex vrbis, ex Apostolica successione, Patriarchij honore insignis, centum quinquaginta trium Episcoporum sibi appendicium, priuilegio promouetur. Gemino est ciuitas circumdata muro, altero quidem mediocri, altero autem incredibiliter lato, & præter solitum procero, saxisque extructo maiestate enormibus circumpositis eidem quadringentis quinquaginta turribus. Refert Ieronymus in quinto explanationis in Isaiam libro, vrbem Reblata, in qua Rex Nabugodonosor Regis Sedechiæ oculos eruit, & filios eius occidit, hanc esse Antiochiam. Fertur verò eam ab illo antiquiore Antiocho, cuius potentiæ plurima monimenta supersunt, suscitatam: & quinquaginta subiectorum Regum, quos & municipales eius astruunt, cooperationibus, tantâ præsidiorum eminentiâ, tantâ ædium varietate compositam. Quod quidem falsum est, cùm ipse Pompeius Trogus verissimè à Seleucho referat Rege, sub paterno nomine institutam: & ab ipso deinde vel sequentibus Regibus auctam: sicut sub matris Laodices nomine, condidit & *Laodiciam*: ex proprio, *Seleuciam*. Huic obsidendæ, quarumcumque machinarum balistarúmue tormenta nil poterant: & nisi proditio Pyrri obsessoribus affuisset, immò Devs per quos voluit adiuuisset, in cassum Francica magnanimitas famem, cæterarumque miseriarum ibidem detrimenta tulisset. Istic desederunt nostri ciuitatem vrgentes obsessam: per octo menses vnumque diem. Postmodum verò & ipsi fuere conclusi per tres hebdomadas, innumerabilium Gentilium confluente frequentiâ: & superatis demum ipsis, item illic deguerunt per quinque mensium octóque dierum spatia, cùm plebs eadem à suis Principibus Ierosolymam sollicitatur itura. Sed quia præfati *Pyrri* memoria mihi videtur deinceps non habitura locum, quem finem habuerit intimandum.

Pontifex Patriarchatus honore insignis: sub se 153. Episcopi.

Spatio 8. mens. & diei vnius obsessa Antiochia. XVII.

Christianitatem planè susceptis sacramentis professus fuerat: *Boëmundus*, sacro in lauacro, ex suscipiente nomen acceperat: Ierosolymitanæ obsidioni Comes nostris ac cooperator extiterat: eáque captâ Antiochiam redierat. Vbi cùm præconium emisisset, quatenus, quicumque in vrbe vrbisque vicinia, Christianus egeret, secum in patriam remotiorem, vbi multas haberet possessiones, veniret, pollicens quòd præclaris muneribus quemque ditaret, hac spe vulgus conflauit sibi immodicum: & in suam, vti dixerat, regionem fertur abduxisse deceptũ. Qui cùm ad sua oppida deuenisset, partem militiæ sese comitantis hos exilio, illos morti prodidit: & nisi ad alios, quorum numerositas extra castrum fuerat hospitata, verbum de proditione venisset, fugáque miserabili aut elabi, aut delitescere licuisset, vniuersorum libertas, aut gladio aut captiuitate perisset. Ibi prorsus Christianitate desertâ: veteris luxuriæ, & Gentilitatis inquinamenta resumpsit. Nec id iniuriâ. Si enim *Pyrrus* Græcè, *rufus* est Latinè, & infidelitatis nota rufis inuritur, isdem ergò à sua minimè linea exorbitasse probatur.

De infelici Pyrri fine.

CAPVT VI.

XVIII.

IGitur *Raimundus* Sancti Egidij Comes, suum ab Antiochia exegit exercitum, cùm iam properaret Nouember ad exitum, & duabus ciuitatibus inter eundem: *Rugia* videlicet, & *Albara* transmissis, quarto demum die, finem faciente Nouembri, *Marram* peruenit ad vrbem. In quam, copia ingens Sarracenorum, Turcorum Arabumque confluxerat, quam Comes postridiè quàm venerat, exertis omnino viribus aggredi parat. Nec morâ, *Boëmundus* cum exercitu Comitem persecutus, quadam die Dominicâ propter castra * deposuit. In crastinum tantâ ad vrbis muros animositate concurrunt, vt hærerent parietibus scalæ, murosque sub ipsos niterentur gradibus. At ciuitatenses, penitus expertes ignauiæ, tantâ instantiâ restitêre, vt nihil nostrorum ea die valeret molimen efficere. Tum sancti Egidij Comes, suos cassum laborem cernens

al. * posuit.

Marram oppugnat Boëmundus.

insumere, *castrum* quoddam *ligneum*, multi A laboris ac proceritatis, suis mandat erigere: quæ machina quatuor vehebatur rotis, in cuius summitate militum multitudo constiterat; subter verò, armata militia muro eam ciuitatis, iuxta quandam turrim, magnis impulsibus admouebat. E contra vrbani, baleare celeriter ædificant instrumentum, quo iactis ingentibus saxis nitebantur debilitare castellum, in tantum vt frequens lapidum ictus, & machinæ damnum, & nostris minaretur interitum. Iniectis quoque Græcis ignibus, super phalam moliebantur B incendium; sed eorum DEVS super isto fefellit annisum.

Eminebat ergò ædificium muro vrbis; & inter has partium collisiones, animos pugnantium vlulantis tubæ tumultus exciuerat. Interea milites ex nostris quidam superius phalæ eiusdem obtinentes solarium, *Guilelmus* videlicet de *Montepisterio*, aliíque quamplurimi, maximis illos, qui in mœnibus propugnabant, concutiebant saxis: in tantum vt clipeo plerumque percusso, & Clipeus & Clipei dominus iam inutiles prorsus deuoluerentur à muro. Quidam autem C hamos in hastilibus ferreos habentes, Sarracenos propugnacula defensantes obuncare & ad se corripere nitebantur. Is hinc & inde conflictus vix vespertinis ad tempus omittitur horis. A tergo itaque castri, Presbyteri, Clerici, ac Monachi sacris, pro suo quisque gradu, vestibus adornati, pro instanti negotio DEVM attentissimè precabantur, quatenus Gentilitati vires adimeret; fidei propagatoribus adaugeret: Altrinsecus è regione machinæ alij milites, scalis positis mœnibus imminebant. Nec Paganos detinebat D inertia, quin eos rabidissimâ ferocitate depellerent. At *Guilferius* quidam, eorum rebellionis impatiens, murum primus cum manu quidem, sed valdè parua, conscendit. Illicò ciuitatenses tanto, eius præsumptores audaciæ, furore peruadunt, spiculis eos ac sagittis vrgendo, vt aliqui, ipsorum irruptione perterriti, sese de muro demitterent. Pars verò quæ remanserat tamdiu inter hostium iacula constitit: tamdiu, cedere dedignata, eorum violentias armorum industriâ E retudit, donec qui subter erant murum suffoderent. Mox itaque; vt vrbani muri se conspiciunt suffossione damnatos, solius fugæ iam præsidio innitentes, ad vrbis interiora concedunt. Dies erat, quo hæc geri contigerat, sabbatum, cùm peteret iam sol decliuis occiduum; explicato Decembri vndecim promotione dierum.

Acerrimus conflictus.

Confestim per interpretem *Boëmundus* Sarracenorum primores aggreditur: quatenus cum propriis militibus, paruulis ac mulieribus, omni pariter contractâ substantiâ, intra quoddam sese palatium quod erat supra vrbis portam, cohiberent, spondens quod eis vitam omnino protegeret, sua suosque defenderet. Hoc modo ciuitate obtentâ, quidquid in foueis reperere, vel domibus, hoc suis quique proprietatibus asciuerunt. Facto denique, exactâ nocte, crepusculo, si quem Gentilium reperiri contigerat, discurrens vbique nostrorum turba mactabat. Nulla ciuitatis portio vel minima fuerat, quæ Sarracenorum cæde vacaret; nec angiporta vrbis iam peruia esse quibant, quia cadauera Paganorum publicos calles opplebant. At Boëmundus, eos qui se memorato palatio, vti ipse iussit intruserant, peruasit; quæ habebant, abstulit; alios morti addixit, alios Antiochiam ductos vendi iussit. Mense autem integro, quaternisque diebus, hîc Franci fecere moram.

Ac ibi difficilem gens tulit esuriem.

Ibi quidam ex nostris, dum aliquibus, immò omnibus necessariis indigent, nullis quæ direptioni suæ forent apta adiacentibus, mortuorum Sarracenorum ventribus temeratis, ausi sunt ipsorum intestina rimari: quia audierant aurum argentumque, ab eis in arcto positis, ob custodiam solere glutiri. Alij carnium frusta cædentes, ex ipsis coxisse & comedisse feruntur. Quod tamen tam rarum adeóque latens extiterit, vt omnibus vtrum idem fieri vllo modo potuisset penè dubium sit.

CAPVT VII.

INterea *Boëmundus* eam, quæ inter se & Comitem Sancti Egidii fuerat oborta simultas, penitus non omittens, dum sibi Comes nullatenus cedit, iratus Antiochiam redit. Nec morâ, Comes directis ad præfatam vrbem legatis, duci Godefrido, Comiti Flandrensium, itidem & Northmannorum, denique Boëmundo, Rugiæ (ciuitas autem est memorata superius) colloquium indicit. Quibus suum accelerantibus aduentum cõsilio generali tractatur, quatenus sic sibi concordibus animis vnirentur, vt nequaquam vlterius expeditio Ierosolymitana moraretur. Reperitur omnimodis, concordiæ Boëmundus agendæ acer & insolens, nisi suæ faueat voluntati Comes, Antiochiæ parti cui dominabatur cedens: inuenitur Comes ad ista rigidior, obtendens quòd Imperatori præbuerat sacramentum. Hac ergò mentium in sese acerbitate diuisi, Sancti Egidiensis ille, Boëmundus ac Dux pariter, Antiochiam sunt reuersi. Iisdem rursus de palatij & castelli, quod portæ pontis

XIX. Boëmundi & Raymundi simultas recalescit.

vrbis præminebat, custodia, militibus suis mandans, ad *Marram*, quam pridem ceperat remeauit. At tamen, non penitus rationis expers, & in sua peruicacia communia damna perpendens, dum pertinaciæ eius causâ Dominici Sepulchri cogitur differri libertas, tertio decimo infra Ianuarium die, vir egregius, nudipes, à Marra ciuitate progreditur, peruenitque *Caphardam*: ibique triduo mansit Illic *Northmanniæ* comes, simultate desertâ, illi coniungitur,

XX. Cæsariensium Rex cum nostris iniri fœdus rogat.

Præterea Rex Cæsariensium, Sancti Egidiensi illi Comiti frequenti legatione suaserat, quatenus secum solidæ pactionem pacis iniret, spondens quòd vbique Imperij sui Christianis adiumenta præberet: negotia ciborum, vestium & equorum, omniumque vsui pertinentium non negaret. Hac nostri pollicitatione gauisi, iuxta vrbem eligunt tabernaculorum loca sortiri: *Pharphar* namque fluuius à ciuitatis mœnibus haud longè præterfluit At Rex vrbis, prospecto tanto exercitu, non multum de talis contubernij propinquitate lætatus, ægrè tulit: & nisi ocius inde recederent, mercatum vetuit. In crastinum, duos cum nostris ex suis misit, qui eis vadum fluminis demonstrarent: eosque perducerent quò prædæ aliquid diripere possent. Itaque ab eisdem, quædam subter quoddam nostris oppidum, vallis ostenditur, vbi animalium numerositate repertâ: quinque fermè milia rapiuntur: frumenti, cæterorumque vtilium plurima copia reperitur, è quibus ad integrum equitatus ille reficitur. Castrum quoque idem in ius Comitis, sua ipsius deditione, traiicitur: aurum ex eo non modicum cum equis præbetur: nostrisque per omnia, quia numquam eos læderent, securitas certa promittitur. Sederunt quinque diebus ibidem: Inde digressi, ad aliud deuenêre oppidum, quod à gente incolebatur Arabum: circa quod vbi disposuêre tentoria, dominus oppidi obuiam processit, cum Comite factâ concordiâ.

Plures Christiani cepere vrbes.

Denique properatâ deinceps motione castrorum, quandam pulcherrimam ciuitatem, vocabulo *Kephaliam*, omnibus opulentam bonis attingunt, in quadam valle positam. At habitatores, Francos vbi aduenisse comperiunt, vrbem deserunt, alimentorum plenitudine refertis domibus, cùm & horti passim exuberarent fructibus: solas sibi salutes subterfugio tueri eligunt. Tertio à præfata discesserunt vrbe die: arduáque nimis, & scrupea montana conscendunt: & ad aliam deinceps vallem, non minori, quàm vbi Kephalia erat, fertilitate viuidam, iterato descendunt: ibíque quindecim fermè diebus, substantiâ iocundati vberiore, sese reficiunt. His quoque contiguum locis, quodam Francis nunciatur fore castellum: ad id confluxerat multa nimis frequentia Paganorum: Quod nostri cùm rapidissima obsidione cinxissent, præstò erat vt subigerent, cùm ecce oppidani non paucas armentorum copias illis obiiciunt: talíque lenocinio, vt ab obsidione desistant eos ad tempus illiciunt. At summo diluculo admouentes nostri tentoria castro, illud obsidere proponunt: quem eorum conatum vbi gens Pagana persensit, celeri fugâ recedunt, vacuumque oppidum derelinquunt. Ingreditur Christiana militia: proflua inibi frumenti, vini, farinæ ac olei inesse deprehenditur exuberantia, & si qua fuissent necessaria.

Illic tota affectione, Purificationis beatæ Mariæ festa coluerunt: illic etiam *Camelæ* ciuitatis Regis legatos exceperunt. Rex planè idem Comiti equos, aurum, argentumque sequestrâ legatione paciscitur, pollicitus quòd Christianos in nullo offenderet: sed debitam eis reuerentiam exhiberet. Rex etiam *Tripolitanus* Comiti mandat, quòd gratanter si velit cum eo pactum ineat, directis eidem decem equis, quatuor mulis, & auro non modico. Comes verò ait, nullatenus se cum eo pacificè acturum, nisi fidei nostræ sacramenta susciperet.

Regi Tripolitano pacem negant, ni Christo det nomen.

Egrediuntur de valle, quam superius memoraui, vberrimâ; & ad præsidium naturâ munitissimum in rupis supremo positum, quod dicitur *Archas*, Februariis Idibus, cùm esset secunda feria deuenerunt; viciniamque municipij tensis papilonibus occupauerunt: quod quidem innumerabilis infercierat multitudo Paganorum, Turcorum videlicet, Sarracenorum, & Arabum, qui præter originis munimentum, fortius illud omnimodis suâ pluralitate reddiderant. Contigit ibidem, quatuordecim ex Christiano exercitu viros equites contra *Tripolim* vrbem, quæ fuerat illi propinqua Castello procedere non ob aliud, si non fallor, nisi vt valerent quippiam esui commodum sibi contrahere. Hi inquam, quatuordecim cùm essent, sexaginta circiter Turcos, aliis etiam comitantibus reperêre: qui præ se homines ac animalia, quæ prædati fuerant, plusquam mille quinquaginta deducerent. Qui, sponsionis Dominicæ ipsis exequutores effectibus, quòd *duo fugarent decem milia, & vnus mille*, exculpto piis in mentibus Crucis signo, DEO annitente, incredibili eos audaciâ subigunt: senos ex his perimunt; equos totidem comprehendunt.

Deut. 32. 30.

Porrò de Sancti Egidiani Comitis equitatu, *Raimundus* ille, cuius probitas in hoc opusculo crebram exigit mentionem, quem *Pilitum* cognominari diximus, vir animi acrimoniâ & armorum industriâ vehementer

Tortosa vrbe potiuntur.

egregius, cum alio quodam cognomini viro, qui erat *Vice comes* officio, *Tortosam* ciuitatem expetunt; & primo eam assultu, quem ferocissimè intulerunt, non minimùm eius loci indigenas terruerunt. Hic, pro sui munimento, quod plurimum videbatur, gentilium incredibilis populositas, muscarum ad instar influxerat. Nocte sequenti in quandam ciuitatis plagam hospitaturi, immò tentoria fixuri diuertunt; focos sine numero per excubias, ac si vniuersus Francorum afforet hostis, instituunt. Expauit & concidit extremâ desperatione gentilitas, perpendensque se non posse scuto propriam tueri salutem, censet ad vltimum euitandam quoquomodo vel pedibus mortem. Noctu itaque silenter elapsi, ciuitatem, totius opulentiæ fortunis infertam, vacuam omni habitatore relinquunt. Pij, inquam, scripturæ illius impletores, *Quia pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*. Hæc ciuitas quàm optimum suo in suburbio, vt pote secus mare constituta, habet portum. Postridie conueniunt nostri, totis peruasuri viribus vrbem; sed in ipso congrediendi molimine prorsus inanem repererunt ab homine. Introeuntes igitur eam, tamdiu ibidem deguerunt, donec ad obsidendum municipium, quod supra intulimus, *Archas*, exinde processerunt. Est autem alia quædam vrbi isti contigua ciuitas, quæ *Maraclea* vocatur. At ille, qui ei præerat, quem & *Admirauisum* appellant: nec morâ, cum nostris fœdus inire parat.

Iob. 2. 4.

Hos simul, ac horum mox signa recepit in vrbem.

CAPVT VIII.

XXI. Castellum Archas obsidetur.

INterea Dux *Godefridus*, *Boëmundus*, Comesque *Flandrensis*, *Laodiciam* pariter attigêre. Sed Boëmundus, amicæ sibi Antiochiæ diuisionis impatiens, à præfatorum contubernio disparatus, remeauit ad illam. Ipsi verò pari animo contendunt ciuitatem quandam obsidere *Gibellum*, sic enim vocabatur. Ad *Sancti* autem *Egidij* Comitem Raimundum huiusmodi rumor accessit, quod Gentilitatis adauctæ vulgus enormiter ingens, contra se prælia destinassent. Qui, properè compellatis militiæ quam habebat vniuersæ proceribus, eos quidnam opus esset facto consuluit. Cui senatus ille intulit, nil se vtilius huic negotio æstimare, quàm consortes Dominici itineris, & alios sibi comites in adiutorium conuocare. Consuluit denique consilium, mox opus explicuit. Principibus itaque, Duci videlicet *Godefrido*, Flandrensique *Roberto*, postquam sui comparis fuit comperta necessitas, cum eo, qui Gibello ciuitati præerat, acceptis magnificis equorum aurique muneribus, inîere fœdera; & adminiculum præstituri, conuenerunt ad Comitem, quam obsidere cœperant vrbe dimissâ. Expectationem autem eorumdem belli gerendi, rumigera frustrauit opinio. Vnde pariter conspirati *Archas* castellum repetere deliberarunt. Vbi cum obstinatis contra idipsum animis desedissent, non multò post *Tripolitanos* moto exercitu inuisere gestierunt; repererúntque, in sui prouidentia positos, pro mœnibus ipsius vrbis hostilem manipulum, Turcorum videlicet, Sarracenorum, ac Arabum. Quibus nostri debitâ animaduersione peruasis, ad supremum fugæ ilicò compulêre remedium.

Ibi tanta ipsius vrbis nobilium, non modò cædes exstitit, sed ac si è pecoribus, carnificium: vt etiam vnda fluminis, quod ciuitati influit, mixtim fuso cruoreruberet; & tali commaculata sanie, quælibet eorum cisterna sorderet. Ex quo eorum mentibus oboriri mox contigit ferale iustitium; tantíque timoris aculei animos compressêre superstitum, vt ipsorum nullus, cuiuspiam causâ negotij, præsumeret extra ciuitatis muros attentare vel exitum. Postero die progrediuntur nostri vltra quandam vallem, quæ vocatur *Desen*: in quam & die tertio post captam * *Besaliam* venisse eos superiùs diximus; eámque vberrimam reperisse, & quindecim diebus in illa mansisse: & inuentis illic bobus, asinis, & ouibus, & multis animalibus, camelorum etiam tribus milibus, redière cum gaudio, copiosas de his omnibus prædas agentes. Castrum itaque idem tribus mensibus, die minus vnâ, continuis obsedêre. Ibíque egêre Pascha Dominicum quarto Idus Aprilis. Interim ergo dum obsidionis mora hos detinet, classis ipsorum quæ deferendis consueuerat victibus inseruire, cuidam sibi contiguo portui allabitur, comportans negotia non parua frumenti, ac vini, carnis, & casei, hordei ac olei, ex quo plurima expeditionem Dominicam opulentia reparauit. Licet autem nullam ibidem penuriam eos pati contigerit, tamdiu tamen inutilem, super tantilla re, insumpsisse laborem, sani modum mihi videtur excessisse consilij.

* al. Cephaliam.

Post mortem planè viri admirabilis *Podiensis* Episcopi, qui amore pastorali ac rigore, omnium sibi inuicem animos, concordiæ ac vnanimitatis visco, deuinxerat, cœpere inter Principes simultates aliquoties ac insolentiæ oboriri; apud mediocres prȩterea & vulgares, licentiæ, quas non omnino deceret haberi, vt veteris historiæ

Iud. 17. 16.

dictum, *Quia videlicet Rex non esset in Israël, sed quod cuique in oculis suis bonum videretur agebat*, aliquando putaretur impleri. Etsi enim Pontifices illic alij, glorioso illo homine, qui eorum specialis pater & Dux fuerat deputatus, obeunte, remanserant, non tanti pendebant tamen illos: præsertim cùm meminissent se, non eo his, quo illi vni fuerant iure commissos. Dum ergo nemini singulariter parent, & vniuersa inter eos æstimantur æqualia, fiebant sæpius, dum vulgi libido præualet, apud ipsos minus apta iudicia. Vnde accidit vt post Dominicæ reuelationem Lanceæ, quam defunctus antistes omnimodâ deuotione susceperat, fœdè nimium incredulitatis murmur emergeret: dicentibus quibusdam, quia non veraciter, sed præstigiosè repererat; & non Dominicam sed Lanceam qualemcumque præbuerat. Incipit itaque enormis plebeculæ passim mussitare frequentia; & eos, qui crediderant, & venerari delegerant, verborum suorum sedulò corrumpunt fallaciâ. Rei repertæ probationes exigunt: repertorem iudiciis diuinis addicunt. Compellitur vt dubiis vir ille fidem reddat: quæ extorquentur ab ipso, cogitur, solius eorum causa curandæ infidelitatis, vt subeat. Ipso igitur imperante, rogi duo vix cubiti breuissimi spacio à se distantes instruuntur: multæ à populis, rerum nouarum cupidis, materiei strues ingeritur: ac vtrarumque partium flamine cõfluentibus globis, inter ardentia ligna semita admodum angusta relinquitur. DEVM ergo, qui veritas est, & præter cuius nutum tum super hac re nil se egisse cognoscit, misericordem, miserabili, vt par erat, oratione compellat; & per opacum pyræ furentis tramitem tota viuacitate præteruolat; & per hunc ipsum callem mox rediit quò venerat.

Lancea Dominica in dubium reuocatur.

Aderat spectaculo huic, quæ in procinctu morabatur tunc temporis, militiæ Occidentalis copia: & pro inusitati operis ausu, dubios, diuersis quique intentionum statibus, præstolabantur euentus. Facto denique, vt dixi, reditu, prodeuntem, ab ignibus populorum ruentium infinitæ phalanges excipiunt: & dum incolumem focos excessisse conspiciunt quasi de eius aliqua, pro reliquiis retenturi, aut corpore aut vestibus, dum hinc & inde vellicant, hac illácque distendunt, ei, in tanto diripientium & impellentium constituto tumultu, animam extorserunt. Cùm enim & timore & miraculo, hinc impendentis, nisi DEVS propitiaretur, exitij: illinc subitæ ereptionis, vt sic loquar, semianimis prosilisset ab ignibus, & vulgi vndecumque pulsantis clauderetur incursibus: iam ex præteritæ anxietatis defatigatione tremulus, præfocari valuerat haud difficulter spiritus. Extincto itaque homine, multo deteriori ambage, cœpit denuò lubricum & inconstans agitari vulgus: his ita: illis aliter, ignis iudicium, quod vir ille subierat, euenisse iactantibus: his exustum, illis incolumem de flamma prodisse ferentibus: his aduersus alios iurgantibus, & quia hominem pro nihilo interemissent, improperantibus. Sed quocumque modo se sententia vulgaris egisset, illum gloriosum Præsulem, omni sacrosanctam Lanceam scimus veneratione complexum: adeò vt in eo ipso, quo reperta fuerat, loco, sit eiusdem Pontificis corpus ipso præcipiente, sepultum. De his ita res sese habuit.

Veritas comprobatur.

XXIII.

Ansellus de Ribodimonte.

Porrò, cùm apud *Archas* diutina nostros in cassum detineret obsidio; & castro in cuiusdam rupis prominente supremo, procul in imo vallis obsidentis exercitus tentoria considerent: *Ansellus*, qui *de Ribodimonte* cognominabatur (eius enim castri, & aliarum magnarum opum dominus extiterat) vir liberalis, omnino munificus, & in regenda militia mirè industrius, difficultatem capiendi oppidi intuitus, morámque sessionis diuturnæ non passus, ad iaciendos lapides phalaricarum nostros apparare instrumenta commonuit. Cœperant sanè, longissimo cuniculorum ductu, turri in excelso positæ suffossionis inferre molimina; & aperta sustentantes tigillis & postibus, tantopere aperienda scabendo cotidie insistebant, vt etiam mulieres & optimorum quorumque vxores, festis diebus sinuatis vestibus siue palliolis, defossa egestáque conueherent. His qui in præsidio fuêre compertis, nostrorum ilicò conatibus obstitêre, non sine eorum discrimine, qui scrobibus efficiendis sese nitebantur ingerere. Et cùm de turre subruenda vniuersa opera cessisset frustra, tum *Ansellus* de balistarum apparatibus nostris commonitorium suggerere curauit. Quibus institutis, & crebrâ lapidum turrem missione vexantibus, ecce & obsessi similia è regione instaurant.

Machina itaque erecta, & ingentia in nostros saxa torquente, ad maximum totius Francorum exercitus damnum *Ansellus* isdem aut primus aut inter primos ipse percutitur. Qui cùm in Dominica militia fidelissimè & irretractabiliter se ageret, inter cætera suæ sagacitatis fideíque potentis insignia, illud præclarum, & omnibus amantissimum litteratis, exhibuit, quòd cuncta quæ in obsidione Niceæ, & quæ Romaniam Armeniámque peragrando, quæ denique Antiochiam aggrediendo, capiendo, captam defensando nostri egêre: qualiter per idem tempus contra Galapiæ Regem, contra Damascenum, Ierosolymitanum quoque, quem

In obsessione Archas percussus obiit in Domino. Quæ gesta fuerant scriptis ad Manass. Archiep. misit.

& adulterum vocitat, conflixere, ad *Manassem*, Remorum Archiepiscopum, piæ memoriæ virum, qui ante hoc decessit fermè biennium, semel ac secundò directis apicibus, clarissimè patefecit. Is etiam in testimonium, nobilem erga Martyrem quem habebat, pij amoris, diem *beati Quintini* passionis annuum, coactis vndecumque clericis, quo poterat honore, ibidem celebrari faciebat, ac celebrantibus xenia digna præbebat. Contigit ibidem & alios quamplurimos, felix sumpsisse Martyrium, & mortis sacræ compendio regna emeruisse cœlorum.

Annuam S. Quintini festiuitatem agebat.

LIBER SEPTIMVS

CAPVT PRIMVM.

Quanta Christianorum in Ierosolymit. expeditione fides, & pietas.

FIDEI nostræ incentiuum non minimum præbet, quòd Occidentalium labore fidelium Orientalis restauratur Ecclesia. Vidimus prælia, DEI solius intentione piissima, quorum tota efferbuit martyrij amore militia: sine Rege, sine Principe, sola eis extitit suæ ipsorum salutis deuotio præuia. Legimus, vsque in Orientis suprema commigrasse, ob bellorum studia *Gallos*, & *Apollinis Delphici* secreta rimatos, sacrisque ereptos aditis thesauros nouimus paludibus *Tolosanis* iniectos. Conflatas has omnes copias, Principum tunc temporis suorum exactione, comperimus: hîc ne vnum quidem à quolibet suo domino inuitum renitentémque, compulsum abire audiuimus. Hîc inter arma lachrymæ, peccatorum confessiones, abrenuntiationes possessionum, vxorum aspernatio, filiorum fuga: præminet in mentibus omnium, pro DEI amore, solius beatæ mortis ambitio. Hîc, inquam libet DEVM pensare mirabilem: vt qui quondam, ad tormenta ferenda, animos martyrum, pro inuisibilium dilectione, firmauerit: ipse nostris temporibus, quod à nemine sperari poterat, & dictum pro ridiculo habebatur, tantum præsentium contemptum rerum, etiam truculentorum cupidorúmque cordibus hominum, indidit: per paucissimos homines tanta perfecit, vt laude eorum, qui gessêre post habitâ, DEVM solummodò ea fecisse certum sit. Quod ex eo, euidenti probatione, patescit: quia quotiens crebrescentibus victoriis insolentiam parturibant, seu aduersus alterutros Principes inflarentur, siue aliquâ ipsos petulantiâ commaculari contingeret, illicò eos propè nullos, & vt ita dixerim, pecorum similes Gentilitas inueniret: si quando, sui memores, pœnitentiâ ducerentur, confestim solitis fortunis piísque prouentibus redderentur. De his itaque, spirituali solùm desiderio cæptis, patratisque præliis, diuina, quæ à sæculo nunquam acciderit, tempora modernâ insigniri virtute lætemur: nec Israëlis carnalis pro ventrium plenitudine, bella miremur. Rex igitur *Tripolitanus* frequentibus nostros Principes pulsare legationibus non cessabat, vt sese à castro amolirentur, ac sibi confœderarentur. Quo primores exercitus comperto, Dux videlicet *Godefridus*, Sancti Egidij Comes *Raimundus*, Comes vterque *Robertus*, Flandrensis atque Northmannicus: considerantésque prouincias nouis iam exuberare fructibus: Iduato planè Martio, pridem satæ iam mandibiles erant fabæ: & vix ad medium promoto Aprili, polentas poterat præbere frumentum, perpenso pariter terræ habitu, generaliter sibi commodum censent vt quorumque nouorum suppetentibus copiis, Ierosolymitanum iter arriperent. Castri ergo obsidione desertâ, sub ea, quam diximus, deliberatione *Tripolim* perueniunt, cùm sexta esset feria, & tertiam decimam ageret *Martius* diem, ibíque ternis egêre diebus. Cùm proceribus itaque nostris Tripolitanus ille, factâ pace conueniens, trecentos & his plures viros, quos ex nostris captos in vincla coniecerat, continuò soluit: hisque sic abeuntibus, quindecim *Bizanteorum* milia, ob commendationem gratiæ, dilargitus, quindecim etiam equos, precij optimi, pariter attribuit. Præbuit quoque & celeberrimum nostris negotium, equos, asinos, & omnia tantæ militiæ obiter vsui futura proponens, vnde expeditio Dominica integerrimè reficeretur ad præsens. Id denique, facto secum pacto, adiiciens, quia si Imperatoris Babilonici bellum, quod frequens & maximum parari ferebatur, euincerent, si Ierosolymam caperent, Christianæ sese confestim conditioni subiiceret, se suámque eis regionem addiceret.

Obsidione Archas deserta petunt Ierosolymam.

Pactionem cum Rege Tripolitano conficiunt.

Ab ea ergò vrbe digressi, in secunda Maij mensis die transiere per horridã & angustam nocte diéque viam; castrum deinde, quod *Bethlon* vocabatur, attingunt: ad vrbem deinceps iuxta mare positam peruenientes,

quæ dicitur *Iebari*, sitis anxietatem nimiæ passi sunt, cui flumen, nec morâ, succedens, oportunum remedium præstitit, cui vocabulum erat *Braim*. Nocte igitur *Ascensionis* Dominicæ quendam subière montem, angustum omnimodis habentem callem, vbi vehementer extimuêre, ne obuios hostes in illarum augustiarum exitibus haberent: sed, Deo prouidente, nemo eorum occursui sese fuit ausus ingerere. Milites planè qui præierant nostri, liberam ab hostili incursu fecere viam. Demum itaque ad Ciuitatem applicuêre maritimam, quæ appellatur *Baruch*: inde ad *Sareptam*, quondam Sidoniorum, sub muliere vidua Heliæ pastione celebrem: dehinc ad aliam, quæ dicitur Sur; postmodum ad *Accaron*, Palestinorum aliquando metropolim, deuenêre.

Denique procedentes peruium, *Cayphas* vocabulo, habuêre castellum: donec ad insignem, & ipsam Palestinorum, consequenter appulêre *Cæsaream*: ibique ternis diebus citra Maium exeuntem celebrauêre Pentecosten: Post hæc ad eam, quam quidam *Ramatham*, origine Samuëlis illustrem: aliqui scientiores curiosiorésque locorum, *Ramothgalaad* asseuerant, cuius obtinendæ contentiones, Achab scelestissimum Syrorum Benadab rege superante, præcipitant, perueniunt: cuius habitatores, comperto superuenientium Francorum rumore, fugerunt. Hæc ciuitas, & si vllis vetustissimæ memoriæ monimentis esset eximia, vniuersa tamen clarissimi Martyris *Georgij*, quem illic sepultum asserunt, mihi videretur obnubilare præsentia. Reperitur ibidem, colonis recedentibus, victualium prope omnium opulentia grandis: & non paucis præbuit diebus generale subsidium exercitibus hospitandis. Vbi proceres, clerum & Episcopos, qui interesse poterant consulentes, cum fauore eorum ipsi ciuitati eligendum taxauêre Pontificem. Cui collatis suarum rerum decimis, auro etiam argentóque ditarunt; equis animalibúsque suffulciunt, quo sine difficili indigentia, sine summi gradus iniuria, sese ageret cum sua familia. Ipse resedit cum omni, in commissa sibi vrbe, tripudio, de Ciuitate tuenda, & de basilica potissimùm regenda officialibusque Ecclesiæ instituendis, Principum qui hoc ob cultum amorémque Martyris obnixè fieri petiuerant obediturus imperio.

In Ramatham Episcopus constituitur.

CAPVT II.

II. Ierusalem circumsident.

ET ecce ad illam quæ tot penurias eis genuerat, tantam sitim ac famem tamdiu & tam crebrò pepererat, causa tot nuditatum, vigiliarum ac frigorum; indesinentis metus occasio, subeundæ miseriæ voluptuosissimum incentiuum; ad appetitum mortis & vulneris illex: ad illam, inquam, mille desideriorum millibus affectatam; tantis, dum prospicitur, mœroribus ac iubilis inclamatam, tandem peruenere IERVSALEM. De qua sicut de Dominici Corporis mansoribus legitur *Quia manducauerunt, & adorauerunt*; ita & de his dici potest, adorauerunt eam, & expugnauerunt. Octauo itaque Iunij Idus, cùm tertia esset feria, mirâ animositate est obsessa Ciuitas. A Septemtrionali igitur plaga, Comes eam *Robertus* obsederat Northmannorum, iuxta eam beati Stephani Ecclesiam, vbi propter Filium hominis, quem à dextris Dei se vidisse clamauerat stantem, à Iudæis est obrutus imbre saxorum. Ab occidentali autem opponitur Dux *Godefridus Comes Flandrensis*, & *Tancredus*. A meridie obsedit eam Comes *Sancti Egidij*, in monte videlicet Syon, circa Ecclesiam beatæ MARIÆ Genitricis Domini; vbi Dominus cùm suis ad cœnam pridie quam pateretur, fertur discubuisse discipulis.

Tertiâ ad vrbem aduentus eorum die, *Raimundus* ille, cuius in expeditione Dominica non minimum opuscula claruerunt, ille, inquam, quem *Pilitum* agnominabant, cum quodam suo cognomini, illustri itidem viro, aliisque quamplurimis longiusculè ab obsidionis loco processit, si quos fortè hostium, vti erant soliti, oberrantes ad nostrorum insidias reperire contingeret. Et ecce, ducentorum fermè *Arabum* se eis intulit repentè manipulus, quos *Raimundus* vt vidit, leoninâ feritate aggreditur, & tota eorum audacia, Deo eis insistente, subigitur. Plurimis itaque interemptis, captísque tricenis equis lætam ad exercitum de claritate facinoris reportauere victoriam. Alterius ergò hebdomadæ secundâ illucescente feriâ, tantâ vi, tantâ vnanimitate peruaditur murus vrbis exterior, vt si scalarum apparatus non deessent, Francorum continuò ditioni vrbs pariter ac subvrbana cessissent. Tota igitur antemuralis fortitudo irrumpitur: & per minoris ruinas, plenario iam patente progressu, ad maioris propugnacula muri, vna, quæ affuerat, scala porrigitur: Quâ nostri milites quidam conscensâ citissimè, cœpere prælia iam habere præ manibus: & vbi iactus defecerant, tota fiebat res lanceis & ensibus: defensores ciuitatis, & eorumdem obsessores ferro decernunt cominus. Occubuerunt itaque multi ex nostris, sed ex illis plures.

III. Sciendum autem: quoniam hæc ipsa ciuitas, cum adhuc Antiochia obsideretur, sub regis

regis ditione Persarum detinebatur à Turcis. Porrò *Babylonicus Imperator*, cùm, sicut superiùs retulimus, ad nostrum legatos exercitum direxisset, explorandi statum nostrorum solummodò id causa effecisse dinoscitur. Cùm enim dirissimâ Christianam militiam indigentiâ profligari conspicerent; & optimates quosque, deficientibus equis, factos iam pedites comperissent, nostra omnia vilipendere, nec quicquam nouarum moliri rerum contra Turcos, quos potissimum patiebantur infensos, nostrorum, qui contra eos exercebantur, fiduciâ præsumpsere. *Rex* planè *Persidis* de Babylonico, quod vsquequaque latissimum perhibebatur, imperio, multam vsurpauerat portionem: sagaciorem enim habebat, bellorum industriâ, gentem. Comperto idem denique Babylonicus Princeps quòd Franci, imo per Francos, Deus Antiochiam subegisset, & Antiochiæ pro mœnibus, Curbaran ipsum, cum tota Persarum superbia, confudisset, sumptâ confestim audaciâ, Turcis arma intulit; Ierosolymamque, cui dominabantur, obsedit. Quâ, nescio vi aut aliquâ confœderatione, receptâ, in ipsa turri, quæ dicitur Dauid, & quam propriè dici putamus *Syon*, Turcorum plurimos, ad custodiam nescio an ad dominium, dimisere: de quibus constat quia nostrorum neminem inter obsidendum penitus nocuêre; soli arcis custodiæ cui deputati fuerant pacificè intendere. Contra Sarracenos ergò nostri huius belli commercium habuere.

IV. Summâ rerum omnium indigentiâ affliguntur.

Igitur in ea obsidione, panes qui emerentur reperiri non poterant, & per dies circiter denos, huius passim extitit difficultas edulij: donec Deus nobis assisteret, allapsâ portui *Ioppe* nostri classe nauigij. Párque fuit pressura sitis, adeò vt non modò ipsi tali miserabiliter fatiscerent incommodo; sed etiam equos suos cum cæteris iumentis, per sex milium spatia, procul potanda deducerent, sub hostium circumcursantium timore nimio. *Syloa* nempe fons, ex Euangelici cæci retectione procognitus, qui à radicibus Syon montis emergit, ipsos alebat: quæ aqua summâ siquidem inter eos caritudine vendebatur. Postquam ergò missa legatio Ioppen appulisse nauigia nuntiauit, communicato Seniores consilio, proponunt milites, quos ad tutelam nauium ac hominum in nauibus positorum, ad portum debeant destinare. Summo itaque diluculo cùm iam exprimeret tenuis aurora crepusculum, *Raimundus*, qui crebro à nobis sermone teritur, cum duobus aliis proceribus, centum, de Domini sui Sancti Egidij Comitis exercitu, equites legit; & ad portum vsque solitâ auctoritate procedit. E quibus, triginta ilicò sese milites excepêre; & digressi ab aliis; Turcos, Arabes, Sarracenos, * septuaginta circiter reperêre, quos nostrorum itus ac reditus direxerat aucupatum *Rex Babyloniæ*.

al. * septingentos.

Quorum cuneo nostri, & si nimis impares numero, grandi animorum acrimonia inuehuntur: sed tanta hostium virtus ac ferocitas extitit, vt vndique imminerent, iam vsque ad ipsorum pernitiem, nostris. Vnde & alterum de duobus illis proceribus *Achardum* vocabulo, peremerunt, & aliquos ex pauperibus, & ex peditibus honoratiores. Cùm ergo ambirent nostros, & armis hinc & inde conclusos vrgerent, & penè iam miserabili desperatione conciderent, venit qui Raimundo illi prædicto necessitatem quam sui comites paterentur, ediceret: *Quid tu*, inquit, *istic detineris, & milites? Ecce tui qui recens à te abierant, Turcorum, Sarracenorum & Arabum atrociter circumcinguntur examine; & nisi eis adminiculum ocius feras, morituros, nisi iam obierint indubiè omnes in proximo scias. Vola igitur, propera, quia fateor, erit omnis tarda velocitas.* At Raimundus, cum suo vniuerso comitatu, expeditiùs inuisere locum quo hæc agebantur accelerat; sed in ipso certaminis apparatu non in armis, non in viribus, verùm in Saluatoris fide suffragium sperat. At Gentilium, vbi Christi militiam Phalanga conspexit, duarum continuò acierum discrimina fecit. Inuocato itaque Altissimi præsidio, tantâ nostri illis vehementiâ irruerunt, vt quisque hostem ad se versum properantem prosterneret. Considerantes ergò vires sese diu Christiani impetus non laturos, cessêre Pagani; & celeri fuga intolerandæ consuluere formidini. At nostri eos rapida maturitate sequentes, per quatuor milium remotiora fugarunt: in tantum, vt cùm ex eis plurimos peremissent, equos Centum tresque, pro victoriæ signo, reducerent. Verùm occisis cæteris, cùm vnum superstitem reliquissent, secum adduxerunt, à quo quæcunque apud hostes tractabantur, & quæ princeps Babyloniorum facere contra nostros proposuerat, didicerunt.

V. Siti cruciantur.

Interea sitis insolentia horribiliter grauabatur exercitus, adeò vt coria boum bubalorumque fuerent, in quibus deferebantur aquæ per miliaria sex. Talibus vtribus ad conuehendas vtebantur aquas, quæ ex recentium tergorum humore exolidæ, maximam miseriam inediæ quibusdam intule-

rant, in vsum exercitus transire coactæ, cum ordeaceo pane. Quanta tot virorum nobilium fauces & guttura cibarij panis illius rodebantur aspredine? quanta delicatos eorum stomachos putidorum laticum putamus tortos acredine? Bone Deus! quid patientiarum inibi fuisse pensamus, vbi non immemores erant quique habitæ quondam in patria dignitatis, quàm condire fuerat solita non exiguæ requies voluptatis, cùm ea quæ patiebantur nullius exterioris lenirent aut spes aut solatia quæstus, eosque in dies crudelissimorum laborum decoqueret æstus? Hæc mea est sententia; hæc vnica, Nunquam à sæculorum tales extitisse principiis, qui pro sola expectatione emolumenti spiritualis, tot corpora sua exposuere suppliciis. Vrebant animos remotæ adeò peregrinantium pignorum affectus, delectationes vxoriæ, possessionum fastigia; & tamen ac si ibidem permansuri perpetuò, non desistebant à Christi prosequenda militia.

Commendatur ipsorum patientia.

CAPVT III.

VI. SArraceni igitur circa fontes ac flumina iugibus instare insidiis, vbique locorum nostrorum cædibus inhiare, prædari, si qua contigisset occurrere, rapta siue animalia, seu quælibet alia in cuniculos & speläea abducere. Circa ciuitatem per exercitum in procinctu commanentem, famis sitisque atrox bachabatur acerbitas; & hostium, hinc & inde vagantium rabidior detonabat circumquaque malignitas. At Principes sacræ militiæ, tantum incommodum, à tot tamque diuersis hominibus tolerari vix diutiùs posse videntes, quibus machinis ciuitas expugnabilior putaretur coniiciunt, quatinus, pro quo tanta pertulerant, passi ac sepulti monimentis Saluatoris adorandis interesse valerent. Præter alia ergò instrumenta plurima: quibus aut muri per arietum illisiones labefactarentur, aut crebris balistarum iactibus turres concuterentur ac mœnia, duo iubentur institui lignea castra, quæ nos sumus soliti vocare *Phalas*. * Dux itaque *Godefridus* suum primus cum aliis conuenientibus machinis ædificat castrum: & Sancti Egidij Comes *Raimundus*, qui nulli se patiebatur esse secundum, ipse itidem instituit suum. Tum Sarraceni, dum machinas erigi, dum castra procedere, dum admoueri arcibus tormenta conspiciunt, muros & ipsi prouehere, fulcire labentia, turrium summas insolitâ proceritate porrigere. Quæ quidem vniuersa, cùm maturarent explicare noctibus, interdiu de nouitate operum nostris miraculum exhibebant. Ligna autem, de quibus nostri aut castra, seu quasque machinas instruebant, conuehebantur è remotiore prouincia.

Instant obsidioni.

Seu * falas, hoc est turres ligneas.

Perpendentes itaque exercitus Dominici Proceres, cui vrbis parti imbecillitas maior inesset, cuiusdam nocte Sabathi, castrum idem cum aliquibus machinis illò deportant. Ab orientali ergò parte summo ea diluculo eriguntur; primâque, ac secundâ, tertiâque feriâ, his aptandis stabiliendisque insistunt. Comes etiam *Sancti Egidij* Meridiana plaga suam instaurabat machinam. Dum ergò tanta obsidionis ferueret intentio, sitis tamen intolerandæ omnium præcordia torrebat ariditas: in tantum vt pretio vnius nummi vel ad refocillandum, vt sic dixerim, nequaquam aqua sufficiens valeret haberi. Quartâ demum ac quintâ die, collatis vnanimiter viribus, aggredi constituunt ciuitatem ex omni parte vallatam. At antequam hæc fieret destinata peruasio, subiectis plebibus lætanias indicunt Pontifices, atque Presbyteri; ieiunia, orationes, ac eleemosynas præcipiunt celebrari. Memores igitur idem præsules Iericontini quondam casus, & quod Israëlitæ tubis aliquando clangentibus, circumitu septeno, & Sacræ Archæ circumlatione, diruerant perfidæ mœnia ciuitatis: cum multa spirituum & corporum contritione processiones agendo, Sanctorum nomina flebiliter inclamando, *nudipedalia* exercendo, Ierusalem circumeunt; cùm Seniores, tum populi, superna implorando subsidia, eidem necessitati concurrunt.

Pijs operibus Dei precantur misericordiam.

His denique, profundissimæ studio humilitatis, explicitis, accidit vt sexta occurreret feria, in qua cùm vehementi ciuitatem impetiissent instantiâ: & nulli prorsus effectui molimina communia valuissent: ecce totius militiæ animis tantæ desperationis stupor irrepsit: adeò vniuersorum robur euanuit, vt infortuniis elisa frequentibus quorumque generaliter audacissimorum corda conciderent. Audiui, testor DEVM, à viris quibusdam veritate præditis, qui illi diuino interfuere procinctui; quia cùm Christiana militia à ciuitatis mœnibus expugnandis sine vllis reuerterentur effectibus, videres optimos quosque equitum à murorum congressibus resilire, manus complodere, eiulatibus diris obstrepere, & quasi à DEO iam omnimodis desererentur, ingemere. Est etiam mihi non inferiori

Christianorum conatus nil efficiunt.

relatione compertum, *Robertum* Northmanniæ Comitem, *Robertúmque* alterum Flandriarum principem iunctis pariter conuenisse mœroribus: & se cum fletibus vberrimis conclamasse miserrimos, quos suæ adoratione Crucis, & visione, immò veneratione Sepulchri tantopere IESVS Dominus iudicaret indignos. At eâ propinquante horâ, quâ verus ille IESVS, qui secundò populum de Ægypti exegit ergastulo, in Crucem sublatus creditur, Dux *Godefridus*, & Comes *Eustachius* frater eius, qui è castro nullatenus propugnare destiterant; & muros inferius creberrimâ arietis illisione pulsabant; & eos, qui supernè mœnibus defensandis adstabant lapidum iactibus, ac variis missilibus collatis, etiam hinc indéque præstò mucronibus, Sarracenos pro vitæ patriæque tuitione pugnaces vrgebant.

CAPVT IV.

VII. INterea *Letaldus*, ex equitibus quidam, tanti ausu & opinione facinoris per temporum succidua celebrandus, primus super muros ciuitatis insiliit, & maximo circumstantium stupore Gentilium, mentes felici hac ex præsumptione concussit. Vt ergò vir ille conscendit, quique iuuenum Francicorum, quos pia iam dudum reddiderat illustriores audacia, sese proripiunt; & dum inferiores illi vni, qui præcesserat, videri refugiunt, murorum pariter suprema conscendunt. Quos etiam nominatim huic insererem paginæ, nisi scirem post reditum tantorum eos flagitiorum ac scelerum infamiam incurrisse, vt de eorum expressionibus secundum iudicium DEI, nomen diligentium videar, non iniuriâ tacuisse. Mox itaque vt Francos Sarraceni muris inuolasse conspiciunt, per muros ipsos, pérque ciuitatem continuò fugam arripiunt. Illis denique cedentibus vniuersus illico nostrorum ruit exercitus: aliis per foramina arietinis ictibus acta; quibusdam per machinarum influentibus fastigia. Fit, introïre nitentium, admodum tunc perniciosa celeritas: & dum quisque primus reperiri desiderat, mutuâ alter alterum compressione conculcat. Porrò etiam circa ipsos, quos Sarraceni obstrusérant, vrbis portarum introïtus, fraus adoperta scrobium, Sarracenis eisdem constat autoribus: vbi multis intulit ipse periculum casus, excepto eo discrimine quod fecerat, dum impatienter influunt, angustus introïtus. Paganos itaque fugientes, Franci ferociter insequuntur: & obuiis omnibus indifferenti cæde mactatis, vsque ad ipsum, quod dicebatur *Salomonis templum*, internecio potiùs quàm pugna, per plateas & compita vicósque protenditur. Vbi & tanta extitit humani cruoris effusio, vt procedentium prope talos, irrigui sanguinis vnda submergeret. Istac quidem res eâ prosperitate processit.

Demumq; ciuitatem vi & armis ingrediuntur per muros.

VIII. *Raimundus* verò, Sanct-Egidianus vtique ille Comes, à Meridiana plaga admouit exercitum: ingens pariter machina rotis acta, ferebatur ad murum: sed inter eam, quæ castellum dicebatur, machinam, & murum, fouea nimis alta patebat. At princeps, accelerato consilio, qualiter præruptum illud valeat sine difficultate longa repleri, per exercitum iubetur præconum voce cantari: quatenus qui in eandem foueam trium esset portitor lapidum, vnum se sciret denarium habiturum. Quæ repletio, tridui spatio vix potuit exæquari, cùm nec noctibus posset à cœpto cessari. Oppletâ in hunc modum foueâ machinam illam exhibuêre mœnibus. Porrò illi, qui interius vrbis defensandæ curas assumpserant, non dico fortitudine, sed pertinacissimâ nostris rabie obsistebant, Græcorum, quos sic vocabant, ignium saxorúmque iactibus machinarum carpenta vexantes. Quorum ictus atque molimina miro Franci ingenio, multotiens fefellerunt. A parte interea Orientali, ciuitate, vti prædixi, irruptâ, ad prædictum Comitem pertulit haud alius quàm pugna tumultuans, quòd Franci iam in vrbe passim cædendo discurrere captâ viderentur. *Quid*, inquit ad suos, *istic moramini? Nonne Francos, Ciuitate obtentâ, celebri spoliorum raptu iam triumphare conspicitis?* Irrupit itaque cum suis celerrimè Comes vrbem: & quia Francos per vrbana palatia quosdam, aliquos ad Dominicam Memoriam, nec paucos pro pastoforiis, vt veteri vtar nomine, Templi Salomonis acerrimo conflictu euagari exercerique didicerat: ne à dominio captæ expers existeret ciuitatis, cum eo *Admirauiso*, sic enim eum vocant, qui Arci Dauid, quæ *Syon* dicitur, præerat, sermonem habuit; vt arcem sibi factâ deditione contraderet, ab illo exegit. Satrapa itaque, pacto inter eos inito, Comiti eidem, portam illam aperuit, per quam eatenus Ierusalem introeuntes Peregrini, & introïre: & pensiones, quas *musellas* vocare solebant, soluere nimis indebitè ac crudeliter cogebantur.

Ingressis igitur *Prouincialibus*, Sanct-Egidiani scilicet Comitis exercitu, & cæteris omnibus vrbem, fiebat Paganorum indiscreta percussio, non teneritudo, non species, non grauitas, non vllæ vires subtrahebantur exitio: cunctis generaliter, ineui-

tabiliterque, imminebat dira pernities. At A hij qui ad Salomonis Templum sese contulerant, totum aduersus nostros confligendo detinuêre diem, sed nostri, eorum semiuiuam desperatorum indignè ferentes audaciam, conspirata animositate se ingerunt: & Templi adita, exertis socialiter viribus penetrantes, tantâ miseros intra fani ambitum cæde dilacerant, vt cruores peremptorum sine numero, calceorum penè oras excederent. Promiscui ergo sexus, & indifferentis ætatis, innumerabili per idem templum multitudine fusâ, quosdam reliquêre B superstites, spatio eis vitæ interim ac salutis indulto, donec cæsorum cadauera, quorum dispersa iacebat hac illacque fœda congeries, ipsi amolirentur à templo. Quibus amotis, & ipsi quibus & priores, succubuêre mucronibus. At qui Templi suprema conscenderant, vulgi promiscui infinita frequentiâ, *Tancredi & Gastonis*, pro signo sibi interim pacis indultæ, vexilla suscipiunt. Is autem *Gaston*, vir illustris atque ditissimus, vtrum de Gasconia, an Basconia foret, non integrè memini: quia tamen de alteru- C tro esset ad certum tenui. Exercitu igitur discurrente, ciuitas vniuersa diripitur; obtentísque palatiis, & quibusque ædibus, argenti diues & auri, sericarúmque vestium præda corripitur: equorum mulorumque multiplicitas aperitur; in domibus, victualium omnium opulentia reperitur. Is autem in Dominica militia modus & exæquatio fuit: *vt euicumque, etiam pauperrimo, sese quælibet optima obtulissent, eius procul dubio, absque retractatione, fierent*; cuiuscumque conditionis videretur, cui ad manum pri- D mò venissent. Et ecce, his omissis, ad illud quod tantis desideriorum æstibus sitiuerant, mixtis pariter gaudio & mœrore concurrunt.

IX. *Ad Sepulchrum Dominicũ aduolant, ac præ gaudio ac deuotione illacrymantur.*

Sepulchrum ergo Dominicum adeunt; & de quæsita beatorum locorum libertate, illi summopere gratulantur, qui tanta per eos exercuerat, quanta, nec ab ipsis per quos acta sunt, neque ab vllo hominum poterant æstimari. Recordabantur earum, quas ob hæc ipsa passi fuerant, anxietatum; hásque ad insperabiles dum contemplantur peruenisse triumphos, dumque sæ- E culis incognita facta considerant per se ipsos, comprehendi à nemine valet fletus emiserint quàm beatos. DEVS omnipotens! quid ibi viscerum, quid lætitiæ, quid dolorum fuit, dum post inauditas, & cunctis à sæculo exercitibus inexpertas, quasi partuum torsiones, ad noua visionis adeò desideratæ gaudia, ac si nati filij, sese peruenisse conspiciunt? Mœrent igitur, & tamen fusis lachrymis, omni sibi dulcioribus pane, coniubilant, IESVMQVE piissimum suorum diutinorum laborum ac cruciatuum causam, ac si cruci appensum, ac si adhuc sepulchri integumento detentum, per singula memoriarum momenta, vberrimis complectuntur affectibus: Auri, argentique magnifica tributa penduntur; sed omni valentior munere deuotio interna profertur.

X. *Saraceni, qui ad superna templi confugerant, perimuntur.*

Denique crastinum mane recanduit; & ecce Franci, eos adhuc residuos esse dolentes qui Templi suprema conscenderant, quibusque *Tancredus* & *Gaston* propria, vt supra diximus, vexilla porrexerant, fani acerrimè tecta peruadunt: Sarracenos, feminas cum masculis dilaceratos interimunt. Quidam ex eis electâ sibi potius morte, quàm sponte ipsimet consciuissent, sese Templi fastigio dêdere præcipites, *Tancredus* tamen, pro signi præbitione sui, & sponsione quam *Gaston* & ipse fecerant, cædem eandem ægrè tulit. Præcipiunt itaque nostri Sarracenis aliquibus, vt mortuos efferant, quia eos teterrimo fœtore grauabant: tantâ enim cadauerum frequentiâ ciuitas opplebatur, vt eundi, nisi super occisorum corpora, Francis facultas nulla daretur: Pagani ergò, suorum funera exportantes ab vrbe, pro foribus eius, extructis de cadauerum congerie montibus aceruatim pyra subposita comburebant. Tantas Gentilium vsquam cædes accidisse rarò legimus, numquam vidimus: Deo eis referente vicem, qui tot, pro se Peregrinantium pœnas & mortes, quas tanto fuerant tempore ibidem passi, dignâ nequissimis retributione restituit. Non enim est quisquam sub DEO intellectus, cui æstimabile habeatur, quanta illic cunctis sancta loca petentibus, à Gentilium insolentia tormenta, labores, atque neces illata constent: *quæ magis DEVM certa est fide doluisse credendum, quàm manu profana captiuatam crucem atque Sepulchrum.*

Templum Salomonis haud quaquam tunc temporis.

Sed antequam ad alia calamum diuertamus, id videtur primitus intimandum, quod Salomonis illud, de quo supra egimus, Templum, non verè idem quod Salomon fecerit, est ædificium, quod constat Domino, *Matt.* 24. 2. lapidem super lapidem non remansurum, prædicente, dirutum. Sed eius profectò simulachrum, à nescio quibus, ob testimonia nobilitatis Domus antiquæ, constructum. Erat idem planè locus pulchritudinis infinitæ, auro argentóque, incomparabili pretio, nec minus incredibili varietate, compositus, parietibus ac valuis laminarum metalli preciosi affixione productis. *Raimundus*

verò Comes præfectum illum qui arci præerat, cuíque sua signa commiserat, noctu de arce emissum, sospitem tutúmque Ascalonem cum omnibus qui comitiæ suæ erant, duci fecit.

CAPVT V.

XI. Regiam dignitatem Sanct-Egedianus Comes respuit.

PRæterea vrbe, sacrísque locis libertati restitutâ, mox per vniuersam CHRISTI militiam elemosinæ fieri orationésque iubentur, quatinus eorum animis dignetur vnctio superna suggerere, quem sub dignitate Regia ad iura debeant regenda Sanctæ Ciuitatis eligere. Octauo itaque post eius receptionem die, cùm Sanct Egidiano Comiti pro sui magnificentia id muneris obtulissent, & ille vsitatæ amplitudinis non immemor, tam oneroso negotio se submittere, consilio altiori, refugisset, vir quippe grauis æuo & monoculus erat, armis tamen mirabiliter industriâque claruerat. *Godefridum* demum ducem aggrediuntur, & ei omnium pariter instantium prece, huiusce laboris potius quàm honoris fascis imponitur, habituro, contra Gentilium copiosissimas vires, duellionis irremissæ rigorem, & perpetuum cum sibi adiacenti Christianitate fauorem. Is autem, cùm membris exilibus esset, at nimium proceritatis idoneæ, eloquio quidem lepidus serenitatis immodicæ, armorum in illa expeditione Dominica, se præbuit strenuitate spectabilem, ita vt testimonio veraci probabile id de ipso præclari facinoris cantitetur, Turcum eum inloricatum, equo tamen vectum, apud Antiochiam super pontem Pharpharis obuium habuisse, huícque ilia tam validè gladio traiecisse, vt corporis truncus decidens terræ procumberet, & crura sedentia pertransiens equus efferret. Solent enim Lotharingi cùm longitudine tum acie spatas habere mirabiles.

Godefridus Rex Ierusalem.

Ipsius præclara facinora.

XII. Cuius aliud non inferioris factum gloriæ, dignum quoque relatu ac omnimoda celebritate subnectendum censuimus. Niceam ceperant, & ad Antiochiam obsidendam, quoniam super Nicea res fortuniosè processerat, contendebant, cum inter eundum, aliquotiens, dum à procinctu solito oportunitas securitatis adesset, progredientes è viburnis contiguis bestias venarentur: saltus namque eius regionis, non eâ quâ nostri grossitie aut proceritate eminent: semel accidit, vt immanis admodum corpulentiæ vrsus è frutetis exiret, quem comperiens exercitus circumquaque disquireret. Vrsus nempe isdem, persensâ frequentiâ conclamantium, è quibus emerserat siluas extemplò repetiit. Multis ergò vndecumque gyrantibus, cùm nil occurreret, misero cuidam contigit ad bestiæ lustra pertingere. Quem vbi incautum vrsus adoritur, brachiis subigit, hominisque iacentis corripuit mox dente femur. Et ecce Dux, dum à suis euagatus oberrat, solus interuenit: quem miser intuitus, & ex circumstantia doloris ac timoris illacrimans, ingenitas viro liberalitates obiectans, super opis latione compellat. Nec ille, cui penè omnis constabat ex virtute natura, cunctatur auxilium, sed adnisu quo valuit exactum à vagina in verticem beluæ illisit protinus gladium: Quæ ossis obnitente duricie, potius irritata, quàm læsa, in Ducem se contulit: at illius tamen, primò infelicis, quos trux intruderat dentes à crure remisit. Qui celer excedens, & de vicissitudine Duci referenda, sui vtpote curiosus, iam negligens, in cœpto dimisit vtrumque conflictu, Igitur fera, eo ictu efferata

Insilit, ac vnco corripit vngue Ducem;
Deijcit, ac sub se cohibet crudelibus vlnis;
Et rabido rapuit mordicus ore femur:
Cuius regia mens nequaquam subita turbam
Perpessa ruina,
Protractum retinere manu non destitit ensem.

Cùm ergò iaceret elisus, & quam capere cœperat coxam fera torqueret, Dux sui necessitate non immemor, in ipso confinio ceruicis & armi gladium bestiæ applicat; aciemque mucronis, vniuersæ collatione eidem virtutis inuiscerat. Quæ persentiscens ferrum ad interaneorum ima prolabi, tandem quos in femoris pulpa constrinxerat rictus, extulit. Dumque à ferali se ore solutum Dux inspicit, sed loco eam non moueri attendit, iunctis à se pedibus propulit: sed in ipso repulsu, per prominentis, à belluæ pectore, gladij aciem, suras sibi tibiarum lætaliter penè concidit. Ruit itaque multo deteriùs, quàm cùm premeretur à bestia; & toto iam corpore inualido ac exangui, vix aliquando reperitur à suis. Solitudinum suarum pœnituit tunc serò Ducem: dum per id, appendicis sibi exercitus, & totius sacræ militiæ detrimenta contingunt. Vsque ad finem planè Antiochenæ obsidionis ægrè prorsus nisi lecticâ deuehi potuit: & ideò, quia nec sibi nec vlli prouidere poterat, quindecim fermè hominum milibus, qui sibi cohæserant, & ab eo pro infirmitate desciuerant, breui caruit.

XIII. Christianú Balduini Regis factum.

At quia vrsum semel adorsi sumus, quid *Balduinus* etiam eius frater, qui nunc vsque Ierosolymæ regnat, egerit, præoccupare voluimus: quia nullus id referendi forsitan sese aliàs aptior aperiet locus. Pro ereptione cuiusdam sui peditis, cuius admodum sese iuuaret audacia, grauissimum similiter in prælio vulnus exceperat. Verebatur prouiden-

dentia illius, quem sibi adhibuerat, medici, A inditis cataplasmatibus exterius cicatricem obducere: nouerat enim idem vulnus interiora corporis profundius attigisse: ne dum cutis superficies æquaretur, intrinsecus saniei congeries foueretur. Quod ita fieri, miro modo, laudabili coniecturâ, experientiáque proposuit. Regem petierat, vt aliquam, ex his quos custodia detinebat Saracenis, personam, eo statu, tali in loco, quo ipse B sauciatus fuerat, vvlnerari præciperet (Christianam enim nephas petere erat) & post illationem vulneris, occidi iuberet: quatinus in interfecti corpore licentius disquireret, immo ex eius despectione perpenderet, qualiter se in suis, plaga regia interius haberet. Horruit ad hæc nimium pietas principalis Constantini veteris exempla resculpens: *negat se cuiuspiam hominum, etiam deterrimæ omnium conditionis, causam mortis vllatenus, pro tantilla, cùm etiam sit dubia, salute futurum.* Tum medicus: *Si inquit, reparandæ tibi gratia sospitatis nemini vitam adimere definisti, saltem vrsum inutilem satis nisi spectaculo bestiam admoueri manda: prioribus pedibus in sublime porrectis erectam, ferro feriri impera, cuius peremptæ postmodum cùm peruidero viscera, metiri sanè vtcumque potero, quorsum intrò processerit, quantum quoque læsio tua.* Cui Rex *bestia* ait, *non in mora, cùm opus fuerit, erit: factum puta:* facto igitur ad libitum medici ex fera periculo, comperit incommodum vt præli-bauimus regi, si obductio celerius vulneri proueniret, nisi prius exhaustâ purulentiâ pars intrinsecus scissa coiret. Hæc super regum pietate dixisse sufficiat: quorum gloria æquè fateor, incessisset, si non pontificij electio, immo & ipsum pôtificium claudicasset.

Explicit Liber septimus.

INCIPIT OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

HVCVSQVE *Musa, per fruteta* A *veprium*
Incessit arto scrupulosa tramite
Calles euntis occupante nubilo:
Aurora seri vix fouere syderis.
Lues cruoris hactenus cucurrerit.
Stragi famique nil vacans resederit.
Fortuna si qua rebus interdum suis
Arrisit, aura cladium rapax tulit.
Quis dum Nicæna subruere mœnia,
Quis vrbe capta fructus est Antiochi?
Is est profectò qui fit ex suppliciis,
Cuicumque sancto morte victa martyri.
Dolenda namque si qua contigit pati,
Mixtisque ferre cædibus penurias,
Mœror futura parturire gaudia.
Quò vtar ergo vocibus Psalmographi?
Lætatus sum ex his quæ relata sunt mihi:
Licet subire prestò iam domum Dei.
Pes ecce noster atriorum Solimæ,
Calcator extat, ac ouans obambulat.
Franci laboris hæc habete præmia:
Nec vos dolete pertulisse tristia.
Optata tandem vos Sepulchri visio,
Crucisque tacta fletibus redemptio
Iuuat, fugitque pectus omne passio.
Vrbs ista sæpe præda facta regibus,
Pessum dabatur obruenda funditus.
Hac, ô beata captione Ciuitas,
Hinc promerens, vt imperare debeas,
Ad tèque regna Christiana contrahas!
Videbit orbis huc venire glorias,
Tibique matris exhibere gratias.
Non Ezras olim, vel Machabæus Iudas,
Post damna, tanto prouehunt opes tuas:
Non Adrianus, vnde nomen Helia,
Te suscitando quit dedisse talia.
Pro te tuisque mundus iste militat:
Hæc penè cura sæculum solicitat.
Quondam Iudæa dum vigeret optimè,
B *Præbere quibat huic decus parabile.*
Quid carminantur in duella milites?
Estote, quæso, Perfidis pernicies,
Non vestra: quidquid officit Ierusalem,
Et Babylonis obserate Principem.
Vt fas adire sit bonis IESV Crucem,
Pium Sepulchro subiugare verticem.
Clamabo nostra comperisse tempora,
Quod non docebit vlla fastorum scola.

At quoniam dum temporalia procurantur, Regia administratione tractanda putantur; C interiora negligi non debent, quæ sacerdotali officio pertinent. Rege prout potuere creato, de Patriarchæ consequenter substitutione pertractant. Erat ibi tunc temporis quidam sub censura clericali agens, sub quo autem gradu nescio, qui vocaretur *Arnulfus.* Is in Dialecticæ eruditione non hebes; cùm minimè haberetur| ad Grammaticæ documenta rudis, Regis Anglorum filiam mona-

Godefridus Rex.

cham, eam quam præmisimus, diu disciplinâ docuerat: cui Northmannorum Comes, mediante sorore, spoponderat, quod etiam Episcopalem honorem ipsi deferret, si quempiam Episcoporum suorum obisse contingeret. Interim Hierosolymitani itineris cùm suborta fuisset occasio, Episcopus Baiocensis, *Odo* nomine, vir magnarum opum, hoc ipsum deuouit iter. Qui cùm senioris Anglorum Regis *Guilelmi* frater esset, & præter pontificij dignitatem apud Anglos comitatum *Cantiæ* obtineret, spe incomparandorum thesaurorum, in tantum res visus est audere nouas, vt etiam de Regni contra fratrem proprium præsumptione tractaret. Quem Rex præueniens carcerali mancipauit custodiæ; detinuítque virum, vsque ad sui ipsius exitum vitæ. Quo exacto Episcopus idem libertati ac honori rediit; & vti præmissum est, viæ huius intonante præconio, ipse suæ gentis fretus frequentiâ, cum opibus innumeris ire perrexit. Cuius *Arnulphus* idem comitatui sese indidit: & cùm huic ipsi Episcopo citra, nisi fallor, Romaniæ fines, finis obtigisset, ex illo maximo censu quem post se reliquerat, hunc legatarium, penè ante omnes, suppellectilis suæ preciosæ effecit. Cùm enim scientiâ litterali plurimum posset, & ingenio eloquentia non deesset; vberiórque iam copia cognitionem redderet, cœperat nostros crebris animare sermonibus, famámque suam propagare in talibus. Inopia namque litteratorum, virum fecerat clariorem: &, dum vox magis quàm vita curatur, ad hoc vt Hierosolymitanus fieret Patriarcha vocatur. Aliquamdiu itaque, solo nomine, pontificale ostentum præbuit; declamationibus suis tamen nouitati illi profuit.

De Odone Baiocensi. ita scriptores Anglici Guillelmus Malmesb. Matthæus Vvest. Polydor. Virgil.

Arnulphus quidam Patriarchatum Ierosol. ambit, atque obtinet.

Tandem post aliquantulum temporis, cùm facta vsque ad Apostolicam sedem percrebuisset electio, Papa *Paschalis*, post obitum Podiensis Episcopi, vices super Dominici exercitus cura, suas Archiepiscopo *Daiberto* Pisano mandauit. Qui iam captâ Ierusalem, Rege promoto, cum plurima classe aduenit; nec multo post, electionem quæ de Arnulpho fuerat facta euentilans, secundum Canonum iura refutandam duxit. Discusso nimirum hominis genere, sacerdotis filius reperitur: qui non solùm à sacris arceri præcipitur gradibus; sed secundùm *Toletanæ Synodi* * scita, eius Ecclesiæ, ad cuius iniuriam constat esse progenitus, seruus iubetur fieri sempiternus. Hac exclusus, cùm se summopere ingereret & defensaret, sententiâ, cùm proceres eius pudori, quia repulsus fuerat, mederi in aliquo voluissent, sciscitantur ab ipso, quem eligendum duceret: Ille, coæqualibus iunioribusque, vt est prauitas naturæ, mox inuidens: *hunc ipsum*, inquit, *Pisanum, qui legatione fungitur accipite*. Dictis eius Principes assensêre, raptúmque Archiepiscopum, vix eius conniuentiâ requisitâ, in ipsa cui sedebat cathedra; per seipsos idem principes in Ecclesiam euexêre. Nec morâ, hunc eundem, post Regis gloriosi Godefridi occubitum, cùm regnaret *Balduinus* frater eius, qui Edessæ præfuerat, proditionis insimulant; sicque certo damnatum crimine, eum qui Metropolitanus fore destiterat, Patriarchatu priuant.

Cui aduersatur Papa, vt pote sacerdotis filio.

9. cap. 10. & 15.

Daibertus in eius locum subrogatur.

Cúmque de instituendo Pontifice iterata tractaret electio, prouidens *Arnulphus*, vt talis fieret, qui nullatenus à suo imperio dissentiret, quendam de suis contubernalibus, quem sciret sibi per omnia obtemperaturum, vtpote virum simplicem & illitteratum, vocabulo *Ebremarum*, omni fauore promouit. Quo postmodum sese religiosè agente, & ad eius ad integrum, vt putamus, nequaquam vota gerente, apud Apostolicam sedem eum nuperrimè accusauerunt; sed in ipsa sua accusatione fœdissimè defecerunt. Vnde tantum cum suis complicibus, qui sibi in accusando adnisi fuerant, apud Regem odium incurrit, vt eum à Sepulchri custodia arceret, quinetiam ab ipsa vrbe extruderet. Regratiatus autem Pontifex Apostolicæ sedis apicibus, ad plurimum exequutorum suorum dedecus, Ierosolymam redit. Hæc de illius imaginarij Patriarchæ electione ac deiectione dixisse sufficiat. Quæ electio omnium bonorum cassanda iudiciis, die festiuitatis Sancti Petri ad Vincula erupit, sed cùm ei nulla piæ vitæ adiumenta suppeterent, effluxit. Ciuitas autem eadem capta est à Francis, quintodecimo prouecti Iulij die, cùm sexta esset feria; ipsâ ferè, quâ CHRISTVS in Crucem sublatus est, horâ.

Sed coniuratione facta in Regem expellitur.

CAPVT II.

Non multo pòst tempore, immò paucissimis pòst diebus; adsunt *Neapolitanæ* ciuitatis legati, * quæ *Scichem* antiquitus, vel *Samaria* vococabatur, *Tancredo* & *Eustachio* Comiti, Ducis pridem Regis, modò fratri, viris spectabilibus ac fortissimis suggerentes, vt plurimâ succenturiati militiâ, ad præfatam proficiscerentur vrbem, eam proculdubio in ius proprium recepturi. Procedunt illi, ductísque secum multis, non sine peditum numerositate, equitibus, ciuitatis appulêre suburbio. Quibus oppidani, reserato præsidio, spontanea fiunt deditione subiecti. Adsunt præterea & alij, qui ad Regem *Godefridum* perferunt *Imperatorem Babylonicum* magnas, bello contra se gerendo,

*al. * quæ nisi fallor Emaüs antiquitus vocabatur*

Imperator Babylonic. bellum Regi Ierosolymit. denuntiat.

apparare copias. Rex ilicò, ad ea quæ nunciabantur redditus acrior, fratri Eustachio & Tancredo sibi nunciata denunciat; & vt quantocyus Ierosolymam regredi præproperent, missâ legatione præcipit ac exorat. Locum autem prælij, apud *Aschalonem* indictum pariter insinuat. Quo inuictissimi idem comperto, dicto celerius montana subeunt. Sarracenos, inter eundum bella moturos æstimantes, minimè reperiunt, Cæsareámque Palæstinæ perueniunt.

Progressi inde ad vrbem, quam supra diximus, *Ramothenam*, beati Georgij memoriâ celebrem, circa maritima constitutam, vestigia vertunt, vbi Arabum non paucos offendunt, qui prædicti prælij * præcensores existunt. In quos nostri sociatis, vbi eos animaduertêre, nisibus vnanimiter inuehuntur: hostes fugaciter cedere compelluntur; plurimi viui capiuntur, à quibus, quæcumque de instanti bello agere proposuerat pars inimica, discuntur: vbi videlicet eorum iam conuenisset exercitus; quotus ipsorum haberetur numerus; quis pugnæ eidem præscriberetur locus. His *Tancredus* agnitis Ierosolymorum Regi Godefrido, quæ didicit nunciis, directis insinuat. *Arnulpho* etiam, Patriarchæ nomine insignito, aliisque proceribus mandat. *Bellum*, inquit, *ingens vos manere noueritis: quod quia iam dinoscitur imminere, Aschalonem properate venire, freti viribus quas poterit solertia vestra potiores conflare.* Rex igitur, quo post Dei fidem nemo sagacior, magnâ ad id negotij omnium Dei militiam auctoritate sollicitat: Aschalonemque, vbi contra hostium apparatum procedere debeant, designat. Ipse verò *Patriarcha* vocato, Flandrensíque Comite Roberto, cùm esset tertia feria, ab vrbe prodiuit.

al. * prætensores.

XVII. Rex ad bellum se accingit, proceditque.

At *Sanct-Egidianus* Comes, Comésque *Northmannicus*, intulerunt Regi, se necdum velle procedere, donec scirent an idem bellum pro certo videretur instare: sese ergo Ierusalem interim reuersuros perhibent, asserentes etiam quia non in mora: cùm opus fuerit, forent. Rex abiit, & dum conspicit eminus hostes, ociùs his, qui Ierosolymæ desederant, hæc scienda mandauit. Continuò quendam acciuit Episcopum, quem destinauit ad vrbem, vniuersaliter suos obtestans, vt præsenti necessitati, submotâ procrastinatione, concurrerent. Quartâ itaque feriâ, quique Principes coactâ generaliter expeditione Dominicâ, castra à ciuitate promouerant: & ipse Episcopus, qui Ierusalem commanentibus Regia verba detulerat, cùm repedaret ad Regem, occurrentibus Sarracenis excipitur; nec patet vtrum occubuerit, an captiuus abductus sit.

Petrus Eremita publicas supplicationes ordinat in vrbe Ierosol.

At *Petrus Eremita*, pij hucusque operis exequutor, cum Clericis, Græcis ac Latinis in ciuitate remansit, ordinando processiones, dictando letanias, instituendo orationes, submonendo eleemosynas: vt Devs hac, quasi suprema, dignetur populi sui cumulare victorias. Porrò Ecclesiastici qui adesse poterant viri, sacris, ac si ad sacra mysteria, induti vestibus, procedentes ad Templum vsque Dominicum, Missas orationesque totis affectibus agendo mares ac fœminas conducebant, pro Dei exulum ereptione poscentes. At nomine *Patriarcha*, si qui etiam Pontifices adfuêre, cum quibusque conglomerantur principibus ad flumen quod cis Ascalonem esse dinoscitur. Illic fraude Gentilium multa sunt animalium exposita milia, boum, camelorum ouiúmque examina: quæ cùm Seniores didicissent, ad illiciendos prædarum copiis nostros emissa, celebrato per castra præconio, mandant, ne in cuiuspiam tentorio quicquam prædæ eiusdem reperiatur, nisi quantum dietæ instanti necessarium fore probaretur. Interea trecenti Arabes nostrorum sese conspectibus ingerunt, quos ilicò nostri tanta facilitate presserunt, vt duos ex eis fugaciter actis corriperent: cæteros vsque ad castra sua persequendo minarent.

XVIII.

Sero itaque illius ingruente diei, fecit per vniuersum exercitum perfunctorius ille Patriarcha cantari, vt diescente crastino omnes expedirentur ad prælium: id apposito anathemate inhibens, *ne quis inter dimicandum spoliis diripiendis insisteret*: sed belli ad finem, colligendi studium quisque differret. Cædendis autem hostibus adeò rogat insistere, vt hac illac nequaquam curent, ob vilia emolumenta diuertere, ne alicuius causa cupiditatis incurrant cœptæ detrimenta victoriæ. Sexta illuxerat feria, & ecce progredienti militiæ nostræ pulcherrima vallis occurrit: ibíque, in ipsa contigui æquoris planitie, acierum suarum fecere discrimina. *Dux* iam mutatus in Regem, Comes *Flandrensis*, itidemque *Northmannicus*, *Sanct-Egidiensis* Comes *Boloniensis* Eustachius, vnà *Tancredus* & *Gaston*, aliqui singulures, pares aliqui, compositis agminibus præfuerunt. Peditum sagittarij, lancearíique qui præcedere debeant militias, ordinantur, cùm Rex *Godefridus* cum sua frequentia parti sinistræ præponitur: Comesque *Sanct-Egidianus* iuxta maritima sistitur: *Flandrensis* atque *Northmannicus* adequitabat dexteræ: *Tancredus*, & cæteri, vtrarumque partium medij incedebant.

Nostri igitur pedetentim in hostilem cuneum promoueri: Gentiles ad prælia sese parantes, nequaquam loco moueri. Videres

ex humeris vasa pendentia, dum ex modicis A gelidas cohibebant vtribus vndas: è quibus se potaturos crederent, cùm nostros prosequuturi in fugam cogerent. Sed DEVS longè aliter prouiderat, quàm gens inimica volebat. Interea * Normanni ac *Robertus* Comes, prospecto eminus Principis exercitus telo, quod opertum multo videbatur fulgere argento, & in sui summitate tereti ornabatur auri pondo, equum continuis celerem calcaribus vrgens, Principem, cui pro signo quam diximus astitit hasta, rapido impetit impetu; & atroci vulnere sauciat. Altrinsecus *Flandrensium* Comes loro remisso, densum se fudit in hostem. *Tancredus* denique concursu ruit ad tentoria magno. Agmina cum propriis ducibus bacchantur vbique: fiunt cruenta cædibus æquora planitiesque loci: protinus hæc sua pernities hostibus intoleranda fuit; sic desperantes mox iniêre fugam. Et sicut erat Gentilium numerositas enormis, ita consequenter & facta est enormitas cædis. Si enim magnæ fuerant elationes maris, sese tamen multo mirabiliorem ostendit Dominus in altis. Vnde vt euidens fieret prælia tanta DEVM, non hominis fecisse manum, patentibus oculis cæcos fugitare videres: & dum vitaturos arma se æstimant, sese armatis obiiciunt. Et dum non patet effugij locus vlli, ardua non tutum plerisque parabat asylum arbor, nec nostras potuere latere sagittas: præcipites magnas icti fecere ruinas: aut mortui aut fiunt semineces iaculis aut ensibus omnes, quos fuga non texit: exercuit gladios nostrorum, velut inter pecuaria, cædes. At *Sancti Egidij* Comes, iuxta contigui maris arenas, vbi in hostes proprium absoluerat agmen, tantâ eos vehementiâ in morem tempestatis aggreditur, vt ipsorum non parua manus, dum ferri exitium præcauet, vltronea pelago mergeretur.

Prælium committitur. al. * Normanniæ Robertus Comes.

Fusis cæsisque Gentilibus nostri euasere victores.

CAPVT III.

XIX. EXplicitâ itaque DEO auctore, victoriâ, Babyloniæ Princeps militiæ, quem patria lingua *Admirauisum* vocitant, confusus, & infortunium quod sibi acciderat satis admirari non præualens, multa conqueritur. Considerabat nimirum infinitas quas adduxerat copias, lætissimamque iuuentutem, fortitudine ac specie arma nobilia, commilitonum opes, &, vt sic dixerim, cuncta equestria; & quod animis maximam quorumque inertium parere securitatem solet, pro foribus vrbis suæ, ad quam certa refugia, in propria pugnauisse prouincia. At Francos, intuebatur modis omnibus inferiore militiâ, profligatam diutina fame iuuentam, rubiginosis ensibus, lanceis nigrantibus, exilem destitutis militum viribus armaturam; cunctis qui præ cæteris videbantur insignes, acri egestate torpentibus, equis omnimodo squalore fatiscentibus: &, vt breui clausula soluam, pauperrimos omnium, exulem globum innumerabiles superasse mirabatur indigenas: quin potius, per abiectissimos hominum totius Orientis gloriam concidisse. Iuuit quoque nostrorum victoriam plurimùm, quòd conclamatâ in hostili exercitu fugâ; *Admirauisus* ille qui præerat Aschaloni, vbi conspexit Babylonicum vertere terga Ducem, fugitiuos omnes à propriæ vrbis ingressu mandat arceri. Mirabantur planè etiam iidem plus nimio hostes, quòd minimè Franci pro mœnibus Ierosolymæ, quasi contigui causa præsidij pugnare delegerant: sed sibi obuiam duorum itinere dierum penè processerant.

Quare Deo ascribenda victoria.

XX. At *Francis* pro tanta DEO, vt par erat, nimium gratulabundis victoria, *Robertus* Northmanniæ Comes, vir numquam suæ mirabilis munificentiæ, etiam in illius exilij paupertatibus, expers, hastam illam, quam argento dixeramus ornatam, quæ Babylonico Principi, veluti signum, præfixa constiterat, à quodam qui rapuerat eam, viginti argenti marchas emit ipsámque in tantæ testimonium victoriæ ad Sepulchrum Domini statuendam Arnulpho, Patriarchæ vocato, attribuit. At ensem qui eiusdem Principis extiterat, ferunt à quodam septuaginta Bizanteis emptum. Præterea, portui Aschalonico prosecuta exercitum maxima classis appulerat: ea videlicet illuc occasione conueniens, vt Francis euictis, & sub captiuitatis vincla coniectis, à victoribus eos emerent; ac per vlteriora Orientis regna venundando distraherent. Hij itaque vbi viderunt fœdè fugientes Egyptios, remotâ continuò dilatione velificant, & ad ipsius sali interiora se promouent.

Denique Franci facto ex Sarracenis horribili, præcipuè ex Æthiopibus carnificio, ad eorum tentoria iam solitaria reuertuntur: ac inæstimabili spoliorum copia reficiuntur. Argenti diues & auri exinde Gaza producitur: Assyriæ nobilitatis opes, ac quælibet preciosa suppellex habetur: omnimoda animalium genera, variorum armorum vtensilia congeruntur: si qua fuere vsibus apta, seruarunt: quæ extera, igne cremarunt. Regrediuntur incomprehensibili triumphantes iubilo, Ierosolymam: infinitis gratiarum lachrymarúmque millibus cumulantes Dominicę passionis ac Sepulturæ memoriam. Tanta autem Francis, ex huius fortunæ cœlestis euentibus arrisit vbertas, vt hij, qui prorsus in-

opes, & viatici ipsius egentes, hoc ipsum A olim iter inierant, cum multa auri argentique opulentia, ac spectabili equorum mulorúmque euectione redirent:

Lux ea Sextilis quæ proxima præuenit Idus,
Obtinuit belli tale videre decus.

CAPVT IV.

XXI. Diuersa Prophetarum oracula.

SEd quoniam in huius voluminis exordio, quædam exempla præbuimus Scripturarum, quæ huic tanto quod explicuimus, negotio conuenire putauimus, attendendum nunc etiam, an Ierosolymitanæ obsidioni aliquid consonum apud *Zachariam* Prophetam reperire possimus. *Dicit*, inquit, *Dominus extendens cœlum*, *& fundans terram*; *fingens spiritum hominis in eo*. *Extendit cœlum*, qui dilatat Ecclesiam, vt sicut, iuxta Isaïam, ab Oriente adduxit semen eius per Apostolos, sic ab Occidente eam debeat congregare per istos. *Fundat terram*, cùm permittit Gentilium præcordialiter obdurari perfidiā. *Fingit spiritum hominis in eo*, cùm cuiusque fidelis animum format, rationis inditæ dono. *Ecce*, *ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ*, *omnibus populis in circuitu*. *Superliminare*, præminet ostio: per ostium introïtur in domum: crapula officit stomacho. Si ostium, fidem Domini IESV dicimus, per quam ad Patrem venimus: Ierosolymitanam Ecclesiam, quia de ipsa & lex & verbum Domini exierit, non immeritò superliminare, ob ea quibus præbuit exordium documenta, vocemus: Ad ipsam enim recurrit post annos quatuordecim Paulus, vt Euangelium cum Petro & aliis conferat, ne fortè in vacuum cucurrisset aut currat. Sed hoc superliminare, populis omnibus in circuitu est crapula: quia constat omnes eam nationes propterea, quæ ibi resederunt, nostræ credulitatis vestigia fastidire, & execrari in morem nauseæ.

Zach. 12. 1. — Isaia 43. 5. — Zach. 12. 2. — Gal. 2. 2.

Sed & *Iuda erit in obsidione contra Ierusalem*. Non solum, inquit, horrori exteris est, sed & Iudas, fidelis scilicet populus, verè confitens eam quæ calcatur à Gentibus: Ierusalem obsessurus est: *In die illa ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis*. Si partem pro toto secundùm Scripturæ vsum licet poni, lapis oneris cunctis Ierusalem fit, quia vniuersis Christiani nominis gentibus maximi laboris pondus, in sui liberatione, nuper indixit: *Omnes qui leuabunt eum*, *concisione lacerabuntur*, *& colligentur aduersus eam omnia regna terræ*. Qui sunt, qui Ierusalem leuant, nisi qui postquam impleta fuerint tempora nationum, eam à sua conculcatione subleuant. *Ierusalem*, inquit Dominus, *calcabitur à gentibus*, *donec impleantur tempora nationum*. Hij concisione lacerantur: quia dici, immò cogitari nullatenus potest, quanta famis, sitisque miseria, quantis laborum vulnerumque doloribus eos in obsidendo cruciari constiterit. Et, vt iuxta Ezechielem loquar, *omne caput decaluatum est*, *& omnis humerus depilatus*: sin aliàs, vel crebris machinarum impulsibus, seu conuehendis oneribus. Sed leuata Ierusalem, *omnia regna terræ aduersus eam colliguntur*: quod non vt allegoria subintelligendum; sed vt historia nouiter relata, supernis oculis intuendum proponitur. Quod enim fuit Orientis regnum, de cuius hominibus ad idem non venerint bellum? Qui enim machinarum omnia genera, quod supra omiseram, obsidendæ vrbi necessaria secum detulerant: qui etiam præter bellicos viros, negotiatores ad coemptionem Francorum adduxerant, profectò ex nimietate multitudinis victoriam præsumebant, fortasse maiori prorsus maiestate numeri, quàm Curbaran illum habuisse didicerat.

Zach. 12. 2. — Zach. 12. 3. — Zach. 12. 3. — Luce 21. 24. — Ezec. 29. 18.

In illa die, dicit Dominus, *percutiam omnem equum in stupore*, *& ascensorem eius in amentia*. *Si equus*, dignitas temporalis accipitur; *ascensor equi*, qui dignitate præminet proculdubio intelligitur. Dignitas omnis stupet: quia quidquid vsquam Imperij, quidquid regni est, aduersus hanc nouæ militiæ DEI manum hebetatum, nil audet. Princeps omnis in amentiam vertitur: quia expers est consilij; nec habet quò se vertat, vtpote inops virium, quisquis huius Dominici exercitus fortitudinem experitur. *Et super domum Iuda aperiam oculos meos*, *& omnem equum populorum percutiam in cæcitate*. Si *Iuda*, confitens; eos potissimùm Confessores dicam, qui nunquam à suæ credulitatis initio exorbitasse leguntur à fide. Francos vtique, quibus omnis tenor huius innisus est viæ. Super hos DEVS oculos aperit, cùm ipsis effectibus gratiam eis propriæ benignitatis ostendit: *Equum populorum in cæcitate percutit*, dum superbiam Gentilium, consequente eos reprobo sensu, punit. In Sacra planè Pagina, *equus* sæpè pro *superbia* ponitur. Quid enim magis cœcum, quàm sine DEI respectu, DEI filiis inferre bellum? Quid tam reprobum, quàm DEVM non agnoscere, & ex ipsa ignorantia superbire, & contra fideles bella mouere? Sed quò, per verborum lacinias allegoriæ libertas excurrit, cùm historialis nos veritas, ne per opiniones passim euagari videamur, adstringat? Nonne superius hostes diximus cæcitate percussos, & gladiis imminentibus stupore suffusos? Et miror qualiter equus videns se egerit, cùm rector equi euidentem amentiam incurrerit.

Zach. 12. 4. — Zach. 12. 4.

Zach. 12. 5. *Et dicent Duces Iuda in corde suo. Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum, DEO eorum.* Quos dixerim *Iuda Duces*, nisi fideles illius exercitus Principes? Qui *confortari sibi Ierusalem habitatores* imprecantur, dum totis affectibus, Christianæ militiæ sanctam illam ciuitatem fortitudine desiderant instaurari; qua & Christianitas propagetur, memoria Dominica honoretur, Gentilitas circumquaque prematur. Sed hæc eorumdem fortitudo, *in Domino exercituum* futura dicitur, quod hodiéque cernitur, dum manus hominum incredibiliter parua, aduersum vniuersa Paganitatis regna congreditur: quod totum ex eius, qui cœli virtutibus præest, sola virtute præsumitur. Vbi benè additur, *Deo eorum*: & vt non quolibet auctore DEO niti putentur; sed DEO sui ipsorum: scilicet Christianorum.

Zach. 12. 6. *In die illo, ponam Duces Iuda, sicut caminum ignis in lignis; & sicut facem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu. In hac*, inquam, vel fidei, seu diuinæ prosperitatis *die*, *Duces* illi, qui vel armis exteriùs, vel spirituali doctrinâ interiùs Christianum populum gubernabunt, erunt *caminus*: superno, videlicet intrinsecus, amore feruentes, qui peccatorum *ligna* in Gentilitate consumant: & quantum ad exteriora reprobos quosque, ac si *fœnum*, bella succendant. Proculdubio enim scimus, DEVM ista nequaquam pro vnius ciuitatis liberatione cœpisse: sed contra venturi rabiem Antichristi, hæc semina, longè latéque fructificatura, iecisse: *Omnes* itaque *populos ad dextram & sinistram in circuitu deuorant*, dum hinc electos: quos *dextera* innuit, ad pietatem Christianitatis incorporant: illinc reprobos, qui *sinistrorsum* pertinere noscuntur, digna cædis vltione deuastant.

Zach. 12. 6. *Et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem.* Si *Ierusalem*, Ecclesia est: locus eius, CHRISTI fides est: Ierusalem ergò in Ierusalem habitatur, cum ciuitas illa terrestris, ad hoc, vt supernæ pacis visioni inhiet, instauratur: Locúmque habet, quia CHRISTO immutabiliter hæret.

Zach. 12. 7. *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio, vt non magnificè glorietur domus Dauid; & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam. Tabernacula Iuda sicut in principio* Dominus saluat: cùm ipse, qui cum patribus nostris mirabilia fecerit, nostris etiam glorificatur adeò temporibus, vt sub ærumnis & calamitatibus maiora omninò moderni isti videantur egisse, quàm Iudæi antiquitus cum vxoribus ac filiis, & continuâ ventrium plenitudine, sub ducatu apparentium Angelorum, frequentibúsque miraculis æstimantur implesse. Hos, inquam, veraciùs saluat: quia eos reuera vti filios recipit quos corporaliter occidi permittit, temporalitérque flagellat: Vt *non magnificè*, inquit, *domus Dauid glorietur*: Id est, veteres qui bellorum victoriis præminuerunt, superbire desistant, cùm nouos quosque potiora exercuisse perpendant. *Gloria* quoque *habitantium Ierusalem*, *contra Iudam* eleuatur: dum fastus eorum qui ibidem regnauere, & aliqua clara fecere, modernis opponitur. Per *Dauid* namque, qui potissimum potuit, quicquid in superbia magis habent causæ exprimit. Ac si diceret: Etsi Dauid celeberrimus armis extiterit: & de succedentibus Regibus aliquis aliquid gloriæ quæsierit, nihil reperitur per quod his nostris exæquari possint. *Habitare*, autem dominari dicimus: vnde & à verbo, quod est, *habeo, habes*, frequentatiuè dictum ponimus. Dicitur verò, & Dauid magnificè gloriari contra Iudam, & gloria habitantium Ierusalem: quia ipsi materia sunt superbiendi, nostrorum facta humiliare volentium.

Zach. 12. 8. *In die illa, proteget Dominus habitatores Ierusalem.* Et nunquid non hodiéque protegit, quos, cuneum nimis exilem, in meditullio Gentilitatis infinitæ defendit? Audacibus cotidie gentes contiguas armis irritant: & ipsis satis est gentibus si se ab eorum incursione præmuniant, nedum obsidere præsumant.

Zach. 12. 8. *Et erit, qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid; & domus Dauid, quasi DEI, sicut Angelus Domini, in conspectu eius.* Vix inuenitur *Dauid* quippiam grauiter deliquisse, cuius pœnam consequenter non legatur in præsenti recepisse. Quicumque igitur ex nostris offenderit, fit quasi Dauid, dum non eorum aut luxurias siue superbias, inter eundum: sicut superiùs continent gesta, DEVS ipse impunita reliquit: sed mox, inter ineuntis peccati successus, quæ meruêre celeriùs, aut famis, aut quarumlibet difficultatum tormenta rependit. Vnde & *domus Dauid* quasi DEI efficitur: quia per diuinæ correptionis instantiam ad spiritualis gratiæ conceptum reditur. Quibus enim DEVS, vti quondam Dauid, paternè disciplinam irrogat, hos statim à suæ inspirationis complexu non abdicat. Fit quoque in *DEI conspectu vt Angelus*: quia dum per imminentia flagella homo conspicit se à suis, DEO auctore, eximi affectibus, DEVM ilicò diligere intendit ardentiùs: dum enim se castigari cognoscit, vt filium, amat vt Angelus. *DEI* autem *conspectus*, pius est hominis interioris affectus.

Zach. 12. 9. *Et erit in die illa; quæram conterere omnes*

gentes, quæ veniunt contra Ierusalem. Ea solemus quærere, quæ nos certum est sub oculis non habere. Quid verò DEI est *quærere*, nisi sub æternæ prouisionis vocatione facienda proponere? Quærit ergo DEVS conterere omnes gentes, quæ contra Ierusalem veniunt, & hoc in die illa: quia subtili suo iudicio prouidet ac ordinat, quòd eos qui fidei contraria agunt, aut perpetua damnatione conterat: aut quantum spectat ad examinationem suæ ipsorum fragilitatis, imminuat. Vnde est, *tamquam*, inquit, *vas figuli confringes eos, quos rexeris in virga ferrea.* Quod tamen facit DEVS illustratione internâ, quæ est profectò *dies*; sed illa, quæ exprimi videlicet non possit ratiocinatione vllâ.

Psal. 2.

Et effundam, super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum. Ipsos *habitatores Ierusalem*, dixerim domum Dauid: quos omnipotens DEVS, & si frequentibus victoriis donauit & donat: creberrimis tamen infortuniis edomuit, & redomuit: &, dum eos nec continuatione malorum desperare permittit, nec assiduitate bonorum superbire sinit, *Spiritum gratiæ & precum* super ipsos, pius necessariò iam dispensator effundit: vt dum nulla prosperitas, quæ etiam perfectos quosque resoluit, sine subiecta mox aduersitate sibi arridere videtur, semper animus inquietudinum timidus, ad eum qui adiutor est in oportunitatibus, in tribulatione suspirare cogatur.

Lucæ 12. 10.

Ecce iam seposito omni mysterio, materialis illa Ierusalem, quanta putamus aliquotiens sub dubietate & timore se habeat, dum iuxta *Ezechielem*, in medio Gentium se attendit positam, & in circuitu suo gentes, circumiacentium nationum infinitatem, suæ vrbis considerans paucitatem. Et dum barbararum gentium irruptiones indesinenter metuunt, nisi miserabiliter desipiunt, nunquam absque DEI timoris & amoris gratia sunt, quibus nunquam piæ affectionis ac precum materiæ desunt. Solet nimirum Omnipotens, aculeis aduersitatum, ad sui recordationem sollicitare suos: solet titillationibus carnis inurere mentes, vt scilicet dum ruinam metuunt, votis ac orationibus, DEI subsidio semper inueniantur accliues.

Psal. 9. 23. *Ezech. 5. 5.*

CAPVT V.

XXI. *Christianorum calamitates recolit.*

DIximus non semel, sed fortè multotiens, nec repetere piget: tale quid nusquam gentium à sæculo factum. Si filij Israël, miraculis quæ ante eos egerit Dominus mihi inferuntur obiectis: his ego multò mirabilius astruam mare confertissimæ Gentilitatis apertum: his interdiu ex columna nubem diuini timoris: noctu lumen diuinæ spei perhibebo præbitum, quibus CHRISTVS ipse columna rectitudinis ac fortitudinis inspirauit exempla: quos verbi DEI, ac si manna cœleste, absque vllius terrenæ spei, * solum confortauit edulium. Illi, pabula cœlitus ministrata fastidiunt: Ægyptum derelictam, crebrò mentibus & voce reuisunt: isti sicut nihil vmquam retrogradum moliuntur: ita quicquid penuriæ ac necessitatis ingruerit, viuacibus animis amplectúntur. Certè illa apud Antiochiam celebrata calamitas, quæ frequentibus propemodum inediis oscitabat, non sine quibusdam nobilibus spectaculis traditur extitisse. Quâ putamus, inter illius omnimodæ egestatis exitia, quâ nil ægriùs apud homines consueuerit tolerari, magnanimitate se gesserint, qui Christiana theatra, illi proculdubio tempori ac loco conuenientia non spreuerint?

*al. * solatio.*

Planè ab his qui interfuere refertur, cùm ciuitas eadem obsideretur, & crebris congressibus obsessores & vrbici miscerentur, fiebat sæpissimè, vt viris hinc indéque cedentibus, & impetum vicissim consilio ac ratione frænantibus, puerorum examina pars ex vrbe procederent: pars ex nostrorum filiis, è diuerso coïrent, paritérque dignissimi exspectatione confligerent. Sicut namque in exordio huius historiæ retulimus, cùm apud Occidentales regiones percrebruisset Ierosolymitana profectio, patres, cum paruulis filiis hoc ipsum aggrediebantur iter. Vnde accidit, vt mortuis parentibus aliquorum, ipsi pueruli prosequerentur exercitum, labori assuescerent: & quantum ad inopiæ tolerantiam attinet, maioribus impares nullatenus essent. Hi igitur, per se, agmine facto, principes sui ipsorum ex se creauerant, ille *Hugonis* Magni, ille *Boëmundi*, hic *Flandrensis*, iste *Northmannici* vocabula: & aliorum alij præferre personas. Ipsi quotiens sibi subiectos alimoniarum penuriâ vexari conspicerent, ad eos quos prælibauimus Principes, victualia rogaturi abibant. Quibus iidem proceres plurima largiebantur, vnde eorum conuenienter imbecillitas aleretur. Talis ergò támque spectabilis militia, vrbanam pueritiam crebrò lacessere, longas arundines pro telis habere, de viminibus scuta contexere, arcillos atque missilia, pro suo quique modo, gestare. His itaque & ciuitatensibus, grandæuis ex vtraque parte spectantibus, medio in campo congressis, vrbici quidem ex mœnibus: nostri autem pro papilionibus expectabant. Erat ibi cernere impetus, in inuicem conclamatos: ictus sine vlla tamen mortiū suspitione, cruentos. Hæc

Paruuli cū patribus Ierosolymam profecti.

Eorumdem paruulorum exercitus.

Hæc sæpe præludia, maiorum ad iterandos A conflictus præcordia concitabant. Dum enimanimos sub membris * impotentiùs feruere viderent; dum illa qualiacunque, imbelles conspiciunt alacriter arma mouere lacertos; dum alterutrorum læsionibus diuersæ prospectantium partes ingemunt, ad solita, dimotis è medio pueris, seniores bella concurrunt. Ita Dominicum exercitum vix inueniri contigerat feriatum, dum hi instituuntur, illi cotidie exercentur.

al. * impotentibus.

XXII. Nudipedum exercitus, ac vitæ genus.

Erat præterea & aliud quoddam in exercitu B illo hominum genus, quod nudipes quidem incederet, arma nulla portaret, nullam ipsis prorsus pecuniæ quantitatem habere liceret: sed nuditate ac indigentiâ omninò squalidum, vniuersos præcederet, radicibus herbarum, & vilibus quibusque nascentiis victitaret. Hos, cùm quidam ex Normannia oriundus, haud obscuro, vt fertur, loco natus, ex equite tamen pedes factus, sine dominio oberrare videret, depositis armis, & quibus vtebatur induuiis, C eorum se Regem profiteri voluit. Inde *Rex Thafur* barbaricâ cœpit linguâ vocari. *Thafur* autem apud Gentiles dicuntur, quos nos, vt nimis litteraliter loquar, * *Trudennes* vocamus: qui ex eo sic appellantur, quia trudunt, id est, leuiter transfigunt, quaquauersum peragrantes* annos. Erat autem isti consuetudo, vt si quando populus sub se agens, ad pontis alicuius deueniret transitum, aut aliquas angustias, loci cuiuspiam attigisset, iste eundem præoccupare festinaret ingressum: & perscrutato ad vn- D guem singillatim quoque suorum, si cui duorum pretium solidorum habere contingeret, hunc confestim à sua ditione secluderet, & eum emere arma iubendo, ad armati contubernium exercitus segregaret. Si quos consuetæ tenuitatis amantes, nihil prorsus pecuniæ aut reseruasse, aut affectasse conspiceret, hos suo collegio peculiares asciceret. Putaret hos forsitan quilibet generali vtilitati prorsus incommodos: & vnde aliis poterat supetere sumptus, absque proficuo tales consumere cibos. At verò hi in conue- E hendis victualibus, in stipendiis contrahendis, in obsessione etiam vrbium lapidibus intorquendis, dici non potest quàm necessarij forent: cùm in portandis oneribus, asinos ac iumenta præcederent; cùm balistas & machinas crebris iactibus exæquarent.

al. * trudennes. Gal. Truens.

f. * agros.

Præterea, cùm de Paganorum corporibus frusta carnium apud *Marram*, & sicubi aliàs, cùm nimia fames vrgeret, reperirentur adempta, quod ab his & furtim, & quàm rarissimè factum constat, atrox apud Gentiles fama percrebruit, quod quidam in Francorum exercitu haberentur, qui Saracenorum carnibus auidissimè vescerentur. Vnde idem homines vt potissimum apud illos hæc intonuisset opinio, Turci cuiusdam vecti corpus intusum, ad eorum terrorem palam omnibus, vt dicitur, ac si carnem mandibilem, igni apposito torruerunt. Quo illi agnito, & verum penitus quod fingitur autumantes, iam magis insolentiam *Tafurum*, quam nostrorum quodammodo Principum vehementiam formidabant. Turci, planè antiquorum more Gentilium, de cadaueribus tantopere cruciantur insepultis, quanto nemo Christianorum studio de animabus videtur cogitare vel dolere damnatis. Vnde ad eorum rancores dirissimè concitandos, in obsidione Antiochena, Podiensis, facto edicto, celebrari per exercitum, præcepit Episcopus, vt quicunque Turci cuiusquam caput sibi deferret abscisum, duodecim denarios referret statim in præmium. Capita enim eorum cùm idem suscepisset Antistes, super palos ante ipsorum ora pro mœnibus ciuitatis figi ea iubebat ingentes: quod eos solebat acerbissimè torquere, & exanimare cernentes.

Egit etiam ibi Pontifex non reticendum quiddam, cum procerum nostrorum consilio, vt cùm victualium inopia vrbani nostros laborare sentiscerent, nostri è contrario proponerent, quatenus boues aratro iungerent, in conspectu vrbis ararent & sererent: vt ex hoc idem vrbici subintelligerent, quòd cœptam obsidionem nulla ratione desererent, qui de futuri anni procuranda fruge tractarent.

Hæc & alia mira mirandâ in hac ipsa expeditione sunt gesta, quæ posse ab aliquo comprehendi nullo modo putamus vniuersa: Sicut sanè nemini à sæculo constat auditum, vt sine Rege, sine Principe, vlla de locis propriis egrederetur gentium; vt sub solo DEO, paruus & magnus, par addiscerent portare iugum, vt non respectaret seruus ad dominum, nec dominus nisi fraternitatem vsurparet in famulum: sicut, inquam, de præteritis super hoc exempla præbere non possumus: ita in posterum similia numquam futura putamus. Quod ex eo maxima ex parte coniicimus: quia post captam Ierusalem, tantos Christianarum gentium motus vidimus; tot non imparis dignitatis personas, tot equestres non contemnendi nominis alas, tot pedestres copias pariter commigrasse post eos qui præcessêre, & viam secuturis parauêre, cognouimus, vt penè priorum & diuitiis & numero suppares indubiè iudicemus. Quis enim colligat, eo tempore quo *Stephanus* Comes, de quo supra egimus, & ille Phi-

lippi Regis frater *Hugo* Magnus, sepulcri A Dominici viam iteratò cœperunt, summè mediocris & infimi generis, quanta ex solis Franciæ partibus (de cæteris enim taceo) frequentia processerit? Tacito *Burgundiæ Duce*, quid de *Pictauensi Comite* loquar? qui præter militiæ grandis, quem secum proposuit ductare, globum, etiam examina contraxerat puellarum? Qui, cùm maiestatis suæ passim personaret testis ambitio, Constantinopolim venit; cum perfidissimo hominum Alexi Tyranno colloquium habuit. Cuius proditor ille nequissimus aduen- B tum, antequam Regiâ Comes isdem digrederetur ab vrbe, Turcis per Epistolas detulit. *Ecce*, inquit, *è Franciis pinguissimæ ad vos progrediuntur oues, quæ minus prouido tamen pastore reguntur.* Quid plura? Comes Tyrannici Principis fines excesserat; Turcorum ei exercitus repentè obuius adstat: vires hominis, vtpote aduenticias incompositásque debilitans, dispergit, prædatur, & superat. Ibi *Hugo* Magnus, genu sagittâ percussus, langore protracto, tandem C occubuit, apud Tharsum Ciliciæ sortitus iura sepulchri. Hæc intra eam, quam *Satyriam* dicunt, facta fuisse Prouinciam tradunt.

CAPVT VI.

XXIII. AT *Stephanus* Comes cum quibusdam Pontificibus regni nostri: inter quos *Hugo Suessionicus*, & Parisiorum *Guillelmus*, illustris indolis generísque viri, qui præsulatui suo in primæuo flore clarissimis mori- D bus ministrabant; & * *Engelrannus* Laudunensis, vir sicut formâ & eloquentiâ, vtinam sic religione, conspicuus: cum multa ordinum omnium dignitate, mœnia *Constantinopolitana* subintrant. Quos ad se *Imperator* euocat: magnis primores eorum donariis munerat. Consultantibus illis, an prioris exercitus, seu diuersâ proficiscerentur viâ, ille veraciter intulit: non tantum eos habere equitatum, vt sufficiant à prioribus tramitem tenere diuersum. Illi, noua E sese putantes & superioribus valentiora facturos, profitentur, se per exteras regiones ituros. Pariter verò ab Imperatore expostulant, quatenus vbique generale vniuersalis Græciæ habere mercatum, ipso iubente, debeant. Spopondit ille, & sciens eos in propriam, hac suâ insolentiâ, veluti conspirasse perniciem, eorum, quem prouidebat optimè, errori lætabundus assensit. Per Paflagoniam igitur, non dicam modò quibuslibet peregrinantibus; sed ne scripturis quidem, nisi quàm rarissimè cognitam prouinciam, nescio quod monentur intrare desertum: viaticum portare eos prohibet Imperator, nisi quantum diebus quadraginta solis esset necessarium. Præterea penè quodammodo dehortatur viatici lationem, dum magnificè pollicetur totius terræ negotij prosecutionem.

al. * *Ingelrannus.*

Perfidus Imperator Francorum Duces deludit.

Euntibus ergò & iam in profundæ solitudinis vlteriora progressis, vulgus quod sine viatico, spe promissi negotij, incautè processerat, cœperat indies vehementissimâ fame vrgeri, intumescere, ac emori: exercitus quoque cadauerum passim decumbentium fœtore vexari. Aliquotiens planè, cùm postremos egenæ multitudinis, Duces exercitus castigarent, ne equitatum tardiùs sequerentur præcedentem, ne in eos Turci videlicet inuolarent, illi famis torsionibus acti, votis & precibus exoptare vt venirent. Armeniorum iam penè fines attigerant, exesis hominibus, animalibus inediâ moribundis, subitò ingruunt Turcorum milia numerosa: sed Franci, qui primas tunc exercitus videbantur actitare custodias, facilè eorum, lassabundi licet, illicò obtudêre molimina. Postridie, cùm Turci Francos à prima fronte discessisse vidissent, Langobardis, Liguribus, & Italis priora, proh dolor! occupantibus loca, irruunt, persensâ anteriorum ignauiâ hostes acerrimi; hísque qui præibant & signa ferebant, fœdè terga dedentibus: totus non tam fugæ, quæ nimium tenuis vt pote fame tabentium fuerat, sed internecioni miserandæ patet exercitus, fugientes non quâ venerant regrediebantur, nec, vt gregatim saltem fugerent, glomerabantur: sed quorsum quemque ferebat animus, verterat illò gradum, sine dubio moriturus. Quæ eorum cædes & insecutio perseuerauit penè continuis octo diebus.

Internecioni traditur ipsorum exercitus.

Erat in eo quidam *Archiepiscopus Mediolanensis* * exercitu, qui capellam Beati Ambrosij, planetam scilicet & albam, si qua alia nescio, secum tulerat: auro tantíque pretij gemmis ornatam, vt nusquam terrarum reperire quis huic valeret æquandam. Hanc Turci abduxêre correptam, Deo, fatui illius Præsulis, qui rem adeò sacram Barbaris terris intulerat, tali damno vlciscente dementiam. Tanta fuit ibidem promiscui sexus Christianitatis occisio, tanta pecuniarum, vestium, auri argentíque repertio, vt de illo, quod expeditio prima intulerat, damno, hęc vna victoria sufficienti Turcis potuerit esse solatio. Cùm enim ducenta, &, vt aliqui astruunt, his amplius fermè millia Christiani nominis illic essent, vix septẽ milia resederunt. Comes autẽ *Stephanus*, cum plerísque potentibus, inter quos *Harpinus* Bituricensis vir magnificus, & Comes trans Ararim

al. * *periculo.*

Stephanus, ibidem fuere: paritérque Ierosolymam deuenêre. Vbi positis, cùm *Imperatoris Babylonici* exercitus apud Ramothenam vrbem *Balduino*, nunc Regi, bellum obtulisset, *Harpinus* memoratus Regi intulit, quatenus prælium differret, donec quidquid virium poterat habere, conferret: Rex ait: *Si times*, inquit, *fuge Bituri gas*: hisque dictis, inconsultè conflixit: omnésque suas ilico copias, in prædictam ciuitatem compulsus, amisit: ipse solus euasit. Multi tunc, in captiuitatem acti: multi, quo fine defecerint, hucusque sumus incerti.

Harpinus Bituricensis monachum induit.

Harpinus captiuus abducitur: deinceps à captiuitate solutus, in Franciam rediens Monachus efficitur. De Carnotensi *Stephano* nihil certi habetur, nisi quòd interemptus, sine vllis tamen indiciis, creditur: intra turrim nimirum quandam cum aliis innumeris comprehensus, apud præfatam vrbem, vtrum captiuitatis sorti fuerit, an mortis addictus, certis scire auctoribus hucusque nequiuimus: nisi quòd ad fidem necis eius, quia nusquam comparuit, procliuiores sumus. Turci planè cæsorum cadauera, post victoriam, desectis solent damnare capitibus, eáque pro signo asportare triumphi: quibus sublatis, difficile est prorsus cuiusque personam ex corpore trunco cognosci. Eadem autem ambiguitas, & de quibusdam clarissimis viris aliis, hactenus est habita. Interea *Rex* ipse, qui, vt prælibatum est, solus euaserat: & non modò pro communi, quod imminebat, exitio lugebatur à suis, sed etiam cùm cachinno interfectus clamabatur ab Ethnicis: per horrida quædam & paucis comperta montana procedens, desperatæ tandem Ierosolymæ, & extrema iam pericula cum debitis mœroribus præstolanti, post biduum, nisi fallor, se intulit. Qui collecto celerrimè quem potuit equitatu, & delectu optimorum peditum pro facultate habito, clementiori iam Domino: cum triumphanti, sed non diu, Gentilitate, bello decernere parat. Cùm ergò Regem mortuum sic putarent, reparatis continuò copiis apparuit: longè altera quàm pridem auctoritate conflixit: & in fugam eos agens, nouum ipsorum timorem, atrocissimæ cædis punctione reflauit.

XXIV. Godefridi Regis obitus.

At quoniam *Godefridum* Regem, huius Balduini germanum, nequaquam superiùs obisse, materia ordinem præoccupante, retulimus: dignum est, vt quo fine defecerit, & vbi sepultus sit, breuiter explicemus. A quodam contiguæ Gentilitatis Principe eidem transmissa feruntur exenia letalibus, vt patuit, venenis infecta, quibus vtens improuidè; cùm eum qui miserat suspicaretur amicum, subita infirmitate decubuit: nec morâ, exanimatus occubuit. Sunt & à quibus, hac opinione repulsa, naturaliter feratur obisse diem. Sepelitur autem, in testimonium eius, quam fide vitáque meruerat, redemptionis æternæ, circa ipsum Dominicæ Passionis locum: in eo, iure obtinens omnimodo monumentum, quem eruerat; quemque defenderat à conculcatione ac irruptione Gentilium. Cuius mira humilitas & Monachis etiam imitanda modestia, illo prædicabili admodum, Regni sui tempora titulo insigniuit, vt nunquam intra Ierosolymitanam ciuitatem Regium coronatus diadema tulerit: ea consideratione videlicet, quia generalis vniuersorum salutis auctor Dominus noster IESVS-CHRISTVS, spineum ibidem sertum humana irrisione gestauerit.

Modestia atque humilitas, ac pietas.

Huic successit germanus frater Balduinus.

Quo, vt præfati sumus, exacto, à fraterna eum temperantia & sagacitate futurum degenerem nulla ratione credentes, *Balduinum* ex Edessa transferunt, & sanctæ illius Christianitatis nouæ coloniæ regnare constituunt. Quædam nempe clarissima in eorum virorum natura notauerant, & notata dilexerant: tranquillos vtique, & totius nescios iactantiæ mores: irremissam, & plus quàm Regiæ competeret maiestati, sine vlla penè formidine mortis audaciam: remotam quoque ab omni habitu ipsorum, petulantiam: & supra opum suarum vires liberalitatem omninò munificam. Huius autem *Balduini* erga suos fides, erga se contemptus, ex vno coniici valet facto: quòd videlicet dum in expeditione contra hostes ageret, pro ereptione cuiusdam peditis in tantum sese periculo ingesserit, vt grauissimum vulnus excipiens, vix discrimina paratæ necis euaserit.

CAPVT VII.

XXV. Prognostica de Christianorum expeditione Ierosol.

FVit interea quiddam, quod maximè gentium innumerabilitatem circumpositarum, ne contra nostri nominis insurgerent paucitatem, vehementer exterruit, nec minus hodiéque terrere dinoscitur: quòd scientia scilicet astrorum, quæ apud Occidentales quò tenuior extat & rarior, eò apud Orientales, vbi & originem habuit, continuo vsu ac frequenti memoria magis feruere cognoscitur, euidens idem Gentiles prognosticum se accepisse testantur, & iamdudum ante infortunia ipsa præscientia, quia à Christiano populo subigerentur: sed artis ipsius peritiâ ad integrum instrui non poterant, quo ista tempore complerentur.

XXVI.

Ante duodecennium fermè enim quàm proceres nostri Ierosolymitanum aggrederentur iter, *Robertus* Flandrensium senior

Comes, de quo in primo huius operis egimus libro, cum multis opibus *Ierusalem*, orationis gratiâ, est profectus. Qui cùm eadem moraretur in vrbe, aliquot, desiderio videndi loca sancta, diebus: & ob sui munificentiam, cognoscendi plurima, etiam quæ apud Gentiles fierent, permitteretur habere licentiam: quadam die, vti ab his didici qui familiarem inibi Comiti præstiterant comitatum, vniuersi penè vrbis eiusdem ciues ad Templum confluunt Salomonis: & per vniuersum diem maxima ibidem habita concione, ad sua tandem in vesperum diuerticula sunt regressi. Hospitabatur tunc Comes isdem apud aliquem grauioris æui & expertioris ingenij, vitæque, quantum ad eos, sanctioris Sarracenum, cui *Seruus Dei* vsitatius erat vocabulum Qui cùm ab eo redeunte domum sciscitaretur. *Quid in illo tamdiu consedère eis collibuisset Templo: super quibus etiam adeò laciniosa disputatione tractassent?* Intulit homo: *Insolita*, inquit, *signa quædam in ipsis stellarum cursibus recursibusque conspeximus, ex quibus certa admodum coniectura collegimus, Christianæ conditionis has in prouincias homines deuenturos: nósque per prælia assidua & frequentes victorias deuincendos. Quod tamen vtrum valde imposterum differatur, an proximè fieri debeat; penitus nobis incertum constat. Ex ipsa tamen Astronomica nobis portentione perpatuit, quòd hij ipsi quibus superno gentem nostram iudicio superare, & à natalibus oris amoliri conceditur, idem postremò vincendi à nobis, & ab ea quam vsurpabant patria, bellorum sint iure pellendi. Cui cœlesti indicio, veterum sectæ nostræ oraculorum passim, ex quibusque voluminibus statim lectio recensa concinuit; idipsum aperta locutione testificans, quòd iubar æthereum contectioribus signis innuerat.*

Vaticinia.

Quibus Gentilis hominis verbis, illa, quæ superius relata sunt, Curbaran matris dicta concordant: nec apud nos dubium est, quia eadem ipsa ratione qua illa aduersus Christianos dehortabatur præliari filium; isti etiam frænantur qui Ierosolymitano exitio inhiant, ne bella ineant contra id, quod sibi ostensum est, fatale decretum. Etsi namque primum multiplicibus nostros præliis vrgere insistunt: at nunc contra eos tanto remissius agunt, quantò non eos, sed Dominum pro eis exerceri & confligere sentiunt. Si autem cuiquam fortè incredibile fiat, quod futura quis Astrologica arte prænoscere valeat, illud nobis euidens argumentum præbeat, quod Imperator *Eraclius*, per huiusmodi disciplinam, gentem circumcisam contra Romanum Imperium præicierit surrecturam: nec tamen non Iudæos futuros, sed Sarracenos, qui hæc agerent, per eam potuit prouidere peritiam. Intueamur & *Magos* qui cùm natum Regem, & hunc ipsum DEVM & hominem, sideris editi repentina inspectione sensissent, quibus esset regnaturus partibus etiam nouerant.

XXVII. In hoc ipso nouo DEI aduersus homines Diabolicos procinctu, hoc etiam videbitur attendendum, quia factum ei omnimodis videatur congruere *Gedeonis*. Cùm enim infinita multitudo nostrorum, ad subeunda proposita vnanimiter pertinax putaretur, probatur ad aquas, voluptates vtique atque delitias: vt qui videlicet DEVM sequi deligerent, famis sitísque cruciatibus, mortiúmque variarum casibus non cederent: qui autem post corpora DEVM proiicerent, ad fluxa sese desideria, quod flexus illic poples significat, eneruiter inclinarent. Qui autem biberunt manu ad os proiiciente, ipsi sunt qui, *Diogenis* instar, vacante omni deliciarum cura, inter DEO seruiendum, quoquo pacto satisfecère naturæ. Trecenti fuere, qui sub *Gedeone* probantur: quia sicut exteriùs, ita interiùs baiulare crucem, quæ Tau littera significatur, Trecentos innuitur, qui hac peseuerantiâ honorantur. Quare enim à Dominica sese multi nostrorum, turpiter excepère militia? nisi quia sedulò graui carpebantur inediâ: &, quia *sine Cerere & Libero friget Venus*, nulla eisdem, corpusculis flaccescentibus, libidinis inerat perpetrandæ facultas, quæ etiam si suppeteret, non aliqua pateret oportunitas.

Indic. 7.

Hi ergo qui probati inuenti sunt, *tubas habent* in manibus: quia diuinum sermonem, cuius solatio inter tot discrimina recreantur, proferunt in operibus. *Lagenas tenent*, dum in continuo procinctu positi, ab omni carnalitatis fœditate se continent. Intra lagenas *lampades habent*, quia in vasis corporum fictilibus piæ intentionis, omni luce clariores thesauri renitent. *In tres eos Gedeon partes diuidit*: dum quosdam ex eis CHRISTVS ad coronam proprij cruoris effusione contrahit: alios ad custodiam sanctæ Ciuitatis, ac si ad cultum Terræ promissionis inducit, per quos hodiéque paucissimos totius Imperio Orientis obsistit; cæteros in patriam ad testimonium tantæ victoriæ, & pij huius exilij imitationem redire permisit. *Lagenis* ergò *fractis*, *lampades emicant*; quia occisis corporibus, spiritus diuino amore feruentes, recta ad Dominum intentione commigrant. Hostes inde territi subiguntur; quia eos non immeritò formidant, qui, spe æternitatis audaces, mortem vita ipsa carius amplectútur. *Quorum enim animalium*, vtait Apostolus, *sanguis infertur in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Vnde Dominus extra portam passus est. Exierunt itaque hij ad eum extra castra; extra

Heb. 13. 11.

videlicet carnis desideria, dum improperium A eius portant crucis, mortificationem, in vitiis scilicet ac concupiscentiis, seruant.

CAPVT VIII.

XXVIII. SEd quantum cum bonæ voluntatis affectu valuerit tanti huius laboris assumptio, hoc vno subiecto exemplo colligi potest: quod idcirco proponendum duximus, vt liquidò perpendamus, quantum purè peccata confessis, & sincerè pœnitentibus profuerit istius peregrinationis deuota susceptio, si tantopere pœnitentiæ ac confessionis penè prorsus exortibus, valuisse probatur, terrorémque incussisse Diabolo. Vir Equestris ordinis quidam maritimarum nisi fallor partium, cuiusdam fratrem proprium hostilitate perdiderat: Cuius interfectionem adeò homo idem ægrè tulerat, vt inconsolabili mœrore tabesceret: maioris enim potentiæ, qui eum peremerat videbatur, vt mœrenti, vlciscendi defunctum spes nulla suppeteret. Intolerabili ergò dolore defecto, & luctuosa omnibus vbique mo- C mentis prosequenti mente germanum: cùm nouior indies irreparabilis damni refricaretur acerbitas; & sine respectu cuiuspiam solatij, ineuitabilis memoriæ lacerum miseri hominis iecur pœna torqueret: dum angores assiduos, ad extremum repetendæ vltionis centuplicat difficultas: *Diabolus*, diutinâ experientiâ callens, & spirituali alacritate omni mortali natura facilior, qui in cunctis tempora aucupatur & causas, huius nimirum arrisit oportunitati tristitiæ.

XXIX. Quidam à diabolica fraude cum iter Ierosol. arripuisset, atque inibi sacerdoti peccata aperuisset, liberatur.

Die itaque quadam, cùm vecordiæ interioris squalidus tabo, & exhausto suspirio D profundissimi languoris anhelus, potandum equum, ipsi insidens, duceret ad aquas, è regione altrinsecus in altera fluminis crepidine positum Dæmonem conspicatur. Apparuit autem ei in specie viri cuiusdam, quem contractis cruribus existentem sæpenumero videre consueuerat. Videbatur etiam & ipse eques, accipitrem manu gestans; lutei, vt præferebat, coloris tunicam habens. Quem cùm ille eminus attendisset, & recordatus cogniti, quem fore putabat, hominis consuetæ debilitatis & formæ, præ ve- E hementia inopinæ nouitatis hæsisset, nequam spiritus, procacitatis antiquæ non immemor, primus effert: *Non sum*, inquit, *quem æstimas: scias autem me esse Diabolum, ad diuturnæ tuæ torsionis præbenda remedia missum. Magister namque meus, qui omnibus in mœrore positis, si sibi assentiant, compassibiliter suffragari dignatur, ad te me dirigit; nec si ei prout tibi dixero acquiescere velis, solatium morabitur. Cùm enim sit liberalis, nec desit opulentia infinita dandorum, affectantibus opes, supra quàm valeat æstimari, largus est munerum subsidio: egentibus, vltra quàm sperari id posset, non differt adminiculum. Tu verò, qui vetus infortunium animi ægritudine semper recentiori deploras, si quid est vnde queraris, expro-me; sciens indubiè te multo maiora sumpturum, quàm præsumas exposcere. Si fratrem intuleris interfectum, vltionis sententiam accelerari cognosces; si quælibet quæsieris incrementa, mirabere factum.*

Ergò velis, iubeas; suberit pro velle facultas.

B Attenderat ille insolitum valde pecus; mirabatur Diabolum cum maximo stupore loquentem: sed quantum pollicitationis lenocinio trahebatur, tantùm pollicitatoris nequitiâ terrebatur. Vicit tandem ambitio promissorum, & se fatetur oblata gratanter accipere: *Attamen*, inquit Diabolus, *si te huius meæ sponsionis fructus oblectat: & te Principis mei, qui ad te me misit, gratuita beneuolentia vtcumque pellexit: cum ipsis effectibus, tam de vltione germani, quàm de successibus fortunarum, quæ pronunciaui, vera probaueris, hoc meus ipse magister à te exigit: quatenus hominium sibi facias: & translata fide Christianitatis, in ipsum indiuisibiliter te ei cohæsurum spondeas: ab his etiam quæ vetuerit perseueranter abstineas. Sunt autem specialia, à quibus cùm ad ipsum concesseris, cohiberi vsquequaque te velit: ne vnquam videlicet vllam ingrediaris Ecclesiam: ne quem etiam baptizatum sacro de fonte suscipias:* & tertium quiddam pariter vetuit, quod exciderat ab eius qui mihi narrauit memoria. Cui homo hæc ait: *Facili à me obseruantia poterunt sine aliqua procrastinatione teneri: de hominio verò faciendo, aliquas peto inducias dari.* Abhorrebat sanè multum homo idem, liberæ adhuc rationis intuitu, quod execrabilis adeò à se fidei traductio peteretur: sed tolerabilius iudicabat Christianis officiis abstinere, quàm ipsius credulitatis fundamento carere.

Denique nec mora, in tantum fraternæ, suggerente maligno, suppeditatur ei opportunitas vltionis, vt crebrescentibus omnino superarentur viri vota fortunis. In húncque modum succedente remedio, ab illius animo obliterabatur sensim mœroris atrocitas: cùm tamen interim nullo modo res præsumeret, sibi à diabolo attentare prohibitas. Cùm interea antiquus humanæ naturæ hostis sedulò eidem homini apparere; nec modò, vt assolet, solitudinem eius, aut secreta aucupari loca: sed in media etiam vulgi adstantis frequentia, improuidum subitò conuenire; beneficia iam experta proponere; potiora in posterum polliceri, de fidei translatione sedulò satis hortari. Ille autem lar-

gitati omnimodo fieri gratulabundus exper- A tæ, obsequia tanti Principis liberalitati sempiterna promittere, super eius verò, quod frequens exigebatur, hominij pensione, iugiter inducias obsecrare.

Igitur cùm homo isdem creberrimis, & inter medias inuisibiliter turmas apparitionibus vrgeretur, DEI nutu, per Latinum orbem Ierosolymitani itineris fama porrigitur; & quisque, qui aliquo sese crimine persenserat implicitum, illuc, nouas DEO pœnitentias aperiente, dirigitur. Inter quos iste proficisci delegit, sed nefarium, quod cum B Diabolo magna iam ex parte pepigerat, fœdus nullâ confessione retexit. Profectò itaque & æmulationem DEI habenti, licet non secundùm scientiam, dum operum initio bonorum confessio non est præmissa malorum: tanta gratiæ DEI, inter eundum, hominem comitatur vbertas, in tantum DEO placuit labor, quamlibet minus plenâ pietate præsumptus, vt in ipso expeditionis itinere, nullis eum funestus exactor compellare auderet angariis: quin potius, ac si nihil cum eodem pactionis habitæ meminisset, nullis vel in visione ei appareret modis.

Captâ postremò Ierusalem, cùm in ipsa C cum aliis ad tempus diuersaretur vrbe, & nocte aliquâ cum quibusdam putaretur dormire militibus, sollicitus super suis suorúmque, qui sub dio, pro regionis consuetudine, commanebant equis, respexit ad illos; & speciem stantis considerans hominis inter eos, furem suspicatus exsurgit; & quis esset vocibus turbatus inquirit. Cui mox ille, habitudine quàm consuesset illatâ, quasi reuerens ac pudibundus ait: *Nonne me nosti?* At ille, veluti vetus sibi innouaretur oppro- D brium, multò seueriùs infert: *Noui*, inquit. Quibus vtrobique prolatis, nec ille post interrogationem aliquid percunctationis attexuit: nec iste quippiam responsis adiecit. Quæ apparitio, quantũ ad hominem quamuis ociosa fuerit: DEO tamen dispensante, quiddam nobis non ociosè innuit. Diabolum videlicet non obliuiosè præterisse hominem; sed ex ipsa sui ostensione & effectu, enunciasse quid voluerit, & silentio prodidisse, quia nequiuerit. Quid plura? Rediit, E sed nec inter redeundum diabolus se illi conspicabilem vsquam importunúmve præbuit. At eo domi constituto, nefarij confestim consilij miserabili illi personæ resuscitatur assessor, vt vix pauca tempora ab huiusmodi commonitorio feriata forent: *Possunt homines ab his quos verentur interstitiis aliquibus, disparari: eósque ab inquietudinibus, conclauia sua parietésque distinguunt: spiritualem verò nequitiam, nec præsentiæ populorum nec munimenta claustrorum à suis excursibus arcent.*

Viro igitur illi adeò indiuiduum perpetienti atque letaliter fastidienti latronem, die quâdam obuium habere contigit quendam CHRISTI sacerdotem, scientiâ, benignitate, ac pia hilaritate præcipuum, nomine *Cononem*. Cui cùm secundùm temporis, quæ tunc erat angustiam, suo enim quisque sollicitabatur itinere, eam quam patiebatur exprompsisset miseriam, datâ pro loco consolatione vir bonus ille quam potuit, & acceptâ sponsione de reditu, dimisit. At tamen cruentissima fera non siluit; sed creberrimæ interim lenocinio suasionis irritare non desiit. Nec mora, homo, molestiarum & penè quotidianæ interpellationis impatiens, ad medicum rediit, confessione ad purum factâ, pœnitentiam omni affectu suscipit; & susceptâ, executorem proprium deinceps nunquam vidit. Ecce pia ista peregrinatio pensemus quantùm valuerit puris, quæ tantùm attulerit tutelæ ac securitatis impuris.

XXX. *Quæ fortiter in Oriente gesta sunt, soli Deo tribuenda.*

Constat quoque consideratione dignissimum, non sine re ab huius gratia profectionis Reges abiectos: ne personæ videlicet spectabilis sublimitas, effectus sibi videretur arrogare supernos. Igitur cœlesti Domino referenda laus est, ac hominis tacenda penitus. Non tot militias, Ducum coëgit quilibet, aut meruit triumphos. Pœnos *Regulus* obtudit rebelles, laus in eum studij refertur. *Alexander* agens Eoa regna stragibus immodicis fatigans; Magni præualuit parare nomen. Hîc, Comes *Stephanus*, cui indita fuerat sacri exercitus summa curandi, quasi quæ soli competebant DEO temerarius vsurpasset, ac si ignauiæ condemnatus abiicitur: & Hugo Magnus, veluti homo Regij nominis, sequestratur. Pulsis ergò magni nominis vmbris, & cui innitebatur potentiâ extrusâ, vni iam incumbens DEI subsidio, pusillus grex ille remansit: Et vt ad rem ventum est, secundùm Scripturæ dictum, non ex genere, sed eligente DEO, *Insuspicabilis portauit diadema*. Honorem itaque sui nominis DEVS, qui facit mirabilia, nolens deferre alteri, ipse solus dux eius fuit, ipse rexit, ipse correxit, ipse ad efficientiam cœpta direxit, ipse hucusque regna porrexit. Agnos igitur, ex lupis quos fecerat, in suo non eorum brachio congregauit; sinus sui tuitione leuauit; piæ spei gaudio fœtos, ad quæ desiderauerant videnda portauit.

CAPVT IX.

XXXI. *Fulcheriũ Carnot. sugillat & corrigit.*

PRæsentis historiæ corpori, Auctore mundi propitio, posituri calces, *Fulcherium* quendam, Carnotensem Presby-

terum, qui Balduini apud Edessam Ducis dudum Capellanus extiterat, quædam quæ nos latuerant alia; diuersè etiam à nobis aliqua, sed pauca, hæcque fallaciter & scabro vt cæteri, sermone, fudisse comperimus. Cuius, & si non omnia, nonnulla tamen detegenda, & huic scedulæ compaginanda censuimus. Cùm enim vir isdem ampullas & sesquipedalia verba proiiciat, & luridos inanium schematum colores exporrigat, nuda mihi rerum gestarum exinde libuit membra corripere: mesque qualiscumque eloquij sacco, potius quàm prætexta contexere. Dicitur in sui, nisi fallor, opusculi referre principio: quosdam qui Ierosolymitanum adorsi videbantur iter, illud quod Apulos Epirotásque dirimit, locatis pupibus, æquor ingressos; &, vtrum inexplorato sese commiserint mari, seu carinas nimiâ sui numerositate depresserint, nescio, constat tamen sexcentos penè illic nauim fregisse viros. Qui intercipientibus omnes sali turbidi procellis enecti; nec morâ, impatientis æstu pelagi ad continentem eiecti, eo ipso, quo in birris, palliis, ac tunicis vti consueuerant vniuersi, in superficie scapularum sunt insignes Crucis signo reperti. Quòd sacrum stigma diuinitus cuti eorum potuisse imprimi, ob ipsorum fidei euidentiam faciendam, nemo licet fidelis ambigat: tamen ei qui hoc scripsit, si aduiuit, sollicitè pensandum est, an res ita se habeat. Viæ enim huius, cùm Christianarum vbique gentium percrebuisset initium, & id non sine diuina fieri voluntate per Romanum clamaretur Imperium, quilibet extremæ vulgaritatis homines, & etiam muliebris indignitas, hoc sibi tot modis, tot partibus vsurpauêre miraculum. Ille paulisper intextas, ex suffusione sanguinis rigas, Crucis astruens, ostentabat in oculo: iste pupillarem, quâ fœdè cæcutiebat, maculam, eundi sibi commonitorium perhibens, pro cœlesti exhibebat oraculo. Alius, aut nouorum pomorum succis, seu quolibet genere fuci, cuilibet particulæ corporis moliebatur speciem crucis: vt sicut oculorum subsellia pingi solent stibio, ita diuini in se spectaculi, vel vireret vel ruberet, fraude facta & commentis ostensio.

Primò Asserent crucem plures diuinitùs in signitos fefellit.

Meminerit lector Abbatis illius, quem supra retuli, ferro sibi scalpsisse frontem: & quem postmodum dixerim factum Cæsareæ Palestinæ Pontificem. Testor Deum, me, *Bellouaci* per id temporis constitutum, vidisse ad se versum obliquatas aliquantulum die media nubes, vt vix quippiam maius quàm aut gruis, aut speciē viderentur prætulisse ciconiæ: cùm ecce, Crucem cœlitus sibi missam vrbanæ passim voces conclamauêre frequentiæ. Ridiculum est quod dicam; sed non ridiculis authoribus rem probatam. Muliercula quædam in hoc ipsum promoueri cœperat iter: quam nouis nescio quibus rudimentis imbutus, præter inertis iura naturæ, versabundus prosequebatur anser: Et ecce, fama volans pegaseis motibus acta, & castra repleuit & vrbes, à Deo ad Ierusalem redimendam etiam anseres destinatos: Nec tantùm deferebatur mulieri miseræ, vt ipsa anserem ductitaret, sed ea duci ferebatur ab ansere. Quod ita *Cameraci* probatum est, vt stante hinc & inde Populo, per mediam Ecclesiam mulier ad altare procederet: & anser è vestigio mulieris à tergo, nullo sollicitante, succederet. Qui quidem intra Lotharingiam mox, vt comperimus, obita sibi morte decessit: qui sanè rectius Ierusalem isset, si pridie quàm proficisceretur, sua seipsum Dominæ festa conuiuia præbuisset. Quod totum ob hoc à nobis historiæ veraci attexitur, vt se nouerint quique commonitos, *Quatenus nequaquam, fide vulgi fabulis attributa, Christiana grauitas leuigetur.*

Lib. 4. cap. 7.

Tecnæ detectæ.

XXX. Denique rursus idem perhibet auctor, *Pyrro* Antiochiæ proditori Deum apparuisse; & vt Francis proderet vrbem in visione iussisse. Facile hoc ei fuit, qui Caïn, & Agar se audibilem; & conspicabilem asinæ Angelum præbuit. Verùm omnes qui sanctâ Ciuitate receptâ rediêre, & qui super gestis ad nos rebus Epistolas direxêre, præcipuè *Ansellus de Ribodimonte*, nil tale dixêre: immò nec Pyrri, vir idem mentionem habuit; sed à tribus eam Ciuibus traditam minimè tacuit. In qua etiam refertur, quod antequam tres illi proceres de vrbis deditione seriò tractauissent, fucatam nostris obtulerunt pacem, spondentes sese reddituros proximè Ciuitatem. Quæ mutuò data securitas, in tantum valuit, vt intra vrbis mœnia aliquotiens de Francis exciperent; suíque cum nostris conuenticula crebra miscerent. Dum ergò exercitus minus inter ista sibi, nimietate securitatis, inuigilat, prætensis Turci insidiis quosdam ex Francis interimunt; nec ipsi tamen indemnes existunt. Ibi quendam nostri egregiæ indolis iuuenem, qui apud Regem Francorum Comes stabuli fuerat, nomine *Vvalonem*, amittunt.

Secundò, Pyrro, vt Antiochiā traderet, Christum apparuisse, falsitatis arguitur.

XXXI. *Lanceæ Dominicæ* inuentionem cassare dicitur; & quia falsitati obnoxius erat, hominem damnatum præsumpti ignis adustione testatur. Cui non modò super hac re modernorum testimonia refragantur: sed etiam vetustissimi quique fide plenissimâ stipulantur: quod, cùm olim loca Sancta expeterent, antequam Turci Orientis ac Syriæ regna peruaderent, eandem in eadem vrbe Lanceam adorare deoscularíque solerent. Numquidnam *Fulcherij* Presbyteri, qui,

Tertiò Lanceam Dominicam respuens.

nostris apud Antiochiam fame periclitantibus, feriatus epulabatur Edessæ, tot prudentium, qui interfuêre dum reperiretur, ingeniis præualebit argutia? cùm etiam *Balduinus*, qui post regem Balduinum Edessæ præfatæ præfuit, in sua ad Archiepiscopum Manassem profiteatur Epistola, cùm eam beato reuelante Andrea repertam; tum à nostris audaciam, contra Turcos ingruentes præliandi, fiduciâ ipsius, admissam. Sicne spectabilis *Podiensis* ille Episcopus desipuisse putabitur, vt incerti nominis Lanceam, sub tantâ reuerentiâ ferret, dum aduersus Curbaran congressurus egreditur? Ibi certè constat quiddam memorabile factum: quod scilicet dum *Curbaran* idem herbæ ignem iussisset subiici; præsúlque idem, Francorum ad bella properantium conspiceret ora ac oculos profluentes fumi densitate suffundi, hinc sacram præferens Lanceam, inde piâ dexterâ contra emergentes nebulas Crucis pingens effigiem, vbi IESV Omnipotentis flebiliter euocauit auxilium, dicto celerius in eos, qui emiserant, eius pietas tetri vaporis retorsit globum. Porrò, si de inuentoris interitu agitur, qui aliquot post ignis experientiam traditur vixisse diebus: fateor, dicam quomodo iste obierit, de quo incertum est an læsus fuerit, si dicat mihi cur is, qui apud beatum *Gregorium* linguas omnes acceperat, propria dentibus membra disciderit.

XXXIII. Quartò in Obsidione Antiochena rutilum iubar crucis in modum apparuisse.

Præterea dum in obsidione Antiochena morantur, adstruit, nisi fallor noctu rutilum, in modum ignis, super exercitum emicuisse iubar; & speciem, haud ambiguâ formâ, pariter exhibuisse Crucis. Quod quique illic sapientum incendium ad bella retulêre futura: vbi tamen esset, quod Crux videretur innuere, certa salus, & successura victoria. Hoc non refellimus: id planè vberrimis testimoniis approbatur. Hoc, inquam, rimarum plenus poterit tacuisse Parmeno. Nec dissimile quid, inter ipsa viæ huius initia constitit accidisse: quod quidem superiùs cùm de motibus eclypticis, & siderum, qui visus est, lapsibus loquerer, me contigit præterisse. Quadam enim æstiui diei vespertinâ irruente horâ, tanta ab Aquilonis plaga conflagratio apparuit, vt plurimi è domibus propriis sese proriperent, quærentes quinam hostes prouincias suas adeò graui ambustione vastarent. Quæ omnia futurorum extitisse portenta bellorum, indubiè retinemus. At iam his omissis, quæ carptim delibanda censuimus, relationis seriem prosequamur.

CAPVT X.

XXXIV. Iterum de Ierosolym. ciuitatis obsidione.

Ierosolymorum igitur Ciuitas obsessa, exprimi non potest quantâ sit ciuium suorum animositate defensa. Videres contra balearia instrumenta, quibus compererant saxa torqueri, trabibus obtegere muros: atque psiatiis, Græcos, ignes iniicere machinis, præsertim qui materiei inopiam difficultatem maximam nouerant obsidionis: sed quia Francia præminebat ingeniis, furores ignium respersio curat aceti: & præacutâ falce reciditur, si quid videretur pependisse pro muris. Vncos ferreos longis hastilibus addunt, quibus nostræ partis è machinis propugnantes loricatos corripiunt: quæ nostri mucronibus exertis, pro hastilibus fustes reddunt. Sed in eo vel maximè Sarracenorum vehemens probabatur instantia: quia si quem suorum contigisset ictu à nostris obrui, percussi clipeum dicto citiùs constabat ab alio rapi: & in eodem, vnde ille ruerat, loco * constitui, vt nostris daretur, ad sui exanimationem intelligi neminem eorum iactibus lædi.

al. * restitui.

XXXV. Ipsa in obsessione Boëmundus non aderat.

Fæliciter igitur vrbe captâ, *Boëmundus* qui Antiochiæ, fame, cruoribus, ac frigore Francorum, obtinuerat principari, apud eam, cæteris proficiscentibus, maluit remorari, quàm pro IESV Domini Sepulchri liberatione vexari: Et dum contendit ineptè pro vnius ædis turriculæque custodia, præteriti sui vniuersi laboris fructum visus est amisisse & gaudia. Quid enim sibi profuit currere, vbi consequi noluit comprehendere? Attamen, quia hactenus exercitui Dominico plurimum emolumenti armis contulit atque consilio, non est absurdum paucis intexere, qualiter illum contigerit illò ire. Ad *Balduinum* itaque Edesenum legatione directa, sollicitat, vt secum pariter ad inuisendum Saluatoris Sepulchrum veniat. Ipse etenim, non auaritiæ obtentu, sed propriæ ciuitatis tuitione retentus, vrbi similiter nequaquam obsidendæ concurrerat. Christianorum planè ipsa erat Ciuitas, & circumpositæ Gentilitatis vires crebrò patiebatur infestas. Cumque vir isdem se spopondisset iturum, conflatis vtique equitum peditumque copiis ingentibus: præsertim cùm eis incumberet non modò quorumque, sed contiguæ omnino vniuersitatis metus: Ierosolymitanum sunt iter adorsi. Cumque singulorum in simul contubernia conuenissent, & viginti hominum millia fermè complessent, inter eundum eos crudelis victualium coangustare cœpit egestas: vt nec escarum condimenta pani, neque suppeteret

Petit Ierosolymam.

panis ad escas. Prouinciarum nempe, diuturnâ diuersarum obsidionum morâ, & prolixis longè latéque expeditionibus, opus exhaustæ, non sufficiebant vllatenus tantæ animalium virorúmque frequentiæ supeditare stipendia.

Arctata igitur miserabilibus inediis multitudo, asininarum carnium, equinarúmque, quæ aliàs didicerat, edulia repetiuit; nec ab eorum vsu, habitâ etiam in talibus parcitate, calamitas ista desiuit, donec *Tiberiadem* ciuitatem, quinque hominum milium, sub Domino, pastione celebrem, desideriis affecta subiuit. Ibi aliquantulum ea quàm patiebatur * tabe cibo vberiori sopita, tandem Ierosolymam peruenitur, sed ea adeò fœtida, recens cæsorum cadauerum numerositate, reperitur, vt nusquam aura nisi corruptissima narium orísve spiraculo hauriretur. Qui à Rege *Godefrido* gratulanter excepti, Dominico quod imminebat interfuêre *Natali*. Quod, vt rationis censura responderat, *Bethleem* actum, non modò ex sua mutua qui conuenerant visione, sed magis ex sua victoria suo insperabiliter sæculo præstita, Francis supra quàm credi potest res tripudiosa fuit. Inde digressis, cùm sua quisque repetisset, à Turçorum manu immodica, cùm vrbem quandam adiret *Boëmundus* inuaditur: in remotissimas Persidis regiones captiuus abducitur. Quod vbi *Tancredi* illustris attigit notionem, quamprimùm occupare Antiochiam properat; Laodiciæ pergama munit: vtraeque enim Boëmundo munia pensitabant. *Laodiciam* pridem *Robertus* Normanniæ Comes habuerat, sed cùm prodigi hominis exactiones vrbici tolerare non possent, pulsis summæ custodibus arcis, eius abegêre dominium; odióque ipsius Rothomagensis abiurauêre monetæ vsum. At *Boëmundus* cùm annis aliquot in carcere resedisset, tandem, cùm pacto, tum pecuniaria redemptione resoluitur. Nec multo pòst tempore exacto, Antiochia *Tancredo* commissa, nauigio in Appulia transuectus venit in Franciam: & *Constantia* Regis Philippi filia multo auro à patre impetrata, fecit Carnotum eius nuptias in magna gloria. Deinde in Appuliam regressus, magnam Regni Constantinopolitani Imperatoris partem sibi subegit; & susceptis ex filia Regis duobus filiis, veneno vitam finiuit.

al. * rabie.

A Turcis captiuus abducitur.

Libertate concessa redit in Galliam, ducit Constantiam Regis filiam, ac veneno extinctus est.

XXXVI. Godefridi Regis gesta summatim perstringuntur.

At *Godefridus*, cuius in equestri gloria quantitatis extiterit, pro clausula laudis, quia superius plura relata sunt, ex præfati *Balduini* verbis accipi poterit. Est autem idem Comitis *Hugonis ex Reiteste* filius: qui dum Edesseno Ducatui à postmodum Rege Balduino præficitur, iam dudum Turcorum manus proh dolor! incidit; & multo tempore clausus, DEO se protegente, viuens ab eorum manibus euasit. Extat verò eius huiusmodi de eo, verbis vtique meis vestita sententia: *Festum sancti Dionysij agebatur; Rexque idem à quadam sua, vocabulo* Morocoria, *ciuitate regrediebatur: & ecce centum viginti Turci eidem insidiabantur, cùm viginti eum tantummodo equites comitarentur. Quos vbi*, inquit, *attendimus, remota formidine, arma corripimus: ipsi verò, quia repentè ingruerant, fugituros nos pro nostra paucitate putabant. At nos, sumpto de expertis DEI adminiculis iugibus ausu supérque ipsum spiritu innitentes, Barbaros aggredimur: tanta in eos cæde bacchamur, vt ex illis octoginta cæsis, nonaginta pariter equos caperemus.* Et post aliqua, vir isdem, cum irrisoriè meminisset eorum qui ab Antiochia fugerant, & qui Constantinopolim legatione functi reditum distulerant, ad animandos qui in Francia resederant Francos; de sua fortuna sic sequitur: *Multum*, ait, *nos opulenter nos habemus, & vt aliorum supersedeam gazis, decem quibus solus principor castra, & abbatia vna, marchas mihi pendunt annuatim mille quingentas. Et si DEVS arrideat vrbem mihi cœpisse Calepiam, centum mox mea habiturus sum sub iure castella. Retrogradis*, inquit, *nolite credere, qui nos inedia fatiscere celebrant: scriptis potius meis credite.*

CAPVT XI.

Rex igitur *Godefridus*, vbi post vitam nobilem beatior futurus excessit, *Ierosolymitani* nequaquam temperantiæ eius ac serenitatis obliti, & degenerare verentes, ipsius germanum, ducem Edessenum, missis interpretibus, ad Regis iura compellant. Qui quidem in ducatu, splendore se habuit, vt clypeum aureum quouis iter agens, præ se ferri faceret, qui Aquilam expressam in se haberet. Erat autem scematis Argolici. Morem enim Gentilibus gerens, hucusque togatus incesserat, barbam remiserat, sese adorantibus flectebatur, solo tapetibus stratis vescebatur; at si quod municipium, vel vrbem suæ ditionis intraret, ante eius gradientis vehiculum, duorum ore equitum, gemina tuba perstreperet. Legationi ergo obtemperans, Ierosolymam proficisci aggreditur. Sed vbi contigua Gentilitas, profecturi aucupata propositum, contemplatur euntem, conscensis, aura sibi incassum obsecundante, liburnis, cùm Dux per eiusdem æquoris, satis mediocri comitatu, properaret arenas, feruentibus remis, rostrísque cauantibus vndas, obuiam se præbere concertans, litori classem appellere matura-

XXXVIII. Balduinus Rex.

bat. At Dux, omnium quæ fieri dextris qui- A rent mortalibus expers, mœroribus intimis pulsat Altissimum; & proponit ei, quòd subiturus obedienter erat, pro fide eius tuenda, Regni negotium. Et ecce, quæ mobilitate ferebantur aligerâ, naues, limaceâ morositate resistunt: & quò ampliorem tonsis salum verrentibus quisque nititur ad processum, tantò spei suæ mutatione ridiculâ, studiosiùs proræ rotabantur ad puppes. Ita improborum fuso molimine, Dux meritâ libertate potitus, de recipienda purpura euidens B cælitus sumpsit auspicium. Illud me prætererat quòd Pisanus antistes *Daibertus*, cum aliqua suæ plebis frequentia, Episcopo quodam *Apulo* Comite Ierosolymam iam cùm Boëmundo, & hoc ipso Duce præcesserat.

XXXVIII. Regno capessito Arabes coërcet.

Primos suos post Regna recepta procinctus, & intra sinus exercuisse perhibetur Arabicos. Vbi dum ad *Sinai* montis vsque deuexa procederet, reperit incultum, & Æthiopicis simile hominum genus: quibus, pro agresti vsu ac deformitate insolita, vitæ indulsit munus. Ibi in Ecclesia, quæ Sancti C dicebatur *Aaron* orauit, vbi sua DEVS cum patribus oracula celebrauit, & exercitus de contradictionis fonte potauit: vbi quia Moyses in labiis distinxerat, nec DEVM coram filiis Israël sanctificauerat, à terra eum DEVS Promissionis absentat. Et istic Presbyteri illius mei titubauit opinio: non enim *Synai*, sed mons *Or* dinoscitur esse, *Petræ* quondam Arabum conterminus vrbi, vbi & Aaron hominem exuit, & aqua de intimo percussæ rupis emergit. D

XXXIX. Iuge miraculum Ierosolymis de lumine diuinitus accenso.

In illa Sancta Ierosolymorum ciuitate vetus quoddam miraculum inoleuerat; quod vetus idcircò dixerim, quia ex quo idem fieri cœperit, orbis ferè Latinus ignorat. At nos coniiciendo perpendimus, quia postquam calcari ante hæc nostra tempora cœpit à gentibus, id pro suorum qui ibi degebant, per idve temporis conueniebant, annuerit Dominus: quòd videlicet in ipso *Paschali Sabbato*, Sepulchri lampas Dominici videatur quotannis accensa diuinitus. Erat autem id moris in vrbe, vt circumitis Pa- E gani vniuersorum ædibus, singularum focos vsque ad fauillas extinguerent: & tanta id fiebat ab Ethnicis indagine, quantum idipsum putabatur fieri fidelium fraude, non fide. Cùm ergo hoc modo Vulcanus eliminaretur ab oppido: eâ horâ, quâ nostræ religionis obsequium, plebem Catholicam solemni resurrectionis atque baptismatum interesse mandat officio, vidisses per vniuersam Gentiles exertis mucronibus oberrare basilicam, mortémque nostrorum quibusque minari: cerneres fidei nostræ se regione cultores indigenas, graui penes DEVM mœrore torqueri: eos verò nil minus, quos de abditis mundi finibus orationis vota illò contraxerant vel causâ miraculi, luminis omnes munus vnimodâ intentione precari. Nec tunc erat importuna dilatio, quin desideriis æstuata petitio, alacri leniretur effectu. Audiui à personis quæ illuc iêre, senilibus, quod papyrus vel lichinus, (nam vtro vtantur vtriusque non noui) Gentilis semel cuiusdam sit thecnâ sublatus, ferrúmque remansit inane; sed, cœlitus labente miraculo, ex ferro lumen emersit. Dúmque fraude virtutes cupit eneruare supernas, didicit, *contra suam ipsarum naturam, Deo suo militare Naturas.*

XL.

Anno ergò, ex quo Rex præfatus susceperat sceptra, sequenti, eius fuisse traditur difficultas tanta miraculi, vt vix imminente nocte orantium flentiúmque potuissent vota compleri. Sermo præfati Præsulis factus ad populum, de confessione sollicitat peccatorum: Rex & Præsul resarciendis pacibus instant; si qua fidei honestatíque non congruunt, corrigi promittuntur. Interea vrgente negocio, tam enormium criminum ibi eo die est facta confessio, vt nisi pœnitudo succederet, dignè fieri videretur luminis Sancti, ablatâ dilatione, sublatio: cuius tamen etiam tunc, post correptionem, non remoratur accensio. At altero posthac anno vbi ad eam ventum est horam, quâ sepulchrum gloriosum flamma cœlestis efficeret, vniuersorum penitus vota suspiciunt. Græcis igitur ac Syris, Armeniis pariter ac Latinis, quibusque per suarum linguarum idiomatas, DEVM ac eius conuocantibus Sanctos; Rege, proceribus, & populo, pœnitentiâ cordiúmque rugitibus prosequentibus cleros, misero omnes exulcerabantur affectu, quod eâ vrbe iam à Christianis obtentâ, inibi contingebant, quæ numquam euenisse sub Paganis audierant.

Ob peccata Christianorum amplius haud apparet.

Interim *Fulcherius* Carnotensis, assumpto sibi Patriarchæ Daiberti capellano, in montem proficiscitur Oliueti: ibi enim suboriri DEI lucerna solebat, si quando Ierosolymis non aderat. Sed reuersis, & nil gratum ad præstolantis Ecclesiæ referentibus aures, orationes à diuersis geminantur ad populum, non tamen quæ ægros foueant, sed incentiuæ lugentium. Ea dies, re infecta; vniuersos in sua tecta remisit: nox gemina irruit, acrísque mœstitia generaliter omnium pectora torsit. In crastino deliberant, vt ad Templum vsque Domini, debito cum mœrore procedant. Ierant, gaudij prorsus Paschalis immemores, dum nullus habitu differt à die Parasceues: cùm ecce ab æditui Ecclesiæ post euntium terga concinitur, quia sacri monumenti lampas accenditur. Quid

immorer? Tanta eo die gratia, aucto suæ vbertatis ex dilatione successu, emicuit, vt illa Dei claritas non quidem simul, sed vicissim, intra sepulchri Ecclesiam, lampades fermè quinquaginta tetigerit. Hæc non modò inter sacra contigêre mysteria; verùm cùm peractis officiis Rex pranderet in aula, cogitur frequentibus nunciis ad noua videnda lumina reiectâ consurgere mensâ. Dici non potest quibus conualuerit mœror ille solatiis, cùm eo die, quod numquam præsumpserat, intra eandem vrbem, in Templo Domini, coronari Rex ipse consenserit, ob huius fauorem muneris.

XLI. Igitur *Franci*, qui sacram suis redemerant cruoribus vrbem, cùm ad dulce solum visuri parentes, filios ac vxores redire gestirent, quà venerant per mediterranea scilicet, fisi forsitan numero ac audacia, repedare deliberant. Cúmque per *Niceæ* quàm pridem cœperant fines prætergredi liberè cogitant, Turci, quos vrbe redditâ inibi prædiximus, obiiciendos aliquando Francis, ab Imperatore repositos, obuios eis acri manu se exhibent; & vt Presbyter ille meus, nisi falsò, fatetur, immani centum milia digladiatione trucidant. Sed in tanti expressione numeri vereor virum falli: quia eum aliàs etiam æquo promptiorem in supputationibus constat haberi: verbi gratia, eos qui Ierosolymam profecti sunt, sexagies centena milia audet ipse taxare. Cui sufficientiæ miror si omnium Cisalpinarum partium, immò totius Occidentis regna valerent: cùm sciamus indubiè quod in primo pro mœnibus Niceæ congressu, vix equestres integrè apparatus habentium, centum milia fuisse tradantur. Et si de illis planè agat, eósque sub hac sorte percenseat, qui motum quidem eundi fecerint, sed per diuersas quaqua versum prouincias, terra & mari, morbo, faméque, defecerint, nec sic profectò tantæ hominum infinitati supplendæ suffecerint. Francis ergò, vt dictum est, ferali cæde prostratis, plerique superstitum, rebus Ierusalem reuertuntur amissis. Quibus liberalissimus Rex, & valde condoluit, & beneficia plurima contulit, & reditum ad patriam pelagi euectione suasit.

Franci patriam repetentes à Turcis trucidantur.

CAPVT XII.

XLII. AT *Babylonicus Princeps*, non tam de Ierosolymorum amissione, quàm de Francorum qui inibi desederant contiguitate confectus, crebris aggreditur expeditionibus Regem pulsare nouum: & per Accharon ciuitatis portum frequentiorem moliebatur incursum. *Accharon* autem, *Robertus* Northmannorum Comes obsederat, dum Ierosolymæ obsidendæ Domini exercitus properat: sed Dux eum *Godefridus*, fructuosioris negotij contemplatione, diduxerat: Babylonicus itaque missis ingentibus copiis, regem Christianum bello lacessit. Qui suo humili grege, cui à Domino dicitur, *noli timere*, conflato, & aciebus, vt poterat, distributis, profanos impetiit; & nec morâ, veluti pecuaria bruta cædendo, non aliter quàm rapidissimus puluerem turbo dispersit. Secundò nouem militum milia miserat, quibus Æthiopicorum peditum ad milia ferè viginti, manus gregaria, suberat: quorum occursui Rex pius equitum, peditum, vix mille coëgerat; & tamen septem agminibus exinde dispositis, in eorum confertissimas phalanges magnanimâ securitate se fudit: vbi Princeps idem, quendam eminus equitem Gentilium conspicatus, tanto adnisu virtutis irrupit, vt pectori ipsius telo transposito, vexillum quod telo inerat pariter inferret: exemptáque hastâ à vulnere, vexillum teneretur in pectore. Quâ sui suorúmque animositate hostes conterriti primò cesserunt: sed pro numero ac viribus, redeunte ipsis audaciâ, nostris vnanimiter ingruunt, & de fuga cogitare compellunt.

Turci debellantur ab Ierosolymorum Rege.

Luc. 12. 32.

Hoc sibi infortunij accidisse ad id, non sine prudentia, retulêre, quod nequaquam huic tanto negotio præstò Crucem Dominicam habuêre. Crucem autem ipsam, vt ferunt, cùm abditis quibusdam lateret, vti pridem Lancea, locis, Syro quodam, nescio an Armenio, indice repererunt. Tali ergò castigatiores effecti, non tàm damno, quàm cœptæ victoriæ næuo: cùm Babylonici Principis prioribus non impares copiæ sese tertio obtulissent, Rex optimus, quâ valuit frequentia, sed ex Deo securior, occurrit: & pro facultate locatis ordinibus tanta animorum vehementia hinc indéque concurritur: tanto, licet valde impari, carnificio pars vtraque conciditur, vt ex Gentili agmine sex milia, ex Francis centum milites sternerentur. Et quia non Aquilarum, non Draconum insigniri superbiis curauerunt: sed humilis Crucifixi opprobrium, sibi crucem videlicet prætulerunt, victores illicò laudatissimè existentes, terga eos dedere compulerunt.

XLIII. His ita probè, vt decebat, explosis, è vestigio quo numerosiorem potuit conflat exercitum: & Cæsaream Palæstinorum eximiam, non contuitu milium, sed spe potius virium obsidione præcingit. Acceleratur itaque fabrica machinarum: multiplex circum muros ballista porrigitur: quod *Arietem* vocitant, à fronte ferrata trabes inducitur. Comparata mœnibus castra phalarum, sed

Franci Cæsaream obsident ac expugnant.

non vnà procedunt: & murorum propugnaculis adsistentes non solùm variorum imbre missilium Sarracenos illapidant, sed etiam collatis mucronibus aliquando trucidant. Feruere ibi cerneres maximis tormenta lapidibus: & non modò parietem muri vexare forasticum, verùm procera acrium molibus ictuum ciuitatis irritare palatia. Pulsare quàm sæpius ædes ac mœnia saxis omiserant, & cum liquore plumbeo ferri candentis offulas, vt conflagretur, oppidum, amenta recussa dispergunt. Interea aries muris illiditur: & dum inferius foramen affectat, vniuersa circumpositi munimenti soliditas fatiscendo laxatur. Dum ergo Franci nituntur ad intima, & studium læsionis Sarracenos impellit ad extera, cædes agebant mutuas. Vbi etiam machinæ iactura cadentis, plurima de nece nostrorum, animos diuersæ partis exsuscitat. Sarraceni namque, cum sint in expositis aciebus inertes, intra præsidia mirâ sunt sagacitate rebelles.

Igitur die obsidionis vicesimâ, cùm Rex fretus iuuentute lectissimâ oppidanos grauiuiter vrgeret, è machina muro repentè insilit: post ipsum miles irruit, hostem fugacem disiicit. Francis itaque Regem tota alacritate sequentibus, per vrbem infinita turba perimitur, nemini parcitur: nisi quòd puellaris ad obsequium iuuenta seruatur. Passim gaza disquiritur, & non modò archa, verùm Sarraceni tacentis gula discutitur: fauces enim quæ glutierant Bizantea, pugno subcutiente, reiiciunt; & quæ officia eis locis indebita vsurparant, auri frusta fœminarum puerperia fundunt. Nec morâ, captæ ciuitati Francorum colonia, illic habitatura, dimittitur. Non multò post *Accharon* aggreditur; & diuturnis moliminibus fatigatam, proprio sub iure cohercet. Plures etiam postmodum alias cœpisse dinoscitur vrbes; sed ita meditullio rabidæ illius Gentilitatis intersitas, vt vix aliquid tutum nostrorum inibi liceat cogitare * coloniis. Sarracenos tamen, bella continua, crebris adeò victoriis contemptibiles Christianis militibus reddidêre, vt annó præterito mirum quiddam cognouerimus euenisse.

al. * colonias.

CAPVT XIII.

XLIV. Miles quidam proteruiùs quàm debuerat contra Regem sese habuerat, quem *Rex* ipse *Tiberiadi* ciuitati præfecerat. Rex ergò citatus ob insolentiam hominis irâ, iussit eum à suæ ditionis terra recedere. Qui cum duobus equitibus, dum abire properaret, armigeris totidem comitatus, maximas subitò copias Gentilitatis offendit. Qui suo diffidens numero, ad Devm verò vtcumque respectans concisâ *camisia*, quam subuculam dicunt, hastæ pro vexillo apposuit: itidemque socios facere iussit: fecerunt, & clamore sublato, sonipedes calcaribus vrgent, obuiosque feruntur in hostes. Qui territi repentinis ausibus, dum æstimant quod quasi præuios sequerentur multæ cohortes, fugam ineunt, séque tribus illis cædendos exponunt. Plurimi perimuntur; plusquam ferre sufficiant spolia rapiuntur. Quo euentu ille secundo, compungitur, Deoque gratulabundus rediens, Regi prosternitur; ei obediturum deinceps fideliter pollicetur.

Pecuniæ ad soluenda militibus stipendia reperiuntur.

Aliquando idem Rex pecuniæ grandi angustabatur inopiâ; vt etiam deessent menstrua quæ militibus debebantur stipendia: cùm ecce, se ei munifica mirabiliter præbuit diuina clementia. In tantum namque iam vexabantur, vt eum satellites ac milites deserere meditarentur. Cùm ecce, Ioppitæ iuuenes cùm lauandi, immò ludendi gratia haud procul à maris littore mergerentur, reperiunt quadam die in ipso arenarum salíque confligio, manticas magnis auri ponderibus plenas, quas amiserant Venetij, quos ibi constiterat fregisse carinas. Quæ Regi delatæ, cunctis miraculum ineffabile; Regi penè desperato, & nouæ Christianitati præbuêre solatium.

Cur vxorem Rex repudiarit.

Sed quoniam calumniæ patere dinoscitur, quia *Vxori* dicitur dedisse repudium, causa sic traditur. Mulier ipsa ex optimis terræ oriunda Gentilibus, post maritum, ipso iubente Ierosolymam tendens ad portum vsque *Sancti Simeonis*, marinâ euectione, deuenerat. Quæ in celeriorem ibi translata carinam, dum cursum suum expedire nititur, in Insulam quandam Barbaricam flaminum importunitate, defertur. Quam idem Insulani corripiunt; quendam eius comitiæ Episcopum, cum officialibus cædunt; diu ipsam detentam, postmodum abire permittunt. Quæ cùm ad virum venisset, incontinentiam Ethnicam Rex ipse habens non sine ratione suspectam, à thoro proprio prorsus abstentam, mutato habitu, posuit eam cum monachabus aliis apud beatam Matrem Dei Virginis Matris Annam. Ipse verò gaudet viuere celebs: quia non est ei colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra mundi rectores.

Miles sagittis confossus & capitis abscisione martyrij palmam promeruit.

Circa Paschalem anni præteriti festiuitatem, *Miles* ille prælibatus, quem præfectum Tiberiadi diximus, cui victoria illa prouenerat, in quodam bello nostrorum parti minus accommodè facto, capitur; & in quandam ipsorum Gentilium vrbem, ab ipsis viuus abducitur. Qui, cùm sacrilega inibi,

inibi, nescio quæ festa peragerent, exhibitum præfatum equitem, de propriæ gratia fidei diffidenda abiurandáque compellant. At is, dignâ sibi admodum animi offirmatione, tantæ nefas abusionis abiiciens, penitus vel audire perhorruit. Nec morâ, vir ille, cum omni iam nominandus fauore, corripitur; alligatus stipiti, vt ferunt, campo medio sistitur, ac numeroso sagittarum vndique grandine terebratur: inde exempto vertex à capite ferrâ diuiditur: idémque, in modum poculi, Regi Damasceno, à quo hæc gerebantur, ad terrorem nostrorum quasi exinde bibituro conficitur. Qui, sub infractæ voto confessionis occumbens, ex prædicato milite, prædicandum in sæcula Martyrem fecit. Isdem *Geruasius* vocabatur, apud castrum Basilicas pagi Suessionici nobiliter oriundus.

CAPVT XIV.

XLVIII. Quæ retulit Guibert. à viris sinceritate fidéque præditis accepit.

HÆc hactenus, Deo fauente, digesta, à viris omnimodâ præditis sinceritate comperimus: qui si vspiam aliorum secuti opiniones, falsi sumus, studio nequaquam fallendi id fecimus. Gratias agimus DEO, Ciuitatis illius Sanctæ, per nostrorum studia, Redemptori. Ipse namque eadem cùm obsideri cœpisset, cuidam in Bethania consistenti *Anachoritæ*, vti pro certo nobis relatum est, reuelauit, Ciuitatem quidem illam instantiùs obsidendam, solo autem die Parasceues inuadendam, horâ verò quâ CHRISTVS cruci illatus est capiendam, vt se esse ostenderet, qui eam denuò à suis ærumnis, membrorum suorum dolore, redimeret. Hæc vir isdem, accitis quibusdam nostræ partis Principibus, indicauit, quæ omnia modus vrbis captæ probauit. Gratias itidem DEO, qui sua facta, suo Spiritu, ore nostro composuit.

Cæterùm, si quippiam ab his minus quæ assolet *Iulius Cæsar* cum *Hircio Pansa*, in Historia Gallici, Hispanici, Pharsalici, Alexandrini, Numidicíque belli, diligenter putabitur explicatum, nimirum perpendi debet eosdem ipsos qui fecerint, & qui scripserint bellis interfuisse. Vnde fit vt ab eorum relatibus nihil excipiatur, quæ generaliter specialiterque sunt acta: quot hinc milia, quot è regione fuerunt; qui prætores, qui legati huic distinendæ manui; qui Duces, qui aliunde Principes præfuerunt; quid equitatus, quid leuis armatura peregerit; quot spiculis scuta traiecta, & vt eorum propriè verbis vtar, *postquam Consules, aut pro consulibus cecinère receptui*, quot dirempto prælio sint desiderati, quot saucij. Nos qui hæc scribimus, sicut alia professio detinet, & rerum visio nullam præbet audaciam, in referendo audita censuimus aliquotiens etiam parsum iri. Ex Iulianorum disciplina Quiritum, Legionarij milites, turmæ, manipuli & cohortes pro suis quique cogebantur signis adsistere: propter opportuna loca, non secus ac Oppida vel Vrbes, Castra vallo turribúsque præcingere; vbi acierum productio immineret, collium præoccupare vicinias, locorum summopere iniquitates excedere: ibi Calonum Lixarúmque numerosa officia, exercitus impedimenta ditissima. At huius ordinis, immò industriæ, quia penè nil extitit apud nostros, non dicam Francicâ temeritate, sed fide experrectâ & viribus acta res est.

Dicant qui volunt, plura me omisisse quàm scripserim; ego malui minor esse quàm nimius. Si qua facta alia quis nouerit, mandet, vbi scribenda libuerit. Gratulemur DEO tantísque victoribus, qui frumentariæ rei inopiâ, fossis didicerunt victitare radicibus. Si quis de *Parthorum*, quos *Turcos* diximus, aut *Caucasi* nomine ambigat, *Solinum* de memorabilibus, *Pompeium Trogum* de origine Parthica, *Iordanem Gothicum* de Betica retegat.

DEVS ergo tandem pio labori limes adsistat: Amen.

EXPLICIT LIBER VIII. GESTORVM DEI PER FRANCOS.

LIBER NONVS

AB ALIO EDITVS AVCTORE.

A. Dni. 1112. Balduinus Rex.

ANno Dominicæ incarnationis *millesimo centesimo duodecimo*, Rex *Balduinus* sæpenumerò hostibus lacessitis, multas Ascalonicensium strages dederat: sed quoniam, quæ largirentur peregrinæ militiæ, donatiua defecerant, ne rerum præclarè gestarum facies mutaretur, nimium verebatur: de suspendenda necessitudine, sagaci intentione pertractat, adhibito propensiori Principum

consilio. Non parua namque Legatio Saracenorum, causâ expostulandæ pacis, eâ tempestate Ierosolymis conuenerat. Vndè iustam ratus, quam à Barbaris rogabatur, belli omissionem, directæ Legationi, vt vtraque pars opportuno conueniat loco, indicit: *Æquum, in regnorum finibus tractare de fœdere pacis*, existimans. Regressi nuntij, Principem suum mandatis instruunt; placent delatæ pactiones; denuntiata præstolatur dies: quâ aduentante, designatus ab vtrisque Principibus aditur locus. Nec modica nostrarum partium cum Christianissimo Rege accessit frequentia: Gentis verò prophanæ cum suo *Admirauiso* immanis emersit populositas. Non valdè procul, è regione, his & illis consistentibus, Barbarus Regi Ierosolymitano per interpretes mandat, vt quas velit pactiones, edicat; se quoque omnimodis exequuturum. Tum verò Rex: *Pro suo*, inquit, *ritu, virum satis censorium audiuimus: & malle occidi, quàm prodere ius datæ securitatis. De comeatibus, mercatorúmque mercibus terra marique tuendis, de lignorum vectatoribus non inquietandis: de nocturnis, frequentibúsque latrociniis vetandis: de diffundenda passim pace, fidem ac securitatem suo ritu vel more, confirmet: & cùm ipsis nos easdem sponsiones sacramento firmauerimus, vindictam cœlestem ei, qui fœdus corruperit, imprecabimur.* Quo dicto, fauor vtrobique tollitur: statímque Principes mutuis sese recepêre colloquiis.

Pacem init cum Imperatore Babylonico.

Vbi iam maioris fiduciæ apud Regem Barbarus aditum inuenit: *Quoniam*, inquit, *armis abiectis bellorum causas interdum eximimus, multa mihi accessit Ierosolymam videndi libido: quia ex eo tempore quo eam, expugnati à Francis, amisimus, meliori statu reformatam audiuimus. Cum quantislibet sociis infra vrbem admitti deposco. Illam tantùm videam: & vidisse, satis mihi factum pensabo.* Nec renuit rex: quippe, quem dolosi fraudulentia hominis latebat. Tota regreditur Aschalonem Barbarorum manus: *Admirauisus* perpaucis retentis, Regem vsque Ierosolymam comitatur: Eâ interim die siluerunt. In crastinum, sub honoris obtentu quibusdam nostrorum proceribus vallatus, non modò spectaturus, verùm exploraturus vrbem procedit. Vbi Templa vel Ecclesias fulgentes, euersa suorum antiqua delubra, destructas aras, statum vrbis more Christiano immutatum vidit, felle de nimio lacrymasse perhibetur. Nostri quidem, qui nihil mali de viro suspicabantur, eiusmodi fletum pietatem æstimauêre. Demum ad Regem: *Non*, inquit, *delatus vestræ gloriæ nos delusit rumor: cùm potiora, quàm audieram, ipse modò oculis vsurpauerim. Planè profiteor, quamquam nostræ parti derogare videar, multò quàm nostris temporibus, vrbem nunc feliciora obtinere incrementa. At nos munificentiæ vestræ respondentes, huic satis cooperabimur gloriæ. Opes aduectare Babylonicas mercatores eis per mare direximus, quas satis tenui pretio distrahendas huic vrbi inferemus: quarum copiosâ varietate, quo amplius indigetis, eo vobis perpetuò profuturas noueritis.* Dixerat, & Regiis munitus stipatoribus, ad sua vsque reducitur.

Vrbem Ierosolymã ipse fraudulenter inuisit.

Nec cunctatus libellis transmissis Principem Babylonis per internuntios adoritur: *Cùm vestræ sublimitatis nomen, delatum vbique terrarum, tot gentibus terrori incumbat, quod Christiani aduenæ regni vestri fines mutilauerint, æterno subiacet pudori. Ecce pars maxima Babylonici imperij externis subacta legibus, antiquis ritibus numinum sacris, luxu & voluptate qua vti solebamus vacat. Vereor iratos Deos, nec Mathomum velle patrocinari. Quod si viribus armísque resumptis Christianos à terra & vrbibus arcere volueritis: & Dij vos exaudient, & Mathomus opitulabitur. Ferte opem, armis camelos onerate, armatorum nihilominus quodlibet millia dirigite. Biennales à Rege Ierosolymitano inducias obtinuimus: vrbem ipsam immunitam, leuis viros armaturæ, fusos auxiliarios vidimus. Opum vestrarum munera mercatúmque illi reprômisimus, vt erga nos in nullo suspectos eos redderemus. Si pro mercibus, armorum sarcinas illis direxeritis, facilis apud vos erit ipsius iactura vrbis.* His acceptis, Tyrannus spe dictorum animabatur. Mirareris denique militum audaciam, armorum quantitatem, variúmque fulgorem, armentorum, victualiúmque infinitatem, auri cæterarúmque opum immensitatem: quæ omnia maturè parata nauibus imponuntur, nec multò post Aschalonam exponuntur.

Regi Ierosol. struuntur insidiæ.

Demum cùm dies transmittendi negotij repromissus instaret, mittit ad Regem Tyrannus; & ad conducendas merces, quemlibet à latere Regis expostulat. Sed eo tempore Rex apud *Cauas* castrum, in Arabia situm, concesserat. Hoc non valdè procul à *Syna* monte ad regionem tuendam construxerat: nam & eo vsque Regnum dilatauerat. Denique procurandorum Regalium, dum Rex abesset, vir quidam fidelissimus, & vigilantis ingenij, Ierosolymis officio fungebatur: cuius purum nomen ignorantes, quâ nescio occasione *Mathonium* agnominari comperimus. Hic aliquando à Christianis captus adolescens, baptismúmque adeptus, vt corporis gratiâ, ita moralitate susceptæ professionis excreuerat. Hunc itaque potissimum ciues angariauerunt, eò quòd esset Barbaræ linguæ peritissimus. Interea apud Sarracenos fraudulentia talis machinabatur, vt non milites eos qui aduenerãt,

Deteguntur ac dissoluuntur.

sed negotiatores; non arma, sed venalia quis æstimare posset: ex quibus sarcinæ componuntur quingentæ. Quò perueniens *Mathonius*, officiosè suscipitur, & neque conuiuiis eorum aut consiliis arcetur: vtpotè qui putabatur quòd eorum non intelligeret sermones. Et dum sedulò, minus prouidis eorum conuenticulis sese insuspectus interserit, quos deliberarant, facile perpendit dolos. Dissimulatâ tamen conscientiâ, mille homines cum quingentis sarcinis Ierosolymam duxit. Distributisque singulis, quæ turri Dauid contigua erant, hospitalibus, *Mathonius* in Arabiam, vbi Rex morabatur, venit: *Sunt*, inquit, *Ierosolymis funestissimi mercatores, qui nobis non opum, sed armorum sarcinas attulerunt: Et nisi citò subueniatis, futuram timeo euersionem & gentis & vrbis.*

Omisso igitur Rex negotio, ad vrbem festinatò regreditur, & commeatoribus euocatis, foro merces exponi iussit: Quod illi nullo modo fieri posse dicebant, donec ij quos præcesserant vel socij vel domini venalium, aduentarent; vehementérque resistebant. Mox autem Rex, omnibus custodiæ mancipatis, reserari sarcinas fecit. Quid plura? Et fulgore, & genere, apparuerunt arma satis spectabilia: inter quæ etiam reperere classicum, auro, gemmísque, & nouitate operis insigne. *Hæc*, ait Rex, *mercimonia & periculosa satis sunt, & vtilia. Periculosa, si præparato malo non resistimus; vtilia, quia belli proderunt vsibus. Super his igitur vobis ipsis consulite, ô viri fortes.* Ad hæc *Eustachius* Cæsareæ Comes, respondit: *His quamprimùm productis, omnes damnate capitibus; vnum qui rei seriem declaret, reseruate.* Quo facto, vni securitatem vitæ dederunt, si cuncta ex ordine pandat: Qui ait, *Ideò arma sarcinis inclusimus, vt vos * specie venalium deciperemus. Et ideò præcessimus, vt arte conscia turrem & portam contiguam exercitui venturo, noctu, vobis soporatis, aperiremus. Qui tamen ingressuri non erant, donec adueniente crepusculo, classicum sibi notum, de supremo turris audirent: Non autem cum impetu, sed sigillatim, vt pote inermes: Turris verò, à quibusdam obtinenda; ab aliis quoque ad exitium vestrum, statim hæc arma sumenda.* His auditis, acceptóque consilio, Eustachius ait: *Hoc solum omni superest meditamento, vt nos illis eandem vicem referamus.*

al. * Spe.

Igitur cùm omnis Barbarorum conuenisset exercitus, irruente nocte circa vrbem cum magno consedit silentio. Nostrorum autem pars maxima nouis illorum * armis munita, portam obseruabat. At vbi illucescente à custodibus turris classicum illud insonuit, apperuêre portam. Tunc lento introïbant gradu, nec ab inuicem impediebantur. Admisso certa supputatione millenario clausêre portam: sublatóque tumultu prophani truncabantur. Quod cùm audissent forenses suos in nostrorum perniciem grassari credebant. Postquam verò sole fuso dies incanduit, sciens Rex non esse tutum innumeris paucos occurrere, cæsorum capita fundis ac balearibus torqueri, atque iactari iussit in castra, vt suorum territi mortibus ad fugam cogerentur. Quo facto tantus multitudinem inuasit horror, vt subitò ab eis omnium rerum memoria præter fugam recederet, lucrúmque putarent, si vel equis conscensis elaberentur. Quibus fugientibus, nostrísque sequentibus, tanta extitit Paganorum mortificatio, vt vsque Ascalonem persequentes omnibus peremptis vix iam inuenirent quem prosternerent. Reuersi itaque cum summa iubilationis laude victores, sicut testati sunt qui affuerunt, iam cor meditari, vel lingua nequit fari, quantas de tentoriis Babyloniæ opes nostri sustulêre. Hanc suis Christus inimicis confusionem, hanc suis fidelibus contulit victoriam; cùm & illos deiicere voluit in laqueum quem tetenderant; & hos à malis conseruare quæ non promeruerant.

* Hucusque in editis.

FINIS.

VENERABILIS GVIBERTI ABBATIS B. MARIÆ DE NOVIGENTO PROPE COVCIACVM,

DE VITA SVA, SIVE MONODIARVM LIBRI TRES.

LIBER PRIMVS.

IN QVO POTISSIMVM DE IPSIVS VITA AGITVR.

CAPVT PRIMVM.

Deflet suorum statuum vitæ suæ peccata.

CONFITEOR Amplitudini A tuæ, Deus, infinitorum errorum meorum decursus, & creberrimos ad miserationis internæ, quos tamen inspirasti, recursus. Confiteor pueritiæ, ac iuuentutis meæ mala, adhuc etiam in matura hac ætate æstuantia, & inueterata prauitatum studia, necdum sub defatigati corporis torpore cessantia. Quotiens, Domine, perseuerantissimarum impuritatum mearum recordor, & qualiter pro eisdem compungi B semper donaueris, reminiscor; patientissima tua in me viscera, supra quàm cogitari possit, admiror. Si compunctio & orationis affectus, nequaquam sine tua spirituali infusione habentur; quomodo tam dignanter illabi peccatorum pectoribus pateris, & auersis à te, imò te irritantibus tantam gratiam dilargiris? Tu scis Paternitas magna nimis, quàm obstinata aduersus eos qui in offensam nostram incidunt, corda gerimus, & C ijs, qui semel aut pluraliter in nos, aut vultus, aut verba tulerunt, quàm ægrè remittimus.

At tu non modò pius, at verò ipsa pietas; imò eius origo. Qui cùm generalissimè progrediaris ad omnes, nonne singulis poteris esse sufficiens? Quidni? Cùm mundus in Dei ignorantia positus esset, cùm in tenebris ac mortis vmbra versaretur, cùm nocte suum peragente cursum silentium commune teneret, cuius merito, cuius voce potuit compellari Sermo omnipotens tuus, vt à regali sede veniret? Et qui vniuersæ humanitatis negligentiâ quin misereris tunc obstrui non poteras, mirum non si erga vnum quamuis enormiter peccatorem miserabundus existas. Non possum dicere quòd faciliùs singulis miserearis, quàm omnibus, cùm vtrobique tibi constet in nullo * claudas facilitas: facili enim facilius quippiam apud te non est. Fons cùm sis, & cùm quod emanas omnibus debeas, planè quod omnium est singulis non præcludis.

Sap. 18. 14.

f. * clauda.

Semper ergo peccans, & inter peccandum semper ad te rediens, an pij fugax, piúmue deserens, cùm ad pietatem recurrero, perdet pietas quod est, & etiam offensione multiplici obruta, inuenietur insolens? Nonne tibi dicitur, quia non continebis in ira tua misericordias tuas? Has non modò in præsenti, sed in æternum futuras idem cantat. Tu scis quia non ideò pecco, quòd te misericordem sentio, sed securè profiteor te ideò misericordem dici, quòd sis veniam postulantibus præsto. Non te miserante abutor, quotiens per peccandi necessitatem peccare compellor: verùm profana nimis esset abusio, si quia perfacilis post peccatum ad te est reditus, semper me peccandi delectet excessus. Pecco siquidem, sed ratione

Psal. 76. 10.

recepta, in affectum cordis transisse me pœnitet, támque stercorosis cophinis mens grauiter inuita succumbit.

Sed inter has quotidianas ægritudines qualiscunque resurrectionis à lapsu quid facerem? Multò sanius nonne est in te ad tempus eniti, in te vel momentaneè respirare, quàm prorsus non meminisse remedij, & de gratia desperare? Et quid est desperare, nisi in omnis flagitij volutabrum sese ex deliberatione proiicere? Vbi enim carni iam nullatenus spiritus reluctatur, & infelicis animæ substantia voluptatum dispendio profligatur. Is est qui aquarum tempestate demergitur, profundo sorbetur, ad reprobi cumulum sensus os desuper putei perurgetur.

Quid desperatio.

Dum ergò, Deus bone, post has interioris mei hominis temulentias ad te resipisco, sin aliàs proficio, saltem interim nequaquam à mei cognitione deficio. Quomodo enim ad tui notitiam scintillarem, si ad me videndum cæcutirem? Si planè, iuxta Hieremiam, vir sum videns paupertatem meam, consequens est vt ea, quibus illa suppleatur egestas, solenter exquiram. Et è diuerso, si non sciero quid sit bonum, vnde malum vel nosse, nedum execrari potero? Si pulchritudinem non nouerim, nunquam fœditatem horreo. Quia igitur vtrumque constat, vt per mei notitiam, tuam petam, & fruens tua, ilicò mea non caream: dignum ac singulariter salutare est, vt obscuritas rationis meæ per huiusmodi confessiones crebra tui luminis inquisitione tergatur, quo stabiliter illustrata, nunquam deinceps à se nesciatur.

Thren. 3. 1.

CAPVT II.

Beneficia sibi à Deo collata memorat; déque ipsis gratias agit.

EST itaque primum confiteri tibi, quæ mihi contuleris beneficia, vt perpendant qui hæc lecturi sint famuli tui, Deus, quàm sit crudelis ingratitudo mea. Si enim non alia, quàm quæ cæteris impartiris hominibus, mihi præbuisses, nonne ea quæ mereri potueram transcendisses? Addidisti plurima, quæ ex tuo prædicabilia sunt; nil autem ex meo, & alia quibus supersedendum censeo. Si enim genus, opes, & forma, vt cætera si qua sunt taceam, te, Domine, auctore dantur, nulla apud bonos laude feruntur, nisi cùm ab his, quibus à te data sunt, sub regula honestatis arcentur, aut prorsus contemptibilia pro suæ vitio mutabilitatis habentur. Quid enim ad me de his, quæ solas suis coloribus, atque nominibus causas lasciuiæ, superbiæque ministrant, quæ sic media sunt, vt pro mentium habitu circumferri ad bonum malúmue queant, quæ tantò sunt flexibilitati addita, quantò pro sui transibilitate suspecta. Super quibus si alia ratio non occurreret, illa satis esset, quòd neque genus, neque speciem quis suam elaborauit, & in his specialiter non habet, quod non acceperit.

Nobilis, diues, pulcher fuit.

Sunt alia quædam, quibus adipiscendis humana aliquando studia cooperari possunt, vti sunt opes, vti ingenia, teste Salomone: *Ferrum*, inquit, *cùm retusum fuerit, multo labore exacuetur.* Quod totum & ipsum etiam ex facili assertione cassatur; quia nisi rationem Lux, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, imbuat, & fores doctrinarum Christus scientiæ clauis aperiat, nulli dubium, quòd omnis magister auribus stolidis vanum certamen impendat. Ergò prudens quisque quidquam sibi præter peccatum, arrogare desipiat.

Eccl. 10. 10.

Ioan. 1. 9.

Nil homo sibi præter peccatum ascribat.

Sed his omissis, rem cœptam repetamus. Dixeram, Pie & Sancte, quòd de tuis tibi beneficiis gratularer. Primùm, potissimúmque itaque gratias ago, quòd pulchram, sed castam, modestam mihi matrem, timoratissimámque contuleris. Pulchram profectò satis seculariter, ac ineptè protuleram, nisi * certæ castitatis seuerissima fronte hoc nomen inane firmassem. Sicut sanè in omninò pauperibus ieiunia videntur extortitia, quibus non suppetunt ciborum suffragia, & ideò minus laudabilia: frugalitas autem diuitum pro sua habet copia pretium: sic forma quantò appetibilior, si contra lenocinia duruerit, tantò omnimodæ titulo laudis euectior. Salustius Crispus nisi solam sine moribus pulchritudinem laudi duxisset, nunquam de Aurelia Orestilla dixisset, *In qua*, ait, *præter formam nil vmquam bonus laudauit.* Si formam eius quam excipit, à bono laudari asserit, quia tamen in cæteris omnibus turpem dicit, securè pro Salustio loquor, sic sensisse, ceu diceret, dignè dote naturæ à Deo approbari, licet eam constet adiectiuis quibuslibet impuritatibus impiari. Laudatur itaque in idolo cuiuslibet materiei partibus propriis forma conueniens: & licet idolum ab Apostolo, quantum spectat ad fidem, *nil* appelletur, nec quippiam profanius habeatur, tamen illa membrorum apta diductio non abs re laudatur.

Guiberti mater pulchra & virtutibus ornata.

f. * certè.

Et certè quamuis momentanea pulchritudo sit sanguinum instabilitate vertibilis, secundum consuetum imaginarij boni modum, bona negari non potest. Si enim quidquid æternaliter à Deo institutum est, pulchrum est, omne illud quod temporaliter speciosum est, æternæ illius speciei quasi speculum est. *Inuisibilia* enim *Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ait Apostolus. Angeli quoque hominum conspecti-

Pulchritudo extollenda.

Rom. 1. 20.

bus se præbentes, vultus semper attulêre clarissimos: vnde vxor Manue: *Venit*, inquit, *vir Dei ad me Angelicum habens vultum*. Inde è diuerso dæmones, qui, iuxta primi Petri vocem, *sub caligine ad diem magni iudicij reseruantur*, vultibus solent apparere teterrimis, non cùm se fallaciter transfigurant in Angelos lucis: nec id planè iniuriâ, vtpote qui conciuium nobilium desciuêre à gloria.

Iudic. 13. 6.

2. Petr. 2. 17. & Iud. 6.

Ad hoc etiam nostra electorum corporis claritati Christi configuranda dicuntur, vt fœditas, quæ casu seu naturali corruptione contrahitur, ad regulam transfigurati in monte Dei Filij corrigitur. Si igitur interna exemplaria pulchra & bona sunt, quicunque prætendunt imaginem, maximè cùm ab eorum ordine non discrepant, vnde pulchra, inde & bona sunt. Nempe & ipse B. Augustinus in libro, ni fallor, de Doctrina Christiana, dixisse recolitur: *Quòd is, qui pulchrum habet corpus, & turpem animam, magis lugendus est, quàm si fœdum haberet & corpus*. Si ergò species iure viciosa lugetur, profectò indubiè bona res est, quæ prauitatis alicuius ammixtione corrumpitur, aut tenore honestatis augetur.

Gesta matris laudibus prosequitur.

Gratias igitur tibi, Deus, qui præstillaueras decori eius virtutem: illius enim habitudinis grauitas totius vanitatis poterat insinuare contemptum: oculorum namque pondus, raritas eloquendi, ac faciei motuum difficultas, minimè leuitatibus intuentium obsecundat. Tu scis, Omnipotens, tamquam primæuo ipsius tui nominis indidisti metum, tamquam aduersus omnia lenocinia animi rebellionem. Nota quòd vix aut nusquam inter magnæ professionis fœminas reperitur, quantum apud se tuo dono continens, tantum incontinentibus fuit parca detrahere. Et cùm ab exteris aut domesticis aliquotiens huiusmodi fabulâ notaretur, ipsa auerti, ipsa absistere, & tali sic susurrio irritari, ac si sua ipsius persona pariter carperetur. Verax Deus tu nosti, quòd non me cogit ad hæc referenda priuatus, vt pote matris amor, sed rem haberi plusquàm meorum verborum efficientia possit; certè cùm cæteros generis mei aut animales, & Dei ignaros, aut efferos armis, & cædium reos, multum verò eos fieri à te, nisi granditer, vt assoles, eorum miserearis, extorres. Sed de vita eius opportunior forsitan in hoc opere sese locus aperiet; iam accedamus ad nostra.

CAPVT III.

Minor natu fuit Guibertus.

EX hac, inquam, vti credo, & spero, verissima mihi omnium, quos genuit ipsa, deterrimo tribuisti nasci. Proles eius bifariam postrema fui: decedentibus enim sub spe meliore germanis, ego vita omnimodis desperatione superstum. In his adhuc mihi agenti malis, vt eius merito, post IESVM, & IESV Matrem, sanctósque eius, spes salutionis vniuersa resedit. Scio nempe, nec discredere fas est, vt sicut me in sæculo posita cariùs habuit, clariùs coluit (erga enim extremè natos matres affectuosiùs agunt) magis Deo præsens non negligit. Ignis * planè Dei ea à iuuentute fuerat in Sion, cùm ne dormiendo quidem, nedum vigilando, sollicitudo mei in eius animo cessabat. At nunc morte sibi obita, interstitio carnis abrupto, scio in Hierusalem potentiùs quàm dici queat feruere caminum; præsertim cùm illic Deo plena, meas in quibus voluor miserias non ignoret; & tantò mihi aberranti licet felix ingemat, quantò à suis quæ totiens ingeminabat monitis, moribus, atque vestigiis me exorbitare considerat.

Quanta matri debeat, recolit.

* plena.

Pater & Domine Deus, qui ex hac non fallaciter, sed verè bona mihi qualiter & quantum nosti malo originem tribuisti, spem quoque in eius mihi merito præbuisti, quam tamen nullatenus habere præsumerem, nisi ad te ex meï timore peccati, aliquantisper sub tua gratia respirarem. Induxisti pariter & misero cordi meo nescio si spem, aut similitudinem spei, quòd videlicet sacrosancto, supereminenti, & Christianis omnibus exoptatissimo die nasci mihi & renasci etiam indulsisti. Totam fermè Quadragesimam sub nimij doloris insolentia parturiens mater exegerat (quos etiam angores mihi deuio, & lubrica consectanti, totiens improperare solebat) tandem solemne sabatum, vigiliâ scilicet Paschalis emicuit.

Graues cruciatus in illius partu pertulit mater.

Diutinis ergò cruciatibus agitata, & hora propinquante tortionibus augmentatis, cùm in partum * nataliter putaretur enititum, magis sursum ad eius præcordia retorquebar. Iam patrem, amicos, ac parentes funestus super vtroque mœror obtriuerat, quia dum matri mortem proles accelerat, prolis similiter exitium, dum ei negatur exitus, compassionis omnibus materias afferebat. Dies erat, quo præter solemne, quod singulariter & suo tempore celebratur officium, quæ pro familiaribus actitari solent officia non fiebant. Initur ex necessitate consilium, & ad Dominicæ Matris altare concurritur, & ad eam, quæ sola siue etiam Virgo semper futura pepererat, huiusmodi vota promuntur, ac oblationis vice id muneris piæ Dominæ aræ imponitur; quòd videlicet si partus ille cessisset in masculum, Deo & sibi obsecuturus clericatui traderetur; Sin deterior, professioni congruæ man-

f. * naturaliter.

B. Virgini seruitio mancipatur.

* Ab Abortiuis verbum antiquatum. Lege* abortionis.

daretur. Nec mora languidulum quiddam A instar * aborritionis effunditur, & quod fusum erat ad tempus, vt par erat abiectissimo, de absoluta solùm matre gaudetur. Erat illius homunculi recens editi adeò miseranda exilitas, vt cadaueruli extemporaliter nati species putaretur: in tantum, vt Iduato fermè Aprili, iunci, qui in ea oriuntur regione pertenues, digitulis apponerentur, vt corpulentiores viderentur. Ea ipsa die dum salutifero fonti inferrer, mulier quædam, quod mihi puero, * & iam adolescenti sæpenumerò ioci causa relatum est, de manu ro B tabat in manum me transferens: Hunccine, victurum putatis, quem propè natura deficiens emembrem edidit, & magis lineamenti quid simile, quàm corpus dedit?

Recens natus quàm tenuis corpore fuit.

f. * etiam.

Quæ omnia, Creator meus, huius mei, quo viuere videor status, portenta fuêre. Nunquid tui, Domine, seruitij in me reperiri potuit veritas? Nil in te solidum, nil in te constans habui: si quid in euidentia visus sum exhibuisse operis, intentio multotiens reddidit minùs recta pertenue. Dixi tibi, summa benignitas Deus, quòd spem, aut spei quantulæcunque specimen ex tàm gau- C diosæ diei præstolatione mihi nato ac renato, sed & omnium post Deum oblato Reginæ contuleris. Domine Deus, nonne ex ea quam mihi dedisti ratione iam colligo, quia dies natiuitatis infructuosè viuentibus nil vtilius affert, quàm mortis? Si constat, & irreuincibile est, quia nulla possunt merita dies præcessisse natiuos, possunt autem defunctiuos: Si contingat sub bono vitam non transigi, fateor, nil omnino proderunt gloriosi dies, sicut nec natalis, & mortis.

Nil antequam nascatur meriti habet homo.

Si enim verum est, quia ipse fecit me, & D non ego ipse me, diémque non præstitui, nec vt præfigeretur emerui, collatus à Deo non spem, non honorem mihi præbet, nisi diei religionem prosequens, quidquid die portenditur, mea vita commendet. Tunc planè nostrum natale ex festiua temporis qualitate clarescerent, si studium nostræ actionis suspiratâ ad integrum virtute se regeret; & introïtus gloria homini meritò videretur indulta, si perseuerans in æquitate animus vitæ glorificaret exitia. Si Petrus, aut E Paulus vociter; Si Remigius aut Nicolaus appeller, non mihi, vt pœticè loquar,

Proderit à magno dimissum nomen Iulo:

Nisi illorum, quos prouidentia fecit mihi, seu fortuna cognomines, sagaciter exempla resculpsero. Ecce, Deus meus, quomodo reflatur quidquid tumebat in anima mea, quomodo poterit floccipendi quod in fastum videbatur extendi.

Et, ô mundi & cœlorum post vnicum tuum Domina, quàm bene senserunt, qui me sub illa tibi necessitate vouerunt! Et, ô quàm meliùs ipse sensissem, si cor iam adultus sub illius semper voti sententia construxissem! Ecce me tibi profiteor quasi specialiter dono datum, nec à me tamen tibi diffiteor sacrilegè sæpiùs, ac scienter ablatum. Nonne me tibi abstuli, qui voluntates fœtidas tuo odori prætuli? Verùm etsi multotiens hac me tibi fraude subduxi, ad te tamen, & per te ad Dei Patris, & tuum Vnicum huius oblationis intuitu securiùs recucurri: & cùm ob peccata millies recidiua tabescerem, securitas mihi de tuis inexhaustis visceribus nascebatur, miserationum tuarum antiquarum beneficiis ammonebar vt sperarem. Sed quid illud, antiquarum? Tot expertus sum, & quotidie experior miserationum tuarum assiduitates, tot euasi lapsuum te eximente captiuitates, vt de veteribus iam prorsus tacere libeat, vbi tanta liberationum affluentia regat. Et cùm peccatorum iterationes sæuam cordi meo obdurationem parturiant, quasi naturaliter ingenitus me illicò ad te recursus emollit: & cùm ex mei contuitu & ex mearum consideratione ærumnarum penè desperando deficiam, quasi velim nolim innasci sentio animæ miseræ ad te respirandi fiduciam. Sic enim adiacet cogitationi meæ, vt quibuscunque malis inuoluar, tu meis necessitatibus si dicere audeam, ex debito deesse non possis, in te nempe proiectum ex vtero si aduersum non reuisas, si reuersum minimè recipias, perditionis meæ iustas in te vtique conferam causas. Planè quia tibi subest cùm volueris posse, & Filij potestas in Matrem redundare dinoscitur, à quo potiùs mei salutem exigere potero, quàm à te, cui, vt sic dicam, cognatæ seruitutis conditione conclamem; *Tuus sum ego*? Sed de his aliàs quàm libenter ratiocinabor tecum; cætera attingamus.

Deiparæ acceptas refert gratias.

Illi posse subest cum vult.

CAPVT IV.

NAtus igitur vix didiceram fouere crepundia, cùm tu, Pie Domine, qui pater mihi futuras eras, orphanum me fecisti. Exausto enim octo ferè mensium spatio, pater meæ carnis occubuit: & magnas inde tibi gratias, qui hunc hominem sub Christiano affectu fecisti decedere, prouidentiæ tuæ, quam de me habueras, si aduiueret, indubiè nociturum. Quia namque formula mea, & naturalis quædam pro ætatulæ illius quantitate alacritas idonea huic sæculo videbatur, nulli dubium erat, quin cùm literis ediscendis habile tempus adesset, ea quæ de me fecerat vota resolueret. Bone prouisor vtrimque salubriter disposuisti, vt & ego

Infans patre orbatur.

Qui si diutiùs vixisset, illius saluti haud dubiè nocuisset.

nequaquam tuarum disciplinarum rudimento carerem, & ille quam tibi fecerat non irrumperet sponsionem.

Litterarum studiis B. Gregorij festo die traditur.

Magnis itaque curis illa tua verè vidua me nutriuit. Tandem scholæ me traditura diem B. Gregorij festiuitatis elegit. Audierat præfatum tuum famulum, Domine, mirabili superemicuisse sensu, infinitâ floruisse sapientiâ; & ideò multa eleemosynarum congerie Confessoris tui instabat sæpiùs sollicitare suffragia, vt cui præbueras intellectum, intellectualitatis mihi consequendæ impetraret affectum. Traditus ergò literis apices vtcumque attigeram, sed vix elementa connectere noram, cùm pia me mater erudiendi auida disposuit mancipare Grammatico.

Grammaticorum eo tempore paucitas & inscitia.

Erat paulò ante id temporis, & adhuc partim sub meo tempore tanta Grammaticorum caritas, vt in oppidis penè nullus, in vrbibus vix aliquis reperiri potuisset; & quos inueniri contigerat, eorum scientia tenuis erat, nec etiam moderni temporis Clericulis vagantibus comparari poterat. Is itaque cui mei operam mater mandare decreuerat, addiscere Grammaticam grandæuus incœperat, tantóque circa eandem artem magis rudis extitit, quantò eam à tenero minùs ebiberat. Tantæ verò modestiæ fuerat, vt quod deficiebat in literis, suppleret honesto.

Guiberti præceptor vitæ probatissimæ fuit.

Cùm ergò sequestris aliquibus Clericis, qui ei familiariter sub Capellanorum nomine officia Dei celebrabant, scholarem illum sollicitaret hominem, & ille cuiusdam consobrinuli mei sortitus pædagogium, quibusdam meis parentibus, quorum innutritus erat curiæ, necessarius esset, fœminæ se compellantis hortamenta considerans, & eius honestate ac seueritate propensâ, licet prædictorum parentum meorum vereretur offensam, ad eius contubernium deliberabat accedere. In qua deliberatione, hac est, vt faceret, visione compulsus.

Liquet hic illum nobili genere ortum.

Visum nocte est ipsi obiectum.

Cùm nocte dormiret in cubiculo, cuius & ego memini, in quo totius nostri oppidi generale studium regebatur, cuiusdam speciem senioris præferens caput canum, & habitudinis omnimodo reuerendæ, manu me tenens ostio me cubiculi inducere videbatur. In cuius cùm substitisset aditu, lectulum eius mihi qui hoc intuebatur ostendit, &, vade, inquit, ad eum, quia iste plurimum amaturus est. Manúmque mihi quam tenuerat laxans, cùm siuisset abire, cucurri ad hominem, & cùm crebris osculis ora comprimerem, expergiscitur, & tanta mei affectione corripitur, vt cunctatione reiecta, & parentum meorum, quibus tàm ipse, quàm sui ex toto obnoxius erat, timore recusso, ad matrem meam habitaturus cum ipsa concederet.

Erat autem puer isdem, quem eatenus ductitauerat, pulcher quidem, & nobilis, sed in tantum bonarum artium fugax, ad omnes disciplinas instabilis, pro ætate mendax, & * furibus, vt nil proficiente custodia, vix in schola, sed penè omni die delitescens reperiretur in vineis. At hominem cùm puerilis vecordiæ tæduisset, & ei matris meæ opportunè familiaritas arrisisset, & visionis prælibatæ tenor, rem, quam petebat, sibi potissimùm inuiscerasset, pueri comitatu deserto, & sub quibus agebat dominos æquè reliquit. Quod tamen haud impunè fecisset, nisi eum matris tàm reuerentia, quàm potentia protexisset.

*f. * fur.*

CAPVT V.

Optimis imbuitur institutis ac moribus.

SVb se igitur constitutum tanta puritate me docuit; ab insolentiis, quæ innasci primæuitati illi solent, tanta sinceritate cohibuit, vt me penitùs à communibus lusis arceret: absque suo comitatu nusquam abire permitteret, non cibum præter domi sumere, non cuiuspiam munus nisi licentiâ à se datâ suscipere; nihil non temperanter, non in verbo, non in respectu, non opere agere; vt non clericatum, quin potiùs monachatum à me videretur exigere. Nam cùm æquæui mei passim ad libitum vagarentur, & eis debitæ secundum tempus facultatis fræna paterent, ego ab huiusmodi per sedulas coërcitiones inhibitus, clericaliter infulatus sedebam, & cuneos ludentium quasi peritum animal * expectabam. Dominicis etiam & diebus sanctorum festis sub exercitus scholaris censurâ cogebar, & nullo die vllo vix tempore feriatum me esse licebat, ac vnimodè semper ad subeunda studia perurgebar. Ipse autem me solum edocendum suscipiens, neminem, alium quem doceret, permittebatur habere.

Acriori sub disciplina cohibetur.

*f. * spectabam.*

Et cùm mihi ita * instirteret, & ingeniolum meum præ tanta instantia quisque adintuens exacui plurimùm crederet, spes omnium cessabatur. Dictandi enim, ac versificandi ad integrum scientiæ expers erat. Interea sæua ferè quotidiè alaparum ac verborum grandine lapidabar, dum ipse me cogeret discere, quæ docere nequiuerat.

*f. * insisteret.*

Parum ea de re in literis, multùm verò in morum honestate proficit.

Duxi apud eum sub hac inani colluctatione fermè sexennium, sed nihil quantum ad tantum tempus attinet inde extuli operæ pretium. Aliàs autem quantum ad totius honestatis rudimentum spectare dinoscitur, nil fuit quod non meis vtilitatibus impendisset. Quidquid modestiæ, quidquid pudicum, ac exterioris elegantiæ fuit, eo fidelissimè & amanter me imbuit. Sed parum pensi ac moderati

moderati in eo eum habuiſſe facto in me periculo perſenſi, quòd quaſi obtentu diſcendi irremiſſibiliter me ac negotioſè vrgebat: Quò enim præter modum non dico pueriliſ, verùm omnis hominum natura meditationis aſſiduitate diſtenditur, eò ampliùs hebetatur: & quò feruentiùs ad ſtudij perſeuerantiam acrimonia mentis igneſcit, eò viribus ex nimietate ſubactis, ex rigore in lentitudinem verſus animus vſquequaque tepeſcit.

Qui improbiori ſtudio animus opprimitur, hebetatur.

Neceſſe eſt igitur inuolucro adhuc corporis aggrauatum agere temperatiùs intellectũ, quia ſi ſilentium hora media fit in cœlo, vt non poſſit vigor irremiſſus dum adiuitur, contemplationis ineſſe dono; Sic nec iugis, vt ita dicam, peruicacia in cogitatione qualibet laboranti conſtabit ingenio. Inde itaque intenſis vnicuilibet rei cordibus viciſſitudines intentionum credimus adhibendas, vt dum diuerſa alternatim mente tractamus, ad vnum cui potiſſimùm animus affigi, quaſi ex indulto recreati .... nouiores redeamus. Habeat denique laſſabunda aliquoties natura ſub aliqua ſui operis varietate remedium: recordemur Deum non vniformiter inſtituiſſe ſæculum, ſed ſub diebus ac noctibus, ſed ſub vere ac æſtate, ſub autumno, & hyeme, mutationibus nos oblectaſſe temporum. Videat ergò quiſque, cui nomen magiſtri aſcribitur, qualiter moderetur diſciplinas puerorum, ac iuuenum, quia non aliter æſtimamus tractandos, in quibus grauitas plenaria viget etiam more ſenum.

Exercitiorum viciſſitudines adhibendę, vti acutior fiat intellectus.

In Magiſtris prudentia.

Erat igitur homini illi penes me ſæuus amor, * non nimietas ſeueritatis in iniuſto videbatur verbere: eminebat tamen totius diligentia obſeruationis in opere. Minùs planè dignè vapulabam, quia ſi ipſe haberet quam profitebatur docendi peritiam, eorum profectò, quæ rectè dixiſſet, optimè pro puero capax eram. Sed quia minimè ex ſententia loquebatur, & ſibi nullatenus patebat, quod expromere nitebatur circa vilem, ſed non patulum, qui colligi ab eo non poterat, nedum intelligi, faceret orbem, eius inaniter fabula verſabatur. Rudis enim in tantum fuerat, vt quod malè ſemel iam, vt prælibaui, grandæuus hauſerat, incorrigibiliter retineret: & ſi quid improuidè, vt ſic dicam, hiſceret, ſua omnia ſenſa authentica æſtimans, tueretur atque defenderet plagis; ſed tantæ proculdubio vecordiæ, vt arbitror pepercisset: priuſquam enim, ait Doctor idem, quàm ſcientiam natura combiberit, non maioris eſt gloriæ dixiſſe quod noueris, quàm tacuiſſe quod neſcias.

*f. * nam.*

Rudis & ignarus Guiberti pedagogus.

Nonnihil hîc deſideratur.

Cùm durè itaque in me vlciſceretur, quia quod neſciebat ipſe neſcirem; perpendendum ſibi planè erat, quia mali plurimum fuerat, cùm à fragili exigeret pectuſculo, quod non indiderat. Sicut enim verba amentium etiam à ſenſatis colligi aut vix, aut nullo modo poſſunt; ita eorum dicta, qui neſciunt, & ſcire ſe aſſerunt, & aliis tradunt, ex ſua ipſorum explanatione tenebreſcunt. Nil enim difficilius inuenias, quàm ſi velis diſſerere quod neſcias, diſcenti quidem obſcurum, obſcurius audienti, non ſecus ac ſi lapidem vterque reddat. Hoc dico, Deus meus, non quod notam tanto amico inuram, ſed vt intelligat quiſque qui legit, ne quidquid autumamus pro certo docere velimus, neque coniecturarum noſtrarum nebulis & alios inuoluamus. Propoſui enim præſentem pro ſui tenuitate materiam vel ratione condire; vt ſi alterum minùs appretiandum & merito computatur, alterum aliquotiens operæ pretium æſtimetur.

Quàm vanum de re quam neſcias diſſerere.

CAPVT VI.

QVamuis ergò tanta me ſeueritate deprimeret, aliàs tamen omnibus modis propatulum faciebat, quòd me penè non aliâ quàm ſe charitate diligeret. Adeò nempe vigili mihi ſolicitudine incumbebat; adeò propter quorumdam inuidentias ſaluti meæ prouidebat, obſoletos aliquorum, qui mihi obſeruabantur, mores, quanta cauerem auctoritate docebat: matrem ſuper cultiſſimo mearum veſtium apparatu tantiſper vrgebat, vt non pædagogi, ſed parentis, non corporis mei tutelam, ſed animæ curam agere putaretur. Mihi verò licet pro ætate hebeti atque puſiolo tanta penes eum viciſſitudo amoris inceſſerat, licet gratis multotiens cuticulam meam multis vibicibus proculcaret, vt non metu, qui in æquæuis aſſolet, ſed neſcio quo medullitùs inſito amore, ei totius eius aſperitatis oblitus obſequerer. Multis certè ſæpiùs experimentis idem me magiſter, materque tentarunt, cùm debitum me ſibi vtrobique timorem æquè redhibere viderent, vtrum ſub vnius rei imperio alterutrum præferre præſumerem.

Guibertum magiſter in oculis ferebat: cui & ille in amore reſpondebat.

Incidit tandem occaſio, in qua neutro eorum ſuper huiuſmodi quid agente factum conſtitit abſque vlla ambiguitate periculum. Semel in ſchola vapulaueram; Schola autem non alia erat, quàm quoddam domus noſtræ triclinium; aliorum enim, quos aliquando docens acceperat, mei ſolius cauſa curas obmiſerat; Sic enim aucto queſtu, & delatione honoris prudens ab eo mater exegerat: Soluto igitur veſpertinis quibuſdam horis qualicumque illo ſtudio, ad materna genua grauiter etiam præter meritum cæſus acceſſeram. Quæ cum an eo vapulaſſem

die, vt erat solita, rogitare cœpisset, & ego ne magistrum detulisse viderer factum omnino negarem, ipsa vellem nollem, reiectâ interulâ, quam subuculam, imo camisiam vocant, liuentes attendit vlnulas dorsiculi ex viminum illisione cutem vbique prominulam. Cúmque meæ teneritudini ad nimium sæuè illatam visceraliter doluisset, turbulenta & æstuans, & oculos mœrore suffusa: *Nunquam*, ait, *deinceps clericus fies, nec vt literas discas vlteriùs pœnas lues.* Ad hæc ego eam cum qua poteram animaduersione respiciēs; *Si*, inquam, *proindè mori contingeret, non desistam quin literas discam, & clericus fiam.* Promiserat enim si eques vellem fieri, cum ad id temporis emersissem, apparatum se mihi militiæ & arma daturam.

Renuit eques fieri.

Quæ cùm vniuersa non sine multa aspernatione respuerem, illa tua famula, Deus, adeò gratè suas accepit iniurias, adeò alacris ex suo est facta contemptu, vt hæc eadem quibus ei obstiteram magistro meo responsa retexerit. Lætabantur igitur vterque, quia ad id quod paterni voti fuerat, ambienter aspirare viderer, dum quo magis * celerer, literas ipsas, quamuis non bene inculcarentur, amplecterer, nec Ecclesiasticis officiis me tricarem, immo cum hora solicitaret, opúsue esset, nequaquam tali loco ac tempori prandia ipsa præferrem. Tum quidem sic. At vero, Deus meus, tu scis, quantum ab hac mea postmodum intentione desciuerim, & quàm luctuabundus ad diuina processerim, quódq; actus verberibus vix adesse consenserim. Erant planè, Domine, non religionis cuiuspiam, qui ex aliqua intellectualitate descenderent, sed pueriles quidam, qui tunc cogebant impetus. At postquam adolescentia ingenitæ nequitiæ iam effœta, conceptibus sese in totius pudoris damna proripuit, vetus illa deuotio prorsus extabuit. Etsi ad horam, Deus meus, bona voluntas, imò similitudo bonæ voluntatis visa est excanduisse, pessimarum cogitationum imbribus obnubilatam mox contigit decidisse.

* celeriter.

CAPVT VII.

Beneficium illi mater conatur obtinere.

Contendebat denique mater mea Ecclesiasticis me beneficiis quoquo pacto inserere. Prima igitur insertionis causa non modò mala, sed & nefaria extitit. Adolescentulus frater meus quidam eques, & municeps Clarimontis castri, duo ante eius quod inter Compendium atque Bellouacum situm est, à domino ipsius oppidi, nescio vtrum donatiui, seu feodalis debiti gratiâ, dandas operiebatur pecunias. Cúmque illis largiendorum, vt opinor, inopiâ præbere deferret, quorumdam parentum meorum consilio illi suggestum est, vt Canonicam, quam Præbendam nominant, Ecclesiæ loci illius, quæ eius ditioni contra scita Canonum subiacebat, mihi daret; & à fratre meo penes eum repetundarum molestia iam cessaret.

Hic deest aliquid.

Vxorati Presbyteri.

Erat ea tempestate noua super vxoratis Presbyteris Apostolicæ sedis inuectio, vnde & vulgi Clericos zelantis tanta aduersus eos rabies æstuabat, vt aut eos Ecclesiastico priuari beneficio, vel abstineri sacerdotio, infesto spiritu conclamarent. Ad hæc patris mei quidam nepos, vir suos cùm potentiâ, tùm prudentia præeminens, cùm venerico operi adeò pecualiter indulgeret, vt cuiuspiam necessitudini fœminarum in nullo defferret: tantâ in Clerum super præfato Canone bachabatur instantiâ, ac si eum singularis ad detestationem talium pulsaret pudicitia. Et cùm esset laïcus, & suis arceri non posset legibus, quantò laxiores fuerant, tantò his abutebatur fœdiùs. Neque enim vxoriis poterat contineri retibus, quippè qui huiusmodi nunquàm passus est illaqueari nexibus. Hijs igitur cùm fœtido passim pro talibus spargeretur odore, sed tum eum sæcularis, quâ præeminebat, opulentia defensaret, nunquam suæ obiectu impuritatis aduersus sacrum ordinem ipsius peruicacia detonare cessabat.

Causam itaque nactus, quâ mihi cuiusdam loculosi, vt ferebant, Presbyteri detrimento proficeret, apud Castrensem dominum, penes quem satis superque poterat, vtpotè qui ei tantopere necessarius erat, egit, vt Clerico absente, & penitùs inconuento me euocaret, & inuestituram præfatæ mihi Canonicæ daret. Ecclesiæ enim illi contra ius & fas malè ab Episcopo indulta licentiâ abatiabatur, & canones non Canonicus à Canonicis exigebat. Quia ergo tunc temporis non modò coniugale in trium primorum ordinum, & canonicatis personis causabatur cōmercium: sed etiam non minùs Ecclesiasticorum citra animarum regimina officiorum, vt sunt Præbendæ, Cantoratus, Præpositura & cætera id genus, crimini ducebantur emptiones: vt de honoribus sileam, qui interna iubentur actitare negotia, quique eius, qui præbendam amiserat, Clerici fauentes partibus, & æquæuorum meorum plurimi super simonia & excommunicatione, quæ recens percrebuerat, crebra cœperunt motare susurria. Idem namque cùm esset Presbyter, & vxorem haberet, qui ab ea officij sui suspensione absterreri non poterat, facere si quidem Missas omiserat.

Quia ergò post corpus suum mysteria diuina posuerat, eâ rectè plexus est pœnâ, quam se euasisse sacrificij abrenuntiatione putauerat. Itaque spoliatus Canonicâ, quia per quod arceri possit amplius non habebat, Missas quolibet iam liberè, retenta etiam vxore, cantabat. Hinc celebri rumore satum est, quòd inter eadem sacra matrem meam cum sua familia repetita in dies excommunicatione conficeret. At mater diuinorum semper timida, & peccatorum pœnas, & proinde offendicula verens, illi malè præbitæ illicò præbendæ renunciat, & sub spe obitorum Clericorum, aliam mihi apud castri dominum locat. Fugimus itaque arma ferrea, & incidimus in arcum æreum. Sub præstolatione enim alienæ mortis aliquid dari, nihil aliud est, quàm cotidianum homicidam quempiam iubere fieri.

f. * quaslibet.

Domine Deus meus, ita tunc spebus illis pessimus inuoluebar, & tuorum expectatione donorum, quæ necdum experiri didiceram, nullatenus detinebar. Illa tua mulier nondum comprehenderat, quas spes, quas securitates de meis apud te victualibus habere debuerat, nec quæ beneficia à te mihi erant parta cognouerat. Quia enim aliquantisper adhuc in mundo agens, quæ mundi fuerant, sentiebat; nimirum ea, quæ sibi ipsa prouidere delegerat, mihi etiam ipsi mundana, vt putabat, quæsituro quærebat. At postquam animæ propriæ animaduerso periculo, innumeros cordis angulos ad præteritæ deplorationem vitæ congessit, quasi diceret: *Quod mihi nolo fieri, alij non faciam.* Ea quæ pro se contempsit agere, extremæ arbitrata est dementiæ pro alijs exercere: & quod sibi ambire desierat, nefarium rata est ad sui perniciem alteri concupisse. Quod longè aliter à multis fieri constat, quos quidem attendimus sua ad integrum obtentu paupertatis abiicere; sed aliorum, non modò suorum, quod & ipsum malum est, sed etiam exterorum, quod deterius, plus nimio procurationes ardere.

CAPVT VIII.

Sed libet paulò altius, quantum nostri temporis mentione recurritur, status Religionum, conuersionúmque, quas vidimus, attingere: vnde & hanc ipsam ..*..., nec non & plerosque alios bonæ mutationis contigit exempla sumpsisse. Monachile propositum sub antiquis floruisse temporibus affluens scriptorum relatio est. Nam quia super exteris mihi regionibus silentium est, sub quibusdam Franciæ Regibus huius scitæ institutionis, varia diuersis extruentibus loca, coluisse noscuntur; in quorum aliquibus tam piè viuentium confluxit enormitas, vt miremur tantam hominum frequentiam quomodo cohibere valuerit adeò locorum arcta capacitas. Inter quæ profectò quædam speciali pollentia districtione fuerunt, quæ nonnulla, in quibus feruor Ordinis tepuerat, Monasteria sæpè nobiliter innormarunt, vt fuit aliquando * Luxouium in Gallia, quædam etiam in Neustria, quæ nunc appellatur Northmannia. Sed quia iuxta illud Poëtæ veridici dictum; quòd videlicet summis negatum est stare diu; & quòd multò verius constat, decedente inter habenas iniquitatum sæculo, sanctæ conuersationis refrixit charitas, & rerum opulentia, quasdam postmodum sensím deseruit Ecclesias: & inde benè conuersantium, dùm & ipse manuum labor sorduit, facta est raritas.

f. * Ecclesiam.

De iis qui monasticam vitam instaurarunt, resarseruntúe.

* Luxeul. celebre monasterium.

Vnde nostris Monasteria vetustissima numero extenuata temporibus, rerum antiquitùs datarum exuberante copia, paruis erant contenta Conuentibus, in quibus perpauci reperiri poterant, qui peccati fastidio sæculum respuissent; sed ab illis potissimùm detinebantur Ecclesiæ, qui in eisdem parentum déuotione contraditi ab ineunte nutriebantur ætate. Qui quantum minorem super suis, quæ nulla sibi videbantur egisse, malis, metum habebant, tantò intra Cœnobiorum septa remissiore studio victitabant. Qui administrationes, ac officia forastica cùm pro Abbatum, aut necessitate, aut libitu sortirentur, vt potè voluntatis propriæ auidi, exteriorésque licentias minus experti, Ecclesiasticas occasione facili dilapidare pecunias; his expensis redditus seu gratuitò dilargiri *... Et licet tum minùs apud eos Religio curaretur, ex sua siquidem fiebant raritate ipsi Monachi cariores.

Maiori opulentiâ monasticæ obseruantiæ vigor.

Ex negligentia eorum qui ab infantia monachū induerant, ruina monasteriorum maxima.

* deesse videtur, cœperunt.

CAPVT IX.

Cvm ergò sic se agerent, & alicuius ad eos pretij vix vllus accederet, quidam Comes castelli * Britoliensis, quod in Ambianorum, Beluacorumque cõfinio consistit, ad excitandas plurimorum mentes emersit. Is in ætate positus florulenta, cùm gratissimæ esset elegantiæ, præsertim cùm sicuti nobilitate genus eius, ita & mirabili specierum conspicuitate polleret aliorum quoque municipiorum, diuitiarum etiam omnium claritate pateret: mens tandem hominis in multo superbiæ fastu constituta resipuit, & ad eius, quam sæculariter sectari cœperat, vitiorum miseriam sese contemplando retorsit. Animæ igitur suæ miserabilitate perspecta, & quia nil aliud quàm

De mira Ebrardi Comitis Britoliensis in Picardia conuersione.

* *Vulgò*, Breteüil.

damnare, & damnari, fœdare, & fœdari in A sæculo faceret, quem viuendi modum arriperet, diu cum quibusdam, quos tanti desiderij conscios, & comites habere delegerat, multimodè plura discutiens pertractabat. Vocabatur autem ipse, EBRARDVS, vir inter primores Franciæ vndecumque famosus.

Tandem expresso in euidentiam operis diutinæ cogitationis intuitu, nemine remansurorum conscio, cum illis, quos in sodalitium arripiendæ huius Religionis sibi clandestina sollicitatione consciuerat, in B nescio quas exteras fugax excessit prouincias, quas sui prorsus nominis ignaras cùm libenter incoleret, & carbonibus faciendis ad opem sumptuum operam daret, & hac illacque cum suis per rura & oppida venum ferret, tum primùm ratus est se supremas attigisse diuitias; & erat considerare omnes ab intus filiæ Regis glorias. Quid? Exemplum vnde & ipse sumpserit hîc attexam.

TEVDEBALDVS, quem sanctum hodie vniuersi agnominant, vt multæ iam Ecclesiæ C sub eius nomine consistentes ipsum passim insigniant, iuuenis genere nobilis extitit ante id tempus; qui inter ipsa rudimenta militiæ arma despiciens, nudipes à suis elabitur, supra dicto artificio addicitur, per quod aliquamdiu sub insolita necessitate vita transigitur. Hoc, inquam, animatus exemplo EBRARDVS, ex tam humili opificio, vt præmisimus, victitare decreuerat.

Spectrum alloquitur terretque Ebrardum. At quia nulla sunt bona, quæ non aliquas aliquotiens præbeant alicuius malignitatis causas, dum in aliquo, die quodam, nescio D quid acturus operis, esset vico, ecce quispiam ei astitit sub tyria lacerna, tibialibus sericis pedulum abscisione damnatis, muliebriter diductis à fronte crinibus, & summas attingentibus vlnas, amasium potiùs exhibens, quàm exulem. Quem ille cùm ex vera quis esset sinceritate perquireret, & ille obliquo paulùm oculo abducens supercilium, specie pudoris ablata, dicere contaretur; & ille contabundo magis ac magis piè curiosus instaret, ad vltimum tandem vix quasi hominis instantia victus erupit: *Sum*, inquit, (*sed vos cuipiam ne dicatis*) EBRARDVS E BRITOILENSIS *quondam Comes, qui, vt scitis, in Francia olim diues, exilio me relegans spontaneas peccatorum meorum pœnas luo.* Dixerat vir illustris, & eum, qui se interrogauerat, arrogatæ sibi personæ repentina translatione confudit. Admiratus igitur incredibiliter peruersi hominis impudentiam, spreto, vt sic dixerim, simulachri illius alloquio, ad suos inde relato sermone, ait: *Sciatis, ô amici, hoc vitæ propositum nobis quidem vtile, sed aliis quamplurimis exitiale, quia quod ab ipsius ore audistis, de multis consequenter intellexisse potestis. Si igitur Deo integrè placere volumus, quod aliis scandali, imò falsitatis occasionem præbet, euitare debemus. Illò itaque stabiliter nos feramus, vbi sublato exilij, quod pro Deo patimur nomine, causas omnibus arrogantis vocabuli subtrahamus.* His edictis, commutato consilio, * Maius monasterium petiuêre, ibique suscepto sanctæ Conuersationis habitu perenniter deseruiêre.

Forte Britoliensis vt supra.

Mutat propositum solitàque exercitia.

Monastica disciplinæ se mancipat.

** Marmonstier, iuxta Turonas.*

Hunc ipsum audiuimus tantas, dum sæculo viueret, cultiorum vestium habuisse curas, vt nullis ditioribus impar esset: adeò autem indignabundæ habitudinis, vt facilè cuipiam, vel verbo aggressibilis nequaquam videri posset. Quem postmodum sub Monachia positum, tanta corpus suum vilipensione habere conspeximus, vt indumenti vilitas, vultus demissio, membrorum exilitas, non fuisse Comitem, sed agrestem rusticulum loqueretur. Et cum per vrbes ac oppida pro Abbatis imperio mitteretur, nunquam propria addici potuit voluntate, vt Castella, quæ reliquerat, vel semel ingredi pateretur. Hæc, quæ superiùs relata sunt, ipse mihi retulit, cùm me adhuc iuuenculum tantopere veneraretur, atque suæ consanguinitatis ascisceret, vt amoris sui, atque cultus, speciali quadam singularitate donaret.

Quantus sui ipsius contemptus.

Cui inolitum quiddam curialissimum fuit, vt si quos reperiret, quos præminere literis sciret, in libellulo, quem ad id operis secum ipse crebrò gestaret, quemque pro suo captu dictitare prosa, seu versibus cogeret, vt dum quorumcumque, qui super eo prædicabantur studio, dicta colligeret, ex dictis etiam singulorum sensa libraret. Quæ siquidem, quamuis per se non caperet, ex eorum tamen, quibus hæc legenda pandebat, indubiè sententia mox teneret, in quo potissimùm quis aut in sensu, aut carmine accuratiora dixisset. Hæc de viro quondam nobili, sed iam nobiliore fine bono libasse sufficiat. Is, inquam, inter memoriæ nostræ viros, exemplo primus conuersionis gloriosiore resplenduit.

CAPVT X.

AT verò qui PAVLVM ex STEPHANI sibi oratione creauit, exemplum idem multò felicius latiúsque per potentiorem satis alterum propagauit. SIMON enim quidam RADVLPHI Comitis filius, mirabili nostri temporis Religionem inopinæ mutationis claritate ditauit. Qui quidem RADVLPHVS quàm celebris vbique Francorum potentiæ fuerit, quas vrbes inuaserit,

quot oppida quæsita mira sagacitate tenuerit, multi superstites, qui eius actuum meminêre, sunt testes. Quantus etiam fuerit ex eo vno conijci posset; quòd HENRICI Regis vxorem, PHILIPPI itidem Regis Matrem in coniugio post mariti decessum habuerit.

Cur mundo nuntium remisserit.

Iuuenculus igitur SIMON, cùm mortem pater obiisset, obtento Comitatuum eius honore breui tenuit. Nam causam adeò maturatæ conuersionis hanc aliqui fuisse ferunt. In quodam oppido quod sibi vsurpatione potiùs, quàm hæreditate prouenerat, eiusdem patris reliquiæ conditæ fuerant. Quod filius, verens ne animæ patris officeret, ad illud quod sibi ex iure constiterat, deferre proposuit: quo ante delationem detecto, & sub oculis filij ad nudum reuelato, cùm potentissimi genitoris, quondamque ferocissimi tabidum attendisset corpus, ad contemplationem miseræ conditionis se contulit. Et exinde quicquid sublimitatis sibi arridebat, & gloriæ, fastidire iam cœpit. Concepta itaque hac ipsa voluntate, feruente tandem desiderio quod parturiebat emisit, & patriæ suorumque fugax fines excedens Francicos, Burgundiam ad sanctum EVGENDVM in territorio Iurensi concessit.

Audiui etiam quòd nobilissimi quamdam generis iuuenculam sibi desponderat, quæ cùm amantissimum iuuenem sibi, & mundo repudium dedisse rescisset, ipsa inferior videri non tolerans, virginalibus Deo seruientium turmis virgo perseueratura sese conseruit.

Quam plurimos ad Christum conuertit.

Aliquantò pòst Monachatus susceptionem tempore elapso, postliminium fecit in Franciam, & tot tantosque sermonum eius puritas, & animi quam in facie præferebat humilitas, viros animauit & fœminas; vt infinita sexuum agmina ad viæ prosecutionem istius sub eo tempore conflarentur, & vndecumque ad id propositi exemplo eius nominis plurimi citarentur. Equestrium siquidem virorum studium hominis multum sollicitauit examen.

CAPVT XI.

S. Brunonis causa secessus in Eremum. Carthusiensium origo, atque instituta primitiua. Manassis Remens. Arch. peruersa vita.

AT quia conueniebat vt & literatorum quispiam sacri gregem Ordinis sub eodem affectum post se contraheret; fuit non longe ab his diebus BRVNO quidam in vrbe Remensi vir, & liberalibus instructus artibus, & magnorum studiorum Rector, qui conuersionis initia ex subiecta nactus occasione dinoscitur. MANASSES quidam post GERVASII famosissimi Archiepiscopi decessum, prædictæ vrbis regimini simoniacè se intrusit; vir quidem nobilis, sed nihil prorsus serenitatis, quæ prima ingenuitatem decet, habens: tantos enim fastus ex illa nouitate conceperat, vt regias peregrinarum gentium maiestates imò maiestatum ferocitates, imitari videretur. Peregrinarum dixi, in Francorum enim Regibus ea viguit naturalis semper modestia, vt illud sapientis dictum, etsi non in scientia, in actu tamen habuerint: *Principem*, inquit, *te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis.* *Eccl. 32. 1.* Is igitur cùm milites summopere affectaret, Clerum negligeret, dixisse aliquando refertur: *Bonus*, ait, *esset Remensis Archiepiscopatus, si non Missas inde cantari oporteret.*

Nota.

Huius ergò mores prorsus improbos, & stupidissimos habitus, cùm omnis honestus horreret, BRVNO in Ecclesiis tunc Galliæ opinatissimus, cum aliis quibusdam Remensium Clericorum nobilibus, infamis illius odio, excessit ab vrbe. Quem postmodum proceres, Clerus, atque Burgenses, cùm ab HVGONE, (qui Diensis agnominabatur) Archiepiscopo Lugdunensi, Apostolicæ sedis Legato, viro in fœnore iustitiæ clarissimo, creberrimo anathemate feriretur, & ille manu militari thesauros Ecclesiæ dilapidare niteretur, à sede, quam male obsederat, pepulerunt; & exilio relegatus æterno, cùm se ad excommunicatum tunc temporis Henricum Imperatorem ipse etiam excommunicatus contulisset, hàc illacque oberrans, sine Communione postremò defungitur.

Hugo Diensis Archiep. Lug. vir optimus Manassem anathematе ferit.

Operæ verò pretium dici est quiddam, quod sub ipso intra vrbem malignante prouenit. Inter Ecclesiastica ornamenta quæ militibus, qui suæ inseruierant tyrannidi, impertiuerat, Calix aureus non parui bifariam pretij erat, quia & plurimæ quantitatis fuerat, & nescio quota ibi particula auri illius quod à tribus Domino Magis oblatum est, effusa, vt ferebatur, erat. Cum ergò forcipe defectum per portiones, quibus delibuerat, dilargiretur Calicem, & nemo sacratissimæ rei suscipiendæ acquiesceret, tandem scelestus quidam eques, suo muneratori non impar, suscipere passus, imò procaciter contempta sacramenti maiestate corripiens, in amentiam illicò versus, censum, quem indebitè præsumpserat, non expendit, & tamen temerariæ cupiditatis continuò pœnas pendit.

Aurum à Magis Domino oblatum calici inclusum.

Bruno adit Carthusiam.

At BRVNO vrbe deserta, sæculo etiam abrenunciare proponit, qui suorum notitias horrens ad Gratianopolitanum processit territorium. Ibi in arduo, & admodum terribili promontorio ad quod difficillimum, & valde insolens iter intenditur: sub eo etiam præruptissimæ vallis vorago dehiscit, habitare

deligens, huiusmodi mores instituit, & sequaces eius hodieque sic viuunt.

S. Eius & discipulorum mores & ratio viuendi.

Et Ecclesia ibi est non longè à crepidine montis, paulò sinuatum deuexum habens, in qua tredecim sunt Monachi; Claustrum quidem satis idoneum pro Cœnobiali consuetudine habentes, sed non claustraliter, vt cæteri, cohabitantes.

Habent quippe singuli cellulas per gyrum claustri proprias, in quibus operantur, dormiunt, ac vescuntur. Dominicâ à dispensatore escas, panem scilicet, ac legumen accipiunt, quod vnicum pulmenti genus à quoque eorum apud se coquitur. Aquam autem tam haustui, quàm residuo vsui, ex ductu fontis, qui omnium obambit cellulas, & singulorum per certa foramina ædiculis influit, habent. Pisce, & caseo Dominicis, & valde festis diebus vtuntur: pisce dixerim, non quem sibi ipsi emerunt, sed quem bonorum aliquorum virorum largitione susceperint.

Aurum, argentum, ornamenta Ecclesiæ à nemine, nihil enim ibi præter calicem argenteum. Ad eandem Ecclesiam non horis solitis, vti nos, sed certis conueniunt. Missas, nisi fallor, Dominicâ, & solemnibus audiunt. Nusquam pœnè loquuntur, nam si quid peti necesse est, signo exigitur. Vinum, si quando bibunt, adeò corruptum, vt nil virium, nil penè saporis vtentibus afferat, vix communi sit vnda præstantius. Ciliciis vestiuntur ad nudum, cæterarum vestium multa tenuitas. Sub Priore agunt, vices autem Abbatis ac prouisoris Gratianopolitanus Episcopus vir plurimum Religiosus exequitur. Cum in omnimoda paupertate se deprimant ditissimam tamen Bibliothecam coaggerant: quò enim minùs panis huius copiâ materialis exuberant, tantò magis illo, qui non perit, sed in æternum permanet, cibo operosè insudant.

Missas diebus Dominicis & solemnibus audiunt. Silentium. Potus. Cilicium. Episcopus Abbatis vices gerens ijsdem præest. Ditissima Bibliotheca.

In tantum, inquam, suæ sunt custodes inopiæ, vt hoc ipso quo agimus anno, Neuernensis Comes, vir omninò Religiosus, ac potens, eos causâ deuotionis, & optimæ quæ hinc emanat opinionis, inuiserit: multúmque super sæculari eos cupiditate, vt cauerent inde, monuerit. Cumque regressus ad sua eorum indigentiæ, quam viderat, meminisset, & monitorum quæ eis intulerat nequaquam memor esset, nescio quæ argentea, scyphos videlicet & * scutras, pretij plurimi eis misit: sed eorum quæ dixerat illis nequaquam obliuiosos inuenit. Communicato namque mox consilio, quæcumque dixerat ad integrum refutata recepit. *Nos*, inquiunt, *neque in expensis nostris, neque in Ecclesiæ ornamentis, exterarum quippiam pecuniarum retinere delegimus. Et si in horum alterutro non expenditur, vt quid à nobis suscipitur?* Puduit itaque præuaricatoriæ contra suum sermonem oblationis Comitem: & tamen dissimulata aspernatione eorum, boum tergora, & pergamena plurima retransmisit, quæ penè ineuitabiliter ipsis necessaria esse cognouit.

Vasa argentea à Comite Niuernensi missa respuunt. f. * scutellas.

Nota.

Vocatur autem locus ille CARTVSIA, in quo terra rei frumentariæ causa parum ab eis colitur. Verùm velleribus suarum, quas plurimas nutriunt, ouium, qualescumque suis vsibus fruges comparare soliti sunt. Sunt autem infra montem illum habitacula laïcos vicenarium numerum excedentes fidelissimos retinentia, qui sub eorum agunt diligentia. Hi igitur tanto cœptæ contemplationis feruore feruntur, vt nulla temporis longitudine à sua institutione desistant, nec aliqua arduæ illius conuersationis diuturnitate tepescant.

Cartusiæ descriptio.

Inde etiam, qua nescio occasione mirabilis iste BRVNO recedens, postquam his quæ prælibauimus rudimenta, multa dictorum, & factorum inculcatione præstiterat, ad Appulos nescio Calabrosne concessit, & ibidem huic quiddam simile viuendi genus instituit. Ibi cùm multa humilitate se ageret, & omnimoda piorum exemplorum præbitione circumquaque fulgeret, ad Episcopij dignitatem ab Apostolica sede quæsitus, & tentus, fugit. Et sæculum veritus, ne ea quæ de Deo gustarat, amitteret, in dilatione tanti muneris non diuina, sed sæcularia recusauit.

Bruno in Calabria sui instituti construit monasterium.

Refugit Episcopatum.

Hæ, inquam, personæ conuersionum tunc temporis extulere primordia. His cohæsêre continuò virorum, feminarumque greges, omnis protinus ordo concurrit. Quid de ætatibus loquar? Cum decennes & vndennes infantuli senilia meditarentur, & multò castigatiora gererent, quàm ætatula pateretur. Fiebat in illis conuersionibus quod in antiquis fieri solebat martyribus, vt maior in imbecillibus tenerísque corporibus inueniretur fidei viuacitas, quàm in illis, in quibus grandæuitatis, ac scientiæ floreret authoritas.

Viri ac fœminæ illius viuendi genus arripiunt. Etiam decennes & vndecennes infantes.

Cum ergò nusquam nisi in vetustissimis Monasteriis Monachorum haberetur aliquorum sedes, cœperunt vbique loci noua construi, & vndecumque confluentibus magni alimentorum redditus adhiberi. Quibus facultas non aderat, vt grandiuscula fabricarent, alij binis, alij quaternis, alij quot poterant alendis fratribus domos, ac victualia componebant. Vnde factum est, vt in villis, oppidis, vrbibus, atque præsidiis, imò etiam ipsis saltibus, atque agris, Monachorum quaquauersum sese exercendo dilatantium repente feruere viderentur examina,

Innumera construit monasteria.

easque loca diuino nomine, & sanctorum cultibus emicarent, in quibus, & lustra ferarum, & spelæa latronum extiterant.

Spontanea eorum paupertas, extrema.

Affectabant itaque spontaneam subire pauperiem tot exemplis circumcincta nobilitas; & Cœnobia, quæ subibat, rebus à se contemptis inferens; aliis etiam ad hæc ipsa trahendis pia semper venatione tendebat. At fœminæ itidem insignes maritorum celebrium iugalitate deserta, & à piis cordibus liberorum abstenta, collatis inibi opibus, Ecclesiasticis se stipendiis contradebant.

Abundè ditantur.

Qui verò, vel quæ non poterant rebus ad integrum renuntiare possessis, eos qui abrenuntiauerant crebris substantiarum suarum largitionibus sustentabant Ecclesias & altaria multa iocundissimorum munerum oblatione circumdabant, & oratione hac piè viuendi modum, quem tales imitando exequi non poterant, talia facientes propriis ad id faciendum iuuando substantiis, in quantum licuerat exæquare studebant.

Qui institutum arripere nequibant, quid agebant.

Vnde contigit, vt his temporibus, & multitudine dationum, & dantium, imò magis solertia ad hoc propositi venientium, Ecclesiarum habitatores multimoda sua procuratione iuuantium, in tantum promouerentur Cœnobia, vt quotidiana ab illis, qui tunc florebant, statibus, per succrescentem modernorum nequitiam videantur incidere detrimenta. Iam nunc enim, proh dolor! quæ huiusmodi affectione permoti locis sacris contulere parentes, aut penitus subtrahunt, aut crebras redemptiones exigere non desinunt filij, à patrum voluntatibus vsquequaque degeneres.

Nota.

CAPVT XI.

Iterum de Matre multa attexit.

AD te tandem post has ratiocinationes redeo, Deus meus, super illius bonæ mulieris matris meæ conuersione. Quæ siquidem ab annis vix nubilibus patri meo, prorsus adolescenti, auo meo prouidente, contradita, cùm esset scito admodum vultu, & oris habitudine naturaliter ac decentissimè graui ingenua; tamen diuini nominis timorem in ipsis pueritiæ parturiuit initiis. Ita enim non experientiâ, sed quodam superni metus incussu horrere peccatum didicerat, & vt ipsa mihi sæpiùs referre solebat, ita subitæ timore mortis mentem ingurgitauerat, vt iam grandæua doleret, quòd non eosdem in maturo animo boni stimulos pauoris haberet, quos in rudi & nescio prorsus habuerat.

Matrimonij effectus impeditur maleficio.

Accidit igitur vt efficientia coniugalis, in ipso legitimæ illius confœderationis exordio, quorumdam maleficiis solueretur. Nouercalis enim huic matrimonio non defuisse ferebatur inuidia, quæ plurimæ speciei & generis cùm neptes haberet, in ijs aliquam paterno thoro moliebatur immergere. Quod cùm minimè processisset ad votum, prauis dicitur artibus effecisse, vt thalami omnino cessaretur effectus. Cùmque integro virginium illibatum permansisset triennio, & sub magno tantum infortunium premeretur silentio, tandem à suis citatus necessariis pater rem primus prodidit. Quantis putas modis elaborauêre parentes, vt diuortium fieret inter eos, & patrem meum tempore iuuenem, sensu hebetem monachicè sedulò commouebant; licet tunc super hoc ordine rarus valde haberetur sermo: quod quidem non salutis eius causâ, at verò possessionum eius obtinendarum intentione fiebat.

Verùm postquam hæc eorum suggestio nil eualuit, puellam crebris cœperunt vrgere latratibus, vt videlicet à suis longè posita dum externorum oppressionibus pulsaretur, sine vllo repudio per se iniuriis fatigata discederet. Interea illa pati, quæ impingebantur verba æquanimiter tolerare, si quid exinde controuersiarum emergeret, ac si nescia, dissimulare. Præter hæc cùm eam opulentissimi quidam ab vsu maritali exortem conspicerent, cœperunt animum pulsare iuuenculæ; sed tu, Domine, castitatis internæ fundator, tu ei sanctimoniam inspiraueras, quam non patiebatur natura nec ætas. Ex te, Domine, habebat, quod in igne posita non ardebat. Tu faciebas quod ad præstillationem malorum colloquiorum mores eius etsi teneri non deprauabantur, imò quòd oleum camino addebatur, quòd videlicet naturalibus (quæ habere humanum est & commune) moribus externa lenocinia adhibebantur: & tamen virgunculæ animus sui semper capax, nullis incentiuis extra se ferebatur. Nonne hæc tui solius sunt opera, Domine, qui eam in primæuæ ætatis calore positam, & omnino iugiter in ipsis coniugalibus officiis constitutam, septennio integro subtanta continentia conseruasti, vt iuxta illud sapientis cuiusdam dictum, etiam fama de ea mentiri vereretur.

Septennio Virgo permansit.

Deus, tu scis quàm difficile, imò quàm nullo modo penè in fœminis huius temporis id seruaretur: cùm pudicitia in illis tanta diebus extiterit, vt aliquo vix rumore matrimonium cuiuslibet roderetur. Eheu! quàm miserabiliter ex tunc ad nostra sæcula pudor & honestas paulatim in virgineâ professione ruit, & res & species custodiæ matronalis extabuit, vt in omni earum habitudine sola possint notari triscurria, vbi nil nisi iocularia sonant, & oculorum nutus & lingua. Petulantia in incessu, nihil non ridiculum con-

Dissolutio puellarum.

Vestes.

stat in moribus. Vestium qualitates in tantum sunt ab illa veteri frugalitate dissimiles, vt dilatatio manicarum, tunicarum angustia, calceorum de Corduba rostra torticia, totius vbique iacturam videas clamare pudoris. Æstimat se quælibet extremas attigisse miserias, si amasiorum opinione caruerit: & tantò sibi nobilitatis & curiæ gloriam arrogat, quò huiusmodi procorum numero florentiore redundat. Erat, testor Deum, tunc temporis maior in viris fœminas ducentibus pudor, in tantum vt videri inter hæc erubescerent, quàm modò in nubentibus fœminis habeatur: quos certè ista verecunda negocia iactantiores & fori ac publici amantiores efficiunt.

f. * has.

Vt quid hoc Domine Deus meus, nisi quia ideò nullus super sua leuitate ac lasciuia erubescit, quòd omnes teneri sub pari nota conspicit. Et cùm sub eodem affectu, quem habent omnes, pene agere sentiat, vnde quæso studij huius eum pudeat, ad quod coaspirare cæteros videat? Sed cur dico pudeat, cùm hoc solum talibus sit pudori, si quis eorum in exemplanda libidine minus emineat? Nec detinet pro amorum numero, aut selecta quam alexit specie aliquem priuata iactantia, neque contemptus est eò singulariter apud te intumuisse quod amat, sed communem corruptionem magnifico apud vniuersos fauore concelebrat. Ecce clamor, dum quod verecundè tegi debuerat, dum quod conscientia debilitatæ castitatis accusat, & omninò deprimi dignum erat, effræni per inolitam prauitatis licentiam animo æterno damnandam silentio impudens quis huc illucque iam prædicat. Hoc & huius simili modo modernum hoc sæculum corrumpitur & corrumpit, dum malè concepta in alios spargit, sparsum etiam vsque in infinitum traducta fœditate propagatur in alteros.

Mater noxia abhorret, studetque morū honestati.

Deus sancte, nihil pene horum eo tempore, quo illa famula tua sic agebat, vspiam audiebatur: imò sacrosanctæ verecundiæ pallio & tegebantur indigna, ac idonea * cornabantur. In illo, Domine, septennio virginitas illa, quam tu in ea mirificè continuasti, sub innumeris oppressionibns agonizabat, dum soluto paterno connubio, ad alterum eam transferre maritum sæpissimè minabantur, aut in exteras remotiorum parentum meorum domos abducere. Planè etsi aduersus has importunitates acerbissimè aliquoties desudabat, tamen contra propria lenocinia carnis, & quorumcumque externorum temperamenta mirabili, sed ex tuo munere, Deus meus, temperantiâ decertabat.

f. * coronabantur.

Non dico, Bone Deus, qua virtute id fecerit, sed quod tui solius virtus fuerit. Quomodo enim virtus fuit, quam nulla spiritus carnisque discretio, nec pia ad Deum intentio, sed sola exterioris honestatis, aut euitandæ infamiæ cura peregerit? Vtile planè est verecundiâ saltem peccato ingruenti resistere; quæ sicut vtilis est ante peccatum, ita post peccatum damnabilis. Quod enim sic animum pio pudore consternat, vt à peccati perpetratione cohibeat, ad tempus est vtile, quia potest Dei timor, qui pudorem insipidum sale diuino condiat, accedere: & quod ad tempus, idest ad sæculum, prodeerat, vtile non ad momentum sed æternaliter facere. Hæc est namq; verecundia adducens gloriam, quæ tamen tantò est perniciosa post culpam, quantò pertinaciùs confessionis sanctæ obstruit medicinam. Habebat, Domine Deus, famula tua mater mea intentionem illam, quòd ad sæculi honestatem contrarium nil ageret: sed tamen iuxta GREGORIVM tuum, quem tamen nec legerat, nec legi audierat, in ea intentione non mansit, quia ad te solum postea quidquid intendebat, transtulit. Ergo sic sæculari reuerentiæ inseruisse tunc temporis commodum illi fuit.

Vtilis verecundia ante peccatum, post perniciosa.

Voluto igitur post septennium & amplius maleficio, quo naturalis legitimíque commercij copula rumpebatur, nimium planè satis credibile est, vt sicut præstigiis ocularis ratio peruertitur, vt de nullis, vt sic dicam, aliqua & de aliis alia fieri per Magos videantur: ita vires huiusmodi ac venerea molimina multò minori artificio confundantur: ita enim populariter actitatur, vt iam ab rudibus quibusque sciatur. Cassatis, inquam, per anum quamdam illis prauis artibus, ea fide thalamorum officio deseruiuit, qua diutinam Virginitatem sub tantarum animaduersionum pulsatione seruauit. Felix nempe alias in eo se infinitæ non tam miseriæ quam miserabilitati addixit, quòd tunc bona, & multo magis postmodum bona semper malum, & meipso deteriorem semper ediderit. Tu scis tamen Omnipotens, quàm purè, quàm sanctè secundum te me educauerit, quantas gerulorum in infantia, quantas puerascenti pusiolo mihi pædagogorum ac magistrorum curas adhibuerit, cùm non etiam pro corpusculo vestium pompa defuerit, vt regios aut comitiuos pueros obsequiis æquiparare viderer. Nec soli, Domine, matri contuleras hunc affectum, sed & aliis ditioribus multo personis tu instinxeras, vt non tam pro consanguinitatis necessitudine, quàm causa gratiæ ad hoc à te mihi præstitæ, cultum mihi & nutrituras impenderent.

Euoluto septennio euanuit maleficiū mariti illatum.

Optimis ipsa Guibertum instruit disciplinis.

Deus, tu scis quanta monita, quantas auribus meis preces quotidie instillabat, ne corru-

corruptionis cuiuspiam verba susciperem. Docebat, quotiens à curis familiaribus solitudo vacabat, quomodo, & super quibus te orare deberem. Tu nosti solus quantis angoribus parturibat, ne initia florentissimæ ac spectabilis, quam tu dederas, ætatulæ, animus malè sanus sana peruerteret. Voti eius tu feceras, vt ad te indesinenter æstuarem, quatinus præstares internam decori illi meo externo virtutem summoperè, aut sapientiam. Et, Bone Domine, Bone Deus, si tunc præsciret quanto sordium cumulo obliteraturus eram bonas illas donorum tuorum superficies, quibus me illa impetrante ornaueras; quid dictura? Quid actura? Quam irremediabiles gemitus emissura? Quam mentis dilacerationes incursura esset! Gratias tibi, dulcis & moderate Dispositor, qui finxisti sigillatim corda nostra. Planè si penetralia animi mei mundis adeò indigna conspectibus mundissimus eius oculus irrupisset, miror, si illicò exanimis non fuisset.

In quibus haud continuò perstitit ipse.

CAPVT XII.

Pia matris exercitia.

HIs per occupationem dictis ad aliqua retro omissa redeamus. Huic inquam fœminæ inter sæculo seruiendum, Dei nominis reuerentiam semper affuisse didicimus, in tantum, vt in obsequio Ecclesiarum, in beneficio pauperum, in oblatione sacrificiorum sic se ageret, vt venerabilis omnibus esset? Sed scio quia pariter mihi exinde plurima adhibendæ fidei difficultas, quam præcludere videbitur, suspectæ, vt putatur, laudis affinitas. Si matrem attollere, cautè ac fallaciter seipsum extulisse videtur, te, Deus, qui eius animam vt inhabitator nosti, testem compellare præsumo, omnimodis excellere, quod est illud, quod dicitur. Et certè cùm luce clariùs pateat vitam meam à bonorum omnium exorbitare vestigiis, & studia semper mea sensatis omnibus probro esse, quid mihi proderit aut paterni seu auiti nominis magnitudo, vbi de prole miserrima tota coarctabitur latitudo? Et qui ad eorum mores nulla voluntatis & actus contemperatione regenero, ad infamiæ superequitat malum, si eorum mihi laudes ascribo.

Huic igitur, dum sub marito adhuc iuuencula ageret, tale quid contigit, quod non minimum correctionis ei vitæ incentiuum præstitit. Franci HENRICI Regis tempore cum Normanis & eorum Comite GVILLELMO, qui Anglos postmodum subegit, & Scotos, multa animaduersione certabāt, in quo gentis vtriusque concursu patrem meū capi contigit. Cuius Comitis consuetudo fuerat, vt numquam captiuos suos ad redemptionem cogeret, sed perpetua, dum aduiuerent, carceris relegatione damnaret. Quod vbi relatum est coniugi, necdum enim natus eram, nec longo post tempore fui, & ideo Matris supersedeo nomini, miserabili mœrore examinata defecit, à cibo potuque destitit, somnum desperatissima solicitudo plus vetuit. Nec de multitudine redemptionis in eius animo causa erat, sed de irremeabili captiuitate mœrebat.

Maritus bello captus.

Cùmque eiusdem noctis fieret intempestum, & illa atroci anxietate plenissima proprium cubile foueret, sicut diabolo consuetudinarium est, vt potissimum animis tristitia maceratis immergat, subito vigilanti illi ipse inimicus incubuit, & grauissimo pene vsque ad extinctionem pondere iacentē oppressit. Cum sub hac eius spiritus suffocaretur angustia, & omnium membrorum ex toto libertate careret, vocis autem cuiuspiam sonitum nullatènus emittere posset, solùmq; Dei muta penitus, sed ratione libera, præstolaretur auxiliū; ecce à lectuli eius capite quidam spiritus, hauddubium quin bonus, sic inclamare non minus affectuosa, quàm aperta voce cœpit: *Sancta* MARIA *adiuua*. Et cum aliquamdiu sic dixisset, & quod dicebatur plenè illa intelligeret, sentiente illa quæ tantopere vexabatur, cum grandi animaduersione erumpit. Quo erumpente, ille qui incumbebat assurgit, quem ille obuius apprehendit, & vtpote ex Deo violentus cum tanto fragore subuertit, vt impulsu grauiter cameram quatiente, assecula sopore depressas insolenter nimis exciret. Illo igitur sic diuinis virtutibus exturbato, pius ipse spiritus qui MARIAM clamauerat, & dæmonem pepulerat, conuersus ad eam quam eruerat; *Vide*, inquit, *vt sis bona fœmina*. At pedissequæ strepitu repentino attonitæ, qualiter sua se haberet domina videre consurgunt, quam moribundam exangui vultu, & totius corpusculi viribus profligatis inueniunt; de sonitu sciscitantur, & ab ea illicò causas audiunt, cuius vix spiritum & præsentiā, & confabulatione, & accensione luminis refouere queunt.

Inde grauissimè afflictatur.

Verat eam dæmon.

Vltima ergo sui liberatoris verba, imò per tuum nuncium tua, Domine Deus, mulier illa retinens, perpetuâ condidit memoriâ, & in plurimum affectum, si facultas suppeteret, Deo in posterum præstante ducenda seruauit. Obita igitur morte parenti, cùm multo adhuc carnis & vultus splendore niteret, & ego annum fermè natus dimidium solus ei solicitudinis causas darem, de viduitate continenda proposuit; in quâ quanta viuacitate se rexerit, quanta modestiæ exempla præbuerit, ex hoc vno subiecto conici potest:

Cùm annum ageret Guibertus obiit pater.

S s

quòd cùm parentes mei patris mei benefi- A ciorum possessionumque æmuli, ea omnia, matre exclusa, obtinere niterentur, causæ actitandæ constituêre diem.

Dies affuit, & proceres circa omnem acturi iustitiam considerant. Mater de eorum cupidissimis * .... conatibus in Ecclesiam concesserat, & ante Domini Crucifixi imaginem debitæ memor orationis astabat. Ad quam cùm vnus de meis à patre parentibus, eadem quæ alij sentiens, & ab eis directus venisset, & vt ad illos, qui eam præstolabantur, accederet, iudicium eorum auditura rogaret, illa intulit: *Super hac*, inquit, *re non nisi sub præsentia Domini mei agam.* Et ille, *cuius*, ait, *Domini*? Et ad imaginem Crucifixi Domini prætensa manu: *Hic*, inquit, *est Dominus.* His auditis, *hic mihi causidicus sub quo agam.* Erubuit dicto ille, & vt erat non minimum versipellis, risu extortitio fucatâ nequitiâ abiit, audita relaturus ad suos. Qui & ipsi tali responsione suffusi, cùm se nil iustæ occasionis aduersus eius omnimodam honestatem habere cognoscerent, ei insistere desiuerunt.

F. * certa.

Multa negotia matri facessunt parentes.

Nec mora vnus de loci & prouinciæ primoribus patris mei nepos, vir sicut potens, sic cupidus, fœminam tali sermone adoritur. Cùm tibi, inquit, domina suppetat iuuentus & species, thalamum iurare te conuenit, vt & tu ad sæculum iocundiùs viuas, & auunculi mei liberi à me fideliter nutriendi sub cura mea degant, denique & possessiones eiusdem ad mea, vt competit iura recurrant. At illa: Scis, inquit, auunculum tuum claris bene natalibus propagatum; qui, quia Deo eum efferente decessit, sua non repetet, Domine, apud me Hymenæus officia, nisi se vltrò mihi obtulerint nobilioris multò personæ connubia. Idcirco autem cauta illa mulier de nobiliore est sortiendo locuta, cùm sciret vix aut nullatenus posse contingere, vt cum ille nomen nobilioris horreret, illa continuò nobilibus ac ignobilibus generaliter reprobatis, spem sibi secundæ suæ coniugationis adimeret. Cùm igitur ille magnæ superbiæ quod de nobiliore dixerat, ascripsisset, illa subintulit: Certè aut nobiliorem, aut nullum. Intelligens ille qua intentione matrona dissereret, desciuit à cœpto, & denuo ab ea nil tale quæsiuit.

Respuit secundas nuptias.

Igitur sub plurimo Dei timore, nec minori totius affinitatis & maximè egenæ manus amore, fœmina prudens nos & nostra regebat, fidem quam aduiuenti marito seruauerat, consequenter & animæ duplici tenore ferebat, dum & corporis veterem vnitatem subintroducta altera carne, eo decedente, non diuidit, & quotidiana pene salutiferæ hostiæ oblatione ipsi subuenire contendit. Et cum omnibus pauperibus generaliter esset affabilis, quibusdam pro facultate multa fuerat miseratione benefica & dapsilis. Peccatorum enim suorum memoria tantopere angebatur, ac si vniuersis addicta nequitiis pœnas omnium quæ geruntur malorum, incidere vereretur. In frugalitate planè nihil poterat, cum teneritudini eius & vsui lautiori alimentorum parsimonia minimè conueniret. Ad alias omnino inopinabiliter se habebat. Nam hisce oculis vidi, manibusque tractaui, quòd cultiori extrinsecus aliquotiens veste prætensa, cilicio hispidissimo contegeretur ad nudum, nec solùm interdiu adportabat, sed etiam quod delicato admodum valde insolens erat corpori, in eo ipso noctibus cubitabat.

Dies viduitatis sanctè ducit.

Cilicio domat carnem.

Nocturnis officiis vix aut numquam deerat, cùm diuinis temporibus communia Dei populo frequentaret. Sic equidem, vt Capellanorum studium indesinens numquam pene apud ipsam à Dei laudis celebritate vacaret. Coniugis defuncti mentio adeò fuerat eius iugis in ore, vt nihil aliud animo voluere videretur, dum inter orandum, inter eleemosynas largiendum, inter etiam vulgariter agendum, hominem illum, quod sine mente non poterat, continue loqueretur. Cuius enim amore cor exuberat, eo se lingua ad loquendum quasi velit nolit, informat.

CAPVT XIII.

Sed his omissis, in quibus quidem bona, sed non adeò spectanda processit, residua consectemur. A patris mei obitu cùm ferme duodennium, vt quidam asserunt, expleuissem, quo & domum atque natos prælato sæculi habitu sub viduitate curauerit, quæ diutina reuolutione parturiit, fœlicem perducere properabat ad partum. Dum ergo in huius propositi deliberatione penderet, & cum solo pædagogo meo, qui & magister fuerat (de quo superiùs egi) super hoc ipso tractaret, audiui quendam energumenum, qui in eius alebatur domo, cùm de ea nescio quæ alia delatraret, vrgente se dæmone, declamantem: *Crucem*, inquit, *posuerunt presbyteri in renibus eius.* Quo siquidem nihil verius, licet tunc nequaquam quid innueret sciuerim. Nam non vni, sed multis seipsa deinde supposuit crucibus. Nec mora cũ nemini res pateret, præter illi quem prælibauerim, cuidam domus suæ dispensatori, qui & ipse conuersam eam citò est postmodũ sæculi abrenũtiatione secutus, tale quid in somnis apparuit; quòd videlicet

Diuersa de ipsa præsagia.

virum duceret, nuptias celebraret; quæ res liberis eius, amicis ac parentibus miraculum & stuporem maximum generaret. Postridie mater cùm deambulatum comite doctore meo, & eodem œconomo rus iret, intulit ille quæ viderat. Nec mater in talibus versutissima interprete eguit, sed ad magistrum illum respiciens, quòd ea quæ inter eos de Dei, cui coniungi desiderabat, amore tractabantur, visa illa portenderent, silenter innotuit. Accelerans ergo quod cœperat, & interni sui æstus impatiens, oppidi, in quo morabatur, conuersationem deseruit.

Quo digressionis tempore apud episcopalem quamdam morata est villam, à domino Bellouagensi Pontifice GVIDONE illic commanendi impetrata licentia. His GVIDO vir omni curialitate compositus, nobiliter oriundus, forma exteriori valde officio quod gerebat idoneus. Qui post clarissimas quas Ecclesiæ Beluacensi præstiterat vtilitates, inter quas sancti QVINTINI à primo lapide Canonicorum regularium Ecclesiam fundauerat, accusatus ab his quos educauerat, atque promouerat, clam apud Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum Apostolicæ sedis Legatum, Simoniæ, & aliorum criminum, quia vocatus non venerat, adiudicatus absens depositioni, cùm esset Cluniaco, inflictæ sibi sententiæ timidus, ad monachiam ibidem sese contradidit. Is & matrem & parentes meos cùm videretur amplecti, & me potissimùm caritudine plurima affectaret, præsertim cui omnia benedictionum sacramenta præter sacerdotium contulisset, à necessariis matris meæ rogatus, vt in propriis, quæ iuxta loci Ecclesiam constitutæ erant, ædibus degere aliquantisper sineret, gratanter admisit. Vocatur autem villa ipsa CASTANENTVM ab oppido nostro milliariis fermè remota duobus.

Guido Belvac. Episcop. fundat Ecclesiam S. Quintini.

Simoniaci criminis accusatur, deponiturque, & Cluniaci fit monachus.

Guiberti natale oppidum. Mater secessit, & S. Germani propè Ecclesiam, construit ædiculam.

Inibi igitur consistens ad Flauiacense monasterium sese deliberauerat concessuram. Extructis itaque inibi ædiculis prope Ecclesiam, mediante præfato magistro meo, tandem à loco in quo morabatur emersit, & cùm sciret me prorsus orphanum, & nullam omnino habere sub qua niterer opem: parentum siquidem & affinium multiplex erat copia; at verò nullus qui puerulo in omnibus tenerrimo, pro indigentiis ætatulæ sollicitè curam ferret; victualium enim ac indumentorum etsi esset nulla necessitas, earum tamen prouidentiarum, quæ illius æui impotentiæ conueniunt, quæ sine fœminis administrari non possunt, me sæpius vexabat inopia. Cùm ergò me sciret his addictum incuriis, timore & amore tuo, Deus, sua obdurante præcordia, sub oppido illo, in quo degebam, dum ad prædictum monasterium demigraret, transitum habens, tantis cordis lacerabatur æstibus, vt castellum ipsum vel respicere pro tormento intolerabili sibi esset: acerbissima enim mœstitia, dum cogitat quid ibidem reliquerit, mordebatur. Nimirum plane si veluti ab eius corpore membra propria viderentur abrumpi, cum impijssimam & crudelem se profectò cognosceret, immò audiret vocari, quæ tantam sobolem, tanto, vt ferebatur, affectu dignam (multum enim non modo à nostratibus, sed etiam ab exteris excolebar) ita ab animo exclusisset, subsidiíque inopem dimisisset. Et tu, Deus bone, Deus pie, tua dulcedine, tua charitate iecur illud certè in sæculo pijssimum, ne esset contra se pium, mirabiliter indurueras. Contra se nempe mollesceret, si nos suæ saluti præferens, Dei negligens pro nobis mundana curaret. Sed fortis fuit vt mors dilectio, quia quò te dilexit arctius, tantò ea quæ prius amauerat, visa est à se abrupisse securiùs.

Filij absentiâ cruciatur, & angitur.

Ad cœnobium ergò illud veniens, anum quamdam in sanctimoniali habitu reperit, quam quia plurimam religionis speciem præ se ferebat, ad sibi cohabitandum discipulari quadam exhibita ei subiectione coëgit. Coëgit, inquam, cùm ipsa ambientissimè, expertis eius moribus, sodalitium tale collegerit. Cœpit itaque pedetentim antiquioris illius fœminæ rigorem imitari, victus parsimoniam sequi, pauperrima obsonia amplecti, consuetudinarij stratus mollia fulcra reiicere, linteolo & stramine frumentario contenta dormire. Et cum multa adhuc niteret specie, nullumque prætenderet vetustatis indicium, ad hoc ipsa contendere, vt rugis anilibus ad cernuos defluxisse putaretur annos. Defluentia ergo crinium, quæ fœmineis potissimùm solent ornatibus inseruire, crebro forcipe succiduntur, pulla vestis & amplitudine insolita displicens, innumeris resarcitionibus segmētata prodebat cum natiui coloris palliolo, & sutulari partusuris incorrigibilibus terebrato, quoniam interius erat cui sub tam inglorio apparatu placere gestiebat.

Quàm austerum vitæ genus amplectitur.

Confessio igitur veterum peccatorum, quoniam ipsam didicerat initium bonorum, quotidie penè noua cùm fieret, semper animus eiusdem exactione præteritorum suorum actuum versabatur; quid virgo ineunte sub æuo, quid virita, quid vidua studio iam possibiliore peregerit, cogitauerit, dixerit, semper rationis examinare thronum, & ad sacerdotis, imò ad Dei per ipsum cognitionem examinata deducere. Inde cùm tantis videres fœminam orare stridoribus, tanta spiritus anxietate tabescere, vt inter operandum cum dirissimis vix vllo modo cessa-

Confessio peccatorum.

Orationes.

rent deprecatoria verba singultibus. Septem pœnitentiales Psalmos sub præfata anu non videndo sed audiendo didicerat, quos tamen saporosè, vt sic dixerim, diebus ac noctibus ruminabat, vt numquam suspiriis, numquam gemitibus in auribus tuis, Deus, suauissimè resonans cantilena illa careret. Si quando verò exterorum hominum conuenticuli eius solitudinis quam amplectebatur admodum turbarentur; cum ipsa enim omnes, qui ipsius notionem attigerant, viri præsertim ac fœminæ nobiles, quoniam mirè erat faceta & temperans, gratissimè loquebantur, ipsis discedentibus, si quid minus verum, si quid futile, si quid ociosum se colloquiis immersisset, illud in illius animo dici non potest quas parturiebat angustias, donec solitas aut compunctionis seu confessionis attingeret vndas.

In verbis circumspectio.

Sed quantumcumque studium, quantacumque sollicitudo eius haberetur in talibus, nil fiduciæ, nil securitatis menti eius afferre poterat, quin semper lugeret, quin semper an reatuum suorum posset mereri veniam flebilissimè rogitaret. Et tu scis, Deus, quantorum peccatorum, & nos non nescimus. Quam praua est, Domine, ad comparationem * tuam quorumdam, qui neque dolent, neque suspirant, summa eorum. Tu nosti, Domine, in quantam metiri poteram statum cogitationis ipsius, quòd numquam in timore supplicij & amore tui eius viderim animum tepuisse.

f. * *eius.*

CAPVT XIV.

Qvid plura? ipsa vt prælibatum est, sæculo repudium ita dante, ego solus sine matre, sine pædagogo, sine magistro remanseram. Ille enim qui me adeò fideliter post matrem educauerat, atque docuerat, matris meæ exemplo, amore ac monitu concitatus, ad monachatum Flauiaci sese contulerat. Praua ergo libertate potitus, cœpi intemperantissimè meo abuti imperio, ridere Ecclesias, scholas horrere, consobrinulorum meorum Laïcorum, qui equestribus imbuebantur studiis, affectare sodalitia, exe-crando Clericatus signum, remissionem criminum polliceri, somno, cuius parua licentia quondam mihi laxabatur, indulgere, vt ex insolita nimietate tabescerem. Interea actuum meorum gloria maternas concutit aures, & ex auditis instans exitium meum ipsa coniiciens pene exanimata defecit. Cultus enim vestium, quos inter procedendum ad Ecclesias habere solebam, & quos vt magis ad clericatum animarer, ipsa parauerat, hos ad lasciuiam, quam nec ætas patiebatur, circumferre, maiusculos ad petulantiam iuuenes æmulari, pensi & moderati omnino nihil habere.

Guibertus genio & voluptatibus indulget.

Cum ergo tantò dissolutius, imò vesaniùs me haberem, quantò arctiùs & castigatiùs antea victitassem, mater impatiens auditorum ad Abbatem se contulit, & vt magister meus iterum me doceret, & ab eodem Abbate & fratribus impetrauit. Abbas siquidem aui mei alumnus, & eius curiæ ex beneficio obnoxius, facilè fuit, & meo aggratulans aduentui, benignè susceptum studio deinceps benigniore tractauit. Testor te horum, Pie Dispositor Deus, quia ex quo Basilicam monasterij ipsius intraui, & monachos considentes pariter vidi, & ex eorum contuitu tantum monachiæ concepi desiderium, vt nullatenus deferuesceret, nec sub quiete animus ageret, donec sui voti sortiretur effectum. Cum igitur sub eodem eis claustro cohabitans, totum esse ipsorum habitudinésque considerans, & sicut solet à vento flamma succrescere, ita ex contemplatione eorum semper mens mea conformationi illorum inhians, non poterat non ardere. Solicitatur denique ab Abbate loci congeminatis quotidie precibus, vt monachum ibidem me facerem, & cùm infinito ad id æstuarem desiderio, ad huiusmodi pollicitationem tamen per vllas rogantium angarias mea lingua solui non poterat, & quod mihi modo iam grauescenti difficillimum esset, vt de tanta cordis abundantia omnino silerem, haud ægrè puerulus obseruabam.

Redit ad bonam frugem.

Tandem matri rem prodidi, quæ puerariam verita leuitatem, tanta ab hoc proposito me ratiocinatione reiecit, vt me non minimùm pœniteret, quòd ei gerenda retexerim, cùm & eadem magistro dixissem, multo longius & ipse me pepulit. Quâ vtriúsque repulsâ grauissimè irritatus, aliàs animum deliberaui appellere. Itaque sic me cœpi agere, ac si nihil horum cœpissem appetere. Et cùm ab octauis Pentecostes vsque ad Natalem Dominicum distulissem, & votis ardentissimis peragendo negotio aspirarem, matris reuerentiam, magistríque timorem impatiens, Domine, tuæ internæ stimulationis abieci, & ad Abbatem, qui tantopere fieri hoc ardebat, & nihil sponsionis in tantis solicitationibus ab ore meo haurire potuerit, me conferens, eius pedibus me affudi, & his ipsis verbis, vt videlicet peccatorem susciperet, flebiliter admodum exoraui. Qui petitis lætus fauens, vestes quæ necessariæ fuerant quantocyùs, idest postridie præparatas, produxit, & me matre procul aspiciente, ac flente induit, & eleemosynas proinde eo die fieri mandauit.

Monachum induit Flauiaci.

Interea ille meus quondam magister, quia

districtioris causâ regulæ me vlterius docere non poterat, saltem instigare ad ea quæ legebam diuina volumina discutienda curabat, minus cognitas quasque dictiones & doctioribus recogitare, prosulas, versiculósque componere, & quò mihi erudiendo minor ab aliis cura impenderetur, eò me commonens arctiùs elaborare. Et, ô Domine, lumen verum, plenè recordor tuæ inæstimabilis, quam mihi tunc extribuisti, largitatis. Nam mox vt habitum tuum te inuitante suscepi, illicò mihi visa est à facie cordis nubes amota, & illa mox introducere cœperunt, in quibus pridem euagabar cæcus & errans. Præterea tanto discendi affectu repente sum animatus, vt huic soli rei vnicè inhiarem, & incassum me viuere æstimarem, si diem sine tali quolibet actu transigerem. O quotiens dormire putabar, & corpus sub pannulo fouere tenellulum, & spiritus meus aut dictaturiens arctabatur, aut quippiam obiecta lodice, dum iudicia vereor aliena, legebam.

Strenuè literis dat operam.

Et tu, Iesu pie, non nesciebas qua intentione id facerem, conquirendæ vtique gratia laudis, & vt præsentis sæculi honorificentia maior occurreret. Habebam planè contra me amicos, qui etsi bona mihi suadebant, crebrò tamen & laudes & ex literis claritudines ingerebant, & per hæc culminum opúmque assecutiones. Spes igitur omni aspidum ouo deteriores cordi improuido afferebant, & cùm omnia quæ spondebant, citissimè adimplenda putarem, vanissimis me expectationibus deludebant. Quod enim in grandæuo euentura dicebant, ego planè adolescenti atque iuuenculo accessum putabam. Proponebant nempe mihi & eam quæ te auctore in dies excrescebat scientiam, & bonos ad sæculum natales & formam; sed non recordabantur quia per hos gradus vetuisti ascendi ad altare tuum, quod sic soleat turpitudo reuelari. Qui enim ascendit aliunde, ille fur est & latro, quod est turpitudo.

Sed vt laudes captet humanas.

Et id nonnullorum suggestione.

Sed in his meis te inspiratore primordiis, si aliud sapuisset, præparanda mihi fuisset anima ad tentationem. Et certè tunc temporis quodammodo insipidè sapiebam. Licet enim pueriles admodum gaudiorum scilicet ac irarum motus haberem, ô vtinam tum Domine tuum iudicium sic timerem; peccata etiam maxima sic modo horrerem, quomodo tunc minima & prope nulla horrebam. Emulabar sanè, & quamauidissimè eos, quos sua videbam commissa deflentes, & visui audituique meo erant gratissima quæcumque ex te erant. Et qui in scripturis nunc iactantiam & verba quæro, immò ipsorum Ethnicorum infamia dicta pro garrulitate contineo: tunc fletus, dolorumque causas exinde exigebam, nec me legisse putabam, quotiens in ipsa lectione nihil contemplatiuum, nihil compunctioni habile attingebam, scienter ego nescius sic agebam.

Quanta compunctione adolescens præditus erat, & quàm vtiliter lectioni intendebat.

At hostis ille antiquus, qui pro statibus animorum, pro qualitatibus ætatum se habere longæua diuturnitate perdidicit; ille, inquam, pro modulo mentis ac corpusculi mei noua mihi bella parturiit. Nam in somnis mortuorum hominum mentis meæ obtutibus crebrius imagines inferens, & maximè eorum quos vspiam gladiis, aut quolibet internecionis genere aut videram, aut occubuisse audieram, tantis spiritum somno solutum speciebus exterrebat, vt noctibus, nisi me prædicti magistri mei vigilantia communiret, neque lecto cohiberi, neque à clamoribus arceri, immò & vix sensum regere possem. Quæ molestia quamuis aliquibus inexpertis puerilis esse atque ridicula videatur, tantæ apud eos qui ea vrgentur calamitatis habetur, vt timor ipse, qui à plerísque putatur ineptus, nulla valeat ratione, nullo consilio temperari, & cùm ipse qui patitur, idipsum quod patitur, flocci pendat, nulla tamen auctoritate spiritus, vbi se sopori, vel parum immerserit horrentia visa recutiat, immò somnum repetere mens grauiter à timoribus irrequieta pertimeat. Cui siquidem passioni etiam frequentia & solitudo paria sunt, dum societas timori non obstat, & solitaria semper habitatio aut magis, aut tantumdem quod consueuit, efficiat.

Terricula cum monimè ciant.

Hæc sæpiùs ratione cohiberi nequeunt.

Multùm, Domine Deus, ab eo in quo nunc ego statu diuersa gerebam: tunc planè sub magna tuæ legis reuerentia, & infinita totius peccati execratione viuebam, quæque ex te & dici, & audiri, & sciri poterant ambientissimè combibebam. Scio, Cœlestis Pater, quia talibus pueruli studiis sæuissimè diabolus irritabatur, à me postmodum totius pij feruoris desertione placandus. Vnde & nocte quadam cum tanta misera sollicitudine experrectus, hyberno, vt opinor, tempore in meo me lectudo continerem, & lampade proxima clarissimum reddente lumen securior esse viderer, ecce repente & haud longè de superioribus vt putaui, multarum vocum, cùm nox esset intempesta, clamor emersit. Vox autem sine verbo fuit, * ô solum vi calamitatis. Et illicò concussis veluti ad somnum temporibus à sensu rapior, & mortuum quempiam, quem obiisse in balneis quidam conclamabat, videre mihi videor. Qua imaginatione conterritus, cùm è statu prosiliens subclamassem, in ipso primo motu meo respiciens, lampadem vidi extinctam, & per medias rugientis vmbræ caligines sua ipsius specie dæmonem stantem prope intueor. Cuius visione teterrima pene efferarer in rabiem, nisi me magistri

Visio terrifica.

f. sed.*

mei, qui his terroribus moderandis crebrius excubabat, perturbatum & amentem solertia refouisset.

Vehementiùs in recens conuersos sæuit dæmon.

Nec me latebat, Deus meus, in ipsa annorum puerilium teneritudine, quia studium bonæ intentionis, quo meus animus tunc feruebat, incentorem meæ malignitatis diabolum non modicè incitabat. Et ô pie Deus, quid victoriarum, quid pro victoriis coronarum hodie commeruissem, si immobiliter ad id certaminis perstitissem? Plurimis etiam auditarum rerum coniecturis experior aduersus nuper conuersos, seu eos qui ad hoc propositum semper aspirant, vehementiùs dæmones acerbari. Vnde memini tempore GVIDONIS Bellouagorum Episcopi (cuius superius mentionem fecerim) quendam inter familiares suos iuuenem de equestribus extitisse, quem præ suis pene contubernalibus Episcopus idem specialiter affectabat. Quem cùm prauitatum suarum atrocissimè pœniteret, & de sæculari conuersatione modis omnibus moliretur effugium: cùm super hac nouitatum reuolutione acerrimè roderetur, nocte quadam cùm in Episcopi cubiculo ipse dormiret, & religiosus admodum vir quidam IVO nomine sancti-Quintinensis indigena, ni fallor, literis clarissimus, facundia propemodum clariore præpollens, Cluniacensis monachus, qui sub benedictæ memoriæ Abbate huius loci Hugone diu egit officium Prioratus, cum aliis quibusdam sanctâ vitâ æquè nobilibus pariter inibi Episcopo præsente quiescerent, quidam de vicini cuiusdam proceribus oppidi, vir valde curialis & prudens, intempesto silentio soporatis omnibus vigilabat. Qui cùm quæ volebat cogitans, huc illucque despiceret; ecce proceri figura dæmonis, exili capite, turgentibus scapulis progrediens viro apparuit, & seriatim lecta quæque respectans, pedetentim per cameram deambulare se finxit. Cumque ad eius stratum, quem prælibauimus iuuenis, quemque ab eodem plurimum acceptari Episcopo, falsissimus accessisset, substitit, & retortis ad dormientem aspectibus; Hic, inquit, anxiùs & peiùs his omnibus, qui istic dormiunt, me vexat. Quo dicto, ad ostium se dirigens cloacarum, in easdem se contulit.

Iuo Cluniacensis Prior, è san-quintiniana vrbe oriundus.

Is autem qui hoc speculabatur, dum hæc attenderet, tanto pondere premebatur, vt impos ad locutionem & motum omnimodis fieret. Excedente igitur aduersario, facultas sibi pariter in vtroque rediit, & mane quibusque sensatioribus visa retexans, & cum ipsis iuuenis illius statum assentiámque requirens, reperit eius animum enixius ad aggrediendum sanctiora procliuem. Si ergo gaudium est super vno peccatore conuerso in cœlo, quàm super nonaginta, qui non indigent pœnitentiâ, iustis, proculdubio plenum fidei est hostes humani generis acerbissima inuidentia de eorum, qui mutantur in melius, ereptione tristari. Et certe sicut ego bonis initiis processus habeo pestilentes, sic & ille, qui à dæmone testimonium acceperat postmodum paulatim tepescendo refrixit, & ad studium sese sæculare retorsit; & tamen subitus ille bonarum nostrarum voluntatum motus, credibile est quam grauissimè diabolica corda morderet. Nec mirum si doleat diabolus repentinos & futiles cuiuspiam pœnitentis affectus, cùm perfunctoria Achabi illius scelesti Regis humilitas, etiam diuinos antequam humanos ad se deflexit aspectus. Vnde Dominus, ni fallor, Heliæ: *Nonne*, ait, *vidisti Achab humiliatam coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa, non inferam mala in diebus eius.*

CAPVT XV.

Sæpiuscule reuoluit animo quæ in mundo reliquit.

CVm ergo paulatim succrescente corpusculo, etiam animam in concupiscentiis pro suo modulo & cupiditatibus prurientem sæcularis vita titillaret, memoria & rotatu creberrimo qualis quantúsque in sæculo esse potuissem, eadem penè semper repetendo reuoluerem, & multò maiora quàm veritas pateretur, sæpe confingerem, Bone Deus, cui de omnibus cura est, ostendebas ista famulæ tuæ matri meæ, & in quemcumque statum sanum vtique, vel insanum conscientia labilis vertebatur, visionem eiusdem species non sine tuo, Domine, iudicio sequebatur. At quoniam multas curas perhibentur sequi somnia, & verum indubiè constat; hæ tamen curæ non auaritiæ æstibus citabantur, sed ex vera interni boni æmulatione creabantur. Mox igitur vt piissimam eius mentem visio importuna tangebat; & sicut erat in talibus exoluendis admodum subtilis & perspicax, mox inquam, vt id incommodi suo sibi somnio portensum intellexerat, accito me super meo studio quid agerem, quid tractarem apud me secretiùs rogitabat. Cui cum sic morem gererem, vt ei meam nullatenus vnanimitatem negarem, omnia illa quæ secundum tenores audieram somniorum, in quæ lentescere meus animus videbatur, alacri confessione prodebam; & cùm de correctione moneret, veris profecto statim affectibus id spondebam.

Nudè tentationes matri apetit.

Deus meus, statum illum, quem modò patior, totiens tot significatum ænigmatibus ipsa mihi enuntiauit, & quod in primo statu aut gestum, aut gerendum putauerat, hoc

quotidie intra cordis mei penetralia experior & contemplor impleri. Quin etiam ipse magister meus, cùm eadem mihi solicitudo suo indesinens penderet à pectore, multis figurarum modis, quæ pro tempore accidebant, & quæ porrò in futurum euentura fuerant, te manifestante videbat. Ab vtroque igitur viro, Dei munere, hinc ad terrendum, inde ad refouendum aduersa & prospera cantabantur, vt & occultæ malignitati vellem nollem, quia tuo miraculo eis tantùm, qui me diligebant, detegebatur, parcerem, & de melioris spei aliquotiens pollicitatione gauderem.

Inuident ipsi sodales ob scientiam.

Cùm enim aliquando spiritu acediæ ventilarer, (multas enim inuidentias ab ijs qui supra & iuxta me erant, patiebar) parentum meorum adminiculis aspirabam ad externa monasteria commigrare. Nam nostratium aliqui, cum me olim longè infra se ætate ac literis, potentia & cognitione vidissent, & solius eius dono ipso discendi appetitum meis sensibus instinguente, qui totius est clauis scientiæ, me sibi exæquari, aut omnino, si dici fas est, excellere persensissent, tanto furore aduersum me eorum indignabunda excanduit nequitia, vt me frequentibus controuersijs, & simultatibus fatigatum multotiens & vidisse & scisse literas pœniteret. Studium planè meum ab eis tantopere turbabatur, ac tot de ipsis literis sumpta occasione per continuas quæstiones iurgia motabantur, vt ad hoc solùm, quatinus ab ea cura mea resiliret intentio, meúmque præpediretur ingenium, eniti viderentur.

Eò amplius acuitur eius ingenium.

Sed sicut oleum camino additum, vnde putatur extinguere, inde flammâ viuaciore prosерpit, eò instar clibani quò ampliùs mea super eo labore solertia premebatur, tantò suis reddita valentior æstibus in melius agebatur. Quæstiones, quibus æstimabar obtundi, intelligentiæ plurimam mihi acrimoniam ministrabant, & obiectionum difficultates crebra coniecturarum mearum ruminatione, & diuersorum versatione voluminum, multiplicitatem sensuum & respondendi mihi efficaciam pariebant. Hoc itaque modo etsi grauissimè eis inuidiosus eram, tu tamen nosti, Domine, quàm parùm aut nihil talibus inuidebam; & cùm notam ad suum mihi libitum turpem non possent inurere, astruebant me vbique rodendo pro scientiola superbire.

Inter has igitur, quas ferebam ægerrimè vexationes, licet in huiusmodi angariis vberrimæ parturirentur vtilitates, lassabundus animus sub infinita aliquotiens cogitationum tortione languebat, nec corde pauido, & rationis viribus sæpe defectis cogitabam quid prodesset aduersitas, sed libentissimè

Mutandi monasterij consilium.

decreueram petere censionem quò carnalis suggerebat infirmitas. Cum ergò propositum appulissem, vt non tam beniuolâ Abbatis mei licentiâ, quàm parentum meorum incentiuo & exactione, loco digrederer, matris quóque assensus, id fieri pia intentione credens adesset (nam bene religiosus quò succedere gestiebam locus ferebatur) testis malorum ac bonorum meorum talis ei se præbuit visio.

In Ecclesia cœnobij ipsius, scilicet * Flauicensis, quæ dicitur Beati GEREMARI, sibi esse videbatur. Quam cum interiùs attendisset desertissimè destitutam, monachos etiam non modo scissos, & inuolucris fidei nimium enormibus adopertos; sed & staturâ cubitali in morem eorum quos vulgo nanos vocitant, omnes pariter imminutos. Sed quia vbi thesaurus, ibi cor, & vbi contuitus, ibi amor, cùm ad me oculum sollicita destinasset, cernit quod non melior cæteris me status erigeret; nec apparatus dignior operiret. Cúmque pro meo & tantæ Ecclesiæ mœsta foret discrimine, ecce infinitæ pulchritudinis ac maiestatis fœmina per mediam Basilicam ad altare vsque processit, quam quasi iuuencula sequebatur, cuius species eius multùm idonea videbatur obsequio quam consectabatur. Cùm ergo curiosissima esset scire quænam foret Domina ipsa, dictum est ei quia esset domina Carnotensis. Quod nec mora coniiciens, Beatam Dei Genitricem intellexit, cuius nomen & pignera ibidem totius penè Latini orbis veneratione coluntur. Ad altare igitur perueniens, genua ad orationem flexit: sed & illa, quæ post ipsam ingredi videbatur, nobilis pedissequa, itidem à tergo eius fecit. Inde consurgens cum plurima quasi animaduersione protenta manu, *hanc*, inquit, *Ecclesiam ego institui, qua ratione patiar destitui?* Et ad me subinde serenissimum pietatum signifera dirigens oculum, clarissimámque dexteram: *Hunc*, ait, *huc adduxi, & monachum feci, quem nullo modo patiar hinc abduci.* Hæc eadem verba præfata post ipsa pari modo pedissequa astruebat. Dixerat potens illa, & dicto celerius omnis illa desolatio, & vastitas ad integrum reparatur quæque primitùs videbatur; & staturarum illa enormis modicitas, non modò cæterorum, sed & mea potentia fauente iubentis imperio ad regulam, emendatur. Huius mihi visionis seriem cùm mater prouida retulisset, cum multa animi compunctione & lachrymis tanta verba suscipiens, in tantam vagabundæ cogitationis licentiam, sub tam desiderabilis somnij tenore cohibui, vt nequaquam cuiuspiam alterius iam traherer intentione Cœnobij.

al. * *Flauiacensis.*

Per visum matri filium sub sua protectione ostendit B. Virgo.

Hæc & his similia, ô Domine, cœlestis Mater imperij super peccatorum meorum horrore super innumerabilibus, quibus à tuo amore & seruitio desciui, apostasijs, ansam ad te redeundi conferunt, dum mihi meo præcantatur à corde, amplissimos clementiarum tuarum sinus vllis flagitiorum meorum molibus præcludi non posse. Recordor etiam semper, Cœlestis Domina, quia cùm puerulus huic assumendo habitui aspirarem, nocte quadam per visum in Ecclesia tui nominis eram, & videbatur mihi quòd à duobus ab ipsa auferebar dæmonibus. Cúmque ad Basilicæ me fastigium extulissent, aufugerunt, & intactum intra eiusdem septa Ecclesiæ dimiserunt. Hæc multotiens, dum meam intueor incorrigibilitatem, reminiscor, & dum eadem peccata sæpiùs repeto, imò pessimis peiora superfero, ad te, Pijssima, pro euitando solùm desperationis periculo non nimiæ spei, aut alicuius paruæ fiduciæ abusione recurro.

Item Guiberto in somnis apparet.

Etsi enim semper ex impulsu fragilitatis, non superbiæ obstinatione delinquo, spem tamen nullatenus correctionis amitto. Septies planè cadit iustus, & resurgit. Si septenarius pro vniuersitate numerus solemniter ponitur, quibuscumque modis peccando quis cadat, si intentionem resurgendi ad iustitiam habeat, quamuis ex carnalitate labatur, si dolorem rectè pœnitentis adhibeat, nequaquam iusti nomine sese priuat. Vt quid enim clamatur ad Deum, vt de nostris nos necessitatibus eruat, nisi quia naturæ corruptio peccati seruitio nos velimus nolimus addemnat? *Video*, ait, *captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis: non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod nolo malum hoc facio.* Est autem profundum quorumdam malorum, in quod cùm venerit impius, contemnit, & tamen super quibusdam alijs profundis clamatur ad Deum, nec suam petitor dubitat exaudiri vocem. Est siquidem desperationis ex peccati nimietate contemptus, qui esse potest profundi huius, quo non est substantia, in qua miseria non subsistitur: est denique profundum de quo Hieremias panniculorum subligatione protrahitur, quod quamuis. * Porrò fundum tamen habet: quia quamuis ingentibus sit mens dimissa peccatis, habet tamen talecumque obstaculum rationis vt non feratur per interminatas voragines sine vlla recogitatione totius iniquitatis.

Prou. 24. 16. *Psal. 24. 17.* *Rom. 7. 23.* *Prou. 18. 3.* ** Deest aliquid.*

CAPVT XVI.

Poësi plus æquo delectatur.

INterea cùm versificandi studio vltra omnem modum meum animum immersissem, ita vt vniuersæ diuinæ paginæ seria pro tam ridicula vanitate seponerem, ad hoc ipsum duce mea leuitate iam veneram, vt Ouidiana & Bucolicorum dicta præsumerem, & lepores amatorios in specierum distributionibus, epistolisque nexilibus affectarem. Oblita igitur mens debiti rigoris, & professionis monasticæ pudore reiecto, talibus virulentæ huius licentiæ lenociniis lactabatur, hoc solùm trutinans, si poëtæ cuipiam comportari poterat quod curialiter dicebatur: nullatenus verò pensitans quantopere sacri ordinis, de ea quæ desiderabatur industria, propositum lædebatur. Cuius nimirum * vtrobique raptabar, dum non solum verborum dulcium, quæ à poëtis acceperam, sed & quæ ego profuderam lasciuiis irretirer, verum etiam per horum, & his similium reuolutiones immodica aliquotiens carnis meę titillatione tenerer. Quoniam hæc terebat volubilis & totius seueritatis infrequens animus, alius profectò non poterat, quàm quem cogitatio suggesserat, è labiis procedere sonus.

*Deest fortè, * amore, vel, voluptate.*

Inde accidit vt efferuescente interiori rabie ad obscænula quædam verba deuoluerer, & aliquas literulas minus pensi ac moderati habentes, immo totius honestatis nescias dictitarem. Quæ cum ad magistri prædicti notitiam peruenissent, & ipse ægerrimè ferret, in illius exacerbatione fastidij eum contigit obdormisse. Quo soporato talis ei se ingessit visio. Senior caniciei pulcherrimæ, immo is ipse, si dicere audeam, qui in initio me ad eumdem perduxerat, & amorem eius mihi semper affuturum spoponderat, ei apparuit, seuerissiméque intulit. *Volo*, inquit, *Vt de literis quæ factæ sunt, mihi rationem reddas: verùm manus quæ literas ipsas scripsit, non est sua ipsius quæ scripsit.* Quod cùm à magistro mihi relatum fuisset, ego & ipse pariter super tenore somnij non dissimilem coniecturam habuimus: læti enim ingemuimus sub spe tua, Domine, inde animaduersionem tuam in tam paterna correctione videntes, hinc cuiusdam piæ alterationis fiduciam meis leuitatibus euenturam ex visionis intentione putantes. Vbi namque manus, quæ literas scripserat non eius esse qui scripserat, dicitur, planè non permansura in illa ignominiosa sua actione indubiè denotatur. Mea enim fuit, & non est sicuti legitur: *Verte impios, & non erunt*, dum ea quæ in vsu vicij mea fuit, virtutis studio applicita omnem efficientiam indignissimæ illius proprietatis amisit. Et tu nosti tamen, Domine, & ego confiteor, quia tunc temporis nec tuo timore, nec meo pudore, nec sacræ huius visionis honore castigatiora peregerim. Eâ nempe irreuerentiâ, quia interius me habebam, & scriptorum nugantium nequaquam scurri-

Scriptis & verbis obscœna profert. *Quod & patefit diuinitùs magistro.* *Prou. 12. 7.*

ſcurrilitatibus temperabam. Latenter quippe cum eadem carmina cuderem, & nemini aut vix omnino meis conſimilibus illa prodere auderem, ſæpius tamen mentito auctore, ipſa quibus poteram recitabam, & lætabar ea à voti mei conſortibus collaudari, quæ mea fore rebar prorſus inconueniens profiteri, & quod ad fructum vllius auctori ſuo non proderat laudis, ſolo reſtabat fructu, immo turpitudine gaudere peccati. Sed hæc pater puniſti quando voluiſti. Emergentibus enim contra me ſuper tali opera infortuniis, & multa animum euagantem aduerſitate cinxiſti, & corporis infirmitate preſſiſti. Peruenit ergò tunc gladius vſque ad animam, dum vexatio attigit intelligentiam.

Ægritudine ac moleſtiis emendatur à Deo.

Cùm itaque pœna peccati intellectum dediſſet auditui, tunc demum inutilis ſtudij marcente ſocordia, cùm tamen otij impatiens eſſem, quaſi ex neceſſitate reiectis imaginationibus, ſpiritualitate recepta, ad exercitia commodiora perueni. Cœpi igitur iam ſerò ad id, quod ſæpe à plurimis mihi bonis doctoribus præſtillatum fuerat, anhelare; ſcilicet ſcripturarum commentis intendere, Gregoriana dicta, in quibus artis huius potiſſimùm reperiuntur claues, crebriùs terere, ſecundum veterum auctorum regulas, ad allegoricum, ſeu moralem, quin & anagogicum ſenſum Prophetica, vel Euangelica verba perſtringere. In his præcipuum habui incentorem Beccenſem Abbatem Anselmvm, poſtea Cantuarienſem Archiepiſcopum ex tranſalpinis partibus, Auguſtana videlicet regione oriundum, virum incomparabilem documentis & vitâ ſanctiſſimum. Qui cum in Prioratu prælibati cœnobij adhuc ageret, ſuæ me cognitioni aſciuit, & omnino puerulum, & in ſumma & ætatis & ſenſus teneritudine poſitum, qualiter interiorem meum hominem agerem, qualiter ſuper regimine corpuſculi, rationis iura conſulerem, multa me docere intentione propoſuit. Qui ante Abbatiam, & in Abbatia poſitus, cum ad Flauiacenſe, in quo eram, monaſterium, familiarem religionis & doctrinæ ſuæ gratia haberet aduentum, adeò ſedulè mihi eruditionis indulgebat beneficia, tantâ ad id elaborabat inſtantiâ, vt vnica ac ſingularis ſui ad nos aduentus & frequentationis ego viderer ſolus eſſe cauſa.

B. Gregorij ſcripta, quò intelligentiam S. Scripturæ adiſpiſceretur, reuoluit.

Doctore B. Anſelmo eaſdem interpretandi modum addiſcit.

Is itaque tripartito aut quadripartito mentem modo diſtinguere docens, ſub affectu, ſub voluntate, ſub ratione, ſub intellectu cõmercia totius interni myſterij tractare, & quę vna à pleriſque, & à me ipſo putabantur certis diuiſionibus reſoluta, non idem duo prima fore monſtrabat, quæ tamen accedentibus quarto vel tertio eadem mox eſſe promptis aſſertionibus conſtat. Super quo ſenſu cùm quædam Euangelica capitula mihi diſſeruiſſet, cùm primùm quidem quid inter velle & affici diſtaret, luculentiſſimè aperuiſſet; quæ tamen non ex ſe, ſed ex quibuſdam contiguis voluminibus, at minus patenter quidem iſta tractantibus eum habuiſſe conſtaret. Cœpi poſtmodum & ego eius ſenſa cõmentis prout poteram ſimilibus æmulari, & vbique ſcripturarum, ſi quid iſtis moraliter arrideret, ſenſibus multâ animi acrimoniâ perſcrutari.

Vnde factum eſt, vt cùm quodam Abbate meo ad aliquod prouinciæ noſtræ Cœnobium deuenirem. Cúmque illi tamquam plurimæ religionis viro ſuggererem, vt ad capitularem Conuentum veniens inibi ſermonem faceret, ea quæ à ſe petebantur in me transfudit, & vt vices ſuper iſto eius exequerer exorauit & iuſſit. Die autem Mariæ Magdalenæ natalis celebratur eodem. Ea propter de libro ſapientiæ adhibita ſermonis materia ſolo illo vnico verbo illi qui petebatur tractatui contentus fui: *Sapientia*, videlicet, *vincit malitiam, attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Hoc cùm qua potueram oratione explanaſſem, & ipſis auditoribus pro dictorum eorumdem conuenientia placuiſſem, Prior Eccleſiæ ipſius, literarum ſacrarum nõ minimùm pro ſcientiæ potentia ſtudioſus, familiariter à me exegit, vt id ſibi ſcriberem, in quo materiam ſumendi cuiuſcumque ſermonis acciperet. Quoniam ergo Abbatem meum, quo præſente id dixeram, ægrè laturum ſcripta mea cognoueram, cautè aggredior hominem, & vt cauſa viri illius, quem ſe diligere teſtabatur, quod petebam, indulgeret, ex latere quaſi ex...... amici, & quaſi talium minus ſtudioſus precor. Suſpicatus igitur breuiſſima me dicturum aſſenſit; cuius cùm de ore verbum rapuiſſem, cœpi exerceri in eo quod propoſueram.

Concionem habet iubente ſuo Abbate in externo cœnobio. *Sap. 8. 1.*

Propoſitum autem habui vt initia Geneſeos, Exameron ſcilicet, commentari moraliter aggrederer. Cui commento præpoſui tractatum ſatis mediocrem qualiter ſermonem fieri oporteat. Quo præmiſſo ſex dierũ tropologicè proſecutus opera fudi importuno licet eloquio, quæque meo ſediſſent ingenio. Cumque primùm Abbas meus ſacræ illius hiſtoriæ conſpexiſſet annotari capitulum, minus ſano hæc attendit intuitu, & cùm me plurima animaduerſione finem ſcriptis illis facere monuiſſet, videns quòd non niſi ſpinas cœpta talia oculis eius ingerebant, non ſolũ eius, ſed & omnium qui ad idipſum deferre poterant præſentias præcauẽdo, clam illud omne peregi. Opuſcula enim mea hæc & alia nullis impreſſa tabulis dictando & ſcribendo, ſcribenda etiam pariter commentando immutabiliter paginis inſerebã. Tempore ergò illius Abbatis omnimodo ſtudia mea delituêre ſilentio. Quo decedente, nactus occaſionem dum paſtore locus ille vacaret, impegi tan-

Tractatum qualiter ſermo fieri debeat, & commentarium in Geneſim edidit.

Iniquo animo id fert Abbas.

dem & breui opus expleui. Quod decem libris complexum, secundum illos quatuor prænominatos interioris hominis motus, ita moralem executus sum in omnibus tropum, vt penitus immutato locutionum ordine initia continuarentur * ac supremum. In quo Opusculo an cuiquã profecerim nescio, placuisse tamen plerisque plurimùm literatis non dubito: hoc verò certum quòd non parum commodi mihi præstitit, in quantum me ministro, vitiorum liberauit ab otio.

f. * ad

Scripsi interea capitularem libellum de diuersis Euangeliorum & Propheticorum voluminum sententiis, de libro Numeri, Iosué, Iudicũmque aliqua inserens, cui huc vsque finem dare differo, quia his explicitis quæ impresentiarum teneo, in similibus exerceri aliquotiens (si vita comes fuerit) Deo suggerẽte, delibero. In quorũ plurimis tropologiam, in paucis allegoriam secutus, eumdem quem in Genesi habueram morem gessi. Porrò in Genesi * adeò potissimùm moralitati intendi, non quòd in sensu allegorico si pariter elaborarem sentienda deficerent, sed quòd iudicio meo allegoricis moralia satis hoc tempore vtiliora putarem, fide ex Deo ad integrum stante, moribus pene omniũ multiplici vicio profligatis, & quod in immensum tendere opus non meæ fuerat licentiæ aut voluntatis.

Libellum de sententiis diuersis Euangeliorum, & Prophetarum composuit.

f. * Ideò. Quare non sensui allegorico sed morali studuit.

CAPVT XVII.

Iterum ad matris gesta vertit orationem.

IGitur mater bonos quantum ad scientiam meos admirata successus, valde æstuabat super lubricæ ætatis quos verebatur excessibus: vnde & sui me imitatorem fieri quam sedulò postulabat, cui cùm Deus speciẽ tantopere prestitisset, ita quicquid in se laudabatur posthabuit, ac si sese nullatenus pulchrã scisset; ita viduitatem coluit, ac si maritalia semper debiti cubilis impatiens horruisset. Nosti tamẽ, Domine, quid fidei, quid amoris etiam defuncto ipsi suo iugali detulerit, quàm cotidianis penè sacrificiis, orationibus ac lacrymis, haud mediocribus eleemosynis soluẽdæ eius animæ, quã peccatis præpediri nouerat, indesinẽter institerit. Qua ex re mira Dei dispensatione fiebat, vt creberrimis ei visionibus, quos ille dolores in sua purgatione ferebat, patientissimis imaginationibus monstrarentur. Quę visorum genera haud dubiũ quin ex Deo proueniant: vbi enim nulla praua securitas ex asũpta falsò pulchritudine luminis datur, sed ex oblata doloris ac pœnarum specie orationis & eleemosynarum incentiua præbentur, vbi apertè à mortuis, imò ab Angelis, qui fidelium mortuorum curam gerũt, diuini officij remedia exiguntur, ex Deo hæc fieri hoc sufficiens probationi est; quia à dæmonibus nunquam saluti cuiuspiam profutura quæruntur. Sollicitus igitur bonę illius mulieris animus his significationibus recalefieri, ac internorum tormentorum ad profectum assiduè pro marito quondam suo intercessionis portentione succendi.

Diuersis visionibus solatur eã Deus.

Vnde inter cætera quadam nocte, Dominica post matutinos, ęstatis tempore, cùm membra scamno cubitũ angustissimo contulisset, mox in somno cœpit deprimi, sua ipsius anima de corpore sensibiliter sibi visa est egredi. Cúmque veluti per quamdam porticũ duceretur, tandem inde emergens ad ora cuiusdam putei cœperat propinquare. Cui cùm esset facta contigua, ecce de foueæ illius voragine laruali specie homines prosiliunt, quorum videbatur tineis exesa cœsaries, eã volentes manibus corripere, & intrò protrahere. Et ecce vox à tergo fœminæ trepidantis, & ad eorum incursum miserabiliter æstuantis, erupit ad illos: *Nolite*, inquit, *eam tangere*. Qui voce vetantis adacti resilierunt in puteũ. Cùm autem, quod me prętererat, per porticum procederet, hoc solùm petebat à Deo cùm exisse hominem se sentiret, vt ad corpus sibi redire liceret. De putei igitur habitatoribus liberata, cùm contra marginem ipsius constitisset, repente patrem meum in ea specie, quã iuuenis extiterat, sibi conspexit assistere: cumque in eum intenderet, & an ipse EVRARDVS vocaretur (sic enim eum quondam constiterat appellari) suppliciter rogitaret, ipse negauit.

Guiberti pater Eurardus nuncupabatur ab vxore cernitur per visum.

Nec mirum, si spiritus eo se nomine insigniri diffiteretur, quo homo olim fuerat; spiritus enim spiritui nihil aliud quàm quod spiritualitati congruum sit, respondere debuerat. Mutuam autem spiritus per nomina habere notitiam, credi valde ridiculum est, alioquin in futuro sæculo, rara nisi nostratium cognitio est. Nomina planè nõ necesse est habere spiritus, quorum tota visio, imò visionis scientia est ab intus. Cùm ergo sic se vocari negasset, & tamen illa eum non minus esse sentiret, interrogat postmodum vbi commaneret. Cui ille ac si plateam haud procul à loco positã insinuat & ibidem se commorari. Quærit etiam qualiter se habeat. At ille brachio retecto cum latere adeò vtrumque ostendit lacerum, crebris adeò vulneribus interfectũ, vt magnus intuentem sequeretur horror, & cõmotio viscerum. Ad hoc etiam pueruli cuiuspiã species pariter aderat tãtis clamoribus perstrepeus, & ei quoque quæ id intuebatur plurimum molestiæ generaret. Cuius & mota vocibus dixit ad eum: Quomodo domine tantos huius infantis eiulatus potes pati? *Velim*, inquit *nolim patior*: ploratus autẽ huius infantis, & brachij intercisio ac lateris * hãc sententiam. Cùm pater meus in primęuo suo à legitimo matris meæ cõmercio per quorumdã maleficia esset extorris, quidam ad puerilẽ eius animum praui consiliarij accessere, qui vt experirentur an cũ aliis coïre posset mulieribus, suasione malignissima monuere.

* Hic deest verbum.

Qui iuueniliter eis obtemperans malè attentato concubitu ex mulierculà nescio qua prolem sustulit, quæ nec mora etiam sine baptismo diem obiit. In concisione ergò lateris corruptio est fidei socialis, in stridoribus autem infestæ illius vocis, perditio malè * procurati infantis. Tales erant, inexhausta pietas, Deus, tuæ retributionis in peccatoris tui, sed ex fide viuentis animam. Sed ad ordinem visionis redeamus.

f. procreati.*

Cúmque eum illa interrogasset an oratio, eleemosyna, an sacrificium sibi aliquod subsidium ferret, (conscientia enim sibi erat, quòd hæc pro eo frequentius faciebat) & ille subannuisset, addidit: Sed inter vos quædam habitat LEODEGARDIS: quam mater mea ea intentione illum nominasse intellexit, quatinus ipsa ab ea peteret, quid sui memoriam haberet. Erat autem præfata LEODEGARDIS fœmina spiritu pauperrimo, & quæ sine moribus sæculi Deo simpliciter victitaret. Interea loquendi ad patrem meum finem faciens, respexit ad puteum supra quem erat tabula: supra tabulam verò RAINALDVM quendam virum equestrem conspicit, non infimi precij inter suos, qui in ipsa die, quæ erat, vt prædixi, Dominica à suis contribulibus proditionaliter Baluaci interfectus post prandium est. Is ergò cùm esset super eandem tabulam, curuato vtroque genu, & ceruice demissa, strue coniecta conflabat buccis pulsantibus ignem. Hæc mane videbantur, & ipse suos quos meritis accenderat deuenturus ad ignes interiit meridie. Vidit & super prædictam tabulam quendam qui adiuuabat, sed longè post abiit, fratrem meum, horrenda diuini corporis & sanguinis per sacramenta iurantem, in quo nil aliud melius intelligitur nisi peierando, & Sanctum Dei nomen, & eius sacra mysteria super re vana assumendo, hos mereretur, & pœnarum locos & pœnas.

Anus quæ cum fuerat conuersata ei pariter apparet.

Vidit & in eadem serie visionis anum illam, quam in suæ initio conuersionis supradiximus cum ea conuersatam, mulierem planè multis crucibus in superficie suo corpori semper infestam, at verò contra appetitum inanis, vt dicebatur, gloriæ minus cautam; Hanc, inquam vidit à duobus ferri nigerrimis spiritibus, speciémque eius vmbraticam. Porro dum anus illa viueret, & pariter ambæ cohabitarent, dum de statu animarum & suarum mortium euentibus loquerentur, aliquando pepigerant mutuò sibi, vt quæ prima decederet, superstiti qualitatem status sui, siue bonam, siue malam, apparendo per Dei gratiam manifestaret. Et hoc etiam oratione firmarunt, Deum sedulò obsecrantes, vt post obitum alterutrius, alteri liceat essentiam fortunæ, vel infortunij sui visionis cuiuspiam reuelatione detegere. Ipsa quoque anus moritura in visione se viderat corpore spoliatam, cum alijs similibus ad quoddam deuenire templum, quæ inter eundum crucem à scapulis sibi ferre videbatur. Ad templum autem cum illo comitatu veniens, obseratis foribus extra manere cogebatur. Apparuit denique iam mortua cuidam alij in magnis fœtoribus constituta, cui plurimùm aggratulabatur, quod per eius orationes à putore & dolore esset erepta. Præterea dum eadem ipsa moreretur, à pede lectuli horrendæ speciei dæmonem teterrimæ enormitatis oculos habentem astare prospexit. Quem tamen illa diuinis obtestata nimium sacramentis, vt à se confusibiliter recederet, & nihil suum à se repeteret, terribili adiuratione remouit.

Quæ ob inanis gloriæ appetitum cruciatur.

Igitur mater mea ex conuenientia visionis, veris vera conferens, & ex instanti oraculo militis mox perempti, quem pœnales sibi locos apud inferos iam sortiri peruiderat; infantis clamores, cuius non fuerat ignara, coniiciens, in nullo de his dubia, totam se ad subsidia patri meo ferenda conuertit. Similia ergò similibus obiectàs, paucorum admodum mensium infantulum, parentibus orbatum, ad se contrahens nutrire delegit. At diabolus piæ intentioni, nec minus fidelissimæ actioni inuidens, cum totis diebus placidissimè se ageret, vicissim iocaretur atque dormiret, noctibus tanta vecordia vagituum & clamorum matrem meam, & omnes eius domesticas irritabat, vt vix in eadem cellula cuipiam somnum habuisse liceret. Audiui certè ab ea precio obæratas nutrices, quæ noctibus non desisterent continuatis, peruersi non à se, sed ab intimo instigatore illius pueri motare crepundia, sed ad eum qui vrgebat euertendum nihil poterat muliebris astutia.

Angebatur dolore immodico pia fœmina, dum nullis inter tot stridores moliminibus noctu anxia deliniret tempora, nec vllus etiam vexato penitus ac exhausto capiti poterat illabi somnus, vbi & instimulati forinsecus furor pueri, & omnia interturbans aderat inimicus. Et licet noctes sic ab illa transigerentur insomnes, & nunquam tamen ad diuina quæ nocte fiunt officia reperta est iners. Quoniam ergò molestias istas molestiarum hominis, quas in visione viderat, cognouerat purgatrices, libenter tolerabat; per quod, vt sibi videbatur, quod & verum est, illius qui patiebatur compatiendo, & ipsa leuigabat angores. Nunquam tamen proinde puerum domo exclusit, nunquam contra ipsum minùs curiosa extitit: imò tantò magis quicquid inconuenientiæ inde e-

mergebat, æquanimiter subire delegit, quantò ad id studij destruendum aduersum se atrociùs diabolum exarsisse persensit: quantò enim maius ipsius incentiuum in irritatione pueruli contigisset experiri, tantò auditiones malas apud iugalis sui animam nullatenus dubitabat temperari.

CAPVT XVIII.

Guibertum ad dignitates allicere conantur amici.

MVlta alia, Domine Deus, ostendisti famulæ tuæ; & illi, quem tu propriè mihi præstiteras magistro meo, quædam quæ iactantiæ ascriberentur si scriberem, in quibus bonæ id spei elucebat, quæ sub indulgentissima Matre tua in quam proiectus sum ex vtero, IESV dulcis, hodieque præstolor, quædam cùm pene adhuc puerascerem eis ostensa, quæ mirabiliter æuo iam maturescente experior. Tandem cupiditatum mearum feruor excanduit, & secundum quod fomitem cuiuscumque scientiolæ pectori meo inserueras, & personam ad sæculum idoneam satis cum natalium bona mediocritate contuleras, malè mihi ab animo meo, & ab aliis necessariis meis, secundum hoc tamen non bonis, suggerebatur, conueniens fore vt in hoc mundo honoris alicuius prouectione proficerem. Sed cognosco, Domine, quia in lege tua prohibueras per gradus ascendi ad altare tuum; sic enim sacri cuiuspiam ducis turpitudinem reuelari posse docueras. Qui enim per exterioris excellentiæ excrementa mysticum regimen attigerint, inde turpiùs cadunt, quòd non æqualia, sed in mirabilibus super se tentauerint. Et inter appetendum certè ex parentum meorum procuratione, talium culminum assequendorum rumoribus, meæ sæpius quatiebantur aures, multi mihi adulabantur, ac factiosè qualitatem animi mei explorare volentes, quo ad eos, qui me nequiter æmulabantur, studium suæ delationis explerent, aut placituros se ex mei honoris affectatione putantes, & questui suo commoda mea valitura dicentes, & ideò prouentibus meis semper meliora captantes.

f. id præ. Ecclesiasticas dignitates refugit.

At ego, sicut tu nosti, Creator meus, tuo solo instinctu, tua sola inspiratione, ad hoc conualui, vt * quam præ timore tuo aspernarer ab homine petere, aut homini id mihi procuranti colloquium, aut consensum præbere, super eo, quod tui solius est muneris, honore Ecclesiastico. Et scis, Domine, quia super hac duntaxat re nihil omnino volo, aut aliquando voluerim, nisi quod à te aut accipiam, siue acceperim. Volo enim vt & in hoc sicut aliàs ipse me feceris, non autem ego me. Alioquin non bene lætaretur Israël in eo qui fecit eum. (*Psal. 149. 2.*) Deus meus, quot aduersitatibus, quot inuidentiis tunc temporis opprimebar? vnde & animus meus latenter ad id quod exteriùs mihi suggerebatur, quasi ad tentationis effugium æstuabat, sed licet intus ista ferueret ambitio, numquam tamen æstus ad linguæ transitum præualebat. Etsi enim turbabar, non tamen loquebar. Tu scis, IESV, quia cuidam talia procuranti, at non meo instinctu id peragenti, semel peccato præpediente mandauerim, vt quod agebat citius ageret: tu scis, inquam, quàm ægrè id dixisse me tulerim. Etsi enim multotiens nefariè aliàs labi * protulerim, emptor tamen, imò proditor columbarum semper esse timuerim. (*f. * potuerim.*) Et certè cùm vna sit columba, apud ipsos etiam cathedræ sunt non cathedra. Quicquid enim in Deo & Ecclesia diuiditur, non est profectò à quo in eo patitur, *Vt sint*, inquit, *vnum sicut & nos vnum sumus.* Et, *Cùm diuisiones gratiarum sint, idem tamen est spiritus, Diuidens singulis prout vult*, & sequentia. * Thronus etiam Dei, non throni in sæculum sæculi. Et, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quæ ergo vna sunt apud Deum, per humanæ peruersitatis fiunt diuersa propositum.

*Vnica est Ecclesia. Ioan. 17. 12. 1. Cor. 12. 4. 11. * Heb. 1. 8. Psal. 31. 11. Act. 2. 30.*

Hæc nempe considerans, nec capitis corporisque vnitatem ignorans, nihil volui vsurpare in corpore, quia quicquid aliunde se intrudit, nequaquam capiti profectò consensit, & quod caput ignorat, quòd non censeatur in corpore, nulli dubium constat. Qui enim dicturi sunt: *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus*: apostasij vtique, vt sic dixerim, non commembres sunt, & ideò *nescio vos* audiunt, ac si diceret: non eos in meo sentio, quia ex me non viuunt. (*Matt. 7. 22.*) Leuabat igitur fastidium spes quamuis friuola meum, & orabam te, Deus, vt si quando id quod de me tractabatur fieret, te solummodò authore contingeret, & tædebat me quòd per alios audiebam, à meis mihi parentibus ista quæri, & alios purâ Dei efficientiâ, nullo carnaliter procurante, elegi. Etenim ipsi parentes non tam mihi quam sibi in huiusmodi cura prouidentes, mecum vllatenus super isto negotio non agebant, non planè iuuenilem animum super hac re irritare volebant. Tandem Deo me diutiùs * volente deludi, procuratoribus meis inspirauit, vt pro suis animabus saluandis aliàs commigrarent; & quarumdam Abbatiarum monachis, qui eisdem super mea electione innitebantur, necesse fuit vt aliorsùm diuerterent. (*f. * nolente.*)

Deus tibi gratias, quia tunc intentio ad integrum puerilis emarcuit, nec ad aliquam terrenam vlterius dignitatem suspirare collibuit. Flagellasti namque me in tempore

illo, Pater & Corrector, cupiditatum, & A leuitatum mearum Deus, afflixisti, & me ad cognitionem redegisti, ita vt me intra me constringeres, ménsque hactenus vaga nusquam euolaret, sed ad solam humilitatem, & cogitationis sinceritatem medullitùs aspiraret. Cœperam iam tunc primùm, Domine, experiri, & ad bonam solitudinem mentis, in qua conuersari tu soles, me contrahere ad Matrem cœlestis imperij, Dei genitricem MARIAM, vnicum meum in omni necessitate recursum, totius ei interni feruoris librare complexum. Delectabar ergò af- B fectuosissimè esse modicus, horrebam penitus & gradum potiorem, & magni nominis vmbram in mundo. Tùm primùm intimo illo sapore addidici ei quid voluntatis vnitas, quid eiusdem puritas, quid fuerit irreflexa perpetuæ paupertatis intentio. Quid dicam Domine, quàm momentaneus iste paradisus extiterit, quàm parua quies, quàm breuis & ad dubium tantæ dulcedinis sensus.

Psal. 142. 12. Vix paucis mensibus talia prægustaueram, vix Spiritus tuus bonus, qui in terram me rectam deduxerat, aliquantisper illuminatæ C rationi insederat, cùm ecce quasi diceres: Cùm voluisti, volui, non vis modo & tibi displicet, velis nolis habe illud. Quorumdam remotorum & mihi funditùs ignotorum emersit electio. Sed quænam electio? Verè me fatear egregium, cùm inter omnes qui mihi obuersabantur, sordidior, imò teterrimus, Deus, sub tuo testimonio iudicarer: Paucarum igitur quas attigeram litterarum, & docentis, vt dicebatur, exteriùs litura personæ, electores meos effecerat cœcutientes & lippos. Deus bone, quid dicerent si mea tunc interiora viderent? Quid D quoque sentirent, si qualis modo eis præsim agnoscerent? Tu scis qui, quo nescio iudicio, id ordinasti, quantum mihi indigner, quantum horream quòd melioribus ac honestioribus me præposterè omninò præsideam; scis enim, cordium renúmque Præcognitor, quia tale quid nullatenus affectabam, respui tamen, aut reprobari fœdè nolebam, téque præcordialiter exorabam, vt sic immunis à cœpto fierem, quatinus & verendum, & quod immodicè extimescebam onus non subirem, nec vt pote fragilis ex mei refutatione deficerem.

Inuitus Abbas Nouigenti eligitur.

E

*De filij electione dolet mater. * electionem.* Non te latuit, Deus meus, quàm durè, quàm ægrè tulerit mater mea* dilationem, quæ aliis videbatur honoris, sibi autem intolerandi mœroris: nec mihi quippiam tale contigisse volebat, in quo periculum ætatis adhuc nesciæ metuebat; præsertim cùm ignarus rerum forensium penitus essem, nimirum quas solis litteris quondam intentus nullatenus addiscere curauissem. Ab ipsa tamen, & ab omnibus penè, qui familiariter me nouerant, mihi crebriùs incantabatur, non diu me qualicumque promotione cariturum. Tu etiam Domine nosti quo interiori oculo & bona, & mala si vspiam promouerer, mihi euentura loquebatur, quæ hodiéque experior, nec me, nec alios latent. Visionibus quoque quamplurimis sub mea, & aliorum specie, longis post futura temporibus præuidebat; quorum aliqua indubiè fieri contemplor, & facta, nec minus residua quædam fienda præstolor, quibus tamen attexendis supersedendum ex industria reor.

Deus, quibus illa monitis cupiditates à mente arcere monebat, aduersitatum infortunia quæ expertus sum certissimè pollicens, lubricam semper suspirare iuuentam, per varios cogitationum ambitus animos frænare vagantes: vt eam de talibus disputantem non illiteratam, quod erat, fœminam, sed disertissimum Episcopum æstimares. Monasterium autem, ad cuius regimen eligebar, Nouingentum vocatur, & est confinio Laudunensis dioceseos in tantum adiacens, vt mediocris quidem, sed aliquotiens stagnantis fluuij, qui Aquila nuncupatur, interstitio præfatum territorium à Suessionensi distinguat, de cuius vetustatibus si Deus opem dederit, in hoc nos opere tractaturos speramus.

Nouigenti monasterium in diœcesi Laudunensi.

CAPVT XIX.

Diuersi casus, qui in cœnobio Flauiacensi accidêre. SEd quoniam in hac Flauiacensi Ecclesia sub Deo parente, & beati GEREMARI loci eiusdem conditoris patrocinio coaluisse nos diximus, quædam quæ ibidem audiuimus, fieríque vidimus, dignum vt memoriæ tradamus. Postquam ab euersione Danorum restituta est præfata Ecclesia, quidam inibi monachus gerens officium prioratus, nomine SVGGERIVS, bonis se agens moribus, in ipsa mortali ægritudine decumbebat. Erat autem, ni fallor, frater anus illius, quæ in suæ initio conuersationis circa matrem meam conuersa est. Cui iacenti astitit diabolus, librum manu tenens, dicénsque, accipe, lege, hunc tibi mittit Iupiter. Quem cum ille audito execrabili nomine, exhorruisset, adiecit diabolus. Diligis, inquit, domum istam? Diligo, ait. Et ille: scias eam totius religionis rigore sublato penitus post tempus aliquod exordinandam. Quæ verba loquentis Sathanæ cùm monachus dignis obiurgationibus confudisset, recessit qui aderat hostis, sed monachus relato quod viderat in amentiam versus est, ita vt manciparetur vinculis. Qui tamen antequam expiraret, menti suæ rediit, & diem

Suggerius Prior viso dæmone furore corripitur.

bene confitens obiit. Cùm ergo sciamus diabolum mendacem, & patrem eius ex solita inuidentia dictum credamus, alioquin ne verum fiat, auertat Deus. Res enim postmodum Ecclesiæ benè prouecta, huc vsque bene prouehitur.

CAPVT XX.

Monacho, qui inscio abbate pecunias absconderat, quid euenerit.

Vidi & ibidem sub nostro tempore ex milite monachum moribus, vt æstimabatur, simplicem, æuo prouectum, qui in pagum Vulcassinum ad cellulam quamdam Ecclesiæ, quia inde oriundus erat, ab Abbate suo destinatus, aggerem publici itineris, qui corruptus erat, licentia Prioris sui restaurare proposuit. Muneribus ergò fidelium opus illud explicuit, quo profligato, quædam residua de eadem largitione retinuit. Interea lethali infirmitate corripitur, nec tamen quod malè celabat, vlla confessione retegit. Defertur ad monasterium, cuius erat monachus, non Abbati, non Priori confitetur, quamuis diræ ab eo tortiones, mortis videlicet præconia sentirentur, sed famulo cuidam, qui infirmis ministrabat, argenti illa quantitas ab illo committitur.

Itaque cuiusdam intempestiuo noctis increscente molestia è sensibus eripitur, pro mortuo terræ distenditur, nos etiam signo crepitante vocati affuimus, Psalmos, orationes, & conuenientia obituris expleuimus. Quo facto, hominem, vt monastici moris est, cilicio suppositum, vt videbatur in extremis stridoribus vix efflantem, reliquimus, cui nullus vitam, omnes solùm præmortuo mox vltimum lauachrum spondebamus. Nec mora nobis abeuntibus ille respirat; Priorem (nam Abbas aberat) euocat; de eo quod fraudauerat, & cui fraudem commiserat, indicat. Dixit, & à Priore absolutione recepta, post paululum repetitis singultibus expirauit. Erat Prior tunc temporis magister meus, de quo sæpiùs ago. Ecce misericordiæ domini multæ, quia non sumus consumpti, qui quem vult liberat de ore angusto latissimè.

Exacto igitur à præsentibus homine, quæstio pecuniæ in famulum tota deuoluitur. Ipse autem massam illam in stramine cunarum cuiusdam suæ paruulæ infantis absconderat. At nocte cum infans cubitum locaretur, ecce dæmones instar catulorum à latere, & à tergo insiliunt, & hinc inde circum circa pulsantes, & aliquotiens vellicantes, in clamores & lachrymas concitabant. Cúmque ab vtroque interrogaretur quid fleret, se à catulis comedi respondebat. Tum mater, quæ matris meæ ancilla, & aliquando pedissequa extiterat, ad ipsam dominam suam, matrem videlicet meam, concurrit, deposita illa rusaria apud se reposita dicit, & infantis suæ discrimen in catulorum distractione subiungit. Cui illa. Scias, inquit, dæmones esse, qui super illa diabolica pecunia iocundantur, & ei quasi suum recognoscentes instant. Hoc maritus cognito, licet inuitus, & plurima vexatione cruciatus, vt sic dixerim, seu vi, seu clam, seu precario, istud quod repetebatur, effudit, & dæmonum quam proinde patiebatur infestationem non tacuit. Audiuimus quia cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat, colligere ex subiecto poterimus. Et ô Dei admiranda iudicia! is siquidem, de quo retulimus, totam in exercitatione equestri ætatem, scortorúmque fœditate deduxerat: ille verò, de quo sum relaturus, acediosus quidem aliquantisper fuerat, sed nihil inhonesti aliàs de ipso claruerat. Est planè hoc * philargyriæ vitium in tantum apud monachos perniciosum, vtpote minus naturale, vt vix aliquod crimen reperiatur, cui tantopere diabolus surripiendo insidietur.

Cuius vult Deus miseretur, & quem vult indurat.

** Pecuniarum amor.*

CAPVT XXI.

De monacho propter peculium in agris humato.

Alter quidam ex nostris monachus, & Sacerdos ordine, cui nihil præter equitandi auiditatem poterat leuitatis ascribi, à matrona quadam nobili duos acceperat solidos, qui mox dyssenteria comprehensus apud Sanctum Quintinum Beluaci desederat. Quo Flauiaci cognito, iussu Abbatis ad propriam Ecclesiam est relatus. Cúmque plurimùm ederet, & protinus indifferenter efflueret, accidit vt Abbas suus vspiam migraturus ad eum locuturus accederet, verens ne se absente decederet. At ille sub Abbatis aduentu ad requisita naturæ concesserat. Quem posito sibi dolio quia procedere non poterat, cum cerneret * incidentem mira deformitate horibilem, alterutrum quidem se sunt intuiti, & Abbatem puduit tali in loco hominem conuenire, & misero non licuit confiteri, imò non libuit, nec absolui à crimine. Abbas recessit, & ille à dolio ad lectulum quasi requieturus accessit; in quo vbi est resupinatus, à diabolo est suffocatus. Videres horribiliter hærere pectori mentum & iugulum, ac si ex violenta depressione subactum. Inconfessus igitur & inunctus, & super maledicto illo suo peculio intestatus moritur. Nudato itaque ad lauandum cadauere, reperitur pendens ab humero marsupium sub axella labere. Quo reperto, concussâ qui inuenerat ad terram cum furore crumenâ, manibusque complosis cucurrit ad

*f. * insidentem.*

monachos, insolitum eorum auribus rumorem inuexit. Inauditum planè fuerat apud ipsos, suorum quempiam sic obiisse.

Mittitur itaque post Abbatem, qui duobus millibus trans Beluacum apud quamdam villam suam prandere iam cœperat. Per alium autem missum, qui huc peruenerat, iandudum Abbas eum obiisse acceperat, sed de solidis nil sciuerat, nil dixerat. Missus ergo veniens ex parte fratrum qui miserant, consulit Abbatem quid facto opus sit, an aliis consepeliri liceret, qui tam miserè ab aliorum communitate desciuerat. Communicato itaque Abbas cum viris prudentibus consilio, præcepit agrariam ei fieri sepulturam, & ab oratione & Psalmis exortem, & pectori eius superponi pecuniam. Priuata tamen pro eo fratrum non defecit oratio, immò multò amplius institerunt, quò magis nouerant eum egere subsidio. Ex huius igitur morte repentina, cæteri circa peculium castigatiores redditi. Audiamus adhuc qualiter sint aliàs, & pro aliis flagellati.

CAPVT XXII.

Tonitruo & fulmine clades maxima in Fauiacensi Ecclesia.

VIx paucæ hebdomades emensæ fuerant, cum esset vigilia Martyrum GERVASII & PROTHASII, paruo emergente tonitruo, nec crebescente corusco, tempestuosi aëris nubilus eminebat. Mane ergò nobis surgentibus paruo admodum spatio primæ horæ signum insonuerat. Ad Ecclesiam insolita celeritate conuenimus, post breuissimam orationem, *Deus in adiutorium meum intende* dixeramus: sed cùm vellemus aggredi sequentia, ictu ruente grandisono fulminis hoc modo penetratur Ecclesia. Gallum, qui super turri erat, crucem, colúmque aut dispergit, aut cremat; trabem cui hæc insidebant debilitat, & scindulas clauis affixas semiurendo conuellens, per Occidentalem turris vitream intrat. Crucifixi Domini imaginem subter stantem, illiso vsque ad ruinam capite, fixóque latere dextro, frangit, non vstulat: dextrum verò brachium & crucis, & imaginis sic vrit, & truncat, vt præter manûs pollicem de toto brachio quippiam nemo reperiat.

Quasi ergò percusso pastore disperguntur plagis, ac mortibus oues. Dextrorsum enim per arcum, cui percussa imago suberat, flamma labens in cemento arcus descendendo bifurcam nigredinis rigam fecit; & in Chorum perueniens, duos hinc & inde arcus stantes monachos percutit, & in momento exanimes reddit. Sinistrorsum autem altrinsecus ruens abrasâ per gradus non passim cementi liturâ, ac si saxum inibi volueretur, monachum etiam illic stantem tutudit, licet neque in duobus, neque in hoc vno quicquam læsionis apertè patuerit, nisi quòd in euersis huius oculis ab arcu decidens puluis apparuit. Illud mirum quidem fuit, quòd qui mortui sunt substitêre sedentes: nos verò qui fulminis vehementiâ stupescentes pene exanimes eramus, proni in alterutros rueramus. Aliqui autem nostrum qui cecidimus, à cingulo inferius sensum corporis omnem perdidimus; aliqui adeò læsi sunt, vt metu mortis sacro confestim oleo eos inungeremus. In quorumdam sinus flamma subintroiit & pilos vniuersos adurens, & ascellarum, quæ subhircos nominant, succrementa conflagrans, pedules ac soleas pertusando per extrema progreditur.

Percutiuntur duo monachi.

Dici non potest quàm iudicialiter in momento illo cœlestis disciplina sæuierit, per quos anfractus huc illúcque discurrerit, quid læserit, quid vsserit, quid fregerit. Vt simile factum in Francia nostra nemo ætate didicerit. Vidi, Deum testor, post horam, qua hæc acciderant, Beatæ Dei Genitricis imaginem, quæ infra crucifixum stabat vultu adeò turbulento, & à solita serenitate mutato, vt penitus alterata videretur. Qui cùm meo intuitui non crederem, hæc ipsa etiam ab aliis notata cognoui. Postquam autem à stupore, qui ex euentu illo acciderat, experrecti sumus, & confessione facta, quid pro peccatis nostris passi eramus, supra quam dici ab homine potest, tristes pensare cœpimus, & statuti à Deo contra facies nostras ex respectu conscientiarum nostrarum didicimus, quàm iustè pertulerimus, illicò piæ Matris faciem in serenum versam vidimus. Omnem sanè fidem superat dolor, & pudor, qui in nobis aliquamdiu fuit.

Deiparæ imaginis facies tristis apparet.

Post paucos admodum annos cùm huius iam memoria facti omnium pene obliteraretur ab animo, simile Deus commonitorium repetiuit, excepto quod neminem læsit. Nam iuxta eminentem cameræ cuiusdam caminum Pauo nocte substiterat quieturus, in tantum vt se totum ei dum somno deprimeretur, imprimeret. Festiuitas sancti Iacobi Apostoli, & pariter Dominica habebatur, cùm nocte grauis tonitrus fragor insisteret, fulmen camino irruit: quicquid eius cameræ eminebat, subruit, Pauo ei incumbens immobilis stetit, puerulus monachus subter dormiens, ne à somno quidem est excitus: famulus autem quidam stupore capitis, ac membrorum durè est attonitus. Iuxta Beatum AVGVSTINVM, frustra montes Deus aut insensibilia percutit, sed vt à nobis pensetur, quòd dum ea, quæ non peccant, sic impetit, magnum iudicij discrimen peccantibus intendit, natricem pro exemplo infe-

Iterum de fulmine.

rens quæ fuste terram verberat, vt infantulum ab importunitate compescat.

De conuersatione monachorum fulminetactorum.

Præteriit me dum de priori infortunio loquerer, de trium illorum, qui perempti sunt, moribus loqui. Duo siquidem nouitij vix octo in conuersatione menses impleuerant, quorum alter sub colore grauitatis minus apud se idoneus erat, alter sub leui habitudine nil nimis odibile intus quod sciremus habebat. Hi pridie quam paterentur multùm sub ea quam dixi diuersitate se gesserant, mane etiam, quo hæc contigerunt, cùm tonitrui voces ille exterius leuis audisset, verba exinde dicere ridicula cœpit, statímque intrans Ecclesiam ictum illum quem risit excepit. At tertius vocabulo ROBERTVS, qui & in sæculo columba cognominabatur, ob sinceram quam habebat simplicitatem, iuuenis tunc primis genis pubescentibus in omni cognitus honestate, in Ecclesiastico, ac fraterno officio tantopere erat expeditus, & solers, vt vicarius pene quotidie omnium haberetur. Attigerat autem & bene grammaticam. Is matutinâ illâ horâ, quæ ibi fouebat exitium, cùm me surgentem, vt solitus erat, præuenisset in claustro sedere, significauit mihi quod ingentibus & reliquo corpore magnis doloribus angeretur. Et sub inde commotum respectabat ad aërem, ex quo & mox occubuit. Ecce ante ruinam cor illorum duorum exaltabatur, quorum, vt credimus, in Dei iudicio seuerior mox erat futura sententia: gloriam verò in isto præcedebat humilitas, cui & illico nulli dubium quin diuina foret accessura sublimitas. Nam cuidam mox reuelatum est, quia hi tres Romam ad sanctum Petrum pariter commigrarent, sed duo vmbratiles, & qui vix videri possent, tertiús ille albatus, & solita sagacitate viuax, ac mobilis properabat.

Accessit post aliquot annos iam horum oblitis, & securitate torpentibus, tertia correctio. Iam ab Ecclesia eadem fueram digressus. Mane quodam, quo fieret tempestuosa commotio, ad maius altare Litanias cantaturi processerant. In choro enim, in quo primùm ceciderat, subsistere non audebant. Cùm subitò flamma superna ruit, & sicuti ij qui videre testati sunt, vsque ad altaris crepidinem densescendo, circuitum eius tetra ad sulphuris instar impleuit. Cuidam monacho Presbytero oculos ibi obduxit, duobus pueris ad altaris pedaneum capita habentibus, ac prostratis, quorum alter ex Iudæo conuersus, sed præcordialiter fidelis erat, ab altari sublatis, procúlque transactis, pedes aram versus, caput ab abside parietem ipsis nescientibus motus ille conuertit. Arcam, quæ post altare erat, per loca debilitans fulmen introiit, planetam quæ pretiosior putabatur, cùm pars plurima ibi thesauri esset Ecclesiæ, solam fide corrupit. Cuius hæc miranda ratio est.

Guillelmus 2. Anglorum Rex pessimus.

A Rege Anglorum, viro prorsus illegitimo, & Ecclesiis infenso, qui Rufus, quod & erat, cognominabatur, quem Deus sui ipsius Amasij sagittâ, dum venaretur, occidit, planeta ipsa ex nomine petita est. Qui proprios cùm nollet exhaurire thesauros, monachum huius rei executorem destinauit ad Abbatem monasterij, quod vocabatur de Bello, mandans ei vt quindecim marcas argenti ipsi monacho daret. Abbate verò renuente, per Regis violentiam monasterij præda abducta, & mox marcis quindecim vellet nollet ab eodem Abbate est redempta. Inde sacrilega, imò per sacrilegos planeta tanta est etiam fraude coëmpta, nec minori fraude composita, vt in procurando, in emendo, vt componendo tota constet in maledictione conflata: nec enim medium pretij, postquam post hunc euentum in partes missa considerata fuit, est valere probata. In ipsa planè eius compositione multa emptoris fraus detecta tunc est. Hæc igitur integris cæteris ornamentis sic est iure damnata, licet suo mercatori simili parsum videatur à pœna.

Cuidam autem monacho mordacem gerenti conscientiam ante hoc factum tale quid apparuit. Imago Domini crucifixi de cruce descendere videbatur, de manibus, latere, ac pedibus sanguine exstillante, per chori medium incedens dicere audiebatur: *Nisi confessi fueritis, moriemini.* Qui experrectus horruit seipsum, sed antequam confiteretur subit huiusmodi cum cæteris omnibus periculum, qui confessus iusti iudicij magnum dedit indicium. Pro quo iam consternato discrimine, die quo hæc primùm accidêre, perennia quotannis sunt instituta ieiunia, eleemosynarumque beneficia. Missa ad Beatam MARIAM & de ipsa quotidiana, præter hanc quoque Missa de natali Domini ad altare sancti Michaëlis omni Dominica. Sed iam properemus ad alia.

Missa de B. Maria.

CAPVT XXII.

Dæmones terrent monachum morti proximum.

EO anno, imò post quatuor primi casus menses, quidam Monachus ordine Presbyter, matris meæ quondam in sæculo Capellanus, vir ad oculum tunc religiosus, sed tunc, & postmodum vitiis enormibus à quibus custodia humana abstineri non poterat, irretractabiliter deditus, facile cœperat infirmari. Qui insperatam in biduo perductus ad mortem, cœpit atrociter hac illacque despicere.

despicere. Cúmque ab iis, qui esse eius nouerant, rogaretur quid cerneret, respondit: domum plenam barbaris hominibus. Cúmque illi intelligerent sibi eos, qui videbantur, non alios quàm dæmones imminere, cœperunt ei suggerere vt se signaret, & Beatam Dei Genitricem inuocare speraret: Spem, inquit, & fiduciam in ipsa haberem nisi barones isti insisterent. Mirum dictu quod barones eos vocauerit, quod ex Græca etymologia graues significat. Et, ô quam male graues erant, qui non iam pœnitentiâ, aut inuocatione aliqua amoliri valuerant. Interrogant denique in quo potissimum angeretur. Respondet ille sic se sentire, ac si ingens productile ferrum guttur eius & præcordia, flammâ excandescente, perureret. Cùm autem esset nox quietissima, vt ne venticulus audiretur, cœperunt fenestræ domus parietibus appelli, & quasi ex aliqua intrantium frequentia crebro repercuti. Duo eum monachi, cæteris in domo dormientibus, asseruabant, & conscij quod talia non ex bono fierent, æstuabant. Inter illa ergo quæ diximus verba efflauit. Erat autem homo multis indignitatibus addictus, vnde & talem vitam talis consecutus est exitus.

Qui malo fine periit.

In cimiterio Ecclesiæ illius sepulchrum cuidam defuncto monacho parabatur: nec ille, cui id officij attinebat, meminisse non poterat, eo se in loco tumulum effecisse. Fodit igitur, & cum altiora petisset, tabulam quæ supponi solet Sarcophago reperit, qua dimota, vacuum pene sepulchrum inuenit, nisi quod cucullum, quem caperonem vulgò vocant, cum capite introrsum reposito, & crepidas fœno semiplenas (quod olim tempore sepulturæ factum est, vt magis hæreant pedibus) ad pedes Sarcophagi reperit, in toto autem medio nihil. Quod cum aliqui vidissent, nobísque retulissent, Dei incomprensibile iudicium mirati sumus: quæ tam occultè ac subtiliter fieri peruidemus. In quo illud dignum est miraculo, quòd caput ibi dimissum. Corpus autem quo Deo placuit à suo loco exportatum est. Cui simile quiddam à bonæ memoriæ Manasse Archiepiscopo, qui ante hos annos fidelissimè decessit, & certius à monachis beati Remigij in Remensi vrbe addidici. Artaldus quidam huius ciuitatis Archiepiscopus ad pedes beati Remigij quondam fuerat sepultus: qui post plurima tempora ex ædificiorum mutandorum necessitate retectus, cùm eius sepulchrum fuisset apertum, nihil inibi de eius corpore est omnino repertum, planeta sola de eius vestibus illic residua apparuit, quam constat quia cum eius corpore non tabuit, quia prorsus illæsa patuit. Et certè si eius corpus ibidem putruisset, tabes vtique casulam corrupisset. Videmus his temporibus quæ apud beatum Gregorium referuntur, super noxiorum cadaueribus Dei iudicia innouari, quos per sacra loca constat indebitè tumulari.

Vulgò Chaperon, & capuchon.

In monasterio Virginum Cadomi constituto, quod à Mathildi Anglorum Regina constructum est, quæ Guillelmi ex Normannorum Comite Regis (qui Anglos eosdem subegerat) vxor fuit, monacha quædam fuit, quę sub peccatis aliquibus fœdis sese receperat, nec quocumque monitu ad confitendum cogi potuerat. Hanc sub ea obstinatione mori tunc contigit, quæ nec inter moriendum vtile quicquam dixit. Cúmque vna ex sororibus in cellula, quâ illa obierat, quadam nocte dormiret, videt in somnis in ipso camino domus nimios ignes accendi, eámque in medio positam non solùm conflagrari, verùm à duobus malignis spiritibus hinc & inde duorum malleorum ictibus tundi. Quæ cum tantas miseræ illius mulieris tortiones attenderet, scintilla vna considerantis in oculum ex percussione mallei visa est euolasse. Vnde & ex coctione insidentis igniculi eam contigit euigilasse. Qua ex re factum est, vt quod viderat in spiritu, pateretur in corpore, & veritati visionis verax congrueret testimonium læsionis.

Monialis quæ vitam fœdè transegerat nec pœnituerat, post mortem visa est torqueri.

CAPVT XXIII.

Qvidam Flauiacensis monachus OTMVNDVS vocabatur; qui cùm adhuc clericus plurima monasterio contulisset, ad extremum sese contulit. Qui suscepto monachatu cœpti boni pœnitens, ægrè nimium quod fecerat, tulit. Sed mox à Deo infirmitate corporis castigatus, sensit, egitq; postmodum viciniora saluti, nec sacrũ iam ordinem necessitate, sed coluit voluntate. Is itâ mobilis cum æquo plus esset, factus Ecclesiæ * æditus, pauperculum hominem, qui à se eleemosynã importunè petebat, durè plusquam debuerat ab Ecclesia expulit. Quo interdiu facto, cùm nocte sequenti vigilias significaturus ad ostia aperienda prodiret, ecce diabolus in specie hominis pauperis quẽ pridie malè eliminauerat, sibi obuius fuit, & fuste eleuato monachũ quasi percussurus impetiit. Fores namque inter clerum & populum interiecti parietis aperuerat, & ad alias, per quas intrat populus, referandas procedebat, cum repente exterioribus obseratis in exitu anteriorum à medio basilicæ ille simulans se ferire prosiliit. Cúmque ille pauefactus cessisset, hominem æstimans quem hesterno arguisset, in se tandem rediit, & dum ostia forinseca clausa pensat, diabolum tandem fuisse credidit, qui hoc signo suum opus in homine denotauit.

Æditus, qui pauperem duriùs pepulerat, castigatur.

** Seu æditimus, quasi ædes tuens.*

In hyemali tempore dum ad naturæ requisita consurgeret, solitis indui pigritans sola cu-

cuculla vestiebatur, & inter moras illas frigore A mortifero angebatur. Nec multo post extremarum coporis partium tumore perductus ad mortem, nomen ipsum mortis plus iustè molestè ferebat. Cumque indesinenter, heu! sibi sub tantis mœroribus clamitaret, ad extremam deuenit horam. Qui sumpta communione, & per Dei gratiam retentâ, cætera enim redibant ad vomitum, spiritum iam laborabat absoluere. Interea cùm hæc primâ fierent horâ noctis, & custos Ecclesiæ vir bonus sese cubitum collocasset, ecce audit in cimiterio, quod iuxta erat, fratrum, innumerabilem dæmonum frequentiam consedisse. Qui cùm liberum ad hæc sentienda haberet B intellectum, potentia tamen quadam spirituali deprimeretur ad linguæ & corporis motum, introeunt Ecclesiam, & ante lectum eius transeuntes, inter chorum & altare sese proripiunt, & ad domum qua decumbebat ægrotus intendunt. Cúmque ille, qui ista mentaliter fieri sentiebat, Deum vt ab ijs saluaretur in spiritu exoraret, nec causâ mortis tantum cogi exercitum ignoraret, mox vt ad cellulam * agonizans attingunt, fratres, qui circa morientem fuerant, ad conuocandum aliorum conuentum tabulam ex more percu- C tiūt. Quo dum conuenitur, ille nec mora resoluitur. Quod iccirco retulerim, nō quòd in malignam illam partem eum cessisse crediderim, sed quòd omnes mecum pensare commoneam, quòd princeps mundi venit ad Filium Dei, in quo non habebat quicquam. Et si ad illum, ad nos quàm potiùs, in quibus penè totum habet, diabolicam certum est rapidis affectibus conuenire dementiam.

Molestias ingerunt dæmones agonizanti.

f.* agonizantis.

Mulierem inibi vidi, quæ cùm suo paruulo filio atrocissimè irasceretur, inter alia maledicta, quibus innocentem iaculabatur, infan- D tulum baptisma etiam, cui intinctus fuerat, ore nefario maledixit. Quæ confestim arrepta à dæmonio bacchari insanissimè, & detestabilia loqui & agere cœpit. Quæ perducta ad Ecclesiam, & fratribus exhibita per orationes, & exorcismum sensui reddita, ex vexatione edidicit Dominica non maledicere sacramenta.

Mulier infanti imprecata Diabolo mancipatur.

Puellulam itidem vidi energumenam ad memoriam inibi GEREMARI Confessoris adductam. Quæ cùm diebus aliquot commorata fuisset ibidem, quadam die tracta est à E parentibus ad altare. Cui cùm assisteret, retorto ad chorum capite videt pueros monachos post se stantes, & ait: Quàm pulchros Deus meus iuuenculos, sed est inter illos vnus qui nequaquam eis cohabitare deberet. Quo audito valde mirati sumus, quorsum talis sententia respectaret. Nec mora quidam ex ipsis fuga elabitur, & inter fugiendum praua eius vita moriendo deserta Religione detegitur.

Energumena Monachi prauos mores aperit.

CAPVT XXIV.

QVoniam de dæmonibus agere cœpimus, quædam subnectere idoneum iudicamus, quorum exemplo, & eorum oracula, eorúmque, qui eis confabulantur, consilia vitare possimus. Neminem enim ad sua maleficia addiscenda admittunt, nisi quem totius suæ Christianitatis honore, detestabili primum sacrilegio exuunt. In quodam nobili monasterio monachus quidam ab ineunte ætate nutritus fuerat, Grammaticamque aliquantisper attigerat, qui ad cellam Ecclesiæ appendicem à suo Abbate directus, cùm inibi moraretur, in morbum incidit, cuius causa cum Iudæo quodam gnaro medicinæ, loquendi malo suo occasionem sumpsit. Ex mutua ergò familiaritate sumentes audaciā, sua sibi incipiunt reuelare mysteria. Itaque sentiens monachus malarum artium curiosus Iudæum maleficia nosse, multùm ei institit. Assensit Iudæus, & sequestrum ei apud diabolum se futurum pollicetur. Statuitur locus, colloquiíque dies. Tandem eo mediatore sistitur ante diabolum: petit se doctrinæ huius eo fieri auctore participem. Refert præses ille nefandus neutiquam hoc fieri, nisi Christianitate negata sibi sacrificium deferatur. Interrogat ille quod? Quod delectabilius est in homine. Quod illud? Sperma libabis, ait, tuum, quod cum mihi profuderis, inde quod sacrificantibus est debitum prægustabis. Proh scelus! Proh pudor! Et is à quo hæc exigebantur erat presbyter. Et hæc ad tui Ordinis, & tuæ benedictæ Hostiæ sacrilegam ignominiam fecit tuus antiquus hostis, Domine. Ne sileas, neque compescaris à vindicta Deus. Quid dicam? Quomodo dicam? Fecit quod petebatur infœlix, quem tu, ô vtinam ad tempus! deserueras. Fit itaque cum horribili libamento super fidei relegatione professio. Quas autem artes execrabili hoc mercimonio compararit facto notificemus in vno.

Ad sortilegia addiscenda Sathan admittit neminem, nisi priùs Christianæ professioni abrenuntiet.

Quandam cogniti generis monacham colloquio suo assueuerat. Erat autem in cellula commanens, vno tantū sodali monacho, qui quidē exteriora curabat, is domi vacabat ineptiis. Die ergò quadam suo cum contubernali à negotio redeunte domi sedebāt, quem cùm porro vidissent, diuerticulū mulieri non patuit, sed exitus eius reditū monachi offendebat. Trepidam itaque nouus incantator intuens sociam; vade, ait, in occursum venientis, nusquam dextrâ læuáque respiciens, nil verearis. Credidit fœmina & processit. Ille verò substitit in ostio, & præcantans ei quę didicerat, in canem eam conuertit immanissimum. Quæ cùm redeunti Monacho propinquasset. Heu, inquit, vnde tantus canis aduenit.

Mulier in canem cōuersa.

Illa verò multùm pauefacta pertransiit, tantum ex eo verbo sub qua specie euasisset, agnouit. Monachus denique & ipse domum veniens rogitat vnde tam insolitæ magnitudinis canis emerserit: vicini, inquit, illius nostri est; nonne eum iam dudum nosti? Sic siluit dum vera putat. Diu igitur sine Deo viuens, demum graui morbo, Deo propitiante, percutitur, & velit nolit quod gesserat confitetur. Res ad iudicium sapientium, & maximè ANSELMI Cantuariensis postmodum Archiepiscopi, tunc Beccensis Abbatis, prouocatur, & sub eius potissimùm censura, ab omni diuinorum mysteriorum ministerio eorum spurcissimus prophanator abiicitur. In qua tamen abstentione positus, nunquam ab eius animo obliterari poterat, quin adhuc futurus esset Episcopus: quam spem indubiè acceperat à dæmonibus, semper quidem, & hic quoque mendacibus, quia ante paucos annos non modò Pontifex, sed in æternum expresbyter est defunctus.

Clericus dæmonem quem consulturus adierat, inuocato Mariæ nomine fugat.

Attexam cuiusdam initium, sed meliori fine conclusum. Quidam clericus in Beluacensi pago scriptandi arte viuebat, quem & ego noueram (nam Flauiaci in hoc ipso opere conductus laborauerat) qui postmodum apud castrum Britoïlum cum altero malefico fabulam habens clerico, tale quid audiuit. Si quæstui mihi esset quiddam te docerem, quod cùm faceres, quotidiana, sine vlla administratione hominis, pecuniarum dona perciperes. Quærit ille quid facto opus esset, infert maleficus, quia ciui infernorum, scilicet diabolo litandum sibi foret. Quâ, inquit victimâ? Gallo, inquit, ita vt ouum, de quo concretus est, die Iouis in mense Martio à Gallina constet expositum. Hunc ergò postquam torrueris, in ipso noctis principio tecum sumens, vti tostus est, veru adhuc ei infuso, ad proximum viuarium mecum ibis. Quicquid autem ibi videas, audias, sentias, non Deum, non Beatam MARIAM, non vllos sanctos inuocare præsumas. Faxo, inquit, mirabile factum. Ad locum ergò noctu veniunt, & hostiam tali Deo congruam secum ferunt. Cúmque ille ex nomine inuocasset dæmonium, & prauus ille discipulus teneret gallum, suscitato turbine Dæmon astitit: Gallum sibi corripuit: exterritus ille qui ducebatur, Sanctam MARAM inclamauit. Cuius potentis Dominæ audito ille nomine cum Gallo suo aufugit, ita vt eundem efferre non sufficeret, sed eum in quadam viuarij insula quispiam de piscatoribus postridie reperiret. O regium, & dulce tuis nomen, malignis partibus sic pauendum! Iratus est autem maleficus aduersus Clericum, cur tantam sub tali negotio fœminam inuocasset. At ille pœnitentiâ actus ad LISIARDUM Beluacensem Archidiaconum auunculum meum, virum vndecumque literatum, prudentem, & ad talia curialem ac famosum accessit; confessúsque quod gessit, orationibus ac ieiuniis sese ad pœnitudinem ipso iubente depressit. Hæc de ijs quæ in monasterio viderim aut audierim dixisse sufficiant. At deinceps, cùm superius de illa nostra qualicunque electione dixerimus, quis ipse locus, qualiter institutus, quas antiquitates habuerit, ad quem translati Deo auctore sumus, alterius Libelli initio attingamus.

LIBER SECVNDVS.

INITIA ET PROGRESSVS ABBATIÆ B. MARIÆ DE NOVIGENTO REFERVNTVR.

CAPVT PRIMVM.

*Vulgò. * Nogent sous Coucy.*

VOCATVR siquidem * Nouigentum. Qui quantum ad habitationem spectat monasticam nouus; quantum verò ad vsum sæcularem vetustissimè cultus. Quam opinionem si nulla literalis iuuaret traditio, suppeteret profectò affatim peregrina, & non putamus, Christiani nominis sepulchrorum inuenta contextio. Circa enim ipsam, & in ipsa Basilica tantam sarcophagorum copiam coniunxit antiquitas, in multam loci famositatem tantopere expetiti, cadauerum inibi congestorum commendat infinitas. Quia enim non in morem nostrorum ordo disponitur sepulchrorum, sed circulatim in modum coraulæ, sepulchrum vnius multa ambiunt, in quibus quædam reperiuntur vasa, quorum causam nesciunt Christiana tempora. Non possumus aliud credere nisi quod fuerunt Gentium, aut antiquissima

Christianorum, sed facta gentili more. Quædam autem sunt in eadem Ecclesia litteræ metro compositæ, quibus ego nulla adniterer auctoritate, nisi quædam, quæ plurimùm eorum roborant fidem, viderem hodiéque constare. Quæ historia sic se habere secundùm scripturæ huius seriem traditur.

Mira de Rege Brito-Saxonum. *Lege sis Annotationem nostram.*

Apud Anglos ante incarnati Verbi in cœlum assumptionem, Regem quendam extitisse refert, qui quidem non Angli, quod nouius nomen est, à quadam parte Saxonum, qui illas postmodum vsurparunt terras, sed Britones ab antiquo vocantur. In ipsa ergò Britannia Oceani videlicet insula, Rex idem fuerat litteris poëticis ac Philosophicis vberrimè fultus, & ad hæc naturaliter sibi insita bonitate ad misericordiæ opera fusus. Cumque egenæ manui non Dei, quem adhuc ignorabat, intuitu, sed humanitatis eximiæ, qua affluebat impulsu, dapsilem se præberet, dignum fuit vt piæ naturæ exercitio clarioris intelligentiæ munus accederet. Cœpit enim disertissimis apud se coniecturis discurrere, quid inter tot Deorum suorum formulas certi numinis sperare deberet. Pensans enim quænam in moderatione cœli & terræ poterat inter eos esse concordia, cùm in coniugiis dum aduiuerent suis, fuerit & impuritas, ac simultas indubia; & in dominiis terrarum suarum, filiorum in patres, patrum in filios vsque ad vicariam aut exclusionem, aut mortem patuerit inter ipsos crudelis inuidia: & cùm de ipsis cunctis pene peiora mortalibus cantitentur, dementiæ arbitrabatur extremæ si talibus terræ, necdum cœlorum regimen ascribatur. Et quis eos ad superna disponenda traducat, quorum quondam miseranda potentia terrarum particulas qualescunque sine turpi commissione tenere non poterat?

Literatus.

Benignus licet Gentilis erga pauperes.

Hæc homo, similiáque reuoluens, exclusis à corde inanium iam vt putabat numinum imaginibus, ad vnum incomprehensibilem, quem sine forma coli oporteat, qui omnia vnus vnâ concordiâ administrat, cuius inuisibilia per ea quæ facta sunt iam intellecta conspexerat, colendum se vertit. Cùm ergò in his vtilibus argumentis sub quibusdam tamen hæsitaret ambagibus, Deus qui beniuolis meliora declarat, hominem hunc cœlesti missa ad eum voce sollicitat, vti Hierosolymam vsque procedat, ibi auditurus quid de Deo sentiri deceat, qualiter à Deo Dei exiens Filius inter homines pro hominibus sese habuerit, quid perferendo, aut quid deuenerit, quos diuini nominis exemplandi vicarios post se reliquerit, quosue cum se illò transtulerit, tantorum mysteriorum indices, Matrem videlicet cum vniuerso apostolatu reperturus sit.

Cœlesti lumine illustratur.

Regnum abdicat.

Igitur Rex ille Britannicus rebus & regno positis, enunciato sibi fidei oraculo, ad experienda quæ didicerat properare proposuit. Desertâ itaque patriâ, & classe parata, contiguum tranans æquor, transmisso oppidorum plurimo ac vrbium interstitio, prouinciæ Laudunensis attigit limitem. Ruri igitur quod prænominauimus Nouigentum, hospitium appulit sortiturus. Est autem locus ille sub castello, qui * Codiciacus appellatur, nouo quidem & à rusticis, vt ferunt, terræ huius valde superbis & ditibus propter externorum incursus ædificato. Castelli ergò nulla omninò antiquitas. Locus ille, de quo agimus, tunc temporis venationum feracibus ambiebatur syluis, fluuio quem supra diximus Aquila vtiliori maximè quàm maiori; nam celebrioris nominis vndas piscositate superans vberrima, aluei sui nequaquam meatu concluditur. Cæterorum instar fluminum, sed aquarum stagnante copia viuariorum more protenditur. Montium hinc inde prominentium vineis deuexa cinguntur, humus vtrobique Libero, Cererísque conueniens, omnium bonarum frugum gleba genitrice laudatur; fluuioli fœcunditas pratorum longè latéque tendentium amœnitatibus commendatur.

Nouigenti hospitatur.

* Vulgò *Coucy.*

Nouigenti descriptio.

Traditur autem ab antiquis, & pro certo astruitur quod eo in loco vetustissimum extitit quondam fanum, non existentis cuiuspiam Dei nomine, aut honore sacratum, sed ei fœminæ nondum natæ, quæ Deum & hominem esset genitura, dicatum. Erat ergo Matri futuræ Dei nasci turi deuotum. Quod nemini quippiam sapienti videtur absurdum, quippe qui Deum ignotum apud Athenas coluerant, certè nasciturum ex fœmina sicut & cæteros Deos gregarios, quorum Matres nominant, minimè nesciebant. Et si nascituro iam sacellum dicabatur, mater huius, sicut & aliorum, honore nequaquam simili priuabatur. Quod ergò illic gignendo non discredendum est, quod & istic fieri potuit genituræ. Ad hunc itaque locum Regem Britanicum contigit aduenisse, qui oportunissimi ruris gratitudine tentus, sui suorúmque vexata tractu itineris corpora inibi refouere disposuit, & animalia lassabunda octo diebus vberi quod adiacet pabulo recreauit.

Inibi Virgini Deum Pariturae sacratum fanum.

Exinde progrediens post emensa soli marisque spatia, tandem Ierosolymitanis sese mœnibus intulit. Nuper igitur Saluatore passo, & à mortuis suscitato, & ad cœlestia eleuato, ad vltimum Spiritu dato, reperit vrbem diuersis contentionibus diuersantem, his facto offensis, illis facta probantibus. Nec vlla extitit eos quos quærebat reperiendi difficultas, sed res magnis celebrata ru-

Rex Ierosolymis appulit.

moribus, nouæ huius promulgatores legis facili indicio propalauit. Non enim eos solita hactenus claustra tenebant, nec à sui testimonio Domini Iudaïcæ eos seditionis metus arcebat, sed erat considerare eos in populis eminentes, vt authoritatem verbi euidentia stationis impleret. Quid immorer? Inter populares igitur PETRVS cum vndecim inuenitur frequentiùs, largissimo iam discipulorum assecularite conuentu, totius nostræ fidei, & gloriæ speculo, suam ibi præsentiam, & diuinæ carnis testimonium perhibente MARIA. Quos Rex ille Britannicus Deo mox delaturus primitias cum Virgine Matre compellans, causas itineris sic expromit.

Alloquitur Apostolos.

De remotissimis terræ finibus ad vos Patres & Domini audiendos me deuenisse videtis. Ego ex debita successione parentum Britonibus hactenus imperaui. Sacra verò prisca, quæ errore vetusto venerabilia duxêre cum hucusque coluerim, hac ab eis nuper ratione desciui. Cùm enim ipsos attenderem, quos antiquitas Deitate indita honorauit, teterrimos fuisse mortalium, & post enormes spurcitias naturæ debita exoluisse perpensitans, rationabilibus reperi coniecturis homines in cœlestibus, qui sub cœlo terrestribus indigentes vixerant, sola opinione præfixos, cœlum & terram, quæque in eis sunt creare nullatenus potuisse, quos cœlorum aërúmque clementiâ, & terræ opulentiâ hoc in mundo constitit coaluisse. Horum ergò numinis ratione disperdita, meo tandem certissimum sedet ingenio, his diuina in finem authoritate priuatis, vnum posse & debere credi vnius Dei opificium ac regimen, à quo vno sicut sunt omnia, ita ea in se continens attemperat vniuersa. Postquam Deo est mens mea coagulata sub vno, & delubra, delubrorúmque figmenta æterno sunt proiecta fastidio, quasi defecatis iam ab idololatriæ sentina præcordiis, puritas illicò è cœlestibus totius veræ religionis inclaruit. Nam diuina voce mox iubeor huc venire, vbi in dispensatione Dei Filij nuper passi, veritas vnicæ credulitatis per vos mihi tradenda promittitur esse. Per hanc ergò pronunciati mihi luminis quam impresentiarum video Genitricem, & per vestra vos contestor officia, vt mihi præbeatis huius regenerationis nouæ mysteria.

His PETRVS, cum felici illo collegio sub MARIA cœlestem cœtum clarificante, auditis, Dei & hominis Filij magnificentiam adorauerunt, qui cùm recens, & gratiæ prædicatoribus numquam adhuc sparsis salutem in medio terræ fecisset, nouæ plenitudinis huius iam in occidentalium partium fines tam subitò verba fudisset. Traditâ igitur homini fidei regulâ, & sequenter abluto baptismatis vndâ, ibidem QVILIVS nomen accepit. Confirmatus itaque sub tantorum schola magistrorum, super eius quod susceperat intelligentia sacramenti, digressurus ab ipsis, & rediturus ad propria, sacra reliquiarum ab eis exegit fideli corde pignera; de his videlicet quæ corpori Saluatoris didicerat fuisse contigua. De vinculis ergò quibus Dominum ad stipitem ligatum nouerat; de flagris quibus impia manus membra beata sulcauerat; de spineo serto, quod sacrum caput ambierat; de ipso crucis ligno cui appensus fuerat; de camisia Dei Genitricis, in qua, vt dicitur, Dominum enixa fuerat; de omnium induuiis Apostolorum ipsorum pia deuotione petiit & accepit.

Fidei rudimentis imbutus baptizatur. Quilij nomen ei imponitur. Reliquias ab Apostolis accepit.

Hæc modico condita loculo secum tulit, repedandi curas insumpsit, & transmisso interiacenti regionum spatio, ad rus illud, in quo inter eundum pausandi gratia fuerat remoratus, deuenit. Qui continuò insperata correptus ægritudine, cùm cubitum se locasset, reuelatur ei in somnis quòd ibidem finem sortiretur vitæ præsentis. Dicitur etiam illi, quòd non aliàs quàm hîc membra eius essent habitura sepulchrum; in quo tamen illas quas Hierosolymis à sanctis Apostolis acceperat Reliquias, sub eodem cespite sciret esse condendas. Expergefactus homo, & ex suæ prænunciatione mortis cogitationibus iam vniuersis restrictis ad vnum, sub spe secururæ mox gloriæ de extremis sui cadaueris vtensilibus tractat. Diem igitur inibi obiens, & depositum ei, qui id sibi commiserat, indemne restituens, vbi corporis eius gleba monumenti obtinuit requiem, ibi Reliquiarum iuxta ipsum habuit loculus sedem. Inde Deo post temporis plurimum procurante, exempta capsula, & à quibus nescio fidelibus vetusto opificio auri preciosi bracteis adoperta, ad nostri huius temporis deuenit intuitus, & antiquis hucusque præbet testimonia noua relatibus. Itaque loci illius sic perhibentur sese habuisse initia.

Obiit Nouigenti.

CAPVT II.

AT Christianæ legis viuiscente succursu, bonæ multum habitudinis Ecclesia illic ex antiquo sub nomine Dei Genitricis enituit. Sub oppido etenim quod prædiximus Codiciacensi constituta, villis quoque vetustæ memoriæ & ditissimis constipata, magno quorumdam adiacentium concursu ac veneratione contingitur. Ferebatur etiam dum sub illa paruitate se ageret, diuinis crebrò illustrari luminibus, & miraculis sæpiùs honorari, quippe nec id iniuria, quia

De ipsa Nouigenti Ecclesia, quomodo Monachis concredita.

apud homines indebitè consistebat in humili. Castelli autem ipsius sub florentissimis principibus dilatato longè latéque dominio, & proceribus multa liberalitate & opulentia præditis, ob claritudinem loci, de cuius sanctitate dulcissima vbique redolebat opinio, ex deuotorum consilio propositum est, vt ad frequentiam diuini seruitij inibi habendam Monachis traderetur. Quoniam spes non erat tali cœpto maioris incrementi; non enim multo vberiores quàm sex monachorum vsu apparati loco illi redditus videbantur, à rudibus, & minùs doctis ad aliqua instituenda vel promouenda personis Ecclesia cœpit innouari. Quæ quoniam ducem, & alicuius argutiæ præceptorem in ædificando non habuit, laciniosum quidem quod factum est, fuit. Meliori igitur quàm nunc copia exuberante tunc sæculo, ex Procerum castelli muneribus, crescente locello, cui tamen in donorum primiciis, & largitas præcesserat Dominorum, & in largitionibus alienis suffragabatur assensus, commodo satis & loci fratrum, & eius patronorum prouisum est consilio, vt B. Remigij tunc Abbatem, qui iam dudum * Humiliarensi monasterio præerat, magnificum scilicet virum HENRICVM cœnobiolo etiam ipsi præficerent. Qui siquidem non literis, non genere clarus, sed in rerum forasticarum sic fuit dispensatione conspicuus, vt interioris regulæ statui bona sollicitudine pariter redderetur intentus. His igitur tribus monasteriis præsidens, ex ditiorum copiis duorum, tertij huius, quod coalescere cœperat, supplebat indigentias. Inter plurimas itaque quas penes Ecclesiam illam exercuit liberalitates, maximum ad eius consecrationem conflauit obsonium, quæ ab HELINANDO Laudunensi Episcopo, viro opum ditissimo, circa institutiones Ecclesiarum, & ornatus eorum curiosissimo dedicata; ab ipso quoque priuilegiis, à plerisque pensionibus emancipata, & claris muneribus aucta est.

*Vulgò * Hombliêres prope Sanctum-Quintinum.*

Henricus trium monasteriorum Abbas.

Helinandus consecrat Ecclesiam Nouigenti.

At quoniam & æuo grauis prædictus Abbas, & oculis captus erat, ad opulentiores, quæ suâ sufficientiâ facilius regi poterant, duas Abbatias se contulit; Tertiam hanc, quæ sine operosa instantia haberi nullatenus valebat, dimittere proposuit. Qui cuidam nepoti monacho cùm hanc cõmittere, prouocatis ad id Ecclesiæ fratribus, moliretur, impetrare non potuit, sed in quemdam tunc adolescentem nomine GODEFRIDVM, qui de locis erat illis oriundus, & * San-Quintinensis de Monte apud Peronam fuerat monachus, ipso etiam ægrè ferente prosiluit electio. Cùm ergò sagacissimus ille senior vota eligentium aliàs transferri conspiceret, locum, quem dignantissimè, & indulgentissima largitate seruauerat, deseruit, & legitimam cessionem illi, quem elegerant, fecit.

Godefridus fit Abbas.

*Vulgò * Le Môt S. Quentin.*

Igitur electo illo, & ad loci promoto custodiam, quoniam cum multa circumspectione se gessit, & tàm populares, quàm proceres cùm voluntatem, tùm possibilitatem Ecclesias augendi habebant; plurima isti terrarum, atque redditum hoc sequenti tempore commoda cõfluxerunt. Bene enim ad qualitatem exteriorum hominum idem habere se nouerat, quoniam eis affabilem, & dapsilem se præbebat, & in actione forasticarum causarum, in quibus addiscendis non minimùm operam dederat eis. Re autem vera homines ea tempestate, de qua in huius operis initio egi, liberales ad instituenda Cœnobia animos habentes, terras & multas pecunias cõferentes, lætiùs sua in talibus expendebant, quàm filij eorum bona nobis his diebus verba impendant. Quoniam igitur in Monasteriis circumcirca positis minus quàm oportuerat religionis studium habebatur, & iste in talibus cum suis plurimi exerceri videbatur, sicut lumen paruissimum mediis in tenebris habet locum, sic ad comparandam nominis claritatem personæ quæ preerat exhibita temperantia, subiectorúmque ad eius imperium obtemperantia tempus obtinuit oportunum.

Sapienter, prudentérque se gerit Godefridus.

Liberaliter proceres bona largiuntur.

Simoniacum itaque quippiam in eadem Ecclesia aut fieri aut haberi vetuit, & exclusis mercimoniis solam admisit gratiam, non dissimiliter execrationi ducens lucri turpis & opus & nomen. Igitur quoniam vir iste idem in forensibus negotiis Abbatum suorum pluribus argutior putabatur, & proinde oppidis ac vrbibus notior habebatur, de ditioribus quidem Abbatiis primo actum est, postmodum super Episcopatu sibi ferendo tractatum. Pontificium tunc temporis Ambianense biennio fermè vacauerat: ipse etiam idem cuiusdam vrbis prædictæ Archidiaconi, qui aliquarum cleri ac populi partium fauore petebatur, procurator extiterat. Vnde & pro astutia sæculari, & habitudine quam gerebat regulari, dum alteri id peteret, ipse expetitur, & sub RICHARDO quondam Albanensi Episcopo, Apostolicæ sedis in Franciam tunc legato (qui in ciuitate Trecassium coëgerat Concilium) præfatæ Ambianensium sedi Episcopus datus, à suo constat Nouigento translatus.

Proba eius instituta.

Creatur Episcopus Ambianensis.

Concilium in ciuitate Trecensi à Richardo legato cogitur.

Qui cùm in multa inibi gloria ac felicitate se gereret, & tantopere ab omnibus coleretur, vt ab ijs etiam qui sibi præerant Pontificibus cum speciali veneratione potissimum timeretur; & ne diu morer, cùm vbique quasi totius religionis speculum spectaretur, repente ad id, quod vtrum affectabat, nouit

Deus, an verebatur, emersit. Didici autem quòd hæreditas, ad quam festinatur in principio, benedictione caritura sit in nouissimo. Initia planè cùm solitæ plena laudis habuerit, & per annos aliquot rumor ei præconiosus accesserit, iam, vt est videre, quidquid apud hominem gloriarum excandescere videbatur, non modo intepuit, sed refrixit. Prima enim intra vrbem suæ susceptionis die cum locuturus ad populum pulpiti editiora teneret, protestatus est se sic ardua secturum, quippe qui nollet illud sibi poëticum in suis defectibus coaptari, scilicet: *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* Quæ sententia ad eius aucupanda facta sequentia, vniuersorum animos imprægnauit, eius enim status in dies copiosè lentescens seipsa deteriorem cœpit indesinenter facere sponsionem. Sed de his interim sileamus habituri forsitan in sequentibus loca vbi *.......

* *Nonnulla hîc desunt.*

CAPVT III.

Guibertus in locum Godefridi Abbas Nouigenti infectus subrogatur.

AD hunc ergò vnde digressus fuerat locum, & quem ipse competenter ac opportunè aptauerat, & in quo si habitis contentus esse vellet, fortunatissimè & liberrimè nulli obnoxius victitare potuerat, electione, vt superius dixi, facta me contigit euocari. Electio autem vtrum Deo nolente, an tolerante fuerit, nescio, hoc vnum securè pronuncio, quia neque eo ambitu, neque me conscio, aut meorum factione parentum, procurata sit mihi illa quæsitio. Et istac quidem res bene vtcumque processit: Illac verò quòd scilicet à nemine eorum cognoscebar, nec quempiam eorum noueram, non vtiliter forsitan, non integrè quod secutura lecturus attendat. Ad eos enim veniens certum apud me non habeo, quòd eis incognitus, & ipsi mihi simultatem quamlibet hac de causa concepissemus. Sic tamen sentiebatur à quibusdam. Quod aliàs quidem & contigit, potestùe contingere, * hîc autem factum nullatenus potui coniicere. Nulli namque dubium est, quod familiaritas ac notitia audaciam parere soleat, audacia verò in temeritatem facillimè prorumpat. Et certè maiorem his quos minus nouimus reuerentiam exhibere solemus, licet illum mihi ingredienti locum, nullo modo eorum conscientia esset occlusa, sed tam fideli confessione suos mihi animos prodiderunt, prodentes vnierunt, vt qui alicubi monachos me vidisse putarem, eis in hac parte comparabiles omnino non nossem.

*f. * sic*

Quare scelera sua planè non aperit.

Tu scis clementissime quòd hoc Opusculum non arrogantiâ aliquâ cœperim, sed nequitias meas confiteri voluerim, quas planè euidentissimè confiterer, nisi multorum animos qui hæc legerent horrendis meis actibus deprauare vererer. Confiteor, inquã, nequitias, sed multò iustiùs non iniquitati meæ, sed ingenitæ gratiæ tuæ respondentes misericordias. Et si de aliquo loqui contigerit, ad tua iudicia ostendenda mores exponam, & euentus finales rerum, tu enim scis quia in his tuis, tibique dicatis sermonibus, non grauanter excipio corrosionis ac inuidentiæ verbum. Quia igitur fortunas, & infortunia mea ad aliorum forsitan qualecumque instrumentum decreui contexere, ipsa susceptionis meæ die quidam monachus diuinæ paginæ non ignarus, euentuum, vt opinor, meorum curiosus, cùm obuiam mihi procedere * pararent, textum Euangelij ex industria super altare hac intentione aperuit, vt quod capitulum oculis primum occurreret, pro mei auspicio haberet.

*f. * pararet.*

Prognosticon de Guiberto.

Erat autem liber manu scriptus non paginis, sed columnis. In columnæ igitur tertiæ medio oculus eius insedit, qui locus sic se habuit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Diacono itaque, qui in processione Euangelij textum erat prælaturus, imperat, vt post osculum quod argenteæ imagini exterius affixæ libassem, digito loco illi, quem notauerat, interposito repente in oculis meis volumen aperiens solicitè attenderet, quàm in partem intuitus mens sese deponeret. Aperuit ergò librum, cui iuxta morem extrinsecus labra depresseram, & ipso aucupante quorsum intenderem, non paginæ initia respexi, non finem, sed ora & oculos ad versiculum deflexi eumdem. Qui monachus talium coniector cùm intentioni suæ factum meum improuidum conuenisse videret, post aliquot dies, & quid fecissem, & quod actio mea actioni suæ miro modo concinuisset, ad me veniens enarrauit. Deus, qui omnium in te credentium lucernas illuminas, tu scis quam intentionis lucernam mihi contuleris, & quam inter aduersa quæ mihi intulerint & prosperam voluntatem habeam erga ipsos. Et licet opera mea cor videlicet fœdum sit & miserum, quantum ad me spectat, tamen non te latet quantum ad salutem meorum, quos tu mihi subiecisti, animus meus intendat. Quantopere etiam mala mea considero, tantopere magis de bonis ipsorum si arriserint operibus hilaresco. Scio namque eò me apud tuæ gratiæ thronum liberiorem, quò amplius beniuolorum studiis me præbuero gratiorem.

Luc. 11. 34.

Quàm sollicitè munia obiit prælaturæ.

Susceptus igitur ab eis, & capitulari conuentui inductus, super prophetico illo oraculo sermonem habui, & dixi (erat autem Dominicum præsto natale, cum Isaïas legitur.)

Orationis ab illo coram Monachis habitæ summa.

„ Dicit, inquam, Isaias Propheta quod A nuper audistis, *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui: vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. Et respondebit ille: Non sum medicus, & in domo mea non est panis neque vestimentum nolite constituere me principem. Ruit enim Hierusalem, & Iudas concidit.*

Isaiæ 3.6.

„ Vir est qui contra diabolum * effœminatas non habet. Is fratrem apprehendit, cùm ad aliquem ex Deo natum se colligit. Is quoque patris debet esse domesticus, quia qui ad officium corripitur pastoratus, B mysteriorum domus Dei reperiri non debet ignarus. Qui enim sacramentorum Ecclesiæ nescius est, ipsius administratione dignus non est, vt pote quia scriba in Regno cœlorum, doctus, fidelis etiam in mysteria conseruando, prudens in erogando censeri seruus non potest. Et quomodo præsit Ecclesiæ, qui nescit Ecclesiam? Domesticus ergo sit.

f. * *effœminatus non habetur.*

Officium Pastoris animarum describitur.

„ Quid in vestimento nisi pulchra intelligitur exteriorum operum habitudo? Prin- C ceps ergo rogatur, vt sit qui vestimentum habet, quia crebrò contingit, vt is expetatur ad regimen, qui in incessu, verbo, & actu castigatiorem se exhibet. Ruina autem sub eius manu prohibetur esse, quia quidquid detrimenti in subiectis reperitur, ad præsidentis ratiocinium peruenire dinoscitur. Ac si diceret: Tu te bene ad oculum videris habere, attende tamen qua introrsum virtute præmineas. Sciens vtique quod omnium te oporteat sustinere D ruinas. Inde cautior redditus infert: *Non sum*, inquit, *medicus*, vt tot obuiare valeam ruinis morborum crebrescentibus, Vestimentum exterius aspicitis, quod tamen in domo non est, quia non idem animi habitus qui corporis est. Vnde & medicum se non esse fatetur, ex acumine enim discretionis difficile est penetrare origines & exitus cuiuslibet vitij & virtutis. Et hoc potuit contingere ex indigentia eius, quia non est in domo panis illius, qui à Deo hodie petitur quotidianus, con- E fortatio videlicet eius quæ spiritualiter infunditur diuinæ refectionis, aut ipsius, sine qua bene nusquam regitur, confirmatio in interiori homine caritatis.

Detrimenti sibi subiectorum reus est.

„ Princeps itaque iure fieri recusat, cui id virium animus supernè imbutus minimè subministrat. Hierusalem enim ruit, idest quia internæ experientia pacis deperiit; & etiam Iudas concidit, idest ipsa peccatorum confessio, quod extremum malorum omnium est, post amissionem intimæ tranquillitatis omnimoda desperatione defecit, iusta occasio refutandi pastoratus se „ præbuit. Vbi enim mens emergentibus vitiis inquietatur, nimis turpiter incursatur; nec mens his malè obcæcata per confessionem eadem detestatur, cùm se regere non præualet, iustè per alios, iustiùs per seipsam ab aliorum regimine arcetur. Quæ ergo exponendo hîc dixerim, illic latiùs exhortando, & exemplis scripturarum sententias fulciendo protulerim.

CAPVT IV.

At quoniam de Matre, quam bonam inter omnia quæ temporaliter possedi, specialiter solam habui, dicere iam diu omisimus, dignum est vt bonæ eius vitæ meliorem finem breuiter attingamus. Cùm annorum, vt ipsa fatebatur, non minimam pluralitatem infracta animi virtute transcenderet, & fatiscente corpusculo nullatenus in eius spiritu orationis cura lentesceret, & thoracis infirmitate à somno depulsa, cum stridore mirabili IESVM Dominum noctibus centupliciter replicaret, demum morbis euicta decubuit. Ego autem & frater meus tunc temporis agebamus Nouigenti. Biennio, ni fallor, ante illud ad Flauiacenses postliminium, quod supra quidem meminimus, inconsiderantissimè quidem factum, sed eo auctore, qui malis nostris benè vtitur, conuersum in multo prosperiorem quàm credi posset euentum. Pepercit enim eius teneritudini Deus, ne iecur tantopere Deum amans immeritum huius innobilis reditus gladio carperetur.

De felici matris obitu.

Igitur illi morituræ cùm meus magister lacrymabundus assisteret, intulit illi: ecce Filij domini remoti sunt, & tu forsitan ægrè feres, & ipsi ægriùs, si eis absentibus defungaris. At ipsa eum oculis reuerberans: si, inquit, vti quondam intra claustrum istic contiguum commanerent, nouit Deus quòd neque hos, neque quempiam meorum affinium in eo vellem obitui interesse. Est autem vnus quem internis præstolor viribus, qui vtinam solus adit. Dixit sic & ea nocte, hac hora, qua Angelus Gabriel à Deo missus ad Virginem & cantatur, & colitur, ad suam illam infinitis semper amoribus exoptatam quam prælibaui Dominam, non ingratè, vt credimus, suscipienda migrauit.

Ante paucos autem quàm decederet annos, nimiè cœperat affectare sacrum suscipere velum: quod cùm ego auctoritate proposita distulissem, vbi dicitur: *Viduas velare pontificum nullus attentet.* Sufficere sibi posse continentissimam sine exteriori habitu vitam. Quod & ipsum Anselmus Abbas Beccensis, postmodum * Cantuæ Anglorum

* *Cantiæ vel*

rum Archiepiscopus, vir mirabilis (de quo superius egi) ex antiquo vetuerat; tanto ipsa magis accendi, & à proposito nulla ratiocinatione repelli. Vicit, & inter suscipiendum cùm viro reuerendissimo IOANNE loco eiusdem Abbate, quem ipsa paruulum nutrierat, præsente super ea re satisfaceret, ad extremum tale se à Deo habuisse docuit in hoc opere incentiuum.

Velum suscipit. Ioannes Abbas Flaviac.

Dixit ergò se in visione vidisse multæ pulchritudinis, & auctoritatis Dominam, cui ornatus inerat circunstantia copiosi, quæ pretiosissimum sibi offerens peplum, quasi ad custodiendum idem ei commendabat, oportuno videlicet tempore in morem depositi restituendum. Cui verbo omnes incunctanter assedimus, præsertim cùm eius deuotionem diuinis prouocari significationibus sentiremus. Quod sacrum velamen annis ferme tribus integrè, vt poterat, conseruatum, illa die ei, quæ sibi illud commiserat, Dominæ reportauit; quâ ipsa salutiferæ annunciationis auspicium iocundissimâ fœlix aure suscepit. Ipsam cunctis commendo qui legerint ista fidelibus, quam constat nominem à crebris suis orationibus exclusisse fidelem. Hæc de ea coram Deo dixerim, cordis mei verax testimonium habens, nihil omnino confinxisse. Sed quia ad Flaviacensem Ecclesiam postliminium fecimus, dignum est vt aliquantisper inibi commoremur iterum, antequam Laudunensi sabulo retrouaga vestigia conspergamus.

CAPVT V.

Iudæus ad conuersus monastìcum habitum induit.

IN ipso Monasterio Monachus quidam est genere Hebræus. Is Hierosolymitani itineris per Latinum orbem personante primordio, sic est à sua superstitione sublatus. Rothomagi quadam die hi, qui illam ituri expeditionem sub eadem crucis professione susceperant, inter se cœperunt queri. Nos Dei hostes Orientem versus longis terrarum tractibus transmissis desideramus aggredi. Cùm ante oculos nostros sint Iudæi, quibus inimicitior existat gens nulla Dei: præposterus, inquiunt, labor est. His dictis arma præsumunt, & in quamdam Ecclesiam compellentes, vtrum vi nescio an dolo recutiunt, & gladiis indiscretè sexus & ætates addicunt, ita tamen vt qui Christianæ conditioni se subderent, ictum mucronis impendentis euaderent. In qua digladiatione vir quidam nobilis puerulum vidit, misertus eripuit, & ad matrem suam detulit.

Erat autem ipsa non mediocris excellentiæ Augiensi Comiti quondam nupta. Est verò Augium Castrum, cui preminet Abbatia sancti Michëlis iuxta mare, quod dicitur * Veterisportus. Egregia ergò mulier infantulum suscipiens gratulatoria admodum affabilitate ab ipso quæsiuit, vtrum Christianis vellet legibus applicari. Quod cùm ille non diffiteretur, (putabat enim se similibus quos suos pati viderat contribules, cædibus destinatum,) accelerato qui baptizatis competit apparatu itur ad fontem. Cui indito post orationum mysteria sacramento, cùm ad locum ventum esset, vbi accenso lumine liquens in vndam cera dimittitur, gutta singulariter ibidem visa est cecidisse, quæ per se solam in ipsis aquis adeò accuratè suâ, vt sic dicã, quantitatulâ effigiem crucis expressit, vt ex tantilla materie simile quid manu fieri humana nõ possit. Hæc ipsa mihi Comitissa, cùm in tantum mihi familiaris esset, ac vnicè nota, vt non nisi filium me vocaret, hoc etiam ipse presbyter pariter non sine diuini nominis plurima contestatione dixerunt. Quem ego euentum satis * leniter accepissem, nisi successus egregios puerulì indubiè peruidissem: vocabatur autem Comitissa HELISENDIS, Filius verò eius, qui à cæde eum extulit, & à sacro fonte recepit, GVILLELMVS. Vnde & nomen puero ad se dedit.

Vulgò, * Tresport.

f. * leniter.

Helisendis Comitissa.

Grandiusculus ergò cùm foret, ab Hebraïcis, quibus imbui cœperat, ad latinas literas traditus breui coaluit. Et quia ne à suis ad pristina reuocaretur parentibus metuebat, Flaviacensi eum intulit Cœnobio. Id enim aliquando tentauerant, sed nihil penes eum valuerant. Traditus autem monachatui tanta affectuositate erga Christianum se more habuit, tanta animi acrimonia quidquid diuinæ attinebat scientiæ combibit, tanta æquanimitate ea, quæ sibi disciplinæ gratiâ inferebantur, pertulit, vt suæ nequam naturæ victoriâ, & nuper turbatæ habitudinis * gloriam non minimam reuerentiam à cunctis exigeret. Delegatum igitur sibi pueritiæ suæ custodem claudestinum habuit Grammaticę præceptorem, qui vir plurimùm religiosus considerans nouo illi homunculo necessariam nostræ legis notitiam, ipsi erudiendo non inanem dedit operam.

f. gloriâ.

Adeò namque naturaliter solers eius quotidie acuminatur ingenium, vt cum ibi literatorum floreat multitudo, maior intelligentię cuiuspiam non putetur claritudo. Cùm itaq; in sentiendo sit multus, inuidentiâ consequenter ac derogatione fit nullus, semper hilaris, & cui specialis constet pudicitiæ cultus. Ad hunc ob augendum infractæ fidei suæ robur libellum quemdam direxi, quem contra Suessorum Comitem iudaïzantem pariter & hæreticum, ante quadriennium fermè scripseram, quem ille vt audio tantopere amplectitur, vt de fidei ratione aliqua compilando piè illud Opusculum æmuletur. Crux igitur

Plurimi in Flauiacensi cœnobio monachi literati.

Transmisit ad illum tractatum contra Iudæos.

in eius baptismate non fortuitu, sed diuinitùs A fada iure apparuit, quæ insolitam nostro tempori in Iudaïci generis homine credulitatem futuram innotuit.

Senex mũdo renunciat, strenuéque disciplinã monasticam contra dæmonum astutias tuetur.

Alter quidam genere nobilis Bellouagensium, Nouiamagensium quoque locuples, ætate euectus, & effœto iam corpore, quod talibus pestiferum est, vxorem habens vegetiorem officio thalamorum, desertis coniugio ac sæculo monachum inibi profitetur. Qui lacrymis penè continuis, & orationibus infinitis insistens, numquam Dei verbi ab auditione deficiens spectabilem nobis omnibus B se præbebat. Is feruente, vt assolet, regulari districtione, cùm in capitulari prohiberi cõuentu audiret, ne quis Claustralium cellam infirmorum, in qua degebat, sine certa ratione intrare præsumeret, prolatam sententiam memoriter apud se continuit. Et ecce mane quodam, dum adhuc mediè sopitus clausis oculis cubitaret, duo dæmones instar religiosorum illorum, quos Deonandos vulgò appellant, scamno quod eius subsidebat lectulo insederunt. Experrectus ergò senior oculos lecti retorsit ad capulum, miratur adeo familiarem super incognita gẽte consessum. C Erat autem alter qui præsidebat capite retecto, barba non præmissa, sed torsula rufus, & vt solent huiusmodi circumcelliones, nudipes incedens, cœno vt perhibebat quasi nouiter id calcasset, pedalium digitorum per interstitia densescente. Alter verò à tergo prioris ita delituerat, vt vultus eius qualitas discerni non posset, birro talari, & nigro capite adoperto.

Deonandos, laïcos indicat infra.

Has itaque ignotas coram se personas attendens, cum grandi animaduersione adoritur. Cum sitis laïcæ, & ignotæ personæ, vnde D vobis tanta temeritas, vt hac hora hunc in locum veneritis, in quem sine re aliquiuis Claustralium Monachorũ venire non audeat? At ille: Audieram Domine, hoc in Monasterio viros esse religiosos, & addiscendæ causa religionis adueneram, quæso ne ægrè feratur. Non, inquit, hîc religio aut ordo addiscitur, sed si vis doceri, ad eos qui in Claustro sunt vade, illic disciplinæ vigorem, & sanctitatis rudimenta reperies. Excedite ergò hinc, quia quod ipsis Monachis Dominis loci est E vetitum, vobis est longè amplius incomparabiliter inhibendum.

Deonandi laïci.

Cúmque eadem repetere vellet, pariterque morari, ille tonantiori ad eos sermone infrenduit, & ab æde prodire coëgit. Cúmque ad ostium vsque processissent, in limine substiterunt. Et respiciens ad seniorem ille, qui dux erat verbi, rursus intulit: Malo me hinc eliminatis, certè si me vobiscum retinere voluissetis, est quidam de vestris clientibus furti reus, quod si inficiari præsumeret, ego bello pugili impeterem, & plurimùm inde vobis quæstum inferrem. Quo senior audito subrisit. Iam nunc, inquit, euidens sumpsimus ex tua confabulatione periculũ, dum qui religionis causa venisse te dixeras, nunc te pugilem fatearis. Igitur tantæ merito falsitatis nec audiendus es, nec tenendus. At senior valde irritatus, quòd tales intra domum admissi fuissent, surgit & ad domus vsq; porticum vadit, infirmos, ibidem qui secum manebant fratres reperit, vehementérque coarguit, cur tam exterum genus hominum introïre siuissent. Illi autem admirantes, & delirare credentes, fassi sunt neminem se vidisse. Ipse verò referens qui essent, quomodo se egissent quídue dixissent, & tempus pariter signans, suo & omnium testimonio didicit, à dæmonibus se delusum: sunt enim quædam dæmonia solis ludibrijs intenta, sunt & aliqua mente crudelia, & ad lædendum prona, cuius verbi gratia extra propositum duo exempla proponimus.

CAPVT VI.

Apud Castrum *CALNIACVM ex familia GVASCELINI, castri ipsius Domini, famulus quidam erat, cui ad castelli custodiam noctibus excubandi officium incumbebat. Qui vespertinis cæcutiente iam prorsus die horis, cùm cœnæ imminenti deesse timeret, trans fluuium positus clamabat appelli ab aliquo alteri ripæ nauem. Cúmque ei à nemine obaudiretur, in furorem homo versus dixit: vel vos diaboli, quare me non transponitis? Nec mora diabolus sese offert; Ascende, inquiens, ego te feram. Illicò infelix malè casurus ascendit. Quo diabolus assumpto sub eadem hora in Italiam detulit infra suburbium ciuitatis, quæ Subtura dicitur, cum tanta benignitate deposuit, vt coxam ei frangeret. Est autem ipsa ciuitas diei ferè vnius itinere citra vrbem. Pridie autem Dominus eius prædictis ad limina Apostolorum profectus, ab vrbe digressus fuerat, & Subturæ hospitatus. Qui cũ antequam diesceret, surrexisset, vt solent hibernis peregrinantes mensibus, cùm extra ciuitatem cũ suis agros attingeret, cuiusdam haud longè à strata publica plangentis audiuit vocem. Quæritur, reperitur, quia vox erat à Domino suo, ex sola voce cognoscitur. Interrogatus quomodo illuc deuenisset, refert sero se fuisse Calniaci, & qualiter ibidem diabolo exportante corruerit. Dominus satis supérque miratus hominem in proximam extulit ciuitatem, de suis præbens pecuniis vnde suum curaret reditum, & infirmitatem. Ex his ergò quæ passus est didicit & docuit, Deum non dæmones pro negotiis inuocandos.

Vulgò, *Chaulny.

Seruus inuocato dæmone in Italiam transfertur

Vel Subura.

Clericum obesum febribus diaboli torquent.

Apud sanctum Medardum itidem homo A erat, idem in Abbatia ipsa habens officium. Cumque super turritam à parte viuarij portam sistris, ore, & cornibus aliquantulum noctis peruigilum more duxisset, ad extremum super oram aquæ deambulaturus descenderat. Cui illic stanti trium mulierum species apparuêre, quarum eo audiente vna dixit: Ingrediamur in hunc: Cui altera: pauper est, nos bene fouere non posset. Ad hæc tertia. Est quidam hic Clericus HVGO obesus & pinguis, rebus exuberans, qui bene nos nutriat, ipsum adoriri bonum est. Inanescentibus illis, homo sese in se recepit, B & tria nominatiora illa febrium intellexit genera, quæ se ridicula quasi pauperem curiositate despicerent, & in illum qui carnibus & substantia exhauriri vix poterat, contenderent. Non expectata igitur luce ad propinquiores quos reperit, accedit monachos, & relato eis eo quod viderat, & audierat, ad præfatum mitti rogat HVGONEM, vt sciretur qualiter se haberet. Mittitur & sub maximis febrium æstibus reperitur. Ex quo conijcitur talia morborum genera Deo iudice à dæmonibus ministrari. C Vnde & mulier in Euangelio curua decem & * septem annis à Sathana legitur alligata. Is etiam qui epilepsim, idest caducum patiebatur morbum, à spiritu immundo allidi in terram, spumare, stridere dentibus, & asciare perhibetur, quod oratione solum & ieiunio curari posse asseritur. Iob etiam interius & exterius, idest corpore & substantia, dæmonum infestatione feritur.

*al. * octo. Luc. 13. 11. Marc. 9. 17.*

De clerico deinde canonico Regul. facto, qui postquam pessimam egisset vitã, monachus tandem beato fine excessit à vita.

Conceptum sermonem tenere quis possit? Quartum denique, quod memoriæ se subigit, scripto pariter subigamus. Clericus D quidam, qui nostris terribile temporibus dedit exemplum: Rhemis commanebat, mediocriter literatus, at pingendi gnarus: qui aliquando leuitatum quas plurimas commiserat timidus, Catalaunis in Omnium Sanctorum Ecclesia factus est Regularis Canonicus. Inibi aliquamdiu degens, cùm à primordij sui in dies feruore tepesceret, & calorum veterum refricaretur æstus, desertâ cui se tradiderat regulâ, iterum ad Rhemos se contulit, vxorem duxit. Cúmque exinde aliquot pignora sustulisset, ad sui correctionem cœlitus morbo percutitur. Attamen an- E tequam hac infirmitate decumberet, id habuerat voluntatis, quatinus Hierosolymitanam expeditionem, quæ tunc mirè percrebuerat, sequeretur.

Igitur cùm diu & valde ægrotaret, excrescente molestia ad cor reuersus, directis ad Abbatem sancti Nicasij ea tempestate IOANNEM, precibus ad se venire compellat, mundi abrenunciationem spondet, sacro se indui habitu postulat. Abbas ille prouidus, & de experta eius leuitate suspectus, distulit hominem: & habitum quem petebat dare recusans, intra Cœnobij tamen penetralia transtulit ægrum. Cumque sibi morbum ingrauescere præsensisset, Abbatem aggreditur, & schema monachicum multis deplorationibus ab eo quasi vellet nollet extorsit. Ex adepto itaque quod desideràuerat lætior, paruissimo temporis spatio se solito quietiùs agere videbatur. Tunc repente nescio quo diuino motus instinctu Abbatem accersiens ait: Iube Pater solicitam tuos habere custodiam mei; scias enim pro certo euidens aliquot diebus mihi imminere iudicium Dei: Tu siquidem & tui plurimam de me importunitatem patiemini, sed diuturnum non esse scientes, quæso ne molestemini. Quo audito Abbas haud pauidos sed vigilantes ei præcepit delegari custodes. Nec mora dæmonum examina vndique infinita in ipsum irruere, vellere, per pauimenta prostratum detrahere, ipsum quoque sacrum habitum, cùm ei rabida violentia extorquere molirentur, ille capicium tenere dentibus, brachia ne vellerentur stringere. Cumque hac horrenda miseria sub miserando eiulatu maximè noctibus vrgeretur, aliquotiens tamen interdiu recedentibus illis paulisper quiescere sinebatur. Tunc planè interrogari poterat qualiter in illo tempestuoso negotio cum eo agebatur. Multa tunc de spiritibus hominum, quos ipse nouerat, & quos ei præsentes suggerebant, quasi eos conspicuos haberet, loquebatur.

Quod cùm audisset mulier quædam vidua, quæ de mariti sui animæ periculo metuebat, & minus pro eodem orabat, consuluit eum vtrum pro suo coniuge sibi orare liceret, & si ipse quid ille ageret, sciret. At ille quidni inquit? Ora securè pro eo: nam paulo ante hîc fuit. Aliquantis ergò diebus tantis tormentis addictus, tandem perfectæ quieti redditur. Nam etsi aliquotiens inter patiendum pausare videbatur, mox tamen è parietibus, è terra vndecumque dæmonum turbas videbat emergere, & ad discerpendum sibimet inuolare. Remotis denique malignis spiritibus cùm diuini sibi iudicij esset indulta clementia, accito Abbate sic loquitur: Ecce Domine peccatis meis vicem reddit Deus. Scias ergò quia post hanc examinationem citò sequitur finis meus. Absolutionem itaque erroribus meis quam potes impende, & sacro me oleo ad cumulum remissionis inunge. Quod celeriter ac deuotè Abbas duxit effectu: Quo ille affectuosè & gratanter excepto, ab omni contagio per præsentes expiatus pœnas liber & lætus obita sibi morte concessit ad vitam.

LIBER TERTIVS.

QVOMODO GALDRICVS EPISCOPVS LAVDVNENSIS EXCARNIFICATVS FVERIT; atque Ecclesia ac vniuersa penè ciuitas conflagrarit.

CAPVT PRIMVM.

DE Laudunensibus vt spopondimus iam modo tractaturi, imò Laudunensium tragoëdias acturi, primum est dicere totius mali originem ex Pontificum, vt nobis videtur, peruersitatibus emersisse. * Qui * cùm diuturnior longe extiterit, ab ASCELINO qui etiam ADALBERO vocabatur, huic operi attexenda putatur. Is, vti compertum nobis est, ex Lotharingia oriundus, diues opum, possessionum locuples, cùm distractis omnibus pretia ingentia ad sedem, cui præerat, transtulisset, Ecclesiam suam præcipuis quidem ornatibus insigniuit, Clero ac Pontificio plura auxit, sed cuncta illa beneficia quadam præstantissima iniquitate fœdauit. Quid enim nequius, quid sibi ignominiosius, quàm quòd Dominum suum Regem innocentem puerum, cui sacramentum fidelitatis ille præbuerat, prodidit & in exterum genus Magni Caroli cursum Genealogiæ transfudit? Quod facinus die Cœnæ Dominicæ instar Iudæ patrauit. In qua subuersione regnaturorum atque regnantis ipse certè non prouidit vtilem ad tempus mutationem, sed prauæ suæ penes innocuos voluntatis expletionem. Vrbem autem vrbisque Præsulem temporalia ideo non minus est secuta, Deo pœnam differente, prosperitas.

f. * Quia. * Nonnihil hîc desiderari videtur. Gesta Adalberonis (à quo destructæ vrbis & calamitatum sumpsit initium) ac de quibusdam aliis Episcopis Laudunens.

CAPVT II.

PRæterea HELINANDVS vir admodum pauperis domus, & obscurè progenitus, literaturâ pertenuis, & persona satis exilis, cum per notitiam GVALTERI Comitis senioris Pontisarensis, de cuius Comitatu gerebat originem, ad gratiam EADVARDI Anglorum Regis pertigisset, (vxor enim sua cum prædicto Comite sibi necessitudinem nescio quam crearat) Capellanus eius fuit; & quia Francicam elegantiam norat, Anglicus ille ad Francorum Regem HENRICVM eum sæpiùs destinabat. Cum quo Rege, quia multùm erat cupidus, & Episcopatuum venditionibus assuetus, largissimis lenocinantibus xenijs egit, vt si quispiam Episcoporum Franciæ decederet, Pontificalibus infulis ipse succederet. Is enim in Capellania Regis ac Reginæ positus, quoniam Anglia infinitis eo tempore florebat opibus, multos pecuniarum montes aggesserat, ideo arridente ei præfata largitionum causa, vox eius apud HENRICVM Regem exaudibilis erat. Quod & factum est: Lauduno enim inuectus, quia non æstimatione parentum, non scientiæ literarum se valiturum putabat, in opulentia, quæ plurima suppetebat, & quam cautissimè dispensare didicerat, & dapsilitate spes fuerat.

De Helinando itidem Episcopo.

al. Edwardi.

Capellanus Eduardi Regis Anglorum.

Aucupatur Episcopatum.

Datur Laudunensi.

Ad ornandas igitur & extruendas se vertit Ecclesias, & cùm multa pro Deo videretur facere, euidentissima tamen dabat indicia se solos inde fauores, solam nominis dilatationem in bene gestis quærere. His etiam ipse artibus Remensem Archiepiscopatum insedit, quem cum dilapidatis penes Regem Philippum, hominem in Dei rebus venalissimum, magnis censibus biennio obtinuisset, à Domino Papa * audiuit, quia vxorem quis habens, alteram superinducere nequaquam possit. Consulenti planè cuidam se cur eò tenderet, dixit, quia si etiam Papa fieri possit, haud quaquam dissimularet.

Extruit, ornatque Ecclesias.

* Vrbano.

Is igitur qualiscumque aut ambitione, aut quacumque alia humanitate, apud se extiterit, in hoc ei honor omnino asseruandus est, quòd & libertatem Ecclesiæ magnificè tuitus sit, & tam ipsam sedem, quàm appendices eius Ecclesias vberrima largitione prouexit. Et dignum erat, vt externa ei bona suppeterent, quæ in Dominicarum domuum decore proiicerentur.

Quòd libertates Ecclesiæ deffenderit laudatur.

CAPVT III.

HOc exacto, successit INGELRANNVS vir sicut nobilitate, sicut literis

Ingelrannus Episcop. nobi-

Ditate quidem ac literis clarus, at immunitates Ecclesiæ pessundari fuit.

ad præfati Episcopi comparationem clarus, ita ad tuenda iura Ecclesiæ in eius collatione teterrimus. Nam Episcopi redditus quosdam, quos illi sedi violentia regia aliquando subduxerat, cum prece ac muneribus à Rege PHILIPPO exegisset, & Ecclesiæ reddita literis regiis & sigillo Helinandus ipse firmasset, hic ad sui funestationem introïtus, Regi vniuersa remisit, quibus trium iam per successionem Episcoporum Ecclesia caret, perpetuóque fortasse carebit. Vnde factum est, vt omnes qui secuturi sunt Episcopos huius simoniæ participes, sicut mihi videtur, fecerit, qui Præsulatum tanta regij metus affectatione suscipiunt, vt repetere non audeant, quæ ille, vt Episcopus fieret, damnabiliter indulsit. Is cùm exors esset totius affectionis in Deum, & omnis ei frugalitas ac religio esset ludibrio, vt in garrulitatibus & lasciuis sermonibus palam foret omni scurra, & choraula deterior, cœperunt diebus eius destructionis vrbis illius, & Ecclesiarum atque totius Prouinciæ occasiones emergere, quibus & contigit eum exitus non salubres habere.

Haud pius.

Vrbis destructionis causa.

*Vulgò * Bouës.*

Nam quidam eius cognominus INGELRANNVS scilicet * Botuensis, plurima sibi consanguinitate affinis, vir fuit equidem admodum liberalis, largus & dapsilis, reuerentiam permaximam munificentiámque præstans Ecclesijs, in quibus duntaxat religionem haberi didicerat, aliàs autem amori fœmineo adeò deditus, vt quascumque circa se aut debitas, aut vsurarias mulieres haberet, nihil pene faceret, quod ei earumdem petulantia dictitaret. Is igitur cùm in sortiendis matrimoniis infortuniosus esset, per exteras vagari incipiens, cuiusdam cognati sui Comitis Namurensis furtim sibi consciuit vxorem; clam, inquam, solicitatam in propatulo sibi nuptialiter coniunxit. Quam coniunctionem multiplici anathemate addemnatam, Conciliorum detestationibus maledictam, facili vterque* instanti flagitio abiurassent, nisi præfatum Episcopum, & mariti consanguinitas, & fœminæ adulantis dolositas molliuissent. Quæ mollities tantopere adulterinos fouit amplexus, vt quod generaliter fuerat ligatum, palamque excommunicatum, furtiuè absolueret. Proh pudor! certè ij quibus absolutionem factam mendaciter suaserat, numquam absolutos se ducere præsumpserunt.

Ingelrannus Ecclesiis multa confert, verùm ne quissimis libidinibus immersus.

Vxore Godefridi comitis Namurensis abutitur, simulans ipsam in matrimonium duxisse.

Isaia 14. 29.

Rogeri Comitis Porcensis filia nupsit Gofrido Comiti Namurensi.

Interea quoniam à radice colubri egreditur regulus, mala scilicet fota erumpunt in peius, quantis quis dicat ille, qui vxorem amiserat, deseuierit cædibus in Porcensem Comitatum? Filia planè ROGERI Comitis Porcensis hæc fuerat, (extremum videlicet pignus eius) qui abdicatis filiis ac filiabus, quos ex generosiori multùm vxore susfulerat, hanc ex mediocris generis matre natam, primis hæredibus, nouercâ insistente, exclusis, Lotharingo illi Namurensi, scilicet GODEFRIDO Comiti cum suo Comitatu tradidit. Marito igitur intra Lotharingiam quibusdam suis hostibus intento, vxor præcepto ipsius apud Tornum * Porcense castrum morabatur. Cui, cùm minus quàm volebat mariti debitum redderetur, vtrum * alia sese cohibuisset, hoc vno sciri potest, quod ad tam euidentis & immanis flagitij saltum numquam venisset, nisi clandestinorum malorum gradibus descendisset, præsertim cùm externis concubitibus grauida veniret ad istum, quem nunc obsidet. Nam præteritarum eius libidinum ea apud omnes, qui eam norunt, opinio est, vt non modò nos texere, sed vel meminisse pudeat.

Vulgò, Porcean.

*f. * aliàs*

Erat autem ille GODEFRIDVS iuuenis omnimode pulcher, INGELRANNVS verò, ad quem se contulit, vir grandæuus. Igitur inter vtrumq; tanta bellorũ flagrare cœpit vecordia, vt quicumque à Lotharingo illo, de his qui ad INGELRANNVM pertinebant, capi possent, aut furcis appenderentur, aut oculis priuarentur, aut pedibus truncarentur. Quod hodieque Porcensem visentibus pagum liquido constat. Audiui certè à quodam qui quondam tali carnificinæ interfuit, duodecim fermè homines in huiusmodi confligio deprehensos vno die sublatos in furcam. Porcensium enim quidam primores huius transmigrationis sequestri fuere, & auctores, qui ob hoc & in vita, & in morte fuère infames. Sic Venus non concepta Vulcani ignibus processit ad Martem, feruor scilicet libidinum despumans in crudelitatem. Quis prædas, quis incendia hinc & inde facta enunciet, & cætera, quæ parere huiusmodi tempestas solet, quæ tanta fuère, vt mutos faciant referre* volentes?

*f. * nolentes.*

Itaque Dominus Episcopus diabolicam hanc copulam malè sanus absoluit. Multa super Episcopi moribus referri possent prorsus digna taceri, in quo supereminet illud, quod nulla peccati conscientia compungebatur ad Deum. Is tandem infirmitate contactus, nec à leuitatibus infirmitate contractior, ita repente sopitis sensibus nubilo mortis inuoluitur, vt loqui ex ratione non posset, cui Confessio, Inunctio, Communio aliis curantibus sunt violenter illata, nec est sententia postulata. Cumque tamen lingua & oculis pene iam sub morte natantibus, INGELRANNVS ille, quem malè soluendo ligauerat, aduenisset, quem etiam clerici vt inungeretur quasi excommunicatum à domo excluserant, eumque illacrymans compellas-

Fouet concubinatum Episcopus.

Vsu rationis, ac sacramentorum priuatus animam egit.

fet dicens : Domine Episcope ecce INGELRANNVS, ego sum cognatus tuus: ille qui neque confiteri, neque inungi, neque communicari petere sciuerat; iniecta manu collo ipsius suum hominem contraxit ad osculum. Quo facto scandalizatis omnibus ipse postmodum præter deliramenta nil dixit vsque ad exhalationem spiritûs. Certè ipsa mulier, cuius amore id egerat, multotiens hoc publicè sub exemplo narrauit, quia scilicet quod malè viuus egerat, hoc moriens quasi calcem malitiæ posuisset. Ecce sic cœli quorumdam iniquitates reuelant, vt & terra aduersus eos consurgat, & ipsis displiceant quibus fœdè placere gestiunt.

CAPVT IV.

Biennio vacat sedes.

HOc igitur sic mortuo, cum biennio vacasset Ecclesia, tandem electuri Pontificem conuenimus. Inter quos affuit ipse idem INGELRANNVS, qui & superiorem Episcopum, cùm eum Rex pro suis leuitatibus à Pontificiis * obiurasset, sua apud eumdem Regem interpellatione crearat. Ad hoc planè nitebatur animus, & sermo eius, vt qui eligeretur Episcopus sibi esset obnoxius. Cui potissimùm in efficiendo Episcopo Rex faueret & Clerus, & ideò minus aduersari auderet coniugio eius. Ad excidium ergò vrbis, & totius Prouinciæ detrimentum, GVALDRICVM eligunt quemdam Regis Anglorum Referendarium, quem auro argentóque audierant opulentum.

*f. * abiugasset.*

Ad episcopatum tandem adlectus Galdricus in perniciem vrbis ac Prouinciæ.

Ante quam electionem duo Ecclesiæ Archidiaconi per mutuas eligentium contentiones in cathedram fuerant euecti, GVALTERIVS scilicet & EBALVS; sed Apostolicæ sedis iudicio sunt eiecti. GVALTERIVS enim non clericum, sed militarem se semper exhibuerat : alter mulierum incontinens erat. Quibus emissis tertius Ecclesiæ candor se intrudere volens, curiam petiit, & cum quasi pro altero se agere velle prætenderet, in se verbum de sacerdotio retorsit. Quid effluo? Multiplices Regi paciscitur munerum copias, spes & promissa diuitiarum * tuberosus amplectitur, sed non diuitias. Reuersus nempe domum præstolabatur vt sequenti Dominica à legatis Regiis poneretur in cathedra. Et ecce Deus (qui talibus dolos præponit, qui eos dum alleuantur deiicit) lethali superbum morbo percutit; & mortuus eo die in Ecclesia sistitur, in qua sibi carhedraticum à Clero & populo accepturus videbatur. In qua depositus, vt mihi relatum est, mox crepuit, & ad medium vsque chori fœdi humoris exuberantia fluxit. Sed ad id vnde excessimus reuertamur.

** Inflatus.*

Ambiens Episcopatum à Deo percutitur.

Spe igitur falsissimâ commodorum electus ille prædictus à clero, Ingelranno primùm elaborante, & cæteris malo suo adnitentibus Rothomagi à Rege Anglorum de curia contra Canones expetitur. Qui nequaquam huius electionis incertus, quod sub nullius Ecclesiæ titulo erat, nec quippiam sacri ordinis præter clericatum exceperat, factione egit, vt euestigiò subdiaconus fieret, & canonicam in Ecclesia Rothomagensi susciperet, cum hactenus sese omnino militariter habuisset. Cùm igitur omnes assensum in eius susceptione dedissent, solus magister ANSELLVS, vir totius Franciæ, immò Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis, ac tranquillis moribus, ab eius electione dissentit. Ipse planè certis auctoribus eius nouerat qualitatem, cùm nos licet inuiti prosequeremur ignotum. Eramus sanè quibus displicebat, sed aliorum malè timidi, qui nobis præerant potentias sectabemur.

Galdricum eligi in Episcopum petit Rex Anglorum, cui assensum præbuere omnes.

Præter Anselmum.

Receptus itaque cum pompa vanissima veniens intra vrbem, non multò post sollicitat nos, vt Romam secum pariter properemus. Abbatem siquidem sancti Vincentij ADALBERONEM virum ex Suessionis oriundum, & benè literatum cum Abbate Ribodimontensi, & ipse non sine literis, me quoque, qui iunior & scientia & ætate fueram, datis expensis secum pariter conscicit ituros. Proficiscentes igitur & Lingonas attingentes, auditu comperimus Dominum PASCHALEM Papam iam dudum ab vrbe digressum, illius diœceseos finibus propinquare. In oppido ille diebus octo desedimus.

Adit Papam Galdricus cum tribus Abbatibus.

Vulgò, Ribemõt.

Cúmque Diuionem Dominus Papa venisset, clerici Laudunenses, quorum plurimam turbam præfatus secum electus adduxerat, obuiam Papæ vadunt, cui in eodem castro constituto, de electi sui causa loquuntur. Spondet se Papa, vt pote multis referentibus iam rei gnarus, pro petentium voto cuncta facturum. Causa autem erat, quia infra ordines erat electus, exceptis aliis capitulis, quibus ad aures Papæ à præfato ANSELLO fuerat iam notatus. At Palatini Papæ videlicet necessarij, comperta hominis opulentia, aggratulari, virum ferre laudibus. Moris enim est, vt audito auri nomine mansuescant.

Intra vrbem itaque Papa susceptus Lingoniam super electione nostra habuit postridie tractatum. Cúmque electionis libellum coram ipso legissem, in quo vita eius & mores satis superque ferebantur; Abbatibus nobis qui aderamus, & Presbyteris quibusdam Ecclesiæ, qui cum electo venerant, Papa accitis, cœpit ad nos concionari, materiam de electionis lectione recens lata sumens. Erat

Summus Pontifex discutit electionem.

autem conuentus locuples insignium admodum personarum: Italicorum Episcoporum, atque nostratium, sed & Cardinalium, aliorúmque literatissimorum. Interrogat ergò Papa primùm, cur elegeramus ignotum hominem. Ad quod cùm nemo Presbyterorum respondisset, (nam quidam elementa vix norant) ad Abbates se vertit. Sedebam autem inter vtrumque medius.

Vtrique igitur ad illata tacentes, me, vt loquerer hinc & inde vrgere cœperunt, qui meæ timidus iuuentutis, & in tanto loco atque negotio temeritatis notam verens, vix os præ pudore aperire consensi. Fiebat autem res non materno sermone, sed literis. Dixi ergò sub multa oris ac animi suffusione, quæ rogitantis sententiæ congruerent. Sub dictionibus quidem compositis verba repentia, sed non penitùs à vero deuiantia, hominem sanè ex familiaritate nos & vsu non nosse, sed ex beniuolentia referentium probitates de eo aliquas accepisse. Quod cùm prolato Euangelij testimonio; *Qui vidit*, inquit, *testimonium perhibuit*; cassare tentasset; & illud hoc non explicito obiecisset; quod etiam de Curia electus esset: ego quidem mox inutili tergiuersatione posposita, fassus me verbis eius refragari non posse. Quod valde ipsi placuit. Erat enim minùs quàm suo competeret officio, literatus. Inde cùm defensoriam circumlocutionem meam ad primam ipsius quæstionem parum ponderis habere sentirem, quamuis illi plurimum grata foret, ad necessitatem quæ Ecclesiæ imminebat, verba transtuli, & quia persona Pontificatui apta non esset, ibidem compendiosè subnexui.

Inuitus coram ipso sermonem habuit Guibertus.

Ioan. 19. 35.

Interrogat denique quos haberet ordines, quem Subdiaconum fore respondi. Deinde quærit in qua Ecclesia militauerat, in quo mentiri veritus hæsi, sed à meis mihi Coabbatibus suggestum est, quòd in Rothomagensi Ecclesia. Vbi tamen ex vero addidi, quia hoc nuper. Ad extremum infert; an legitimè esset progenitus: dictum planè sibi fuerat, quòd esset naturalis. In quo capitulo cùm plus quàm in cæteris me constantiùs habuissem, præsertim cùm super isto nullatenus dubitarem, dixit Papa: Perhibetis testimonium super his? Cui inquam: De cæteris capitulis taceo, isti tamen fidenter astipulor, quòd neque sit nothus, neque spurius. Hæc certè sic obiecta Dominus Papa non aliter quàm diximus retractauit. Causa autem vt hæc seriatim ita obiiceret, non impediendi eum fuit, sed quia ANSELLVS Magister, qui eum his omnibus arcesserat, impresentiarum erat, vt quod scilicet clàm dixerat, si fortè in faciem ea homini illaturus insumeret.

Ipse verò Magister altiori intuitu ambitione Palatinorum inspecta (non dico Domini Papæ) clauam Herculi extorquere de manu difficile duxit. Domino ergò Papa, & me, si dicere audeam, nugaciter, ipse scholasticus niti videns Dominos in diuersum contradicere supersedit. Omni igitur illicò discussione sopitâ, electus ille ad medium deducitur, & ei à Domino Papa gratia Pontificandi conceditur. Soluto itaque conuentu, & Papa egresso, ecce me Cardinalium cœtus aggreditur, multipliciter ardens & dicens mihi: Multum nobis placuerunt verba tua. Qui placor, Domine Deus meus tu scis, quia non tam de elegantia verborum meorum emergebat, quantum de spe optima denariorum extra ..... bensium quibus ille suffarcinatus aduenerat. Nam & ego & Coabbas meus sancti Vincentij ADALBERO, monetæ eiusdem ferebamus quisque nostrum vicenas libras, quibus tantus expectantium hiatus forsitan oppletus est, & ideò adminiculari ei, eiusque adminiculatores amabant.

Denique abscedentibus ijs, Cubicularius Domini Papæ nomine Petrus, Cluniacensis Monachus, qui eius notitiam Rothomagi attigerat, cùm à Rege Anglorum hominem peteremus eumdem, his me verbis secretò aggreditur. Quoniam recepit Dominus Papa testimonium vestrum pro persona quam vultis, & vos gratanter audiuit, debetis ammodo suggerere Electo vestro, vt imperio Domini Papæ in cunctis obediat, & in tantum ei de suis obsequatur, vt vos denuò si opus fuerit, pro ipso & aliis libenter exaudiat. Ecce mel illitum per ora virosi poculi. Quid enim melius quàm Papæ obtemperare præceptis? quid peius quàm pro indulta Dei gratia hominibus precio obsequi? Ego tamen talis negotij internuncius vehementer esse perhorrui.

Igitur apud Sanctum Ruffum de Anione Sacramento Pontificali suscepto, pronosticum triste sibi Euangelij textus exhibuit. Fuit enim: *Tuam ipsius animam pertransiuit gladius*. Certè Lingonis cùm receptâ Papæ gratiâ ad altare Mammetis martyris cum clericis, *Te deum laudamus* canentibus, processisset, Euangelicum coniecturæ causa textum ipse aperuit. Vbi versiculum qui primus occurreret sibi corripuit; scilicet; *Mulier ecce filius tuus*. Quod ipse mox vbique multum iactantiosè circumtulit. In verbo namque & habitu, mirè instabilis, mirè leuis extiterat. De rebus nempè militaribus, canibus, & accipitribus loqui gratum habuerat, quod apud Anglos didicerat. Vnde quodam tempore, cùm quamdam dedicauisset Ecclesiam, & ego cum quodam bonæ indolis iuuene Clerico ei adequitaremus, rusti-

Pronosticum de Galdrico. *Luca 2. 35.*

Ioan. 19. 26.

cum cum lancea reperit. Qua Pontifex, tiarâ, quam inter sacra habuerat, habens in capite, mox sublatâ, equum calcaribus vrgens, ac si aliquem percussurus intendit. Cui ego & Clericus, ipse vulgariter, ego poeticè:

Non benè conueniunt, nec in vna sede morantur,
Cidaris & lancea.

Interea magnus ille ille census monetæ Anglicæ, Hanaporum, & Scutrarum, qui malè coaluerat, breui dilapidatus est. Certè audiui à prædicto magistro ANSELLO, qui cum eo iam Episcopo ad Anglos reuisendos profectus fuerat, cùm illuc deuenisset, tanta reperundorum hinc vasorum, illinc pecuniarum querimonia quorsumcumque vertebatur, emersit, vt à magistro subintelligeretur diuitias, quas ostentauerat, aliis subduxisse, non bonis artibus acquisisse.

CAPVT V.

De dira Gerardi Carisiencis nece, Galdrico iubente, illata.

Cherisi, vel Crecy.

Animo præcellens & armis.

POst tres igitur fermè annos suæ ordinationis tale quid suo tempori quasi insigne dedit. Quidam de proceribus vrbis, Monasterij puellarum Castellanus, nomine GERARDVS, vir admodum strenuus erat. Qui quamuis staturâ breui, & exili carnulentiâ videretur, tantæ viuacitatis & linguam habebat & animum, tantam acrimoniam in studio armorum, vt in Suessorum, Laudunensium, Nouiomensium Prouinciis timorem sibi addiceret, & reuerentiam plurimorum. Is quantum probitate longè latéque patebat, tantò acriùs aliquotiens circa se positos sermone illoto mordebat: quod tamen nusquam probo cuilibet inferebat. Vnde factum est, vt Comitissæ illi, de qua suprà sermo est habitus, clàm derogare, & apertè indignari reciperet. In eo autem peruersissimè agens, quòd aduersus INGELRANNVM prædictæ feminæ obsessorem, qui eum magnis opibus extulerat, insurgebat. Antequam verò sortiretur vxorem, apud feminam quam dicimus malè familiaris extiterat. Cùm ergo eum diu loco amasij habuisset, accepta coniuge ab eius lenocinio contraxit habenas. Cœperunt & ipsæ mulieres verbis sibi turpibus pariter aduersari. Fuerunt enim mutuò antiquarum suarum leuitatum consciæ, & tantò loquebantur fœdiùs, quantò nouerant sese secretiùs. Furebat itaque Comitissa illa aduersus eius maritum, tanquam passa repudium aduersus coniugem, ex cuius ore frequens sibi sciebat intorqueri conuicium: & sicut ipsa erat omni serpente nocentior, ad perniciem hominis in dies reddebatur acrior.

Vide cap. 3.

Sed quia ponit Deus offendiculum coram his qui voluntariè peccant, causa subuertendi eum talis repentè suboritur. Inter eundem enim GERARDVM, & GVALDRICVM Episcopum simultatibus motis, ipse GERARDVS incompetenter de Episcopo, & de eius contubernalibus loquebatur. Quod quidem tacitè sed non patienter tulit Episcopus. Nam tractato cum suis, & penè omnibus proceribus vrbis, GERARDI exitio, & præbito ad inuicem mutui ad hoc ipsum adiutorij sacramento, in quo & ditissimæ quædam mulieres adoperabantur, derelicto in manibus coniuratorum negotio, ad limina Apostolorum pessima ductus cogitatione contendit; non Apostolos (Deus tu nosti) quærens, sed vt non tractasse tantum nefas videretur absens. Circa festiuitatem itaque sancti Martini profectus cùm Romam venisset, tamdiu desedit ibidem, donec patratam comperit inuidiosi hominis necem. Qui quo minùs probis omnibus inuidus erat, eò improbis inuidiosior. Facta autem hoc modo res est.

Galdricus Romam, quò à cæde Gerardi videretur immunis, proficiscitur.

Infra Theophaniæ octauas cùm esset sexta feria, mane adhuc videlicet pallente crepusculo, surgebat è stratu, ad Beatæ Mariæ principalem iturus Ecclesiam. Ad quem cùm venisset vnus de coniuratis proceribus, retulit ei noctis eiusdem somnium, sibi ex quo plurimum dixit terrorem incuti. Videbatur planè ei, quòd à duobus vrsis vtrum iecur, an pulmo nescio sibi vellebatur à corpore. Sed, heu proh dolor! tunc temporis erat à communione abstentus. Abstentionis autem causa hæc fuit. Quidam monachus apud Birisiacum sancti AMANDI commanens, duos puerulos Teutonicè solùm loqui gnaros, Francicam linguam discendi gratia ad se contraxerat. Erat autem Barisiacus cum appendicibus villis sub aduocatia eius. Videns itaque pueros elegantes, sciensque eosdem non obscurè natos, rapuit, ad redemptionem quoque coëgit. Cui etiam cum pacta pecunia tunicam ex peregrino mure pelliciam, quam * Renonem vocitant, puerorum mater misit.

Orans in Ecclesia Laudunensi occiditur Gerardus.

Barisiacus.

** Vestis genus, sic dictum quòd solum renes tegat.*

Cum hac igitur veste tyria superindutus lacerna, cum aliquot equitatibus ad Ecclesiam prædictam eques venit. Qui ingressus cùm ante Crucifixi Domini imaginem substitisset, comitibus suis hac illac per diuersas Sanctorum aras euntibus, ministris coniuratorum aucupantibus, Episcopi familiæ in Episcopio nunciatur GERARDVM Carisiacensem (sic enim agnominabatur, quia Dominus ipsius erat castri) oratum ad Ecclesiam deuenisse. Arreptis ergo subclamidibus gladiis, RORIGO frater Episcopi percryptam, quæ Basilicæ caput ambit, perueniunt

ueniunt ad locum, in quo ille orabat. Erat autem columnæ appodiatus cuidam, quam pilare vocant, interpositis aliquibus columnis à pulpito ad medium ferè templi. Cúmque adhuc esset mane cœcum, & in vasta Ecclesia rari viderentur, hominem orantem à tergo corripiunt. Orabat sanè mastigiâ clamidis à tergo reiectâ, iunctis à pectore inter orandum palmis. Constrictâ itaque à posteriori parte lacernâ, alter eorum ita eum insuit, vt facile manus mouere non posset; quem cum sic subito ille Episcopi dispensator tenuisset, dixit ei: Captus es. Quem cùm illa solita ferocitate retorto oculo (erat enim monoculus) attendisset: Vade hinc, inquit, obscœne leccator; At ille ad RORIGONEM. Percute, inquit. Et ducto ille sinistrorsum gladio, inter ipsa eum nasi, frontisque confinia vulnerauit. Qui sentiens se percussum: Ducite, ait, me quo vultis. Mox illi repetitis ictibus confodientes hominem, cùm vrgere cœpissent, ipse de suis desperans viribus inclamitat: *Sancta Maria adiuua.* His dictis sub extrema patientia ruit.

Frater Episcopi Gerardum ense percussit.

Spiritum exhalauit.

Erant autem in ea coniuratione duo Ecclesiæ cum ipso Episcopo Archidiaconi, GALTERVS & GVIDO. Erat ipse quoque Guido & Thesaurarius, domũ secus eandem Ecclesiam habens positam. De qua domo duo prosiliêre mox famuli, qui eò concitus venientes eidem carnificio se iunxerunt. Sic enim sacrilego fuerat Sacramento firmatum, vt si Episcopi id curiales præsumerent, auxiliari de eadem mox domo prodirent. Cùm ergo ei collum & tibias præter alia vulnera concidissent, & ille in media Basilica sub extremis angustiis immugiret, pauci qui in choro tunc erant Clerici, & mulierculæ quædã, quæ orationis gratia hac illacque vagabantur, immurmurantes, & horrendo timore torpentes, nec modicũ quidem suggrũnire præsumpserant. His patratis, duo illi milites lectissimi ad Episcopale palatium reuertuntur, cum quibus vrbis proceres suæ ipsorum proditionis proditores illicò glomerantur, pariter quoque Archidiaconi aggregantur. Præpositus ergò regius Yvo nomine, vir admodum solers, citatis hominibus regiis, & Abbatiæ sancti Ioannis, cuius ille aduocatus fuerat, Burgensibus, domos eorum qui coniurauerant, obsodit, diripuit, ac incendit, ex vrbe etiam eos pepulit. Archidiaconi igitur cum proceribus GERARDI interemptores vbique loci prosequebantur, fidelitatem absentis Episcopi super isto prætendentes.

Coniurati Corpus multis vulneribus sauciant, concidúntque in frusta.

CAPVT V.

AT Episcopus Romæ se cohibens, & Domini Apostolici quasi præsẽtia gaudens, aure attonitâ, præstolabatur, vtrũ quippiam grati rumoris à partibus Gallicanis attingeret. Tandem sibi suorum votorum nunciatus effectus, nec Dominum Papam latuit tantum in tanta Ecclesia perpetratum scelus. Loquitur ad Papam Episcopus, & adulantibus donis tãtam huius facinoris suspicionem à se depellit. Rediit igitur solito lætior ab vrbe GVALDRICVS. Ecclesia autem, quam adeò nefario violatam cõstat opere, cùm recõciliari egeret, directo ad HVCBERTVM Siluanectensem Episcopum nuncio, qui nuper Simoniæ suæ causa exauctoratus est, ad id peragendum negotij accersitur. In quo populi Clerique conuentu, à Decano Ecclesiæ videlicet magistro ANSELLO, & Canonicis iniunctum mihi est, vt super infortunio illo, quod acciderat, sermonem haberem ad populum. Cuius orationis tenor hunc secutus est sensum.

Muneribus sibi conciliat Papam Galdricus.

Guibertus de homicidio patrato sermonem habet ad populum.

Saluum me fac, inquam, *Deus quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* „ Et „ si mala qualicumq; hactenus habuistis, iam „ peruenit nunc gladius vsque ad animam „ meam. Infixi estis in limo profundi, dum „ peccatis promerentibus ad extrema totius „ desperationis mala ruistis. Inter hæc itaq; „ non est substantia; quia eorũ, ad quos in periculis concurrendum vobis fuerat, Rectorum videlicet vestrorum, ac procerum honestas ruit atque potentia. Et si corpora „ sunt aliquotiens mutuis hostilitatibus pressa, tamen vacabat anima, quia illa in qua salutis intentio manebat, internè florentissima sine vllis malis iocundabatur Ecclesia. „ Aquæ ergò & gladius intrant ad animam, „ dum tribulationes & dissidia interioris recursus penetrant & polluunt sanctitatem. „ Et quam putatis locus iste obtineat iam apud vos, qui spiritualia nescitis, dignitatem, qui nullam præstat etiam orationum „ corporibus immunitatem. Ecce *misit* in nos „ Deus *iram indignationis suæ, indignationem, „ & iram, & tribulationem, immissiones per Angelos malos.* Ira est indignationis, ira ex indignatione concepta. Indignari sicut scitis, minus est quàm irasci. Nonne meritis „ peccatorum vestrorũ indignabatur Deus, „ cùm extra vrbem vestram prædas, incendia, atque neces crebrò pateremini? Nonne irascebatur, cùm forastica bella intra ciuitatem hanc translata sunt, & ciuilia inter „ nos agitari cœperunt odia? Cùm Domini „ in Burgenses, Burgenses in Dominos mutuis irritationibus mouerentur? Cùm Abbatiani in Episcopano, Episcopani in Abbatianos indebito hoste desurerent? Sed „ quia indignatio & ira nullam vobis attulit „ correctionem, tandem obduratis mentibus „ ingessit tribulationem. Nam nõ qualiscunque Ecclesia Christianis fœdata cruoribus, „ nec cœptus alibi bellorum motus in Eccle-

Psal. 68. 1.2.

Psal. 77. 49.

„ siam cōpulit, & pessumdedit fugientes, sed A „ malignissimus appetitus scelesta prouisione „ depositus, ante Christi IESV in cruce „ pendentis imaginem, virum trucidauit o„ rantem. Non inquam, qualiscumque Ec„ clesia, sed Ecclesiarum Galliæ Florentissi„ ma, & cuius Latinum orbem prætergredia„ tur fama. Et quem virum? Nonne eū quem „ & genus commendabat egregium, & præ„ stantissima tenui corpore, corde magnani„ mo fecerant toti Franciæ arma notum? Lo„ cus igitur & crimen & dedecus vbique vul- B „ gabunt. Si ergò ex animo, ex imis præcor„ cordiis pro miserabili euentu non tribula„ mini; si non dehonestatæ tantæ sanctitati „ compatiamini, sciatis indubiè Deum viam „ facturum semitæ iræ suæ, animositatem sci„ licet quæ latebat in aperta vestri perditio„ ne dilataturum. Et quomodo putatis par„ sum iri Deum in conclusione iumentorum, „ idest corporum vestrorum, qui ob incor„ rigibilitatem vestram, morti non pepercit „ animarum? Cùm igitur pessimo processu „ graduum diuina in nos promoueatur vltio, C „ sciendum est vobis, quia nisi sub Dei virga „ vos emēdatiores exhibeatis, quod in statum „ vndecumque teterrimum, per ea quæ in„ ter vos coalescunt intestina bella, cadatis.

Laudunensis Ecclesia totius Galliæ Florentissima. Gerardus dilaudatur.

Hæc aliaque contexens, clero iubente, populóque volente, nobilis illius hominis peremptores, eiusdémque facinoris fautores, & complicem, per prædictum Episcopum, qui reconciliabat Ecclesiam, excommunicandos enuntiaui, nec minus eos, qui præsidio eis essent, aut contubernium præberent. Quibus D per omnium ora excōmunicatis, Ecclesia solemniter reconciliata est. Intereà ad aures Archidiaconorum & procerum, qui ab vrbana societate desciuerant, anathematis huius sententia deuehitur. In me igitur pro sermone habito, & excommunicationis pronunciatione, omnium illorū exclusorum conuersa sunt odia, maximè GALTERI Archidiaconi grandis est aduersum me succensa vecordia. Erat siquidem audire immanem tonitrum, cui tamen, Deo auctore, fulgurum nullus casus accesserit. Clam in me, in promptu reuerentia. Igitur ad rem redeamus omissam. E

Interfectores excommunicatos pronunciat Guibertus.

Quo iram incurrit coniuratorum.

CAPVT VI.

Rōmā Episcopus Laudunum venit.

ARmatus sigillis & apicibus Apostolicis Dominus Præsul Româ regreditur. Rex autem GERARDO occiso, quoniā Episcopum huius facinoris conscium omninò opinabatur, quod fucatâ absentiâ tegere nitebatur, totam Episcopi curiam, fruge, vino, ac larido spoliari præceperat, nec eumdem Romæ positum, præda & prædæ causa latuerat. Ergò ad Regem, qui eum à sede arcendū censuerat, suísque priuauerat, literæ sunt destinatæ; ad Coëpiscopos & Abbates suæ & aliorum diœceseos alteræ ab eo sunt allatæ; sed quoniam inter Laudunenses, & Suessos, pontem Aquilæ Fluuij limitaneum esse prædiximus, introeunti ei primam parochiæ propriæ glebam occurrunt properè, quos pridem excōmunicaueramus Archidiaconi sui & proceres; quos tantis osculorū atque cōplexuum suscepit affectibus, vt Beatæ Mariæ, cui Deo auctore seruimus, Ecclesiam, quam in sui finibus pontificatus primam offenderat, suo visitatu nequaquam dignā duceret, cùm ex eius latere diutinam fabulam cum illis, quos sibi solos arbitrabatur fideles, haberet. Inde digrediens, Codiciaci cum ipsis omnibus hospitatus est.

Præcepto Regio domus Episcopalis exinanitur.

Aquila Fluuius.

Vulgò, *Coucy*.

Quo ego cōperto, cùm valde talem eius habitum horruissem, omninò me ab eius cōtuitu, ac salutatione cōtinui. Qui post triduum, ni fallor, sopitâ exteriùs qua intrò ad me versum spirabat vecordiâ, (multū enim me apud eum pro supradictis laterales eius arcesserāt) mandauit vt ad se venirem. Quò cum me exhibuissem, & domum plenam excommunicatis, homicidisque vidissem, æstuaui: exclusioni suę vt* anniterer, postulauit, ostensis Papæ syllabis. Auxilium quale possem fallaciter, tu scis Deus, & non ex corde spopodi. Videbam enim vera eius mala, cùm ijs, quos Ecclesia sua excommunicauerat, quíque eā tantoperè fœdauerant, cōmunicare; cùm INGELRANNVS ille prę scriptus ei assideret, & Comitissa prædicta, quæ pridie quā GERARDVS interiret, duobus illis interitus eius auctoribus, gladios suos propria lingua acuerat, aggratulabatur* affectibus. Quia ergò regio iussu arcebatur ab vrbe, temerariâ nimis audaciâ minabatur se ingressurū succenturiatū militaribus alis in vrbem: & quod Cæsaribus & Augustis vix possibile foret, hoc se asserebat armorū violentiâ peracturum. Manum itaq; collegit equestrē, & copias plurimarū quas non bene conflauerat rerum, sine vlla, vt solitus erat, fruge consumpsit. Tandem cùm nihil nisi ridiculū quid de tot auxiliariis confecisset, per internūcios se suósque in nece GERARDI cōplices, vrbis videlicet cum vtroque Archidiacono proceres, magno aggestu munerum cum LVDOVICO Philippi Regis filio Rege composuit.

* Videtur deesse non.

f.* eorum affectibus.

Gualdricus milites cōgregat, minaturque se vrbem armata manu ingressurum; sed frustra.

Ludouicus Grossus.

Introgressus igitur vrbem, cùm apud Sanctum NICOLAVM de saltu conuenticulū celebrasset, inter Missas, quas inibi agebat, excōmunicaturū se eos, qui coniuratos illos rebus suis addamnarant, GERARDO perempto, ab vrbe prodierant, pronunciat. Quod cùm ego sic dici audiuissem, cuidā Coabbati meo assidenti mihi, auri eius immurmurans, aio: Audi quæso rem præposterā; excommunicare debuerat eos, qui suam tam horrendo facinore attaminauerunt Ecclesiam, & ipse in homicidarum* punituros iustas & criminis vindices pœnas vlciscitur. At Episcopus omnium bonarum cōscientiarum timidus, cùm me mussitare vidisset, ratus est de se verbum fieri.

S. Nicolaus de saltu.

Eos qui in coniuratos insurrexerant Episcopus anathemate percutit.

f.* punitorum.

Quid, inquit, dicitis, Domine Abba? Tunc A Galterus Archidiaconus sese proripiens antequam loqui liceret: Agite, ait, Domine, quæ cœpistis: Dominus Abbas * aliàs loquebatur.

f. * alia.

Excommunicauit igitur (Clero & populo excommunicationem talem detestantibus) illos, qui commanipulares sacrilegorum carnificum læserant. Diuturna itaque totius vrbis & diœceseos simultas aduersus Episcopum fuit, quia GERARDI occisores excommunicare tempore non paruo distulerit. B Tandem quia se suspectum & penè execrabilem haberi sciebat ab omnibus, auctores excommunicauit & conscios. Quoniam autem multas pecunias spoponderat his, qui se & prædictorum sicariorum complices penes Regem adiuuerant, lateralibus videlicet Regis, cùm cœpisset detractare promissa, quis dicat quanta in publico improperia audiuit, dum nemo eorum, qui suis in hoc opere fauebant partibus, regiam aulam ingredi præsumeret, donec eorum funesta capita à cæde, quæ sibi intentabatur, multo auro argentóque redimeret. Nec ipse tamen ab Ecclesia poterat accusari, quem ab Apostolico constiterat excusari.

Saniori consilio excommunicat & occisores Gerardi.

CAPVT VII.

IGitur post aliquantum temporis, cùm ob exposcendas pecunias à Rege Anglorum cui quondam seruierat, amico sibi olim, profectus esset in Angliam, GALTERVS Archidiaconus, & GVIDO cum proceribus vrbis tale quid commentati sunt. Vrbi D illi tanta ab antiquo aduersitas inoleuerat, vt neque Deus, neque Dominus quispiam inibi timeretur, sed ad posse, & libitum cuiusque rapinis & cædibus respublica misceretur. Nam, vt à capite pestifero exordium sumam, si quando illuc Regem venire contingeret, ipse qui sibi reuerentiam exigere regio rigore debuerat, ipse in suis primùm turpiter mulctabatur. Nempe cùm equi eius ad aquam seu mane seu vespere ducerentur, verberatis clienticulis equi abripiebantur. Ipsos etiam tantis addici constiterat vilipensionibus Clericos, vt neque in personis, neque in rebus eorum parceretur eisdem, sed E esset, vti legitur: *Sicut populus, sic sacerdos.* Sed quid de plebeis loquor? Nemo de agrariis ingrediebatur in vrbem, nemo nisi tutissimo commeatu accedebat ad ipsam, qui non aut incarceratus ad redemptionem cogeretur, seu occasione obiecta duceretur sine causa in causam.

Peruersi ciuium Laudunensium mores exprimuntur.

Isaia 24. 2.

Sub exemplo inferamus vnum, quod si apud Barbaros aut Scythas fieret, certè eorum qui nullas habent leges prophanissimum esset iudicio. Cùm Sabbato diuersis è ruribus mercimonij gratia plebs agrestium illò venirent, Ciuitatenses cypho aut scutella, aut quolibet alio modo legumen, aut triticum, seu quippiam alicuius frugis foro quasi venale circumferebant; cúmque rustico talia perquirenti emendum obtulissent, ille taxato precio se pollicebatur empturum. Sequere, aiebat venditor, me in domum meam, vt ibi residuum frugis huius, quam tibi vendo, videas, visúmque suscipias, sequebatur ille, sed cùm peruenissent ad arcam, fidelis venditor elato & sustento arcæ operculo; Inclina, aiebat, caput tuum & vlnas in arcam, vt videas quod hoc totum non discrepet ab ea parte, quam tibi in foro proposui. Cúmque emptor subsiliens super arcæ crepidinem de ventre penderet, capite ac humeris in vnam procumbentibus arcam, bonus venditor à tergo positus, sublatis hominem incautum pedibus, repentè trudebat in arcam, & deiecto super ruentem operculo, tuto seruabat vsque ad sui redemptionem ergastulo. Hæc in vrbe & his similia C gerebantur. Furta, immò latrocinia per primores & primorum apparitores publicè agebantur. Nulli noctibus procedenti securitas præbebatur, solùm restabat aut distrahi, aut capi, aut cædi.

Inaudita crudelitas.

Quod considerantes Clerus cum Archidiaconis, ac proceres, & causas exigendi pecunias à populo aucupantes, dant eis per internuncios optionem, vt si pretia digna impenderent, communionis faciendæ licentiam haberent. Communio autem nouum ac pessimum nomen sic se habet, vt capite censi omnes solitum seruitutis debitum Dominis semel in anno soluant, & si quid contra iura deliquerint, pensione legali emendent. Cæteræ censuum exactiones, quæ seruis infligi solent, omnimodis vacent. Hac se redimendi populus occasione suscepta, maximos tot auarorum hiatibus obstruendis argenti aggeres obdiderunt. Qui tanto imbre fuso sereniores redditi, se fidem eis super isto negotio seruaturos sacramentis præbitis firmauerunt.

Communio quid.

Factâ itaque inter Clerum, proceres, & populum mutui adiutorij coniuratione, ab Anglis cum plurima copia remeauit Episcopus, qui contra huius auctores nouitatis, motus aliquamdiu sese ab vrbe continuit. Tamen plenæ laudis & gloriæ inter ipsum & GALTERVM Archidiaconum complicem suum obortæ sunt simultates. Loquebatur Archidiaconus super nece GERARDI valde indecentia de Episcopo suo; Episcopus nescio quæ cum cæteris super hac re agebat, hoc scio, quia mecum sic de eo querebatur.

In Galliam redit Episcopus.

Ipsum inter & Archidiaconum simultates.

Domine, inquiens, Abba; si contigerit Galterum in quouis concilio aliquas aduersum me motare accusationes, æquanimiterne feretis? Nonne ipse est, qui eo tempore quo à vestris digressus Monachis Flauiacum concessistis, vobis in promptu blandiebatur, clam moliebatur dissidium, palam vestris fauoraliter adnitens partibus, & me contra vos latenter irritans? His me contra funestum hominem alliciebat sermonibus, eiusdem ponderosissimi reatus sibi conscius, & penes omnium iudicia vndecumque timidus ac suspectus.

Cùm igitur in eos qui coniurauerant, & in autores eorum inflexibili animaduersione motum se diceret, voces tandem grandisonas oblata repentè sedauit auri, argentique congeries. Iurauit itaque communionis illius se iura tenturum, eò quòd apud * Nouiomagensem vrbem, & San-quintinense oppidum ordine scripta extiterant. Compulsus & Rex est largitione plebeia idipsum iure iurando firmare. Deus meus: quis dicere queat, quot susceptis populi muneribus, quot etiam post præbita sacramenta ad subuertendum quod iurauerant, controuersiæ emerserunt, dum seruos semel ab iugi exactione emancipatos, ad modum pristinum redigere quærunt? Erat sanè implacabilis inuidentia Episcopi, ac procerum in burgenses, & dum Northmanico, vel Anglico more Francicam non præualet extrudere libertatem, languet pastor suæ professionis immemor circa inexplebilem cupiditatem. Si quis popularium in causam ductus non diuina, sed placitatoria, vt sic dicam, conditione legibus fuisset addictus, huius vsque ad extremum substantia exhauriebatur.

Vulgò, Noyon. S. Quentin.

Vnde quia munerum susceptiones totius iudicij sequi solet euersio, monetæ percussores scientes si peccarent in officio suo, quòd pecuniaria possent redemptione saluari, tanta eamdem falsitate corruperunt, vt per hoc ad extremam plurimi indigentiam ducerentur. Nam cùm denarios ex ære vilissimo conficerent, quos in momento prauis quibusdam artibus, argento micantiores facerent vigiliis: proh dolor! fallebatur ineptum, & sua preciosa ac vilia detrahentes, nonnisi impurissimam suscipiebant scoriam. Et Domini Episcopi super isto munerabatur patientia; per quod non modò intra prouinciam Laudunensem, sed & longè latéque multorum accelerabatur miseria. Cúmque suam ipse monetam per se malè corruptam miserabiliter, & meritò impotens, nec tenere, nec corrigere posset, Ambianenses obolos, corruptissimum etiam quiddam, in Vrbe aliquamdiu cursuros instituit: quos quoque cùm nullatenus cohibere valeret, sui tandem temporis perc[illegible]uram erexit, cui pariter ad suæ pers[illegible]num, ferulam pastoralem imprimi [illegible]. Quæ clam ab omnibus cum tanto cachinno spernebantur, vt impuriore moneta omninò minus appreciaretur.

Monetarum corruptio.

Intereà cùm ad singulas quasque horum nouorum numismatum promotiones ferebantur edicta, ne quis pessimas ipsius caraxaturas cauillaretur. Inde creberrimæ populum impetendi occasiones, quasi qui calumniam intulissent instituto Pontificis, inde largissimorum quæcumque fieri poterant, censuum extortiones. Ad hoc Monachus quidam in omnimoda opinione turpissimus, nomine Theodoricus, à Tornaco, cuius erat indigena, infinitas, & à Flandriis deferebat argenti massas. Qui in falsissimam Lauduni redigens cuncta monetam, vniuersam exinde respergebat circumquaque Prouinciam. Cuius xeniis detestabilibus diuitum sibi concilians auaritiam, mendacium, periurium, egestatémque inferens, veritate, iustitia, opulentia destituebat patriam. Nulla hostilitas nullæ prædæ, nulla incendia hanc peiùs læsere Prouinciam, cùm vetustam eius vrbis monetam mœnia haberent Romana gratissimam.

Inde sentinæ flagitiorum.

At quoniam, *Arte superductum violat quandoque pudorem.*

Impietas contecta diu, nec clara recondi.

Vt lux clara vitrum, sic penetrat faciem:

quod obscurè de Gerardo, & quasi non fecisset, fecerat de altero post aliquod tempus Gerardo, euidens suæ crudelitatis dedit indicium. Erat siquidem is Gerardus Maior nescio, an Decanus rusticorum ad se pertinentium, qui quia pronior erat ad Thomam Ingelranni, de quo suprà egimus, vt dicitur filium, virum omnium quos nouimus hac ætate nequissimum, Episcopus eum omnibus habebat infensum. Vnde & eum corripiens, & intra Episcopale palatium custodiæ eum trudens, nocte per manus cuiusdam sui Æthiopis, oculos eius fecit euelli. Quo facto apertè ignominiæ se addixit, quod de superiore Gerardo fecerat, refricauit, nec Clerum, nec populum latuit, quòd Episcopos, Presbyteros, atque Clericos, à nece necísque iudicio, seu truncatione membrorum Canon, ni fallor, Toletanus inhibuit; Regem etiam ipse rumor offendit. Nescio prætereà an ad Apostolicam sedem peruenerit, hoc scio tamen quòd ab officio eum Papa suspenderit, quod æstimo quia non ob aliam causam fecerit. Ad cumulum verò mali quamdam suspensus Ecclesiam dedicauit. Romam ergò proficiscitur, cuius verbis & suasionibus Dominus Papa delinitur, & resumpta ad nos auctoritate

Dirè Episcopus Thomæ Ingelranni filio eruit oculos.

A Papa suspenditur ab officio, vnde Romam proficiscitur.

remittitur. Videns itaque Deus magistros A & subditos facto & consensu pari communicare nequitia, iam non potuit sua continere iudicia, permisit denique conceptas malignitates in propatulum deuenire furorem, qui dum ex superbia præceps agitur, Deo vindice, casu vsquequaque horrendo confringitur.

Molitur Communionis abrogationem, die eadem qua Ascelinus Regem prodiderat.

Ad Communionem itaque, quam iurauerat, & Regem præmiis iurare compulerat, destruendam, in supremo Quadragesimæ Sacrosanctis Dominicæ passionis diebus, accitis proceribus, & quibusdam Clericis, instare decreuerat. Ad id pij officij Regem B euocauerat, & pridie Parasceues, Cœnâ scilicet Dominicâ, Regem & suum vniuersum populum peierare docuerat, cui se laqueo primus immerserat. Quo videlicet die ASCELINVS Episcopus prædecessor eius Regem suum, vt prædixi, prodiderat. Nam qua die gloriosissimum Pontificalium officiorum Chrisma videlicet cõsecrare debuerat, & à suis excessibus absoluere plebem, eâ ne ingredi quidem visus est Ecclesiam. Machinabatur cum lateralibus Regis, vt Communione destructa Rex idem in priorem mo- C dum iura redigeret vrbis. At Burgenses de sua subuersione verentes, quadringentas, (vtrum amplius nescio) libras Regi ac regiis pollicentur. Contrà Episcopus proceres secum loqui cum Rege sollicitat, spondentque pariter septingentas, Rex Ludouicus Philippi filius * ...... conspicuus, vt soli maiestati regiæ videretur idoneus, armis strenuus, pro negotio inertiæ impatiens, animo sub aduersis intrepidus, cùm aliàs bonus esset, in hoc non æquissimus erat, quod vilibus & corruptis auaritia personis nimiè au- D rem & animum dabat; quod ad maximum sui detrimentum & vituperabilitatem, & multorum perniciem redundabat; quod hic & aliàs factum constat.

f. personâ. Laudatur Rex Ludouicus 6. Verùm corruptis & auaris hominibus indulgentior.

Igitur regius, vt dixi, appetitus ad potiora promissa deflectitur, eóque contra Deum sanciente omnia sacramenta sua, scilicet Episcopi ac procerum, sine vlla honestatis ac sacrorum dierum respectione cassantur. Ea nocte Rex propter iniustissimam, quam populo incusserat turbam, cùm foris haberet hospitium, dormire pertimuit extra Episcopale palatium. Rex summo mane recesse- E rat, & Episcopi ad proceres sponsio facta fuerat, vt non vererentur de tantæ pactione pecuniæ, scientes se quidquid ipsi polliciti fuerant soluturum esse. Quòd si, inquit, quod vobis spondeo, non fecero, tradite me redimendum carceri regio.

Dissoluta Communione in vrbe perturbantur omnia.

Ruptis igitur Communitatis prædictæ fœderibus tantus furor, tantus stupor, Burgensium corda corripuit, vt omnes officiales officia sua desererent, & cerdonum ac sutorum tabernulæ clauderentur, & scenæ nec venale quippiam à pandocibus & cauponibus sisteretur, apud quos nihil futurum residui dominis prædantibus speraretur. Nam protinus ab Episcopo & proceribus vniuersorum substantiæ metiuntur, & quantum quisque sciri poterat dedisse ad instituendam Communionem, tantumdem exigebatur impendere ad destituendam eandem. Hæc die Parasceues, quod interpretatur præparatio, tractabantur; hæc Sabbatho Sacrosancto, in quibus Dominici corporis & sanguinis receptui, solis hinc homicidiis, illinc periuriis animi aptabantur. Quid plura? Præsulis & procerum omnis his diebus vacabat intentio ad abradendas inferiorum substantias. At inferiorum non iam ira, sed rabies feraliter irritata, in mortem, imò necem Episcopi & complicum eius, dato inuicem Sacramento conspirat. Fuisse autem quadragenos qui iurauerint, tradunt. Quod eorum molimen omninò tegi non valuit. Nam cùm contigisset magistri ANSELLI notitiam, in ipsa sacri Sabbathi iam vesperascente die, cubitum eunti Episcopo mandauit, ne ad matutinas procederet vigilias, sciens se, si veniret, interficiendum. At ille typo nimio stupidus. Phi, inquit, ego ne talium manibus interеam? Quos quamuis ore despiceret, ad matutinos tamen surgere, & Basilicam ingredi non præsumpsit.

Tributa exiguntur.

Burgenses Episcopo violentas manus afferre statuunt.

Postridie cùm ad processionem clerum suum ipse sequeretur, domesticos suos, & quosque milites spatas sub vestibus post se ferre præcepit. In qua Processione cùm parum quid tumultûs, vt assolet in multitudine, suboriri cœpisset, quidam de Burgensibus è cripta emergens, cœptum iuratæ interfectionis negotium æstimans alta voce cœpit quasi pro signo inclamitare, *Communiam, Communiam* ingeminans. Quod, quia festum erat, facile repressum est, suspicionem tamen diuersæ parti intulit. Acto itaque Episcopus Missarum officio, ex Episcopalibus villis plurimo accito rusticorum agmine turres Ecclesiæ munit, curiámque suam asseruari præcipit, cùm ipsos quoque prope non minus pateretur infensos, vt pote qui scirent denariorum aggeres, quos Regi promiserat, ex suis ipsorum marsupiis hauriendos.

Feriâ igitur secundâ post Pascha procedere moris est Clericos stationem facturos apud Sanctum VINCENTIVM. Quoniam ergò hesterno præuentos se esse senserunt, hac die moliri decreuerant, & fecissent, si cum Episcopo omnes proceres esse sensissent. Nam vnum è proceribus in suburbio repererunt, virum innocuum, qui conso-

Statio apud S. Vincentium.

brinam meam adolescentulam quamdam, pudicæ indolis fœminam nuper acceperat. Sed ne alios cautiores redderent, aggredi noluerunt. Cùm igitur iam tertium Paschæ attigisset diem, eos quos ad sui tutelam turribus & curiæ præposuerat, & ex suo inibi victitare coëgerat, securior factus sinit abire. Quarto die, quia annonam meam, & aliquos pariter petasones, quos vulgo bacones vocant, diripuerat per suum incendium, perrexi ad eum. Conuentus à me vt tanta vrbem procella eximeret, respondit: Quid putatis in sua turbulentia eos posse facere? si IOANNES Maurus meus ipsum, qui in eis est potior, naso detraheret, nullatenus grunnire præsumeret? Nam suam heri, quam appellabant Communiam, eos quo ad viuerem abiurare coëgi. Dixi, & multo hominem videns euersum supercilio, dicere supersedi? Antequam tamen ab vrbe recederem, graui ab inuicem animaduersione instabilitatis suæ causa dissensimus. De instanti autem malo cùm præmoneretur à multis, neminem dignabatur.

Guiberti annona diripitur. Bacones quid.

CAPVT VIII.

De cædibus procerum, & incendiis Vrbis Laudunensis.

POstero die, feriâ videlicet quintâ, cùm post meridianas de exigendis pecuniis cum GALTERO Archidiacono ageret horas, ecce per vrbem tumultus increpuit *Communiam* inclamantium: tum quoque per mediam Beatæ MARIÆ Basilicam, & per eam qua occisores GERARDI introierant, exierantque ianuam, cum ensibus, bipennibus, arcubus, & securibus; clauas, lanceasque ferentes cum maximo agmine curiam Pontificalem intrauere burgenses. Comperta huius nouitate moliminis proceres ad Episcopum, cui præsidium super hoc incursu si contingeret, iurauerant, se laturos, vndecumque concurrunt. In quo concursu GVINIMARVS Castellanus vir nobilis, & pulcherrimæ habitudinis senior, moribus innocens, cùm per Ecclesiam clypeo tantùm munitus & hasta procurreret, mox vt Præsulis atrium introiuit, à quodam RAINBERTO, qui compater eius etiam fuerat, bipenni in occipitio percussus primus occubuit. Nec mora RAINERIVS ille, de quo supra egi, cui mea consobrina nupserat, cùm acceleraret ingredi ipse palatium, lancea à tergo feritur, cum podio Episcopalis Capellæ nitens eam subire vellet, ibíque prosternitur, nec mora ex igne palatij ab inguine inferiùs concrematur. ADO Vicedominus minis acer, animo nimis acrior, quia solitudo tunc sua minus eum inter tot efficacem fecerat, cùm ad Episcopi domum tendens ab vniuerso impeteretur cuneo, hastâ & gladio tantopere restitit, vt tres de insistentibus sibi in momento prosterneret: Deinde pransoriâ mensâ aulæ conscensâ, cùm præter cætera vulnera corporis, saucia ei iam reddidissent genua, ipsis demum genibus incumbens tamdiu hinc & inde confodiens obsidentes propugnauit, donec fatigatum quidam corpus telo traiecit, quem post paululum earumdem domorum ignis vsque ad extremos cineres redegit.

Porrò Episcopum insolens vulgus aggrediens, cùm pro mœnibus aulæ prostreperet, Episcopus cum quibusdam qui sibi opitulabantur, iactibus lapidum, sagittarúmque ictibus quoad potuit, repugnauit. Plurimam enim suam semper in armis acrimoniam, vti quondam, & nunc quoque promebat. Sed quia indebitè & frustra alium acceperat gladium, gladio periit. Temerarios ergò plebis assultus tolerare non præualens, sumpta cuiusdam mancipij sui veste, in cellarium Ecclesiæ confugiens, intra paruam apothecam se condidit, & à fideli quodam clientulo fronte obstrusa introclusus, se latere putabat. Cúmque hac illacque discurrentes vbi esset, non Episcopus, sed furcifer, conclamarent; vnum de puerulis eius corripiunt, sed in fide eius nil quod sibi liberet, efficiunt. Alterum attrectantes, nutu perfidi quo esset quærendus accipiunt. Ingredientes igitur cellarium & circumquaque rimantes, tandem hoc modo reperiunt.

In subterraneum Ecclesiæ locum aufugit Episcopus.

TEVDEGALDVS homo erat funestissimus beati Vincentij Ecclesiæ capite census, INGELRANNI Codiciacensis diu Officialis atque Præpositus, qui transitorias redhibitiones apud pontem, qui Soordi dicitur, obseruans, commeantium paucitatem aliquotiens aucupabatur: & cùm eos rebus omnibus spoliasset, nequando illis contra eum interpellare liceret, eiectos in flumine * supplumbabat. Hoc quotiens fecerit solus Deus nouit. Furtorum, latrociniorúmque numeros cum sit referre nullius, incohibiles, vt sic dicam, corde nequitias vultu teterrimo præferebat. Is in offensam incidens INGELRANNI, totum se ad Comuniam Lauduno contulerat. A quo ergò nec Monacho, nec Clerico, nec peregrino, immò nulli sexui parsum olim fuerat, sic denique se habuit occisurus Episcopum. Ipse Dux & incentor cùm esset huius nefarij cœpti, summopere quem cæteris acriùs oderat, vestigabat Episcopum.

* *Submergebat, inde Gallicè*, plonger.

Cùm itaque per singula eum vasa disquirerent, iste pro fronte tonnulæ illius, in qua latebat homo, substitit, & retuso obice sciscitabantur ingeminando quis esset. Cúmque vix eo fustigante gelida iam ora mouis-

fet: Captiuus, inquit. Solebat autem Episcopus eum Isengrinum irridendo vocare, propter lupinam scilicet speciem; sic enim aliqui solent appellare lupos. Ait ergo Scelestus ad Præsulem: Hiccine est dominus ISENGRINVS repositus. Renulfus igitur quamuis peccator, Christus* tum Domini, de vasculo capillis detrahitur, multiplici ictu pertunditur, & sub diuo in claustri clericalis angiportu ante domum GODEFRIDI Capellani statuitur. Cumque eis miserabilissimè supplicaret, iureiurando ipsis astruere volens se numquam deinceps eorum Episcopum futurum, infinitas eis pecunias præbiturum, de patriâ recessurum; omnesque contrà offirmatis animis insultarent, vnus nomine BERNARDVS, cognomento de Brueriis, eleuato bipenni sacrum, quamuis peccatoris, verticem truculenter excerebrat; qui cum laberetur inter tenentium manus antequam decideret, ab altero sub ocularibus per medium n'si ex transuerso percussus occubuit. Ibi pessundato & tibias conciderunt, & vulnera plurima indiderunt. At TEVDEGAVDVS videns annulum in digito quondam Pontificis, cum facilè non posset extorquere, ab eo digitum mortuo, ense præcidit, annulumque corripuit. Itaque expoliatus ad nudum in angulum ante Capellani sui domum proijcitur. Deus meus! quis retexat quot in iacentem à transeuntibus sunt ludibria iacta verborum, quot glebarum iactibus, quot saxis, quot est pulueribus corpus oppressum?

f.* *tamen.*

Percutitur Episcopus,

Sed Trucidatur, & conciditur, atque opprobriis corpus exponitur.

Sed antequam ad alia progrediamur, dicendum quod quiddam nuper factum ad suum valde profecit interitum. Ante duos, nisi fallor, suæ mortis dies, conuentus est in media Basilica à primoribus cleri sui, quòd Regi in vrbe nuper constituto eos detulerat, dicens Clericos non esse reuerẽdos, quia pene omnes ex regia forent seruitute progeniti. Quod cum ei obiectum fuisset, hoc modo inficians ait: Communio Sancta, quam ex illo pridem altari suscepi (dexteram enim illo protenderat) veniat mihi ad perniciem, & sancti Spiritus gladium inuoco in animam meam, si hæc vnquam verba Regi de vobis dixi. Quo audito quidam valde mirati sunt, & Sacramentis astruxerunt, se ex ore eius cum talia Regi deferret, audisse. Volubilitas plane eius mentis & lingua ipsi parturiit hæc exitia.

Periurium Episcopi.

CAPVT IX.

INterea pars quædam furentis vulgi ad domum RADVLFI pertendunt, qui Episcopi discoforus erat, & de summis familiaribus GERARDI Carisiacensis extiterat, vir exili quidem forma, sed heroicum habens animum. Is loricatus, galeatus, non sine leui armatura cùm resistere destinaret, videns vim nimiam: veritúsque subijci igni, arma proiecit, nudúmque se eorum misericordiæ in modum crucis exposuit. Qui, Deo à se remoto, humi prostratum crudelissimè trucidarunt. Ipse antequam carnificium illud de GERARDO in Ecclesia fieret, huiusmodi visionem vidit. Videbatur sibi in beatæ MARIÆ Basilica esse, ibique peruersos habitudinis homines conuenire, qui peregrinos ludos illic statuerent, & quibusdam circumsedentibus spectacula noua darent. Subqua propositione de domo GVIDONIS Thesaurarii, quæ iuxta Ecclesiam erat, alii homines exibant pocula deferentes, in quibus tanti fœtoris continebatur potus, vt intolerabilis sentientibus esset, qui & per circumsedentium ordinem ferebatur. Quod luce clarius est. Quàm horrendus enim ibi emicuerit dæmonum, quámque inuisus ludus, quis puto enormis sceleris vbique locorum de eadem domo manarit, in promptu & modo est. Nam plebs furibunda domui illi, primum ficos iniecit, de ea in Ecclesiam prosiluit, & demum palatium Episcopale corripuit.

Interficitur Radulphus

Eiusdem præsagia.

Vidit & aliud prænuncium status sui futuri. Nunciari sibi in visione videbat ab armigero suo, & dici: Domine, equus tuus in anteriori parte multæ & insolitæ vastitatis est, & in posterioribus tantæ exilitatis, vt par nusquam viderim. Optimæ enim opulentiæ, plurimíque precii ante fuerat, quæ eius vbertas ad tam profligatæ mortis deuenit tenuitatem; equus namque gloriam sæculi signat.

Ecclesia omniaque ipsius ornamenta cõflagrarunt.

Igitur ex cuiusquam maximè peccato contigerat, vt gloriosissima Ecclesia miserabilibus addiceretur excidiis, ex domo scilicet Thesaurarii, qui & Symoniacè Archidiaconus erat, in Ecclesiã proserpere visus est ignis. Quæ cum pro præsentis gloria solemnitatis palliis atque tapetibus nobilissimè foret circumornata, vrgente igne pauca ex paliis furto abrepta potius quàm focis tacta creduntur: tapetia autem aliqua, quia facile funes à trocleis demitti à paucis non poterant, succubuêre caloribus. Tabulæ altaris aureæ, & Sanctorum feretra erepta cum ipsa prominenti eorum, quam sic vocitant, repa, cætera in gyro incendiis puto correpta: sub ea enim quidam cùm se reclusisset de nobilioribus Clericis, inde progredi non præsumens ne turbas errantes incideret, cùm ignem circa se ridere sensisset, ad Cathedram Episcopalem currit, superpositam vitream capitalem pede impulsam pertudit; sícque desiliit.

Monasterii S. Ioannis atque Ecclesia B. Mariæ profundæ, & S. Petri incēduntur.

Crucifixi Domini imago decentissimè obaurata, gemmisque distincta, cum vase saphyretico pro pedibus illius imaginis appenso, in terram fusa delabitur, nec sine plurima iactura recipitur. Cùm igitur cremaretur Ecclesia atque palatium, dictu mirabile, mysticumque Dei iudicium, titio vtrum nescio an carbo ad Monasterium Virginum conuolauit, & sancti IOANNIS Ecclesiam succendens, Beatæ etiam MARIÆ, quæ profunda dicitur, Sanctique Petri in cineres conuertit.

Matronæ quædam liberantur.

At procerum coniuges qualiter sub tanto negotio se egerint, referre non piget. Vicedomini ADONIS vxor videns ad partes Episcopi maritum orta seditione concedere, opinata instantem mortem cœpit veniam ab eo si quæ contra eum commisisset petere, & se diutissimè cum eiulatibus constringentes, & oscula extrema libantes, cùm illa diceret; Cur me sub gladiis vrbicorum derelinquis? Ille apprehensâ mulieris dextrâ lanceam manu tenens, cùm dispensatori præcepisset clypeum post se ferre (erat autem de primordiis proditorum) ipse non solùm post eum clypeum non tulit, sed eum durè verbo reuerberans à tergo eum impegit. Iam ergò eum, cuius seruus erat, non norat: cui certè inter prandendum paulò ante seruierat. Per medias itaque turmas defensa vxore, intra domum tandem cuiusdam portarii Episcopi eam occuluit. Quæ cùm vidisset assultus, & subiectos ædibus ignes, in fugam quocunque ducebat fortuna conuertitur. Quæ cùm Burgenses aliquot fœminas offendisset, rapta ab eis, pugnisque pulsata, & preciosis, quas habebat vestibus spoliata, vix ad Sanctum potuit sumpta Sanctimonialis veste peruenire Vincentium.

At consobrina mea discedente marito, contemptâ supellectili domus, solam sibi lacernam retinens, murum, quo suum viridarium cingebatur, virili alacritate conscendit, saltuque exinde desiliit. Inde in pauperculæ cuiusdam recepta tugurium, cùm grassantes post modicum sensisset flammas, prorupit ad ostium, quod anus extra obserauerat, & lapide fractâ serâ, à quadam Sanctimoniali cognata sua impetrato habitu & velo se contegens, & inter monachas fouendam se credens, cùm incendia inibi feruere conspiciens retorsisset gradum, in domum quandam remotiorem se contulit donec postridie à parentibus quæsita comparuit, & tunc dolorem quem super metu mortis habuerat, in rabidiorem super marito mutauit.

Guinimarus Castellanus.

Aliæ quædam, vxor scilicet & filiæ GVINIMARI Castellani cum pluribus, locis se humilibus abdiderunt. GALTERIVS autem Archidiaconus cum Episcopo positus, cùm obsideri vidisset aulam quia semper oleum camino se addidisse cognouerat, per fenestram domus exiliens, in viridarium Pontificis, & à muro, quo ambiebatur, in vineas per auia vadens capite adoperto castello Montis acuti se condidit. Burgenses verò cum minimè ab eis reperiretur cloacas eum sui timore fouere ridebant. Vxor quoque ROGERII Montis acuti domini, ARMENGARDIS nomine, cum esset die eodem in vrbe (erat enim maritus eius Castellanus Abbatiæ post GERARDVM) ipsa cum vxore RADVLPHI Discofori Monacharum, nisi fallor, tegmine sumpto per conuallem Bibracinam ad Sanctum contendit Vincentium. Filius autem prædicti RADVLFI sex circiter annorum cum à quodam sub birro liberationis causa ferretur; parisitus autem aliquis ei obuiam factus quid sub cappa portaret aspexit, & inter eius brachia illicò iugulauit.

Rogerius Montis acuti.

Per vineas itaque inter duo brachia montis positas, die illa, & nocte iter fugientium, & Clericorum, & mulierum fuit. Vir planè muliebrē non verebatur habitū, nec mulier virilem. Tantus etiam incendiorum altrinsecus positorum motus fuerat, has in partes flabris flammas torquentibus, vt monachi sua omnia vererentur incendi. Metus verò iis qui isto confugerant tantus erat ac si eorum ceruicibus gladij imminerent. FELIX GVIDO Archidiaconus, atque Thesaurarius, qui isti negotio defuit. Ad Sanctam enim MARIAM Versiliacensem oratum ante Pascha processerat. De eius potissimum absentia carnifices querebantur.

Occisis igitur sic Episcopo procerumque primoribus, ad reliquorum qui supererant domos obsidentes intendunt. Demum ergò GVILLELMI filij HADVINI, qui non consenserat ciuibus in morte GERARDI, sed cum ipso occidendo ad Ecclesiam oraturus mane perrexerat, tota nocte peruadunt. Cumque illi hinc ignibus, illinc asciculis, securibus atque contis mactato pariete institissent, & illi qui intus erant mordacissimè restitissent, ad deditionem postremò coactus, miro Dei iudicio, cùm hunc cęteris plus odissent, saluum ac incolumen compedibus iniecerunt. Castellani itidem filio fecerunt. Erat autem in domo GVILLELMI quidam adolescens dictus & ipse GVILLELMVS, Episcopi cubicularius, qui plurimum titulum in illa defensione commeruit. Is domo capta, ab ea parte Burgensium, quæ domum confederat, est conuentus, vtrum sciret an occisus esset Episcopus nec-ne, ille se ignorare respondit. Alij enim erant, qui Episcopum occiderant; alii qui ædes expugnauerant. Cumque circumeundo cadauer Episcopi reperissent, rogitant iuuenem

Plures occiduntur.

vtrum

vtrum iacens corpus si eius foret ex aliquo signo conuinceret. Ita autem vertex & ora fuerant ex multa concisione mutata, vt discerni non posset. At ille recordor dum adviueret, ait, & de re militari, quam malo suo plurimùm affectabat, crebrius loqueretur, quia in simulachro pugnæ dum militem quendam equo vectus ludendo impeteret, ab eodem equite conto percussus, subiectam collo illud quod vocant canolam fregerit. Et disquirentes nodum cicatricis inueniunt.

Adalbero Abbas prohibetur efferre cadauer Episcopi.

Abbas autem Sancti Vincentij ADALBERO cùm audisset Episcopum interemptum, velletque illò ire, aperta ei fronte illicò dicitur, quòd si insanienti se turbæ insereret, pari mox internecioni succumberet. Asserunt certè qui illi negotio interfuerunt, ita diem diei sequenti tunc continuatum, vt nulla noctis occubitum opacitatis signa prætenderint. Quibus cùm obiicerem claritatem ignium hoc fecisse, Sacramentis astruebant, quod & verum erat, ignes interdiu obrutos, consumptosque fuisse. Ignis autem in monasterio Virginum ita præualuit, vt quædam de corporibus Sanctorum exureret.

Corpora Sanctorũ in Ecclesia S. Ioannis exusta.

CAPVT X.

Tandem sepelitur Episcopus in Ecclesia S. Vincentij extra vrbẽ.

IN crastino igitur quoniam nemo erat penè qui iacens Episcopi cadauer sine iactu aut probro seu maledicto præteriret, de sepultura verò null⁹ cogitaret, Magister ANSELMVS, qui hesterno cum seditio æstuaret, omnino se abdiderat, ad tragediæ huius auctores precem fudit, vt hominem, vel quia Episcopi nomen & insigne habuerat, sineret quoq; humari: vix annuũt. Quia ergo nudus ad terræ canina quadã vilitate, à vespertinis feriæ quintæ horis, tertiã crastini diei horam vsque iacuerat, iubetur tandem à Magistro leuari, & salbano superiecto ad S. VINCENTIVM deportari. Dici non potest quot minis, quot conuiciis curatores funeris vrgebantur, quot mortuus ipse maledicis sermonibus illapidatur. Delatus ad Ecclesiam nihil prorsus officij, non dico quod Episcopo, sed quod Christiano competeret in exequiis habuit. Terra receptui eius semicauata, corpus est intrò breui tabula sic cõpressũ, vt pectus & venter prope vsque ad crepitũ premeretur. Et cũ malos pollinctores, vt dixi, haberet, ad hæc certè adhuc à præsentibus arguebantur, vt miserrimũ corpus quò possent nequius attrectarent. Ea die in eadem Ecclesia à monachis nihil diuinum actum est. Sed quid dico ea die? immo per aliquot dies, cùm de ad se fugientium salute trepidi, de sua ipsorum etiam morte timerent.

Multi nobiles viri sepulturæ traduntur.

Nec mora GVINIMARVM Castellanũ (quod dici dolor est) vxor eius, & filiæ, nobile valde genus, ipsæ solæ impingentes & trahentes in biroto aduexerũt. Postquã RAINERIVS, sumpta alicubi posteriore parte cũ inter duas rotas, super axẽ positus, superiore parte coxarũ adhuc stridente ex ignibus, à quodã suo rustico, & quadã nobili iuuencula cõsanguinea sua, miserabili & ipse modo adducitur. Super his duobus sermo bonus, vt dicitur in libro Regũ, inuentus, vt omnes qui bene sentirẽt, eorũ mortibus condolerent, nec vspiam mali erãt, excepta societate interfectorũ GERARDI. Vnde & multo cõpassibilius suo Episcopo sunt sepulti. Reliquiæ autẽ ADONIS vicedomini post plures huius seditionis & incendij, dies paruissimæ repertæ, & in panno angustissimo cõstrictæ, vsq; ad diẽ quo RADVLPHVS Remẽsis Archiepiscopus Laudunũ venit Ecclesiam recõciliaturus, sunt seruatæ. Qui veniens ad S. Vincentiũ, solemnes tunc primũ pro Episcopo, & suis cõplicibus egit Missas, cũ multi à mortibus eorum præterfluxissent dies. RADVLPHVS autẽ dapifer eadem qua & alij die, ab anu matre cum paruulo filio delatus quoquo modo est sepultus, & filius super patris pectus positus.

3. Reg. 14. 13.

Radulphus Remensis Archiepisc. Missas agit pro defunctis.

Venerabilis autẽ & sapiens Archiepiscopus, cũ quædam defunctorum corpora in melius transtulisset, omnibus tamen cũ maximo affinium ac parentum dolore diuina officia impedisset, inter Missas sermonẽ habuit de execrabilibus Communiis illis, in quibus contra ius & fas violenter serui à dominorum iure se subtrahũt. *Serui*, inquit Apostolus, *subditi estote in omni timore Dominis*; Et ne serui causentur duritiam vel auaritiam dominorũ, adhuc audiant: *Et non tantum bonis & modestis, sed & discolis*. Planè in authenticis Canonibus damnantur anathemate, qui seruos dominis religionis causa docuerint inobedire, aut quouis subterfugere, nedum resistere. Vnde & illud argumento est, quod neque ad clerũ, neque ad sacros ordines, non ad monachatũ quispiã recipitur, nisi qui exors à seruitio habeatur; receptus autem, neutiquam cõtra exigentes dominos teneatur. De qua re etiã multotiens in regia curia sæpius, aliàs in diuersis conuẽtibus disputauit. Hæc per præoccupationem diximus, iam nunc retrogradè ad ordinem redeamus.

Inter Missarum solemnia ciues à Communia dehortatur.

1. Pet. 2. 18.

Ibidem.

Concil. Gang. Can. 3.

CAPVT XI.

PErpensa igitur scelestissimi ciues perpetrati quantitate facinoris magno, extabuêre metu, regium pertimescentes iudiciũ, vnde qui medicinam quærere debuerunt, suo vulnus vulneri addiderunt. THOMAM enim Codiciasensis, vt dicitur, filium, cui erat castellum Marna, præsidium ad sui contra regios impetus defensionem accersire disponunt. Is ab ineunte adolescentia prædas de pauperibus, & Hierosolymitanis peregrinis faciens, & incestuosis matrimoniis coalescẽs, ad innumerabilium hominum exitium pluri-

Thomæ Codiciasensis grassationes ac rabidæ crudelitates.

Marne.

rimam visus est attigisse potentiam. Cuius crudelitas nostris est in tantũ seculis inaudita, vt aliqui qui etiam crudeles putantur, mitiores videantur in nece pecudum, quàm iste in hominũ. Nam non modò eos gladio simpliciter, & pro certo, vt fieri solet, reatu interimit, sed horrendis excarnificãdo suppliciis. Cum enim captos ad redemptionem quoslibet cogeret, hos testiculis appendebat propria aliquotiens manu, quibus sæpe corporea mole abruptis, eruptio pariter vitalium non tardabat. Alteri suspenso per pollices aut per ipsa pudenda, saxo etiam superposito humeros comprimebat, & ipse subter ob ambulans, cùm quod habere non poterat ab eis extorquere non posset, fustibus super eorum corpora tamdiu bacchabatur, donec ei placentia sponderent, aut in pœnis morerentur.

Dici ab vllo non potest quot in eius carceribus fame, tabo, cruciatibus, & in eius vinculis expirarunt. Certè ante hos duos annos cùm in montem Suessonicum contra quosdam rusticos opem cuidam laturus abisset, tres ex illis in quadam se occuluêre cauea. Cúmque ad ora spelei cum lancea deuenisset, vnius ex eis ori telum appodians sic impegit, vt interaneis terebratis per podicem ferrum lanceæ redderetur. Quid prosequor infinita? Per ipsum duo inibi residui periere. Quidam etiam de captiuis saucius proficisci non poterat. Interrogat hominem cur non celeri gradu graderetur: ille respondit se non posse. Sta, inquit, ego faciam vt ægrè properes. Equóque desiliens, gladio ei vtrumque succidit pedem, vnde & mortuus est. Frustra contexam huiusmodi pestes, cùm alias nos maneat non minor occasio referendi. Ad rem veniam.

Ipse GERARDI interfectores diu sub excommunicatione retinuit, diu fouit, neminem non sceleratissimum coluit, cui illud Salustianum potius quàm Catilinæ congruit, Quia gratis malus atque crudelis erat. Ad hunc ergò pro cumulo malorum dirigentes & vt ad se veniret, séque contra Regem tueretur orantes, tandem venientem in vrbe recipiunt. Cũ ille auditis eorum precibus consuluisset suos, quid sibi facto opus esset, responderunt vnanimes in tanta retentione vrbis suas sibi contra Regẽ non sufficere vires (quod oraculum insanis hominibus quãdiu in sua ipsorum vrbe erat propalare non ausus) dixit eis vt egrederentur in campum inibi recturus consiliũ. Quibus fermè milliario ab vrbe digressis infert. Ciuitas hæc cũ caput Regni sit, non potest contra Regem à me teneri. Quod si regia arma veremini, in terrã meã me sequẽtes, me patrono & amico vtimini. Quo dictu consternatissimos reddidit. Mox ergò metu perpetrati facinoris amẽtes, & Regem suis ceruicibus imminere putantes, innumerabile cũ eo vulgus aufugiunt. Et TEUDEGALDUS ille peremptor Episcopi, qui lacunaria, & fornices Ecclesiæ B. Vincentii, claustralesque recessus, fugitiuos quos occideret quærẽdo, exerto gladio rimabatur, qui Episcopalẽ annulũ digito præferens, se Præsulem testabatur: is cũ suis cõplicibus non ausus vrbẽ repetere, Thomã pene vacuus sequebatur. THOMAS autẽ GUILLELMUM filiũ HADUINI, & alios captos liberarat in vrbe. Is enim expers GERARDI proditionis extiterat. At fama pegasea celeritate trãsfusa vicinorũ rurũ homines ac oppidanos exsuscitat, vacuã habitatoribus ferens vrbẽ. Tunc quique pagenses adsolitariã proruũt ciuitatẽ, domósq; plenas, nemine defensante, præoccupant. Ciues planè cùm essent opulenti, habitu se pauperes ostendebant. Oculos enim procerum aduersum se irritare nolebant.

Pagenses seu rustici vrbem Laudunensem diripiunt.

Eo tẽpore illa illegititima INGELRANNI prædicti & incestuosa vxor, cùm iam sub specie cõtinentiæ pro senio & corporis mole aspernaretur INGELRANNUM, veteri tamen amasiorũ vsu carere non poterat; vnde & iuuenẽ idoneum cũ amaret, & eũ Ingelrãnus ab eius omnino confabulatione arceret, tantis repẽte hominẽ lenociniis dementauit, vt eũ ad se accersiret, in domo sua statueret, filiã suã paruulam ad palliandos amores nefarios pactis spõsalibus daret, defensorẽq; terræ suæ cõtra THOMAM, quẽ irremediabiliter ipse, qui dicebatur pater, oderat, & quẽ prorsus exhæredare volebat, faceret. Iste cùm ea tempestate Codiciaci esset, & hostẽ se THOMÆ futurum omnibus modis declararet, census tamen deesset vnde tanta præsumeret, accidit ei huius fortunæ successus.

Audientes autem INGELRANNUS & GUIDO (sic enim vocabatur) THOMAM ab vrbe digressum, populúmque secutũ, Laudunũ adeũt, sine hominibus domos omni vbertate refertas inueniunt, quorum tanta copia fuit, vt si cautè ab iis qui præerant custodiretur, ne prodigè à parasitis ac furibus detraheretur, frustra aduersus prædictum iuuenem exterminandum niteretur, neque ipse vllã in vita sua inopiam pateretur. Quis enim dicat, aut dicens fidem faciat, quid pecuniarum, quid vestium, quid in omni specie victualiũ ibi sit repertũ? Cũ enim rustica manus & suburbani, quin etiã Montiacutani, & Petripõtenses, Ferani quoque huc venerint, antequam Codiacenses, mirũ dictu est, quid priores inuenerint, quid tulerint, cum nostri recentiores tardius aduenissent, munda omnia, & quasi illibata se reperisse iactauerint. Sed quid pẽsi ac moderati apud helluones & scurras? Vinum & triticum qua si repertitium nõ habebat pretium, & cum tales non haberent vectigalia ibidem, libidine dilapidabantur horrenda. Cœpit ergò inter eos ex prouentu

Ingelrannus & Guido iterum vrbem deuastant.

rapinarum oboriri contentio, & à quibusque quælibet rapta minoribus ad potentiorum iura transibat. Duobus certè, si tertius obuiaret, spoliabatur. Erat itaque miserrimus vrbis status. Hi qui ab vrbe profugerant, domos clericorum & procerum quos oderant, diripuerant, atque incenderant: at modo residui proceres profugarum vsque ad *confosceras & pessulos, omni substantia atque vtensilibus addemnabant.

f. *ferras.

Non ergo ne monachus quidem vllus tutò poterat ingredi vrbem, vel egredi, quin aut equo priuaretur, aut propriis induuiis nudaretur. Ad Sanctum Vincentium sontes insontésque cum peculio multo coïerant. Quid, Domine Deus, gladiorum exertum est super monachos, non tam census, quam personas volentes. Ibi GVILLELMVS HADVINI filius immemor sibi à Deo liberationis indultæ, quemdam suum compatrem, cui mox spoponderat immunitatem membrorum & vitæ, & ad se ex fide collegerat teneri à *suis GVINIMARI & RAINERI procerum, qui cæsi erant, & damnari permisit. A filio enim præfati Castellani ad equi caudam pedibus alligatus, breuíque tractu cerebrum cùm fudisset, furcis illatus est. Vocabatur autem is ROBERTVS cognomento Manducans, vir diues & probus. At dispensator Vicedomini, de quo supra diximus, qui vocabatur, ni fallor, EBRARDVS, qui cum quo die ipso comederat, seruus Dominum perdiderat, euectus est in sublime. His generibus mortium & alij sunt exacti. Inextricabile est quæ in euersorum, vel inuersorum punitione geri vbique contigerit explicare. Sciendum autem quia die postero necis factæ THOMAS venit in vrbem, hoc est feria sexta; Sabbatoque recesserit; & in ipsa Dominica tanti facinoris mox Deus pœnas incusserit.

f. *seruis.

Facta sunt hoc anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo duodecimo, feriâ sextâ Paschali, tertio Calendas Maij. Nimirum ipse Episcopus infinitæ leuitatis erat, vt etiam si quæ inepta ac secularia cogitaret, facillimè lingua absolueret. Certè vidi illam meam quam prælibaui consobrinam, cùm nuper in vrbe nupta quo pudoratiùs poterat se haberet: ille etiam me audiente merdosam atque rusticam appellauit, quia se ab exterorum colloquiis ac visibus absentabat, ac se ei more cæterarum nullatenus ingerebat. Planè & librum quemdam de Hierosolymitana expeditione conscripseram, quod cùm videre gestisset, eique illatus fuisset, tantopere exosum habuit, quoniam Domini mei Suessorum Episcopi LISIARDI nomine prooemium operis insignitum vidit, vt deinceps nequaquam legere dignaretur: cùm cætera opuscula mea, & se vltra omnem valentiam meam appretiaretur. Et cum efficax videretur in elaborandis opibus, totum subito expendebat in causis inutilibus. Sed mala ista cum huius temporibus præmaturuerunt.

Anno M.C.XII. acta sunt quæ superiùs retulit.

Vitia Galdrici exhibentur.

Guibertus de Hierosolymitana expeditione historiam conscripsit.

Sciendum est quia non solum in isto, sed ex aliorum, imò totius summa populi iniquitate increuerunt. Nam in tota Francia qualia apud Laudunenses nusquam scelera contigerunt. Paruissimo enim antequam ista fierent tempore, Presbyter quidam in propria domo à puero quem familiariorem habebat, cùm sederet ad prunas à tergo percussus interiit. Cuius corpus ille sumens, in cameram secretiorem recondidit & à foris asserauit. Cumque per aliquot dies non viso Domino, quonam abisset à famulo quærerent, mentiebatur nescio quorsum hominem expetisse negotia. Et cùm præ fœtoris insolentia inter ædes foueri non posset, collecta ille domini substantia cadauer in camino domus super cineres prono ore composuit, & instrumentum desuper pendens, quod Siccatorias vocant, super eum deiecit, vt putaretur quia sic eum machinæ casus obtuderit, sícque cum rebus aufugit.

Quanta mala Lauduni patrata fuerint ista tempestate.

Decani quoque non longè ante Calendas suæ diocesæos presbyterorũ agebant. Cumque quidam Burgundus presbyter, loquax nimis & promptulus, contiguum sibi presbyterum super quodam leui capitulo accusasset, pro ipsa culpa Decanus ab eo sex nummos tantum exegit. Qui id damni satis superque ægrè ferens, nocte cum Burgundus reuertisset ad sua, presbyter qui denarios perdiderat insidias ipsi tetenderat. Qui cùm domus suæ gradus cum lucerna ascenderet, ille eum à posterioribus in occipitio claua percussit, qui ex ictu intestatus occubuit.

Alter quidam Exosimi ipse presbyter, cùm haberet presbyterum Missarum solemnia agentem, altaribusque præsentem, à quodam suo apparitore sagittâ feriri mandauit. Qui percussus etsi non interiit, instigator tamen ac opifex non sine interimendi affectu fuit, nec homicidij, & sacrilegii, apud Christianos *mandati, crimine caruit. Referuntur & alia sub eodem tempore atque pago perpetrata.

f. *inauditi.

Apparuêre & visiones malum quod prætulimus præsagantes. Visum est cuidam super Laudunum lunarem cecidisse globum, quod significat repentinum venturum vrbi defectum. Cuidam quoque ex nostris visum est ante genua crucifixi in Ecclesia Beatæ MARIÆ tres ingentes seriatim trabes oppositas. Locus autem in quo GERARDVS interiit cruore videbatur opertus. Crucifixus eminentiorem Ecclesiæ personam significauit,

Præsagia præfatas calamitates prænũciancia.

cui verè terna trabes obstitit, dum prauus A introitus, & peccatum quod in GERARDO, & ad vltimum in plebe commiserat, ingens fini eius offendiculum præbuit. Locus ille in quo obierat sanguine tegebatur, dùm perpetrata malignitas nulla pœnitudine abolebatur. Audiebantur præterea sicut à monachis Sancti VINCENTII didici, & tumultus quidam, vt putabatur, malignorum spirituum, & species incendiorum in aëre nocturnis horis in vrbe. Natus est etiam ante aliquot dies puer geminus elune superius ibidem, duo scilicet habens capita, duo vsque ad renes cum suis brachiis habens corpora. Duplex ergò superius, inferiùs simplex erat. B Baptizatus itaque triduo quoque vixit. Multa denique & visa sunt, & contigêre portēta, de quibus minimè ambigebatur, quin præcinerent malum illud maximū quod sequebatur.

Puer geminus.

CAPVT XII.

POstquam sopito aliquantisper turbine Ecclesia cœpit pedetentim clericorum restaurari studio. Quoniam igitur paries ille, quo GERARDVS * propter vim incendij C cæteris debilitatior videbatur, arcus quosdam inter ipsum parietem medium, qui exustior fuerat, & exteriorem ædem immodicis sumptibus peregerunt. Cumque quadam nocte fragor ingens increpuisset, tonitrus impulsu fulminis ita concussus est, vt iuncti parieti dirimerentur arcus, & paries in partē redderetur accliuis, & necessariò iam destrui oporteret ab imis. Et, ô mirum Dei iudiciū! Quid de his, Domine, tua censet seueritas, qui hominem tibi astantem quoquo modo te D orantem* punire, si insensibilem sub quo hæc sunt acta parietem non concessum est indemnem esse? Nec id iniuria fuit, vt tantam iniuriam ægrè tuleris Domine. Certè si inimicus meus veniam petendi causa genibus meis iaceret affusus, & à suo hoste ante meos perimeretur pedes, ob contumeliam mihi factam planè omnis mea erga eum animositas illicò sopiretur. Hoc nos homines, & tu potissimū vena clementiæ Deus. Si tu infantes tui prorsus ignaros sub Herode coronas, solùm quia causa perniciei eorum tu fueras, putandumne E est quòd penes hunc, licet peccatorem, licet immeritum, ad tui nominis vilipensionem occisum, obdurare te queas? Non est hoc tuum, infinita Pietas.

Supplēda sunt hæc verba; interfectus est.*

Pœnas sumit Deus de nece Gerardi.

*f. *punire voluisti; vel, puniri permisisti.*

Interea secundum illū qualemcumque morem ad corrogandas pecunias cœperunt feretra & sanctorū reliquiæ circumferri. Vnde factum est vt pius ille arbiter, qui quos hinc corripit, illinc misericorditer consolatur, multa quà ibant miracula exhiberet. Erat autem magnificum philacterium quiddā, quod ferebatur cum aliqua cuiuslibet memoriæ theca, in quo de camisia matris Virginis & de spōgia ori Saluatoris illata, & de cruce ipsius, si de capillis eiusdem Dominæ nostræ nescio, continetur. Est autem ex auro & lapidibus, & versus auro insculpti mysteria interna cantātes. In pagum itaque Turonicum secunda sua profectione venientes, cuiusdam prædonis municipiū, quod Busensiacus dicitur, attigerunt, & sermonē de calamitate Ecclesiæ suæ inter alia ad populum habuerunt. Cúmque præsensissent clerici nostri, quod dominus, & oppidani eius malos animos gererent ad verbum, & exeuntes de castello diripere destinarent, in* arcto positus is qui declamandi habebat officium, licet fidem eorum quæ spondebat non haberet, tamen astanti populo, ait: si est animus infirmus in vobis, accedat ad sacras reliquias, & haustis laticibus, quos reliquiæ attigerint, profectò sanabitur.

Feretra & Sanctorū reliquiæ circumferuntur, quò multæ sunt corrogatæ pecuniæ ad Ecclesiam restaurandam.

Camisia & capilli B. Virg. Spongia Saluatori illata.

vulgò Buzençay

vel, alto.*

Tunc lætus dominus, eiusque castrenses; dum eos æstimant ex suo ipsorum verbo pro mendacibus capiendos, offerunt ei puerum mutum & surdum annos natum circiter viginti. Dici non potest ab aliquo sub quanto periculo & angore tunc clerici constiterunt. At cum altis communem Dominam cum suo vnico IESV Domino exorantes suspiriis, epotis sacris aquis interrogatur à trepidante Presbytero, nescio quod verbum. Cui ille mox absolutè non ad verba interrogata respondit, sed eadem quæ Presbyter, verba dixit. Qui enim numquam audierat quid diceret, nisi quod dicebatur, ignorabat. Quid immorer? In paupere oppido corda confestim seipsis largiora fuerunt. Oppidi vnum Dominus quem solum habebat equum mox præbuit, cùm cæterorum munificentia suas pene possibilitates excederet. Quorum ergò proditores esse voluerant, horum cum magnis lacrymis Deum adiutorem laudantium sic fuere prosecutores, vt iuuenem, qui sanatus fuerat, perpetuo Sanctorum reliquiarum contubernio manciparent. Quem ego in hac nostra Nouigenti Ecclesia hebetem, & ad omnia dicenda & intelligenda rudem vidi, qui fidelis tanti miraculi circumlator, in tali executione non multum post tempus diem obiit.

1. Miraculum. Mutus puer & surdus sanatus

In Andegauensi vrbe fœmina quædam erat, quæ puellula nupserat, in qua pueraria ætate annulo quem digitulo inseruerat irretractabiliter, vt sic dicam, die noctuqne insertum tenuerat. Iuuencula igitur accedentibus annis in maiorem carnulentiam excrescente, etiam circa annulum hinc inde caro protuberans, metallum pene contexerat, vnde & eximendi eum à digito spes tota perierat. Aduenientibus itaque sacris pigneribus,

3. Miraculum. Mulier haustâ aquâ à sacris reliquiis tacta, conualuit.

dum post sermonem habitum cum cæteris mulieribus oblatura venisset, cùm manum tetendisset ad reliquias argentum depositura quod tulerat, crepuit annulus, & sub manu ipsius ante sancta collabitur. Quo viso populus, & maximè mulieres, quòd tantam gratiam Mater Virgo fœminæ illi contulerat, quod etiam ipsa petere non audebat, dici non potest quid nummorum populus, quid potissimùm fœminæ monilium, annulorùmque contulerint. Pagus Turconicus virtutum communis omnium Dominæ iocundabatur odore respersus; at verò Andegauensis iactitabat, se Dei Genitricem habere præ manibus.

Aliàs, sed quo id actum sit oppido planè exprimere non possum, in eadem tamen diœcesi, ad quamdam honestam fœminam, diutissima nec minus desperata infirmitate detentam, ipsa summoperè petente, reliquiæ delatæ sunt à clericis. Quas cùm illa præcordialiter venerata fuisset, sacrísque vnde dilutæ fuerant potata laticibus; nec mora MARIA medicante conualuit. Cúmque sacra Dei debitis muneribus honorasset, & portitor sacrorum pedem à domus limine excessisset, ecce puer equo insidens, rhedamque trahens, angiporti medium, per quod transiturus fuerat, occupabat. Ad quem clericus; Sta, inquit, donec sancta prætereant. Cúmque præterisset lator eorum, & ille caballum vrgere cœpisset, ad repetitionem itineris nusquam eniti potuit. Quo respiciens ille qui ferebat reliquias. Vade, inquit, in nomine Domini: & hoc dicto equus pariter & rheda progreditur. Ecce quæ in MARIA præstas, quamque reuerentiam sibi exigit.

3. Miraculum. Mulier hausta aqua à sacris reliquiis tacta, conualuit.

In tertia profectione apud Nigellam eos contigit deuenire castellum. Habebat autem RADVLPHVS Dominus castri ipsius, iuuenem mutum & surdum in domo sua, quem & perhibebant diuinandi scientiam haud dubium quin à dæmonibus habere; quem & ideo plurimum ferebatur amare. Sacræ ergò reliquiæ Castro inuectæ, satis tenuibus donariis sunt à populo honoratæ. Ille autem mutus & surdus, cui præfati muti & surdi per significationes innotuerat sanitas, immo & præsentia videbatur, calceis suis cuidam pauperi attributis, nudipes, & mente compunctâ Lehumnum Monasterium vsque pignera sacra prosequitur. Cúmque sub feretro interdiu excubaret, hora prandendi contigerat: plurimis itaque clericorum euntibus esum, & paruo numero ad custodiam remanente sacrorum, cùm & ipsi paululum extra Ecclesiam deambulatum issent, reuertentes inueniunt hominem solo stratum tantopere vexari, vt ab ore ipsius & auribus cruor cum magno fœtore proflueret. Quo clerici viso, & socios, qui pransum ierant, ad theatrum tanti miraculi accelerant. Epasmo igitur rediens à clericos an loqui valeat nescio quibus verbis interrogando tentatur. Mox ille eadem quæ audierat à percunctatore respondit. Infinitas cuncti glorias in sublime Deo tulerunt: quis dicat iubilos? Denique ad Nigellam oppidum omnimodis precibus redire coguntur, vt quod sacris minus primò detulerant, integerrimè suppleretur. Quod & eximiè factum est. Et hîc se clarificauit Domina, cuius Filius Deus, quæ huc usque distulerat naturæ dona consummat.

Vulgò, *Nesle.* *4. Miraculum.* Auditum atque loquelam recipit iuuenis.

Vulgò, *Lihons en Santerre.*

CAPVT XII.

EXinde transmarinas petituri partes, cùm se huic mediterraneo Oceano contulissent, opulentos quosdam mercatores sub eadem classis euectione habentes, secundo quantum ad flamina æquore ferebantur: Et ecce immanium, quos multum verebantur, piratarum conspiciunt sibi ingruere ex aduerso Salandras. Cúmque remis vndas verrentibus illi adnauigantes fluctuum cumulos prora diuiderent, vixque stadij interstitio à nostris abfisterent, & sacrorum portitores cùm è piratis valde metuerent, consurgit in medio quidam nostras presbyter, & eleuato Phylacterio, in quo * Regis cœlorum pignera tenebantur, ex Filij & Matris nomine eis interdixit aduentum. Nec mora pro imperio ad puppim rediere rates, nec minori sunt celeritate * quàm accelerare gestierant. Hinc laus apud liberatos, hinc gloria, mercatores bonæ illi MARIÆ gratulabundi multa sibi obtulere pretia.

Ad Anglos transferunt reliquias.

* *Reginæ.*

* *deest hîc fortè, expulsi.*

Igitur prosperè deuecti ad Anglos, cùm ad Vvintoniensem venissent vrbem plurima inibi miracula claruerunt. Apud Essecestriam quoque non disparia contigerunt, causásque plurimorum munerum effecerunt. Taceamus consuetudinarias ægritudinum medicinas, insolita attingamus. Non enim ode puricum eorum scribimus, ipsi conscribant, nec facta viritim sed quæque prædicatoria decerpimus. In omnibus pene locis reuerenter, vt competebat, excepti, cùm ad vicum quemdam venissent, non à Presbytero intra Ecclesiam, non à rusticis intra domos habitabiles admissi sunt: duas inibi sine mansoribus ædes repererunt, in vnam se & sua impedimenta omnia conferentes, alteram sacris reliquiis aptauerunt. Nequissimo itaque vulgo in sua contra diuinas res pertinacia perdurante, in crastino clerici cum ab illo rure migrassent, ecce to-

Qui cultum sacris pignoribus denegarūt rustici, puniuntur.

nitruorum crepitus terrificum è nubibus fulmen expressit, quod decidens Burgo illi irruit, & omnia quæ in illo fuerant habitacula in fauillam vertit. Et, ô Dei mira discretio! cùm illæ duæ domus intersitæ aliis quæ ardebant essent domibus, illæ manserant; vt Deus euidens daret indicium propter irreuerentiam, quam erga Dei Genitricem habuerunt, idem miseros homines passos incendium. At presbyter improbus, qui in Barbaris quos docere debuerat, crudelitatem auxerat, collectâ supellectili quam ignibus cœlestibus se præripuisse gaudebat, vtrum ad fulmen nescio, an ad mare transiturus aduexerat. Quo in loco cuncta quæ congesserat, & quæ transponere nitebatur, identidem fulmine sunt consumpta. Ita gens agrestis, & incomposita ad Dei mysteriorum intelligentiam, suis suppliciis est edocta.

Ad aliud quoddam municipium venerant, in quo cùm ex opinione, & euidentia miraculorum, tum multiplex ad sanctas reliquias ferueret oblatio, Anglicus quidam ante Ecclesiam positus dixit ad socium: Eamus bibitum. At ille, non habeo pretium. Ego, ait, inferam. Quonam, inquit, reperies? Considero ait, hos clericos qui mendacio ac præstigiis tot pecunias à fatuis eliciunt, ego plane quomodo enitar, vt id ex ipsis meis contraham obsoniis. Dixit & Ecclesiam ingreditur, ad consistorium, in quo locatæ erant reliquiæ, accedit, & simulans quòd eas osculo venerari vellet, ore apposito denarios, qui oblati fuerant, labiis inhiantibus haurit. Inde regressus ad comparem; veni, ait, & compotemus, quia sufficiens potationis nostræ pretium iam habemus. Quomodo inquit, cùm illud non haberes, accepisti? Ex his, ait, quæ illis impostoribus intra Ecclesiam dantur bucca mea abripiente præsumpsi. Malè, inquit, fecisti, qui à sanctis illa tulisti. Tace, inquit, & huic proximæ tabernæ te confer. Quid verbosor? Solem in oceanum duxere bibentes. At vespera incumbente, ille qui nummos sacris subduxerat aris, ascensâ equâ domum se regredi profitetur. Cùmque nemus contiguum attigisset, facto laqueo cuidam arbori se appendit, vbi fœdè moriens oris sacrilegi pœnas pendit. Ex multis quæ apud Anglos Virgo imperiosa peregit, hæc nos excepisse sufficiat.

Sacrilegus, qui pecunias sacris reliquiis oblatas abstulerat, laqueo se suspendit.

Occasum.

Lauduni quoque postquam à corrogando redierant, dictum mihi à quodam bonæ indolis clerico est, cui materiei aduehendæ officium fuerat delegatum ad tecta Ecclesiæ reparanda, quia in subeundo monte inter boues vnus lassescendo defecerat. Cùmque plurimum clericus æstuaret bouem, non reperiens quem pro eo iugo fatigati inferret, ecce repente bos illò cursim se obtulit, & quasi ex industria operi auxilium laturus aduenit. Qui motu alacri cùm currum ad Ecclesiam vsque cum aliis perduxisset, clericus valde solicitus erat cuinam bouem illum ignotum redderet. Qui mox vt solutus est, non ducem, nec qui se minaret expectauit, sed ocyùs vnde venerat, repedauit.

Bos nullo impellente cursim se offert ad deferendas reliquias.

Is ipse etiam, qui hoc mihi retulit, id pariter quoque narrauit, quia videlicet die illa, qua GVALDRIVS Episcopus dispositâ nece GERARDI Romæ proficisci cœperat, ipse post sacerdotem ad missas stabat. (Erat enim diaconus.) Cum repente die admodum serenâ, nec flabris vllis flantibus, aquila ex ea deaurata, quæ arcæ Sanctorum feretra continenti supererat, saltum faciens quasi violenter impulsa ruit. Ex quo euentu tunc quidem tales coniecturas habuerunt, quasi principalis pars loci, Episcopus scilicet moriturus esset. At verò nos & hæc eadem forsitan significata sentimus, & dignitatem vrbis, quæ specialiter inter vrbes Franciæ totius est regia, ruisse, imò magis ruituram esse putamus. In illo enim, quod retulimus ciuitatis discrimine, Rex ipse, cuius auaritiâ prouenerat, nec semel eam quidem reuisit. Præpositus etiam regius conscius nequitiæ perpetrandæ, paucis horis antequam oborta seditio committeret vrbem, præmissâ concubinâ & liberis, ex vrbe recessit, & antequam tria vel quatuor milliaria peregisset, eamdem vidit ignibus conflagrari.

Aquila ruit.

CAPVT XII.

IGitur exacto his modis Episcopo, de eligendo altero regias aures appellere cœperunt. Datur ei, nullâ electione præmissa quidam Aurelianensis Decanus, cuius Decaniam, quia Referendarius Regis quidam Stephanus ambiebat, qui Episcopus esse non poterat, ipsi à Rege Episcopatum obtinuit, Decaniamque suscepit. Quo ad consecrationem exhibito, cùm prognosticum eius aucuparentur, vacuam repererunt paginam. Ac si diceret: De eo nihil vaticinabor, cùm nulli pene futuri sint actus. Post paucos enim menses occubuit. Aliquas tamen de Episcopi domibus restituit. Quo decedente, iste legitimè & inuitus eligitur. In hoc, inquam, legitimè, quia in nullo venalis introiit, nec quidquam symoniacè agere intendit. Cui tamen in prognostico suo Euangelicum capitulum durè sonuit, quia idipsum quod Galdricus habuit; *Tuam, scilicet, ipsius animam pertransibit gladius.* Quid autem infortunij sibi immineat, Deus viderit.

Hugo Decanus absque electione Episcopatu donatur à Rege.

Luca 2. 35.

Antequam verò ad alia progrediamur, dicendum est quòd TEVDEGALDVS, proditor

Teudegaldus Episcopi occisor furcis infertur.

ac interemptor Episcopi, post biennium internecionis illius à militibus INGELRANNI captus, & furcis illatus est. Is in Quadragesima comprehensus, postquam pene vsque ad vomitum comederat & biberat, & coram aliquibus, quod dici nefas est, se Dei gloria plenum, ventrem protendendo & mulcendo, manu iactauerat, tentus & in carcerem relegatus, non à Deo, non ab homine pœnitentiam petiit, nec etiam productus ad pœnam, cuipiam quidquam dixit, eâque insensibilitate ad Deum qua vixerat interiit. Sed iam ad omissa redeamus.

Thomas, excommunicatur.

Igitur THOMAS qui nefarios illos, & GERARDI primùm, & postea Episcopi Domini sui, & cognati occisores, cum illa Communia maligna susceperat, ab Archiepiscopis totius Franciæ & Episcopis non solum in Conciliis, Synodis, ac regiis curiis, sed & postmodum vbique parochiarum ac sedium per omnes Dominicas, succrescente ineffabiliter malitia, creberrimo passim anathemate pulsabatur. Nouerca autem sua illa Ingelranni malè præsumpta, cùm crudeliorem vrsâ ferâ gereret animum, & THOMAM quasi æmulum sibi videret emergere, INGELRANNVM paternos affectus erga eum, ipsumque patris nomen compulit abiurare. Vnde fœmineo consilio cùm cœpisset eum à suo iure arcere, & apertus ei hostis existere, cœpit, vt Comici verbis vtar, de stulto insanum facere. In tantum ergo furorem mens paulatim malis in dies potioribus imbuta prorupit, vt ius fasque assereret, si non secus ac bestias incedendo homines æstimaret. Quia enim à muliercula iniustè, vt res erat, exhæredebatur, iustè à seipso & à suis complicibus posse bacchari cædibus putabatur. Procurabat quotidie sæuissima illa nouis semper consiliis, quos ei ad subuersionem proponeret, hostes; ille è contra minimè feriabatur indesinenter contra eum exequi prædas, incendia & mortes. Nostra ætate non vidimus duas vspiam conuenisse personas, quorum administratione viderimus sub vna causa tot euenisse res malas. Nam si fuit ille caminus, hæc oleum dici potest.

Quàm nefanda patrat Ingelranni concubina.

Tales planè vtrobique fuère mores, vt cùm veneris non parcerent indifferenter operibus, non minus tamen, immò amplius fierent mox præbita occasione crudeles. Sicut enim haud iura numquam maritalia tenuère, ita nec illum vnæ coniuges ab scortorum poterant aut externarum carnium riualitatibus cohibere. Quid plura? Cùm ista illum nouarum quotidie rerum molitionibus instigaret, & ille homicidiis insontium rabiem exsatiare non posset, in tantum vt vno die decem hominibus oculos eruerit, quos nec mora mori contigerit, fiebat vt vtrimque lassati facerent momentaneas paces: sed post paulolum fœminâ illâ veteres refricante morbos, in mutuas consurgerent neces.

Ambiani Calamitates, per Ingelrannum Comitem, & alios excitatæ.

Igitur Laudunensis Prouincia cum his sub vtroque malignitatibus quateretur, in Ambianensem Deo iudice est translata calamitas. Nam post funestum excidij Laudunensis euentum, Ambiani Rege illecto pecuniis fecêre Communiam, cui Episcopus nulla vi exactus debuisset præstare fauorem, præsertim cùm & nemo eum vrgeret, & Coëpiscopi sui eum miserabile exitium, & infaustorum ciuium confligium non lateret. Videns itaque INGELRANNVS vrbis Comes ex coniuratione Burgensium Comitatus sibi iura vetusta recidi, prout poterat, iam rebelles armis aggreditur. Cui etiam non defuit, ADAM sic enim vocatur, & suæ cui præerat ipse turris auxilium. A Burgensibus ergò vrbis pulsus, ab vrbe in turrem se contulit. Qui cum in Comitem irremissis assultibus grassarentur, & THOMAM quasi amantiorem suum Dominum ad Communiæ illius sacramenta vocantes, contra parentem, vt putatur, suum filium suscitarunt. Ignominiosam enim valde matrem habuit, & ideò semper patris affectu caruit. Perpendens interea Ingelrannus, quia sui æui grauitatem caupones & macellarij irriderent, accersito THOMA, pactóque cum eo fœdere, etiam nouercam illam præbitis innumeris sacramentis nouo ei insinuauit amore. Quæ nimirum sibimet non ignaua, non parui ponderis gazas ab eo exegit pro innouata pace.

Exhausto denique THOMAS plurimo quem habebat thesauri cumulo, opem quoque INGELRANNO spopondit contra Burgenses, quibus cum Vicedomino adnitebatur Episcopus. THOMAS igitur & ADAM, qui turri præsidebat, cœperunt acerrimè insistere Vicedomino atque Burgensibus. Et quamprimum, quoniam Episcopum & Clericos factæ cum Burgensibus factionis arguebant, res peruasit Thomas Ecclesiæ. Et in vna quidem villarum eius, præsidium sibi firmat, per quod cæteras mox incendiis & prædis exterminat. Ex vna earum cum maximam captiuorum abduxisset cateruam, multámque pecuniam, residuum promiscui sexus, & diuersæ ætatis vulgus, cohortem certè quæ illò confugerat plurimam in Ecclesia concrematâ cremauit. Inter captiuos autem quidam, qui panis emendi gratia in villam venerat, Eremita captus ante eum ducebatur. Erat vero imminens, postridie scilicet, festum Beati MARTINI. Cúmque flebiliter inclamasset ad THOMAM cuius professionis esset, qua pro causa eò deue-

Ecclesia concrematur vna cũ ciuibus nonnullis

Thomas eremitam interficit ac triginta viros.

nisset, saltem pro honore sancti MARTINI sibi miseresceret. Ille è vagina pugione exempto, eius traiecit pectus & viscera: accipe, dicens, propter sanctum MARTINVM. Leprosum pariter carceri truserat. Quod elephantiosorum Prouincialium cætus audiens, obsedit Tyranni fores, conclamans vt sibi socius redderetur. Quibus ipse comminatus est, nisi recederent se viuos incensurum. Et cùm territi aufugissent, in tuto positi, & ex regione pariter conglobati, Deum super eo in vindicem compellantes, pari voce latis in altum vocibus ei maledixerunt. Leprosus autem idem in pœnali carcere diem clausit.

Mulier quoque prægnans ergastulo itidem relegata, ibidem interiit. Quidam de captiuis tardius expediebant iter, quibus sub collo eas quas vocitant canolas præcipiens perforari, senis eorum, ni fallor, aut quinque, funes fecit inseri; sicque sub truci angaria proficisci. Qui post paululum in custodia sunt defuncti. Quid verba protrahimus? In illo negotio triginta solus homines proprio ense peremit. At nouerca sua videns tantis hominem inserere se periculis, auida perimendi eum mandat Vicedomino, vt Thomæ subtiliter excursus obseruet. Qui cùm illum nescio qua euntem nocte quadam circumfudisset insidiis, confossus membra vulneribus etiam in poplite lanceam hostis pedestris accepit. Qui cum aliàs, tum in geniculo durissimè læsus, vellet nollet à cœpto desiit.

Defectus inter sacra facienda infortunia prænunciant.

At Episcopus antequam Ecclesia sua tale exterminium pateretur, quodam die festo Missas acturus erat. Quidam vero specie religiosus Presbyter sacramentum ante eum ex sola aqua nescius confecerat, post quem & Episcopo idem accidit. Cúmque libamen assumpsisset, & non nisi aquam esse sensisset, dixit: Magnum scitote pro certo malum Ecclesiæ imminet isti. Quod ipsum infortunia Presbyteri, quæ ante contigerant, astruebant. Cum ergo vidisset suam nec Clero nec populo præsentiam esse gratam, quia neminem iuuare poterat, assumpto quodam nostro monacho, inconsultis omnibus clero suo ac populo libellum, vt ita dicam, repudij dedit, & Archiepiscopo Remensi annulum, sandaliáque remisit, & se in exilium iturum, numquamque deinceps Episcopum futurum vtrobíque mandauit. Ex-Pontifex ita factus cum Cluniacum attigisset, rursus sponte propria Episcopus factus altare inibi consecrauit. Inde digressus Cartusiam perrexit, de quo loco in huius Opusculi primordio nobis sermo fuit. Ibi extra Conuentum in cellula commanens, sex de viatico suo argenti sibi marcas retinuit. Qui post duos menses non ab aliquo suorum,

Episcopus Ambian. Godefridus abdicat Episcopatum; Cluniaci & Carthusiæ aliquamdiu vixit, ac post iubente Remensi Archiep. rediit.

sed ab Archiepiscopo remandatus, moras in reditu non fecit; ad hoc enim marcas sibi vtiles futuras sciuit. Clerus autem & populus eum non sine mœrore recepit, qui eo absente super altero eligendo non sine magna ipsius aspernatione non sategit. Ipse enim turbam mouerat, quam sedare non poterat.

THOMA itaque ad sua translato, & ex vulnere prælibato iam impotenter agenti, quoniam filius ADÆ nomine ADELELMVS, puer pulcherrimus in futuram desponderat coniugem ipsius filiam: qui THOMAM iam læserat in ADAM, & in turrim eius ipsa Ingelranni turpis concubina arma conuertere parat. Ipse autem in fidelitate Ingelranni hucusque contra Burgenses steterat. Rege ergo conducto turrim obsidione circumdat. Et certe ADAM Regi hominium fecerat, nec ab eo defecerat; Rexque eum in sua fide susceperat. Referri non possunt ab aliquo, ne ab eis quidem quorum pars periclitabatur, factæ neces de Burgensibus per turrenses, cùm ante obsidionem, tùm postea crebriores. Nullus enim apud vrbanos actus erat, sed passio sola. Quod primum promoto nondum malo facile Godefridus Episcopus, sicut omnibus notum est, sedasset, nisi Vicedominum, qui maximo eum semper habuit contemptui, timuisset. Eius planè moris est, vt neminem reuereatur, nec cuiquam beneficus sit, nisi aut de ipso malè loquatur, aut sibi malè faciat. Qui dum ab vno morderi timet, & scienter perfidissimo placere gestit, Deo iusto iudice, ab ipso potissimùm, & ab omnibus laceratur.

THOMAS igitur turri subuenire non potuit, intra quam & filiam, & militum suorum probiores dimiserat. Mala autem vbique tanta egerat, vt Archiepiscopi & Præsules pro Ecclesiis querimonia data ad Regem dicerent, se in regno eius Dei officia non facturos nisi vlsisceretur in illum. Nam ea tempestate, qua pestifer ille contra INGELRANNVM Burgensibus adnitebatur, GALTERIVS, de quo supra egimus, qui cum GVIDONE Coarchidiacono suo solus de proditoribus GERARDI resederat, ad illam bonam INGELRANNI lateralem, suam videlicet vterinam sororem, quod adulterinum connubium ipse miscuerat, circa mediam fermè Quadragesimam locuturus perrexerat Quod cum THOMAS addidicisset, missa legatione citissima imperat ROBERTO cuidam, omnium scelestissimo (tales enim amat famulos) vt GALTERIVM ab Ambianensi redeuntem obseruent, & quot possunt interimant. Quæ ille non aliàs quàm ab ipso Laudunensi promontorio prospectans, per ipsam viæ concauitatem, qua de monte

Galterius Archidiac. Thomæ Comitis dolo & imperio trucidatur.

monte descenditur, in occursum illi cum suis venit. GALTERIVS autem præmisso comitatu iam in vrbem mulo sedens sequebatur. Sic igitur solitudine aucupatâ gladiis eum crudelissimè conciderunt. Quo occiso ad Thomam cum mulo hilares reuertuntur.

De his ergò ac similibus cum maximis Ecclesiarum doloribus apud regias cùm impeterentur aures, in sequenti anni quadragesimâ postquam Archidiaconum occiderat, collecto Rex aduersus eum exercitu, præsidia quæ in villis Abbatiæ sancti IOANNIS extruxerat, aggreditur. De equestribus autem vix ex corde opitulabatur Regi cùm etiam pauci essent, leuis autem armaturæ infinitum prorsus agmen. Quos ille contra se conflari audiens garriebat, cùm etiam prorsus impos lecto decumberet. Monitus à Rege vt adulterina castella destrueret, fœdissimè respuit. Oblatis sibi multorum affinium auxiliis exsibillauit. Tunc Archiepiscopus, & Episcopi factis in altum gradibus multitudinem asciuerunt, commonitorium eis pro negotio fecerunt, à peccatis absoluerunt, & vt sub nomine pœnitentiæ castro illi quod Creciacum vocant, de salute animarum tuti irruerent, imperarunt. Quod & mirabili ausu peruadunt. Erat autem munitio insolitæ fortitudinis, ita vt omnis eorum nisus multis ridiculus videretur Cùm ergo qui intus erãt, defensioni intenderẽt, capto tamen iam priori vallo astitit Rex in porta castelli, & submonitis oppidanis, vt castrum sibi traderent, cùm se dicerent non facturos, protensâ manu iurauit se non comesurum donec caperetur. Ea tamen die soluit impetum. In crastinum verò regreditur, arma sumit, de militibus autem vix quispiam coarmari voluit. Cúmque apertæ eos proditionis arcesseret, accitis pedestribus ipse prior vallo insistere, & ad interiora niti cœpit. Nec mora penetratur intro, ingens victualium copia reperitur, defensores tenentur, oppidumque diruitur.

Creciacum castrum expugnatur à Rege.

Crecy.

Haud longe hinc aliud statuerat municipium nomine Nouigentum. Huius clauibus Regi delatis incolæ profugerunt. Apud Creciacum aliqui furcis appensi sunt de captiuis ad terrorem defensorum, aliqui aliàs occisi. De assultoribus nescio si aliquis præter vnum militem. THOMAS autem apud Marnam tuebatur se, qui factâ pecuniariâ redemptione apud Regem & Regios, & pacto Ecclesiis dãno quod fecerat, hinc paci, illinc se reddidit communioni. Ita vir omnium superbissimus iniquissimúsque per manum pauperrimam, quam sæpe punierat, quámque spreuerat, punitus est. Illud non est reticendum, quod cùm Rex Laudunum cum suo hoste venisset, aëris mollities intempestiua cuncta reddiderat. Tunc Archiepiscopus ad eos: Oremus, ait, Deum, vt si vult fieri quod proposuimus, det serenum. Quo dicto, aër extemplò renituit.

Tandem se dedit Thomas.

Igitur Dominicâ palmarum reuersus à Carthusia GODEFRIDVS Episcopus, longè alia, quàm ibi didicerat, incipit propagare. Regẽ ergò arcessit, & die celebri ac verendo ipsum & astantem populum aduersus Turrenses sermone habito, non Dei, sed Catilinario irritare intendit, spondens regna cœlorum his qui turrim expugnando perierint. Postridie pro muro Castellionis (sic enim vocatur) ingentes machinæ porriguntur, eisque milites imponuntur. Turrenses antè cortinis sese protexerant, ne esse eorum prodesset. Episcopus verò nudipes ad sanctum ACEOLVM non tunc pro hoc exaudiendus abierat. Interea Turrenses permittunt eos se muris ingerere, machinas admouere. Quibus applicitis, ALERANNVS quidam taliũ peritissimus, duas quas instituerat phalaricas opponit, & quater vicenas pene mulieres ad saxa, quæ imposuerat, intorquenda disponit. Milites autem interni contra externos prælia cominus ense tractabant. Cúmque Achilleis animis sua propugnacula defensarent, mulieres, viris æquiparandæ, missis ex tormento lapidibus vtrasque confregerunt. Et ferueſcente iactu missilium, quater vicennis, vt relatum est, vulneratis, etiam Regem iaculo in pectore loricato læserunt. De his autem qui spiculis sunt traiecti, præter vnum nullus euasit. Hoc Episcopi nepos ROTHARDVS Clericus retulit. At milites, qui de machinis pẽdebant, obrui se videntes, fugam ineunt; nec mora cæteri. Quibus aliquantisper amotis Turrenses prosiliunt, machinas concidunt, materiemque ad se conuehunt: cùm eos à longe conspicerent, nec aggredi auderent tria pene millia, qui prius oppugnarunt. Videns igitur Rex inexpugnabilem locum cessit, obsideri iubens dum fame coacti se redderent. Huc vsque perseuerat obsidio: & dici non potest quot de Burgensibus solis quotidie pene depereant. ADAM verò extra positus suburbia, & INGELRANNVM, atque Vicedominum crebris hostilitatibus vrget. Vnde etiam si vexatio intellectum daret auditui, scire possent, quia etsi THOMAS succubuit, non omnes tamen causæ sunt pares, nec Dei penes omnes æqua iudicia, vt sit Episcopo ad neces licentia prouocandi.

Godefridus Epis. redit à Carthusia.

Rex obsidione facta Ambiani, inexpugnabilem turrim experitur.

CAPVT XIV.

ANtequam autem ad contigualia deuoluamur, quoniam & de Suessorum quibusdam dicturi sumus, sciendum est quia super omnes Franciæ Prouincias Laudunenses detestabiliora agunt. Nam qui Presbyteros, Episcopum, Archidiaconum occiderant, nuperrimè etiam solertissimam fœminarũ Abbatissam sancti IOANNIS, genere clarissimam, Ecclesiæ prouectricem, nomine RAINSEN-

Reinsendim Abbatissam perimit seruus ipsius.

dim, Laudunensis indigenam, suus seruus occidit, quodque passa est pro Ecclesiæ fide cõsustinuit. Quid quòd ipsa Ecclesia non vacabat à sacrilegiis? quæ tamen quia Regina omnium nõ reliquit inulta, dignè prosequimur. Ab his, quos matricularios vocant, qui gazas Ecclesiæ familiariùs asseruabant, vasa ministerij cœpêre subduci, quæ tamen in magistros eorum retorquebantur Clericos. Erant planè laïci. Hæc primò à quibusdam. Secundo quidam ANSELLVS vulgo vrbi oriundus, immanis & rusticus, infra dies Dominici Natalis ante matutinos, Cruces, Calices, aurea quæque surripuit. Cúmq; post aliquod tempus prærepti auri massulam Suessonico cuidam mercatori væenum tulisset, & furtum sacrilegum, quod fecerat, prodidisset, ac Sacramentum ab eo ne se proderet accepisset; ille interim damni illius conscios per Suessorum parochias excommunicari audiuit. Quod is animaduertens Laudunum venit, rem Clero prodidit. Quid plura? conuentus ille negauit. Is contra datis vadibus* bello eum pugilaturus impetiit. Nec ille distulit. Erat autẽ Dominica. Quibus Clerici præ properatione commissis, ille qui furem compellauerat, victus ruit. In quo duo constant, aut eum qui furem peierando prodiderat, minus rectè fecisse, aut, quòd multo verius est, legem illegitimam omnino subiisse. Huic enim legi certum est nullum Canonem conuenisse.

Victoria denique ANSELLVS tutior ad tertium prorupit sacrilegium. Nam ineffabili commento gazophylaciũ prorupit, & copiosius aurum, gemmasque tulit. Quibus tultis, celebrato iam sacri laticis iudicio, in hunc cum aliis matriculariis iniectus est, supérque natando conuictus, cũ quo & alij primi damni cognitores: quorũ alij furcis illati, aliis vero parsum. Is pariter tractus spondet se dicturum, demissus diffitetur. Secundò euectus in furcam, prodere rem se iurat. Remissus ait: sine præmio nihil faciã. Appendêris, inquiunt. Et vos nihil habebitis, ait. Inter hæc NICOLAVM Castellanum GVINIMARI filium, adolescentem clarissimum, infinitis iaculabatur conuiciis, cuius manibus hæc fiebant. Cõsulitur Episcopus & magister ANSELLVS quid facto oporteat. Melius est, aiunt, vt pecunia sibi detur, quã tanta auri quantitas amittatur. Pacti ergò ei sunt quingentos ferme solidos. Quibus sponsis, multũ quod in vinea sua condiderat, restituit aurum. Pollicitus verò, se de patria recessurum, fuerat; trium autem ei dierum commeatum Episcopus spoponderat. In quo spatio cum elabi clam vellet, & vniuersos vrbis ipsius prouideret egressus, villa ex parte eius grandium fluminum species apparebant, quæ eum progredi omnino vetabant.

Palam ergò illum recedere sine vllo furto sui fructus hæc inuisibiliter sibi proposita fluenta cogebant. Quò cùm ventũ foret, & se nolle recedere quædã furiosissima loquens diceret, cúmque eum Episcopus magis vrgeret, cœpit quasi extra se positus mussitare, quædam se scilicet adhuc scire, quæ distulisset dicere. Quod cùm per Vicedominum didicisset Episcopus occasionem nactus, quoniam se iurauerat nil plus scire, solidos quos ei proposuerat dare, subtraxit, & carceri relegauit. Qui etiam suppliciis adactus gemmas confracti operis se penes se habere falsus est. Et ad locum eos ducens, ostendit eas in linteolo sub saxo pendentes. Cum his omnibus quoque phylacteria sacra subduxerat, quæ quamdiu tenuit, dormire non poterat, quia sanctis feralem animum concutientibus, tanti eum sacrilegij horror inuaserat. Igitur & ipse in sublime prouectus, appositus est ad patres suos, planè diabolos.

Vasa sacra subripuit Anselmus.

f. duello.*

Duello innocentem superauit.

Alia audacior committit furta.

CAPVT XV.

IOANNES interea Suessorum Comes (vt iam stylũ ad promissa vertamus, militiã solers, pacísque studiosus fuit, cuius tamẽ intentio sola sua vtilitas fuit. Nam paterna, & auita nequitia in exitiũ matris semper Ecclesię redundauit. Porrò mater * inter cætera potentiæ suæ miracula, linguam Diacono cuidam à gutture exemptam succidi fecit, oculosque conuelli. Nimirum id præsumpsit parricidalis audacia. Nam Iudæi cuiusdam studio fratrem propriũ cupiditate Comitatûs veneno occiderat: quam ob causam & Iudæum ignis absumpsit, & ipsa pridie quã caput ieiunij sequebatur, postquã eximiè cœnauerat, in ipso sui somni nocte primordio paralisi percussa, officia linguæ perdidit, totius corporis inualitudinem incurrit: quodq; potissimum est, nil deinceps quod ad Deum pertineret, sapuit, & de cætero porcum vixit. Cui etiam iusto Dei iudicio, quasi pro medela, pene lingua desecta est. Sic se ab initio quadragesimæ vsq; ad octauas Paschæ, cum diem clausit, habuit. Inter ipsam autem, & hunc IOANNEM, & Episcopum MANASSEM, filios eius, non modo simultates, sed lethalia odia erant, & hæc genuina. Nam genus illud vicissim infestos se habent. Certè dum ad tumulum delata fuisset, inter sepeliendum mihi Comes isdem de ea, quæ sunt superius relata, narrabat, adijciens; Quid, inquit, pro ipsa dilargiar, cùm pro sua ipsius anima ipsa nil voluerit dilargiri?

Denique Comes ipse, cui rectè dici posset, pater tuus Amorreus, & mater tua Hettæa, non modo ad parentem regenerauit vtrumque, sed multo deteriora peregit. Ipse Iudæorum & hæreticorum perfidiam tantopere coluit, vt quod Iudæis metum fidelium impresumptibile erat, ipse diceret de Saluatore nefaria. Quam malè autem in cœlum posuerit os suum, intelligi potest

Matris Ioannis Suessorum Comitis actus nequam.

**Ioannis. Et id ironicè. Supple,*

Manassis etiam mater.

In Ioãnem illũ Iudaicæ perfidiæ sectatorem scripsit

Tractatum contra Iudeos. Bernardi Decani rogatu.

ex meo illo libello quem contra ipsum roga- tu BERNARDI Decani scripsi. Quæ quoniam ori Christiano indicibilia sunt, & pijs auribus execrabiliter exhorrenda, supprimimus. Cum Iudæos attolleret, à Iudæis pro insano habebatur, dum verbo sectas eorum approbaret, & nostra in promptu sequeretur.

Et certè in Natali, & Passione Dominica, & in huiusmodi tam humilem se præbebat, vt vix perfidum putaremus. Nocte Paschali se in Ecclesia ad vigilandum contulerat, religioso cuidam Clerico, vt de mysterio dierum illorum aliqua sibi diceret, suggesserat: Qui cùm qualiter passus sit Dominus, & quomodo resurrexerit, intimasset, exsibilans Comes ait: Ecce fabula, ecce ventus. Si tu, inquit, pro vento & fabula, quæ dixerim habes, quid hîc vigilas? Pulchras, ait, mulieres, quæ istic coexcubant, libenter attendo. Certè cùm coniugem iuuenculam speciosam haberet, eâ contemptâ rugosissimam ita affectabat anum, vt cùm intra domum cuiusdam Iudæi lectum sibi, & illi sæpius apparari faceret, numquam tamen strato cohiberi poterat, sed in aliquem angulum turpem, aut certè intra apothecam aliquam præ furore libidinis se cum illa sordidissima contrudebat. Quid, quod cum vxore sua parasitastrum quemdam, extinctis iam nocte lucernis, sub specie sui cubitum ire mandauit, vt adulterij sui crimen impingeret? Quæ cùm non esse Comitem ex corporis qualitate sentiret (erat enim Comes fœdè pruriginosus) suo quo valuit nisu, & pedissequarum auxilio, scurram durè cecidit. Quid plura? Non sanctimonialem, non Monacham à sua abusione excluserat, nec fratrum planè Sanctorum vnquam riualitati pepercerat.

Quàm nefanda profert agitque Comes.

Generosum vxoris ipsius factum.

Huius putidissimi blasphemias cùm pati iam Virgo Mater, omnium Regina, non posset, redeunti ei ab expeditione regia, collegarum suorum Dæmonum ad vrbem iam propinquanti ingens globus apparuit, qui hirtâ comâ, sensu effero domum veniens, ea nocte coniuge repulsa, cum anu prædicta concubuit, in qua & lethali morte decubuit. Cúmque anxiari cœpisset, prædictum clericum, cum quo in vigiliis egerat super vrinarum suarum consideratione consuluit. Qui ei de morte respondens cùm sua anima, & de perpetratis libidinibus eum conueniret, ille intulit: Vis, inquit, vt * leccatoribus, scilicet Presbyteris, mea erogem? ne obolum quidem. A multis discretioribus te didici omnes fœminas debere esse communes, & hoc nullius momenti esse peccatum. Dixit, & nihil aliud quàm rabiem postea dixit, aut fecit. Nam astantem sibi coniugem pede volens propellere, cuidam militi, * sedente ea, impegit grandem adeò, vt eum euerteret.

Impijssima & infelici morte periit Comes ille.

* Gulosis.

* Deest, alapam aut, pugnum.

Tenebantur ergò insanissimi hominis manus, ne se suósque disiiceret, donec defatigaretur, donec Virginissimæ Genitrici, & Deo Filio eius inimicum Diaboli extorqueret spiritum.

CAPVT XVI.

AT quoniam hæreticorum, quos hic nefandus amabat, meminimus: quidam rusticus CLEMENTIVS nomine cum fratre EBRARDO, apud Buciacum, proximam Suessioni villam, commanebat. Qui, vt vulgabatur, de primoribus suæ hæreseos erat. De hoc ferebat impurissimus ille Comes, quòd sapientiorem eo neminem comprobasset. Hæresis autem ea est, non quæ palam suum dogma defendat, sed quæ perpetuis damnata susurris clandestina serpat. Eius verò talis dicitur esse summa:

Clementij, Ebrardi, & gregalium hæreseos summa.

Dispensationem Filij Virginis fantasma fatentur.

Baptisma paruulorum non intelligentium sub patrinis quibuscumque annulant.

Suum autem appellant Verbum Dei, quod fit quo nescio rotatu longo sermonum.

Mysterium quod fit in Altari nostro ita exhorrent, vt ora sacerdotum omnium os inferni appellent.

Et si pro velamine suæ hæreseos aliquotiens inter alios nostra Sacramenta suscipiant, sic pro dieta habent, vt ea die nil amplius edant.

Sacra cimiteria à reliqua terra comparatione non diuidunt.

Coniugia damnant, & fructificare coïtibus.

Et certè cùm per Latinum conspersi sint orbem, videas viros mulieribus cohabitare sine mariti, coniugisque nomine, ita vt vir cum fœmina, singulus cum singula non moretur, sed viri cum viris, fœminæ cum fœminis cubitare noscantur. Nam viri apud eos in fœminam nefas est.

Edula omnium quæ ex coïtu nascuntur, eliminant.

Conuenticula faciunt in hypogeis aut * pennalibus abditis, sexus simul indifferens, qui candelis accensis cuidam mulierculæ sub obtutu omnium, retectis, vt dicitur, natibus, procumbenti eas à tergo offerunt; hisque mox extinctis chaos vndecumque conclamant, & cum ea quæ ad manum venerit prima quisque coït.

* Penetralibus, vel penatibus.

Quòd si inibi fœmina grauidetur, partu demum fuso in idipsum reditur.

Ignis multus accenditur: à circumsedentibus puer de manu in manum per flammas iacitur, donec extinguitur. Deinde in cineres redigitur; ex cinere panis conficitur; cuique pars pro Eucharistia tribuitur; quâ assumptâ numquam pene ab hæresi ipsa resipiscitur.

Manichæis parum dissimiles.

Si relegas hæreses ab AVGVSTINO digestas, nulli magis quàm Manichæorum reperies conuenire. Quæ olim cœpta à doctioribus, residuum demisit ad rusticos, qui vitam se Apostolicam tenere iactantes, eorum actus solos legere amplectuntur.

A Domino ergò Suessorum Pontifice viro clarissimo LISIARDO præfati duo ad examen vrgentur. Quibus cùm ab Episcopo ingereretur, quòd conuentus præter Ecclesiam facerent, & hæretici ab affinibus dicerentur; respondit CLEMENTIVS: Num legistis Domine, in Euangelio, vbi dicitur: *Beati eritis*? Cum esset enim illiteratus, quòd eritis significaret hæreticos æstimabat. Putabat etiam quod hæretici dicerentur, quasi hæreditarij, haud dubium quin Dei. Cum ergò discuterentur quid crederent, Christianissimè responderunt, conuenticula tamen non negarunt. At quia talium est negare, & semper hebetum clam corda seducere, addicti sunt iudicio exorcizatæ aquæ. Cúmque in ipso apparatu rogasset me Episcopus, vt ab eis secreto quid sentirent elicerem, & eis baptisma infantium proponerem, dixerunt: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit.* Cúmque in bona sententia magnam quantum ad ipsos intelligerem latere nequitiam, interrogaui quid putarent super his qui sub aliorum fide baptisantur. Et illi, propter Deum ne nos adeò profundè scrutari velitis. Itidem ad singula capitula addentes, nos omnia quæ dicitis credimus. Tunc recordans versus illius, in quem Priscillianistæ olim consenserant, scilicet.

Ad iudicium vocantur ab Episcopo Sues.

Marc. 16. 6.

Coram Guiberto interrogantur.

Iura, periura, secretum proderenoli:

Augustin. de hæres. c. 70.

Dixi ad Episcopum: Quoniam testes absunt, qui eos talia dogmatizantes audierunt, cœptis eos addicite iudicio; erat enim matrona quædam, quam per annum CLEMENTIVS dementauerat. Erat & Diaconus quidam, qui ex præfati ore alia capitula maligna audierat.

Missas itaque egit Episcopus, de cuius manu sub his verbis sacra sumpserunt: Corpus & sanguis Domini veniat vobis ad probationem hodie. Quo facto, pijssimus Episcopus, & PETRVS Archidiaconus vir fide integerrimus, qui vt non subiicerentur iudicio, eorum promissa respuerat, ad aquas procedunt. Episcopus cum multis lacrymis letaniam præcinuit, deinde exorcismum fecit. Inde Sacramenta dedere se numquam contra fidem nostram credidisse, aut docuisse. CLEMENTIVS in dolium missus, ac si Virga supernatat. Quo viso, infinitis gaudiis tota effertur Ecclesia. Tantam enim sexus vtriusque frequentiam opinio ista conflauerat, quantam inibi nemo præsentium se vidisse meminerat. Alter confessus errorem, sed impenitens, cum fratre conuicto in vincula conicitur. Duo alij è Durmantiis villa probatissimi hæretici ad spectaculum venerant, pariterque tenti sunt. Interea perreximus ad Beluacense Concilium, consulturi Episcopos quid facto opus esset. Sed fidelis interim populus clericalem verens mollitiem concurrit ad ergastulum, rapit, & subiecto eis extra vrbem igne pariter concremauit. Quorum ne propagaretur carcinus, iustum erga eos zelum habuit Dei populus.

Probatur eorum fides per Sacramentum & aquam.

Populus hæreticos igne absumit.

CAPVT XVII.

APud Nouiomum Ecclesia est parochialis, in Beati NICHASII honore ab ALDVINO quondam Episcopo dedicata. Ipsæ etiam eius reliquiæ istuc à Remensibus deportatæ aliquamdiu quieuerunt, non dico in prædicta Ecclesia, sed in vrbe. Ante hoc ergò fermè quinquennium, cùm imminens Martyris festiuitas iussa esset à Presbytero debitis feriis honorari, quædam ea die paupercula sola degens sub matre puella, suendi quippiam præsumpsit opusculum. Quæ cùm manibus suenda coaptans filum per linguam, vt assolent, & labra protraheret, fili nodus, qui multæ erat grossitiei, ac si id præacutum linguæ summitati adeò inseritur, vt nullatenus exinde eximi posset. Nam si ab aliquo tentaretur euelli, immodicis misera angustiis angeretur. Cum frequẽtia igitur populari calamitosa illa ad Episcopalem Ecclesiam, Reginę Martyrum misericordiam precatura non verbis, cum matre progreditur. Loqui enim filo linguam terebrante, ac inibi dependente vix poterat. Quid plura? Turba quidem vulgi lacrymosè compatiens domum rediit, postquam diu laborantẽ puellulam multúmque spectauerat. Illa die ipso cum nocte sequenti perseuerans in petendo, comite matre remansit. Postridie cùm Dominam cœlorum ac terræ præcordialissimis precibus pulsauissent, & sicut ANSELLVS Presbyter Ecclesiæ sacrista mihi retulit, letaniam matre prænuntiante, filia submurmurante, ac si scirent literas mirabili ordine texuissent, filia ad Matris Virginis altare progreditur, flebiliterque complectitur, moxq; filum inter oscula crebra laxatur. Ad theatrũ tantæ gratiæ Clerus & populus accersit, infinitis laudibus cum Deo Virgo Mater attol-

al. *Hardnino.*

Puella festo die S. Nicasij suere præsumens dat pœnas.

Huic opem fert B. Virgo.

litur, quæ in eo Reginam Martyrum se probauit, quòd commissam in Martyrem culpam pro se sic vlta est, sicut motum denique suum in satisfactione placuit. Nec parum Martyris nobilitas claruit, qui in eo quod pauperculam humilem puniit, quãtum superbos, qui sibi aduersantur, aduersetur innotuit. Hoc in eadem qua factum est Ecclesia, mihi & relatum, & filum miræ grossitiei cum nodo adhuc cruento à præfato presbytero ostensum. Simile quid etiam in die Annunciationis Beatæ Mariæ nostra ætate est actum, quod à RATBODO vrbis Episcopo constat scriptum.

In hac ipsa Nouigenti, cui Deo authore seruimus, Ecclesia, miles quidam rapinam fecerat, fratrum scilicet boues abduxerat, Caluiacumque Castrum deueniens, vnum de bobus comedendum à se, vt putabat, cõplicibusque decoxerat. Ad primum ergò quod de carnibus illis ori intulit, diuina virtute percutitur, & vterque ei inter mastigandum oculus à fronte, & ab ore lingua exprimitur; sicque eo damnato vellet nollet residua præda reducitur.

Milites qui Nouigenti res abstulerant à Deipara plectuntur.

Alter contigui fluuij partem, qui Aquila nuncupatur, piscationi suæ ascribere nitebatur, quæ ex antiquo præfati loci fratribus debebatur. Cumque fratrum piscator ab illa parte fluminis per ipsum militem omnino absterreretur & pro hoc Ecclesia multis placitis vrgeretur, à Domina præpotenti in membris aliquibus paralyseos valetudine conquassatur. Sed hoc cùm fortunæ, non vltioni diuinæ ascriberet, dormienti illi Piissima Virgo astitit, & aliquot ei alapas non sine seueritate in facie dedit. Qui exinde experrectus, & ex verbere sensatior factus, illico nudipes ad me venit, veniam petit, quid Beata Maria animositatis sibi intedisset, aperuit, vsurpata remisit. Hoc vnum didici, quod nemo isti Ecclesiæ infensus fuit qui non ad euidens detrimentum venerit, si perseuerare delegerit.

Apud Compendium quidam Præpositus regius aduersabatur Ecclesiæ Beatæ MARIÆ, & Beatorum CORNELII & CYPRIANI. Quem cùm foro medio Clerici conuenirent, & ex nomine tantæ Dominæ, tantorúmque patronorum, ne id faceret denunciarent; ille sacris in nullo deferens nominibus, fœdè rogantium ora exprobrando confudit: sed inter ipsa verba, cùm equo insideret, ruit, & sordidissimas bracas, quibus cingebatur, ventris profluuio mox sub se respexit.

Itidem compendij.

Et quia de reuerentia Sanctis exhibenda dicere cœpimus, municipium est in eodem pago Beluagensis Episcopii, quod Sancti IVSTI vocatur. In quo, cùm seditio mota fuisset, & enormi insolentia viles quique clientuli cùm Burgensibus baccharentur, Clerici sancti pueri ac martyris IVSTI reliquias ad sedendum populum in loculo detulerunt. Cui quidam oportunior cæteris reuera parasitus cùm se retulisset obuium, gladium irreuerens & nequam sacratissimo loculo intulit. Qui dicto citius in terram ruens, fœtida, vt ille superiùs, alui manatione computruit.

S. Iusti reliquias percutiens mulctatur.

In eodem Bellouagensi pago apud quamdam villam quidam Presbyter regebat Ecclesiam. Quem dum quidam rusticus nimis insectaretur odio, adeò inualuit, vt eum tradere niteretur exitio. Quia ergò palam non poterat, hunc veneficio corrumpere parat. Bufonem ergo per membra discissum in fictilem eius ampullulam, qua vinum ad Missas seruare consueuerat, trusit. Solent autem huiusmodi ad id operis vasa fieri, vt arcto & productili collo, ventre proiectiora existant. Ad Missas ergo Presbyter veniens, vino illo iam veneficato mysteria sacra egit. Quibus expletis mortifera cœpit exanimatione deficere, fastidire cibos, mansa bibitaque reiicere, & omnino tabescere. Postquam autem diu lecto decubuerat, tandem vix elaborauit exurgere, veniensque ad Ecclesiam, vas vnde morbi originem se sumpsisse cognouerat, tenuit, cultroque collum obterens quidquid intro latebat humoris per pauimenta profudit. Erat autem idem videre iam ex consecratione ...... semen bufunculis vberrimè plenum. Comperit homo quod præcordia sua mortibus essent addicta, & dum desperatissimè præstolatur imminentia fata, accipit hæc à quodam consilia. Si vis, ait, pestifera quæ concepisti egerere, aut de sepulchro Marcelli Parisiorum Pontificis, aut de altari eius puluerem tibi afferri quære, quem dum cum aqua hauseris, de tua protinus salubritate confide. Quod cùm ille facere maturasset, sacros cum multis ad Sanctum affectibus pulueres ebibit: nec mora cum omni circumstanti virulentia infinitorum reptilium globos egessit, malúmque vniuersum reddita sospitate recessit. Nec mirum si Deo præsens Marcellus hæc peragat, qui ab eo corporis interstitio absens olim non minora in simili repatrarat.

Presbyter penè veneno extinctus B. Marcelli meritis sospitati redditur.

CAPVT XVIII.

Quæ dicturus sum nostris inaudita temporibus relatione cuiusdam religiosi ac verè humilis Monachi accepi: qui quidem IOFFREDVS vocatur. Samurensis quondam castri & aliorum castrorum in Burgundia dominus fuit, cuius vita quia ve-

f. * per fi. Quidam dæmonis suasione sibi mortem consciuit, sed per S. Iacobum ad vitam reuocatur.

ro cognata dignoscitur, verba sua * . . . . . . conferenda putamus. Relatio autem sic se habet. Iuuenis quispiam in superioribus terrarum sibi contiguarum partibus fuerat, qui fœminæ cuidam non vxorio, id est debito, sed vsurario, vt secundum Solinum loquar, id est, indebito amore cohæserat. Is aliquando aliquantisper resipiscens ad sanctum IACOBVM Galiciam orationis gratiâ meditatur abire. Sed in ipsa piæ intentionis massa quiddam fermenti inseritur: nam cingulum mulieris secum in illa peregrinatione asportans, eo pro eius recordatione abutitur, & recta eius oblatio non iam rectè diuiditur. Inter eundum ergò diabolus occasionem incursandi hominem nactus, apparet ei in specie Iacobi, & ait: Quò tendis? Ad Sanctum, inquit, Iacobum. Non bene, ait, vadis. Ego sum Iacobus ad quem properas, sed rem meæ dignitati tecum indignissimam portas. Cùm enim in totius fornicationis volutabro hactenus iacueris, modo pœnitens vis videri, & quasi aliquem boni initij prætendens fructum, ad meam te tendere præsentiam profiteris, cùm adhuc illius obscænæ muliercula tuæ balteo accingaris. Erubuit homo ad obiecta, & credens reuera Apostolum, infert. Scio domine quondam me & nunc etiam flagitiosissimè operatum, dic quæso quid ad tuam clementiam proficiscenti consilij dabis. Si vis, ait, dignos pro perpetratis turpitudinibus fructus pœnitudinis facere, membrum illud vnde peccasti, veretrum scilicet, pro mea & Dei fidelitate tibi abscinde, & postmodum ipsam vitam, quam malè duxisti, tibi pariter desecto gutture adime. Dixit, & ab oculis eius se subtrahens in multa mentis hominem peruersitate reliquit.

Ad hospitium igitur nocte perueniens, diabolo, non vt putabat, Apostolo, qui se monuerat obedire præproperat. Dormientibus itaque sociis mentulam sibi primò præcidit, deinde cultrum gutturi immergit. Cùm stridorem morientis, & crepitum sanguinis prorumpentis comites subaudissent, exciuntur à somno, &, lumine adhibito, quid circa hominem factum fuerit vident. Mœrent denique, tam funestos sodalis sui exitus attendentes, sed quid à dæmone consilij acceperit nescientes. Quia ergò quâ id causâ ei contigerit, ignorarunt, tamen illi curam exequiarum non negarunt; quódque taliter mortuo indebitum fuerat, pro comperegrino, vt videbatur, suo Missarum officia celebrari mandarunt. Quibus ad Deum fideliter fusis, placuit Deo, vt resarcito vulnere gutturis, vitam per Apostolum suum repararet extincto. Exurgens igitur homo, & cunctis supra quàm dici potest rediuiuum stupentibus fari incipit. Sciscitantibus itaque qui aderant, quid animi in se interficiendo habuerit, de diabolica sub Apostoli nomine apparitione fatetur. Inquisitus quod iudicium post sui homicidium in spiritu censura subierit, ait: Ante Dei thronum sub præsentia communis Dominæ Dei genitricis Virginis MARIÆ, vbi & patronus meus Apostolus Sanctus Iacobus aderat, delatus sum. Illic cùm quid de me fieret coram Deo tractaretur, & Beatus Apostolus memor intentionis meæ, licet peccatricis, & adhuc corruptæ, pro me Benedictam illam precaretur, ipsa ex ore dulcissimo sententiam protulit, homini misero indulgendum fore, quem malignitas diaboli sub sancta specie sic contigit corruisse. Sic me in sæculum * hæc euenit ad mei correctionem, & horum denuntiationem, Deo iubente rediisse. Senior ergò, qui hæc mihi retulit, abeo qui rediuiuum viderat se audisse narrauit. Nam ferebatur etiam quòd cicatrix euidens & insignis illi remansit in gutture, quæ miraculum circumferret, & abrasa tentigo pertulusum, vt sic dicam, ad vrinas residuum habuisset.

Delato ad iudicium Mater Dei veniã impertitur.

f. * hoc.

Monachus quòd Monasterium mutasset, obita morte ad thronum Dei adducitur, iubeturque ad seculum redire agẽdæ causa pœnitẽtiæ.

Celebris quoque relatio est, sed nescio vtrum syllabis vspiam commendata, quòd quidam ad sanctæ conuersationis habitum ex laïco, nisi fallor, cõuersus, in aliquo monasterio accesserat, professionísque inibi se sacramento deuinxerat. Qui minorem illic regulæ obseruantiam, quàm volebat, considerans, exacta ab Abbate licentia in aliud quasi religiosius se contulit, ibíque deuotione quamplurima vixit. Qui post tempus aliquod in valetudinem incidit, ex valetudine obiit. Qui à præsentibus excedens diuersarum potestatum altercationem mox incidit. Nam contrariis virtutibus primæ professionis irruptionem causantibus, lucis spirituum ratio, quæ super bonæ actionis eius testificatione innitebatur, plurimum obtendebatur. Ad PETRI ergo cœlestis ianitoris audientiam quæstio prouocatur, sed à PETRO protinus huiusmodi contentio ad diuina ora refertur. Re igitur ad eum sic delata, dicit Dominus: Ite ad RICHARDVM Iusticiarium, & pro sententia quam tulerit facite. Fuit autem isdem RICHARDVS vir summè potens in terrenis possessionibus, sed multò potentior in æqui, iustíque tenoribus.

Ad RICHARDVM venitur, causa edicitur, sententia à Richardo depromitur. Quoniam, inquit, sponsionis tenetur reus, periurium euidens incurrisse dignoscitur, nec in causam iustam habent dæmones, quamvis eis multum iustæ hominis obuient actiones. sed mea ex Deo censura denunciat, vt hæc emendaturus ad sæculum redire debeat. Ad superos itaque ille pridem, funus emergens, Abbatem euocat, quid viderit insi-

nuat, culpam desertionis ac periurii publicè fassus, ad pristinum monasterium reuertitur. Vnde nouerit omnis qui vspiam quocumque sub Dei nomine se mansurum stabiliter profitetur, obseruet quæ Deo & Sanctis pollicetur, quia locum mutare non debet, nisi ab iis qui sibi non præsunt, malè agere compellatur.

Fœnerator æternùm periit.

Quoniam de qualitatibus morientium loqui aloquotiens vtile est, Lauduni homo quidam fœnoribus vndecunque deditus erat, cuius finis dignam cum exitio vitam egisse monstrat. Nam in extremis agens, cum à paupercula quadam, persoluto iam debito, vsuras exigeret, & illa cùm per imminentem sibi exitum obtestans, vt remitteret, imploraret, quod ille pertinacissimè abnegaret, illa in arcto posita quidquid erat fœnoris acceptum mutuò, præter vnum denarium, comportauit. Cúmque & solum illum remitti sibi peteret, iurat neutiquam se ille facturum. Quid remorer? Quæsiuit illa quem vix valuit reperire denarium, & in vltimo carnis spiritusque conflictu iam stridenti infert. Quo ipse moriens sumpto sibi in os posuit, quem dum quasi viaticum deglutisset, animam exhalauit, & ad diabolum sub tali tutore migrauit, vnde & à sacris locis meritò extorris iacuit.

Alterius itidem fœneratoris anima traditur dæmonibus.

Apud Attrebates quid acciderit super huius moris homine attexam. Is crumenas suas turpibus longo tempore infercierat lucris. Tandem metallorum plurium montibus cumulatis, supremas attigit horas. Et ecce in hominis specie diabolus aduenit, bouem nigrum præ se ducens. Qui morientis lectulo astans: Dominus, inquit, meus hunc tibi bouem mittit. Cui æger: Gratulor, ait, domino meo pro munere. Vade, inquit ad vxorem suam, & homini qui bouem adduxit appara quod comedat, bouem autem intromitte, & bene asserua. Dixit, & extemplò efflauit. Interim tamen homo tanquam comesurus, inquiritur, bouíque pabula deferuntur, sed neuter reperitur. Factum ergò cuncti mirantur & horrent, nec boni quippiam tales munerum missiones portendere censent. Funere apparato, & corpore in libitina locato, processio clericorum consueta mortuis officia præbiturorum domum vsque peruenit. Sed dæmones famulo suo exequias celebrantes tantam aëris turbam in eorum aduentu exsuscitant, vt repentinus turbo cùm serena essent omnia frontem domus, quam *Ymbergam* dicunt, penè subuerteret, & partem lecticæ im medio positæ subleuaret. Hæc de talibus pauperum corrosoribus dixisse sufficiat.

Vnde tanta illo in tempore dæmonum potestas.

Nemo autem miretur, quòd idem maligni spiritus in ludificandis, aut lædendis hominibus, hoc tempore multum possunt; nimirum quia quæ faciunt, bestialiter, & non in nomine Domini faciunt. Vnde in pago Vilcassino non ante multos annos factum comperimus, quia scilicet cuiusdam de loci proceribus homines alicubi sub eadem regione venabantur. Taxonem ergò malè fugacem caueæ intrudentes, immò cùm dæmonem intrusissent, intrusisse putantes, sacco excipiunt. Quem summa vi inde eximentes & plus quàm animal illud patitur, ponderosum sentientes, cùm asportare nocte iam incidente cœpissent, ecce vox à monte contiguo per mediam syluam ruit. Audite, inquit, audite. Cúmque altrinsecus post ipsos plurimæ succlamassent voces, quid illud? Vox denuò intulit. Caduceum, inquit, hunc portant; qui forsitan sic & meritò vocabatur, & multos cadere fecit. Quo dicto infinitæ dæmonum copiæ vndecumque quasi ad eruendum proruunt in tantum, vt nemus vniuersum ex frequentia obrui videretur. Diabolo ergò, quem ferebant, non Taxone proiecto, penè amentes effecti fugam ineunt. Qui domum venientes, nec mora temporis mortui sunt.

Venatores diabolum loco feræ capiunt.

In ipsa prouincia rusticus quidam crure intecto, pedibus nudis, super fluminis crepidinem, dum è labore rediret, extrema sua lauaturus sabbatho vesperascente desederat. Mox ab imo aquæ ipsius, in qua diluebat vestigia, diabolus eius pedibus innexuit. Cũque rusticus se ligatum sentiens à vicinis adiutorium inclamasset, & ad domum propriam delatus fuisset ab eis, cœperunt rude hominum genus omni artificio agere, si quomodo valeret cõpedes terere. Dui ergò circa hunc inutilem circuitum eluctantes nihil efficiunt, suos quique nisus eludunt. Spiritualia enim spiritualibus comparanda sunt. Tandem post rotatus diuturnos homo se inter eos peregrinus immiscuit, ad compeditum ipsis spectantibus sese proripuit, & in momento resoluit. Quo facto expeditè recessit, nec quis esset interrogare licuit. Dæmonia autem mulierum amores, & ipsos etiam concubitus affectantia vbique affatim celebrantur, & nisi puderet, à nobis plurima dicerentur. Sunt quoque quædam in nequitiis infligendis atrocia, aliqua vero solis contenta ludibriis. Sed stylum iam ad lætiora vertamus.

CAPVT XIX.

Abbas corpus S. Edmundi curiositate ductus inspiciens manuum contractione corripitur.

Apud Anglos beatissimus martyr EADMVNDVS Rex, sicut quondam & nunc quoque prodigiosus existit. Taceo de eius corpore pigmentis non hominum, sed cœlestibus hactenus incorrupto, in quo ac si

viuentis vnguium ac crinium excrementa miramur. Sed illud dicere est, quod in tanto miraculo positus à nemine patitur se videri. Abba eius loci nostrorum temporum quidam per se scire voluit, vtrum caput olim in passione decisum corpori foret, vti vulgabatur, vnitum. Actis itaque cum suo Capellano ieiuniis detexit, aspexit quæ prætulimus, carnibus nusquam flaccentibus, ac si dormientis omnia visus & tactus periculo addidicit, alter à capite, alter à pedibus vtrum haberet attraxit, solidumque cognouit, sed mox vtriusque manus perpetua imbecillitate contabuit.

Mira adhuc dicam. Capreolum in monasterio monachi à paruo nutrierant. Qui cùm pecuali lasciuiâ, hacillacque per ædificia, ipsamque Ecclesiam oberraret *, casu tibiam fregit. Cúmque tribus claudicans pedibus pedentim quo poterat modo excursitans loci omnia peragraret, fortè ingressus Ecclesiam ad martyris feretrum ire contendit. Cui mox vt bestiali curiositate se subdidit, tibiæ sanitatem recepit. Quid faciet pius martyr, si petatur fideliter in humana natura, qui liberalitatem ingenitam, & vt rectius dicam, serenitatem regiam sic ostendit in fera?

Capreolus ad eius sepulchrum sanatur.

Et Sanctus WITONVS apud vrbem Wintonium se in signis huc vsque præbuit efficacem. Nam non ante multa tempora monachus vtramque horribiliter exulceratus manum, vt hac in parte esset elephantioso omni deterior, eo prorsus ad omnia erat destitutus officio. Cui Sanctus, cùm à suis absentatum vigiliis hac de causa nocte offendisset, apparuit, & generali cur abesset psallentio acquisiuit. Illico ille torturam & purulentiam manuum occasionem absentiæ sancto suggessit. Porrige, inquit, huc manus. Quibus exporrectis, Sanctus vtramque constrinxit & vniuersam scabiosam illam cutem ab eo quasi chirothecas extraxit, & leuiorem pueruli carne substituit.

S. Vitonus vlceratas manus sanat monacho.

Brachium Beati ARNVLFI Martyris in oppido vnde eram oriundus habebatur, quod à quodam locis illis illatum cùm oppidanos reddidisset ambiguos, ad probationem ignibus est iniectum, sed exinde saltu subito est ereptum. Succiduo denique tempore, quidam consobrinus meus, de castri primoribus, grauissima est passione percussus. Cui brachium beati Martyris cùm fuisset ingestum, valitudo loco se mutans ad tactum eius locum ferebatur in alium. Cúmque vis illa diffugeret, & fugienti è vestigio sacri brachij tactus insisteret, ad vltimum post aliquot in vultu membrísque discursus, in ipso iuguli scapulartúmque confinio, tota morbi illius violentia euagans, sublata

Igne probantur. Reliquiæ S. Arnulphi. Consobrinum Guiberti incolumitati restituunt.

A paululum in modum muris cute, pariter glomerata sine dolore delituit. Cuius rei causa quotannis omnes Clericos, qui eius festiuitati intersunt, eo die, quoad vixit, lautissimè pauit, eiusque posteri facere hodieque non desinunt. Quod brachium aui mei non vxor, sed familiaris quædam ad tales fœmina satis solers ad sæculum opimo auro lapidibusque contexit.

Gusia huius Laudunensis pagi castellum est, in quo beati ARNVLFI itidem brachium esse dicitur. B Quod fures cùm direpto Ecclesiæ thesauro pariter diripere voluissent, iamque tenerent, de eorum sese manibus extorsit, nec vspiam ferri quiuit. Hoc ipsi fures, cum residuis quæ asportauerant deprehensi, hora ipsa, qua erant efferendi in furcas, confessi sunt. In auro, quo ipsum colitur brachium, locus est, qua nullo inclusorum artificio gemma vlla potuit cohiberi. Inserta enim nec mora laxabatur. Mutata cùm opifice, & opifex ac opificium cassabatur.

Guise. Aliud Arnulphi miraculum.

C LEODEGARIVM martyrem signis egregium, ad subuentiones alacrem non nescimus. Ego enim adhuc pusio, optimè tamen horum memor, sub matre agens diebus paschalibus febre quotidiana atrociter æstuabam. Sub oppido autem erat Ecclesia sub nomine Sanctorum LEODEGARII & MACHVTI, cui continuum olei lumen mater mea fide humili ministrabat. Cùm ergò quidquid penè est victuum, fastidirem, euocatis ipsa duobus Clericis, Capellano suo, & magistro meo, sub eorum custodia D eò me deferri præcipit. Iuxta prauitatem verò veteris vsus, Ecclesia illa ad ius eius pertinebat. Venientes illuc ergo Clerici, stratum ante altare sibi & mihi nocte illa fieri impetrarunt. Ecce nocte media intra eamdem Ecclesiam cœpit terra quasi malleis concuti, aliquotiens feræ arcarum cum multo strepitu circumuelli, crepitus aliquando quasi virgarum super arcas audiri. Clerici verò à sonitu experrecti, cœperunt multùm ne timor in deterius me verteret, formidare. Quid plura? eis mussitantibus subaudiui tamen, E ex eorum contubernio, & lampadis prælucentis solatio, parcè timui. In his noctem transiens, ita sospes ad matrem redij, ac si nihil incommodi pertulissem, & qui pridem lautissima horrueram, cõmunem iam promptus ad cibum, non minor sum repertus ad pilam.

B. Leodegarij meritis à febri leuatus.

Matris ipsius duo Capellani Clerici.

Rex Anglorum senior GVILLELMVS turrim in Ecclesia magnifici DIONYSII (cuius, quam futura plurima, si perficeretur ac persisteret, fuerat magnitudo) ex suis strui fecerat. Quod opus quoniam ab artificibus minus erat ordinatè contextum, videbatur in dies

Obscura.

in dies sui parturire ruinam. Cumque plurimum ab IVONE tunc temporis Abbate & à Monachis timeretur, ne veteri damnum Basilicæ noui operis ruina infligeret (erat autem ibi beati EADMVNDI altare, & quorum nescio aliorum) talis visio solicito Abbati se intulit. Honestæ multùm habitudinis dominam in medio Beati Dionysij Ecclesiæ stantem videbat, quæ sacerdotali more exorcismum aquæ faciebat. Cumque Abba fœminæ auctoritatem miraretur, quæ insolita faceret, contemplabatur; quod post aquæ benedictionem eam hac illácque dispergeret, póstque dispersionem, qua dispersérat, circumquaque signum Crucis exprimeret. Nec mora temporis turris ruit, sed nullam Ecclesiæ partem, dum rueret, læsit. Illa enim Benedicta inter mulieres, cuius ventris benedictus est fructus, sua eam benedictione iuxta Abbatis visa munierat. Aliàs ergò ruens hominem subter ambulantem operuit. Cùm itaque compertum esset omnibus virum lapidibus adopertum, humanitatis causâ congeriem ab eo dimouere cœperunt. Tandem exhaustis cæmenti & saxorum mõtibus, peruenitur ad illum: quem, mirum dictu, sospitem, alacrémque reperiunt, ac si domi desedisset. Quadri nempe è regione alter alteri sese compaginantes, ipsi ædiculam confecerunt. Non ergò ei sub diutina nescio quot dierum inibi mora fames, non metus, non insolentissimus excluso homini calcis odor offecit.

Excellentissimam igitur MARIAM cœlorũ ac terræ patronam, cum Dionysio totius Franciæ Domino*, libri ponamus clausulam. (f. * innocentes.)

FINIS.

APPENDIX
AD LIBRVM TERTIVM
Venerabilis Guiberti Abbatis de vita sua.

HERMANNI MONACHI

DE MIRACVLIS B. MARIÆ LAVDVNENSIS.

De Venerabilis Bartholomæi Epiſcopi, & S. Nortberti geſtis,

LIBRI TRES.

EPISTOLA HERMANNI MONACHI AD BARTHOLOMÆVM Laudunenſem Epiſcopum.

VEnerabili Patri, & Domino ſuo, Domno Bartholomæo, Dei gratia Laudunenſis vrbis Epiſcopo: frater HERMANNVS *omnium Monachorum peripſema, ſummis Pontificibus in cæleſti ſociari curia.*

Quàm nobili genere ortus Bartholomęus

Cum dudum in Hiſpaniam ad videndum glorioſum Regem HILDEFONSVM, Feliciæ materteræ veſtræ filium, profectus, fœliciſſimum ab eo promiſſum ſuſcepiſſetis; quòd ſi ſecundò ad eum videndum reuerteremini, daret vobis corpus B. VINCENTII Leuitæ & Martyris, necnon & caſulam pretioſiſſimam, quam Beata Dei Genitrix S. HILDEFONSO Toletanæ ciuitatis Archiepiſcopo dederat, ob remunerationem trium libellorum, quos de virginitate ſua compoſuerat: cœpiſtis à mea paruitate quærere vtrum eos denique libellos alicubi vidiſſem, vtque eos vbique perquirerem ſtudioſiùs præcepiſtis. Cum verò eos in vrbe Catalaunenſi fortè reperiſſem & vobis renunciaſſem, protinus pergamentum comparatum mihi tradidiſtis, méque ad præfatam vrbem propter eos tranſcribendos direxiſtis.

Hermãnus vitam & libros S. Hildefonſi deſcripſit; quibus Miracula B. Virginis ſubiunxit. Quare nomen ſuum haud præfixerit Auctor. Bartholomæi curâ per SS. Norbertũ & Bernardum 10. Monaſteria cõſtructa in diœceſi Laudunenſi.

Scripſi ergò primò vitam eiuſdem Hildefonſi: deinde præfatos eius libellos ſubiunxi. Quibus ſcriptis, addidi miracula, quæ præfata Sancta Dei Genitrix in Francia, & Anglia fecerat per Reliquias ſuas, quæ in Laudunenſi ſeruantur ipſius Eccleſia. Hæc ergò miracula iuſſu quidem paternitatis veſtræ compoſui, ſed vt maioris auctoritatis eſſent, & à nullo propter dictaminis ruſticitatem deſpicerentur, paruitatis meæ nomen illis prætermittere nolui, ſed ſub nomine Canonicorum eius Eccleſiæ ea prætitulaui. Poſt ipſa quoque miracula ſubiunxi, quo modo diuina miſericordia in diebus veſtris nouem, immò decem Monaſteria veſtro labore conſtrui fecerit per Domnum NORBERTVM, Domnumque BERNARDVM Abbatem Claræuallenſem, quorum nullum fuerat tempore quadraginta trium Epiſcoporum prædeceſſorum veſtrorum: vos autem ſingulis conſtructis Abbates præfeciſtis: nec tamen antiquiora quæ inueniſtis corrigere deſtitiſtis. Et ſi vita mihi Comes Deo volente fuerit, etiam alia quæ in diebus veſtris contigerunt, vel contingere videro, ſubnectere propoſui. Hunc ergò librum veſtræ Paternitati & Eccleſiæ Laudunenſi relinquo in memoriam meæ puſillitatis, vt particeps ſim bonorum, quæ in ea facta fuerint.

LIBRI PRIMI

MIRACVLORVM BEATÆ MARIÆ LAVDVNENSIS

CAPITVLA.

LIBER PRIMVS.

MIRACVLORVM SANCTÆ MARIÆ LAVDVNENSIS

CAPVT PRIMVM.

De prosperitate, & aduersitate Laudunensis Ecclesiæ, & interfectione GVALDRICI *Episcopi, &* GIRARDI *de Cyrisiaco, & succensione duodecim Ecclesiarum.*

Hermãnus hic loquitur sub nomine Canonicorũ Laudun. vt ipse indicauit in Epistola nuncupatoria.

VNIVERSIS Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis per totum orbem terrarum dispersis, Beatæ MARIÆ Laudunensis Ecclesiæ Canonici, videre Deum Deorum in Sion. quoniam iuxta Beatum PAVLVM Apostolum tota Sancta Ecclesia vnum Christi corpus est, & huius corporis membra sunt diuersæ Ecclesiæ, vel singuli fideles; dúmque patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, & dum glorificatur vnum membrum congau- A dent omnia membra, tribulationem, & dolorem, quem inuenit Ecclesia nostra in diebus nostris, & consolationem, quam per Dominam nostram Sanctam Dei genitricem post tribulationis luctum recepit, vestræ scribendo notificamus dilectioni, quatinus & vos congaudentes nobis, Deo, & piæ Matri eius gratias agatis.

S. Remigius Cathedralis Ecclesiæ Laudun. fundator.

Laudunensem itaque Ecclesiam certum est inter precipuas Regni Francorum Ecclesias antiquitùs fuisse celebrem, quam Beatus REMIGIVS Remorum Archiepiscopus, sicut in eius vita legitur, ex propriis

1. Episcopus S. Genebaudus seu Genebaldus.

redditibus locupletauit, nobilissimumque & strenuissimum virum Sanctum GENEBAVDVM in ea primum Episcopum consecrauit: cumque ab eius tempore vsque ad nostram ætatem, per quingentos ferè & eò amplius annos, in magna prosperitate floruisset; ecce in diebus LVDOVICI Regis Francorum, qui fuit filius PHILIPPI Regis, pater autem Ludouici Iunioris; duram iusti iudicis Regis Regum experta est animaduersionem. Sicut enim quondam per Dauid Regem, filiumque eius Salomonem omnipotens Deus vrbem Ierusalem excellenter glorificauit, sed postmodum propter peccata inhabitantium, per Nabuchodonosor Regem Babylonis funditùs destrui permisit, sic etiam Ecclesiam nostram, quam, vt prædictum est, per multa tempora insigni gloria sublimauerat, in diebus nostris non quidem ex toto destrui, sed nimia passus est tribulatione vexari, ita vt de ipsa quoque veraciter illud propheticum dici possit; *Quoniam suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.*

Hanc autem tribulationem quædam perturbatio præcessit, quæ futuræ calamitatis quasi seminarium, & radix, ac prænuntia visa est extitisse. Quidam siquidem nobilis Princeps & castellanus Laudunensis, nomine GERARDVS de Cyrisiaco, dum in eadem Sanctæ Genitricis Ecclesia genibus flexis suppliciter oraret, ab inimicis suis, qui eum aggredi non audebant, dolosè circumuentus, & ab oratione surgens, diuersis gladiorum plagis ibidem est interfectus. Cuius sanguine pauimentum Ecclesiæ respersum, cùm multotiens aqua superfusa non posset ad plenum ablui, pluresque spectatum venientes non parum super hoc admirarentur: vir sapientissimus magister ANSELMVS, tunc temporis Ecclesiæ nostræ Canonicus & Decanus, per totum penè orbem Latinum scientiæ, & eloquentiæ suæ fama notissimus, nonnullis secretè colloquens prænunciasse fertur, illam sanguinis effusionem, nonnisi eiusdem Ecclesiæ concrematione diluendam, quoniam tantum scelus non aqua, sed potius igne foret expiandum.

Gerardus de Cerisiaco interficitur.

Latiùs hæc lib. 3. vitæ Guiberti attexuntur.

Anselmus longè doctissimus prænũciat Ecclesiæ conflagrationem.

Nec fefellit virum prudentem sua opinio: post modicum etenim tempus, Deo permittente, diabolo stimulante, domnus GVALDRICVS eiusdem vrbis Episcopus, seditione subitâ à ciuibus concitatâ, in domo sua cùm quibusdam ex militibus suis crudeliter occiditur: præfata Sanctæ MARIÆ Ecclesia, cùm aliis propinquioribus decem ferè Ecclesiis; domus quoque adiacentes Episcopi, atque Canonicorum, multorumque ciuium igne supposito concremantur: tota insuper vrbis Laudunensis, ciuibus per varia loca dispersis, penè vsque ad internecionem destrui videtur; ita vt multi per eam transeuntes, ruinasque eius & cineres aspicientes, præ nimia compassione lacrymas funderent, illâ Ieremiæ Lamentationẽ super ea non incongruè replicantes: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium.* Quemadmodum autem olim Dominus vrbem Ierusalem destrui, & filios Israël captiuari permittens, ad consolationem tamen paucorum, qui remanserant, Ieremiam Prophetam ibidem cum eis reliquit, sic & nobis in tanta calamitate positis, duos sapientissimos viros, præfatum scilicet Magistrum ANSELMVM, germanumque eius magistrum RADVLPHVM misericorditer reseruauit, qui tàm clericos, quàm laïcos dulciter consolantes, & diuersis sententiis Scripturarum refouentes, ne in tribulationum aduersitatibus deficerent, exhortabantur.

Gualdricus Episcopus nece afficitur. *Vide Guibertum loco citato.*

CAPVT II.

De electione Domini BARTHOLOMÆI *Episcopi; & nobilitate eiusdem.*

INter consolationum tamen colloquia, cum sapientibus, & religiosis viris diligenter & sollicitè discutientes, vtrumnam aliquem inuenire possent, per quem tam miserabilis, & horrenda clades reparari valeret: tandem inspirante Deo repererunt salubre consilium, vt ad eiusdem vrbis Episcopatum eligerent domnum BARTHOLOMÆVM, Remensis Ecclesiæ Beatæ MARIÆ Canonicum, & Thesaurarium, tam generis nobilitate, quàm & morum probitate, in Remensi, Laudunensique Prouincia famosissimum. Cognatorum siquidem eius excellentia, non solum in Francia, sed & in Hispania, Burgundia quoque, & Lotharingia prædicabatur. HILDVINVS namque Comes Rociensis auus eius duxit coniugem ADELADAM germanam domni MANASSE Remorum Archiepiscopi, ex qua genuit Ebalum Comitem de Roci; & Andream Comitem de Rameruth, patrem EBALI Catalaunensis Episcopi; septémque filias. Harum vnam nomine FELICIAM in Hispania duxit coniugem SANCIVS Rex Atragonensis, & ex ea genuit HILDEFONSVM Regem potentissimum, qui patri succedens in Regno, fortissimas vrbes, & castella paganis violenter præliando abstulit, & Christianis tradidit, Cæsar-Augustam scilicet Beati Vincentij Martyris Archidiaconatu famosã; Terassonam quoque, & Tudelam, Barbastã, & Burgiam cum aliis multis, totaque pene

Bartholomæi nobilis prosapia.

Hispania sibi subiugata adeò nominis sui opinionem dilatauit, vt ab aliis alter IVLIVS; ab aliis secundus CAROLVS vocaretur, ob memoriam illius preclari Caroli Francorum Regis, qui quondam Hispaniam victor subegit

Secundam filiam HILDVINI Comitis duxit coniugem ROTHOLDVS comes Perticensis, de qua genuit ROTHOLDVM Comitem, & IVLIANAM matrem MARGARETÆ Reginæ Nauarrensis. Tertia nomine MARGARETA nupsit HVGONI Comiti Claromontensi, de qua genitus est RAINALDVS Comes, qui ex ADELADA Vermandensi Comitissa genuit MARGARETAM coniugem illius præclari CAROLI Flandrentium Comitis. Quarta nomine ERMENTRVDIS nupsit THEOBALDO Comiti de Risnel, de qua genuit Heldiardem matrem BERTRANNI Comitis, qui in Hispania defunctus est, sororísque eius BEATRICIS, quæ ex HVGONE de Montcornet genuit BARTHOLOMEVM * Laudunensem Archidiaconum, & Thesaurarium. Quintam nomine ADAM duxit GODEFRIDVS de Gusgia, & ex ea genuit GVIDONEM patrem BVRCARDI: defuncto autem GODEFRIDO, eadem ADA accepit maritum WALTERVM de Aath. Quo mortuo, accepit tertium maritum THEODORICVM de Auesniis, & cùm eo extruxit Cœnobium quod dicitur de *Lesciis* in propria possessione sua: defunctóque eodem THEODORICO, ipsa se ex toto contulit eidem cœnobio, vbi pluribus annis religiosè viuens, defuncta & sepulta est. Sextam duxit coniugem ERNVLFVS Comes de Waren; qui genuit OTHONEM Comitem de Cisni; qui OTHO genuit AVBERTVM; qui AVBERTVS genuit AVBERTVM Comitem, & ERNVLFVM Episcopum de Verduno.

* Remensem.

Quidam autem nobilissimus princeps in Burgundia nomine FALCO de Iur, vel de Serrata, comperta nobilitate & excellentia præfati Comitis HILDVINI ambiebat vnam ex filiabus eius sibi coniugio sociari; Sed cum id impetrare nequiret, iurante patre numquam filiam suam Burgondioni dandam, contigit vt PHILIPPVS Rex Francorum eumdem Comitem HILDVINVM cum domno HELINANDO Laudunensi Episcopo, aliisque nōnullis principibus, pro communi negotio Regni Romam transmitteret ad Dominum Papam. Quod vbi notificatum est prædicto Principi Falconi, insidias redeuntibus per plurima loca parauit, sicque in itinere captos, & omnibus quæ habebant spoliatos, non prius dimittere voluit, donec idem Comes promitteret iurando se filiam suam ei daturum. Qua sponsione accepta, omnes liberos dimisit plurimáque eis dona liberaliter contulit, & cùm magno honore ad propria remisit. Comes itaque reuersus in Franciam, filiam suam nomine Adeladam, cum multis opibus in Burgundiam transmissam, præfato Principi coniugio sociauit: de qua idem FALCO supradictum Episcopum domnum BARTHOLOMEVM genuit, cum aliis filiis & filiabus, quarum vna fuit ERMENTRVDIS, quam rursum de Burgundia in Franciam delatam HENRICVS Comes de Grandiprato coniugem duxit; & ex ea æquiuocum sibi HENRICVM Comitem genuit; germanámque eius ADELADEM matrem RICARDI Virdunensis ac Laudunensis Archidiaconi.

Hilduinus vna cum Helinando Episc. Laud. Romam a Rege mittitur.

Filia illius Falconi Burgundiæ Comiti nupsit.

Bartholomæus Epi. filius Falconis.

Hic ergo BARTHOLOMEVS adhuc puerulus in Franciam ad EBALVM auunculum suum Comitem Rociensem defertur, litterísque traditus à domno MANASSE Remorum Archiepiscopo, matris suæ auunculo, educatur: & primò Canonicus Sanctæ MARIÆ Remensis Ecclesiæ, deinde Thesaurarius efficitur. Postea verò cùm iam Laudunensis Ecclesiæ esset Canonicus, Adela Vermandensis Comitissa, coniunx HVGONIS Magni, qui fuit germanus PHILIPPI Regis Francorum, cum post mortem eiusdem Hugonis, de quo genuerat RADVLFVM Comitem Vermandensem, & SIMONEM Episcopum Nouiomensem, nupsisset RAINALDO Comiti Clarmontensi, eumdem BARTHOMEVM sciret mariti sui esse consobrinum, pro amore eius fecit eum Thesaurarium Ecclesiæ Sancti QVINTINI Vermandensis: sicque vt supradictum est, & generis nobilitate, & morum probitate, & diuitiarum opulentia idem BARTHOLOMEVS famosus habebatur. Electus itaque vnanimi totius cleri & populi assensu ad Pontificatum vrbis Laudunensis, domno RADVLFO Remorum Archiepiscopo, qui præfato MANASSE matris eius auunculo successerat, præsentatur, & ab eo multísque aliis Episcopis, tempore PASCHALIS Papæ, & LVDOVICI Regis Francorum, celeberrimè consecratus, ouibus desolatis nouus pastor transmittitur.

Canonicus & Thesaurarius Ecclesiæ Remensis à Manasse Archiep. creatus est.

Post Canonicus Laudunens.

Thesaurarius Sancti Quintini Vermand.

Ac tandem Episcopus Laudunensis.

Sed ille Laudunum veniens, & non Ecclesiam, non domum Episcopalem, immo nil penè præter fauillas & cineres inueniens, dici non potest quantum doluerit, quantum gemuerit, quoniam non se honore sublimatum, sed honore deflebat pregrauatum. Ipsi enim illa Scripturæ sententia non immerito visa est tunc temporis posse congruere; *Homo nascitur ad laborem.* Nec non & illud quod Dominus de semetipso in E-

Iob 5. 7.

uangelio dicit: *Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* Illud etiam Beati PAVLI Apostoli: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; opus, inquit, non honorem: sic & iste de magna requie, & diuitiis, omnimodáque corporis sui voluntate in locum desolatum veniens, non se ad honoris excellentiam gloriabatur promotum, sed ad operandi laborem dicebat vocatum; ideóque etiam si fortè Episcopatum desiderauit, bonum opus desiderauit. Protinus ergò ac si aliquod desertum introïsset, Ecclesiam simul, & domos Episcopales cepit renouare, & velut à fundamentis reparare.

Luc. 9. 58. 1. Timoth. 3. 1.

CAPVT III.

De miraculis Sanctæ MARIÆ *per Franciam.*

SEd quia, vt prædictum est, non sola maior Ecclesia Sanctæ MARIÆ, sed & aliæ ferè duodecim cum multis domibus clericorum, & laïcorum fuerant combustæ, maiórque pars ciuium per prouinciam dispersa erat, & eorum qui remanserant vnusquisque de propriæ domus reparatione sic occupabatur, vt vix aliquis inueniretur qui matris Ecclesiæ adiutor existeret: consuluerunt nonnulli sapientes & religiosi viri, vt electos ex clericis aliquos boni testimonij viros, cum reliquiis Dominæ nostræ & aliorum Sanctorum, per Franciam ad expetendas fidelium eleemosynas transmitteremus. Eorum itaque consilio elegimus septem Canonicos ex fratribus nostris, BOSONEM scilicet, ROBERTVM, ANSELMVM, HERBERTVM, ROBERTVM, BONEFACIVM, AMISARDVM presbyterum, ODONEM, qui postea fuit Abbas Monasterij, quod dicitur Bonæ Spei, in Episcopatu Cameracensi. Sex quoque laïcos ex ciuibus eis addidimus, RICARDVM videlicet, IOANNEM Piot, ODONEM, LAMBERTVM, BOSONEM, & THEODORICVM de Brueriis. Hos itaque cùm feretro Dominæ nostræ, & aliis capsis reliquiarum transmisimus ad accipienda donaria fidelium.

B. Virginis & Sanctorum quorumdam reliquias ad pecunias corrogādas circumferunt per Galliam Clerici & ciues Laudunenses.

Ecclesia verò fuerat succensa feriâ quintâ Paschalis hebdomadæ, ipsíque egressi sunt feriâ quintâ ante Pentecostem, id est in octauis Ascensionis, demoratíque sunt vsque circa festum Matthæi Euangelistæ. Dominus ergò, cui per Prophetam dicitur: *Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nostri.* Et alibi: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis*, Ecclesiam nostram, quam durè flagellari permiserat, precibus suæ piissimæ Matris placatus, non distulit misericorditer refouere. Plurima siquidem miracula in eodem itinere per eius ostendit reliquias, de quibus nonnulla prætereuntes, pauca tantùm, sed notissima posterorũ notitiæ scribendo transmittimus.

Psal. 59. 1. Habacuc. 3. 4.

CAPVT IV.

De duobus contractis sanatis apud Issuldunum castellum.

IN pago Bituricensi castellum quoddam vocatur ISSVLDVNVM. Huius castelli dominus vir ditissimus nomine GAVFRIDVS, in domo sua longo tempore pro anima sua duos contractos retinuerat & aluerat, quorum calcanei ita natibus inhærebant, vt nullo modo incedere, vel se possent erigere. Suscepto itaque cùm magna processione feretro Dominæ nostræ, & in Ecclesia posito, rogauerunt se illuc deferri, & de limpha, qua reliquiæ lotæ fuerant, calcaneos suos & crura lauari. Quo facto, statim vidente vniuerso populo, caro quæ natibus inhærebat cœpit disrumpi, sanguísque per crura vbertim defluere. Protinus super pedes suos erecti amplexati sunt feretrum, perfectéque sanati; fratres nostros subsecuti sunt redeuntes vsque Laudunum, & ad Ecclesiæ opus ad lapides portandos, ad aquam deferendam, ad cæmentum præparandum quotidie exhortabantur populum. Consummatâ Ecclesiâ vnus eorum reuersus est in terram suam, id est ad castellum Issuldunum, alter nomine BENEDICTVS remansit Lauduni, seruiens in hospitali ferè per duodecim annos, ibíque defunctus est.

Vulgò, Issoudun.

CAPVT V.

De Iuuene surdo & muto curato, apud Busensi castellum.

EGressi de Issulduno venerunt ad aliud castellum, quod dicitur *Busensi*, cuius dominus tãtæ rapacitatis & feritatis erat, vt multi incolarum dicerent fratribus nostris, quòd omnia quæ habebant eis auferret. Erat autem ei filius ferè quindecim annorum à natiuitate surdus, & mutus. Perterritis ergò fratribus nostris citò misericordiæ Mater succurrit. Quidam namque religiosus monachus ibi habitans, auditis miraculis Dominæ nostræ cum magno honore feretrum eius in Ecclesia suscepit, deinde reuestitus reliquias eius in vino & aqua lauit, ca-

Belgenciacũ, vulgò, Baugensi.

put & faciem prædicti iuuenis aquâ ipsâ perfudit, & ex ea potum ei dans sub feretro eum recumbere iussit; ipse verò genibus flexis Dominam nostram suppliciter exorare cœpit. Nec mora iuuenis obdormit, cunctísque videntibus præ anxietate sudor ex toto eius corpore profluit, venæ circa aures turgescunt, sanguis ex auribus vbertim exilit. Protinus euigilans surrexit, & voces quasdam emittere cœpit.

Monachus ab oratione surgens lætus accurrit, & iuuenem alloquitur. Ille qui nunquam antea audierat, respondere nesciebat, B sed quod audiebat alios dicentes, idem post eos ipse prosequendo imitabatur. Statim Monachus signa pulsando populum euocat, iuuenem loquentem & audientem ostendit, & cum gaudio lachrymando, *Te Deum laudamus* incipit. Nuncius è vestigiò ad patrem de rapinis venientem dirigitur; quid eius filio contigerit, refertur. Ille continuò discalceatus ad Ecclesiam pedes currit, & coram feretro prostratus misericordiæ Matri gratias agit, inde quadraginta solidos, quoniam non multa pecunia abundabat, obtulit.

CAPVT VI.

De pace facta inter duo castella diffidentia.

HInc ad aliud castellum duobus tantùm milliariis remotum fratres nostri ire voluerunt, sed propter feritatem, & prædas illius raptoris, nullus inhabitantium cum eis illuc audebat proficisci. Tamen idem raptor misericordia Dei Genitricis animatus, cum militibus suis, & cæteris habitatoribus feretrum, & reliquias humeris suis imponunt; nudísque pedibus omnes procedentes, ad inimicorum suorum tendunt castellum. Illi hoc audientes, & miraculum quod ibi sancta Dei Mater de raptoris filio fecerat cognoscentes: protinus & ipsi nudis pedibus omnes inimicis suis obuiam ruunt, feretrúmque ab eis susceptum cum gaudio in castellum suum deferunt, laudantes Christi misericordiam, qui per suam Matrem hostes hostibus occurrere pacificè fecerat.

CAPVT VII.

De muliere ægrota Turonis curata.

Vulgò, *Cormery.*

INde per Cormeriacum Turonos venerunt, & cum magna reuerentia suscepti ab Archiepiscopo Turonensi, die Sabbati ante vesperos in Ecclesia sancti MAVRICII quieuerunt. Vxor cuiusdam carpentarij in A eadem vrbe per octo annos infirmitate nimia depressa lectulo decubuerat, ita vt nusquam posset ire nisi portaretur. Eadem nocte dormienti, misericordiæ Mater apparuit, præcipiens ei vt se ad feretrum suum in Ecclesia sancti MAVRICII' faceret deferri. Euigilans mulier, rogabat maritum vt citò deferretur. Ille non multum diues lecticam paratam non habens, fecit eam deferri in vili instrumento, quod vulgariter vannum vocamus, in quo annona excussa purgari solet. Supposita ergò feretro protinus obdormiuit, & post modicum euigilans sana surrexit. Deinde feretro sociata, vidente populo subsecuta est illud vsque ad Ecclesiam sancti MARTINI.

CAPVT VIII.

De iuuene surdo & muto Turonis curato.

QVo audito Canonici sancti MARTINI, cum Abbate sancti Iuliani, obuiam procedunt, & cum honore maximo reliquias Dominæ nostræ suscipiunt. Erat in C eadem ciuitate quidam iuuenis à matris vtero surdus & mutus, quem vnus ex fullonibus infantulum repertum nutrierat, & educatum arte sua imbuerat. Hic ergò adductus ad Dominæ nostræ reliquias, sub feretro recubuit & obdormiuit. Nec mora anxiari, & ex toto corpore sudorem emittere cœpit, deinde venis circa aures inflatis, sanguis vbertim ex eius auribus profluxit. Protinus surrexit & audiuit, nec tamen loqui sciebat, D quia non didicerat, sed quod alios loqui audiebat, hoc dicebat: cuius nomen quia nesciebatur, Canonici nostri eum appellauerunt CHRISTIANVM. Sociatus ergò fratribus nostris venit cum eis Laudunum, & ferè septem annis mansit in domo GVIDONIS Archidiaconi Laudunensis.

CAPVT IX.

De vindicta sanctæ MARIÆ *facta ad Sanctum Laurentium de Cala.*

EGressi de vrbe Turonensi, venerunt ad Sanctum Laurentium de Cala, in festo eiusdem martyris. Monachus quidam ibi habitans, noluit eis concedere vt poneretur feretrum Dominæ nostræ super altare sancti Laurentij, sed super quoddam minus altare in parte Ecclesiæ fecit illud poni, timens videlicet amittere offerendam consuetam in eodem festo. Sed cum Turonenses qui reliquias nostras prosequebantur, referentes miracula quæ viderant, omnes peregrinos

superuenientes exhortabantur, vt relicto maiori altari ad feretrum Dominæ nostræ offerrent: inuidiæ liuore percussus idem Monachus, iussit feretrum & omnes reliquias eijci de Ecclesia. Præpositus verò Castelli vituperans Monachum, statim tradidit fratribus nostris tentorium spaciosum quod sibi parauerat. Matronæ quoque loci cortinas plurimas deferentes idem tentorium decentissimè perornare studuerunt, luminaribus insuper sufficientibus splendidissimum tota nocte fecerunt.

Sed Rex iustus Iesus Christus, noluit iniuriam Matri suæ illatam dimitti impunitam. Ad vesperos siquidem præfatus Monachus morbo caduco subito depressus, coram omni populo in terram cecidit, magnúmque terrorem videntibus incussit. Campana etiam maior de turre cadens confracta est, ipsa quoque turris in superiori parte fissa & disrupta crepuit. Quod videns Monachus, serò se malè fecisse pœnituit, nudísque pedibus coram feretro terræ prostratus, Reginæ cœli humiliter satisfecit, vtque super maius altare feretrum deferretur rogauit, sed fratres nostri noluerunt adquiescere roganti.

CAPVT X.

De muliere parturiente Andegauis sanata.

EXinde Andegauis venerunt, & magnificè ab Episcopo ipsius vrbis suscepti sunt. Vbi mulier quædam, vxor scilicet FVLBERTI ditissimi viri cognomento Pellicei, pariens nimio dolore per aliquot dies cruciabatur, iamque mortem sibi vicinam imminere pertimescebat. Audiens ergò miracula Dominæ nostræ, petiit reliquias eius sibi afferri, delatísque coclear argenteum obtulit, limpham in qua lotæ fuerant cum fide bibit: statímque partu edito liberata, Deo & piæ Matri eius gratias egit.

CAPVT XI.

De muliere sterili Cinomannis fœcundata.

Cenomannis.

CInomannis matrona quædam sterilis, cum viro suo ditissimo, fratres nostros suscepit hospitio, & prostrata coram Dominæ nostræ feretro, dari sibi prolem orauit. Nec frustrata est fide sua. Post circulum siquidem anni filium genuit: & frequenter postmodum venit Laudunum, agens Dominæ nostræ gratias.

CAPVT XII.

De miraculo apud montem de Guarda castellum.

INter vrbem Cinomannicam, & castellum quod dicitur ad montem de *Guarda*, transitus difficillimus, & siluarum decisione à comprouincialibus obsitus erat, pro dissentione & lite quæ tunc temporis erat inter Regem Anglorum, & Comitem Andegauensem. Egressi ergò tardè de vrbe Cinomannica, venerunt ad illum difficilem transitum, dicentibus cunctis obuiantibus, quòd nullatenus transire possent, nec ad castellum quo tendebant peruenire. Interea dies in noctem vertitur, pluuiæ quoque nimietas exorta, iam pene de salute cogit eos desperare. *Clamauerunt* ergò *ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.* Subitò enim, Deo miserante, tanta transierunt facilitate, vt nullum omnino in transeundo impedimentum haberent. Peruenientibus ad castellum milites obuiam processerunt, nimiúmque mirantes quomodo transissent, benignissimè eos susceperunt: dicentes quòd reuerà misericordia Domini fuisset cum eis. In crastino cùm redeuntes per eundem aditum transire voluissent, nullatenus donec iter cum magno labore expeditum fuit transire potuerunt, sícque piæ Matri Domini gratias retulerunt, quæ in hora magnæ necessitatis magnam eis misericordiam fecerat.

Psal. 106. 28.

CAPVT XIII.

De tribus miraculis in vrbe Carnotensi factis per Sanctam MARIAM.

IN vigilia Natiuitatis Sanctæ MARIÆ, ante vesperos Carnotum venerunt, & honorificentissimè suscepti sunt à Domno IVONE Carnotensi Episcopo, totáque Canonicorum processione extra vrbem vsque ad vineas eis occurrente, feretrúmque positum est in maiori Ecclesia super altare sanctæ MARIÆ. Et ecce quædam mulier contracta erat in vrbe, quam Episcopus idem iam quinque annis in domo, vbi panis suus coquebatur, aluerat: quæ præ nimia infirmitate sic iacebat incuruata, vt ne ad communem quidem necessitatem, nisi à duobus portaretur, posset ire. Primâ ergò noctis horâ apparuit ei in somnis Domina nostra: præcipiens ei, vt quantocius surgeret, ad maiorem Ecclesiam iret, & feretrum suum Laudunense quæreret. Protinus euigilans

I. Miraculum de muliere contracta, sanata.

sana surrexit, & ad Ecclesiam currens per plateas cum gaudio vociferabatur clamãdo: Domina Sancta *Maria*, Domina Sancta *Maria*. Familia Episcopi secuta est eam, ipse quoque Episcopus somno excitatus, audiens & gaudens egenam suam sanatam. Intrauit mulier sana Ecclesiam, quærens cum clamore vbi esset feretrum Sanctæ MARIÆ Laudunensis. Stánsque coram eo, gratias ei referebat, & quomodo sibi apparuisset cunctis enarrabat.

2. Miraculum. De muliere itidem contracta.

Statim Episcopus omnia signa iussit pulsari ditiùs, & ipsemet incepit *Te Deum laudamus*. Quod dum cantaretur, ecce altera contracta, tam ipsi Episcopo, quàm cunctis aliis notissima, Ecclesiam sanata intrauit, & ad feretrum recto cursu veniens, scabellula duo, quibus rependo & sustentando se ad petendam eleemosynam circumferre solebat, super altare posuit; ipsáque stans coram populo, Deo & piæ Matri eius gratias agebat. Protinus ipse rursum omnia signa præcepit sonari incipiens secundò præfatum hymnum: qui antequam finiretur, diuinæ pietati placuit tertium superaddere miraculum.

3. Miraculum. De iuuenne insano compos factus.

Quidam etenim iuuenis miles, filius videlicet Carnotensis Vicedomini, qui in castello quodam cathenis religatus captus seruabatur, subitò insperatus Ecclesiam ingreditur, & matre sua cum militibus & ciuibus sibi occurrente, lætus ad altare progreditur, genibúsque flexis coram feretro, & per Dominam nostram se dicens ereptum, quadraginta solidos ei statim obtulit. Quod cernens Episcopus, non solùm in maiori Ecclesia, sed & in omnibus aliis Ecclesiis etiam minimis per totam vrbem, omnia signa diutius sonari, & Deo laudes directis nunciis præcepit decantari; ipse tertiò incipiens *Te Deum laudamus*. Quantus per totam vrbem signorum strepitus & clangor, quæ vox lætitiæ, quot dulcium lachrymarum flumina præ nimia exultatione, ab vtroque sexu, & diuersa ætate sint effusa, etiam nobis tacentibus pius lector facilè potest aduertere. Sic itaque fratres nostri Beatæ MARIÆ miraculis exhilarati, fidelium donis locupletati, ad nos cum gaudio circa festum sancti MATHÆI Euangelistæ redierunt, totámque vrbem Laudunensem huiusmodi relationibus valde lætificantes, post tribulationis luctum, nouum gaudium nobis intulerunt. Per omnia benedictus Deus, qui viuit, & regnat per omnia sæcula sæculorum.

CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

LIBER SECVNDVS.

DE HIS QVÆ PER ANGLIAM GESTA SVNT.

CAPVT PRIMVM.

De surdo & muto apud Nigellam curato.

EX oblationibus ergò fidelium per Franciam collectis, toto autumnali & hyemali tempore templum Dominæ nostræ ex magna parte reparatum est. Sequenti verò Quadragesima, cum adhuc pars operis maxima superesset, pecunia verò paulatim decresceret, consuluerunt nobis nonnulli sapientes, vt denuò ex Canonicis aliqui eligerentur, qui tàm literarum scientia, quàm modulatione canendi & peritia Laudunensi Ecclesiæ forent honori, & cum feretro Dominæ nostræ sanctorúmque reliquiis in Angliam transmitterentur, quæ tunc temporis magna diuitiarum florebat opulentia, pro pace, & iustitia, quàm Rex eius HENRICVS filius GVILLELMI Regis in ea faciebat. Electi sunt itaque ex Canonicis BOSO Presbyter, nepósque eius ROBERTVS, RADVLPHVS Presbyter, MATHÆVS, cognatúsque eius BONIFACIVS; ROBERTVS genere Anglicus, & HELINANDVS; Ioannes Presbyter parochiæ sancti Martini, & AMISARDVS Clericus. His ergò electis, feretrum Dominæ nostræ tradidimus, cum aliis pluribus Sanctorum reliquiis, inter quas eminebat & forma, & dignitate vnum phylacterium, in quo sic sculptum legitur.

Henricus I. Rex Anglo. Guilielmi I. filius.

Spongia, crux Domini, cum sindone, cum faciali
Me sacrat, atque tui Genitrix & Virgo capilli,

Tantis itaque talibúsque fultos præsidiis, præfatos socios nostros in Angliam transmisimus, prospera & illis imprecantes, & cum magna processione aliquantulum eos prosequentes, feria secunda ante Dominicam Palmarum ab vrbe Laudunensi in pace dimisimus.

Redeuntes autem eodem anno mense Septembri, circa Natiuitatem Sanctæ MARIÆ, sic nobis ea quæ sibi contigerant retulerunt. Egressi, inquiunt, à vobis venimus ad castrum, quod Nigella vocatur, in pago Vermadensi, & honorificè suscepti fuimus à Canonicis, & à domno RADVLPO patre domni IVONIS, eiusdem castri Principe, & possessore. Qui videlicet Radulphus habebat in domo sua quemdam à natiuitate surdum & mutum, nomine IOANNEM, quem ab infantia nutrierat vsque ad virilem ætatem, ita vt tunc barbam prolixam haberet. Hic ergò videns populum causa Sanctarum reliquiarum ad Ecclesiam festinantem, nutu signorum à Domino suo commonitus, etiam ipse cum aliis cucurrit. Potatâ deinde aquâ, de qua sanctæ reliquiæ lotæ fuerant, ore quoque & auribus eius diligenter ex ea lotis, sub feretro recubuit & obdormiuit. Nec mora, videntibus cunctis, præ nimia anxietate toto corpore sudorem cœpit emittere, sanguis etiam ex auribus & naribus atque venis, quæ circa guttur & collum prominebant, ac si ruptæ forent, vbertim profluere. Euigilans post paululum surrexit, & coram feretro stans clamare cœpit in voce exultationis, sed non confessionis, quoniam loqui nesciebat, quòd non didicerat, qui numquam audierat. Quod tamen alios dicentes audiebat, hoc ipse respondere compellantibus, & sibi loquentibus volens, post illos dicebat. Quæ tunc populi lætitia, quis clamor fuerit, nullus sufficienter referre valebit. Sic ille perfectè sanatus, ferè vsque ad mare nos est prosecutus, nobiscum etiam transisset, nisi eum reuerti rogassemus.

Nelle.

CAPVT II.

De aurifice cœco illuminato Attrebati.

INde circa Parasceuem Attrebatum vrbem venientes, non minus honorificè suscepti sumus. Et ecce quidam aurifex senex in eadem vrbe manens, qui iam per duodecim annos oculorum lumine priuatus fuerat, audiens feretrum sanctæ MARIÆ Laudunensis aduenisse, interrogabat formam, vel qualitatem, seu quantitatem eiusdem feretri. Quam cum didicisset, protinus ex imo pectoris trahens alta suspiria, lachrymásque

vbertim profundens; heu! inquit, hoc feretrum manibus meis composui ego peccator in iuuentute mea, iussu Domni HELINANDI Laudunensis Episcopi. In hoc idem Episcopus preciosas reliquias posuit, inter quas fuit caput sancti VVALARICI Abbatis, necnon & caput sancti MONTANI, qui sicut ab eodem Episcopo audiui, cùm oculorum visum amisisset, ortum sancti REMIGII Beatæ CILNIÆ matri eius prænunciauit, sibíque de lacte eius lumen reddendum subiunxit, quod & postea contigit. Sed ô tu piissima Dei genitrix, quam hodierna die huc gaudeo aduenisse, facies ne misericordiam tuam in me peccatore, vt instar sancti MONTANI recepto lumine feretrum tuum, quod composui, rursum possim videre? Talia cum lachrymis dicendo, rogauit vt ex lympha, qua reliquiæ lotæ fuerant, oculi sui tangerentur. Quo facto, de ipsa aqua bibit, sicque per totam noctem in oratione peruigil coram feretro mansit. Mane facto lumen recepit, Deóque, & piæ Matri eius gratias egit.

CAPVT III.

De puella sanata apud Sanctum Andomarum.

INnde ad Sanctum AVDOMARVM venimus, vbi puella quædam à natiuitate manum aridam habens ex aqua reliquiarum bibit, manúsque eius ex ea lota est, & sic sanata est.

CAPVT IV.

De liberatione Clericorum Sanctæ MARIÆ *in mari à piratis.*

POstmodum mare transire sperantes, ventúmque prosperum expectantes, tempore paschali, in festo MARCI Euangelistæ, summo mane apud portum, qui vocatur Vvissant, à nautis conuocati, nauem intrauimus. Nobiscum etiam plures negociatores introierunt, qui propter lanam emendam de Flandria in Angliam ire volebant, séque nobiscum securius transire sperabant, plusquàm trecentas marcas argenti secum in sacculis & marsupijs ferentes. Magister nauis vocabatur COLDISTANNVS. Cùm ergò quasi circa medium maris venissemus, vnus ex sociis nostris à longè prospiciens, vidit procul nauem velut in littoris angulo positam. Quod cùm præfato Coldistanno indicasset, ille iuuenem vsque ad summitatem mali, explorandi causa iubens conscendere, ex dictis eius animaduertit piratarum qui per mare prædandi causa discurrunt, nauem adesse, statímque nimis perterritus indicauit omnibus mortem propinquam imminere,

Protinus omnes timore necis reddimur exangues, è vestigio enim cernimus nauem appropiantem instar volucris aduolantis, lanceas & clipeos cum gladiis coruscantes, loricas etiam solis splendore perfusas relucentes. Peccata nostra inuicem confitemur, & quia mors iam ad ianuam adesse videtur; non expectatur Presbyter ad suscipiendam confessionem, sed etiam ipse Presbyter rerum imminentium periculo perturbatus laïco confitetur. Negotiatores quoque prædicti iam de vita desperantes in tanto positi periculo, sacculos & marsupia sua cum tota pecunia Dominæ nostræ offerunt, & super eius feretrum proiiciunt, cum nimio fletu misericordiam eius implorantes, vt corpora sua tantummodò de piratarum manibus, & exitio mortis eripiat, totámque pecuniam eorum propter Ecclesiam suam restaurandam ipsa retineat.

Videsis animaduersiones nostras ad lib. B. Lanfranci de Celanda confessione.

Interea piratæ fiunt propinquiores paulatim, ita vt iam vix iactu sagittæ distare viderentur. Sed cùm in tanta necessitate positi omnino de vita desperaremus, BOSONEM Presbyterum quem cæteris prouectiorem videbat COLDISTANNVS exhortatur, vt assumptis sanctæ Mariæ reliquiis potestatem sibi nocendi piratis interdicat. Illicò Presbyter ex fide viri animatus, genibus flexis coram feretro Matrem Domini lachrymis perfusus suppliciter inuocat: deinde velociter surgens, supradictum phylacterium capillis eius preciosum, cum timore & deuotione fidenter accipit, ipsóque Coldistanno viriliter eum vtraque sustentante, in eminentiorem pupis locum ascendit, & manu contra hostes eleuata, ne vltra veniant, ne nobis nocendi potestatem habeant, ex auctoritate Dei, Matrísque sanctæ MARIÆ fortiter adiuuando prohibet & interdicit. Et, ô mira diuinæ virtutis potentia. Mox vt verba complens signum crucis de eodem phylacterio contra hostes fecit, dicto citius, vento vehementi & contrario, nauis eorum impulsa, retro propellitur, malus nauis eorum frangitur, parsque eius super vnum ex ipsis decidens, eum exterebrat, & in mare mortuum præcipitat.

IESV pie, IESV bone, quæ nobis tunc affuit lætitia & exultatio, quando concidisti saccum perturbationis nostræ, & circumdedisti nos lætitia misericordiæ tuæ. Quantas tibi protinus, Matríque tuæ Dominæ nostræ laudes erepti de morte persoluimus. Ventus siquidem, qui hostibus nostris erat

contrarius, nobis factus est prosper & salubris; ita vt cum gaudio recolentes Canticum Moysi, tam celeriter nos transuehi miraremur. Breui itaque mora interposita læti ad portum peruenimus, disponentes partem pecuniæ reddere negotiatoribus, quam ipsi timore mortis Dominæ nostræ donantes super eius feretrum posuerant, immò turbati proiecerant. Sed illi mox vt littus attingentes viderunt se necis euasisse periculum, pristini metus obliti, sine nostra licentia vnusquisque sacculum suum & marsupium assumpsit, Dominæque nostræ solo verbo gratias agentes, nihil ei reliquerunt.

CAPVT V.

De vindincta super negociatores facta apud Dobras.

QVam tamen exinde vindinctam Matri suæ iudex iustus fecerit Filius suus, audiant omnes qui sua Deo dantes, rursus ea auferunt. Cùm enim totâ penè Angliâ circuitâ, maximos lanæ aceruos emendo pecuniam suam expendissent, ipsáque lana quamdam magnam domum super littus maris, quod Dobras, dicitur, sitam replessent, ecce nocte transitus sui diem præcedente subito incendio domus eadem cum tota lana cremata est, sícque illi omnibus amissis pauperes effecti, serò pœnitentes doluerunt se iniuriam fecisse Reginæ cœli.

Douures.

CAPVT VI.

De muliere parturiente liberata Cantuariæ.

NOs itaque non ex vmbra mortis, sed ex ipsis faucibus eius, vt nobis visum est, liberati, gratiarum laudes Dominæ nostræ referentes, assumpto eius feretro atque reliquiis Cantuariam venimus, vbi tunc erat Archiepiscopus Domnus GVILLELMVS nobis notissimus, quoniam iam dudum pro audienda lectione magistri ANSELMI Laudunum petens, multis diebus in Episcopi domo manserat, ibíque filios RADVLPHI Cancellarij Regis Anglorum docuerat. Hic ergò cum ingenti gaudio nobis occurrens, honorificentissimè nos cum Monachis sancti AVGVSTINI suscepit, & quamdiu voluimus benignè retinuit. Et ecce matrona quædam eiusdem vrbis ditissima, iam per octo dies nimio partus dolore cruciata omnino fuerat desperata, ita vt de solo eius funere tractaretur. Hæc audiens aduentum nostrum, misit ad nos virum suum, quærentem si quis nostrum sciret aliquam pariendi medicinam. Tunc BOSO Presbyter, cui præcipuè cura reliquiarum seruandarum commissa fuerat, consuluit ei, vt coniugem suam exhortaretur veracem peccatorum suorum confessionem Presbytero suo facere, deinde ex lympha, qua reliquiæ lotæ forent, fideliter biberе. Rediens maritus quæ inuenerat coniugi retulit. Sed illa quæ iam penitus non solum loquelam, verum etiam memoriam præ doloris nimietate perdiderat, auxiliante Deo protinus ex ipso calore fidei aliquantulum roborata, & recreata, venienti Presbytero peccata sua confiteri curauit, deinde subiunxit, eadem nocte sibi in visu quamdam speciosissimam Dominam de Francia venientem apparuisse, & vt peccata sua veraciter confiteretur præcepisse, sícque se sanandam fore promisisse.

Guillelmus Archiep. Cantuar. auditor Anselmi Laudu.

Monachi S. Augustini, scilicet Anglorum Apostoli.

Cùm hæc Presbyter post confessionem auditam ad nos veniens retulisset, illicò nos ab eius marito rogati, & pro relatione Presbyteri de futura eius sospitate certificati, cum reliquiis ad lectum decumbentis venimus, eásque coram ipsa lauantes, & aquam lauationis ei potandam tradentes, continuò discessimus. Et ecce priusquàm ad Ecclesiam reuersi essemus, nuncius post nos accurrens, eam peperisse, & sanatam esse retulit. Vnde tàm ipsa, quàm maritus eius exultantes, multa munera & ornamenta Dominæ nostræ contulerunt; post reditum etiam nostrum vestimenta preciosa sacerdotalia Laudunensi Ecclesiæ ipsa transmisit.

Hoc autem probatissimum apud nos erat, nullum omnino posse sanari, nisi esset de ipso Episcopatu in quo eramus, prouidente, sicut credimus, Domina nostra, ne aliquis ignotus æger de longinquis partibus adueniens diceretur spe quæstùs à nobis pretio conductus esse, vel ipse pro accipienda pecunia aduenisse, sícque sermonibus imperiti vulgi viliores redderentur. De illis etiam, qui erant ex ipso Episcopatu, nemo curabatur, nisi prius peccata sua Presbytero suo confiteretur, si tamen ætatis esset idoneæ. Quod si infantulus erat, admonebantur parentes vice puerorum facere confessionem.

Non nisi prius peccata Confessi Presbytero sanabantur.

CAPVT VII.

De cæco illuminato apud Vvintoniam.

POstmodum ad vrbem Vvintoniensem venientes, & honorificè ab vrbis ipsius Episcopo suscepti, per octo dies ibi mansimus, in quibus plurima fieri miracula vidimus. Erat in eadem ciuitate miles quidam honorabilis nomine RADVLFVS, cognomento Buarius, pincerna Regis Anglorum, qui

qui iam per octo annos oculorũ lumen amiserat, vnde & à Rege pro ipsa cæcitate filiis suis officium suum reddi impetrauerat. Hic ergò in die Ascensionis Dominicæ compertis miraculis quæ fiebant, ad feretrum se fecit adduci, peccatorúmque confessione Presbytero suo facta, lotarum reliquiarum aquam fideliter bibit, & oculos suos ex ea fecit lauari. Episcopo itaque maiorem Missam in Ecclesia pro tanta solemnitate celebrante, cùm post Euangelium sermo finitus fuisset, rogante populo cum reliquiis de Ecclesia exiuimus, ne molestiam Episcopo faceremus. Cùm verò in platea coram Ecclesiæ ianua rursum sermo fieret, & Episcopus Canonem inciperet, subitò idem RADVLFVS ad reliquias pro foribus Ecclesiæ positas lumen recepit: Deúmque & sanctam eius Matrem cum clamore laudare cœpit. Quod miraculum in tanta veneratione est habitum, vt quinquies ipsa die reuerteretur populus ad audiendum verbum, & honorandas reliquias, oblationésque repetendas.

Nota diuersis in locis semper Presbyro suo dicuntur peccata confessa.

CAPVT VIII.

De alio infirmo ibidem curato.

ERat in eadem vrbe quidam ditissimus GVALTERVS, cognomento Kiburs, qui iam sex annis infirmitate grauissima sic depressus fuerat, vt numquam de lecto surgere potuerit. Auditis ergò miraculis Dominæ nostræ, per internuncios à nobis poposcit auxilium. Ipse enim cũ alia infirmitate etiam fluxu ventris adeò laborabat, vt nec etiam competenter in lecto deferri posset. Mandauit itaque ei BOSO Presbyter, vt peccatorum suorum veram cõfessionem Presbytero suo faceret, & quia nõ solùm prius, sed etiam in ipsa ægritudine dicebatur multotiens vsuras à debitoribus accepisse, promitteret Deo se numquam vlterius eas sumpturum, & de acceptis congruè debitoribus satisfacturum. Obediuit ille: deinde vt cum reliquiis iremus ad eum humiliter rogauit, quoniã ipse ad nos non poterat deferri. Missi sunt tres ex nostris Boso Presbyter, ROBERTVS, & BONEFACIVS. Venerunt ad eum, reliquias coram eo & in aqua lauerunt, & ex ea potum illi dederunt, ipsúmque eâ resperserunt. Mirum dictu! Qui sex annis in lecto decubuerat, illico sanus surrexit, & exiliens ad Dominæ nostræ feretrum gratias agens cucurrit.

Tribus clericis qui ad eum ierant tres annulos aureos dedit, coram feretro tres cyphos argenteos, multámque pecuniam, & alia ornamenta obtulit. Quæ cum in platea publicè prolata nõnulli videntes, pro multitudine diuitiarum eius dicerent eum pauca obtulisse, nam ferebatur plusquàm tria millia libras Anglicę monetę in thesauro eius repositas esse: respondebat ille, se ad præsens nolle amplius dare, donec vsuras, quas à debitoribus suis acceperat, redderet, sicut Deo promiserat. Vnde protinus per totam vrbem fecit clamari, vt qui ei vsuras dederat, veniret, & sua reciperet. Quanta tunc ibi fuerit vox lætitiæ & laudationis, dicentibus vniuersis, per Dominam nostram sanctam MARIAM alterum Vvintoniæ repræsentatum esse Zachæum, & plus de vsurarum redditione, animæque eius saluatione, quàm de corporali curatione Deum laudantibus, nec ipse Tullius, si affuisset, explicare dignè potuisset.

Nota.

CAPVT IX.

De duodecim infirmis ibidem curatis.

PLures alij etiam infra octo dies, quibus in eadem vrbe Vvintoniensi mansimus, curati sunt infirmi, quod propter tædium auditoribus remouendum, singillatim enumerare prætermisimus. Hoc tantum fidenter asserimus, palam & publicè duodecim sanatos fuisse, quorum alij surdi, alij claudi, quidam cœci, quidam fuerant muti. Quique omnes aut de ipsa ciuitate, aut de circumiacenti erant regione; ideóque cunctis fuerant noti.

CAPVT X.

De puella infirma curata apud Christikercam.

DE Vvintoniensi ciuitate venimus ad villam quæ dicitur Christikerca, idest, Christi Ecclesia, vbi in octauis Pentecostes annuum festum, & conuentus celeberrimus solebat esse negociatorum. Appropinquantes ergò eidem villæ, tanta subitò támque vehementi depressi sumus inundatione pluuiæ, vt numquam antea nos similem vidisse meminerimus. Ecclesiam ipsius oppidi Decanus quidam cum duodecim Canonicis tenebat, qui rogantibus nobis vt susciperemur, respondit Ecclesiam illam necdum ex integro fore constructam, ideóque nos non recipiendos, ne solitam amitteret negociatorum oblationem. Vix tamen nobis concessit, vt donec nimietas pluuiæ cessaret, feretrũ Dominæ nostræ super quoddã minus altare poneretur, in remota eiusdem Ecclesiæ parte. Sed cum videret quosdam negociatorum qui miracula Vvintoniæ gesta audierãt, feretrum Dominæ nostræ cum oblationibus expetere, & maius altare dimittere, felle commotus iracundiæ, iussit illud de Ecclesia eijci. Eiecto feretro, non est facile dictu quantam anxietatem patiebamur, quoniam & immensitas pluuiæ, tàm nos, quàm equos nostros adhuc vehementer deprimebat, & tota villa negociatoribus repleta, nusquam nobis hospitandi locus patebat.

Sed in tanta miseria citius nos respexit Do-

minæ misericordia. Nam matrona quædam calamitati nostræ compatiens, virum suum exorat, vt domum nouam quam ædificauerat, * namq; negociatoribus pro duobus marcis locauerat, cœlesti Reginæ quæ à Decano de Ecclesia expulsa fuerat, ipsa die commodet, & in ea tàm ipsam, quàm Clericos eius sequenti nocte hospitari permittat, negociatoribúsque mandet, vt interim sibi aliud hospitium quærant. Annuit maritus coniugis precibus, nósque iam penè pluuiæ vehementia madefactos, & deficientes in domum suam nouam suscepit, vestésque nostras luto perfusas ablui fecit & exsicarri; feretrum & reliquias Dominæ nostræ competenti loco decenter cortinis exornato collocat; deinde nobis omnem hospitalitatis humanitatem exhibere curat.

f. * eamque.

Vnus ex negociatoribus tres campanas, quas venales habebat, ad domus eiusdem laquearia suspendit, earúmque sonitu conuocat socios, & locum ascendens eminentiorem, quomodo Decanus feretrum nostrum de Ecclesia sua eiecerit refert, & vt nullus eorum ad ipsam Ecclesiam eat, sed omnes potius ad hospitium nostrum diuinum officium audituri conueniant, exhortatur. Postremò cuncti pariter congregati, vnanimiter edictum proponunt, vt si quis negotiatorum Ecclesiam ingrederetur quinq; solidos sociis persolueret. Erat autem tunc Sabbatum ante octauas Pentecostes.

Diuinum officium in domo priuata persoluunt Clerici Lauduneus.

Tantā itaque hospitis nostri beniuolentiam protinus ostendit Domina nostra se gratāter recepisse. Habebat siquidē idem hospes noster prope oppidum vnā domum, in qua boues eius & pecora seruabantur, ibique manebat quidam pauper rusticus, eisdem pecoribus custodiēdis deputatus. Huius rustici filia, puella paruula, tortum pedem à natiuitate habebat, ita vt calcaneus in anteriori parte, digiti verò pedis in posteriori positi essent. Rogati ergò ab hospite nostro, vt de aqua reliquiarum lotarum eiusdem puellulæ pes debilis contingeretur: fecimus eam adduci: Bibit ex aqua ipsa, pésque eius ex ea lotus est. Vigilauit coram feretro illa nocte. Mane autem facto dum more solito Missam coram feretro in eadem domo solemniter cantaremus (altare siquidem portatile, & omnia Missæ necessaria nobiscum ferebamus) ecce puellula sanata, pedem suum rectum omnibus ostendit, dominósque suos, qui nos benignè receperant, magnificè lætificauit.

Altare portatile.

CAPVT XI.

De incredibili vindicta Dei ibidem facta.

POst prandium eadem die Dominica, licentiā ab incolis acceptā, gratiarúmque actione pro beneficio eorum illis reddita, de oppido exiuimus. Sed non distulit iustus iudex, Matri suæ factam iniuriā vindicare. Vix enim dimidio stadio procul recesseramus, cum ecce post nos cum clamore cursores super equos adueniunt, & vt ardenti villæ succurramus exorant. Respicientes post tergum, videmus totam villam succensam cremari. Interrogantes verò quomodo id contigisset, audiuimus ab eis draconem de proximo mari egressum, nobis discedentibus in villam aduolasse, & primitùs Ecclesiam, deinde quasdam domos flāmâ, quam ex naribus suis emittebat, succendisse. Quod audientes & humana curiositate tantum prodigium videre sitientes, deputatis feretro idoneis custodibus, velociter super equos ad vicum recurrimus, cernimúsque draconem incredibilis longitudinis quinque capita habentem per nares flammas sulphureas emittentem, & de loco ad locum volantem, domósque singillatim succendentem. Redeuntes verò vsq; ad Ecclesiam iam eam inuenimus concrematam, & sic incredibiliter, vt non solùm ligna, sed & ipsi parietes, immò maximi lapides, ipsáque altaria in fauillam & cinerem funditus essent redacta, ita vt omnibus inspicientibus stupor exinde mirabilis incuteretur.

Decanus verò vbi vidit domū suam, & Ecclesiam succensam, vestes & supellectilē suam festinanter colligens & circumligans ad nauem, quæ in proximi maris littore defixa erat, fecit deferri, sperans ea ibi ab igne posse saluari. Sed draco protinus ac si propter hoc solum venisset, nauem volatu petens, cuncta quæ in ea erant succendit, deinde mirum dictu, & incredibile auditu, ipsam quoque nauem simul cremauit. Ad domum quoque hospitis nostri venientes, & quomodo se haberet scire volentes, inuenimus eū, salua domo, & omnibus quæ habebat, exultantem, suámque liberationem bonæ hospitę suæ cœli Reginæ deputantem. Non solū verò ipsa domus eius, in qua hospitati fuimus, sed & alia procul posita, in qua pecora eius seruari diximus, mansit illæsa, ita vt de omnibus rebus suis nihil omnino perdiderit. Negotiatores etiam, qui multam nobis impenderant beniuolentiam, ita superna fouit gratia, vt aut nihil, aut parum de rebus suis amiserint. Quia enim ibidem consuetudo erat vno tantùm die durare nundinas, finito prandio iam omnes sarcinas suas collegerant, & circumligatas antequam draco veniret reposuerant. Terrorem tamen maximum illis incussit aspectus draconis, ita vt eos cursim per diuersa videremus fugientes. Decanus verò ille, qui feretrum Dominę nostræ de Ecclesia eiecerat, serâ motus pœnitentiâ, nudis pedibus illud prosecutus est, & coram eo prostratus, iudiciáque Dei iusta protestatus, quod male gesserat, sibi indulgeri exorabat.

CAPVT XII.

De infirmis Septemdecim sanatis apud Essecestram.

INde venimus ad vrbem quæ dicitur Essecestra, vbi erat ROBERTVS Archidiaconus, qui diu manserat Lauduni pro audienda lectione magistri ANSELMI. A quo gratantissimè suscepti, mansimus ibi per decem dies. In quibus miracula plurima contigerunt, quorum præcipua & excellentiora fuerunt de septemdecim infirmis curatis, quibusdam cœcis, aliis surdis, mutis, & claudis. Contendebant ciues mirabiliter quis eorum nos hospitio susciperet, vel quis susceptis necessaria procuraret. Erat ibi quidam infirmus, qui iam per viginti quatuor annos ad portam templi recubuisse iugiter in lecto ferebatur, ita vt nusquam ire posset; nisi à duobus portaretur. Hic septimo die aduentus nostri consilium à nobis quærens, confessus est peccata sua, bibit ex aqua lauationis reliquiarum, & ex ea lotus obdormiuit. Protinúsque, mirabile dictu! sanatus ex integro, exiliuit de grabbato, in quo tantopere iacuerat; & videntibus cunctis ad feretrum currens, & coram eo stans in voce exultationis & confessionis, Deo & piæ Matri eius gratias referebat.

CAPVT XIII.

De Glutino contracto curato in Episcopatu Salesberiensi.

ERrat ibi & alius contractus nomine GLVTINVS, qui meritò sic vocabatur, quoniam toto corpore sic erat conglutinatus, vt calcanei natibus, & tibiæ dorso inhærerent, ita vt velut in vnum globum redactus, faciem assiduè, super genua teneret. Hic ergò cum peccata sua confessus, & aqua lauationis reliquiarum lotus, intra decem dies, quibus ibi mansimus, non curaretur, mirantibus nobis, & vnde esset quærentibus, profitetur se non esse de ipso Episcopatu, sed de Salesberiensi. Protinus à nobis acriter obiurgatus, cur tentasset ibi sanitatem assequi, quam certum & probatum erat, nulli extra Episcopatum suum donari, cum lachrymis, & nimio eiulatu cœpit nos miserabiliter adiurare, vt pro Dei, sanctæque Matris eius amore, ad ipsam vrbem Salesberias proficisceremur.

Tam ipsius ergò, quàm totius plebis id ipsum exorantis, satisfacientes precibus: post decem dies egressi de Essecestra, & retrogradum iter arripientes, ad ipsam vrbem tendere cœpimus. Et ecce ipse itineris peritus vehiculo sedens iam processerat, & in ipso principio Episcopatus nos opperiebatur. Vix autem nobis ingressis primum stadium Episcopatus, ecce ipse qui præcesserat, cum vehiculo occurrit: statimque velut Domina nostra nolente eum vlterius fatigari, perfectè curatus de curriculo exiliuit, & omnibus qui vndique cernentibus confluebant, ad feretrum gratias agens in media via cucurrit. In hoc reuera probatum est illud, quod supra diximus, nullum extra suum Episcopatum potuisse sanari. Inde ergò, sicut dispositum fuerat, ad ipsam vrbem Salesberias peruenimus, vbi honorificè suscepti sumus ab Episcopo ipsius vrbis, pro notitia magistri ANSELMI, quoniam cognati eius ALEXANDER & NIGELLVS ad scholam eius diu manserant Lauduni.

CAPVT XIV.

De febricitante curato apud Vviltoniam Abbatiam sanctimonialium.

POstea venimus ad quamdam Abbatiam sanctimonialium, quæ vocatur Vviltonia: vbi nobis ostenderunt sepulturam venerabilis BEDÆ Presbyteri, egregij doctoris; propè quem sepulta est inclyta illa versificatrix, quæ proprio nomine vocata est MVRIER. Quidam ex longo tempore febricitans, iacebat ad sepulchrum venerabilis BEDÆ Presbyteri, vbi quamplures consueuerant sanari. Eadem nocte aduentus nostri apparuit ei in somnis MVRIER illa versificatrix, dicens ei: Non potes hîc modo per Bedam sanari, quoniam Beata Domini Mater ad nos descendit. Quod cùm nobis in crastino retulisset, & ex aqua reliquiarum lotarum bibisset, illicò sanatus est. Reuersi sumus per Essecestram, non tamen introiuimus vrbem, quamuis à multis rogaremur, ne viliores essemus, quoniam iam decem diebus in ea manseramus.

Sepulchrum venerab. Bedæ.

Murier poëtria.

CAPVT XV.

De puella cœca illuminata apud Danauexeriam.

EXinde venimus in prouinciam, quæ vocatur Danauexeria, vbi ostenderunt nobis cathedram, & furnum illius famosi secundum fabulas Britannorum Regis ARTVRI, ipsámque terram eiusdem Arturi esse dicebant. Ibi nos plurimùm honorauit quidam clericus nomine * AGARDVS, qui iam diu Lauduni manserat, quíque postmodum in Normannia factus est Episcopus vrbis Constantiniensis. Dum ergò ibi essemus, puella quædam ferè decennis nomine KENEHELLIS cœca à natiuitate, in villa, quæ Bomine

* Algarus vocatur in Gallia Christiana.

vocatur, ad feretrum venit, & lota oculos ex aqua reliquiarum lumen recepit.

CAPVT XVI.

De surdo ibidem sanato.

SEd & iuuenis quidam in eadem villa surdus à natiuitate ad feretrum venit, & lotus aures aqua reliquiarum protinus audiuit. Quidam etiam vir ibidem manum aridã habens, coram feretro pro sanctitate recipienda vigilabat. Sed sicut Britones solent iurgari cum Francis pro Rege ARTVRO, idem vir cœpit rixari cum vno ex famulis nostris nomine HAGANELLO, qui erat ex familia Domni GVIDONIS Laudunensis Archidiaconi, dicens adhuc ARTVRVM viuere. Vnde non paruo tumultu exorto, cum armis Ecclesiam irruunt plurimi, & nisi præfatus Algardus clericus obstitisset, pene vsque ad sanguinis effusionem ventum fuisset. Quam rixam coram feretro suo factam credimus Dominæ nostræ displicuisse, nam idem vir manum habens aridam, qui pro Arturo tumultum fecerat, sanitatem non recepit.

CAPVT XVII.

De puella curua apud Castrum Bannistaplum curata.

POst hæc venimus ad Castrum, quod dicitur Bannistaplum, vbi manebat quidam princeps nomine IOELLVS de Totenes, cuius vxor erat germana GVERMVNDI de * Pinkeni. Hic ergò partim pro coniugis suæ notitia, quæ de Ambianensi erat regione, vnde & nostra videbatur esse comprouincialis, magis autem pro miraculis, quæ per Dominam nostram facta didicerat, gratantissimè nos suscipiens, per triduum secum retinuit, scyphúmque argenteum, & calicem pretiosum, necnon & cortinas, aliáque ornamenta, quæ adhuc in Laudunensi seruãtur Ecclesia, sed & equum, qui ea deferret, dedit, multáq; alia; quindecim libras Laudunensis monetæ valentia superaddidit. Cuius deuotionis quasi cita remuneratrix volens esse Domina nostra, euidens ibi miraculum ostendit. Puella namque duodennis in eius domo manebat, adeò toto corpore incuruata, vt nusquam ire valeret, nisi quòd solummodò cum scabellulis rependo per terram se trahebat pro vt poterat. Hæc ergò ad feretrum adducta, peccata confessa, aquâ reliquiarum lota, quamdiu ibi fuimus non est curata, sed cùm iam nobis discedentibus cum magno fletu clamaret, heu piissima Domina sancta MARIA, ergóne sic discedes, & me non curatam relinques? protinus videntibus cunctis sanata, proiectis scabellulis exiliens stetit, & ad feretrum gratias agens cucurrit.

* Pequigny.

CAPVT XVIII.

De Monacho claudo ibidem curato.

MOnachus etiam quidam religiosus de Caritate ibidem manebat, in cella, quam præfatus princeps IOELLVS ædificauerat; qui iam per biennium morbo insanabili, quem medici sciam vocãt, adeò laborauerat, vt nusquam nisi claudicando, & baculo sustentando posset incedere. Hic ergò per totum triduum nobis in eadem Ecclesia remorantibus pro posse suo dulcissimè seruiens, & ex aqua lotarum reliquiarũ lotum morbi super femur lauans, quamdiu ibi fuimus non est curatus. Sed cum iam de castro egressi licentiam à populo gratias agentes peteremus, & ipse nos cum baculo claudicando prosequeretur, repentè curatus baculum proiecit, & ad feretrum cursim veniens, videntibus cunctis libenter, & hilariter illud amplexando deosculatus humerum supposuit, & ex vna parte longius nobiscum deportauit.

CAPVT XIX.

De alio claudo curato apud castrum Totenes.

POst hæc ad præfati principis IOELI castrum venimus, quod Totenes dicitur, deducentibus nos quibusdam ex hominibus eius, vbi honorificè à quibusdã Monachis suscepti triduo ibi mansimus. Quidam ergò senex illic manebat à natiuitate claudus, & omnibus notus, vt pote Præpositi eiusdem castri germanus. Hic auditis miraculis quæ fiebãt, cum fide & multa deuotione ad feretrum venit, & ex aqua lauationis reliquiarum bibens, eáque lotus protinus coram populo est erectus. Quod miraculum in tanta veneratione est habitum, vt confestim germanus eius ipsius castri Præpositus, ad feretrum quadraginta solidos Anglicæ monetæ obtulerit, infinitúsque populus post eum multa addiderit.

CAPVT XX.

De mirabili vindicta ibidem facta super eo qui se suspendit.

SEd ecce terribile miraculum sequitur, quod à tẽpore Iudæ proditoris rarò contigisse legimus. Tres siquidem iuuenes eiusdem territorij, carnis consanguinitate ad inuicem propinqui, videntes tantam pecuniam ad feretrum deferri, detrahere nobis cœperunt, dicentes nos quæstus causa magicis artibus talia facere miracula. Quorum vnus alios duos exhortatur, vt secum ad feretrum eant, simulantésque se illud osculari,

de nummis super altare positis ora sua lambendo repleant. Abnuentibus illis tantum facinus perpetrare sanctámque Domini Matrem offendere, perfidus ille cœpta persistens in malitia, dimisso foras equo, cui sedebat, Ecclesiam intrauit, ad feretrum venit, simulánsque se illud veneranter deosculari, de aceruo nummorum quantum potuit ore rapuit, & protinus exiuit, conscensóque equo socios qui eum præstolabantur repetens, nummos quos rapuerat ostendit, vsque secum ad proximam tabernam irent potatum inuitauit. Respondentibus illis se quidem cum eo ituros, sed de tali furto non bibituros, miser ille tabernam introiit, & pro vt libuit satiatus exiit. Postea illi duo ad populi conuentum redeunt: infelix verò ille, conscenso equo, cœlesti vindicta eum persequente, proximam syluam, quæ vix dimidio milliario procul erat, expetiit, resteque lineâ collo suo circumligata, in vnius arboris ramo se suspendit. Equus cui insederat vacuus ad populum rediens mirum intuentibus stuporem præbuit. Statim præfati duo iuuenes comparis sui equum recognoscentes, & quid ei contigisset admirantes, sed nescientes equi vestigia, perscrutando & cursim prosequendo ad syluam celeriter peruenerunt, eúmque reste suspensum, & iam mortuum inuenerunt. Deponentes autem eum, & marsupium, quod ad eius balteum pendebat, soluentes, nummos quos rapuerat, adhuc recenti saliua oris eius infectos repererunt. Quod protinus cum maximo luctu ad feretrum reportantes super altare reposuerunt, terræque prostrati, & pro defuncti cognati sui anima misericordiam sanctæ Dei Genitricis implorantes, coram vniuersis facinus quod miser perpetrauerat, retulerunt. Videres populi cateruas audito tanto scelere stupentes, & pro tam celeri vindicta pectora sua tundendo vbertim lachrymas emittentes.

CAPVT XXI.

De liberatione clericorum per sanctam MARIAM apud castrum Bristolth.

INde venimus ad fortissimum illud castrum, quod vocatur Bristolth, quod magno flumine circumdatur, per quod maritimas naues de Ibernia insula variis mercibus onustas, tunc quàm plurimi negotiatores illuc adduxerant. Nos ergò à Clericis eiusdem castri gratanter suscepti, audientésque naues multas aduenisse, gauisi nos emendarum nouarum vestium opportunitatem inuenisse, ad portum descendimus, nauésque introgressi, tantam varietatem diuersarum mercium diligenter & auidè, vt pote nouitatis videndæ curiosi, perspiciebamus. Quod cernens hospes noster, innotuit nobis consuetudinem Hibernentium negotiatorum esse, vt ignotos homines incautè naues suas introgressos, subitò & improuisè nauibus à littore propulsis ad exteras nationes transuehebant, & barbaris vendebant, monuítque vt ab eorum insidiis caueremus. Sed cum eius monita paruipendentes, rursum naues frequentare non omitteremus: ecce benigna Dei Genitricis prouisione, sequenti nocte non dormiendo sed vigilando, commonitus est idem hospes noster, nobis dicere ne vlterius naues illas ingrederemur, quoniam si quis illa die aliquam illarum intraret, absque omni dubio se protinus transducendum & barbaris sciret esse vendendum. Quod cùm nobis mane facto iureiurando notificasset, nos credentes quod verum erat, misericordia scilicet Dominæ nostræ nos fuisse præmonitos, ad naues vlteriùs non ascendimus, sed emptis necessarijs discessimus.

CAPVT XXII.

De puero sanato apud Begeam ciuitatem.

INde venimus ad vrbem, quæ Begea vocatur, & honorificè ab Episcopo Clericísque ac Monachis suscepti sumus. In ipsa autē vrbe sunt balnea calida, quæ ab aliis termæ vocantur. Puer quidam duodennis, eadem die aduentus nostri lauandi causa cum sociis suis easdem termas ingressus, sed minus cautè sibi prouidens, aquæ calentis vehementia depressus, vsque in profundum termarum est submersus. Vnde tamen à parentibus extractus, & cum luctu domum relatus, vitalem spiritum iam funditus emisisse à multis dicebatur. Sed auditis miraculis Dominæ nostræ, ad eius feretrum cum multa fidei deuotione eum detulerunt. Nos ergò videntes corpus iam refrigeratum, duos ignes fieri, & in medio eorum propter recipiendos calores illud suppendi, ita vt caput inferius, pedes vero penderent superius, deinde os eius aperiri, lignúmque paruum inter superiores & inferiores dentes poni fecimus. Quo facto, & multa aquæ abundantiâ euomitâ, corpus iam sufficienter calefactum deponitur, & ad feretrum deportatur, aqua lotarum reliquiarum abluitur, in ore etiam eius aliquantulum ex ea distillatur. Nec mora, ecce puer, Deo miserante, non solum spiritu recepto, sed etiam integra sanitate subsecuta, lætus cum parentibus suis domum rediit.

Multa sunt & alia miracula, quæ in Anglia fecit Domina nostra nobis cernentibus, quæ singillatim facilè non posset explicare cuiuslibet facundia. Hæc verò de pluribus

* Belga

pauca narrasse sufficiat, quæ, teste Deo eius Filio, sine vlla falsitate retulimus narratione veracissima. Nunc verò rogamus vos sicut fratres & Dominos, atque Concanonicos nostros, quorum præcepto mare transeuntes, plurimos in itinere labores pertulimus, vt eorum animas, qui vobis per nos suas trãsmiserunt eleemosinas, Domino, piæque Genitrici eius commendetis, & omnium bonorum, quæ in Ecclesia Laudunensi fiunt, vel deinceps fieri contigerit, eos participes esse A concedatis. Centum siquidem & viginti marcas, exceptis cortinis, & aliis Ecclesiasticis ornamentis, ex Anglia nobis attulimus; & qui feriâ secundâ ante ramos palmarum à vobis discessimus, ecce nunc duobus diebus ante Natiuitatem Dominæ nostræ reuertimur ad vos, cum gaudio, laudantes vobiscum IESVM Christum Dominum nostrum eius Filium, Regem Regum, & Dominum dominantium, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat per omnia sæculorum.

CAPITVLA LIBRI TERTII.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De multitudine populi ad Dedicationem Ecclesiæ Laudunensis.

OPitulante ergò diuinâ clementiâ, ex oblationibus fidelium per Franciam & Angliam collectis, in tantum Ecclesiæ nostræ opus prosperatum est, vt sequenti anno completa ædificationis restauratione dedicaretur. Anno siquidem ab Incarnatione Domini millesimo centesimo duodecimo, feriâ quintâ Paschalis hebdomadæ, præfata Ecclesia combusta fuerat, quo die etiam domnus GVALDRICVS Episcopus Laudunensis crudeliter interfectus est in domo sua, cum quibusdam ex hominibus suis, succesśitque ei in Episcopatu domnus HVGO; qui cum vix octo mensibus superuixisset, eo defuncto electus est ad Pontificatum, vt suprascriptum est, domnus Bartholomeus. Hic Episcopus consecratus adeò templum Dominæ nostræ studuit accelerare, vt post duos semi-annos incensionis eius: rursum fieret solemnis dedicatio ipsius, anno scilicet ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quarto decimo.

Anno M. C. XII. Combusta Ecclesia Laudun. Ita etiam Guibert. vitæ lib. 3. cap. 11.

Ann. M. C. XIV. Dedicata est eadem Ecclesia.

Placuit autem Episcopo & Canonicis, vt eodem die consecraretur, quo celebris eius dedicatio annis singulis obseruari consueuerat, id est octauo idus Septembris, tertio videlicet die ante Natiuitatem Beatæ MARIÆ. Ad quam dedicationem præfatus domnus BARTHOLOMEVS Episcopus accersiuit secum RADVLPHVM Remorum Archiepiscopum, GVILLELMVM Catalaunensem Episcopum, LISIARDVM Suessionensem, GODEFRIDVM Ambianensem, HVBERTVM Siluanectensem. Tanta verò plebis multitudo confluxit ad ipsam dedicationem, vt ducenta millia diuersi sexus & ætatis dicantur interfuisse; magna siquidem lætitia cunctorum cordibus inerat, quod post tantam eiusdem Ecclesiæ immò totius Laudunensis vrbis desolationem, in tam breui spatio, id est infra duos semi annos, de tanta támque profunda tenebrarum & calamitatis voragine, tantum claritatis per Dei Genitricis misericordiam videbant resplenduisse fulgorem; vt ipsi quoque Ecclesiæ nostræ videretur, non immeritò posse coaptari illa prophetæ Aggei sententia, quam de restaurando post Babyloniæ captiuitatem in Hierosolymis templo quondam prophetauit dicens: *Magna erit gloria domus huius secundæ, plusquam prioris.* Si enim diligens lector attentius inspicere velit, reuera facillimè poterit coniicere, post desolationis luctum, maiorem gloriam & exaltationem in Ecclesia Laudunensi, quam priùs fuerat successisse.

Agg. 2. 10.

Quis namque dignè poterit referre, quantus postmodum in Episcopatu Laudunensi, & de ipso per totum pene terrarum orbem fulgor religionis & noui luminis refulserit? post paucos siquidem annos, ille noui luminis nouęque conuersionis, non solùm interioris, sed etiam exterioris candoris nouus inuentor & inceptor, Domnus scilicet NORBERTVS, de Lotharingia Franciam adueniens, diuina præcedente & comitante gratia, in Episcopatu Laudunensi primam illam vineam plantauit, quæ in charitate radicata, & fundata iam impleuit terram, extendénsque palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines suas, vino fortitudinis suæ, quod lætificat cor hominis, iam vbertim inebriauit, plures Principes & Iudices terræ, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, ita vt fortiter inebriati nihil aliud quærant, nisi laudare nomen Domini, & cantare ei canticum nouũ; quoniã veterẽ hominem cum artibus suis exuentes, & nouum, qui secundum Deum creatus est, induentes, carnales illecebras funditùs abiiciunt, & quasi de aqua in nuptiis à Domino in vinum conuersi, quæ retrò sunt obliuiscuntur, & ad ea quæ ante sunt extenduntur, sicque licet in terris corporaliter consistant, tamen quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram, dicentes cum Apostolo: *Nostra autem conuersatio in cœlis est, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens:* cœlestibúsque Seraphim mente coniuncti, solo Christi iugiter ardent amore, cui corpora etiam sua exhibent hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, candorem virtutum, quo intrinsecus nitent, etiam in exteriori veste præferentes. Huius tam sublimis & gloriosæ institutionis, præfatum BARTHOLOMEVM Episcopum fuisse consortem & participem, ex sequentibus facile poterit agnosci.

S. Norbertus Laudunum, quin & totũ orbẽ illustrauit.

Psal. 79. Psal. 148. Psal. 149. Ephes. 3. 9. Ioan. 2. 9. Philip. 3. 13. Coloss. 3. 1. Philip. 3. 20. Rom. 12. 1.

CAPVT II.

Quomodo domnus BARTHOLOMEVS *Episcopus domnum* NORBERTVM *inuenerit.*

Gelasius Papa Cluniaci vita functus.

PASCHALI siquidem Papa Romæ defuncto, cùm IOANNES Cardinalis ei succedens GELASIVS dictus fuisset, & in Franciam venire volens apud Cluniacum vitam terminasset: Cardinales, qui cum eo venerant, & Romam pro electione facienda redire se non posse videbant, necessitate compulsi protinus elegerunt ad sedis Apostolicæ Presulatum è proxima ciuitate domnum GVIDONEM Viennensem Archiepiscopum, virum nobilem & industrium, Reginæ Francorum coniugis, scilicet LVDOVICI Regis, patruum, eúmque in eadem prouincia Papam consecrantes CALIXTVM appellauerunt. Hic ergo antequam Romam iret, in Francia generale concilium tenere voluit; vniuersósque pene totius Occidentis Episcopos, & Archiepiscopos, cum Abbatibus, & aliis Ecclesiasticis personis ad vrbem Remorum conuenire præcepit; cui Concilio etiam præfatus Rex Francorum LVDOVICVS interfuit.

Illi subrogatur Guido Vienn. Arch. vocaturque Calixtus.

Concilium Remense.

Huius itaque Concilij causa supradictus domnus BARTHOLOMEVS Episcopus cum Clericis suis, & hominibus, Remorum vrbem expetens, cùm iam Monasterium Sancti THEODORICI præterisset, supra memoratum virum NORBERTVM cum duobus Clericis non longè ab itinere sedentes conspexit. Audierat si quidem ante paululum idem NORBERTVS duas voces, sicut postea referre solitus erat, quarum prior ex vna parte clamauerat; Hic est NORBERTVS & socii eius, altera vero ex alia parte subiunxerat. Hic est NORBERTVS & socius eius. Quod quid signauerit, posteriùs dicetur. His ergo duabus vocibus ex summitate aëris auditis, NORBERTVS stupefactus ex itinere declinauit, terræque cum duobus sociis suis residens attonitus circum circa prospiciebat. Nec mora præfatus Episcopus appropinquans, non sicut Sacerdos vel Leuita, viso illo à latronibus vulnerato, præteriuit, sed ab itinere diuertens, benignè illos salutauit; deinde quinam essent interrogauit. Respondit NORBERTVS, se de Lotharingia esse, & relictis parentibus seculíque vanitate, religiosam vitam sequi proposuisse, huiúsque religionis norma sedis Apostolicæ Concilio, & auctoritate incipienda, iam per tres dies Remis demoratum fuisse, sed quia præ multitudine iugiter confluentium diuitum nullus sibi ad Papam ingressus patebat, tristem ac desperantem vrbe digressum, quo diuerteret nescire. Tunc nimia compassione permotus Episcopus, hortatur eos vt secum Remis redeant, promittens quòd eos ad Papam introduceret. Quia verò pedites erant, præcepit hominibus suis de equis descendere, sicque faciens eos ascendere, & secum equitare, in itinere diligentiùs eos sciscitans, audit eumdem NORBERTVM genere nobili ortum, in Ecclesia Coloniensi maximas diuitias possedisse, sed paupertatem eligendo cunctas ex integro reliquisse.

Norbertus à summo Pontifice repulsus: at in itinere occurrens à Bartholomæo deducitur.

Remis deinde Pontifex perueniens ad Papam ingreditur, modestè suggerit ei, non esse bonum quòd ipse Pater vniuersalis Ecclesiæ existens, solis diuitibus colloqueretur, pauperes verò ab eius colloquio repellerentur. Statim annuente Papa, NORBERTVS & socij eius ab Episcopo introducuntur, & Apostolico colloquio recreantur: sed quia nimis ibidem Papa occupatus, non ex integro desideriis eorum, vel colloquiis satisfacere poterat, promittit eidem Episcopo, se, se finito Concilio protinus Laudunum iturum, & per aliquot dies ibi requieturum, sufficienterque eis collocuturum, rogátque vt eos præmittat, & vt Lauduni se opperiantur, admoneat. Quamdiu ergò postea Remis fuerunt, semper eos Episcopus secum retinuit, deinde Laudunum rediens, nunquam eos à suo consortio separari permisit. Venientem postea sicut promiserat Dominum Papam officiosissimè, vt dignum erat, suscepit, tunc & demum Norbertum & socios eius colloquio ipsius abũdantissimè satiauit.

Papam alloquitur.

Norberto & sociis Lauduni satisfacit ille.

CAPVT III.

De Ecclesiola Sancti MARTINI *Laudunensis: & quomodo* BARTHOLOMEVS *Episcopus* NORBERTVM *per plurima loca duxerit.*

ERat tunc extra muros vrbis Laudunensis quædam Ecclesiola in honore Sancti MARTINI constructa, in qua iam idem Episcopus multotiens clericos religiosos, qui Deo ibi seruirent, posuerat; sed nullo ibi proficere valente, eadem Ecclesia in ipsius manu redierat. Videns ergò Episcopus præfatum NORBERTVM religiosam & pauperem vitam velle sectari, suadere cœpit ei, vt in eadem Sancti MARTINI Ecclesiola remaneret; Papam etiam rogauit, vt exinde eum admoneret. Sed NORBERTVS intelligens eius conatus, non idcircò, inquit, maiores diuitias Coloniæ reliqui, vt minores modo quæram Lauduni: non in vrbibus volo remanere, sed potiùs in locis desertis,

Renuit Ecclesiam in vrbe Laud. Norbertus, sed in desertis locis optat habitationem.

& incultis. Cui Episcopus: deserta, inquit, & inculta loca, religionísque congrua in Episcopatu isto quàmplura vobis ostendam, & ostensa conferam. Dixit & post Domni Papæ discessum assumens eum, ostendit ei, non omnia Regna mundi, & gloriam eorum, sed illam maximam diocesis suæ syluam, quæ vocatur Terrascea. Duxit ergò eum ad locum, qui dicitur Fuisniacus, demonstrans ei aquarum, & pascuarum, syluæque, & terrarum congruam opportunitatem religioni. Tunc ille facta oratione; Reuera, inquit, hic locus omnino religioni est congruus, sed non est mihi à Deo destinatus. Episcopus exinde duxit eum ad alium eiusdem syluæ locum, qui Telonias vocatur, quem sibi ostensum, post factam orationem, sicut prius dixit idem Norbertus; Reuera satis religioni congruum, sed nec hunc à Deo sibi destinatum.

Tunc Episcopus Laudunum rediens, duxit eum in syluam Vosagum, ostenditque ei in ipsa locum quemdam, qui *Pratum Monstratum*, vel *Præmonstratus* vocatur. Viderit ergò quisquis hæc legerit, cuius deuotionis hic Episcopus fuerit, qui, relictis Episcopalibus negotiis, hominem ignotum per tot syluestria, & inuia loca, non sine magno labore circumducebat, quæ licet etiam hodie, cum iam à multis incoluntur, videantur horribilia, tunc tamen nimis erant asperiora, & terribiliora, vt pote ab omni hominum habitatione procul remota, solísque lupis, & apris contigua.

Præmonstratum eligit.

CAPVT IV.

Quomodo Præmonstratensis Ecclesia incœpta sit.

Ecclesiola Præmonstrat. quæ iuri Abbatiæ S. Vincentij subiacebat, traditur Norberto.

VEnientes itaque ad præfatum locum Præmonstratum, ingrediuntur orandi gratia quandam Ecclesiam, in honore sancti Ioannis Baptistæ ibidem constructam. Hæc erat de iure cœnobij Sancti Vincentij Laudunensis, & aliquis monachus de eodem cœnobio illuc pro agendo diuino officio nonnumquam dirigebatur; sed quia finitâ Missâ panis ibi non inueniebatur, nisi aliunde afferretur, iam cum ipsa Ecclesiola locus idem penè remanserat desertus. Cùm ergò Pontifex oratione finita exiens virum Dei admoneret ab oratione surgere, quoniam iam hora noctis superuenientis vrgebat, nullúsque remanendi locus erat, seruus Dei egressus rogauit eum, vt cum hominibus suis discederet, séque ibidem tota nocte sequenti vigilare permitteret. Tunc Præsul celeriter conscensis equis, vt pote iam nocte incumbente, velociter Auisiacum venit, nec tamen Domni NORBERTI oblitus, rursum ei per nuntium suum panem & cætera necessaria transmisit.

Facto mane ad eum reuersus, quid agere vellet, inquirint. Ille præ nimio gaudio exhilaratus: Hîc, inquit, Domine pater remanebo, quoniam ipsum locum istum mihi scio à Deo esse destinatum; hîc requies, & sedes mihi erit, hîcque per Dei gratiâ saluabuntur multi. Nec tamen hæc Ecclesiola eis principalis sedes erit, sed ex alia parte huius montis ædificabunt sibi mansionem, in qua requiescent. Vidi enim hac nocte in visu quasi maximam multitudinem albatorum virorum cruces argenteas, & candelabra, atque thuribula ferentium, ipsúmque locum cantando circumeuntium. Pontifex itaque magnificè lætificatus, nec tamen iniuriam volens facere cœnobio Sancti Vincentij, cuius iuris idem locus erat, accersito Abbate Sancti Vincentij, vtiliorem tunc temporis commutationem dedit ei, sicque locum illum cum Ecclesia liberum Domno NORBERTO priuilegij sui auctoritate confirmauit. Seruus ergò Dei NORBERTVS ibi remansit, Episcopus vero Laudunum quidem rediit, sed assiduè tam ipsius, quàm sociorum eius curam habere non destitit.

Præuidet maximam sui ordinis propagationem.

Post paucos dies vir Dei Laudunum veniens, Scholam magistri RADVLPHI, qui germano suo magistro ANSELMO defuncto successerat, ingreditur, & Scholasticus eius sermonem exhortatorium faciens, protinus septem ex eis ditissimos, qui nuper de Lotharingia venerant, conuertit, & cum magna pecunia ad Ecclesiam suam duxit. Sed antiquus hostis qui semper seruorum Dei profectibus inuidere consueuit, etiam hunc in ipso principio perturbare studuit, & sicut Euam in paradiso seduxit, Iudámque inter Apostolos deprauauit, ita etiam vnum ex duobus sociis eius, qui cum eo venerant, corrupit. Hic namque præfatam pecuniam à Scholasticis delatam, sibique à magistro commendatam, media nocte furtim sumens, & de Ecclesia fugiens, latenter discessit, & præfatos Scholasticos in multa penuria & necessitate reliquit. Túncque primum vir Dei recordatus vocum, quas propè Remorum vrbem eum audisse supra diximus, & ipse intellexit, & domno Episcopo sese super hoc consolanti exposuit, secundam vocem quæ clamauerat: Hic est NORBERTVS & socius eius, hoc significasse, quod ex duobus sociis qui cum eo venerant, vnus solummodo esset remansurus, alter cum Iuda exiturus. Et ipse quidem sic intellexerat.

Septem ditissimi viri illius se subdunt institutioni.

E duobus sociis Norberti vnus sumptâ pecuniâ aufugit.

Domnus autem LEONIVS Abbas Sancti Bertini, vir religiosissimus, & tàm gentilium, quàm diuinarum literarum peritissimus, nu-

Leonius Abbas S. Bertini refert S. Norberti visionem.

per hunc libellum legens protinus aliter interpretatus est illam vocem, mihique vt ex parte sua sententiam suam hîc ponerem præcepit, dicens ex ipsa consideratione temporis, & personæ appropinquantis palam intelligi posse, quod BARTHOLOMÆVM Episcopum vox illa testata sit socium esse NORBERTI. Cùm enim, inquit, tribus diebus Remis demoratus, & Papæ loqui non valens, tristis ac desperans de vrbe exisset, & quid iam ageret, vel quo verteret, nesciret; nullàmque consolationem præter Deum sibi habere videretur, nisi in duobus sociis suis, quos sibi indiuisibiliter adhæsuros quocumque iret, confidebat; vox desuper ei sonuit, hic est NORBERTVS, & socius eius, ac si apertius ei dixisset: Noli desperare, vel in duobus tantum sociis tuis confidere quia ecce propè est Episcopus, quem tibi Deus socium dedit, qui te secum reducens faciet Papæ colloqui; qui in tribulationibus tuis consolator dulcissimus tibi erit; qui tibi sedem & Ecclesiam, in qua requiescas, & fructum facias dabit. Hæc mihi scribere præcepit domnus LEONIVS Abbas Sancti Bertini, & ego credens eum reuera benè & fideliter intellexisse libenter ei obediui.

CAPVT V.

Quomodo WALTERVS *factus sit Abbas Ecclesiolæ Sancti Martini Laudunensis.*

POstmodum ergo videns Episcopus in eodem loco Præmonstratensi, iam non paruum numerum fratrum religiosè viuentium conuenisse, rogauit domnum NORBERTVM, vt aliquos ex ipsis in supra scripta Beati Martini Ecclesiola, in qua ipse rogatus remanere noluerat, poneret; qui eam ad Dei honorem construere, & augmentare studerent. Adquiescens ille precibus Pontificiis, paucos ex fratribus suis ibi posuit, Abbatémque eius virum religiosum domnum GVALTERVM præfecit. Cui Deus, orante, sicut credimus, Beato Martino, tantam confestim gratiam contulit, vt de ipso quoque illud videatur posse dici, quod de sacra puella Ragueli, patri eius Angelus dixit, propterea nullus potuit habere eam, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua. Similiter eam Beati Martini Ecclesiolam cum plures ab Episcopo regendam suscepissent, nullúsque eorum ibi proficere potuisset, huic Abbati GVALTERO, tam bona fortuna per diuinam gratiam comes adhæsit, vt infra duodecim annos plusquam quingentorum fratrum Deo seruientium ibi conuentus inueniretur: vnde non immeritò dixerim

Tob. 7. 12.

Quingenti Religiosi in Monasterio S. Martini Laudun.

eam illi à Deo reseruatam.

Paupertatem tamen tantam in primis ibi sustinuit, vt præter vnum asinum, burdinum nomine, nihil penè aliud haberent, quem in proximam syluam Vosagum mane ducentes, lignáque cæsa dorso eius imponentes, Laudunum reducerent, & ex venditis lignis panem sibi emerent: multotiens iam diu ieiuni manentes, donec panis ille emptus post nonam eis deferretur. Ipsi tamen consolante Abbate GVALTERO in tanta penuria non deficientes, sed assiduè Deo seruientes, & manibus propriis laborando paulatim proficientes, ad tantam iam Deo donante prouecti sunt abundantiam, vt ex vineis suis tria millia modios vini frequenter habeant, & tam in terrarum, & molendinorum, quàm & in pecorum possessione, cuncta pene Laudunensis Episcopatus cœnobia præcellant. Charitatis etiam, & hospitalitatis tanta ibi affluentia reperitur, vt propter hospitum assiduam susceptionem, propter pauperum cotidianam releuationem, mirum in modum videatur ibi Deus omnia multiplicare & augmentare, adeò vt iam inter præcipua, & excellentia Franciæ Monasteria computetur.

Quanta ipsorum paupertas.

Ob eleemosynas & hospitalitatem ditissimi euaserunt.

CAPVT VI.

Quomodo Præmonstratensi Abbatiæ Domnus HVGO *præfectus sit.*

POstmodum etiam in Præmonstratensi Ecclesia Domnus NORBERTVS Abbas quidem esse noluit, sed illum ex duobus sociis suis, qui cùm eo remanserat, nomine HVGONEM, eiusdem loci Abbatem constituit. Non solùm autem virorum, sed etiam fœminarum cohortes idem NORBERTVS ad Deum conuertere studuit, ita vt hodie in diuersis eiusdem Ecclesiæ locis, plusquam mille videamus conuersas tanto rigore & silentio Deo seruire, vt in districtissimis cœnobiis monachorum vix similem religionem possit aliquis inuenire. Nec contentus fuit intra Laudunensis diocesis terminos fratrum suorum turmas coërceri, sed instar apum, quæ de vasculis in quibus mellificauerint exeuntes, ad alia loca mellificaturæ transuolant, etiam ipse diuersa, & deserta loca cœpit expetere, directísque fratribus noua monasteria ædificare.

Hugo I. Abbas Præmonstratensis.

Moniales eiusdē Ordinis quanto rigore vitam agebant.

Constituit verò ex omnibus Monasteriis, quæ vel in vita sua, vel post obitum suum institutiones ac regulæ suæ normam ac propositum sequerentur, vniuersi Abbates singulis annis in festo S. Dionysii ad primam matrem, de qua processerant, id est Præmonstratensem Ecclesiam, quasi ad fontem

Capitulum generale quotannis.

potaturi conuenirent, & simul positi generale Capitulum tenerent, ac si quid vel communiter, vel in aliquo fortè corrigendum esset, ibidem corrigerent. Cum ergo necdum triginta anni transierint, ex quo domnus Norbertus per supradictum Episcopum ibi adductus est, iam tamen, diuina præstante gratia, tot exinde Monasteria pullularunt, vt ferè centum Abbates in prædicto festo ex eis ibi conuenisse inueniantur, non solùm ex Francia, vel Burgundia, sed ex ipsa quoque Alemannia, Saxonia seu Wasconia. Vt enim de aliis taceam, ex sola præfata Sancti Martini Ecclesia, cui adhuc primus Abbas domnus GVALTERVS præest, iam duodecim alia processerunt Monasteria. Nec verò solum vicinæ tanto hoc lumine perlustrantur prouinciæ, sed etiam mare iam huius noui solis radius transiuit, & vrbem Hierusalem transmissis aliquot clarissimis stellis irradiando splendificauit.

Quantus Abbatum numerus.

Quid alij sentiant ignoro, ego corde credo, & fidenter ore pronuncio, omnium bonorum, quæ in tot prædictis Monasteriis fiunt, vel deinceps fient, domnum Bartholomæum Episcopum consortem esse, participémque, & cooperatorem. Cum enim veritas in Euangelio dicat: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*; profectò liquet quòd Pontifex iste, qui præfatum seruum Dei non solùm recepit, sed etiam, vt supra scriptum est, intermissis Episcopalibus negotiis, per tot syluarum deuia & horrida loca circumducere, & ad vltimum in Præmonstratensi solitudine firmiter plantare, plantatúmque iugiter rigare studuit, fructus vtique illius dulci mercede non carebit. Beatus siquidem GREGORIVS in Homilia Euangelij, *Anno quinto decimo*, præfatam sententiam subtilius exponens: Notandum, inquit, quod non ait Dominus, mercedem de Propheta accipiet, sed mercedem Prophetæ; quia mercedem, quam Propheta de bono opere suo à Deo accepit, eamdem etiam ipse, qui eum recipiendo ei adiutor extitit, se percepturum nouerit.

Præmonstratensi Ordini quid contulerit Bartholomæus Episcopus.

Matt. 10. 41.

Homil. 20 sub mediū

Ad cuius rei certitudinem euidentius demonstrandam, idem Beatus GREGORIVS etiam Isaiæ Prophetæ testimonium subjungit, qui inter cedrum, oliuam, abietem, cæterásque pretiosiores arbores, etiam vlmi facit mentionē, quæ licet per se fructū non ferat, tamen cùm vitē cū botro portat, etiā ipsa à Domino computatur inter arbores fructiferas. Quam Beati GREGOII sententiam, si quis diligentiùs velit inspicere, puto quòd me non deridebit hoc scripsisse, sed fidenter etiam ipse pronuntiabit, quòd præfatus Episcopus BARTHOLOMEVS licet Ecclesiasticis officiis occupatus, secularibus negotiis implicari visus fuerit, tamen dum seruos Dei mundanam vitam fugientes tantopere semper adiuuare studuit, etiam piæ conuersationis eorū dulci desiderio per gratiam Dei particeps extitit, vnde & in futuro mercede eorum non carebit. Quod cùm ita sit, fateor meritò laudari debere illam domni LEONII Abbatis S. Bertini superius memoratam sententiam, quia eumdem Episcopum domni NORBERTI socium cœlesti voce intellexit fuisse denunciatum.

Præ stos sé- per omnib. religiosam vitam operantibus fuit.

CAPVT VII.

Multiplex commendatio domni NORBERTI.

SEd vt iam de eodem NORBERTO breuiter concludam, nullius post Apostolos conuersationem plurimi testantur in Sancta Ecclesia tantum fructum, in tam breui spatio temporis fecisse. Licet enim aliqui dicant domnum BERNARDVM Abbatem Clareuallensem, eodem tempore non minus fructificasse, tamen si quis diligentiùs attendat, puto quòd Norbertum præcellere non negabit. Domnus siquidem BERNARDVS illius religionis non fuit inceptor, sed iam eadem religio florebat in *Cistellensi* Cœnobio, in quo præfatus BERNARDVS esset clericus, auditâ eiusdem religionis famâ, monasticum habitum sub Abbate STEPHANO sumpsit: de quo etiam cœnobio Clareuallense Monasterium processit, cuius idem BERNARDVS pro sua sanctitate primus Abbas est institutus.

In quo differt Norbertus à Bernardo.

al. * *Cisterciensi.*

Ipse ergò quamvis sua prædicatione plurimos conuerterit, multaque Monasteria de Clareuallensi gratiâ Dei genuerit, tamen ipsius religionis rigator quidem magnus, & propagator, sed non primus fuit plantator: NORBERTVS autem suæ Institutionis primus fuit plantator, primúsque Dei dono inceptor; quoniam licet eius sequaces Beati Augustini dicant se tenere regulam, tamen, vt eiusdem Beati Augustini pace dicamus, multo rigidiorem, multóque seueriorem videmus esse NORBERTI, quàm Augustini Institutionem.

Præterea in Cistellensi cœnobio soli viri suscipiuntur; domnus vero NORBERTVS cum sexu virili etiam fœmineum ad conuersionem suscipi constituit; ita vt etiam arctiorem, & districtiorem in eius Monasteriis videamus esse conuersationem fœminarum, quàm virorum. Illi autem tàm pro necessariis operibus, quàm pro aliis negotiis post conuersionem ad publicum progredientes, Ecclesiasticis frequenter, aut etiam secularibus responsis, vel legationibus implicantur; & multotiēs quos in priori vita nouimus, aut

Fœminarum quæ B. Norberti instituta sunt professæ, mira conuersatio.

rusticos fuisse, aut pauperes, in religionis habitu quasi fastuosè cernimus equitantes; fœminis autem mox vt conuersæ fuerint perpetua deinceps lex manet, semper intra domus ambitum clausas retineri, nusquam vlterius progredi; nulli viro, non modò extraneo, sed nec germano, aut propinquo loqui, nisi ad fenestram in Ecclesia, duobus viris conuersis cum viro exterius, & duabus fœminis cum illa interius residentibus, & quicquid dicitur audientibus.

In ipso etiam conuersionis initio mox vt suscipiuntur, ad resecandam omnem superbiam, & carnalem voluptatem, etiam capilli earum vsque ad aures tunduntur, vtque magis Christo cœlesti sponso placeant, pro eius amore in fragili & illecebrosa carne omnino deturpentur. Nulli deinceps preciosam vestem nisi ex lana, vel ouinis pellibus licet habere; nulli velum sericum more quarumdam sanctimonialium, sed vilissimum panniculum nigrum super caput portare. Et cùm in tanta districtione & vilitate cum silentio sciantur esse reclusæ, miro tamen modo, Christi operante virtute, cotidie videmus fœminas non modo rusticas, vel pauperes, sed potiùs nobilissimas, & ditissimas, tàm viduas iuuenculas, quàm etiam puellulas, ita conuersionis gratia spretis mundi voluptatibus ad illius Institutionis Monasteria festinantes, & quasi ad mortificandam teneram carnem currentes, vt plusquàm decem millia fœminarum in eis hodie credamus contineri.

Decem millia Sanctimonialium.

Si ergò nihil aliud Domnus NORBERTVS fecisset, sed omissa conuersione virorum, tot fœminas seruitio diuino sua exhortatione attraxisset, nonne maxima laude dignus fuisset? Nunc verò cùm vtriusque sexus eius doctrina tot millia Christo famulentur, cùm Institutionis eius tot Monasteria per orbem refulgeant, nescio quid alii sentiant, mihi videtur verum esse, quòd plurimi asserunt, à tempore Apostolorum nullum fuisse qui tam breui temporis spatio sua Institutione tot perfectæ vitæ imitatores Christo acquisierit. Et si quidem in Præmonstratensi cœnobio diutius mansisset, forsitam multa alia fecisset: sed diuinæ prædestinationi placuit, vt honorem quem in vita seculari fugiendo declinauit, assequeretur in habitu religionis, & qui ante conuersionem noluit esse Episcopus, post conuersionem fieret Archiepiscopus.

CAPVT VIII.

Quòd Episcopatum Cameracensem renuerit.

Hugo I. Abbas Præmonst.

DOmnus siquidem HVGO Præmonstratensis Abbas mihi nuper narrauit: A quòd in principio conuersionis suæ cùm Ecclesiam Coloniensem & parentes suos idem Norbertus reliquisset, Valencenias pedes & discalciatus venit, ibique domnum BVRCHARDVM Cameracensem Episcopum inuenit. Cum ergò mane præfatum Episcopum Missam celebraturum * audisset, veniens ad Ecclesiam, rogauit eumdem HVGONEM, qui tunc ipsius capellanus Episcopi erat, vt se faceret Episcopo colloqui. HVGO nesciens quis esset, ingressus nunciauit Episcopo B quemdam clericum peregrinum pro foribus esse, & ei loqui velle. Iussu deinde Episcopi introductum, cum eum Episcopus recognouisset, vtpote quem in Imperatoris curia multotiens familiariter conuersantem, magnisque diuitiis pollentem viderat, protinus admirando stupefactus, vberrimisque lachrymis perfusus: O, inquit, domne NORBERTE, quis credere potuisset te tantas diuitias relinquere, & ad tantam paupertatem sponte venire? Domine Deus, quid est quod video de domno NORBERTO, quem C olim tam superbè indutum, támque pompatico fastu videbam incedere solitum?

quondam Capellanus Episcopi Camerac.

Cumque Hugo capellanus Episcopi videns eum tàm mirabiliter flentem, & præ nimio fletu vix loqui valentem, interrogauit eum quisnam esset idem NORBERTVS, pro quo tantoperè lachrymabatur; Episcopus respondens: si scires, inquit, quis fuerit, mirareris quòd nunc talis sit. Quando enim Imperator dedit mihi Episcopatum Cameracensem, huic Norberto prius eum obtulit, sed ipse eum suscipere vel habere D noluit. Hic enim inter Canonicos Colonienses honorabilis, & ditissimus erat, sed nunc sicut cernis omnia prò Deo reliquit, & nudis pedibus Deum quærere satagit.

Hæc ex Episcopi ore audiens HVGO capellanus eius, & protinus NORBERTI dilectione succensus, quoniam iam & ipse mundo renuntiare cogitauerat, Deo gratias agere in corde suo cœpit, qui sibi talem socium destinauerat. Sicut ergò quondam Andreas à Magistro suo IOANNE BAPTISTA Dominum audiens laudari, relicto eodem Ioanne secutus est Dominum; sic etiam E HVGO audiens NORBERTVM tantopepe laudari à Domino suo BVRCHARDO Episcopo, cuius diu capellanus fuerat, relicto eodem Episcopo adhæsit NORBERTO, eiúsque consilio, dispositâ substantiâ suâ, socius ei peregrinationis, & prædicationis inseparabilis factus est, & cum eo nudis pedibus vbique proficiscebatur, donec Remis veniens ad Concilium Papæ Calixti, Domno Bartholomæo Laud. Episc. sicut supra retulilimus, notificatus est.

CAPVT

CAPVT IX.

Quomodo Magdeburgensis Archiepiscopus factus sit.

QVia ergò relatum est quòd Episcopus Cameracensis esse potuerit, sed noluerit, nunc subjungatur quomodo Archiepiscopus factus fuerit. Cum iam plures vtriusque sexus, relicta seculi vanitate, ad Dei seruitium conuertisset, multisque Monasteriis longè latéque constructis, fama eius vbique protenderetur, transmissus est ab illo magni nominis Comite Campaniæ THEOBALDO, HENRICI Regis Anglorum germano filio, ad excellentissimum quemdam Lotharingiæ Principem, cuius filiam idem Comes coniugem duxit. Accidit interea, vt Archiepiscopo Magdeburgensi defuncto, Clerici eiusdem vrbis ad faciendam electionem alterius conuenirent. Eodem verò anno Domnus NORBERTVS secretò colloquens familiari suo domno GAVFRIDO Carnotensis vrbis Episcopo, prædixit ei se per visum cognouisse, quòd ipso anno futurus esset Episcopus, sed nesciebat cuius vrbis vel prouinciæ.

Cum ergò Clerici Magdeburgenses plures quidem elegissent, sed in nullius electione vnanimiter consentirent, nuntiatur eis duos Apostolicæ sedis legatos, viros religiosos, ab vrbe Roma Maguncìacum venisse, quorum vnus PETRVS, alter vocabatur GERARDVS, qui postea Papa factus CELESTINO successit, & EVGENIVM præcessit. Timentes itaque præfati Clerici ne pro discordia electionis perniciosa fortè inter eos oriretur seditio, inito consilio prædictos sedis Apostolicæ legatos adeunt, & electionem suam in ore eorum ponunt, & quemcumque elegissent se concessuros promittunt. Legati videntes tantam eorum deuotionem, proposuerunt nullam accipere pecuniam, quæ ipsis à nonnullis per internuncios offerebatur, ne fortè sedes Apostolica, & maximè ipsi, super hoc infamarentur. Cum ergò pro tanto negotio decenter, ac laudabiliter, ac sine omni simoniæ nota terminando Domini misericordiam peterent, & cum sapientibus viris in Ecclesia positi exinde diligenter tractarent; ecce insperatus & improuisus de Francia veniens, orandi gratia, eamdem Ecclesiam NORBERTVS ingreditur, eiusdem negotii omninò ignarus.

Quo viso legati stupefacti & admirantes, precésque suas à Deo exauditas esse gaudentes, Clericos Magdeburgenses conuocant, & vtrum adhuc in sua sententia permanentes, à se electum suscepturi forent, interrogant. Illis vnanimiter insimul respondentibus se absque vlla contradictione suscepturos quemcumque nominassent, protinus legati subjungentes: & nos, inquiunt, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti vobis nominamus, & eligimus domnum NORBERTVM virum religiosum & probatum, nobísque ac vobis pro explendo præsenti negotio, sicut credimus, à Domino Deo transmissum. Attonitus super tam incredibili & celeri facto stupet, & admiratur NORBERTVS, & vtrum vigilet an dormiat ignarus, vbi sit, vel vnde venerit, secum ipse percunctando miratur. Confestim igitur à Clericis capitur, trahitur, ad altare non ducitur, sed violenter portatur, sublimi voce, *Te Deum laudamus* cantatur; deinde obedientiæ vinculo coactus Episcopus consecratur. Sic ergò dum fugit Cameracensem Episcopatum, adeptus est, Deo volente, Magdeburgensem Archiepiscopatum, in quo religiosè viuens per aliquot annos, tandem à laboribus suis beato fine quieuit.

CAPVT X.

Immutatio Ecclesiæ Præmonstratensis, & melioratio.

PRæfatus autem socius eius domnus HVGO, Præmonstratensis Monasterij ab eodem NORBERTO Abbas electus, & à domno BARTHOLOMÆO Episcopo confirmatus, assiduè studuit vineā, quā domnus Norbertus secum plantauerat, exhortando & conlaborando rigare, Deo per omnia misericorditer incrementum ei dante. Videns autem Ecclesiolam illam paruam iam non posse sufficere tantæ multitudini fratrum quæ conuenerat, & quotidię per Dei gratiam augmentabatur, sciens etiam domnum NORBERTVM, vt superius dictum est, in spiritu præuidisse, quòd ex altera montis parte maior Ecclesia foret ædificanda, inito cum fratribus suis consilio domnum BARTHOLOMÆVM Episcopum, vt pote loci fundatorem, & patrem, aduenire rogauit, quatinus dispositis omnibus officinis, ipse primum lapidem in Ecclesiæ fundamento poneret.

Bartholomæus Episcopus fundator Præmonstr. Cœnobij.

Venienti ergò Episcopo totus ille Dei exercitus cum magna processione lætus occurrit, laudans Deum in voce exultationis & confessionis. Statim verò Episcopus recordatus visionis, quam Norbertus prima nocte aduentus sui in eodem loco se vidisſ

ſe retulerat, multitudinem ſcilicet albatorum virorum, cruces argenteas cum candelabris, & thuribulis ferentium, ipſúmque locum cantando circumeuntium, multùm exultauit, Deóque gratias egit, quia quod NORBERTVS in viſu viderat, hoc idem Epiſcopus reuera corporaliter nunc fieri cernebat.

Cuiuſmodi ergò Eccleſia, dormitorium, refectorium, cæteræque ibi officinæ, qualiſque murus per circuitum Monaſterij, per præfatum HVGONEM factus fuerit, palam inſpicere licet omni ſuperuenienti, quia in ditiſſimis, & antiquiſſimis cœnobiis Galliæ vix inueniri poteſt opus ſimile, ita vt omnes aduenientes, & inſpicientes protinus dicant; quoniam in veritate non ab homine, neque per hominem factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. IESV bone! quanto gaudio repletur BARTHOLOMÆVS Epiſcopus quotiens illuc viſitationis gratia veniens, conſpicit tam ſplendidum Monaſterium, ſuis diebus, ſuóque conſilio & principio à Domino conſtructum. Videtur mihi quod & ipſe cum Apoſtolo PAVLO dicere poſſit: Abundantius anteceſſoribus meis Epiſcopis Laudunenſibus feci, non autem ego, ſed gratia Dei mecum.

1. Cor. 15. 10.

CAPVT XI.

De conſtructione Fuiſniacenſis cœnobij.

NOn ſolùm verò domno NORBERTO, & ſequacibus eius, qui ſub ordine Clericali Deo ſeruiunt, idem Epiſcopus ſeſe adiutorem præbuit, ſed etiam de Clareuallenſibus monachis Monaſteria in ſua dioceſi ſtudens habere, locum qui Fuiſniacus vocatur, in Teraſcea ſylua eis dedit, quem, vt ſupra ſcriptum eſt, ab eodem Epiſcopo ſibi oſtenſum domnus NORBERTVS dixerat, religioni quidem congruũ, ſed nõ ſibi à Deo deſtinatũ. Dominus ergo qui ſeruos ſuos diſponit, & ordinat vbi vult, & quomodo vult Norberto quidem Præmonſtratum, Claræuallenſibus autem deſtinauit Fuiſniacum. Vbi Epiſcopus cum Monachis aliquando per hebdomadam integram, aliquando verò quindecim diebus commorando, eorúmque laborem, & paupertatem benigniſſimè ſuſtinendo; & dulciter eos aſſiduè conſolando, templum & neceſſarias officinas, cum molendinis, & agriculturis conſtruere & perficere ſtudebat.

CAPVT XII.

De conſtructione Spinetenſis.

NEc prius abſtitit, donec domno GOSVINO Abbate ibidem ordinato, magnáque fratrum turba congregata, etiam aliud Cœnobium ex eo procedere videret: in dioceſi ſua prope Guiſiam quod Spinetum vocatur. In quo Abbatem ordinauit nomine ODONEM: qui ab adoleſcentia ex vrbe Laudunenſi fugiens, in Monaſterio Fuiſniacenſi monachus factus fuerat.

CAPVT XIII.

De conſtructione Valclarenſis.

TErtium quoque de eodem ordine Clareuallenſium Monachorum præfatus Epiſcopus conſtruxit Cœnobium, in loco, qui abuſiuè ab incolis appellatur Valclarus.

CAPVT XIV.

De conſtructione Telonienſis Eccleſiæ.

POrrò locum, qui Telonias vocatur, quẽ domnus NORBERTVS dixerat religioni quidem congruum, ſed non ſibi à Deo deſtinatum, nolens Epiſcopus dimittere vacuum: poſuit ibi aliquos ex Clericis præfatæ Eccleſiæ ſancti Martini Laudunenſis: Abbatémque eis ordinauit domnum WALFRIDVM, virum religioſum. Ipſe quoque Epiſcopus, ſicut apud Fuiſniacum fecerat, per octo, vel quindecim dies cum eis ibidem remorando, templúmque lapideum, & alias officinas ædificare cœpit.

CAPVT XV.

De conſtructione Claræfontenſis.

ALiud ex præfato ordine Præmonſtratenſi conſtruxit Monaſterium, in loco, qui vocatur Clarafontana; Abbatem ibidem ordinauit virum religioſum domnum GERARDVM.

CAPVT XVI.

De conſtructione Cuiſſiacenſis.

SEd & aliud conſtruxit Monaſterium Clericorum, in loco, qui vocatur Cuiſſiacus: Abbatémque ibi ordinauit domnum LVCAM, virum religioſum. Cum autem vidiſſet monachos Valclarenſes, qui prope manebant, contendere contra vicinos ſuos Canonicos Cuiſſiacenſes, pro quadam contigua ſylua, dicentibus alterutris ſibi eam à laicis, qui eam poſſederant,

prius datum fuisse, iúsque suum alterutrum defendentibus, ita vt etiam domnus SANSON Remorum Archiepiscopus, domnúsque IOSLENVS Suessorum Episcopus, cum præfato Episcopo domno BARTHOLOMÆO, viciníque Abbatibus frequenter conuenientes non possent hanc litem inter eos terminare: dolens & grauiter ferens idē Episcopus, inter religiosos diocesis suæ viros tantam discordiam versari, malúmque exemplum exinde raptoribus, & aliis secularibus viris generari, cogitauit vt pecuniâ suâ huiusmodi rixam tēperaret, sicque dans quindecim libras nummorum quibusdam militibus, aliam ab eis syluam emit, quam clericis Cuissiacensibus pro ea, quam repetebant, conferens, diutinam seditionem hac donatione tandem sedauit; & sicut credimus in eorum numero meruit ascribi, de quibus Dominus dicit: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Nota.

Mat. 5. 9.

CAPVT XVII.

De constructione Cœnobij fœminarum, quod dicitur Monsteriolum.

HÆc itaque octo Monasteria, tria quidem ex Clareuallensium ordine Monachorum, quinque verò ex Præmonstratensium Clericorum, instar octo beatitudinum Euangelicarum in diocesi sua domnus BARTHOLOMEVS construens, & singulis proprium Abbatem ordinans, ad vltimum vt compleretur numerus nouem ordinum Angelicarum virtutum, etiam nonum Monasterium sexus fœminei in loco, qui Monsteriolum dicitur, prope Clarafontanam superaddidit, Abbatissámque ibi religiosissimam puellam, nomine GVIBVRGEM, ordinauit; quo vno monasterio non immerito dixerim Laudunensem Ecclesiam omnibus aliis debere præferri. In nulla enim orbis parte antea vel lectum in codicibus, vel auditum fuit auribus, huiuscemodi religionis Abbatiam fœminarum extitisse. Hæ siquidem quasi illius Dominici dicti executrices: *Regnum cœlorum vim patitur; & violenti rapiunt illud*: ad idem Regnum toto conatu ascendere nitentes, terrena funditus despiciunt; & non solum seculum, sed ipsum quoque sexum vincere gestientes, ordinem Cistellensem, quem multi virorum, & robustorum iuuenum aggredi metuunt, violenter, immò libenter, spontanee assumpserunt; depositísque omnibus lineis indumentis, atque pelliciis, solis tunicis laneis vtuntur; & non solùm nendo, vel texendo, quod fœmineum opus esse constat, sed etiam in agris fodiendo, & cum securi & ligone syluam succisam extirpando, spinas & vepres euellendo, manibus propriis assiduè laborantes, cum silentio victum sibi quærunt; vitamque Clareuallensium Monachorum per omnia imitantes in semetipsis ostendunt verum esse illum Domini sermonem: quia omnia possibilia sunt credenti.

Monialiū quàm austerum vitæ genus.

Matth. 11. 12.

Hoc itaque nonum Monasterium fœminarum à præfato Episcopo constructum, non immeritò superius dixerim ad similitudinem noni ordinis Angelorum factum, qui Seraphim vocantur, id est ardentes, vel incendentes: quoniam reuera istæ fœminæ, nisi mirabili diuini amoris igne calerent, nequaquam profectò tot tantósque labores antea fœminis intentatos, & inexpertos sustinere valerent. Sed dum intus fortiter ardent, & ipsæ mira faciunt: & alios suo exemplo ad mundum contemnendum accendunt: similes carbonibus viuis, qui mortuis admixti protinus eos accendunt, ardentésque reddunt. Et hæc quidem nouem Cœnobia prædictus Episcopus suo tempore construxit, nec tamen antiquiora, quæ iam constructa inuenit, corrigere destitit.

CAPVT XVIII.

De domno SIMONE *Abbate Sancti Nicolai.*

IN Cœnobio namque Sancti Nicolai, quod in sylua Vosago situm, videbat aliquantulum in religione tepuisse: quemdam strenuissimum monachum Sancti Nicasii Remensis, nomine SIMONEM, fecit Abbatem: per quem Deo donante intra breue tempus sic meliorata est eadem Ecclesia, vt & interius in religione, & exterius in multimoda floreret possessione. Vnde Comes Cāpaniæ THEOBALDVS consilio domni Norberti, quemdam eiusdem Cœnobii monachum nomine RADVLPHVM à præfato Abbate susceptum, Latiniacensi ditissimo Monasterio præfecit Abbatem. Domnus quoque SIMON Nouiomensis Episcopus, vir nobilissimus RADVLPHI Vermandensis Comitis germanus, à prefato Pontifice BARTHOLOMÆO petiit duos sibi ex eodem Cœnobio Sancti Nicolai dari monachos: quorum vnum nomine THEODORICVM fecit Abbatem Cœnobii Sancti Eligii Nouiomensis: alterum verò, qui vocabatur ABSALON præfecit Monasterio Sancti Amandi Helnonensis, in Episcopatu Tornacensi. Qui quo modo sibi commissas Ecclesias tàm interius, quàm exterius correxerint, & nobilitauerint, visu potius, quàm auditu, potest hodie comprobari.

Radulphus monachus S. Nicolai præficitur cœnobio Latiniacēsi, Lagny.

Itē Theodoricus monasterio S. Eligij Nouio. Et Absalon S. Amandi.

CAPVT XIX.

De domno GISLEBERTO *Abbate Sancti Michaelis.*

DOmnum quoque GISLEBERTVM eiusdem Cœnobii Sancti Nicolai Priorem (qui ante conuersionem pro artium scientia, qua pollebat, Plato vocabatur) præfatus Episcotus BARTHOLOMEVS Abbatem fecit in Monasterio Sancti Michaelis Terraciensis, quod ille breui tempore, Deo donante, & in religione, & in opulentia multo amplius quàm prius fuerat, & ipse inuenerat, floridum reddidit. Sed cum post aliquot annos prædictus Abbas Sancti Nicolai SIMON obisset, domnus BARTHOLOMEVS Episcopus, consilio Abbatum & religiosorum virorum, eumdem GISLEBERTVM pro fama probitatis suæ, de Sancti Michaelis Cœnobio transtulit, & Ecclesiæ Sancti Nicolai, cuius monachus & Prior fuerat, Abbatem præfecit; vbi vsque hodie multos labores pertulit, nam multotiens Romam pro ipsius Ecclesiæ vtilitate petiit.

Gislebertus Plato vocitatus.

Gislebertus vt Ecclesiæ vtilitati cōsuleret sæpius Romā petiit.

CAPVT XX.

De domno ANSELMO, *Abbate Sancti Vincentij.*

IN Cœnobio quoque Sancti Vincentij, quod est situm extra muros vrbis Laudunensis, & dicitur esse secunda sedes Episcopalis, domnum ANSELMVM de Cœnobio sancti Medardi Suessionensis ascitum, Abbatem ordinauit præfatus Bartholomæus Episcopus. Cuius Anselmi probitas in hoc vno potest euidēter aduerti; quòd in diuersis Ecclesiis ex eius Monachis electos, nouē hodie videmus Abbates florere viros probatissimos. In Cœnobio nāque Orbaciensi domnus BALDVINVS: In Morimotensi GVILLELMVS in sancti Sepulchri Cameracensis PARVINVS; sancti Andreæ de nouo castello ADAM: in Hanoniensi FVLCO: in Fidemensi GIRARDVS: in Virtutensi ROBERTVS: in sancti Nicolai prope Ribemontem GVILLELMVS in S. Michaelis Terraciensis IOANNES venerabiles hodie consistunt Abbates, qui omnes Laudunensem Ecclesiam suam matrem, BARTHOLOMEVM verò Episcopum appellant patrem suum atque pastorem.

Monasteriū S. Vincētij Laud. secunda sedes Episcopalis.

Celebres discipuli Anselmi Abbatis.

In S. Michaelis Terraciensis Ioannes.

CAPVT XXI.

Quomodo idem ANSELMVS *Romæ in Episcopum Tornacensem electus sit.*

IDem verò Anselmus cùm Cœnobio sancti Vincentij fere septemdecim annis præfuisset, & pro vtilitate eiusdem Cœnobij cum Germano suo domno GVALTERO, ipsius loci monacho, Romam profectus fuisset, à Clericis Tornacensibus, qui iam quadringentis annis proprio Episcopo caruerant, mirabili euentu, Deo ordinante, ibi repertus, in Episcopum eligitur, & à domno Papa EVGENIO inuitus & reluctans, obedientiæ vinculo constrictus, Pontifex consecratur; sicque per eum Tornacensi Ecclesiæ antiqua dignitas restituitur, anno ab Incarnatione Domini M. C. XLV. Dominicâ Lætare Ierusalem. Rediens ergò à Roma & cum magna processione Lauduni susceptus, nolens priores filios sancti Vincentii Monachos relinquere orphanos, vnum ex eis domnum BALDVINVM ætate iuuenem, sed moribus grauem, loco suo Abbatem eis constituit, & à domno BARTHOLOMEO Episcopo fecit ordinari, sicque Tornacum ad regendum ouile sibi commissum tetendit.

Quia à S. Medardi tempore Episcopus Nouiodu. Tornacensem regebat Ecclesiam.

CAPVT XXII.

De Correctione Abbatiæ sancti Ioannis; & DROGONIS *Abbatis Institutione.*

POst hæc etiam Sancti Ioannis Baptistæ corrigere studuit præfatus Episcopus Abbatiam, quæ cunctis aliis supra memoratis Laudunensis diocesis Cœnobiis fertur antiquior, & ditior, atque nobilior fuisse. Hanc siquidem Beata SALLABERGA, sicut in eius vita legitur, construxit, & sanctimoniales ibi ponens, earum ipsa prima fuit Abbatissa. Tanta verò auctoritate studuit eam sublimare, sicut refert antiquitas, vt quemadmodum in Apocalypsi Ioannis legitur: *Scribe septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia*; ita etiam hanc Abbatiam cupiens esse velut alteram Asiam, septem Ecclesias in ea ædificauerit. Harum primam, quæ principalior esse noscebatur, in honorem Sanctæ Genitricis conditam, appellari voluit Sanctæ MARIÆ Profundæ, ad differentiam forsitan maioris Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ, in qua Episcopalis sedes consistit. Secundam sancti MICHAELIS, & omnium Angelorum: Tertiam S. IOANNIS BAPTISTÆ, & omnium

S. Ioannis Laudun. Prima Abbatissa S. Sallaberga.

Apoc. I. II Septē Ecclesias in eodē monasterio construxerat.

Patriarcharum, atque Prophetarum: Quartam Beati PETRI Apostoli, omniumque Apostolorum. Post has quatuor ad introitum Abbatiæ construxit, Quintam in honore S. Crucis, quatinus scilicet per virtutem eiusdem Crucis, omnis incursio diabolicæ fraudis ab ipso introitu repelleretur: Sextam in honore Sancti APRI martyris: Septimam in honore Sanctæ MARIÆ MAGDALENÆ. Harum ergò septem Ecclesiarum adhuc restant quinque: duæ verò, id est, Sanctæ Crucis, Sanctique APRI martyris præ nimia vetustate defecerunt.

Prærogatiuæ Abbatiæ S. Ioannis.

Tantæ verò dignitatis erat eadem Abbatia: vt quandocúmque Rex Francorum in diebus solemnibus Lauduni coronandus esset, in ipsa præcipuè coronam auream portaret. Nullum etiam quadrupes animal intra murum seu portam Abbatiæ intrare poterat, quod non statim in rabiem & in insaniam verteretur. Vnde etiam si quando Rex, vel Episcopus, aut alij Principes ad ipsam Abbatiam veniebant, omnes equos eorum extra portam oportebat dimitti, & ipsi pedites ad Ecclesiam procedebant. Beatæ SALLABERGÆ morienti successit Abbatissa filia eius, Sancta videlicet Austrudis; & ita per trecentos ferè & eo amplius annos Sanctimoniales ibi fuerunt, plurimásque possessiones de donariis Regum, & Principum longo tempore possederunt.

Eiectis Monialibus sufficiuntur Monachi.

In diebus verò præfati domni BARTHOLOMÆI Episcopi, antiqua religio non parum in eodem Monasterio refriguerat, exteriores quoque possessiones paulatim diminutæ erant; sed & nonnulla sinistræ famæ de eisdem virginibus dicebantur. Vnde multum contristatus idem Pontifex, videbat enim eas frequenter à se commonitas emendationem quidem verbo promittere, sed facto non implere: consilio & auctoritate Domini Papæ INNOCENTII, Dominique RAINALDI Remorum Archiepiscopi, LVDOVICI quoque Regis Francorum, ad quem eadem Ecclesia propriè pertinere dicebatur, omnes pariter illas Sanctimoniales ex illa eiecit. Assumens quoque virum religiosum domnum DROGONEM, Cœnobij Sancti Nicasij Remensis Priorem, eum ibidem primũ Abbatem ordinauit, & Monachos illic sufficienter ex diuersis Monasteriis posuit. Sed cùm iam illic, Deo donante, non parum proficeret, bono odore sapientiæ & probitatis eius longè latéque diffuso, præfatus Papa INNOCENTIVS obedientiæ vinculo constrictum, eum Romam ire coëgit, & vrbis Hostiensis Episcopum consecrauit.

Drogo I. Abbas, deinde Episcopus Hostiensis.

CAPVT XXIII.

De BALDVINO *Abbate loci eiusdem.*

MOnachi autem Sancti Ioannis pupilli facti absque patre, domnum BALDVINVM sororis eius filium, & ab eo ibidem monachum factum, loco eius vnanimiter sibi Abbatem elegerunt, & præfato Episcopo confirmandum præsentauerunt, ætate quidem iuuenem, sed moribus, & religione seniles annos præferentem. Ad quem cùm multi monasticum habitum expetentes ex diuersis conuenirent prouinciis, inter alios venit quidam de Tullensi regione, nomine HVGO: Quem præfatus Abbas Balduinus videns pollentem tàm religionis feruore, quàm litterarum non mediocri scientia, Priorem Cœnobij sui eum fecit, gaudens, & Deo gratias agens, qui sibi talem dederat adiutorem. Sed cum supradictus Papa INNOCENTIVS, consilio DROGONIS Hostiensis Episcopi, domnum HVGONEM Humblariensem Abbatem Romam accersitum, & obedientiæ vinculo coactum, Albanensis vrbis consecrasset Episcopum, eo per litteras suggerente, monachi Humblarienses prædictum HVGONEM, Sancti Ioannis Priorem, sibi Abbatem elegerunt: sicque eum domno BALDVINO abstulerunt.

Hugo Humblariensis Abbatiæ, post Episcopatu Albanensi donatur.

Ecce ergò de noua Monachorum Sancti Ioannis Ecclesia, iam alterius Cœnobii Abbas processit; quod profectò ad honorem spectat BARTHOLOMÆI Episcopi eius conditoris. Sed quia quosdam minus peritos ei super hoc detrahentes audiui, & dicentes non debuisse tantam mutationem fieri: nec propter peccata quarumdam sanctimonialium etiam inculpabiles expelli; totámque Ecclesiam Monachis tradi, maximè cùm prædicta nobilis matrona Sancta SALLABERGA cum filia sua sancta AVSTRVDE, de patrimonii sui possessionibus eam construxerint, & Sanctimoniales in ea posuerint, plurimorúmque signorum ostensionibus eam splendificauerint. Ad compescendam & reprimendam insipientiam, vel simplicitatem eorum libet pauca diuinæ paginæ super simili, vel etiam maiori mutatione exempla recolere.

Diluit Auctor obiectiones quorumdã, cõmutationẽ sanctimonialiũ in Monachos vituperantium.

Nonne plantatio Dei maior est plantatione hominis? Et certè de Iudæis per Dauid Regem & Prophetam dicitur: *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti Gentes & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius, & plantasti radices eius, & impleuit terram*, & cætera quæ de eius confirmatione subiun-

Ps. 79. 95.

guntur. Cum ergò lex per Moysem eis data sit, terram promissionis acceperint, Reges & Prophetas genuerint, qui multa miracula fecerint, perpetuámque eis mansionem eiusdem terræ Dominus promiserit: tamen quia venientem patrisfamilias filium extra vineam eiecerunt, & occiderunt, dicentes: *Hic est hæres, venite occidamus eum; & nostra erit hæreditas*: Illicò Domino proponenti contra seipsos iudicium protulerunt, quod veniens, *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis*, statímque ipsum subiungentem audierunt; *Quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Alio etiam loco Dominus parabolam proponit de arbore fici, ad quam tribus annis continuis veniens, & fructum non inueniens iussit eam succidi; sed intercedente cultore vineæ, quarti etiam anni dilationem concessit. Simili modo domnus BARTHOLOMÆVS Episcopus, Sanctimoniales illas & per semetipsum, & per religiosos viros primo, & secundo, tertio quoque, & quarto, nec non quinto, & sexto anno de correctione admonens, & nihil se proficere videns; secundum præceptum dominicum vtique debuit infructuosam arborem succidere, & vineam Dominicam aliis agricolis cõmittere; *Qui reddant ei fructum temporibus suis*. Quod ipsum dum non solo sensu suo, sed & consilio Papæ, religiosorúmque virorum fecit, vtique non reprehensione, sed laude dignum fuit. Nec timendum est eum propter hoc Sanctarum fœminarum Sallabergæ, & Austrudis, quæ eamdem Ecclesiam construentes Sanctimonialium ordini deputarunt, iram incurisse: immò potius credendum est earum precibus talem voluntatem ei diuinitus aduenisse: talésque Abbates à Deo fore destinatos, qui & eius seruitio, & ipsius Ecclesiæ releuationi iugiter insistere studeant.

Matt. 21. 38. Ibid. 41. Ibid. 43. Ibid. 19. Ibid. 41.

In nullo siquidem Regni Francorum Cœnobiò, quod eius duntaxat sit institutionis, maiorem religionem, vel charitatiuam hospitalitatem, quam in ipso videmus hodie, feruere; nisi quòd ipse Abbas BALDVINVS in requirendis & retrahendis Ecclesiæ possessionibus, quas Sanctimoniales negligenter detrahi permiserant, valde occupatus, quotidiano labore fatigatus, nihil magis conqueritur quam se non posse iugiter Conuentui Fratrum interesse, vel ipsis hospitibus humanitatis officium pro vt vellet impendere. Dum ergò ipsæ sanctæ, quarum corpora in eadem seruantur Ecclesia, iugiter die ac nocte vident ibi tam deuotè diuinum officium fieri; silentium, & religionem feruenter seruari; sacrificium corporis & sanguinis Dominici, non sicut prius, sed centuplo deuotiùs, & frequentiùs celebrari; religiosos hospites quotidie superuenientes cum charitatis dulcedine suscipi; nonne credendum est eas tam dulci Dei seruitio delectari; & dum Monachos coram altari transeuntes, & feretris suis summisso capite suppliciter cernunt inclinantes, frequenter eis dicere: *Benedictio Domini super vos*: Et, *Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram*?

Ps. 128. 8. Ps. 113. 24.

Quid alij sentiant ignoro; ego corde credo, & credens ore fidenter pronuntio, sanctas easdem magis talium Monachorum, quàm Sanctimonialium, quæ ibi toto tempore domni BARTHOLOMEI manebant, diuinis officiis delectari, & tam pro illorum, quàm pro eiusdem Episcopi salute Domini misericordiam deprecari. Et sicut Dauid Rex Psalmos componens dicebat: *Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum*: vbi patenter ostendit se non pro Iudæis, sed pro Christianis eos composuisse: sic & ipsas sanctas credo gaudere, quòd ad huiusmodi Monachos Ecclesia, quam construxerunt, peruenerit, & ad sustentationem eorum possessiones earum Dominus peruenire concesserit.

Ps. 101. 19.

Cum verò superius dictum sit nouem Abbatias à domno BARTHOLOMEO Episcopo constructas esse, quarum nullam inuenit: si quis diligenter consideret, & hanc verè decimam fore pronunciabit, quæ ante tempus suum plusquam trecentis annis constructa, sed tempore suo à religionis calore tepefacta, rursum per se, diuina præstante gratia, intromissis Monachis noscitur esse restructa, & renouata. Quæ renouatio facta est anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXVII.

Anno M. C. XXVII. Introducti Monachi in Monasterium S. Ioannis.

CAPVT XXIV.

Quàm ditata sit maior Ecclesia Sanctæ MARIÆ *sub* BARTHOLOMEO *Pontifice.*

CVm autem in construendis aliis Monasteriis præfatus Episcopus tantum studium habuerit, facile credi potest, quòd de maiori Ecclesia Sanctæ MARIÆ, in qua Pontificalis sedes posita est, maximè laborauerit, vt redditus eius augmentarentur. Et quamuis aliam religionem ibi ponere nequiuerit, non enim facilè Canonici eius antiquos mores mutare cogi poterant, tamen sic eorum priores redditus studuit ampliare, vt magna parte anni eos pariter in refectorio comedere instituerit,

Canonici in refectorio comedunt simul.

quotidianúmque eis victum vbertim & ditissimè prouiderit, ita vt ipsi Canonici testentur, quòd penè duplo, quàm priùs præbendas eorum ditauerit, sicut in priuilegiis eius, quæ in eadem Ecclesia continentur, potest inueniri.

CAPVT XXV.

De GVIDONE *Catalaunensi Episcopo.*

ILlud etiam ad laudem & honorem Laudunensis Ecclesiæ, Domníque BARTHOLOMÆI pertinet, quòd Domnus GVIDO, vir nobilissimus, quem idem Episcopus Canonicum & Decanum Maioris Ecclesiæ sanctæ MARIÆ fecerat, cùm adhuc ætate iuuenili floreret, pro religione tamen, & deuotione sua; quoniam & castitatis amator, & Ecclesiastici officij assiduus frequentator, fama præconante, esse ferebatur, ad Episcopatum Catalaunensis vrbis eligitur, & à Domno SANSONE Remorum Archiepiscopo consecratur. Qui ad sedem suam veniens, quemdam Laudunensis Ecclesiæ iuuenem clericum, nomine Haimonem, qui secum abierat, mox in ipso primo consecrationis suæ anno, sedis eiusdem Archidiaconum fecit, sícque ciuitas Catalaunensis de Ecclesia Laudunensi, vno eodemque anno, & Episcopum & Archidiaconum habuit.

CAPVT XXVI.

De THEODERICO *Ambianensi.*

SEquenti etiam anno Domnus THEODERICVS, qui primò fuit Monachus Cœnobij sancti Nicolai in diocesi Laudunensi, postea verò, vt supra dictum est, Abbas sancti Eligij Nouiomensis, consecratus est à præfato SANSONE Archiepiscopo Pontifex Ambianensis: sícque intra duos annos duæ ciuitates, Catalaunensis, & Ambianensis acceperunt Pontifices filios & nutritos Ecclesiæ Laudunensis. Non immeritò ergò superius dixerim, in Ecclesia Laudunensi illam Aggæi Prophetæ sententiam completam fuisse, qua dixit: *Magna erit gloria domus huius secundæ, magis quàm primæ:* Quoniam reuera & in Episcopatu Laudunensi plurima quæ prius non fuerant Monasteria accreuerunt, & de ipso multa plura per orbem terrarum nouæ institutionis, quasi nouæ lucis fulgore splendentia pullulando processerunt. A tempore si quidem sancti GENEBAVDI, primi Laudunensis Episcopi, cùm quadraginta tres Episcopi post eum fuissent vsque ad Domnum BARTHOLOMÆVM Episcopum, & ipse quadragesimus quartus eis successisset, non legitur tot miracula per sanctam Dei Genitricem in Ecclesia Laudunensi facta fuisse, sicut in diebus huius BARTHOLOMÆI. Tempore tamen HELINANDI, qui ante Domnum Bartholomæum quintus eiusdem vrbis Episcopus fuit, quoddam miraculum in eadem Ecclesia contigit, quod hic dignum duximus memoriæ scribendo mandare.

Agg. 2. 10.

Id est 38.

CAPVT XXVII.

De muliere ab incendio liberata Ciuiaci.

IN villa siquidem, quæ Ciuiacus vocatur, prope Laudunum, vir quidam GVILERMVS nomine manebat, eiusdem procurator villæ, cum vxore sua * SOIBVRGÆ, qui vnicam filiam suam nomine GVIBVRGEM cuidam viro, nomine ALBVINO, in matrimonium sociauerunt, eósque vnicè diligentes secum in domo communi habitare fecerunt. Cum non multò pòst turpis infamiæ rumor per multorum ora volitare, atque in dies augmentari cœpit; iuuenem illum relicto propriæ vxoris thoro, soceri adulterina fraude violare cubile, matréque cum filia abuti illicitè. Quod vbi ad matronæ illius aures aliquorum relatione peruenit; inæstimabilis vi doloris intrinsecus attacta, & falsi criminis impositione turbata, profunda cœpit animositate reuoluere, qua arte criminis huius næuum à se valuisset detergere. Cúmque miris machinationibus sui præ dolore impatiens, penéque extra se posita interius æstuaret, diabolica tandem inspiratione infecta, atque infectione armata, deliberauit animo, innocentem iam rea extinguere, id solum suæ infamiæ seductione diabolica remedium sperans. Et ecce iam hyemali ingruente algore, vindemiale & autumnale tempus transierat; quo scilicet multi de diuersis partibus ad colligendas sub mercede vindemias illa solent in loca confluere.

Hoc refert miraculum Guibertus lib. de Laude B. Mariæ cap. 10.

** Mulierem hanc vocat Theodebertam.*

Ex his itaque duos pauperes sibi eligens, data pro optione mercede, fidem ex eis infidelis exegit, vt commissum silentio tegerent, atque ad committendum crudele & nefandissimum scelus, sicut mente voluebat, dexteras præpararent. Designauit igitur locum, determinauit diem & horam, quo videlicet de abditis latenter exurgentes; innocentis subito guttur inuaderent & suffocarent. Sed iam funestus ille imminebat dies, cùm mane hora diei prima, vir eius, sicut quotidie consueuerat, in suam procurationem exiuit, familia huc illúcque dispersa est, filia quoque foras egreditur. Remanserunt

soli ADAM & EVA, agnus innocens & sæ-A ualeæna. Intrauerunt etiam latenter, illa tamen procurante, promptuarij secreta duo prædicti pauperes. Tandem mulier conuenientem destinati sceleris nacta horam, blandis primùm intermixtis colloquiis, demum præcipit vt ad interiora promptuarij descendens vinum deferret. Ille nihil mali suspicatus, simpliciter quasi matri obtemperans; accepto vase festinus ad interiora descendit. Cúmque vinum in vase susciperet, illi subito de abditis exurgentes, guttur innocentis inuadunt, & continuò suffocant, susce- B ptúmque, Domina iubente, inter manus ad lectum deferunt; coopertúmque propriis vestimentis quasi dormientem componunt.

Interea vir domum regreditur, filia, familiáque ad horam prandij reuertuntur. Præparatis omnibus, mater filiæ præcepit, vt virum suum excitet. Quæ festina ad lectum iacentis accedens; & extinctum inueniens exclamat. Commoti ad vocem clamoris omnes pariter irruunt; postpositóque prandio ad funeris exequias conuertuntur. Fama protinus totam complet regionem: ALBVINVM paulò ante sanum, in lecto suo mortuum esse inuentum. Erat eo tempore Lauduni quidam Vicedominus, ILBERTVS nomine, vir sapiens, & profundi ingenij, sed plus iusto crudelis. Hic vbi huiusmodi famam audiuit, mirari primò, deinde suspicione quadam cœpit animo permoueri. Et illo quidem die sustinuit, mane autem facto subsequentis diei, festinus antequam defunctus ad tumulum deferretur, cum suis ad locum venit, & quasi nescius ex industria quomodo contigisset, diligenter inuestigare cœpit. Cúmque nullius relatione animo suo satisfieret, vltra inquisitionis impatiens, ad feretrum accessit, diruptísque violenter, quibus corpus contectum fuerat, pannis, nec mora suffocationis certa indicia reperit.

Statim vt fremebundus leo in vltionem sceleris sæuiens, virum cum vxore & filia diris innexos vinculis Laudunum ad supplicia trahebat. Cúmque crudeli vexatione traherentur; tunc illa. Innocentes, inquit, iniustè opprimere, tantique sceleris nescios pœnis ac suppliciis nolite vexare: Ego huius criminis conscia: ego viri interfectrix, & sola rea: in me omnium pondera tormentorum, in me totius vltio sanguinis conuertatur: isti velut inculpabiles relaxentur. Quo ille audito: dimissis illis, noxiam, & ore proprio confessam, sub arcta custodia mancipatam Episcopo præsentauit. Cúmque clero & populo præsente diuersi diuersas promerent sententias, vnus inter clericos extitit qui vocabatur magister QVINTINVS, bene quidem litteris eruditus, sed non bene de lege diuina medullitus instructus, nec interius in vnctione sancti Spiritus irroratus: hic ergò datâ sententiâ igne cremandam adiudicauit. Quo ille iudicio audito, instigantibus etiam defuncti amicis, implere statim quod iudicatum fuerat, maturauit.

Cúmque misera duceretur ad supplicium, impetrat vt ad Beatæ Dei Genitricis Ecclesiam, iuxta domum Episcopalem, mora sibi concederetur orandi. Quò perueniens in conspectu cleri, & populi humiliter, puráque confessione totius patratæ iniquitatis seriem perorauit; pluresque ad compassionem lacrymarúmque effusionem inflexit. Inde pauimento prostrata, cum multo fletu corpus & animam suam sanctæ MARIÆ commendauit; pôstque surgens, faciémque & totum corpus signo crucis muniens egreditur, & ad locum supplicij ducitur. Ibi omnibus vestimentis præter lineam, qua sola corporis nuditas tegebatur, exuitur; domum, in qua cremari debebatur, introducitur. Tunc per suras nexibus inuolutis, strictísque manibus post tergum, ad stipitem, qui in medio positus erat, & cui tota domus illius fabrica innitebatur, duris fortiter vinculis nectitur, circumpositísque lignis & stipula, tota domus interius repletur. Post hæc clauso ostio ignis supponitur, nec mora flammarum globi ad superiora producuntur.

Intereà flammâ crudeliter omnia deuastante, tota fabrica in fauillam redigitur, illa tamen inter prunas sana & immobilis stare videtur. Furentes autem inimici ad sepes vndique & circumquaque currentes, & quidquid ad manus habere poterant deferentes, satis priore maiorem lignorum & stipulæ cumulum super eam congerunt. Rursum copiosior flamma succenditur, consumptísque celeriter lignis & stipula, nihilominus illa sana & incolumis conspicitur: quódque miraculum magis augmentabat, ignis, qui contra eam nullam vim habuit, vincula, quibus colligata fuerat, consumpsit. Cúmque & tertiò furentes iterum flammas conarentur apponere, lapidésque contra eam vehementer iacerent, tunc illa miserabiliter exclamans: Parcite, quæso, inquit, mihi parcite: Nonne videtis quod pijssima sancta Dei Genitrix, cui corpus meum hodie commendaui, misericorditer me adiuuat. His auditis illi misericordia commoti illam affligere desistunt: ipse quoque Vicedominus eam statim commonuit, vt de igne egrederetur. Egressam omnes circumdant, & tam corpore, quàm capillis ac veste prorsus illæsam admirantur; sícque cum gaudio sanctæ MARIÆ repetunt Ecclesiam, eámque Deo, & piæ Matri eius gratias referentes vsque ad maius altare deducunt. Quot ibi lacrymæ præ nimia

exultatione ab vniuersis effusæ fuerint: quot- A que laudes piæ Dominæ Matri decantatæ nullus facile valet referre.

Post hæc Vicedominus mulierem ad domum suam ducit, cibóque ac potu copiosè refecit, orans vt sibi indulgeat, quod in eam crudeliter sæuierat. Inde mulier Ciuiacum ad propriam domum reuersa, post triduum, sicut credimus, diuinâ misericordiâ vocata spiritum reddidit, & de labore ad requiem transmigrauit; forsitan *Ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animum eius*; cui tantam misericordiam pre- B cibus suæ Matris præstiterat omnipotens Deus, quatinus omnes qui hoc audirent, discerent post veram confessionem in auxilio sanctæ MARIÆ spem suam confidenter ponere: & de misericordia eius numquam desperare. Hoc miraculum tempore Domni HELINANDI Episcopi gestum Lauduni non vnus, aut duo, vel tres viderunt, sed totâ pene Laudunensis ciuitas conspexit.

Sap. 4. 11.

Episcopi Laudunenses.

HELINANDO Episcopo successit INGELRANNVS, Ingelranno GVALDRICVS, qui crudeliter fuit interfectus. Gualdrico HVGO, Hugoni BARTHOLOMÆVS; C in cuius diebus miracula, quæ superius descripta sunt, sancta MARIA per Franciam & Angliam operata est. Quia verò relatum est miraculum, quod tempore Domni Helinandi sancta MARIA misericorditer fecit in muliere, quæ suppliciter eam inuocauit: nunc etiam referatur mirabilis vindicta, quam exercuit super quemdam furem, qui manum ad eius thesaurum extendere præsumpsit.

CAPVT XXVIII.

De furto Anselmi.

PRæfatus Domnus BARTHOLOMÆVS Episcopus, non multo post consecrationem suam vidit in somnis, quòd staret super pulpitum in maiori Ecclesia sanctæ MARIÆ cum quibusdam Clericis suis, versáque facie ad ianuas aspiciebat in medio Ecclesiæ, quasi ex quodam terræ hiatu lumen splendidissimum procedere, totámque Ecclesiam, quia nox erat, mirabiliter irradiare. Post lumen etiam subsequebatur ex eodem terræ hiatu velut odor balsami suauissimus, quo tàm ipse, quàm circũstantes incredibiliter & mirabiliter recreabantur. Cùm verò Episcopus secum positos hortaretur, ad eundem terræ hiatum accedere, & quid esset inspicere; sed nullus eorum super hoc ei vellet obtemperare, ipse solus sibi videbatur de pulpito descendere, atque illuc tendere. Sed cum iam prope esset, sicut Moysi quondam ad rubum inspiciendum properanti dixerat Deus; *Ne appropinques huc; locus enim in quo stas terra sancta est.* Ita & Episcopus de interioribus audiebat vocem sibi dicentem. Non ingrediaris huc, quoniam Deus Omnipotens in ipsa carne sua & ossibus hic præsens est, & nullus, qui Deum videat corporaliter, diu viuere potest. Ipsa quoque sancta MARIA Mater eius hic præsens est cum Deo; & mandat tibi quòd latro suus capiatur, præcipítque tibi, vt non eum abire permittas, sed iustitiam de eo facias. Confestim Episcopus euigilauit, & quid sibi huiusmodi visio innueret, multotiens secum admirando tacitus reuoluebat.

Exod. 3. 5.

Erat tunc temporis in vrbe Laudunensi quidam ANSELMVS, cognomento BEESSVS, qui se simulando religiosum non parum ab omnibus laudabatur & honorabatur, sed, vt ex fine patuit, longè aliud erat in corde, quàm homines viderent in facie. Huic ergò pro religione sua thesaurus Ecclesiæ seruandus traditus est, cum aliis custodibus, quoniam antiqua consuetudo est eiusdem Ecclesiæ, vt septem custodibus ipse thesaurus committatur, quorum quatuor Clerici, tres verò sunt laïci. Videns itaque ANSELMVS multum sibi ab omnibus credi; ex auro & lapidibus pretiosis, quibus cruces festis diebus super altare ponendæ, fuerant opertæ, non exiguam partem furtim discerpens aurifici cuidam vendendi causa tradidit, prius ab eo accepta fidei sponsione, quòd nulli se huius rei fuisse authorem propalaret. Sed cum idem aurifex aurum illud siue lapides Suessionis venderet, nutu Dei Canonici Laudunenses superuenientes, auri sculpturas recognouerunt, & statim querimoniâ factâ præfatum aurificem à iudice comprehendi fecerunt. Ille comprehensus, atque perterritus, ab An- D selmo sibi ea tradita fuisse confessus est. Vnde Laudunum reductus, & contra Anselmum hæc negantem, duelli certamine congressus, protinus superatus & victus est, forsitan vt multi putarunt, pro fidei violatæ reatu, qua promiserat eidem Anselmo quòd eum non detegeret.

Violatur minimè fides dum criminis socius reuelatur.

Pro hac ergò victoria ANSELMVS nimis elatus, quia sibi conscius erat, & se furtum fecisse, & tamen aduersarium superasse, multámque laudem ab hominibus, qui se in- E nocentem esse clamabant, adquisisse, ad maiora securius patranda prouocatur, plurimísque terris ac vineis ditatur. Domnus tamen GVIDO, qui Laudunensis Ecclesiæ thesaurarius simul & Archidiaconus erat, suspicione quadam contra eum pulsatus, immò furtorum eius certus, remouit eum ab officio suo, idest à custodia thesauri. Quamobrem ANSELMVS nimia commotus ira, & penè insaniens, locum & tempus se de eo vindicandi quærebat.

Sibila Comitissa. Vulgò, la Fere.

Accidit interea vt SIBILA Comitissa, vxor INGELRANNI nobilissimi Principis de Fera, plura vasa aurea & argentea in thesauro sanctæ MARIÆ reponeret, propter loci firmitatem securius seruanda. Inde ergò ANSELMVS occasione sumpta, cogitauit eadem vasa furari; quatinus scilicet Comitissa præfatum GVIDONEM, sub cuius custodia thesaurus seruabatur, de tali furto infamaret, vasáque sua ab eo repeteret. Nocte igitur quadam circa Epiphaniam Domini tanta vis grandinis & pluuiæ, atque ventorum inhorruit, vt de domo sua vix aliquis posset egredi. Illam noctem ratus ANSELMVS oportunam fore explendæ nequitiæ diu meditatæ, cunctis scilicet intra domos clausis, nec aliquem sonitum nisi solius venti audire valentibus, assumptis celeriter scalis & machinis, iam longe prius præparatis, turrem in qua thesaurus positus erat velociter conscendit, & arte callida perforatum hostium ingreditur, omnia præfata vasa Comitissæ aurea & argentea furatur. Cernens autem saccum suum in quo ea posuerat, necdum fore plenum, nolénsque illum ex aliqua parte remanere vacuum, mittit manum ad Ecclesiæ thesaurum. Textus pretiosos auro & gemmis opertos confringit, & libros quidem reliquit; aurum verò cum gemmis sacco recondit. Postmodum cruces aureas & philacteria confringens, inter cætera etiam vnam columbam auream confregit, quæ pro lacte & capillis sanctæ MARIÆ, vt ferebatur, introrsus reconditis multum erat famosa & honorabilis, vnde & in maioribus festis super eius altare solebat appendi. Tanto igitur talíque thesauro saccum repletum deferens descendit, ipsúmque saccum non in domo sua, sed extra vrbem in loco ante prouiso & præparato abscondit.

Nocte tenebrosa pluuialíque vento recedente, cùm effracti ostii & direpti thesauri signa patuissent, subito tàm tristi nuncio tota ciuitas turbatur, nec minùs laici, quã Clerici contristantur: & amarior nox eis superuenire videtur: ad Episcopum curritur, lugubre factum refertur. Episcopus super omnes nimio mœrore concutitur: quoniam thesaurus, quem Deus in totius vrbis, & ipsius Ecclesiæ incendio ante paucos annos seruauerat, nunc latenter & miserabiliter perditus fuerat. Protinus ergo generalis cõuentus Canonicorũ, & ciuium conuocatur: quid opus sit facto discutitur; & præ omnibus Magister ANSELMVS, tũc tẽporis totius vrbis lucerna, consulitur. Ille vt diuinæ legis peritissimus, continuo Iosue replicat historiam, quomodo scilicet furtum in Ierico, nullo sciente factum, Dominus iussit forte perquiri, primò per tribus, deinde per familias ac domos, ad vltimum singillatim per viros. Instar huius tam subtilis perquisitionis consulitur Magister ANSELMVS, vt tanti facinoris auctor iudicio aquæ perquiratur, ac de singulis vrbis parochiis vnus infans innocens in vase aqua benedicta repleto poneretur; & quæcumque parochia fortè culpabilis inueniretur, de singulis domibus eiusdem parochiæ vnus infans in aqua poneretur; & quæcumque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel fœminæ ad eam pertinentes iudicio aquæ se purgare cogerentur: hoc consilio magistri ANSELMI, germaníque eius magistri RADVLHI comperto, perterriti ciues licet innocentiæ suæ conscij, ad Episcopum confluunt, & non longè remotos, sed potius Ecclesiæ custodes, & prope templum manentes, ad iudicium primò debere vocari conclamant.

Nota.

Annuit Episcopus, & sex viros, de quibus maior erat suspicio, ad faciendum examen vocat, inter quos etiam ipse solus præfatum ANSELMVM nominatim compellat, dicens se contra eum exinde moueri suspicione. Respondet ANSELMVS se multùm mirari quomodo Episcopns de tanto scelere contra se suspicionem habere potuerit, præsertim cum & se Dei seruum esse sciret, & ante aliquot annos priusquam ipse pontificatum suscepisset aurificem, qui sibi maculam similis criminis imponebat, à se in duello fuisse superatum non ignoraret. Responsioni eius vniuersus populus adclamat, eúmque virum sanctum, & Dei cultorem esse protestantes, omnes pariter vna voce non debere eum ad iudicium vocari, subiungunt. Tũc ab antiquo naturæ statu visus est mutari Episcopus: numquam enim vel antea, vel post idem Pontifex inuentus est pertinax in aliquo fuisse, sed semper precibus aut dictis aliorum à sua sententia facilè flecti consueuit. In hac verò sola causa tantæ fuit constantiæ, vt cum nullus ANSELMVM accusaret, immo pene cuncti contra Episcopum ei fauerent, Dei tamen nutu nullo modo ad eum dimittendum flecti potuerit.

Cùm ergo Præsul eum custodiri vsque ad præfinitam diem examinis iussisset, quidam miles ei vehementer fauens, nomine GVILLERMVS, rogauit Episcopum vt eum sibi seruandum committeret, sícque ad domum suam eo concedente illum duxit. Vbi dum seruaretur, quadam nocte vas maximum aqua impleri, séque in eo ligatum fecit deponi, tentare scilicet volens vtrum in aqua totus mergeretur, an supernataret. Cum verò se sine vlla dilatione vidisset ab aqua receptum fuisse, & ad vasis fundum peruenisse, exhilaratus dixit se nihil vltra timere, sed sponte in aquam ingressurum fore. Quid

longius moror? Venit dies constituta, confluit ad Ecclesiam innumera multitudo Clericorum, militum, & rusticorum diuersi sexus & ætatis iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus inuocant nomen Domini, eiúsque gloriosissimæ Genitricis. Qui ergò primus in aqua positus est, saluus & gaudēs exiit; secundus autem corruit; tertius saluus; quartus inuentus est reus; quintus liberatur; sextus idem ANSELMVS culpabilis inuenitur, sícque probauit nihil sibi profuisse quod prius Deum tentauerat, sed plurimùm hanc aquā distare ab ea, in qua prius, dum in custodia esset, se deponi fecerat.

Mox ergò vinculis religatus, *vsque thesaurum furatum redderet, ab Episcopo commonitus statim publicè imprecatus est, vt sic suspendi mereretur sicut Iudas, qui Deum tradidit, si aliquid ex eo haberet, vel furatus fuisset. Videns Pontifex quòd nihil exhortando posset proficere, NICOLAO Castellano eum tradidit, præcipiens ei, vt torquendo thesaurum reddi cogeret. Ille nudatum terræ & prostratum atque ligatum lardo calido fecit profundi, sed nil extorquere potuit. Inde iubente Præsule fecit eum suspendi, non vt interficeretur, sed tantummodò vt torqueretur. A mane ergò vsque ad vesperum tortus, deciésque suspensus, decies depositus, cum iam se deficere videret, iudex etiam iuraret, quòd si se vlterius suspendi permitteret, iam deinceps viuens non deponeretur.

f. * vsque quo.

Tandem interrogauit quid sibi daretur, si thesaurum redderet. Hæc vox audita, continuo spem recuperandi thesauri cunctis dedit. Poposcit centum libras sibi dari, sed paulatim minuendo ventum est ad quadragiuta libras. Quas se accepturum dixit, ea conditione, vt fideiussores simul sibi darētur, quòd decem milliaribus procul à Lauduno ex quacumque parte vellet securè cum eadem pecunia deduceretur. Protinus ad Episcopum curritur, petitio eius refertur, annuit Præsul, & quidquid petisset concedi præcepit, eo tamen pacto vt continuò thesaurum redderet, quoniam timebat ne si dilatio vel breuis daretur, ille dæmonū instinctu fuga laberetur. Iam lux diei transierat, nóxque tenebrosa successerat. Iubente tamen Episcopo per totam vrbē faces & lychni, cæteráque luminaria accenduntur, vt illud Psalmistæ Lauduni ea hora compleretur: *Et nox sicut dies illuminabitur*. Nullus domi remanet, omnes quasi ad spectaculum progrediuntur.

Ps. 138. 10.

ANSELMVS instar vrsi de cauea producti deducitur, custodibus & populo cautè ne fugiat circumdatur. Petit Ecclesiam S. MARTINI extra muros vrbis positam, peruenitur ad quemdam locum propè vineas, in quo paxillorum, quibus vites sustentantur, iugens aceruus erat congestus, sub eis in montis præcipitio quasi in tartarum descendit, manúmque ad sacrum mittens, primum auream tabellam de textu Euangeliorum discerptam protulit, subridénsque circumstantibus: Bonum, inquit, mercatum feci, qui tantum thesaurum pro quadraginta libris reddidi, quia hæc sola tabula multo plus valet. Sic ergò thesaurus redditus ad Ecclesiam S. MARIÆ protinus refertur, totáque ciuitate lætante clamoribus, & in voce exultationis & confessionis plateæ resonant, signa etiam præ gaudio per omnes Ecclesias pulsantur.

Non est reticendum magnum quoddā miraculum. Quidam enim monachus aurifex, nomine SIGERVS, in Cœnobio S. Vincentij manens, dum operi suo etiam nocte insistens, aperiret ædiculæ suæ fenestram, qua S. MARTINI prospiciebatur Ecclesia, videbat quasi radium splendidissimum lucis de cœlo procedentem, & vsque ad illum locum, quo thesaurus absconditus erat, procedentem. Vnde nimis admiratus nonnullis monachorum Sancti Vincentij eumdem lucis radium ostendit, sed illi quamuis quotidie thesaurum reliquiarum S. MARIÆ requiri audirent, nullus tamen eū ibi esse cogitabat. Tandiu ergò monachi radium lucis nocte coruscare viderūt, quamdiu saccus ibi cum thesauro iacuit.

Aliud quoque miraculum non silendum contigit; ex quo enim ANSELMVS ille cum reliquo thesauro etiam columbam auream cōfregit, de qua supradiximus, in qua de lacte S. MARIÆ & capillis eius contineri ferebatur, diuino iudicio numquam dormire potuit, sicut ipse postmodnm Episcopo confessus est. Sed quandocumque oculos pro somno claudebat, protinus eamdem columbam rostrum oculis suis infigentem, & eos aperientem videbat. Diabolo tamen cor suum obdurante nulla propter hoc pœnitētia cōpungebatur. Postquā verò colūbæ fracturas cum alio thesauro reddidit, facultatē dormiendi recepit.

In crastino ergò Anselmus ad Episcopum veniens, vt se ab excommunicatione pro furato thesauro facta absolueret, crucémque sibi daret, & Ierusalem ad Sepulchrum Domini abire permitteret, petiit. Respondit Episcopus se nihil horum facturum, quoniam nec absolutio, nec iter Ierosolymitanum ei aliquid prodesset, quamdiu quadraginta libras, quas pro redditione thesauri acceperat, teneret. Non enim, inquit, compunctus eum reddidisti, ideóque non potes absolui, sed adhuc excommunicationis reus teneris: sed si pecuniam istam reddens veracem confessionem de furto, immò de sacrilegio faceres, & pœnitentiam exinde susciperes, tunc & absolui, & Ierusalem proficisci posses. Adquiescens ille verbis Pontificis præfatam pecuniā

publicè super altare posuit: fideiussores, qui se decem miliaribus procul à Lauduno securè deducendum spoponderant, liberos à fideiussione sua esse concessit; sícque ab Episcopo absolutus, & crucem suscipiens, quocumque volebat liberè est abire permissus, & cũ ipso Episcopo per aliquot dies familiariter est conuersatus.

Conscientia tamen se interius grauiter torquente perterritus, cœpit fugam meditari, tandémque clanculo ex vrbe fugere voluit. Sed cum de monte descendere cœpisset, mirum dictu! vidit quasi fluuium magnum instar maris contra se redundantem, séque in montem redire cogentem. Vnde stupefactus rursus per aliam portam descendere, & fugere tentauit; sed protinus fluuium sicut prius contra se redundãdo venientem vidit. Cumque hoc ei sæpius contingeret, nec de monte descendere valeret, secretè hoc Episcopo confessus est. Quamobrem Episcopus occasione sumpta, suadere ei cœpit, vt priorem thesaurum, cuius partem, sicut supradictum est, Suessionis venundandam aurifici tradiderat, S. MARIÆ ex integro redderet, sícque securus Ierusalem ire posset. Ille consuetam negationem repetens: sic, inquit, suspendi merear sicut Iudas, qui Deum tradidit, si aliquid exinde habui. Quod si mihi non creditis iterum paratus sum iudiciũ aquæ subire; & si culpabilis inuentus fuero, vel si iudicium facere noluero, facite me suspendi. Tunc Episcopus rogabat vt saltem lapides pretiosos, qui in crucibus aureis inserti fuerant, redderet, promittens quòd pro auro nullam ei molestiã faceret. Ille vero nihil Pontifici reddere voluit: sed eos se habere omnino negauit.

Nicolaus Castellanus.

Postea tamen NICOLAO Castellano iussu Episcopi priora ei tormenta comminante nimis perterritus, duxit eumdem Nicolaum ad vineas sub monte positas, ponénsque manum in terræ cauerna extraxit de sacculo iã putrefacto lapides preciosissimos, tradiditque eos ipsi Castellano. Quo facto iterum conscientia remordente tremefactus, quoniam eos celauerat Episcopo, & reddiderat Castellano, rursum fugere tentauit. Episcopus autem receptis à Castellano lapidibus recordatus somnij supradicti, in quo S. MARIA ei præceperat, ne latronem suum impunitum abire permitteret, sed iustitiam de eo faceret, protinus conuocatis ministris suis, præcepit vt Anselmum quantocius quærerent, & sibi præsentarent. Ministri per diuersa loca discurrentes, tandem eum reperiunt in valle sub Cœnobio S. Vincentij, fugere volentem, sed propter fluuium redundantem non valentẽ. Iubent ei vt secum ad Episcopum veniat.

Albero Abbas S Vincentij.

Ille tremens & exanguis rogat, vt se permittant loqui domno ALBERONI S. Vincentij Abbati. Nolentes eum relinquere vadunt cum eo, præceperat enim Episcopus vt cautè custodirent eum. Prostratus ille pedibus Abbatis rogat vt secum ad Episcopum eat. Adquiescit Abbas & cum eo ad Episcopum vadit. Prosternitur ille pedibus Antistitis, obsecrans vitam & membra sibi concedi. Cui Episcopus, quis enim, inquit, te persequitur? Redde thesaurum Dominæ meæ Sãctæ MARIÆ, & quocumque volueris liber proficiscere. ANSELMVS consueto more imprecatur sibi, vt sic suspendatur sicut Iudas, qui Deum tradidit, si aliquid exinde habuerit. Tunc Pręsul: palam est, inquit, te mentiri; quia lapides Castellano reddidisti, & mihi reddere noluisti. Sponte verò tua mihi promisisti, quòd si tibi exinde non crederem, iudicio aquæ te purgares, aut si facere nolles, concessisti publicè vt suspẽdereris. Elige ergò quod volueris. Dico tibi coram omnibus quòd non credo tibi, te non habuisse thesaurũ S. MARIÆ. Aut illum redde, aut purga te sicut obtulisti iudicio aquæ, aut suspenderis sicut concessisti. De his tribus tibi optionem concedo. Respondet Anselmus nec se habuisse thesaurum, nec iudicium aquæ proinde facturum. Tunc Episcopus conuocato generali conuentu Clericorum, militum, & ciuium, causam profert in medium. Communi omnium sententia iudicatur, vt quod miser ore proprio statuerat compleretur. Protinus de monte in vallem deducitur, & in arboris ramis suspenditur, euidens documentum præbens omnibus, quòd Deus nolit impunitum dimitti, qui matri suæ injuriam fecerit.

Hæc sunt quæ tempore domni Bartholomæi Episcopi contigerunt Lauduni.

Explicit Liber tertius & vltimus Hermanni Monachi.

DOMNI

DOMNI LVCÆ D'ACHERY

MONACHI BENEDICTINI CONG. S. MAVRI,

AD OPERA QVÆDAM V. GVIBERTI DE NOGENTO,

NOTÆ ET OBSERVATIONES.

AD LIBRVM DE LAVDE S. MARIÆ.

Pa. 300. col. 2. lin. 41.

A *CVm actuali aboleuit originale peccatum*) Qui cursim & visu tantùm prælibaret hæc verba, posset ita præfestinatim argutari: Spiritus-sanctus in Virgine peccatum aboleuit, proinde fuerit in Virgine aliquãdo hoc peccatum fateri necessum est: At penitiùs inspicienti argutiola isthæc friuola est atque inanis; etenim regeri posset hoc modo: Si cum actuali aboleuit originale peccatum, ergo & abolitum est actuale; si autem actuale abolitum, extitisse aliquando in Virgine concludas oportet. Verùm fritinnire est atque planè effutire sic loqui; siquidem pluribus in locis B Abbas noster de puritate Virginis immaculatæ, déque eius ab omni sorde immunitate mentem aperit suam: vnde contrà sic ago: In Virgine Sancta peccatum actuale, quod in ea nusquam fuit ex sensu Guiberti, Spiritus S. prædicatur aboleuisse, quidni & originale, quod nunquam fuerit ex mente eiusdem Abbatis, Spiritus-sanctus non aboleuerit?

Attende quæso verba cap. 5. pag. 294. *Certè si secundum Platonicam sententiam Spiritus nostri priùs creantur quàm corpora, posset Deus cuipiam spiritui optionem dare quà vellet procreari ex matre. Quod si fieret, quam putas ille personam sibi ipsi consciret? De corporis forma ac habitudine sileam. Quid honestatis, quid prudentiæ animo eius comportaret? nihil proculdubio illi adimeret, quo ipsa alijs inuidiosa non esset. Si sic hominis spiritus, ciuitatem virginalis vteri, quam sibi fundat altissimus, quo potentior est, nonne Dei multo magis perornat Spiritus?* Ex hoc loco quid inferri possit, si diligentiùs aduertatur, neminem vllum de illibato Virginis conceptu dignius fuisse arbitratum in confessum veniet.

Sed enim mirum in modum Guiberti sensum illustrabit Beati illius acerrimi Ecclesiæ D propugnatoris, Paschasij Ratberti Corbeiæ antiquæ Abbatis sententia; sanè singularis est & exosculanda: cúmque hactenus aureum prorsus tanti viri Opus de Partu Virginis delituerit, donec à nobis publicum fiat, pergratum iri puto vetustioris Theologiæ studiosis, si Fragmentum prolixius attexam:

FRAGMENTVM

EX LIB. I. S. PASCHASII Ratberti de Partu Virginis.

Quòd Deipara Virgo maculam originalis peccati minimè contraxerit.

AT verò Beata MARIA, *licet ipsa de carne peccati sit nata, & procreata, ipsáque quamuis caro peccati fuerit, non tunc iam quando præueniente Spiritus sancti gratiâ ab Angelo præ omnibus mulieribus benedicta vocatur:* Spiritus-sanctus, *inquit*, superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Alioquin si non eodem Spiritu sancto sanctificata est, & emundata, quomodo caro eius non caro peccati fuit? & si caro eius de massa primæ præuaricationis venit, quomodo Christus Verbum caro sine peccato fuit, qui de carne peccati carnem assumpsit, nisi quia Verbum quod caro factum est, eam primùm obumbrauit, in quam Spiritus sanctus superuenit, & virtus Altissimi eam totam possedit? Propterea verè caro iam non caro peccati fuit, in qua Deus se totum infudit, & Verbum* C *quod caro factum est, sine peccato ad nos venit, qui iure non solùm legem naturæ vitiatæ in nascendo non tenuit; verùm nec legem primæ originis quam haberent fœminæ, si mandatum seruasset mater omnium Eua in Paradiso. Aliàs autem quomodo, Spiritu sancto eam replente, non sine originali peccato fuit, cuius etiam natiuitas gloriosa Catholicè in omni Ecclesia Christi ab omnibus fœlix & beata prædicatur? Enimuerò si non beata esset & gloriosa, nequaquam eius festiuitas celebraretur vbique ab omnibus. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiæ, quod nullis quandoque naturæ subiacuit delictis,* NEQVE CONTRAXIT IN VTERO SANCTIFICATA ORIGINALE PECCATVM. *Vnde etsi Ieremiæ dies, atque Iob maledicta pronuntiatur; dies, inquam, natiuitatis eorum, dies tamen quando inchoata est fœlix* MARIÆ *natiuitas, beata pronuntiatur & colitur religiosè satis. Quòd si in peccato esset, iure maledicta diceretur, & gemebunda potius, quàm benedicta, quando nuntiatum est patri*

eius, quòd nata esset in seculo. Nunc autem, quia vniuersam benedictione sua beata Virgo MARIA *illustrat Ecclesiã, non meritò sanctificata in Spiritu sancto colitur veneranda? Nullius igitur natiuitas celebratur in mundo, nisi Christi & eius, atque beati Ioannis. Sic & beata Virgo Maria nisi in vtero matris sanctificata esset, minimè natiuitas eius colenda esset. Nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiæ veneratur,* CONSTAT EAM AB OMNI ORIGINALI PECCATO IMMVNEM FVISSE, *per quam non solùm maledictio matris Euæ soluta est, verùm etiam benedictio omnibus condonatur. Quòd si præclara sanctissimæ Virginis Natiuitas vniuersaliter tã sancta, & tam gloriosa iure colitur & veneratur, quanto magis ipsa quando ab Angelo iam gratiã plena officiosissimè salutatur? Nam cùm dicit ei* Aue, *cœleste venerationis obsequium exhibet: cùm autem dicit,* Gratiâ plena, *ex integro iram exclusã ostendit, & restitutam gratiam declarat: cùm dicit,* Benedicta tu, *fructum benedictionis demonstrat; quia quando Spiritus sanctus in eam aduenit, totam defecauit à sordibus Virginem & decoxit, vt esset sanctior, quàm Astra Cœli. Porrò quando virtus Altißimi totam eam adumbrauit, factum est vt eius in vtero veniens Verbum, quod erat in principio sempiternũ apud Patrem, caro fieret ex tempore, & habitaret in nobis.*

Audiant igitur noui disputatores, & inuestigatores noui & inauditi partus; audiant & intelligant primùm, quia viri sunt, quomodo bene disputare queant de natura & sexu mulierũ. Deinde recogitent, vt qui naturam requirunt, & communem legem nascendi, vbi totum diuinum est & ineffabile, diuina virtus quod operatur. Generationem eius quis enarrabit? *Nam quis hoc loco pro impoßibili accipitur, quia nemo* Sanctorũ *est, qui non dico diuinã, verum etiam qui humanitatis eius generationem ad liquidum queat enarrare, quamuis vtrasque omnes debeant credere? Hinc ergo colligitur quòd superstitiosa sit istorum concertatio, & superflua disputatio, qui dicunt ostia ventris & vuluæ eum aperuisse, & colluuionem sanguinis vt cæteri omnes, & secundarũ spurcitias post se traxisse; in quibus omnibus gemitus & dolor multiplicatur, tristitia, & ærumnæ augentur, vt nemo sine his pariat filium. Sed absit à cordibus fidelium, vt tale aliquid suspicentur de* MARIA *Virgine, quæ pro maledictione primæ originis benedictionẽ attulit mundo. Vnde & ipsa siquidem, vt dixi, ab Angelo benedicta prædicatur in mulieribus, & salutatur officiosissimè vt Mater Domini præ omnibus gloriosa, necnon & ab Elizabeth in Spiritu prophetiæ benedicta pronuntiatur, & benedictus fructus ventris eius creditur & veneratur. Ergo in qua, & per quã tanta benedictio effloruit, & gratia manauit, non est credendum quòd eius puerperium doloribus & gemitibus more fœminarum subiacuerit. Et quia beata Dei Genitrix tristitiis non subiacuit & ærumnis,* LIBERA AB OMNI MALEDICTIONIS NÆVO FVIT, *quam Spiritus sanctus adimpleuit, & totam Domino dedicauit, quam virtus Altißimi obumbrauit, & ex sanctificata carne Virginis Verbum carnem assumpsit, & coüniuit in vnitate personæ.* Et multis interiectis Virgines alloquens: *Eximiæ pietatis honor & decus virtutis, Beatißimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam, & incontaminatam,* ET AB OMNI CONTAGIONE PRIMÆ ORIGINIS ALIENAM, &c. Denique sub finẽ: IN QVA (Virgine) VEXILLA VIRTVTVM MICARVNT, NVLLVM PECCATVM PRIMÆ ORIGINIS VIGVIT.

Huc vsque Paschasius, qui Carolo Magno imperante florebat, nempe duobus seculis ante Guibertum.

AD LIBROS DE PIGNORIBVS Sanctorum.

SAncti *Symphoriani Abbati Odoni*) Hic postea in Episc. Beluacens. consecratus est Epistolę sub an. 1135. Anto. Loysel. Cõmentar. Beluac. pag. 98. Abbatia verò S. Symphoriani extat Beluaci à Drogone eiusdem vrbis Antistite fundata 1035. quam Monachi Benedictini possident. Plura de San-symphoriano Cœnobio scire cupis? adi Louuet. Hist. Beluac. to. 1. Atque Ant. Loysel. vbi supra pag. 252. & 301.

Ad tit. nuncupat.

In hoc de Pignoribus Sanct. Tractatu Guibertus, non prophanè, non lucri gratia, sed religiosè, sed secundum scientiam, sed spiritu colendas esse Sanctorum exuuias haud imperitè contendit. Nec mirêre si prolixis adeò sermonibus in Reliquiarum falsarios, adinuentores, ac specie pietatis easdem populo venerandas exhibentes, inuehatur. Etenim hac ipsa tempestate tot & tam diuersi irrepsêre pestiferi errores, & tam nefanda pecuniarum libido Ecclesiasticos religiososque viros, quò celebriores suas redderent Ecclesias, cepit, obcæcauit, vt non mirum si Auctor eas pluribus in locis huiusce Tractatûs exagitare videatur; nedum pietatem, cultumque Reliquiis velit denegari, imò verò ad Religionis Christianæ accessionem, gloriamque Dei adaugendam plurimùm conferre profiteatur. *Cæterum si quid,* ait ille in Præfatione, *senserim ex fide sensa totà fidei securitate protulerim, si quis melius sentiat, velim.*

(*Cui non semel Augustinus, sed locis pluribus refragatur*) Tomo 4. de sermone Domini in monte ca. 20. Et to. 6. cont. Adimãtũ. li. 1. c. 17

Pag. 330 lin. 31.

(*Abbatem quemdam, quem Sanctũ Pyronem lectio illa agnominat.*) Simile quid habes cap. Audiuimus, de reliq. & venerat. Sanctorum. *Audiuimus quòd quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione & ebrietate occisum, quasi sanctum (more infidelium) venerantur.*

Pag. 330 col. 2. lin. 6.

(*Nec illud excidit quod Lanfrancus &c.*) Quid elicere velit Auctor noster sanè non video

Ibid. lin. 13.

Verũ equidem eſt B. Lanfrancum aliquãdiu, quòd annua celebritate S. Elfegum prædeceſſorem ſuum populus percoleret, non probaſſe; at vbi colloquium cum ſanctiſſ. diſcipulo Anſelmo habuit, ſcrupulum ſubmouit omnẽ, iuſſitque celebriori cultu S. Elfegum venerari. *Quam quidem hiſtoriam non ſolum plano dictamine ad legendum, verum etiam muſico modulamine ad canendum à iuncundæ memoriæ Osberno, Cantuarienſis Eccleſiæ Monacho, ad præceptum illius Martyris* (Elfegi) *inſigniuit, inſignitam auctorauit, auctorizatam in Eccleſia Dei legi cantarique inſtituit.* Eadmerus lib. 2. vitæ S. Anſelmi. Videſis quæ ad vitam B. Lanfranci, ipſius operibus præfixam, annotauimus. pag. 42. E 2. n.

Ibid. lin. 20. (*Quid dicam de iis ſanctis, quorum aut finis, aut eſt in malo prop[illegible]lus, aut latet, vtrum bonus an malus &c.*) Ea de re Capitulare Aquiſgranenſe 42. *Vt falſa nomina Martyrum, & incertæ ſanctorum memoriæ non venerentur.* Cui rei illuſtrandæ Documentum Concilij Affricani Can. 50. facit mirum in modum: *Placuit, vt altaria, quæ paſſim per agros, & per villas, in quibus nullum corpus, vel reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui locis eiſdem præſunt, ſi fieri poteſt, euertantur. Si autem hoc, propter tumultus populares non ſinitur, plebs tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt, qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione deuicti teneantur. Et omninò nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus, aut reliquiæ certæ ſunt, aut origo alicuius habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi reuelationes quorumlibet hominum vbicumque conſtituuntur altaria, omninò reprobentur.*

Pag. eadẽ li. 44 (*Sit itaque videre Pontificum, ſit populi Dei videre cuſtodum.*) Vnde Capitul. Caroli Magni cap. 28. *De Eccleſiis, ſeu ſanctis nouiter, ſine authoritate inuentis, niſi Epiſcopo probante, minimè venerentur.* Imò Concil. Latera. 4. cap. 62. *Inuentas reliquias de nouo, nemo publicè venerari præſumat, niſi priùs authoritate ſummi Pontif. fuerint approbatæ. Prælati verò de cætero non permittant illos, qui ad eorum Eccleſias cauſa venerationis accedunt, vanis figmentis aut falſis decipi documentis, ſicut & in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſueuit &c.* Trident. Concil. ſeſſ. 25. De inuocat. venerat. & reliq. Sanctorum.

Pag. 331. lin. 21. (*Hos planè qui ſcrophas circa iugulum, aut vſpiam in corpore.*) Scrophæ ſeu ſcrofulæ, ſiue etiam ſtrumæ, *Quas Græci χοιράδας appellant, glandia (quæ ab eadem gente adenes dicuntur) ſunt obdurata, quibus collum, axillæ, & inguina frequentiſſimè occupantur.* Paulus Ægineta de arte med. lib. 4. cap. 33. Ariſtot. de part. animal. lib. 8. cap. 21. & 23. Hippocrat. lib. de Gland. ſect. 3. init. Et de affect. ſect. 5. poſt med. De diuerſis ſtrumarum generibus Bartholom. Perdulcis lib. 14. cap. 27. Curandi autem peſtiferi ſtrumarum morbi prærogatiuam, Regibus Francorum diuinitùs eſſe conceſſam, tradunt ſcriptores; & hæc hodiéque perſeuerat.

Cæterum quia complures in hoc argumento deſudaſſe ſcio, atque adeò multiplices occurrunt opiniones, ab his haud inconſultò (ampla licet fandi ſuppetat materies) expediendum me putaui. Legant qui voluerint neothericos auctores, Hubert. Morum lib. 3. de ſacris vnctionibus cap. 5. qui feliciter admodum (ſi quid iudico) hac de re ſcripſit. Et Guillel. du Peyrat, lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 56. & ſeq. Ritus verò, qui ſuo æuo obſeruari ſolebant, exarauit Stephanus de Conty Corbeienſis Cœnobita, Decretorum Doctor, hiſtoriâ MS. Regum Francorum: *Prædicti Reges ſingulares, qui libet ipſorum fecit pluries miracula in vita ſua, videlicet ſanando omninò de venenoſa, turpi, & incommoda ſcabie, quæ Gallicè vocatur*, eſcroüelles. *Modus ſanandi eſt iſte: Poſtquam Rex audiuit Miſſam, affertur ante eum vas aquæ plenum; ſtatim tunc facit orationem ſuam ante altare: & poſtea manu dextra tangit infirmitatem, & lauat in dicta aqua. Infirmi verò accipientes de dicta aqua, & potantes per nouem dies ieiuni cum deuotione, ſine alia medicina omninò ſanantur. Et eſt rei veritas, quòd innumerabiles ſic de dicta infirmitate fuerunt ſanati per plures Reges Franciæ.* Viuebat Stephanus anno 1400. At verò eiuſmodi ritus obſoleuiſſe, teſtis eſt qui ſupra Du Peyrat cap. 61. Qui quidem cap. 60. poſt med. ex verbis Guiberti: *Me ei cohærente, & etiam prohibente*, coniicit ab eleemoſynis fuiſſe Regi Ludouico Groſſo: cui coniecturæ quominus aſſenſum præbeã prohibet ipſemet Guibertus: ſiquidem hac fuit dignitate auctus, num in vita vbi minutatim ſuos actus percurrit, officium illud præteriſſet? Non facile credi poteſt.

Notandum tandem eſt, Auctore noſtro antiquiorem hactenus (quod ſciam) qui de hacce Regum noſtrorum prærogatiua diſputarit, reperiri neminem.

Pag. eadẽ, lin. vltimâ. (*Mulier quædam ad Eccleſiam proprium infantulum ſuſcipiendæ cauſa communionis adduxerat.*) Vides ad hanc tempeſtatem, & vltra (vti mox demonſtraturi) infantibus communionem Corporis Chriſti in Eccleſia adminiſtratam. Adi, ſi placet, B. Lanfranci epiſt. 33. & Obſeruationem noſtram ad eandem: Arcudium lib. 3. de Euchariſt. Sacram. Quî verò ipſis infantibus ac potiſſimùm recens aquâ Chriſtiana tinctis traderetur ſacra communio, indigitat epiſtolâ ad S. Florentij Abbatem Gilbertus Pictauenſis Antiſtes; quam

quòd plurimùm illustrandis Ecclesiæ antiquis institutionibus conferat edere iuuabit.

EPISTOLA GILBERTI Porretani Pictauorum Episcopi.

GILLEBERTVS *Dei grata Pictauiensis Episcopus, dilecto in Christo* MATTHÆO *eadem gratia Abbati Sancti Florentij, Salutem in Christo.*

Placuit vobis nostram consulere paruitatem super cuiusdam obliuionis casu, qui nuper in Ecclesia vestra dicitur contigisse: quòd videlicet super altare pane posito in Eucharistiam consecrando, & calice vacuo Presbyter omnia verba, quæ Sacramento panis & vini pertinent, vsque ad panis in fracionem dixerit. Quando discooperto calice se cognoscens errasse, positis in calicem vino & aqua, non modo super calicem, verùm etiam super panis hostiam consecratam, sacra consecrationis verba iterauit. Pro quo facto quid vobis, quid illi Presbytero, quid de illa hostia faciendum sit, quæritis. Nos autem non ex sensu nostro nouum aliquid, sed quid à prudentibus viris super simili casu consilium olim audiuimus, hac à vobis quæsita responsione cõmemoramus. Cum enim simile factum ad aures quorumdam prudentium peruenisset, Presbyterum de negligentia corripiendum iudicauerunt, & conuentum pro ipso oraturum prouiderunt. Hoc igitur exemplum securi consulimus, vt Presbyter vester ad tempus oblationis hostia abstineat; & interim quibus prouidebitis siue ieiuniorum, siue aliis corporis castigationibus, & non tantummodò suis, verùm etiam vestris, totiúsque conuentus orationibus expiatus, mereatur offerre. Cui tamen, non de erroris conscientia, quæ cum est contumax, hæresis dicitur; sed ex illusionibus, quæ sæpe rectè credentium lumbos implent, huius obliuionis contingit casus: breuior tempore, initio, passione, castigatione huius pœnitẽtia poterit esse. quoniã verò in altero, siue panis, siue calicis sacramẽto, post illas quæ ex more fiunt per Presbyterum consignationes, totus est Christus, à iam consecrati panis reconsignatione omninò debuit abstinuisse, & à vini & aquæ in calice prius vacuo, infusione, satisfacere potuit: & sine illa sacrorum verborum iteratione in Sacramento panis, Christo communicasse: quoniam & pueri baptizati in solius & calicis, & infirmi in solius panis Sacramento sæpe communicant, & nihilominus quantum ad rem ipsam, & ad incorruptionis futuræ Sacramentum, accipiunt quãtum illi, à quibus in vtroque, panis scilicet & calicis Sacramento, in Ecclesia de ipsa mensa Dominica Christus assumitur. Hæc ad inquisitionem vestram, & si minùs plenè, tamen fideliter respondemus, de vestra charitate confisi, quæ, quod parum est, reputat multum; & quod mutilatum, perfectum. Addentes quod nos ipsi, ne huiusmodi obliuionibus siue ministrorum nostrorum, siue nostris possimus decipi, facere consueuimus. Cum enim ministri nostri vinum in calicem oblaturi infuderint, de miscenda vino aqua non eis credimus, nisi iam oblato nobis pane & offerendo calice, vel ipsi præ oculis nostris aquam infundant, vel nobis aquamanili tradita, eam calici misceamus. Sic enim & minister Sacerdos manet indubius, & sine obliuionis cuiusdam casu indemnis.

Quam Epist. morum grauitate atque erudione, scriptisque clariss. Nicolaus Camusat, Ecclesiæ Trecensis Canonicus, mihi amiciss. vltrò concessit: & hanc è veteri eruit Grandimontensis Ord. Rituali. Consona his docet Hugo Victorinus de Sacramentis lib. 1. c. 20. *Pueris recèns natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis: quia tales naturaliter sugere possunt &c.* Circa infirmorum communionem obseruare pretium operæ est, quod Arcudius vbi supra, cap. 56. refert, Græcos sacratissimam Eucharistiam, quam præparant pro infirmis in Cœna Domini per modum Viatici, sanguine Domini tingere solere. Et morem istum quibusdam in locis Ecclesiæ Latinæ receptum constat ex Concilio Turonensi (refert Burchardus lib. 5. ca. 9.) *Vt Presbyter habeat pixidem aut vas tanto Sacramento dignum, vbi Corpus Dominicum diligenter recondatur, ad viaticum recedentibus à sæculo. Quæ tamen sacra oblatio intincta debet esse in Sanguine Christi, vt veraciter Presbyter possit dicere infirmo, Corpus & Sanguis Domini proficiat tibi.* Concilium Bracharense 3. nihilominus Can. 1. interdixit Sacerdotibus, *Eucharistiam vino madidam populis pro complemento communionis porrigere.* Legendus hac de re Radulphus de Riuo de Canon. obseruant. lib. Propos. 23. sub finem: qui affatim testimonia subministrat.

Staturum adijcerem Ordinis Cluniacensis ni infra de morte proximis agens integrum proferre deberẽ. Temperare attamen mihi non possum quin quantum curæ, quantum nitoris, quantùmque venerationis & obseruantiæ præstare soliti fuerint Benedictini erga augustiss. Eucharistiæ Sacramentum, huc attexam: nempe caput 55. antiq. statut. Cluniacensium Abbate S. Hugone conditorum.

DE HOSTIIS QVOMODO fiant.

DE his quæ pertinent ad Eucharistiam sacrosancti Mysterij, quia dignum est,

vt cum summa reuerentia & diligentia gerantur, consequens est, vt ipse quoque gerendi modus non taceatur. Cùm enim quotiescunque oportuerit, eas fieri sit necesse, præcipuè tamen ante Domini natalem, vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solent. Cùm autem brumali in tempore prolixiores sint noctes, licèt ante prandium fratribus operari ampliùs; nam post prandium huiusmodi opus gerere non licet.

Frumentum de quo faciendæ sunt hostiæ, quantumlibet bonum sit naturaliter & purum, tamen granatim eligitur; nec per alias personas, quàm per ipsos fratres colligitur; deinde in saccum non qualecunque, sed qui ad hoc solùm de bono panno consutus est, reseruatur. In quo colligatum commendatur vni famulo non lasciuo, qui portans illicò ad molendinum molam lauat vtramque, operitque sursum & deorsum cortinis; seipsum induit albâ, & super caput mittit & alligat super humerale idem amictum, vt nil de facie præter oculos possit apparere. Ita ergò molit: ita farinam cribrat, primo cribro quoque diligenter abluto.

Maior Ecclesiæ custos si non est Sacerdos vel Diaconus, vicarium sibi quærit ad hoc opus perficiendum; duos etiam alios de his Ordinibus, huius rei gnaros perquirit, acceptâ licentiâ à Priore & vnum Conuersum: hi quatuor finitis nocturnis se calciant, facies manúsque lauant, & capita pexunt: secedunt deinde ad Altare sancti Benedicti, & ibi cantant matutinas laudes, primam quoque simul, & septem psalmos cum Lætania, reliqua psalmodiâ interim dilatâ.

Deinde illi tres qui sunt alicuius Ordinis induunt se albis, & humeralibus, vt supra dictum est de famulo: sunt enim albæ, & amictus quidam huic solo negotio deputati; quorum vnus farinam conspargit, & vehementissimè compingit super tabulam nitidissimam habentem limbum in circuitu, aliquantulum in circuitu superficie altiorem, ne aqua effluere possit. Conspergunt eam aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores: à duobus verò reliquis hostiæ formantur. Aqua verò non in alio vase defertur, quàm in quo solet ad Missas deferri. Ferramentum, in quo sunt coquendæ, caracteratum tenet Conuersus, manúsque induit chirotecis. In ferramento possunt simul ...... hostiæ poni; vnde inter bajulum ferramenti, & formatores hostiarum, ponitur tabula, & super hanc duo sunt pali infixi, super quos lignum habetur transuersum, super quòd ponitur ferramentum ad hostias imponendas, quæ non fuerint coctæ cultello abraduntur, & cadunt in disco deorsum in tabula imposito, & linteo iugiter cooperto, nisi quando hostiæ abraduntur.

Canunt psalmodiam quæ remansit, & si voluerint horas de Sancta MARIA; ad alias omnino horas tenent silentium: & summopere cauent, vt non modò saliua, sed nec flatus eorum aliquomodo ad hostias pertingere possit. Solus Conuersus, si quid opus fuerit, breuiter famulis innotescit; qui faciunt focum nonnisi de aridis lignis, & ad hoc de industria præparatis. Ipsi autem hostiarum operarij eo die non cum fratribus, sed potius cum seruitoribus reficiunt, & pro tanti laboris leuamine, habent de apocrisario ad prandium pictantiam, & pigmentum &c.

Hæc oro reuoluant, ac tota mente tacitùs perspiciant qui diuinam rem hancce minùs circumspectè, imò non secus & cætera seculi negotia atque artes infimas pertractant.

(*Et puerulus rerum adhuc omnium inscius &c. exclamat ad matrem &c.*) *Similiter euenit in Andegauensi ciuitate &c.* inquit Robertus de Monte in Chronico quod euulgamus. Vide sub annum 1182. [pag. 331. colom. 2. lin. 3.]

(*Vt etiam Matris Dominicæ corpus resurrectione glorificatum dicere non audeat*) Vti prodünt antiqua Martyrologia Vsuardi, die 15. Augusti: *Dormitio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Cuius sacratissimum corpus, etsi non inuenitur super terram, tamen pia mater Ecclesia eius venerabilem memoriam sic festiuam agit, vt pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus sancti templum nutu & consilio diuino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid friuolum & apocryphum inde docendo tenere.* Hæc Vsuardus. *Porrò Dei Ecclesia* (infert Baronius notâ Martyrolog. ad hanc diem) *in eam partem propensior videtur, vt vna cum carne assumpta sit in cœlum.* Quod inter alios (quos eò loci apud eundem Baronium legeris) Beda Ephemeride mens. Aug. 18. Calend. [pag. 335. lin. 54.]

Octaua & decima mundi lux, flosque MARIA
Angelico comitata choro petit æthera Virgo.

Atque id quidem affabrè sciteque probat Guibertus noster.

(*Caput Baptistæ Dominici cùm Constantinopolitani habere se dicant; Angeriacenses Monachi idem se habere testantur.*) Hisce de S. Ioannis Capite controuersiis haud immoror; etenim nil certi quit statui, nisi quòd omnia incerta; necnon & à doctioribus ante me multis vltrò citroque disputatum est: ea de re lubens calamum subtraho, ac sileo. Consule Baronium Annal. Eccles. ad annum 391. & 1025. ac not. in Martyrolog. Roma. die 29 Augusti. [pag. 336 lin. 2.]

Cæterùm nouissimè omnium de variis agens Inuentionibus, ac Translationibus

Capitis Sanctiss. Præcursoris Henricus Spondanus obseruat. ad an. 1024. Epito. Annal. Eccles. subdit ista: *Denique quòd diuersæ Ecclesiæ gloriantur de possessione eiusdem Capitis, ita rem definitam voluit Robertus le Viseur, Theologus Paris. & Canonic. Ambia. qui peculiarem ea de re Tractatum habuit: vt Angeliaci fuerit pars cranij, missa à Constantino Copronymo Imp. ad Pipinum Regem Franc. eiusdem Angeriacensis cœnobij conditorem: Romæ in Ecclesia S. Syluestri pars altera cranij: Augustæ Prætoriæ in finibus subalpinorum, maxilla altera; Altera Lugduni: Ambiani verò, excepto mento, à labio superiori vsque ad partem frontis.* Et paucis interjectis: *Cùm de his nil vsquequaque certum asseri posse videatur, de his interim liceat (vna cum Baronio in literis ad eundem Robertum rescriptis) quod olim Prætores edicto proposito ijs, qui se rem aliquam possidere affirmarent:* Possidete vti possidetis. *Laudanda verò pietas eorum, qui his Sacrosanctis pignoribus cupiunt sibi peculiare tanti Præcursoris patrocinium adsciscere.* Quo tempore illæ Sanctæ Ioannis Reliquiæ Ambianum translatæ fuerint (nullæ enim Guiberti æuo inibi extabant) vis nosse? inspice præfatum Roberti le Viseur Tractatum.

Ibid. lin. 25. *(Planè decessor meus Ambianensis cùm corpus Firmini Martyris &c.)* Duo seculi huius auctores, contraria de Sancto Firmino asserentes, occurrunt: Guibertus Abbas Nouigentinus, & Nicolaus S. Crispini Suessionens. Monachus: Ille vir grauis & maturæ ætatis; hic adolescens, qui vix pubertatis annos excesserat cùm scriberet: alter coætaneus; suppar alter: insignis doctrinâ ac dignitate primus; secundus simplex Cœnobita, & notus solummodò ex vita Sancti Godefridi Ambian. Ep. quam & relatione quorumdam contexuit. Vtri fidem adhibebo? Guibertone Abbati, nullum de corpore S. Firmini repertum testimonium, dùm sanctus ille Antistes capsulam aperuisset, attestanti? An Monacho Suessionensi, corpus in eadem capsula inuentum ipsissimum esse S. Firmini asseueranter probare conanti? Rem discutiamus: erit, spero, lectori haud ingratum.

Sic itaque se res habet hîc apud Guibertum. *Planè decessor meus Ambianensis Episcop. cùm corpus Firmini Mart. vt putat, quatenus de theca in thecam efferret, nullum inibi pitacium, ne vnius quidem literæ testimonium, quis ibidem iaceret, inuenit. Qua de re vrbis Episcopus plumbeæ laminæ mox inscripsit, quòd illic conderetur Firminius Martyr Ambianorum Episcop.* Hæc ille.

Nicolaus verò lib. 2. cap. 26. vitæ Sancti Godefridi; posteaquam retulit B. Godefridum multos ante dies populum, vti munera ad capsulam conficiendam offerrent, præpararentque sese, ad Reliquiarum translationem, adhortatum fuisse, hæc subdit: *Postquam loculus accurratè confectus fuit, ad eam diem, quo erant transferendæ Reliquiæ, tantus eò aduenit hominum cœtus, vt tota Europa confluxisse videri posset. Tùm Episcopus cum aliis Sacerdotibus accessit ad locum, vbi cœlestis ille seruabatur thesaurus, sacrásque reliquias, cum multo tremore omnibus visendas exposuit &c. deinde populum dimittit. Huic autem spectaculo non interfuêre, qui Ambianensis vrbis suburbana loca habitant. Accedunt igitur ad Godefridum: orant, vt ipsis quoque B. Firmini sacras Reliquias ostendat. At ille valdè admirans, vbi, inquit, nudiustertius fuistis, quando mea manu eas omnibus comtemplandas exhibui? Afferunt alij alia &c. Flectitur tandem vir pius, & in celebritate Omnium Sanctorum, præmisso ieiunio, ait se precibus satisfacturum.* Quod effecisse, nec-ne, nil retexit Auctor.

Verum enimverò quid eiuscemodi Nicolai sermonibus colliget lector eruditus, nisi (mea quidem sententia) istos ex industria compositos, vti fucum faceret, obnubilaret veritatem? At hæc omnia vincit, seque tandem profert in apricum. Ecquæ amabo illius narrationis connexio? Testatur credulus ille Nicolaus tot populos Ambianum, quò sacra Firmini pignora venerarentur, conuenisse, *Vt tota Europa confluxisse videri posset.* Deinde: *Huic autem spectaculo non interfuêre, qui Ambianensis vrbis suburbana loca habitant.* Quî oro te suaderi potest vt tota Europa ad Reliquiarũ Patroni Ambianorũ ostensionem *confluxisse videri posset*, ac suburbani nihilominus occlusas continuò habuissent aures, fuissent oculis capti, inebriatiuè obdormissent toto die. Nutabunda vtique narratio! Ac proinde Guibertus, sin testis oculatus, vel coæuus potiori iure audiendus est; vir sanè iusti veríque amantissimus, qui nemini, vbi vitiũ; vbi falsitatem, vbi Catholicæ fidei corruptelam, vbi labem Ecclesiasticæ libertatis reperit, nil parcere, nil dissimulare nescit: quemadmodum luce meridiana clarius scripta ipsius euoluẽti patescet.

Quo demùm in loco pretiosum Firmini pignus requiescat, paucis declarat Abbas noster. *Nec mora*, scribit ipse, *in Monasterio Sancti Dionysij* (in Francia) *idem actitatur. Parata ab Abbate ornatiori capsa dum inde extollitur, dùm cum membris caput euoluitur, membranula in Martyris naribus reperitur, in qua quòd esset Firminus Ambianensis Martyr expromitur.* At ne auctor gratis, seu bile mota isthæc asserere quis credat, antiquam libet eruere Translationem, Dagoberto I. Francorum Rege præcipiente factam, è Piquiniacensi castro in Sandionysianam Ecclesiam.

TEmpore glorioſi ac piiſſimi Regis Frā-corum Dagoberti, Hunnorum gens corde ferociſſima, procera corpore, bellis aſſueta, plus de propriis viribus quàm de diuino præſumens adiutorio, circumiacentes Prouincias ſibi tyrannicè ſubiugabat; nec iſtud ei ſufficiens videbatur, ſed audiens præcellentem Regni Francorum Regiſque gloriam, idem Regnum auſu temerario, ſuo dominatui ſubmittere propoſuit: initóque conſilio cum Flandrenſibus eos ſibi ad propoſiti conſortium facinoris conciliat, freta pariter ciuium vrbis Ambianenſium auxilio & conſenſu. Et ecce præparatis ad bella neceſſariis, caſus ſibi futuri neſcia, cum ſuis complicibus verſus Franciam mouet caſtra. Quod quidem peruigilem Regis Dagoberti prouidentiam latere non potuit. Qui conuocans fideliſſimam ſibi Francorum militiam totum de diuino, & ſpecialis ſui Francorúmque protectoris Macharij, ſcilicet Dionyſij ſociorumque eius patrocinio, celeriter ſuis occurrit aduerſariis ad locum, qui Leo tunc temporis dicebatur. Quid plura? venit dies certaminis, & diu multúmque hinc inde certatum eſt. Hunnis cum ſociis complicibus acriter decertantibus feruore & deſiderio conſummandæ, provt æſtimabant, nequitiæ; Francis è contrario pro patriæ libertate. Interea diuina clementia, quæ ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, Regis Francorumque fidem & animi pietatem miſericorditer reſpiciens, & perfidam Hunnorum ſuperbiam, iſtorum brachia confortauit, aduerſarios in tantum humilians; vt vix ſaltem vnus euaderet qui belli euentum ad patriam reportaret; & facta eſt in eodem loco à Francis tanta ſtrages, tantaque Hunnorum ſanguinis effuſio, vt idem locus qui prius Leo vocabatur, ex tunc & deinceps gentis illius idiomate diceretur *lyons enſantez*, quod Latinè leo in ſtagno ſanguinis poteſt dici.

Hunnis vt dictum eſt penitùs interemptis, nec ſic tamen Dagoberti Regis ira deferbuit, donec de ciuibus vrbis Ambianenſium, qui Hunnorum contra ſe tyrannidi conſenſerant, condignam acciperet vltionem; quod eoſdem ciues non latuit, qui non immeritò vehementer tremefacti, propria eos remordente conſcientia, quâ ſe iudice nemo nocens abſoluitur, communicato inter ſe conſilio, Epiſcopus eiuſdem ciuitatis, & Clerus, & populus, corpus glorioſi Martyris, & Epiſcopi eiuſdem vrbis FIRMINI, aliaſque Reliquias cum theſauris Eccleſiæ, ad quoddam municipium, quod Pinquigniacum dicitur, tranſtulerunt: quod idcircò factum eſt, quia ciuitas parum munita contra Regis impetum videbatur. Caſtrum autem illud, & naturâ loci, & manuali artificio, & bellatorū audaciâ fortiſſimum, & velut inexpugnabile putabatur. Sed non eſt prudētia, non eſt ſapientia, non eſt conſilium contra Dominū.

Rex igitur cum Francorum exercitu, prædictam adiens ciuitatem, paucis obſtantibus, ſine multa difficultate ingreditur; hoſtes cū Regia indignatione aggreditur; quoſdam interficit, aliis carcerali cuſtodiæ mancipatis, nonnulli verò fugæ præſidio mortis periculum euaſerunt. Rex igitur Dagobertus glorioſa de hoſtibus potitus victoria, ne, quod abſit, ad glorioſos protectores ſuos Macharium ſcilicet Dionyſ. ſocioſque eius, reus ingratitudinis remearet, diuino tactus ſpiramine, hoc deliberauit apud ſe, quòd munus eis, omni theſauro pretioſius, in recompenſationem ab eis impenſi ſibi manifeſti patrocinij reportaret. Vnde diſpoſitis ex parte regia in præfata ciuitate cuſtodiis, verſus Piquigniacum vertit exercitum, vbi certiſſimè ab Incolis didicerat, propter metum Regiæ Majeſtatis, venerabile corpus ſanctiſſimi Martyris & Epiſcopi Firmini, cū aliis fuiſſe Reliquiis occultatum. Sed quid facerent cuſtodes municipij eiuſdem, niſi quòd ipſa rerum neceſſitas facere compellebat? arma deponunt, ſe & ſua Regiæ voluntati ſubiiciunt, ipſe verò miſericorditer erga ipſos ſe habuit, ſicut Regiam in tali articulo decuit dignitatem.

Subiecto ſibi præfato municipio, Rex prouidus & diſcretus, vt opere compleret quod antea mente conceperat; iure victoris vtens, cuius ſunt omnia quæ fuerant deuictorum, accedit ad locum vbi precioſas Sanctorum Reliquias repoſitas fuiſſe didicerat, corpuſque venerabile ſanctiſſimi Martyris & Epiſcopi Firmini, cum omni reuerentia leuat de latebris, indignum iudicans oſſa tanti Martyris diutius in tenebris occultari. Deinde conuocatis Magnatibus Francorum exercitus, eis auctoritate regia præcepit, vt inde ſacratiſſimum corpus cum honore debito ſummóque, ad dilectam ſibi præ cæteris Eccleſiam transferrent, ipſo cum ſuis familiaribus humiliter ſubſequente.

Venerabilis autem Conuentus eiuſdem Eccleſiæ audiens Regem cum nobili triumpho reuertentem de prælio, ſecumque pretioſas deferentem Reliquias, occurrit ei ſolemniter, ipſumque cum hymnis & laudibus, ſicut regiam Majeſtatem decuerat, in Eccleſiam introduxit. Rex verò ſacratiſſimi corpus Martyris, quod ſecum detulerat, veluti theſaurum impretiabilem, ſuper Altare ſanctorum Martyrum propriis manibus deuotus obtulit; quod Conuentus cum ineffabili gaudio ſuſcipiens, ſuper Altare ſanctæ Trinitatis, quod in Choro Monachorum ſitum eſt, ſublimiter & honorificè collocauit.

Hucusque vetus codex MS. Bibliothecæ S. Victoris Paris. Et hanc profectò translationem Nicolaum Gillium à Francis. Belforesto adauctum minimè latuerat de Dagoberto I. agens; qui Ambianensibus subactis, captóque Pequiniacensi castro, *Corpus S. Firmini*; ait ille, *cum aliis lipsanis ac thesauris transportauit; & ea Ecclesiæ S. Dionysij obtulit, quæ etiamum cernuntur ibidem.*

Quæ cùm ita sint, an non fides pluribus in locis est Nicolao Suess. deneganda (Quamquam omnia B. Godefridi gesta in dubiũ reuocare nefas fuerit) quippe qui ex solo vulgi rumore, siue ex cerebro attexuerit plura? quibus reclamatum fuisse suo ipse Prologo ad lectorem conqueri videtur: *Quòd siquis impudenter oblatrare, & carpere nos velit, cur non tàm visa quàm audita referamus &c.* Epistolâ nuncupatoriâ, cùm quæ de S. Godefrido verba facturus erat, plurima ex parte minimi pensi fore suboleret, Rohardum affatur ad hunc modum: *A tanti viri piis laudibus exprimendis hinc me reuocabat ætatis immaturæ debilitas (vt enim à relatione obstetricis insertum memoriæ retinebam, non amplius quàm quinque lustrorum ambitum attigeram) hinc verò humilis scientiola maximè retrahebat. Nam vt de reliquis taceam nondum complexionem syllabarum, nondum ipsius alphabeti elementa planè cognoueram &c.*

PARERGON DE PRIVILEGIIS Abbatiæ S. Valerici.

ATque vt sole clarius innotescat quàm turpiter Nicolaus errauerit, nostráque de sancto Firmino solida sit assertio, huic loco conueniens, quæ is ipse tam bellè lib. 2. c. 9. describit, radicitùs excutere; cùm maximè pleróſque magni nominis hac in relatione (volentes nescio) cæcutisse legerim. Nempe in Synodo Remensi suppositititia quædã priuilegia, quæ confecerant Monachi S. Valerici diœcesis Ambian. fuisse deprehensa. Et sanè miratus sum vehementer, vbi acta S. Godefridi à Nicolao delineata percurri, tot summæ eruditionis viros, tam aperto errori subscripsisse, quin & eiuscemodi fabulam insuisse Conciliis. Sed iuuat Auctorẽ audire, rémque ipsam ad limam & incudem reuocare.

Narrationem suo, (immò Surij Carthusiani) stylo prosequitur lib. 2. cap. 9. *Cum aliquando vir beatus diœcesim suam visitaret, ad B. Valerici Monasterium venit. Id vbi Abbas Lambertus & Monachi perceperunt, illicò ad cryptam properant, vbi ille residebat: rogans quà causà eò accesserit? respondet vir Dei: hi Presbyteri (illi enim circumstabant) longè ab Ambianorum ciuitate separati, orant me, vt calices, & lintea, in quibus diuina tractantur mysteria, ipsis consecrem. Tum illi magno furore perciti, & vix manus cohibentes; nunquam, aiunt, vllus Ambianorum Episcopus hic consecrationis alicuius ministerium executus est. Cernens vir beatus immodicè illos commotos &c. abijt inde &c.* En dissidij causam; calicum ac linteorum in Ecclesia sancti Valerici consecratio, non Monachorum peruersi mores, vti perperàm vitæ sancti Bernardi Clareuall. interpres Gallicus lib. 5. cap. 25. affirmauit.

Vlterius progrediamur, cap. 10. *Postquam domum rediit Episcopus, conuocato clero exponit eis, Monachos sancti Valerici iactare immunitatem suam, quòd & non sint subiecti Ecclesiæ Ambianensi, séque ab eis cum ignominia repulsum. Id illi audientes valde commoti sunt, missísque literis, accersunt Abbatem. Venit ille: sed auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora? Non pauci ab Abbate largitione corrupti eum aduersus Episcopum & matrem Ecclesiam acerrimè tuebantur. Id vir Beatus animaduertens, ad Archiepiscopum Remensem causam reijciendam statuit.* Quasi verò Abbas à iure Episcopali, ac Synodali lege exemptus (saltem id prætendebat) adeò facilè mandatis Episcopi, Canonicorúmque obtemperasset: hoc enim facto causa excidisset; ac propterea commentitia Nicolai verba quis non videat?

Capite subsequenti, *Remis celeberrimum procerum Galliæ Conuentum tunc habitum* contendit. *Adfuit etiam Venerabilis Ambianorum Episcopus Godefridus. Procedit in medium Abbas cum Monachis suis, accusat Episcopum Godefrid. quòd magna ipsum iniuria affecerit, profert literas commentitias, nulli, præterquàm Romano Pontifici, ipsos esse subiectos. Leguntur literæ iubente Archiepiscopo, móxque insultatur Episcopo ab illis, qui muneribus deprauati erant &c. ille* (Godefridus) *parum fidens literis, quas recitarant, petit eas sibi dari inspiciendas. Accuratè igitur illas contemplans & veste sua leuiter abstergens, fraudem deprehendit, exclamánsque: Huc quæso,* inquit, *oculos omnes aduertite: en membranas & attramentum scripturamque planè recentia, nec Romano more obsignata: rem esse, vt ait Godefridus, comperiunt* &c. *Monachi pudefacti, ad Romanum Pontificem prouocant, Romamque illicò proficiscuntur.* Quis color in hoc sermone? Certè quidem puerilia à puero depicta continet: vt puta, *Remis celeberrimum procerum Galliæ Conuentum habitum*, cuius nequidem vestigium hactenus reliquêre scriptores, nullúmque in Cartophylacio Remensi inspicere est monumentum.

Deinde si celeberrimus Galliæ procerum extitit ille Conuentus, cur oro te, Guibertus noster è Remensi Metropoli pendens, *Vir religiosus, & magnæ authoritatis*, vt fert Martyrologium Laudunense antiquius; quíque

aliquando Regi Ludouico adhærebat, velut de ſeipſo tradit de pig ſſ.l.1.ca.1. Et Manaſſes Epiſcopus Sueſſionenſ. *Wibertus Abbas, qui ſapientia, & innocentia ſua nos ſibi valde conglutinauit.* Cur, inquam, non ſederit cum aliis Regni Proceribus? Ad quid ipſe toto in contextu operum, in vita præſertim, quam affingit Synodum Nicolaus, non memorat, ille, qui in minutioribus, quæ ſuo euenêre tempore, diligentiorem exhibet ſeſe? Quin etiam, homo integerrimus, Abbatem Sanuallericenſem, vtpote falſarium (ſi vera eſt Nicolai narratio) ſcriptis inſectari proculdubio non diſſimulaſſet. Ad Calendas Græcas Conuentus ille celeberrimus.

Præterea haud veriſimile eſt Abbatem, qui poteſtati ſuberat nulli, præterquàm Romani Pontificis (vt antehac de Ambianenſi Epiſcopo dixi) pſeudo-conuentum Remenſem, ad tuendum ius ſuum, & querimoniam de S. Godefrido habendam, petiiſſe.

Age verò, quî fieri poteſt, vt B. Epiſcopus, *Veſte ſua leuiter abſtergens, membranas & atramentum ſcripturámque planè recentia; nec Romano more obſignata* demonſtrârit? Recèns quippe in membranis exarata, non leui abſterſione queunt deleri; imò inhærent tenaciùs, difficilius obliterantur. Si autem infers, debuiſſe rugas, tinearum blatarumque rixas, præ ſe ferre membranas; imperitum te profers; centum ſiquidem annorum ætatem propè non excedebant; Benedicto ſcilicet Papa VII. (vt quidem conijcio, cùm Papæ nomen Monachus Sueſſionenſis tacuerit ex induſtria) ſedente Romæ, quo tempore iuſtauratum conſtat Sancti Valerici Monaſterium ab Hugone Duce, pòſt Rege Francorum, atque ipſo petente indulta priuilegia: at quæ id ætatis habent membranæ (potiſſimùm quòd eiuſce momenti religiosè & ſollicitè aſſeruari ſoleant) vices ac detrimenta temporum ſentiſſe nequeunt agnoſci, quemadmodum in dies experimento diſc imns.

Sed, inquies, Monachorum immunitates, *Nec Romano more obſignatas, meritóque reijciendas* animaduerterunt Epiſcopi. (Et hîc cardo, vel in mente Nicolai, totius difficultatis.) Quid ita? Ridesne, an ſerio loqueris? Priùs vtique conſtantem traditione continuata morem Eccleſiæ Romanæ, in obſignandis ſubſignandíſue literis probandum fuerat extitiſſe; aſt potius maris aquas ebibes, quàm iſtud demonſtres. Contrà paſſim mutaſſe ſtylum ſummos Pontifices affatim ſuppetunt] exempla: ex innumeris propemodū pauca, Lector ine ſtomachū moueamus, ſeligamus. Concil. Gal. tom. 2. pag. 75. Priuilegio Remenſi, quod Tilpino inſcripſit Adrianus Papa, ſic finem impoſuit. *Bene vale.* Subſcriptio Priuilegij S. Dionyſij, ibidem pag. 114. *Scriptū per manum Chriſtophori Notarij & ſcriniarij ſedis noſtræ, in menſe Iunio, Indict. IX. Bene valete. Dat. Kal. Iuliis per manum Anaſtaſij Primicerij, regnante Domino noſtro & Saluatore Ieſu Chriſto cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu ſancto, per infinita ſæcula. Anno, Deo propitio, pontificatus Domini noſtri in Apoſtolica ſacratiſſima Beati Petri ſede XV. Indict. IX.* Tom. 3. indidem pag. 217. *Scriptum per manus Zachariæ notarij regionarij, & ſcrinarij S. R. E. in menſe Aprili, Indict. XI. Bene vale. Dat. IV. Kal. Maij, per manus Tyberij primicerij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ imperante piiſſimo domino Imp. Auguſto Ludouico, à Deo coronato, magno, pacifico, Imperij an. XIV. Indict. XI.* Pag. 481. *Data III. Kal. Septembris, Indict. XI. Treciſ.* Pag. 485. *Scriptum per manus &c.* Vt in ſuperioribus, ſed Imperatoris mentio non habetur. Pag. denique 521. *Scriptum per manum &c. regnante in perpetuum Domino Deo noſtro. Anno pontificatus domni Marini vniuerſalis Papæ Primo, Indictione prima.*

Subſequentiúm quoque Pontificum ſubſcriptionum formulas referamus. Sergij Papæ IV. *Scriptum per manus Ioan Scriniarij S. R. E. in menſe Iunio, Ind. X. Datum XV. Kal. Iulij per manu m &c. anno, Domino propitio, Pontificatus domini Sergij IV. Papæ, in ſacratiſſima ſede B. Petri Apoſtoli, Ind. X.* Et poſt alia, item altera. *Scriptum per manus &c. Datum per manus &c. Pontificatus domini noſtri Benedicti ſummi Pontif. & Vniuerſalis Octaui Papæ in ſacratiſſ. ſede B. Petri Apoſt. IV. Imperij domini Henrici Imp. Aug. anno tertio &c:* Has videbis inſcriptiones tom. 11. Annal. Baronij, ad ann. 1012. Et Bullarij to. 1. pag. 50. in Gregorio 7. *Datum Laurenti. III. Non. Septemb. Indict. incipiente XV.* Item pag. 52. ex Priuilegio Vallis vmbroſæ Congregationi indulto. *Datum Romæ per manus Ioannis S. R. E. Diac. Cardinal. Anno Dominicæ Incarnat. 1090. Indict.* XIII. VIII. *Id. April.* Et pag. 53. *Ego Paſchalis Cathol. Eccleſiæ Epiſcopus.*

Ego Lambertus Oſtienſis Epiſcopus interfui & ſubſcripſi &c.

Datum Laterani per manus Ioan. S. R. E. Diac. Card. ac Bibliothecarij, VI. Kal. Ian. &c. Coæuus autem erat Paſchalis S. Godefrido; & hæc quidem ſubſcriptionis formula longè diſcrepat à ſuperioribus.

Ex his itaque omnibus liquet, Romanos Pontifices variaſſe ſuas obſignandi formulas; atque adeò Nicolaum ſtolidè ſcripſiſſe, idcircò Synodi Remenſis Patres Priuilegium Sanvallericenſium amandaſſe, quòd *nec Romano more* fuerit obſignatum. Inſuper illo Sancti Godefridi atque anterioribus ſeculis,

Pontifices summi, nec-non Reges ac Principes, Diplomata Epistolarum instar (vnde *litteræ, rescriptum* nuncupantur) sæpiusculè transmittere solebant : Neque ita tùm frequens vsus fuit, velut sequioribus B. Godefridi maximè, temporibus, Bullas, siue Icones plumbeas Apostolicis literis affigere; quod ex supra positis exemplis perspicuum habetur. Diutulè notioribus immorati, ad cætera refellenda prosequamur.

Pergit Nicolaus cap. 14. *Monachi verò Romam veniunt, munera largiuntur, redeunt ad sua læti & alacres, omnibus pro voto impetratis à Romano Pontifice &c.* Ridicula! Semel, iterum & tertiò Sancti Valerici Abbatem insimulat hic Auctor, Canonicos Ambianenses, Remensis *Conuentus celeberrimi* Præsules, atque ipsummet Maximum Ecclesiæ Hierarcham, pecuniis, muneribus corrupisse ac delinisse, quo veritatem sus-deque haberent, & molestia Sanctum Virum afficerent, priuarent iure, ac proinde corrupti omnes & abominabiles fuerint facti, vt cum Psalmista loquar. Quasi Cœnobiarcha ille immensis Crœsi opibus affluxisset, vt quauis occasione sic pecunias effunderet.

Deinde in animum facilè quis induxerit, Abbatem & Monachos, insigni technâ eorum (quod vult Nicolaus) Remis propalatâ, adeò frontem & os perfricuisse, vt extemplò Romam ierint, à Romano Pontifice quidquid expostulasset, obtinuerint negotio perfacili? nec vllus ex *celeberrimo Conuentu* peruersis hominibus occurreret, néque tanti facinoris præmonuisset summum Pastorem; quin & actutùm ipse ignotâ prorsus causâ, assensum Monachis præbuerit, & ab obedientia eos exemerit Episcopali. Apage hæc deliramenta.

Capite verò 15. 16. 20. & 21. Romam ea de causa petiisse Sanctum Godefridum, atque à Pontifice Maximo repulsam passum biographus enarrat; sed Bario, quò venerat voti soluendi causa, vbi Romam rediuisset, de eius prudentia, eruditione, sanctitate, iam certior factus Paschalis Papa, ab illo veniam, quòd malè eum excepisset, exposcit. *Tùm Paschalis Pontifex* (infit Nicolaus cap. 21.) *literas ei tradit, quibus inter alia continebatur, Abbatem Sancti Valerici cum Monachis suis, Ambianensi Episcopo, perinde atque patri & pastori, in omnibus parère debere. Ille igitur &c.* Itane verò? vnde igitur in ventilanda toties & refricanda de priuilegiis Monachorum Sanvallericensium controuersia, hactenus Ambianenses Episcopi in medium producere Romani Pontificis quas prętendit ille literas nequiuerūt? Hac scilicet viâ vniuersæ prorsus sopitæ, imò & extinctæ permansissent discordiæ. Ergò Paschalis literas B. Godefrido nusquam datas, nemo, mea sententia, qui non aduertat.

Postremò tandem histor ille opinatissimus fabulæ suæ colophonem addidit in hunc modum cap. 24. *Abbate Sancti Valerici rursus accito, B. Episcopus profert literas Paschalis Pontificis, dat eas Simoni Præposito palam recitandas &c. ad pedes B. Godefridi se abijciunt* (Abbas & Monachi) *veniam perperàm gestorum petunt, nec difficulter impetrant, congruâ eis multtâ irrogatâ. Ex eo tempore Abbatia S. Valerici paret Episcopo Ambianensi.* Quòd si ita se res habet, quare non multo pòst tempore grauissima lis est, Ambianenses inter atque Sanvallericenses, excitata? Quam ob rem arbitris in partibus (vt aiunt) à summo Iudice Alexandro delegatis, & rationibus ab ipsis vtrinque auditis ac ponderatis (quod mox sumus commonstraturi) Pontifex demùm post varias ac prolixas partium disceptationes, Abbatem & Monachos S. Valerici, quia post hominum memoriam à iure Episcopali exemptos arbitri compererant, in possessione retinuit. Atque adeò euidentissimè Nicolai conclusionem, *Ex eo tempore Abbatia S. Valerici paret Episcopo Ambianensi*, suppositïtiam, nisi impotens animi, puto, ibit inficias.

Tametsi Parergon istud omnibus mihi videar numeris absoluisse, & apertè boni illius viri, fictitiam, quam haud dubiè ab impostoribus acceperat, diluisse narratiunculam; tamen quòd crambem toties recoctam ab osoribus illis, quibus minimè stomacho sunt immunitates Monachorum, ingestam perspicio, iuuat omninò Priuilegij subscriptionem qua de agitur, quæque ansam Nicolao præbuit fabricare fabellam, adijcere. De bullatis Paschalis II. literis, quippe vel consensu aduersariorum sine dubio à Romana sede sunt emissæ nil attexendum. Alexandri verò 3. integram, vtpote quæ vniuersam (vt antea monuimus) dirimit litem, describemus sententiam. Habent igitur hancce Benedicti Papæ literæ subscriptionem.

Scriptum per manum Hugonis Notarij regionarij, & scriniarij S. R. E. *in mense Aprili, Indict. IX. bene valete. Datum* Kal. *Aprilis per manum* Stephani *Episcopi* S. R. E. *Primo pontificatus Benedicti sanctissimi* Septimi *Papæ in sede B. Petri septimo. Imp. domno Ottone, à Domino coronato, magno Imperatore XIII. Indict. Nona. Amen.*

Insultabunt forsan æmuli, occlamitabuntque, Imperij Ottonis II. octauum duntaxat annum (cui septimus quadrat Benedicti Papæ VII.) fore computandum.

Quibus ego non meis, prætium operæ fuerit respondere, at Illustriss. Cardinalis Baronij verbis, qui cùm sua minimè referat,

audiendus est, Tom. 1. videlicet Annal. ad an. 974. sub finem, hanc peritè remoræ vmbram expedit: *Defuncto Ottone*, inquit, *eius filius Otto iunior solus incepit imperare, qui iã cum patre inchoauerat annum sextum: nam ipse in diplomatibus hunc annum numerat sui imperij (vt apparebit inferius) sextum &c.* Itaque ad annum 981. *Extat hoc eodem anno datum diploma Ottonis 2. Imperatoris &c. In fine autem: Ioannes Cancellarius, ad vicem Petri Papiensis Episcopi Archicancellarij, recognoui & subscripsi. Datum V. Id. Aug. anno D. Incarnat. nongentesimo octogesimo primo, Indict. IX. Regni verò domini Ottonis* XXI. *Imperij verò* VIII. *Indict. Nona. Inest sigillum eiusdem, aliáque diplomata eiusdem generis priuilegia continentia ibidem extant, vt illud datum sexto Idus Octob. hoc eodem anno Redemptoris 981. Indictione* X. *inchoata Imperij à tempore coronationis decimo quarto, per manus eiusdem Ioannis Cancellarij.* Hactenus Baronij verba.

Quibus ac similibus constat hoc præsertim seculo, cum Imperotores, tùm Reges Francorum, Imperij siue Regni annos à die inaugurationis solitos auspicari nonnunquã. Sequitur tandem.

SENTENTIA DECRETORIA Alexandri Papæ III.

ALEXANDER Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Asselino Abbati, & fratribus sancti Wallerici, salutem & Apostolicam benedictionem. Dignum est & rationi conueniens, vt cùm ad sedem Apostolicam quæstiones aliquæ deferuntur, debitum ibidem sortiantur effectum; & illic finem contentiones & litigia sumant, vbi mater Ecclesia Primatus obtinet dignitatem. Cùm autem iampridem inter vos, & Ambianensem Ecclesiam, super iure parrochiali in castro sancti Wallerici, & de impositione Abbatis in sedem electionis tempore, quæstio mota fuisset, causam illam bonæ memoriæ Balduino quondam Nouiomensi Episcopo commisimus cognoscendam; ita quidem quòd rationes & allegationes, hinc inde, & iuratorum testium depositiones deberet suscipere, & eas nobis cum vtraque parte si bene recolimus, in certo termino destinare; quæ cùm ab eo cognita, & ad nos delata fuissent, si adhuc partes aliquid superaddere vellent, Venerabili Fratri Rhemensi Archiepiscopo, nostra super hoc scripta curauimus destinare. Vnde cum vtriusque iterum partis acta, tàm in rationibus, quàm allegationibus, quàm in Iuratorum testium depositionibus, ad nos ab eo sub sigillo suo delata fuissent, & dilecti filij nostri Arnulphus & Fulbertus Confratres, & Responsales vestri, nec-non & magister Gislebertus, qui pro Venerabili A Fratre nostro Ambianensi Episcopo venerat, in nostra essent præsentia constituti, easdem rationes & allegationes coram nobis, & fratribus nostris, sæpe & sæpiùs recitari fecimus, & diligentius examinari. Cùm autem Iuratorum testium depositiones studiosiùs inspexissemus, licet ex parte Ambianensis Ecclesiæ duo deposuissent, quòd R. quondam Abbas vester per quendam Archidiaconum Ambianensem, in Cathedra positus fuit, plura tamen pro vobis testimonia comparuerunt, qui iam dictum R. & cæteros B Abbates vestros per alium in Cathedra positos fuisse pleniùs comprobant. De Iure verò parrochiali in Castro præscripto, cùm diligentius tractaremus, nec duos testes concordes pro Ambianensi Ecclesia inuenire possemus, *cùm plures quòd diuortia, & alia parrochialia*, per Abbates vestros à quadraginta retrò annis facta fuerant, Iurati etiam deposuissent. *Vos tàm super positione Abbatis in Cathedram, quàm de cura animarum; & omni alio Iure parrochiali* in prædicto C Castro, à memorati Episcopi & Ecclesiæ suæ impetitione absoluimus, & eisdem perpetuum super hoc silentium auctoritate Apostolica imposuimus. Vt autem hæc nostræ definitionis sententia futuris semper temporibus inuiolabiliter obseruetur, eam auctoritate Apostolica duximus roborandam, & præsentis scripti patrocinio muniendam; statuentes vt nulli omnino hominũ liceat hanc paginam nostræ definitionis & confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & D Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noperit incursurum.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego HVBALDVS Hostiensis Episcopus.

Ego BERNARDVS Portuens. & S. Rufinæ Episcop.

Ego HVBALDVS Presbyt. Cardinal. tt. S. Anastasiæ.

Ego THEODINVS Presbyt. Cardinal. S. Vitalis tt. Vestinæ.

Ego HVGO DIACO. Card. S. Eustachij iuxta templum Agrippæ.

E Datum Beneuenti per manum GRATIANI S. R. E. Subdiaconi, & Notarij, XII. Kal. April. Indict. I. Incarnat. Dom. anno 1168. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. an. VIII.

Bulla, siue icon plumbea filis sericis appendebat &c.

Ad hæc pertinet priuilegium eiusdẽ summi Pont. datum eodem anno: quod inter alia continet quæ sequuntur: *Ad exemplar Prædecessorum nostrorum piæ recordationis*

Benedicti, & Paschalis Romanorum Pontif. sub B. Petri, *& nostra protectione suscipimus, & præsentes priuilegio communimus. Imprimis &c.* Deinde multis Interiectis. *Sententia quoque inter vos & Ambianensem Ecclesiam super impositione Abbatis in cathedram electionis tempore; & de cura animarum, nec-non & de omni iure parochiali castri S. Valerici à nobis auditis hinc inde rationibus, allegationibusque, & Iuratorum testium depositionibus, de communi fratrum nostrorum consilio lata: vnde vos absoluimus, & Ambianensi Ecclesiæ perpetuum silentium imposuimus. Vobis & Ecclesiæ vestræ, sicut in scripto nostro exinde facto noscitur continere, Auctoritate Apostolica confirmamus &c.*

Priuilegia & immunitates Sanvallericensium comprobarunt summi Pontif. Innocentius 3. Gregorius 9. & alij, quos recensere non modò prolixior descriptio, sed & lectori onerosior euaderet, fieretque fastidio. Itaque de his ita, vt qui sancti Valerici priuilegiis derogare (Nicolai tantũ fulti narratione) & toties oblatrare ac sibi temperare nequeunt. Saltem se in lumine positos non posse videre erubescant; & vel amodò claudant ora, ne rectum verumque amantibus opprobrio fiant.

Pag. 336 colom. 2 lin. 29. (*Tanta indissimiliter facta vbique loci memoriæ meæ subijciunt.*) Fraudem impiam Adelberti deflet sanctus Bonifacius Moguntinorum Archiepisc. Epist. 135. ad Zachariam Papam. *In primæua ætate hypocrita fuit, dicens quòd sibi Angelus Domini, in specie hominis, reliquias attulisset; & exinde potuisset omnia quæcumque posceret à Deo impetrare; & tunc demùm per illam simulationem, sicut Apostolus Paulus prædixit, penetrauit multorum domos, & captiuas duxit post se mulierculas, oneratas peccatis, & multitudinem rusticorum, dicentium quòd ipse esset vir Apostolicæ sanctitatis, & signa & prodigia multa fecisset.* Et paulò post: *Vngulas suas, & capillos suos dedit ad honorandum, & portandum cum reliquiis S. Petri Principis Apostolorum &c.* Legeris & hæc inter Concilia sub eodem Zacharia celebrata. Magnus etiam Gregorius Bonifacio senior lib. 3. Epist. 30. de Græcis agens, qui corpora mortuorum in campo iacentia effodiebant, recondebantque: *Qui cùm deprehensi,* narrat ille, *& cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quòd illa ossa ad Græciam essent tanquam sanctorum Reliquias portaturi.* Prætereo nefarium quemdam impostorem, cuius execrandas pseudo-martyris Iusti reliquiarum nundinas, testis oculatus, graphica descriptione sugillat Glaber Rodulphus lib. 4. cap. 3. *Quòd peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, à nequam Spiritibus aliquando fiant miracula.* Abundè ad hunc modum exempla suppeditat Menardus noster in cap. 3. Concord. Reg. pag. 125. quem adi si lubet; nec-non Amulonis Lugd. Archiep. Epist. ad Theobald. Lingo. Episcop. à Camuzatio Trecensi Canonico editam 1633.

Ibidem lin. 34. (*Dum ossa vulgaria pro Sanctorum pigneribus venundanda dispertiunt.*) Notes velim sacrilegum hoc æuo de sacris SS. Reliquiis venditione vsum; vnde nec mirum, si Auctor ipse tàm acriter eos, qui eiusmodi pestifero commercio incumbebant, insequatur: proinde meritò Concil. Pictauense 2. ea tempestate actum, anno 1109. cap. 12. statuit, *Vt Sanctorum Reliquias causa pecuniæ, & quæstus circumferentes, ad prædicationem, non admittantur.* Et cap. cùm ex eo, de Reliq. & venerat. Sanctorum. *Cùm ex eo quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ religioni detractum sit sæpius. Ne imposterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, vt antiquæ reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, & exponantur venales &c.*

Pag. 337 lin. 21. (*Numquam legisse me memini, quòd loculis aureis seu argenteis marmora pura mutarent.*) Quæ hac in re Guiberti mens fuerit non habeo perspectum; verum si coniecturas exponere liceat, duplici de causa capsulas aureas argenteasue improbare videtur: vel enim quia statim atque ex hac colluuione in cœlum discesserant suo tempore pij viri, ipsorum corpora in sepulchris aureis & argenteis recondebantur; quod nusquam in Ecclesia receptum, *Cùm Dei Filius saxo vilissimo obstruatur,* fert Auctor: qui & idipsum non ita obscurè indicat his verbis: *Quæ Dei æmulatio est &c. nostro tempore commentetur, quòd nulli vmquam religioni, nullis vsquam diuitiis exhibitum à sæculo comperimus.* Vel ob peruersum tùm probatum plerisque morem, & quæstum. Quos Dei zelo accensus Magnus Bernardus quàm vehementer objurgat, Apologiâ ad Guillelmum Abbatem, sub finem: *Et vt apertè loquar, an hoc totum facit auaritia, quæ est idolorum seruitus, & non requirimus fructum, sed datum? Si quæris quomodo; miro, inquam, modo. Tali quadam arte spargitur æs vt multiplicetur, expenditur vt augeatur, & effusio copiam parit. Ipso quippe visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quàm ad adorandum. Auro tectis Reliquiis saginantur oculi, & loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ, & eo creditur sanctior, quo coloratior. Currunt homines ad osculandum, inuitantur ad adorandum, & magis mirantur pulchra, quàm venerantur sacra.* Ab hoc Doctore sanctissimo, Aluarus, eo licet inferior multò, minimè discrepat lib. 2. de Planctu Ecclesiæ cap. 76. *Multi homines*

homines veniunt ad Ecclesiam magis vt delectentur & admirentur pulchra ædificia & imagines, quàm vt corrigant vitia. Aurum trahit aurum: politus lapis lapides pretiosos trahit. Magis offertur Reliquiis deauratis, quàm pannosis &c.

Hîc peruersitas, non pietas, damnatur. Alioquin inficiari potest nemo, cultu diuino impulsos qui primas tùm sanctitate, tùm dignitate tenuerunt, Sanctorum exuuias identidem argento, auro, gemmis circumuestisse & adornasse. Exempla suppetunt innumera; quæ breuitatis ergò attexere supersedemus. Instar sint omnium S. Saluius Ambianens. *Qui sepulchrum S. Firmini auro, gemmisque nobiliter decorauit.* Vitæ S. Saluij cap. 3. Et S. Audoënus in vita S. Eligij lib. 1. cap. 32. *Hic idem vir Beatus inter cætera bonorum operum insignia, multa Sanctorum auro argentoque, & gemmis fabricauit sepulchra, id est Germani, Seuerini, Piatonis, Quintini, Lucij, Genouefæ, Columbæ, Maximiani, & Loliani, & Iuliani, adhuc & aliorum multorum, sed præcipuè Martini Turonis ciuitate &c. Præterea Eligius fabricauit & mausoleum S. Martyris Dionysij Parisius ciuitate, & tugurium super ipsum marmoreum miro opere de auro & gemmis: cristam quoque & species de fronte magnificè composuit; nec-non & axes in circuitu altaris &c.* Ita Ms. codex Corbeiens.

Porrò id genus thecarum auro & argento confectarum, atque gemmis sparsim ornatarum, antiquitùs in Ecclesia vsum inualuisse tradunt Sozomenus lib. 9. cap. 2. in fine. Nicephor. lib. 14. cap. 45. Aimoinus de mirac. S. Benedict. lib. 2. cap. 19. sub finem.

Solere autem Francos in apside Ecclesiæ capsas Sanctorum reliquiis refertas collocare, queis & lintea, ac serica pallia supponebantur, testis est Eginhart. cap. vlt. lib. de Translat. SS. Petri & Marcellini, apud Surium ad diem 2. Iunij.

Ad quid demùm eiuscemodi in capsulis sacræ Reliquiæ asseruentur, docet Theofridus Abbas sermo. de Reliquiis, ante finem: *In dispositione sanè Dei tanta quasi patrisfamilias domo, vasa in honore esse ac fuisse Electi creduntur; ideò & eorum Reliquiæ in vasis aureis, atque argenteis, & gemmatis, ac in omnibus quæ pretiosa sunt, reconduntur &c.* Nec ab his dissimilia effatus est ante Theofridum S. Petrus Damian. sermo. de Translatio. S. Hilarij, initio.

Pag. 337 lin. 29. (*Certè si Sanctorum corpora sua iuxta naturæ debitum loca, id est sepulchra seruassent &c.* Eò loci propter impium tantummodò commercium, & falsam hominum religionem, ac fraudem, Guiberto non probantur Reliquiarum translationes, diuisionesque: quam ob causam Beatus Augustinus de opere Monachorum cap. 28. *Multos Hippocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit* (Dæmon) *circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes: alij membra Martyrum, si tamen Martyrum membra, venditant &c. Siquidem callidissimus hostis* (loquitur Baronius) *studuit infamare clarissimum Monachorum nomen.* Quod Theodosio Imp. sanciendæ huiusce legis fuit occasio: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat: nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur &c.* C. l. vlt. de sepulchr. violat. C. Theodos.

Nihilosecius olim & in hunc vsque diē diuersas per Ecclesias vnius alicuius sancti ossa dispertire, quo in eundem populi augeretur deuotio & cultus, stabilem permansisse consuetudinem produnt Euodius de mirac. S. Stephani, lib. 1. cap. 2. apud August. in Append. tom. 10. Theodoret. Hist. lib. 5. ca. 36. Nicephor. lib. 7. cap. 49. Quin etiam scriptores testantur, viros religione conspicuos summa cum deuotione Sanctorum gestasse Reliquias, velut S. Germanus Antissiodor. teste ipsius biographo apud Surium 30. Iul. SS. Benedictus & Maurus, referente Fausto in vita S. Mauri cap. 3. atque alij quàm plurimi. At verò, *Per hoc* (gemens scribit hîc noster Guibertus) *quod è tumulis eruuntur, membratim huc illucque feruntur; & cùm pietatis obtentus occasio circumlationis extiterit, ad hoc subeunte nequitia detorqueri cœpta est intentionis rectitudo.* Quare Synodus Bracar. 3. cap. 6. *Agnouimus quosdam de Episcopis, quòd in solemnitatibus Martyrum ad Ecclesiam progressuri Reliquias collo suo imponant, & vt maioris fastus apud homines gloria intumescant* (*quasi ipsi sint Reliquiarum arca*) *Leuitæ albis induti in sellulis eos deportant. Quæ detestanda præsumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola præualeat &c.* Minimè autem hocce decreto Reliquias à populo coli, vel ipsas deferri ab Episcopis improbatur. *Quòd si etiam Episcopus* (subinfert Synodus eadem) *Reliquias per se deportare elegerit, non ipse à Diaconibus in sellulis, sed potius pedissequa eo, vnà cum populis progressione præcedente &c.* Videsis ad ipsum caput annotationem.

Abest quàm longissimè ab Synodi illius religione & zelo mens eorum qui Ecclesiasticam imò & arctiorem vitam professi, nescio qua pietate, propè dixeram impietate, ducti, purissima sacratissimáque Sanctorum ossa minutatim discerpunt, vt auro, aut argento, ac gemmis contecta mulierculis fiant ornamenta, monilia, ludibria, & perditis ac dissolutis sæpe viris scelerum species, & obtentus. Heu! ecquid ageret, quibus verbis

Abbas noster, Patrésque præfati Synodi, quo nefariam adeò rem è medio tollerent, vterentur. Parco scriptis, ne quid grauius.

Audiant nihilominus qui tam funesta peste laborant; & corde percipiant, de recto Sanctorum pignoribus cultu exhibendo, quàmque religiosè sint asseruanda quid edoceant, decernantque Concilia, & summi Ecclesiæ Rectores. Concil. Epaonense A.C. 517. celebratum, cap. 25. *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non ponantur, nisi forsitan Clericos cuiuscunque parochiæ vicinos contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.* Caroli Magni capit. Eccles. cap. *Vt vnusquisque Sacerdos Ecclesiam suâ omni diligentiâ ædificet, & Reliquias Sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis, & diuinis officiis conseruet.* Gregorius Mag. lib. 5. Epist. 51. missis SS. Petri & Pauli Reliquiis, sic Brunichildi Francorum Reginæ scribit: *Sed vt in vobis magis magisque laudabilis & religiosa possit clarere deuotio, prouidendum vobis est, vt sanctorum beneficia cum reuerentia & honore condantur, & seruientes ibidem nullis oneribus, nullisque molestiis affligantur: ne forsitan necessitate exterius imminente in Dei seruitio inutiles & segnes reddantur, & iniuriam quod absit, neglectumque beneficia sanctorum collocata sustineant &c.* Item lib. 7. Epist. 12. De Reliquiis SS. Hermetis, Hyacinthi, & Maximi, collocandis in Ecclesia S. Mariæ Spoletanæ. *Et ideò, Frater charissime, si in eodem loco nullum corpus constat humatum, sanctuaria prædictorum Martyrum cum reuerentia sine ambiguitate suscepta diligenter consecrabis.* Idem constituit eodem lib. 7. Epist. 87. & lib. 11. Ep. 20. Denique lib. 7. Epist. 88. ad Constantinum Mediolanensem Episc. *Fraternitas ergò vestra solito studio perscrutari non differat, quatenus in locis quibus recondendæ sunt* (Reliquiæ SS. Pauli &c.) *luminaria, vel alimoniæ ibidem Deo seruientium, ante dedicationem loci ipsius debeant erogari, & tunc in eisdem locis directa sanctuaria, sui cum reuerentia collocentur.*

Ex quibus planum est, Sanctorum exuuias haudquaquam in locis prophanis, solummodò in locis Deo sacratis, vbi diuinæ laudes soleant diu noctúque decantari, esse recondendas: quamquam insolens quibusdam singulari morum probitate insignitis reliquias deferre, nolim asserere; cùm me non lateat probare Sanctum Thomam, inter alios, 22. quæst. 96. artic. 4. ad 3. id licere.

Pag. 337 lin. 52. (*Apud splendidissimum Papam Gregorium.*) Libri tertij Epist. 30. dignissima quæ attentè reuoluatur: ab illis præcipuè qui Sanctorum Reliquias sacrilegè nundinantur: eorum pruriginem mitigabit haud dubiè.

Ibidem colom. 2 lin. 35. (*Non Deo, non Sanctis ipsis vnquam fuisse placitum.*) Consule si placet Beatum Gregorium loco citato.

Ibid. lin. 48. (*Se prorsus id non audere respondit.*) *Nam vetus Romanæ Ecclesiæ consuetudo non tantum abhorruit, vt corpora Sanctorum Roma transferri pateretur, verum nec tenues Reliquias ex eis detrahi quoquo modo permisit.* Refert Baronius in not. Martyrolog. ad diem 15. Iunij: quod pluribus probat ibidem; maximè ex Epistola Sancti Germani ac eius collegæ, legatorum Apostolic. ad Hormisdam Papam ann. 520. Reliquiarum loco lintea, seu velamina, Brandea nuncupata, mittebant Ecclesiæ Catholicæ Pontifices. Quid brandeum? explicat ille eo loco.

Ibidem lin. 57. (*Abba quidam eius loci plus æquo curiosus*) Leftanus nomine. Historiam, qua de agitur, ita exhibet Guillelmus Malmesb. de Pontif. Anglo. lib. 2. In Episcopis Oriental. Anglo. sub finem. *Hic*, Leftanus, *quibusdam de incorruptione Sancti* (Edmundi) *malè credulis malè consulens, suo discrimine aliorum prospexit: prolatúmque corpus in medium inspiciendum exhibuit, ipso à capite, monacho suo à pedibus trahente.* Et post pauca: *Vix orationem finierat, cum ecce ambarum manuum digiti vel retrò miserabiliter retorti, vel volæ miserabiliter infixi, pœnâ, quam rogauerat, virum mulctauêre. Post etiam aliis debilitatibus correptus &c.* His astipulatur Florentius Vigorn. ad an. 1097. Non prorsus absimile Auxentio Episcopo in vita S. Nicetæ Mart. apud Surium die 15. Septembris, euenit. *Cum enim aggressus esset eius* (Nicetæ) *corporis aliquid diuidere, & accipere, nil quidem accepit eorum quæ volebat: eum autem non paruus inuasit metus, nec eiusmodi, vt non apertum prodiret, aut lateret, sed eius anima quoque fuerit valde agitata, & alios docuerit iis quæ vidit & terrore quo est affectus, vt nemo deinceps manum audacem porrigeret, neque vllam partem eius corporis, cum esset præter eius sententiam, auelleret &c.* Quo ipso sensu affatur Constantiam Augustam S. Gregorius Papa lib. 3. Epist. 30. *In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora quisquam tangere fortasse voluerit.*

AD LIBRVM TERTIVM DE Pignoribus Sanctorum.

TErtio hoc in libello Lectori vehementius fortean & æmulatione accensus, Sanmedardenses insectari videbitur Auctor, ac limites prætergredi fraternæ dilectionis: verùm si ad Sanctuarij pondus sermones ipsius reducantur; si nempe quorumdam Ecclesiasticorum Patrum, Sanctorumque

Doctorum, Hieronymi, Auguſtini, Bernardi maximè, attentè ſcripta reuoluantur; qua mente, quo zelo, peruerſis moribus, nefandiſque conſuetudinibus ſponſæ Christi vnitatem, puritatem, pietatem labefactantibus, tùm dictis, tùm ſcriptis occurrebant, conabanturque ea ipſa radicitus euellere, in memoriam reducatur; nec-non ſacrilegas illas Reliquiarum nundinationes (velut ſatis ſupérque oſtenſum eſt) quæ hoc ſeculo pietatis equidem ſpecie, ſed reapsè turpis lucri gratiâ exercebantur; meritò ſuos de Pignoribus Sanctorum Libros, Tertium præſertim, caſto diuini cultus amore edidiſſe fateri neceſſum eſt.

Præterea nil opus, vt quidem ſentio, aut neceſſitatis, aſſerere, Dei Verbum noſtra humanitate circumvolutum, morbo illo ſeptennium infantium, quo dentes lactei, vt vocant, excidunt, recenteſque viciſſim ſuccreſcunt, laboráſſe: quin potius, quandoquidem ſit omnium Patrum conſtans opinio, doctrina, fides, Filium Dei, lapſi hominis quamquam miſerias, peccatum ſi excipias, aſſumpſerit, ipſius tamen corpus ægritudinibus, queis cęteri homines addemnati fuêre per protoparentis præuaricationem, nuſquam obnoxium extitiſſe. Enimverò vicariam illam dentium ſuccretionem aliquod ægritudinis eſſe genus, eſt apud medicos in confeſſo, nihilque in dies non experimento probatur. Paul. Ægineta de arte medendi lib. 1. cap. 9. Ariſtot. de generat. animal. lib. 5. cap. vlt. Hippocrat. ſect. lib. 3. de carnibus, ante med.

Huc pertinet quod tradunt auctores ipſi, haudquaquam dentes quoſdam infantium neceſſitate naturali, ſed tantummodò ex alimentorum mutatione corruptionéve excidere. Quid igitur cauſæ, quid neceſſitatis Chriſti in corpore, cui illa corruptio non competebat, nouam dentium factam productionem aſſerere? Ac proinde Guibertus minimè eſt in culpam & crimen adducendus, qui dentem Saluatoris vllum in Sanmedardenſi cœnobio haud vmquam extitiſſe, at falſo hoc nomine veneratum, potiùs Beato cuipiam attribuendum, contendit.

Pag. 351. lin. 22. (*Capillum de capite noſtro non periturum dixerat.*) In ſententiam ire videtur Beati Auguſtini, Enchirid. cap. 87. & ſeq. præcipuè verò lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 19. & 20. Scilicet non membrorum, non partium corporis quantitatem, ſed numerum inſtituta ſua profeſſis Chriſtus ſe illis verbis redditurum pollicetur. Corpora ſiquidem Beatorum in reſurrectione cùm ſint vltimam perfectionem conſecutura, & in ſubſtantia integra reparentur oportet; atque adeò longè potiori iure hoc in Chriſto completum eſt quâdo reſurrexit, vtpote omnium exemplar perfectiſſimum. S. Thom. in 4. ſent. d. 44. q. 1. artic. 2. Cæterique in eundem librum Theologi.

Porrò dens ille Saluatoris in terra derelictus, vel putreſcet aliquando (ſicut argutè probat Auctor) vel eum reſumet Chriſtus poſt extremum iudicium; at vtrumlibet abſurdum fore per ſe patet.

Non ſanè par eſt ratio de Chriſti, atque de cæterorum hominum corporibus; ille namque reſumptis non modò quæ ad integritatem, ſed etiam quæ ad maiorem ſui corporis perfectionem pulchritudinemque attinent, ſeipſum à mortuis diuinâ virtute ſuſcitauit: hi verò cùm nondum à mortuis excitati, idcircò quidquid corporis fuerit, ſunt extra dubium recepturi in iudicij die; ac propterea corporum partes vniuerſæ in futuram hîc aſſeruantur reſurrectionem.

Ibidem colom. 2. lin. 57. (*Non minus etenim de vmbilico, & de cæteris quæ de ipſo habere dicuntur, quàm de dente apud nos agitur.*) Næ ego quid de vmbilico proferam nec habeo, nec video. Verùm, vt dicam quod ſentio; quando non eâdem viâ, quâ infantes alij, ex virgineo clauſtro in lucem prodierit Chriſtus, diſſonum & abhorrens mihi videtur, tùm à Matre Virgine, tùm etiam ab immaculata mundiſſimaque Filij natiuitate, exciſum è corpore ipſius vmbilicum edicere. Ecquid, oro te, hæc ipſa vmbilici amputatio, ſiquidem ipſe ſolis inſtar radij vitrum penetrantis, ex vtero Virginis ſanctiſſimo abſque vlla puritatis læſione exierit? Ab his ergo manum retrahamus.

De præputio pariter, quòd ipſum ſe habere nonnulli glorientur, ſcribantque auctores non pauci diuerſis in locis aſſeruari, ſtatuere nil auſim, præter ſententiam Innocentij Papæ 3. lib. 4. de Miſſæ myſteriis: *Quid de circumciſione præputij, vel vmbilici præciſione dicetur? an in reſurrectione Chriſti ſimiliter rediit ad veritatem humanæ ſubſtantiæ? Creditur enim in Lateranenſi Baſilica reſeruari: licet à quibuſdam dicatur, quòd præputium fuit in Ieruſalem delatum ab Angelo Carolo Magno, qui tranſtulit illud Aquiſgrani: ſed poſt à Carolo Caluo poſitum in Eccleſia Saluatoris apud Caroſium. Melius eſt tamen Deo totum committere, quàm aliquid temerè definire.* Conſule Titum Boſtrenſem, & Theophylact. in cap. 2. Lucæ; ac Bolandum de Actis Sanctorum tom. 1. ad diem 1. Ianuarij, qui teſtimonia in hanc rem antiquorum & recentium permulta retexit.

Pag. 355 col. 2. lin. 46. (*Sicut Lauduni apud nos lac ipſius Benedictæ in columba criſtallina.*) Non abs re vtique hîc nonnihil annotare abſterreor ac detrecto: etenim plurimis in Eccleſiis Gallicanum per orbem, & alibi, guttulas lactis

Deiparæ religiosè coli audio, legoque. Guibertus ècontra constanter B. Virginem vsquam è sacris vberibus lac expressisse, quod venerationi foret aliquando, negat. Quam igitur in partem propendam? vtrobique sanè negotium, vtrobique scrupulus meum lancinat animum.

Verum enimverò volunt aliqui, & quidem grauissimi scriptores, lac illud conseruatum, candidissimum esse liquorem, qui à B. Virgine iam in cœlo regnante, suis se vnicè amantibus diffusum est. Et hoc in vetere Carnotensium Episcoporum serie consignatum, ex qua fragmentum, beneficio Ioann. Bapt. Soucheti omni literatura docti, emittimus in lucem: *Fulbertus &c. ipsum B. Virgo tamquàm præcipuum alumnum in quadam ægritudine personaliter visitauit, & linguam eius iam sacro igne consumptam, lactis de mamilla recenter extracti, infusione sanauit: vnde accidit tres guttas lactis super facie remansisse, quas recollegit, & in pretioso vase ad hoc apto reponit; quæ vsque ad præsens in Ecclesia certis temporibus venerantur.* Huic rei calculum adiicit Guillel. Malmesburi. lib. 3. de gest. Anglorum.

Non dissimile quid factum lib. membranaceo de Miraculis B. MARIÆ, anno circiter 1100. scriptis mandatum; cap. 76. *De Monacho cuius vlcera Virgo Beata lacte suo rigauit.*

Erat quidam Frater qui in Cœnobio militabat cœlorum Domino, Dei Matri tanquam & Filio, decreuerat seruire sedulò: Cùm Conuentus illa finierat, quæ cantare nocte consueuerat, coram Ara hic solus aderat, Heræ suæ soluens quod vouerat. Die verò per horas singulas, post expletas horas Canonicas, gloriosæ MARIÆ proprias decantabat laudes, & gratias. Multo quidem hoc egit tempore, non negligens, sed deuotissimè, donec quadam tentus grauedine non valebat debitum reddere: morbus quippe nimium affluens, ita guttur extra, interiúsue occupauerat, vt neque cibis, neque potibus pateret aditus; sed & partes totius corporis infra breue spatium temporis videbantur quasi exanimes, tanta erat vis ægritudinis. Præualente dolore febrium laborabat vir Dei nimium, vt dicerent circumstantium quidam, Iste iam reddet spiritum; cuius rei audito nuntio totus Conuentus adest ilicò, & pro fratre vt morti proximo flent, & orant, vngentes eum oleo.

Expletis his cœperunt psallere, vt in tali mos est discrimine, admirantes tamdiu viuere, quem nec flatum videbant trahere. Oculorum defecto lumine desierant moueri palpebræ; iam pallore infecta facie, membra mortis rigebant frigore. In area consperso cinere festinabant Fratres sternere cilicium, vbi à corpore egressio fieret animæ. Dicebatur ferè ab omnibus: heu! quàm malè tardauimus; non habentes quod opus est istis patrantibus. Non videtis quia est mortuus?

Interea cunctis vlulantibus, & pro boni Fratris excessu voces lugubres emittentibus; en causa vniuersalis pietatis, Beata scilicet Virgo MARIA, gloriosa mater misericordiæ, sui Capellani mota suspiriis, indignè fert illum tali diutiùs languore vexari. Dum enim hæc fiunt à Fratribus, ecce interea fœlix illa puerpera nullis videntibus, excepto eo qui moriebatur, se collocat iuxta eius cubilia, speciosa nimis in veste candida, &, vt sibi videbatur, suæ admotâ fronti dexterâ, loquebatur secum talia: Mi dilecte quid facis? Nimiâ attritus es diu molestiâ. Iniustum est vt his doloribus te patiar vexari ampliùs, quem & ego, & meus Filius tàm deuotum nobis conspeximus. Ego mater misericordiæ Capellano meo succurrere huc adueni, nunc ad me respice, ne timeas, euades optimè. Res miranda & cunctis sæculis prioribus inaudita! Nam vt sibi videbatur ipsa mater pia, quæ est miserorum miseratio materna, extrahens quasi è sinu vbera, quæ circa os erant perhorrida, sacro lacte, ægri, scilicet Capellani sui, rigabat vlcera. Quo facto statim recessit mater, seque in stelligera, quasi tumultum Fratrum ferre non sustinens, recepit Palatia. Priùs tamen adiecit paululum hoc inquiens, nunc habeto præmium ob impensum mihi seruitium, possessurus non post multum perenne gaudium. Nam qui meo seruire Filio studuerint, & mihi sedulò, securi sint de facti seruitij præmio, vita viuent quæ caret termino.

Tàm admirandæ rei audito nuncio, animus pauore percellitur, obstupescit auditus, & hoc verum esse mens inconsiderata trepidat, eò quod misericordem Altissimi Genitricem sui Capellani sacro lacte rigasse dixi vlcera, quia nec tantæ dignitatis persona, nec tanta philosophiæ vel precum accedit eloquentia, quæ ab excellentissima Matre Dei quid tale debeat promereri; sed si ad memoriam deducimus, quomodò altissimus Filius eius Virgineũ descendere dignatus est in vterum & posteà nasci, circumcidi, tentari, à Pharisæorum insidiis persequi, ac demum pro peccatoribus crucifigi; deinde sepeliri, resurgere à mortuis, atque ad dexteram Patris ascendendo collocare dignatus est formam nostræ mortalitatis, omne discedit ambiguum, cùm pro peccatoribus tanta fecisse recolimus Deum.

Verùm nomine lactis aliquando misericordia, vel aliqua dulcedo supernæ contemplationis solet exprimi. Vnde & Apostolus

ait: *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam:* id eſt miſericordiam leuiora præcipiendo indulſi. Quid igitur mirum ſi Glorioſa Virgo MARIA, mater omnis pietatis & miſericordiæ, per ſimilitudinem lactis vbere ſuo ſacro, ita miſericordiam deuoto ſuo impendit famulo, cuius ſacro lacte tenera ipſius miſericordiæ, IESV CHRISTI ſcilicet Domini noſtri nutritur infantia, qui etiam poſtea dignatus eſt pro peccatoribus miſericorditer crucis ferre ſupplicia?

Fertur quoque in geſtis Beati Dionyſij Martyris, Athenæ quidem prius, poſteà verò Deo donante Pariſiorum Archipræſulis, ipſo Beato Dionyſio in ſuis Epiſtolis referente, quia dum à quibuſdam fides ſanctæ violata fuiſſet Eccleſiæ, beatus Carpus Presbyter benignum IESVM CHRISTVM precaretur, vt ſuæ poteſtatis vindictam in illos vibraret, apparuit ei & benignus IESVS in orationibus ſoporato, cum multitudine Angelorum, qui manum ſuæ ſanctæ miſericordiæ ipſis miſeris, quaſi in carceris profunda dilapſis, porrigens, atque Angelorum miniſterio, eâ ſuſtentans, ait beato Carpo: Carpe manu in iſtos, immiſericorditer conſtituta, & non per miſericordiam retracta, percute aduerſum me. Nam paratus ſum pro hominibus reſaluandis iterum pati, & complaceo ſuper his magis, quàm ſuper aliis, qui non peccauerunt. Quid ergò dubitat homo miſerrimus glorioſam Matrem miſericordiæ, in ſimilitudinem lactis miſericordiam præſtare ſuis, quando ipſa miſericordia, benignus ſcilicet IESVS Dominus noſter qui ſedet ad dexteram Patris, qui mortem vicit nec iam amplius valet mori, mori ſe velle aſſerit pro perfidis. Verùm hoc dixiſſe ſufficiat ad comprobanda Dei noſtri, & ſuæ ſanctæ Matris magnalia. Nunc igitur redeamus ad narrationem noſtram, vbi glorioſam Matrem diximus poſt viſitationem ſui famuli ſe recepiſſe in æthera.

Æger verò plurimum confortatus eſt à Matre Domini, mox caput erigit, nec iam æger à lecto proſilit, & medicandum nuſquam reſpicit, hæc eiulans Fratribus intulit: Hîc affuit Regina gloriæ ſeruum ſuum me ſaluum facere, & vos nihil ei reuerentiæ exhibentes, peccaſtis vtique, dum vidiſtis quid mihi faceret, & neglexiſtis parare vbi recumberet. Et putans quod ipſi ſimiliter, ſicut ipſe viderat viſionem, vidiſſent, ait: Heu me miſerum! quia non fui valens ſaluatrici meæ parare aliquod ſedile pulcherrimum, quæ immerito mihi tantæ ſoſpitatis impendit ſolatium. Si enim tumultus veſter non fieret, non tam citò forſan recederet.

Fratres viſo quod ſic ſurrexerat quem defunctum quiſque putauerat, terror ingens omnes præoccupat, ignorantes quòd factum fuerat. Verba Fratris nullus perpenderat, tantus quemque ſtupor inuaſerat. Pſalmodiæ vox nulla reſonat, qui nunc flebat præ metu reſonat. Interea recuperata virtute æger in ſe rediit, & quid erga ſe factum ſit, recognoſcit, atque fratribus recitat per ordinem, ſicut res contigerat, ſicque mentes eorum reuocat. Superfluum eſt nobis quærere ſi quas laudes de tanta Virgine ſtuduerunt hi tunc exercere, qui videbant Fratrem dilectum, quem mortuum putauerant, ſanis membris viuere.

Benedicta ſit talis Domina,
Quæ ſic ſuis fert medicamina,
Ipſa nobis fiat propitia
Donans nobis vitæ remedia
Nati ſui, ſuoſque ſeruulos,
A peccatis faciat liberos;
Noſque per cunctorum dierum curricula,
Suis obſequiis reddat idoneos:
Deo pura nos habitacula,
Aptet mundos ab omni macula,
Vt poſt huius vitæ curricula,
Gaudeamus ſecum in ſæcula.
Eius ope, eius antidoto,
Mundo ſalus rediit perdito;
Ipſi laus, vnà cum glorioſo ſuo filio,
Honor, virtus, atque iubilatio,
Tempore perpetuo. Amen.

Hucuſque codex MS. Corbeienſis Monaſterij.

Lac & B. Bernardo Clareuallenſi eandem cœlorum Reginam infudiſſe ferunt ſcriptores nonnulli; ſed quo fulciantur vero iudicent, qui geſta illius à tribus ſynchronis auctoribus exarata (quibuſcum perquàm familiariter Bernardus eſt conuerſatus) excuſſerint. Quo etenim modo fieri poteſt, vt relatis, vltra centum, miraculis, hoc tàm inſigne obliuioni tradiderint? Ita Ioan. Bertelius lib. 8. in Regulam S. Benedicti: quem Chryſoſtom. Henricquez confutat in Menologio Ciſtert. ad diem 13. Maij: Et Angelus Manrique, Annal. Ciſtertienſ. tom. 2. ann. 1153. cap. 12.

Pag. 356 colom. 2 lin. 27.

(*Quid poſt reſurrectionem vulnera illa reſeruata portenderent.*) Nequaquam planè mens Guiberti eſt, vt in Chriſti corpore vulnerum cicatrices remanſiſſe, ſed eam tantummodò ob cauſam neget, quâ nimirum Patri ſint veluti ſigna, ac ſtimuli ad memoriam eorum refricandam, quæ Filius gratiâ generis humani pertulit, & ad extorquendam ab eo miſericordiam: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ:* ore quondam Iſaiæ cap. 55. inquiebat Deus ipſe. Sola eius infinita bonitas, ſola Chriſti ſufficit humanitas, quò paternè veniam peccatoribus largiatur, gra-

tias affatim effundat hominibus.

Neque pariter quod obiectabant Sanmedardenses approbat, nempè vulnera iccircò post resurrectionem perseuerasse, quoniam Christi corpus omnimodâ vltimum post iudicium gloriâ sit donandum. Refellit & quarundam deliria vetularum, quæ fingebant Saluatoris illa ipsa continuò esse aperta vulnera, saniemque manare.

Non, inquam, præfractè diffitetur Auctor, Dominum instar margaritarum passionis stigmata in cœlo nunc habere; alioquin in SS. Patres sese erigere, ac suam sententiam anteferre videretur (absit) Sanctis videlicet Ambrosio, lib. 10. in Lucam cap. 24. ante finem: Leoni sermo. 1. de Resurrect. & aliis. Quare ergò vulnerum cicatrices? Vt fidem roborent, solentur fideles, impij aliquandò ignominiâ suffundantur. Ita August. lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 19. & 20. Euseb. Gallican. siue Eucherius, seu etiam Faust. Regiens. Homil. Feriæ 3. post Pascha. Cæsarius Arelat. Homil. 23. Sed & Guibertus apertissimè id affirmat cap. 3. Epistolæ de Veritate Dominici Corporis pag. 284. C. *Quid quòd in cœlo positus ne vulnera quidem sua obducere, aut seruilem formam, quam in futuro repræsentabit iudicio, exuere voluit &c.*

AD PRIOREM VENERABILIS Guiberti Abbatis de vita sua Librum.

QVòd splendidissimum orbis oculum B. Augustinum, fuerit Guibertus exemplo proximè sequutus, vitæ ipsius priorem librum qui legerit, planè animaduertet. Augustinus libro, cui titulum fecit, *Confessiones*, vitæ suæ deflens actus percurrit: Hic pariter libris de vita sua, priori maximè, gemebundus vitam recolit anteactam: Ille summas Deo grates pro infinitis in se collatis beneficiis agit: similiter & iste: Matri S. Augustinus ab improba & hæretica consuetudine reuocatum sese, fert acceptum: Guibertus in hunc modum, quòd è corruptis moribus à matre traductus fuerit, ingenuè fatetur: Prior matrem mirè laudat: Ita & posterior suam: Verbis atque scriptis doctor ille Manichæos & cæteros, qui suo seculo emerserant, hæreticos insectatus est: Abbas quoque noster vt Iudaicam perfidiam, hæreticámque prauitatem, Manichæorum fæce excitatam, euelleret, & coram disputauit, & Tractatus edidit.

Cæterùm non defuêre celebres & alij scriptores, qui ea quæ gesserant, scripserant potissimùm, posteritati consignarunt; velut Hieronymus, Gennadius, Beda, Sigebertus &c. id præstare non abs re, quinimò profuturum duxêre.

AD LIBRVM PRIMVM cap. 1.

C*Vm quod emanas, omnibus debeas*) Hoc est, Gratiæ ac beneficia, quæ ex decreto, atque ex congruo, non ex condigno (vt loquuntur Theologi) in homines infinita tua bonitas, clementia immensa continuò emittit (verbum *emanat* eò loci actiuè vsurpatur) & effundit, omnibus planè debentur. Nonne vniuersi orbis Conditor cùm sit, rebus à se creatis non conseruationem modò, quin & perfectionem spontè debere Deum clamat natura, diuinæ scripturæ asseuerant? At in rerum natura si gratuitum eiuscemodi debitum agnoscitur, num potiori ratione in statu gratiæ, cùm sit fons, inquit Auctor, *à quo omnia bona procedunt*, quidquid hominum saluti, perfectionique conuenit, illum, *Cuius natura bonitas*, Cuius *miserationes super omnia opera eius*, emanare necessariò, quia id secum ab æterno statuerit, fateri necessum est?

(Pag. 456 column. 1 lin. 12.)

Et hæc sanè non ita obscurè innuit Guibertus lib. 8. in Genes. cap. 31. ad vers. 7. *Sed pater vester circumuenit me &c.* Ait: *Non permisit eum Deus vt noceret mihi; id est, cùm sit essentialiter Deus, propriúmque Deo sit, vt sit pius, ipsa sua naturalis gratia non sinit eum, vt imminens tentationis prælium permitteret verti in exitium mei.*

(*Quotiens per peccandi necessitatem peccare compellor.*) Ea necessitate quam Gentium Doctor. ad Rom. 7. deflet: *Non enim quod volo bonum hoc facio: sed quod nolo malum hoc ago.* Et, *Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati &c.* Vnde Augustinus Simpliciano, lib. 1. quæst. 1. sub medium, respondens, Pauli verba explanat: *Hoc autem ideò totum dicitur, vt demonstretur, homini captiuo non esse præsumendum de viribus suis &c. Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non vt impleat homo iustitiam cùm voluerit, sed vt se supplici pietate conuertat ad eum, cuius dono eam possit implere.* Et Primasius in ca. 7. ad Rom. *Non enim quod volo &c. Vincente consuetudine quod nolo facio. Facere ergò se dixit, & operari, non affectu consentiendi & implendi, sed ipso motu cõcupiscendi. Non ego, quia inuitus; sed ego quia ipse mihi hanc, per vim consuetudinis, imposui necessitatem.* Suam ipsemet Guibertus mentẽ aperit lib. 3. in Genesim, ca. 6. vers. 19. *Quasi fœmineos carnis motus, ex necessitate peccandi, velimus plerumque nolimus, animo admouemus: sed tamen illicò iuri illius masculi mancipamus,*

(Ibid. lin. 27.)

rationis videlicet, cuius vi ad regulam conſtringantur &c.

Pag. 460. lin. 17. (Erat paulò ante id tempus, & adhuc partim ſub meo tempore Grammaticorum charitas &c.) Quod inter cæteros commemorat Milo Criſpinus vitæ B. Lanfranci, operibus ipſius præfixæ, capite 1. *Fuit vir magnus Italiâ ortus, quem Latinitas in antiquum ſcientiæ ſtatum ab eo reſtituta tota, ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit magiſtrum, nomine Lanfrancum &c. Et pertranſiens Franciam plures magni nominis ſcholares ſecum habens, in Normanniam peruenit; & in Abrincatenſi ciuitate demoratus, per aliquod tempus docuit.* Itemque cap. 4. *Lanfrancus quoque licentiâ Abbatis ſui, iterum ſcholas tenuit. In Beccenſi videlicet monaſterio Cœnobita factus.* Ex qua Beccenſi ſchola velut è lympidiſſimo fonte, ſcientias Galli, Angli, Itali, & alij hauſêre quamplurimi haud vulgaris doctrinæ pietatiſque viri, quorum ad cap. 7. præfatæ vitæ nonnullos attigimus.

Poſthac in Gallia reſtitutas eſſe, floruiſſeque literas produnt ſcriptores: ſed maximè Lauduni Clauati, doctore Anſelmo, Gloſſæ interlinearis auctore, qui Magni Anſelmi, Lanfranci diſcipuli, auditor extiterat. Pariſiis quoque Abaëlardus, ac Robertus Pullus, poſt modum Cardinalis & Cancellarius S.R.E. ſub Innocent. 2. Quo etiam tempore ſcholæ S. Victoris Pariſ. celebriores euaſêre. Abaëlard. Epiſt. 1. vita S. Goſuini cap. 4. De ſcholis Monaſteriorum latè egimus Obſeruat. ad cap. 4. vitæ Beati Lanfranci pag. 35.

Pag. 462. ca. 7. (Contendebat denique mater mea Eccleſiaſticis beneficiis me quoquo modo inſerere.) Quod virus mirum in modum ſerpebat ſub eadem tempora: ac propterea Vrbanus 2. Concil. Roma. 3. an. 1099. celebrato, ſanciuit cap. 5. Vt, *Quicunque cupiditate parentum, cùm adhuc eſſent paruuli Eccleſias, vel Eccleſiarum beneficia per pecunias adepti ſunt, poſtquàm eas omnino dimiſerunt, ſi in iis canonicè viuere voluerint, pro miſericordia ibidem eos eſſe concedimus &c.* Sed libeat ſtrenuiſſimum Eccleſiaſticæ diſciplinæ propugnatorem Bernardum, Guiberto æqualem, audire Epiſt. 42. ſiue Tractat. de moribus & officio Epiſc. *Nunc verò quia ſola attenditur gloria, & non pœna, purum eſſe Clericum erubeſcitur in Eccleſia, ſeque viles & inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint ſublimati. Scholares pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promouentur ad Eccleſiaſticas dignitates, & è ſub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim quòd virgas euaſerint, quàm quòd meruerint principatum &c.* Quam aptè iſthæc noſtræ quadrant ætati!

Ibidem colom. 1 lin. 9. (Erat ea tempeſtate noua ſuper uxoratis Presbyteris Apoſtolicæ ſedis inuectio.) Concilij Melfitani cap. 2. & 12. Vel Claromontani cap. 9. ab Vrbano 2. habitorum; ſiue etiam Concil. Pictauenſis 1. cap. 9. & 10. ſub Paſchali 2. Porrò antehac, hoc eſt an. 1074. Statuerat multa Gregorius 7. aduerſus Clericorum incontinentiam. S. Petrus Damian. Epiſt. 16. ad Nicolaum Pontif. Ordericus Vital. lib. 5. Hiſtor. ac lib. 11. pag. 866. & 888. & alibi ſæpe.

Preſbyteros Concubinarios grauiter reprehendit Beatus Bernardus Protocœnobiarcha Tyronenſis, hoc eodem ſæculo, circiter an. 1108. vt teſtis eſt Goffridus Groſſus vitæ illius cap. 7. *Pro conſuetudine tunc temporis per totam Normanniam, hoc erat, vt Preſbyteri publicè vxores ducerent, nuptias celebrarent, ac filios procrearent, quibus hæreditario iure poſt obitum ſuum Eccleſias relinquerent &c. Contra hanc mortiferam conſuetudinem ſeruus Dei Bernardus in conuenticulis Sacerdotum ſtudioſè diſputabat, & vt eam relinquerent magnopere ſatagebat &c. Quadam die dùm in Conſtantiis populo publicè prædicaret, quidam Archidiaconus vxorem habens, & filios, cum magno Presbyterorum comitatu aduenit, & cur ipſe Monachus, qui mundo mortuus erat, viuentibus prædicaret, requiſiuit. At Bernardus lepidè reſpondit: Nonne frater chariſſime in ſcripturâ legiſti, quòd Samſon ille fortiſſimus de mandibula aſini mortui inimicos ſuos interfecit?* Et poſt pauca. *Aſinus mortuus ſimplicem populum obedientem, iugum ſuaue Chriſti, & onus eius leue portantem, humilitatis vias ſectantem, mundo mortuum, id eſt peccatis & vitiis mortificatum, vt ait Scriptura: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo &c.* Viden ad quid Monachi mundo ſint mortui?

Pag. 463 li. 16 (Sub præſtolatione enim alienæ mortis.) Beneficiorum nefanda cupido non Guiberti ſæculo tantùm, verùm etiam in multa ſubſequentia, ad Eccleſiæ dedecus maximum, irrepſit, imò & graſſata eſt. Quod mercimonij genus, poſtea Reſeruationum, & Gratiarum Expectatiuarum nomine, à beneficiorum aucupibus eſt factitatum. Qua in re Antonius de Raymundia Benedictini Ord. non ignarus Aſceta, Tractatu *Contra reſeruationes ſpeciales & nominales omnium ferè prælaturarum &c.* Plangit ad hunc modum miſerandum Eccleſiæ ſtatum. *Hæc peſtis eſt à noſtris inuiſa Patribus; licet olim nixa fuerit de corporibus aridis hominum velle emittere plantulas, & palmites infructuoſos coalere, ipſo ortu à Patrum Sanctorum prudentia de ipſo agro Eccleſiæ, tamquam arbor ſpinoſa protinus eſt auulſa (videlicet reſeruatio dignitatum, prælaturarum, & aliorum beneficiorum, quorum Miniſtri ac Prælati adhuc viuunt in corpore)*

quia materiam parabat scandalis, & votum dabat hominibus captandi alterius mortem, in sacro Latera. Concilio ab Alexandro 3. celebrato perpetuæ fuit prohibitioni subiecta, videlicet in cap. 2. de concessione Præbend. &c. Miram enim rem nostris lachrymosis & infaustis temporibus, oculis perspicimus, quòd aliquo Prælato quinquagesimum vix annum attingente, eius prælatura vel dignitas in fauorem alterius reseruetur, contra regulam charitatis dandi illi expectandi desiderium mortis alienæ, ut possit in locum eius substitui. Magis tamen mirandum, quomodo Principes Christiani, pro tàm scelesta materia non vereantur aures summi Pontif. per importunas & (si fas est dicere) inhonestas vexare preces: mirabilisque quod ipse Summus reipub. Christianæ Hierarcha, & qui vices gerit iustissimi iudicis IESV CHRISTI *talibus iniquè postulatis, contra omne fas, ius, & rationem naturalem & positiuam assensum præbet &c.* Hactenus Doctor ille Dei æmulatione exæstuans.

Ibidem colom. 2 lin. 9. (*Luxouium in Gallia.*) De quo Ionas vitæ S. Columbani cap 10. Celebre monasterium Luxouiense veluti paradisi fons totam sua pietate, religione, doctrinâ Galliam irrigauit. Sanctus Audoënus vitæ S. Eligij cap. 21. lib. 1. *Nimis sanctæ conuersationis æstuans*, S. Eligius, *desiderio, ipse quoque properabat ad Cænobia maximéque Lussedium* (Luxouium) *quod erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius &c.*

Insuper Luxouiensis Monasterij primordiorum graphica est descriptio in perantiqua Sancti Agili Abbatis Resbacensis vita MS. *Eo tempore vir religionis venerandæ, Columbanus nomine, ab Hibernia, Christo ducente, in Gallias aduenerat, desiderans nutu diuino à serenitate præfati Regis adipisci locum, quo Monasterium ædificaret monasticæ religionis &c. Audito vehementi studio Principis Agnoaldi, eum adire deliberat séque suamque precem illi commendat: qui mox talis desiderij arcanum, ac si diuinitùs sibi commissum suscipiens, quantocyus Regi opportunè intimat, eundémque Columbanum illi gratiosum efficit; nec-non qui optabilem ipsius precem exaudiat, summissus efflagitat. At Rex magnanimitatis modestiâ iucundans super sermone huiusmodi, postulata libentissimè indulget; insuper necdum petita largiri magnificè promittit: castrũ namque inter vasta eremi septa, quæ Vosacus dicitur, fuerat fanaticorum cultui olim dedicatum, sed tunc ad solum vsque dirutum; quod saltus huius incolæ, quamquam ignoto præsagio; Luxouium nominauère.*

Illud equidem considerans benignissimus Agnoaldus velocius posse restaurari, & cernens situm loci Monachorum agmini aptum, immò intelligens prærogatiuâ fidei, & sapientiæ lumine illustratus, eumdem locum Deo sacrari oportere, & vbi olim profano ritu veteres coluerunt fana, ibi Christi figerentur aræ, erigerentur vexilla, atque celebrarentur mysteria, obtinuit suis precibus à sublimitate Regis, vt per scripti seriem, habitaculum Deo militantium perenniter delegaretur; quo aduersus aëreas potestates, B. Columbano instituente, dimicarent superni Regis tyrones, quos demùm post diuersa exercitia virtutum, vt robustos bellatores lux perpetua Christo cum palma gloriæ suo conspicuos redderet paradiso.

Ibidem colom. 2 lin. 10. (*Quædam etiam in Neustria.*) Nimirum Beccense, Cadomense S. Stephani, Sagiense Sancti Martini &c. (quæ illis temporibus sumpserunt initia) & Sancti Ebrulfi, Gemeticense, Sancti Vandregesili &c. postliminio ad pristinum splendorem reuocata, & alia quamplurima; quæ in Roberti de Monte Tractatu de Immutatione Ord. Monachorum &c. enumerantur: vide post Appendicem à nobis editam. Chronicon Beccense meminit eorumdem Cœnobiorum: Orderic. Vital. Histor. lib. 3. pag. 461.

Ibidem lin. 15. (*Sanctæ conuersationis refrixit charitas, & rerum opulentia, quasdam postmodum sensim deseruit Ecclesias.*) Morum ergò peruersitas gignit egestatem, in Ecclesiasticis maximè viris; contrà verò facultatum productrix virtus est. Ecclesiasticus capite 13. 30. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia: & nequissima paupertas in ore impij.* Ad hæc verba Strabus Fuldensis glossâ ordinariâ: *Diuitiæ habitæ iustè, sunt materia exercendæ virtutis per opera misericordiæ & liberalitatis.* Cui simillimum est illud beati Ambrosij effatum. *Diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis*, ad cap. 18. & 19. Luc. lib. 8. Quin Iuuenal. Satyr. 3.

Nil habet infœlix paupertas in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

Et Guillelmus Flauiacensis Abbas (de quo infra in compendio hist. eiusdem Cœnobij) consulens probæ & constanti Monachorum conuersationi, ait: *Egestas enim murmuris, & impatientiæ, atque etiam cupiditatis nonnunquam est occasio.*

Atque adeò haud bonorum temporalium opulẽtia Benedictini Ordinis perniciei, quod obgannire solent gurgites illi & helluones rerum Deo sacratarum, causa extitit; imò à sancta conuersatione deuiatio: simul enim atque pœnitentiæ pertæsi, decepti deliciis, post concupiscentias suas iêre Monachi, sæcularibúsque, solitariâ & arctâ viâ posthabitâ, sese vltrò immiscuêre negotiis, *sanctæ conuersationis refrixit charitas*; & corrupti, atque abominabiles facti euanuerunt in cogitationibus suis, quæque priùs non sibi tantùm ad victum & vestitum collata fuerant, sed & ad gloriam, quò non secus ac Domini

potentes, & principes terreni, ea cæteris, egenis præcipuè, affatim erogarent; verſa ſunt in venenum & opprobrium; venerúntque alieni & comederunt robur eorum. Vt meritò cum Ieremia Thren. 5. occinere debeamus: *Hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos. Pupilli facti ſumus abſque patre, matres noſtræ quaſi viduæ. Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt; & nos iniquitates eorum portauimus.*

Verùm vbi viget Regularis obſeruantia, ex ſententia affluunt vniuerſa; quod probè adnotauit Hugo Flauiniacenſis in Chronico nondum edito, ad an. 1078. geſta exhibens Abbatis Diuionenſis, S. Guillelmi, qui poſtea Fiſcanenſe rexit Monaſterium: *Nouerat quia cùm creſceret interiùs religionis ſtudium, exterioris quoque ſubſtantiæ accederet ſupplementum.* Et ad an. 1088. *Vigebat in eo virtus charitatis, quæ tanta erat, vt quamquam eo anno, vbique tempeſtatis violentiâ, maturæ ſegetes in ſpicis, & vinum in racemis, omnia proſtrata, & prorſus damnata eſſent, nil tamen minùs fieret in refectorio, & eleemoſyna, cùm fratres centenarium ferè excederent numerum &c.* Huc pertinent quæ de ſe refert Sugerius in Ludouici Groſſi vita, tom. 4. Hiſt. Franc. Andreæ Ducheſne, pag. 311. *Ordinem Sanctum plenè reformauit, ſanctæ Religionis propoſitum quo ad Deum fruendum peruenitur, abſq; ſcandalo & perturbatione fratrum, licet non conſueuerint, pacificè conſtituit. Cuius voluntatis diuinæ efficaciam, tante libertatis, bonæ famæ, & terrenæ opulentiæ ſubſecuta eſt affluentia, vt etiam in præſentiarum, quo magis noſtra excitetur puſillanimitas, quodammodo cognoſcatur, nos ipſos remuneratione etiam temporali remunerare; cùm & Apoſtolici, Reges & Principes, felicitatibus Eccleſiæ congratulari delectet, gemmarum pretioſarum, auri & argenti, palliorum & aliorum Eccleſiaſticorum ornamentorum affluentia exinde exuberet, vt rectè dicere valeamus:* Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Quo experimento gloriæ futuræ Dei, fratres noſtros ſucceſſores noſtros obteſtando per Dei miſericordiam, & terribile eius iudicium ſollicitamus, ne ſanctam Religionem, quæ & homines & Deum conciliat, confracta conſolidat, perdita reſtaurat, paupertatem opimat, tepeſcere permittant: quia ſicut timentibus Dominum nihil deeſt, non timentibus etiam Regibus omnia, ipſi quoque ſibi deficiunt.*

Rationes autem aſſertionis præfatæ meæ ſubminiſtrat Sanctus Benedictus, ſiquidem ipſe Euangelicæ perfectionis Inſtaurator, Monachorumque Occidẽtis Inſtitutor, præcipuè decreuit; nempè antequam profeſſionem tyrones emittant, vt ex omnibus quæ poſſidebant nil ſibi referuent, cap. 58. Item cap. ſequenti, de filiis agens nobilium, parentes obteſtatur, *Promittant ſub iureiurando quia nunquàm per ſe &c. filiis tribuant occaſionem habendi.* Cap. 33 Nil proprium habere ſinit Monachũ, *Omnia verò neceſſaria à Patre Monaſterij ſperare.* Cap. 34. *Infirmorũ cura ante omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt &c. Carnium vſus, & balneorum,* & quicquid infirmis neceſſariũ fuerit, cõcedatur. Ca. 39. 40. & 55. Victus & veſtimenta ſuppeditentur. Cap. 53. & 56. *Omnes ſuperuenientes hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur.* Et tandem cap. 66. *Monaſterium ita debet conſtrui, vt omnia neceſſaria, id eſt aqua, hortus, piſtrinum, vel artes diuerſæ intra Monaſterium exerceantur; vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia omninò non expedit animabus eorum.*

Nunquid his ex locis neceſſariò colligendũ eſt cœnobia, rerum copiâ fore dotanda, quatenus ad vnguem obſeruetur Regula? nimirùm vt victus, veſtitúſque vnicuique tribuatur; *Infirmis ſicut reuera Chriſto: ita ſeruiatur;* Pauperes omnes (quod ſolemne ac religioſum in Ordine, quamdiu reditus Monaſteriorum à ſecularibus viris minimè diſtrahebantur, ſemper extitit) velut Chriſtus excipiantur, ſubleuentur, alantur, veſtiantur (de quibus mox infra) Quapropter S. Iunianus à Rege Clotario I. cuius profeſſionis ac ſtudij eſſet, ſciſcitatus, ſic conquerendo reſpondit: *Se ſub monaſtico Ordine vitam degere, & Monachis Prælatum, & Beatiſſ. Benedicti Inſtituta ſeruare, regularem eius vitam obſeruare, niſi quod propter anguſtiam loci non eam pleniſſimè cuſtodire cum ſuis valeret.* Et paucis interiectis: *Quibus auditis Rex ſtatim ait: Si ex prædio fiſci noſtri aliquid vobis vicinum eſt, & loci opportunitate congruum, quantum tuæ ſanctitati placet, & tibi, tuiſque ſufficere poſſit, tàm in exercitio operis, quã etiam in paſcua iumentorum & pecorum neceſſariũ, concedimus, ad vſus videlicet ſeruorum Dei &c.* Sic vita manu exarata.

(*Bene conuerſantium, dum & ipſe manuum labor ſorduit, facta eſt raritas*) *Ocioſitas* enim *inimica eſt animæ: & ideò certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum.* Docet S. Benedictus Reg. cap. 48. Inde inferunt, volúntque nonnulli, Monachos, quò vitæ neceſſaria lucrentur, manuum teneri labore: At objurgatores eiuſcemodi multùm hallucinari, dupliciſque tantummodò de causâ ſuos aſtringere huic operi B. Benedictum, indigitant Rupertus Abbas, Petruſque Venerabilis; vt ſegnitiem fugiant, ſubleuent paupertatem. [Ibidem lin. 18.]

Prior itaque lib. 3. ad cap. illud Regulæ, cap. 1. *Capituli huius idcircò memini, cùm de miniſterio altaris dicere propoſuerim, cur Benedictus in Regula nihil ordinauerit; quia videlicet hodie nonnullas animas ignorãtia ſui negligentes facit illius internæ pulchritudinis, propter quam*

ad sacri altaris officium meruerunt ascisci. Nam quia Monachi sunt, & Beatus Benedictus Monachis ordinauit opus manuum, penè obliuiscuntur quod Sacerdotes sunt &c. Relinquenda illis esset nostro silentio sua intentio, quia intenti circa opus manuum, de quotidiana celebratione Missarum, paruum, aut ferè nullum dicunt habere studium nisi sollicitarent. Tùm cap. 2. *Igitur quæcumque es ô anima! quæ sollicitaris à dicentibus, non potes hìc saluari, quia de labore manuum tuarum non viuis, propter te hoc à me dictum puta: Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos iuxta tabernacula Pastorum &c.* Et infra cap. 4. *De opere manuum, quo maximè victus acquiritur, quod est arare, seminare, & metere, syluasque succidere, perspicuum est quia non est Benedicti præceptum, sed tantummodò permissum, siue patientiæ solatium &c.* Denique cap. 7. exemplis probat SS. Gregorij, Mauri &c. *Qui Monasteriis suis tot & tanta prædia prouiderunt, vel susceperunt, non fore necessitatem Monachis victum sibi quærere de labore manuum suarum, & non argui hoc contra B. Benedicti fecisse institutum.*

Secundo loco Petrus ille Venerab. Abbas Cluniac. Cistertiensium obiectionibus respondet lib. 1. Epist. 28. *Videamus*, inquit, *non tantum quid de opere manuum Regula præcipiat; sed etiam quare illud præcipiat. Ociositas, ait, inimica est animæ, & ideò certis temporibus debent occupari fratres &c.* Deinde post pauca. *Si aliis bonis operibus occupare semper totius diei spatium Monachi possunt; cùm ad hoc tantùm ne ociosi sint operari præcipiantur; nonne illa agentes à præuaricatione Regulæ omninò alieni permanent? Planè ita, certè ita: velint, nolint aduersarij &c. Ergò si orando, legendo psallendo, injuncta religiosè implendo, vel alia qualibet huiusmodi bona agendo animus occupatur, Regula perfectè seruatur.* Et post alia de Sancto Mauro agens, eiúsque Monachis, hæc subinfert: *Vt quia eis sine proprio labore cuncta necessaria suppeditabant, omisso manuum labore, spiritualibus exercitati, ociosi non essent; sicque sibi nuper à Sancto Benedicto traditam Regulam, bona semper operando, optimè seruarent.* Ita Venerabilis, qui Statuto suo 38. Vt Monachorum, eorum maximè qui Conuersi dicuntur, desidiam propelleret, laborem manuũ imperat.

Quam in rem Sanctus Hieronymus ad Rusticum: *Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tàm propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus & instar fornicantis Ierusalem omni transeunti diuaricet pedes suos.* Clericis nimio otio ne affluerent, ac torperent, æquè ac Monachis olim manuum indictus labor à S. Clemente Romano, Const. 1. cap. 67. Concil. Carthag. 4. Can. 51. & 52. S. August. 2. Retract. 21. & aliis.

Ibidem lin. 22.

(*Rerum antiquitùs datarum exuberante copiâ.*) Quam ob causam Benedictinorum Cœnobia maximis opibus fuerint orbata, ostendimus supra. Paucis nunc qua ratione in tantùm diuitiis creuêre dicendum. Diuersis attribuere solent causis Auctores. Alij Regum, Principúmve beneficiis: opulentioribus illis alij, qui Monachum induentes Monasterio prædia complura acquirebant: nonnulli Ascetarum diligenti ac sedulæ administrationi: Non pauci verò iis, qui singulari doctrinâ florebant, publicè scholas tenebant: cæteri tandem integræ mundanorum abdicationi, ac perfectæ Monachorum S. Regulæ obseruationi (quod & à nobis superiùs obseruatum est) At potissimùm solemnem atque religiosissimam illam cum Ordine natam consuetudinem, pauperibus erogandarum, continuò eleemosynarum, hospitúmque suscipiendorum, iuxta Regulæ præscriptum, occasionem extitisse mihi perspicuum videtur: quippe Sanctus Benedictus discipulos hacce doctrinâ imbuerat: *Pauperes recreare. Nudum vestire. Mortuum sepelire.* Reg. cap. 4. Instru. 14. 15. 16. *Omnes hospites tanquam Christus suscipiantur &c. Pauperum & peregrinorum maximè susceptio omni curâ sollicitè exhibeatur, quia magis in eis Christus suscipitur.* cap. 53. A Magistro enim omnium ac Domino didicerat: *Date & dabitur vobis &c.* Sciebátque experimento illud (vti videre est in eius vita, Dialog. S. Gregor. lib. 2. cap. 21. & 29.) *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: & vicissitudinem reddet ei.* Prouerb. 19. 17.

Solere autem in Monasteriis quoscumque pauperes excipi ac solari, supra numerum testimonia cùm sint obuia, consultò præterimus; vnum duntaxat, & alterum ex vetustis membranis eruendum delectat. Nobilissimus Abba S. Adalardus Corbeiense regens Cœnobium isthæc ordinauit.

Constituimus ad Hospitalem pauperum, quotidie dare panes de mixtura factos XLV. librarum trium, & dimidiæ, & de frumento vel spelta, panes V. quales Vassali accipiunt; vt fiant simul L. Ipsi verò panes isto modo partiantur, vt duodecim pauperes, qui supra noctem ibi manent, accipiant singuli vnusquisque panem suum; & in crastinum vnusquisque dimidium ad viaticum. Hospitalarij autem ij, qui ibi deseruiuntur, de supra scripto numero vnusquisque panem vnum. Nam panes quinque frumentacei debent partiri inter peregrinos Clericos, qui in Refectorium ducuntur, ad viaticum, & infirmos qui ibi sustentantur.

Ipsam tamen distributionem panũ arbitrio

committimus Hospitalarij, ea videlicet ratione, vt si venerit maior numerus pauperum, aut plùs, aut minùs, indigentes, sicut sunt inedia defecti, aut pueruli paruuli, ipse discernat iuxta quod oportet.

Quod si contigerit aliquo tempore minus venire pauperes, ipse Hospitalarius & Magister, & Senior Portarius in memoriam omnimodis habeant, quantò de suprascripto numero propter paucitatem venientium minùs dispensatur, vt iterum cùm plures venerint, quod remansit dispensetur.

Cæteris verò pauperibus venientibus, & eadem die recedentibus, solet dari quartarius, vel sicut diximus, iuxta quod Hospitalarius prouiderit in maiori vel minori numero aut necessitate compedire, companaticus, aut secundum consuetudinem tribuatur.

De potu autem detur quotidie modius dimidius, id est sextarij VIII. de quibus diuiduntur sex. IV. inter illos XII. suprascriptos, ita vt vnusquisque accipiat calices duos. Ex aliis quoque quatuor, sex dantur Clericis, quibus pedes lauantur à Fratribus, vnicuique calix vnus; & Wileranno seruitori calix vnus: quod residuum fuerit, in arbitrio Hospitalarij relinquimus, quomodo illud siue infirmis, sive aliis pauperibus diuidat. De vino autem erit in arbitrio Prioris.

Infirmorum autem necessitatem Senior Portarius debet iuxta possibilitatem prouidere, siue in cibo, siue in potu, in his rebus, quæ Hospitalario desunt ad opus infirmorum.

Et si contigerit venire peregrinos de longinquis Prouinciis, qui supra scriptum numerum excedant, Portarius prouideat eis quæ necessaria sunt, ita vt non minuatur quicquam de his quæ quotidianis diebus deputata sunt.

Addimus etiam de companatico in cibos pauperum ad pensas XXX. quæ dantur inter caseum & lardum, & modios XXX. de leguminibus; quintam partem de decima, quam accipit Portarius à Cellerario de anguillis, vel caseo recente, qui constitutus est dare de decem berbicariciis; nec-non & de illo qui de villis dominicis datur in decimam.

Similiter omnem quintamdecimæ de pecudibus, id est in vitulis, in veruecibus, vel omnibus quæ dantur de gregibus Portario, etiam in caballis.

Insuper disposuimus dare ipsi supra commemorato Hospitalario, de omni argento quicquid ad portam venerit, quintam partē, per manus Portarij Senioris, de quo argento talem voluimus fieri distributionem, vt non minùs quotidie quàm quatuor denarij dentur; & si minor fuerit numerus, de ipsa quinta quàm sufficere possit ad hanc distributionem quotidianam faciendam, Abbas si vult suppleat aliunde; & si vltra creuerit, non subtrahatur.

Ligna autem prouideat Portarius pauperibus secundum consuetudinem, vel cætera quæ hic scripta non habentur, sicut sunt panni in lectulis, vel vasa & cætera quæque. Hæc omnia supra scripta de his quæ ad portam veniunt propter illud supplementum argenti, sicut supra commemoratum est, dentur.

Insuper accipiat Hospitalarius à Camerario vestimenta, vel calceamenta fratrum vetera, pauperibus tribuenda secundum consuetudinem.

Obsecramus igitur omnes, quibus ordinandi fuerit officium in hoc Monasterio, vt in largitate ac distributione, Dei potiùs attendant voluntatem, quàm nostræ parcitatis exemplum, quoniam vnusquisque est pro se redditurus rationem.

Habes ergò Sancti Adalardi ardentissimam, in proximum charitatem, ac pietatem ad pauperes, & afflictatos ægritudine subleuandos; quæ & quam diutissimè in Corbeiensi Monasterio (seruata vsque ad tempora videlicet Abbatum Commendatariorum) fuit. Quapropter non modò celeberrimum, sed & euasit opulentissimum.

Quàm verò gratæ sibi essent Beati illius Antistitis eleemosynæ, significauit aliquando Deus. *Cùm quodam die* (scribit Paschas. in vita eius cap. 7.) *omne pulmentum casei hospitibus expendisset, illumque ob hoc Cellerarius obiurgasset, respondit Sanctus:* Dominus dabit. *Et ille, tu semper ista polliceris, sed non sic exemplò dabitur, quod tamen indifferenter effundis. Interim dum hæc aguntur ecce duo adsunt plaustra præ foribus, vnum nescio quid ferens piscium, & aliud plenum caseis &c.* Idem accidit Sancto Iudoco, Orderic. lib. 3. hist. ad an. 1066. lege si lubet cap. 22. vitæ S. Bernardi Tyron. Decret. B. Lanfranci cap. 8. paragr. 3. & Statut. 23. Petri Venerabilis.

Alterum quod sum prolaturus testimonium, ex antiquis Abbatiæ Cluniacensis Consuetudinibus, in ordinem, iubente B. Hugone I. Abbate, à Bernardo quodam Monacho digestis, haurio. Est autem eiusmodi cap. 14.

DE OFFICIO ELEEMOSYNARII.

Quemadmodum à Custode hospitij recipiuntur omnes peregrini, qui faciunt iter equitando, eodem modo quotquot pedites vadunt, præter illos qui tales sunt, vt ad eleemosynariam ire non velint, ab Eleemosynario recipiendi, excepto si Legatus est, & literas defert, hos colligit Custos hospitij.

Receptis autem singulis, quærit Eleemo-

ſynarius à Granatario vnam libram panis, & ſequenti die abituris dimidiam, menſuráque eadem venientibus, & abeuntibus dat vinum, ſcilicet dimidiam iuſtitiam, & recedentibus dabatur olim ſingulis vnum denarium, ſi tamen auertere poterat, quòd in loco noſtro numquam amplius fuerit, aut infra vnum annum non venerit.

Ergò in aduentu Domini, exceptis his diebus quibus bis comeditur, & in Quadrageſima exceptis dominicis, & per totum annum, quoties pro canonicis Inſtitutis ab adipe abſtinetur, vt in Rogationibus, in vigilia Sanctorum, & in Quatuor temporibus; & quoties Frater in Monaſterio ſepelitur, quicquid de vino ſuperfuerit fratribus in refectorio, totum accipit Eleemoſynarius; ſicut etiam de pane, & per totum annum de pigmento. Hoc vinum colligit & reſeruat, vt peregrini ſuperuenientes ſemper de hoc habere poſſint. Illo quoque die quo ita panem recipit de refectorio, non tantum quærit à Granatario, ſed de ipſo pane tot, quot potuerit peregrinis, & quod ſibi deerit, hoc à Granatario quærit.

Item quotidie accipit quotquot defunctorum fratrum eſt anniuerſarius, præbendas totidem integras in pane; & vino, in fabis & generalibus. Præter hæc pro quolibet fratre nuper defuncto, qui profeſſus eſt noſtræ Congregationis, vbicumque obierit, præbendam integram per triginta dies. Pro omnibus inſimul fratribus, quorum obitus qualibet interueniente negligentia à nobis ſciri non poſſunt, quotidie accipit duas.

Præterea tres fratrum præbendæ dantur quotidie ad eleemoſynam, quæ & in refectorio ſuper menſam principalem apponuntur, ſcilicet pro Beatiſſimo Patre Odilone, pro Henrico primo Imperatore, pro Fredelanno & eius vxore, Regibus Hiſpaniarum.

Super hæc omnia dantur quotidie XII. tortæ, quarum vnaquæque tres libras appendit. Hæc verò pupillis & viduis, claudis & cæcis, ſenibus & aniculis, cunctiſque ſuperuenientibus ſunt eroganda.

Habet quoque adhuc quotidie de refectorio, de his quæcunque fratribus ſuperſunt, ac de generali & de pitantia medietatem; altera medietate cæcis popularibus deputata. Similiter de fabis medietatem, bubulcis ipſius Decani, qui villæ præeſt, deputatâ altera medietate.

De oleribus & de pomis, & de his ſimilibus totum. De hac medietate quæ ſibi de generalibus, & de pitanciis contingit, ſolet præbendariis per vices pitanciam exhibere, ſolet etiam famulis ſuis dare. Accipit autem famulus eius maior quotidie libram vnam de Granario, ideò quòd recipiat panem & vinum, quod datur præbendariis, & dimidiam ab ipſo Eleemoſynario. Alij quoque ſinguli habent ab Eleemoſynario libram & dimidiam, ſiue de quotidianis, ſiue de alio pane, ſi ei magis placuerit.

Dantur namque præter ea quæ dicta ſunt de granario ad Eleemoſynam, ſex præbendæ, quæ vocantur quotidianæ: ſunt autem quinque ipſius famuli, vnus maior qui ſeruit præbendariis, & aliis pauperibus, & peregrinis; Alter oſtiarius eleemoſynæ domus, duo quotidie deferunt ligna cum duobus aſinis; vnus eſt prouiſor duorum furnorum, de quibus aliquid ſubſidij venit ad eleemoſynam. Omnes autem præter maiorem vadunt pro vnico, quoties Eleemoſynarius præcipit, ſi generale fratrum defunctorum ipſa die, qua in Capitulo recitantur, * abeſſe non poterit; f. computat vſque ad aliquam ſummam, & tunc reddit ei Camerarius denarios, & aliquoties Cellerarius pro genere piſcium dare valet carnes.

* habe re.

Ipſe quoque comparat ſibi cum denariis, qui pro decima de Eccleſia ſibi dantur: Ipſe enim habet decimam omnium denariorum, qui in Eccleſia offeruntur; ſicque prouidet, vt carnem frequentiùs dare poſſit peregrinis. Sunt autem XVIII. pauperes præbendarij, quibus quotidie famulus Eleemoſynarij accipit de cellario totidem iuſtas vini, & à Granatario totidem libras panis, & fabas ad quatuor dies ſeptimanæ; reliquos tres non habet niſi olera de horto ad eleemoſynam deputato: ſed in maioribus feſtis habet carnem pro fabis; & per annum ſunt triginta quinque dies, in quibus habent carnem.

Tùm poſt alia.

Mandatum & ſi à feſtiuitate Omnium Sanctorum, à Fratribus non geratur vſque in capite ieiunij, tamen eleemoſyna nunquam remanet: famulus enim Eleemoſynarij in hyeme cum aqua calida pedes trium pauperum lauat, datque libram ſingulis, & iuſtitiam, & libram de tali pane qualem habent in refectorio fratres.

Hoc quoque pertinet ad Eleemoſynarium, vt ſemel in hebdomada totam villam perluſtret, aſſumptis ſecum famulis ſuis, & pane, & carne in cophinis, & vino in aliis vaſis; viſitans illos qui pauperes alicubi iacent ægroti; & ſi maſculus eſt ipſe viſitaturus intrat; ſi fœmina, ſtat ad oſtium, & famulum ſuum mittit ad eam. Et dato eiſdem quod melius poteſt, conſolatur ipſos, & ſi quidlibet deſiderant præter quod dederit eis, ſi commodum vllo modo ei eſt, inquirit, & poſtmodum mittit per famulos ſuos. Eſt autem conſuetudo, quatenus mulieres, quæ in domibus ſunt vbi infirmi iacent, mox vt viderint eum venientem, omnes exeant: Nunquam enim

enim quandiu quælibet mulier intra domum fuerit, ingredietur.

Sciendum verò, quoniam peregrinis, de quibus ſuperiùs locuti ſumus, cum libra & vino, in ipſa nocte qua veniunt, de quouis alio edulio dabit; ſcilicet de piſcibus, vel huiuſmodi; & aliquoties vt prædictum eſt, de carne. Non niſi verò ad portam curtis dat cuiquam iuſtam vini, & libram panis; non enim ingrediuntur curtem.

Si autem aliquis peregrinorum habuerit ad hoſpitium ſuum coniugem debilem, vel laſſatam, ſeu ſocium, quibus non ſit commodum venire ad eleemoſynam, debet eis miſericordiam facere, & quantum dat aliis mittere per eorum ſocium, qui reuertetur ad eos, propter eorum debilitatem. Alii verò omnes in eleemoſynaria comedunt.

Cùm autem pedites ſeu pauperes clerici peregrini, de longinqua terra veniunt ad eleemoſynariam, ipſe dicit ante prādium fratrū Abbati, vel Priori, & acceptâ licentiâ ducit eos in refectorium cum peris ſuis. Iſtis verò non commodantur ſuperpellicia; eorum enim tantùm eſt, qui cum equis vadunt.

Ciſtertienſes quoque ea de re commendat Guillelmus Nangiacus ad an. 1176. *Maxima fames fuit in Gallia; pro qua ad ſuſtentationem pauperum, Eccleſiarum inuadiata ſunt ornamenta, & Sanctorum feretra defruſtrata: & tunc maximè apparuit Ciſtertienſis Ord. munificentia in pauperibus ſuſtentandis.*

Non ergo mirum ſi apud Monachos adeò opulentiæ & rerum penè omnium copia exuberârit, qui tàm ſollicitè, animitùs, & affatim ſe ſuáque Chriſto tradebant Domino vniuerſorum; ipſe etenim atteſtatus eſt: *Quòd vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis:* & centuplum in hoc ſæculo, & in altero vitam æternam ſe redditurum ſpopondit.

Pag. 63. colom. 2 lin. 26. (*Qui in eiſdem parentum deuotione contraditi ab ineunte nutriebantur ætate.*) Optima ſanè Guiberti obſeruatio. Longè ſiquidem abſunt theoria, & praxis; de virtutibus documentum, atque exercitium earumdem. Solent quippè qui ſolitariè, innocenterque infantiæ, ac pubertatis annos in monaſteriis tranſegêre, dùm ſeſe hominum flagitiis aſſuetorum conſortio immiſcent, nil equidem mali prima fronte ſuſpicari; at quia proni ſunt ſuaptè natura ad peccatum, cùm nec infans vnius diei ſuper terram immunis ſit à ſorde, vtpote in peccatis concepti, impellente ipſa praua propenſione (quam fomitem vocant) procliuiùs, & imprudentiùs quâlibet occaſione (niſi eos retrahat diuina gratia, ſiue lapſus in carnis delicias, voluptateſve priùs experti cautiores reddant) irretiuntur illecebris, atque in malum prolabuntur. Vtinam iſta ſæpiuſculè vſu non venirent! Quamobrem S. Benedictus Rectores animarum admonet, quominus eos, qui mundo repudii libellum remiſêre identidem foras egredi permittant: *Quia omninò*, inſit, *non expedit animabus eorum*, cap. 66. Regulæ.

De puerorum Deo à parentibus oblatorum prolixiùs egimus ad B. Lanfranci Epiſt. 32. pag 361 E. Supereſt vt formulam ſiſtendorum eorumdem pro altari per Monachum Seniorem, huc attexam.

Puer verò qui cum laicali, vel clericali habitu venerit, hunc Camerarius in veſtiarium ducat, eodemmodo veſtiendum, quo quilibet Nouitius veſtitur, præter quod ei non ſtamineum, ſed pro ſtamineo camiſia linea datur. Cùm viſum fuerit domno Abbati, capellum de frocco eius iubet auferri, & cucullam ei dandam benedicit. Iubet etiam vni fratrum vt puerum offerat in vice parentum eius, qui petitionem, quam facturus eſt, ſcriptam habens: confirmat eam ſigno propriæ manus, & poſteà legit eam in aperto, & mittit in manum Domni Abbatis: eſt autem huiuſmodi.

Ego Frater N. offero Deo, & Sanctis Apoſtolis eius Petro & Paulo, hunc puerum nomine N. vice parentum eius, cum oblatione in manu, atque petitione, altaris palla manu eius inuoluta, ad nomen ſanctorum quorum hic reliquiæ continentur, & Domni N. Abbatis præſentia, trado coram teſtibus regulariter permanſurum, ita vt ab hac die non liceat illi collum de ſubjugo excutere Regulæ, ſed magis eiuſdem Regulæ fideliter ſe cognoſcat inſtituta debere ſeruare, & Domino cum cæteris gratanti animo militare: & vt hæc petitio firma permaneat, manu mea ſubterfirmaui, teſtibuſque tradidi roborandam.

Accipit ipſe puer cum offertorio patenam & calicem, hoſtiâ impoſitâ, & vino infuſo; & ita vicarius ille inuoluit manum pueri cum palla altaris, vt tàm ipſum puerum, quàm eius ſacrificium offerat à Sacerdote recipiendum. Poſteà induitur cuculla; & de cætero benedictio eius differtur vſque ad legitimam ætatem, id eſt, ſi non ampliùs vel vſque ad decimum quintum annos ætatis. Rurſus cùm Domnus Abbas voluerit vt eum benedicat, refert hoc fratribus in Capitulo; & ipſe iuuenis ſtatim veniam petit, & de ſchola abſolutus venit ad pedes: tamen ab aliis pueris non recedit vſque ad horam benedictionis. Sicut alii Nouitij profitetur. Sola cucullæ benedictio non iteratur, nec exuitur, nec induitur niſi ſicut & priùs erat &c.

Ex cap. 29. Stat. Cluniacenſium: de quibus ſupra.

Pag. 463 col. 2. lin. 28. (*Tantò intra Cœnobiorum ſepta remiſſiore ſtudio victitabant.*) Id loci illuſtratur Petri

Venerabilis Statuto 36. *Statutum est*, ait ipse, *vt nullus, etiam ex concessione, futurus Monachus, regularibus vsque ad annum xx. vestibus induatur. Causa instituti huius fuit immatura, nimisque celer infantium susceptio, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere possent, sacræ Religionis vestibus induebantur, & admixti aliis, puerilibus ineptiis omnes perturbabant: & vt quædam taceam, & multa breuiter colligam, & sibi nihil penè proderant, & aliorum postea religiosum propositum non parum, immò quandoque plurimum impediebant.*

Ibidem lin. 33. (*Ecclesiasticas occasione difficili dilapidare pecunias &c.*) Heu! quàm in prophanas (ne quid grauiùs,) & varias discerpta partes Ecclesiarum, Monasteriorúmque bona: quæ *Vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*: Scripsisse traditur Vrbanus Papa I. Et Edgarus Anglorum Rex: *Sunt patrimonia pauperum, ac pretiosi Christi Sanguinis pretium:* Quæque Deo ac Sanctis data, vt die noctúque laudes summi omnium Creatoris concinentes, habeant victum ac vestitum, ferunt omnes propemodum Monasteriorum fundationes. In restauratione Monasterij Besuensis ita loquitur Albericus Lingonensis Episcopus, post enumerata à se collata: *In substantiam Monachorum, & alimoniam pauperum, & vt ibidem delectetur seruis Dei Domino seruire; & pro Rege, eiusque coniuge, & liberis ipsius, & totius imperij stabilitate iugiter Domini misericordiam implorare &c.* Chronicon Besuense MS. Sed & Aldricus Senonensis Antistes, hoc sensu suos suffraganeos compellabat in carta MS. instaurationis Cœnobij Sancti Remigij prope Senonas: *Sciamus rem Ecclesiæ esse oblationes fidelium, prætia peccatorum, patrimonia pauperum, eásque nobis administrandas, procurandas, atque ordinandas suscepisse; harum rerum administratores nos esse, meminisse debemus: & reditus expensásque earum eis vsibus applicare, quorum gratiâ diuinis altaribus alligatæ noscuntur.* Chronicon Diuionense ineditum: *Contulit Rex Guntrannus Deo & Sancto Benigno ad victum Monachorum Deo in hoc loco deseruientium, vt pro se ac sequentium Regum salute & peccatorum remissione diuinam exorent clementiam Monachi. Insuper etiam instituit vt ad similitudinem Monasterij Sanctorum Agaunensium, diu noctuque diuinum persolueretur officium &c.*

Ludouicus Pius Imperator Monachis Anianensibus Ecclesiam Sancti Martini Arelatensis, & quæcumque ad eam pertinerent, concedens, his inter alia verbis vtitur: *Hanc nostræ auctoritatis donationem memorato Monasterio ad stipendia fratrum ibidem Deo famulantium, & ad subsidia pauperum, vel ad cunctas eiusdem Monasterij Aniani necessitates consulendas, ob emolumentum animæ nostræ perpetualiter concessimus &c.* Sic vetustissimæ membranæ.

His consona de Ecclesiæ opibus effert Tertullianus Apologet. cap. 39. *Hæc deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, non potaculis, nec voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac pupillis re ac parentibus destitutis &c.* Ad rem istam quæ ad suas Constit. Benedict. Patres Regni Portugalliæ amplas possessiones Ordinis memorantes, præloquuntur, adnotabo: *Hæc & alia omittimus in Ecclesias redacta.*

Singula quæ sæcli attriuit sic cana vetustas,
Vt maneat præter Nostra fuêre, nihil.

Ea tamen perstringere libet, quia licet alienationes nobis sint dolores oculorum & animi, indices tamen sunt Sanctissimi Patriarchæ (Benedicti) *charitatis & meritorum ipsius* (adde & filiorum pietatis ac doctrinæ) *viui præcones &c.*

Pag. 464. lin. 6. (*Vocabatur autem ipse Ebrardus*) Quem paucis laudat Andræas Duchesne Histor. Drocens. li. 1. pag. 24. Vbi & de familia Comitum Britoliensiũ: illum eò loci adi si placet.

Ibidem lin. 23. (*Teudebaldus &c.*) siue Theobaldus. Cuius biographus ei contemporaneus hæc habet: *Theobaldus parentibus non solùm nobilibus, verumetiam clarissimis atque ditissimis enituit &c.* Et infra. *Lapides ferendo, fœnum è pratis secando, stabula curando, & maximè, vt idem simpliciter referebat, carbones ad opera fabrilia faciendo, victum sibi cum paruo censu prouidebat.* Surius tom. 3. Sigebert. ad annum 1050.

Pag. 464 col. 2. lin. 8. (*Maiusmonasterium petiuère.*) Celebre istud Monasterium prope Turones ad fluenta Ligeris situm, à Sancto Martino Archiepiscopo sumpsit initium. De quo Gregorius Turo. de Gloria Confess. cap. 8. Glaber. lib. 3. cap. 4. & alij.

Et quoniam Nomenclaturam Abbatum à Roberto in Gallia Christiana expositam, in multis vitiosam animaduerti, quotquot ex antiquis membranis ac ruderibus eiusdem Abbatiæ reperire licebit, huc attexere haud inutile fore iudicaui.

ELENCHVS ABBATVM Maiorismonasterij.

PRimus Abbas ac Fundator Sanctus MARTINVS Episcopus Turonensis.

II. GALBERTVS à B. Martino electus ac benedictus. Quem consecuti regulares Abbates (quorum nomina obliuione sepulta) omnem nauauerunt operam, vt in Maiorimonasterio Religio floreret.

III. Et hoc equidem vsque ad Robertum Comitem Odonis Regis fratrem: qui Comes & Abbas Maiorismonasterij, in carta anno 6. regni eiusdem Odonis confecta, nuncupatur.

Destructo à Normannis Monasterio, cæsisque Monachis, qui superstites fuerunt vnà cum sacratissimo B. Martini pignore in Burgundiam secessêre. At ex Clericis nonnulli inter ruinas sibi fabricauêre domicilium, & locum plures per annos occupârunt. Iis prætermissis ad Regulares transeundum.

IV. S. Maïolvs Abbas Cluniacensis, rogante Blesensi Comite Odone, monasticum Ordinem postliminio in pristinum statum reuocauit. Prodit hæc disertis verbis carta donationis eorum quæ Stephanus Blesensis Comes Maiorimonasterio contulerat. *Vbi Odo auus meus*, inquit ipse, *& frater eius Hugo Bituricensis Archiep. & eorum mater humati iacent; & quod post euersionem à Danis factam exstructum, &, amotis Canonicis, facultatibus suis auctum, monastico Ordini, qui ab initio antiquitùs, à tempore Beati Martini ibi fuerat, restituerunt; Abbatémque Guillebertum nomine posuerunt, à Sancto Maïolo sibi de Cluniaco datum. Quorum sequens vestigia pater meus, tùm pro reuerentia & amore gloriosi Confessoris Christi Martini, tùm pro religione inhabitantium Monachorum, eandem Abbatiam de substantia sua honorauit admodum & augmentauit &c.* Eo igitur Monasterio apprimè stabilito, & dignitatem Abbatialem, & iurisdictionem omnimodámque potestatem in humeros Gisleberti deposuit.

V. Gislebertus vnanimi fratrum assensu in Cœnobiarcham assumptus est an. 970.

VI. Bernerivs 987.

VII. Gavzbertvs primò Sancti Iuliani Turon. deinde simul Maiorismonast. Burgulij, & Malleacensis Abbas fuit 1007.

VIII. Sicbardvs, siue Sichardus.

IX. Ebrardvs 1015. Vt ablatæ possessiones restituerentur, multùm desudauit, elaborauítque.

X. Albertvs 1037. Hoc Abbate Airardus Nannetensis Episcopus, anteà Sancti Pauli in vrbe Abbas & Cardinalis, Maiori monasterio, cuius Monachos impensissimè diligebat, multa contulit beneficia. Isembertus Pictauensis Antistes eosdem præclarè commendat in scheda his verbis: *Monachi Maiorismonasterij quorum in sancto proposito percelebris apud nos habetur opinio, petierunt à me rerum, quas in Episcopatu Pictauensi possidebant, confirmationem, quam & libenter concessi &c.* Cui signum apposuit alius Isambertus, senioris successor.

Albertus Abbas (habet Codex MS. de seruis Maiorismonasterij cap. 32. *cum fratribus, quemdam seruum liberum fecit, & clericauit tali ratione, vt nunquam se à S. Martini seruitio ad alios transiens auferat &c.* Vbi aduertere est, Clerico seculari ab Abbate Tonsuram Clericalem tum collatam.

Præterea illemet Abbas suo, & Capituli Maiorismonast. nomine, Præbendam siue Canonicatum ab Agoberto Carnot. Episcopo expetiit, cui Episcopus vnà cum Clero perlibenter annuit, ea lege, vt mutua inter sese precum subsidia rependerent. Ita literæ Henrici Regis, quæ extant in capsa Sancti Martini de Valle apud Carnutes. Alexander verò Papa 3. diplomate mandat Carnotensis Ecclesiæ Canonicis, quatenus Maiorismonasterij Monachos minimè impediant Præbendæ fructus percipere.

Huius Abbatis, & quatuor proximè subsequentium meminit Orderic. Vitalis lib. 4. hist. *Nostris temporibus Albertus, & Bartholomæus, Bernardus, & Hilgotus, ac Guillelmus Nanticensis, Abbates huic monasterio præfuerunt, qui sanctitate & probitate multis profuerunt, & longè latéque famosi, vicinis & externis viriliter micuerunt.* Et Anonymus Auctor Appendicis ad historiam Franc. Gregorij Turonensis, de gest. Episc. Turo. & Abbatum Maiorismo. quem passim in medium proferemus, ait de Alberto: *Requiescit in dextera parte Ecclesiæ ad altare S. Mauricij. Hic bonas consuetudines Ecclesiæ solerter instituit, & ordinauit; quas qui posteà mutare præsumpsit, peierauit.*

XI. Bartholomævs 1063. seu 1064. *Huius vitam signis, & virtutibus, atque miraculis plenam qui scire voluerit, in nostro armario reperire poterit &c.* Auctor Anonymus. *Bartholomæi tempore in Abbatia de Bello Goisbertum Maiorismonast. Religiosum Monachum, Abbatem constituit* (Guill. Angl. Rex) *quo monitore monasticus Ordo & regularis disciplina commodè viguit.* Verba sunt Orderici Vital. lib. 4. hist. initio. Ac vetus Chronologia MS. sancti Cornelij Compend. anno 1066. quâ regnum Angliæ victoriâ Guillelmus Conquæstor sit adeptus enarrans, ait: *Locus vbi pugnatum est, exinde Bellum vsque hodie vocatur. Porrò Guillel. Rex ibi Cœnobium Sanctæ Trinitatis* (S. Martini, vt fert Fundatio) *construxit, & Monachos ac Ordinem Maiorismonast. statuit, atque necessariis opibus pro interfectis vtriusque partis affatim ditauit.*

Ex Carthulario rerũ Vindoc. cartâ 28. inter Gusmanum militem, & Bartholomæum Abbatem, ann. 1070. Conuentio facta est; *Quòd siquis vult discere literas in ciuitate Turon. vel apud Castellum nouum Sancti Martini, sibi & suo homini præbebimus tres panes quotidianos, & quatuor iustas,* (hoc est mensuras solitas) *vini.* Obiit Bartholomæus 1084.

Hic humatus quiescit in sinistra parte ad altare A Anonymus. Tetbertus eiusdem loci Monachus, celebris medicus, hac ipsa tempestate floruit.

XII. BERNARDVS de *S. Venantio* 1084. Cui Vrbanus PP. 2. anno 3. sui pontificatus, Indict. 13. priuilegium concessit, quo non tantùm Abbatem ac monachos, sed etiam domesticos & omnes à Maiorimonasterio dependentes prioratus, ab Archiepiscopi Turon. & aliorum Episcoporum iure prorsus exemptos declarat ac decernit. Is ipse Vrbanus (qui Turones Concilij celebrandi gratiâ venerat) exhortatione fratres Maiorismonast. vt in melius in dies proficerent, admo- B nuit, eisdémque in Capitulo absolutionem impertiit.

Philippus Francorum Rex an. 1093. Bernardo Sancti Maglorij Paris. Monasterium, ad vetus monastici Ordinis institutum resarciendũ, tradidit; quod ex illius constat diplomate. Anno circiter 1095. *Adela Comitissa, filia Regis Guillelmi* (fert carta Sancti Martini de Valle Carnot.) *& Stephani Comitis* (Blesens.) *vxor, benè patrizans erga Maiorismonast. Monachos, beneficia multa & largitiones ab eius patre assecutos, & ab eodem specialiter* C *amatos; cùm vellet imitari amorem patris sui erga eos, quantumcumque poterat eos opibus adimplebat, & anno Dedicationis Basilicæ Maiorismo. ab Vrbano Papa 2. factæ, cùm vir eius isset in Ierusalem cum exercitu Christianorum, dedit eis prope Carnoti muros clibanum publicum, dictum Bellum videre.*

Neque prætereundum illud factum, ex autographo desumptum: *Hugo de Caluomonte filius Sulpicij de Ambaziaco (cùm adhuc puer esset) & mater eius quæ neptis erat Gaufredi de* D *Caluomonte, consenserunt venditioni factæ Monachis Maiorismonast. de duabus quartis terræ apud culturam Rathonis: posteà cùm factus esset iuuenis, & patri successisset in honore, & cum Ambaziaco simul Caluummontem, loco Gaufridi auunculi sui, possideret; easdem quartas repetere voluit. Contigit interim Vrbanum Papam venire ad Maiusmonast. & Basilicam dedicare: cui dedicationi interfuerunt ipse Hugo. Sacrato autem ex more & inuncto altari, Papa residens aduocauit Fulconem, & circumstantium turbam procerum, monens eos vt Ecclesiæ & altari nouiter dedicatis, prouiderent dotem secundum mo-* E *rem solitum. Submonitus itaque à nobis, supradictum Hugonem, ad se vocauit, & monuit, vt quartas illas nobis relinqueret, quod ille gratanter fecit. Cui rei interfuit multitudo, vtpote ad tantam celebritatem vndique congregata.*

Hi nominatim inter cæteros censentur: Primas & Archiepisc. Lugdunensis HVGO. RADVLPHVS *Turon. Archiep.* RANGERVS Cardinalis & Archiepisc. Rhegiens. BRVNO Signiensis Episcop. ALBERTVS Presbyter Cardinalis. Tezo Presbyt. Cardinalis. GREGORIVS Papiensis Diaconus Cardinal. Deinde: Domnus BERNARDVS *de Sancto Venantio Abbas noster &c.* Ex laicis verò: FVLCO Comes Andegauensis, SIGEBRANNVS Constabularius eius, ROBERTVS *de Rupibus*, GAVSBERTVS Præpositus de Caluomonte. Tandem sorores Hugonis præfati, ADENORDIS, & ERMENSENDIS idem concesserant. Hæc antiquæ membranæ.

Anno 1099. vltimo Bernardi Abbatis, dùm circumiret ipse Obedientias siue Prioratus sui Monasterij, duo iuuenes spontanea voluntate sese illi offerentes, serui S. Martini sunt effecti, hoc nempe ritu: *Super genua sua stantes ante Abbatem, & quatuor denarios, vt moris est, super capita sua portantes, se seruos S. Martini professi sunt.*

Bernardus Abbas (loquitur Anonymus) *requiescit in dextro porticu Ecclesiæ à parte inferiori. Obiit 8. Idus Maij.*

XIII. HILGOTVS seu Hilgaudus, abdicato Suessionensi Episcopatu induit collobium monachale, atque Abbas fit inuitus 1100. Dat ipsi literas Paschalis PP. 2. velut & Bernardo antea Vrbanus 2. quas hîc describere pretium operæ est, emergentes quippe Archiepiscopum inter & Maiusmonasterium controuersias diluere possunt.

PASCHALIS *Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili Fratri* HILGOTO *Maiorismonasterij Abbati, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.*

Cùm vniuersis sanctæ Ecclesiæ Filiis, ex Apostolicæ sedis auctoritate ac beneuolentia debitores existamus, illis tamen locis, atque personis, quæ ampliori Religionis gratia eminent, propensiori nos conuenit charitatis studio imminere. Tuis igitur tuorúmque Fratrum, fili in Christo dilectissime Hilgote, iustis precationibus annuentes, cùm pro Beati Confessoris Christi Martini deuotione atque reuerentia, tùm pro vestræ Religionis prærogatiua, Monasterium vestrum, quod Maius dicitur, à Beato quondam Martino ædificatum, in Apostolicæ sedis tutelam specialiter protectionémque suscepimus.

Per præsentem igitur, nostri Priuilegij paginam, Apostolica auctoritate præcipimus, vt quæcumque hodie idem Cœnobium iustè possidet, sicut in crastinum, largitione principum, oblatione fidelium, concessione Pontificum, iustè atque canonicè poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant. Decernimus ergò vt nulli omnino homini liceat idem Cœnobium temerè perturbare, aut ei subditas possessiones

auferre, ſiue minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſeruentur eorum, pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt vſibus.

Miſſas ſanè publicas per Archiepiſcopum, aut Epiſcopum quemlibet, in præfato Monaſterio celebrari, aut ſtationes fieri, omnimodò prohibemus; ne in ſeruorum Dei receſſibus popularibus occaſio præbeatur vlla conuenientibus. Interdicimus etiam ne quis eiuſdem loci Monachos, in aliquam Eccleſiam ad Stationem, aut exequias celebrandas, præter ſuam & Abbatis voluntatem compellat.

Adijcientes & præcipientes, ne quiſquam deinceps Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, B. Martini Maiuſmonaſterium, aut ipſius Maioriſmonaſterij monachos, pro vlla cauſa vllo in loco excommunicare præſumat, ſed omnis eorum cauſa grauior ex Apoſtolicæ ſedis iudicio pendeat.

Nec Cellarum veſtrarum videlicet Fratres, pro qualibet interdictione, vel excommunicatione diuinorum officiorum, ſuſpenſionem patiantur; ſed tam Monachi ipſi, quã etiam famuli eorum, & qui ſe monaſticæ profeſſioni deuouerunt, clauſis Eccleſiarum ianuis, non admiſſis diœceſanis, diuinæ ſeruitutis officia celebrent, & ſepulturæ debita peragant.

Obeunte te nunc eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus illi qualibet ſubreptionis aſtutia, aut violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu eiuſdem Fratrum pars conſilij ſanioris elegerint.

Porrò quia Turonenſis Eccleſiæ Antiſtes & Clerici, prædeceſſoris noſtri Apoſtolicæ memoriæ Vrbani ſecundi repetitis literis, noſtris quoque commoniti, ab impugnatione veſtra deſiſtere nullatenus acquieuerunt; quinimò Apoſtolicæ ſedis familiariùs communicantes, vos excommunicare & excommunicatos prædicare non timuerunt; adeò vt ab Abbatis veſtri ſepultura, & à veſtræ profeſſionis conſortio ſancti Iuliani monachos, & alios Religioſos Fratres, Abbateſque ſubſtraxerint. Nos eorum excommunicationi Religionem veſtram Domino cooperante ſubduximus. Beato quippè Ambroſio atteſtante didicimus, quòd hæreticum eſſe conſtat, qui à Romana diſſentit Eccleſia: & Samuel quaſi Idolatriæ ait, ſcelus eſt nolle acquieſcere. Vos autem tanquam familiares Filios noſtræ communionis, charitatis & gratiæ vinculo complectimur.

Quâ nimirum iuſtitiâ exigente ſtatuimus, vt regulariter electus Abbas, vel à Romano Pontifice, vel à Catholico quem aduocare maluerint, noſtræ communionis ac familiaritatis Epiſcopo conſecretur: qui veſtra fultus auctoritate quod poſtulabitur, impendat. Chriſma; Oleum ſanctum; Conſecrationes Altarium ſiue Baſilicarum; Ordinationes Monachorum, qui ad ſacros ſunt ordines promouendi, locorum veſtrorum Fratres ab Epiſcopis, in quorum diœceſibus ſunt, accipiant.

Ad hæc adijcimus, vt idem Beati Martini Monaſterium, ab omnium mortalium iure liberum, Domino annuente, permaneat, ſolique Romanæ Eccleſiæ ſubditum, de tanta ſemper libertate atque auctoritate congaudeat.

Ad Iudicium autem perceptæ huius à Romana Eccleſia libertatis, per annos ſingulos vnum aureum denarium Lateranenſi palatio perſoluentes.

Si quis igitur in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vicecomes, Iudex, aut Eccleſiaſtica quælibet, ſecularíſve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temerè venire tentauerit, commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoríſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri IESV CHRISTI, aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubjaceat.

Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri IESV CHRISTI, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.

Ego PASCHALIS *Epiſcopus Catholicæ Eccleſiæ.*
Ego ODO *Oſtienſis Epiſcopus.*
Ego * MIRO *Præneſtinus Epiſc.* *Milo.
Ego PAGANVS *Diaconus R. E. Cardinalis.*
Ego ALBERICVS *Dei gratia Cardinalis.*

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, XIII. Kal. Decemb. Ind. VIII. Incar. Dominicæ milleſimo centeſimo. Pontificatus autem Domini Paſchalis ſecundi II.

Anno Dominicæ Incarnationis 1101. Alanus Britanniæ Dux, & vxor ipſius Ermengardis, atque eorum filius Conanus dedêre Maiorimonaſterio Eccleſias S. Crucis, & S. Saturnini in vrbe Nannetenſi: *Quia contra ſacros Canones eas tenebat &c.* fert carta. Quo eximij Principes illi formam ſubditis exhibuerunt obedientiæ.

In Angliam pergens 30. marcas argenti, quas annuatim habemus à Rege & Regina Anglorum, & plura alia adquiſiuit. Hic requieſcit

in dextera parte ad altare S. Antonij. Anonymus.

XIV. GVILLELMVS 1104. Bullatas literas accepit à Paschali PP. 2. In iis libertas ab Episcoporum subiectione, cùm Maiorismo. tum possessionum, & Ecclesiarum omnium, quæ seriatim recensentur, confirmatur. Præterea Abbati calices & quælibet altaris ornamenta benedicendi confert summus Pontifex potestatem, quam nulli antehac Abbati concessam puto. Guillelmum his in literis Papa *Reuerendissimum Filium* appellat.

Gaufridus Grisagonella Vindocinensis Comes A. C. 1120. *Venit in Capitulum* (vt exprimitur in carta) *& ibi petiuit humiliter absolutionem de commissis, quæ nobis & locis nostris fecerat, promittens emendationem; & nos & nostra diligentiùs conseruaturum: cuius humilitatem videns dominus Willelmus Abbas eum absoluit; & insuper eum reuestiuit societatis nostræ orationibus & benefactis &c.* Intelligis quanti Monachorum preces olim pendebant Principes, maximè verò Maiorismonast. quorum sanctitatis famam longè latéque precrebuisse indicat Cartularius Cœnomanensium rerum, cart. 215. *Anno Incarnat. 1105. seu primo Domini Willelmi Abbatis ordinati, quo etiam Boamundus descendens Ierosolymis visitauit hunc locum, petiuitque tàm sibi quàm omnibus conchristianis, quos illis partibus in Dei seruitio reliquerat, orationum nostrarum suffragia: Robertus de Belismo, cum filio suo Willelmo, in Capitulum nostrum venit, & accepit benefactum nostræ societatis, & promisit se defensorem rerum nostrarum; & concedere fecit VVillelmo filio suo quicquid habebamus in Pontico (* Ponthieu) *& concessionem tradidit per baculum in manu VVillelmi Prioris, qui fuerat Archidiaconus Redonensis, videntibus VVillelmo de Pois, Normanno de Neaflo, VVillelmo fratre eius, VVillelmo Malaherba, Roberto Oison cognato Roberti de Belismo &c.*

Totum Cœnobium Abbas hic (loquitur Anonymus) *cinxit muris, & multas obedientias acquisiuit &c. Ecclesiam istam ab omni debito liberam reliquit: moriens sepultus est in dextera parte Capituli inter columnam & sedile.*

XV. ODO Abbas Religione clarus 1124. Ipsi Maiusmonast. regenti Cænobium Sancti Martini de Valle Carnot. restitutum est: ea de re extat Honorii PP. & Theobaldi Comitis Præceptum. Odonem & eius Monachos se maximo loco habuisse Vlgerius Episcopus perspectum facit in hunc modum: *Ego Vlgerius Episc. Andegauensis, Ecclesiæ Maiorismonasterij, & fratribus meis Odoni & Monachis illius (quibus feruentiores in diuino seruitio alios me nouisse non inueni) dedi an. Incarnat. 1131. Ecclesiam de Bessiaco, & Capellam de Bellifortis, in eadem parochia sitam, cum omnibus ad eas pertinentibus, & iure Presbyteros præsentandi, cùm vacatio contigerit &c.*

Ritus, quibus olim seculares orationum, cæterorúmque pietatis, austertatísve exercitiorum, quæ à Cœnobitis actitabantur, participes fiebant, sunt digni notatu: *Odo Canutus ab Abbate Odone per traditionem libri Capituli inuestitus est, & factus est particeps beneficij Ecclesiæ Maiorismonasterij: de quo plurimùm gratulatus* (Odo Canutus) *inuestiuit Abbatem de quadam terra, cum quadam virgula disciplinali, quam ob confirmationem super maius altare portauit &c.*

Sulpitium Roberti de Rupibus (Corbonis videlicet) filium in extremis agentem, poscente patre, in Monachum suscepit Odo Abba: quamobrem dedit Robertus decimã piscium fluuii Sextiæ seu Sithiæ; huic donationi assensum præbuêre filii Theobaldus ac Robertus &c. *Odo Abbas quiescit in dextro porticu Ecclesiæ, à parte superiori videlicet iuxta Abbatem Bernardum.* Anonymus.

XVI. GARNERIVS 1137. *Omnium Ecclesiæ huius piissimus fuit*, testatur Anonymus. Inter antiqua Prioratus Dalmeriaci monimenta, isthæc ex carta donationis Forestarii cuiusdam, nomine Balbini, leguntur: *Data an. Incarnat. 1148. qui erat duodecimus ordinationis piissimi Patris Garnerij Abbatis.* In chartophylacio Maiorismo. extant literæ Eugenii PP. 3. Remis existentis, quibus Garnerio Abbati respondens, Episcopos Galliarum submonet, *Quòd in generalibus Conciliis*, inquit, *statutum esse cognoscitur, vt Sacerdotes, qui in Ecclesiis ad Monasteria pertinentibus, de animarum quidem cura diocesano Episcopo respondeant; Abbati verò & fratribus suis pro rebus temporalibus subiectionem exhibeant: quo contra dilecti filij nostri Garnerij Abbatis Maiorismonast. & fratrum suorum querelam accepimus &c.*

Beatæ Mariæ *Boni nuncij* Aurelian. Ecclesia Canonicorum Maiorimonasterio tradita est à Simone de Balgenciaco, vt in meliorem statum restitueretur.

Abbatis Garnerii ac Monachorum eius iterum in Angliam peruulgata est arcta vita; idcircò 1139. prima Cœnobii SS. Trinitatis in Eboracensi ciuitate à Radulfo de Paganello (Paisnel) & vxore ipsius Mathilde, consentientibus filiis Guillelmo & Iordano, iacta sunt fundamenta, ac multæ possessiones attributæ. De Garnerio Monachus Anonymus: *Domum hanc omninò reparauit, Cellarium, coquinam, dormitorium, mediam quoque partem claustri infirmorum fecit &c. cùm verò domum infirmorum renouare decreuisset, partemque consummasset, Christo eum vocante ad cœlestia regna migrauit X. Kalend. Iunij, cum eo perenniter regnaturus. Quiescit iuxta Dom-*

num Gillebertum Abbatem in Capitulo. A

XVII. *Abbas* ROBERTVS *Brito de Magueri, fuit vitæ laudabilis, Deo & hominibus amabilis &c.* Anonymus. Præfuit ann. 1155. ad an. 1166. Conſtat ex literis bullatis Alexandri PP. 3. ad eundem datis an. 1164. Bleſenſem Comitem negotii multum Abbati & Monachis Maiorîſmonaſterij faceſſiſſe in litteris eiuſdem Alexandri ann. 1164. ſcriptis reperio.

Huius Abbatis tempore (refert Anonymus) *Alexander PP. Turonos deueniens in præſenti* B *domo perendinauit. Vixit autem poſtquam electus eſt in Abbatem decem annis; in vndecimo vero appoſitus eſt ad patres; & iacet in dextra parte Capituli iuxta Abbatem Garnerium.*

XVIII. ROBERTVS 2. *Bleſenſis dictus, vir valde venerabilis & gratioſus &c. Vixit autem poſtquam electus in Abbatem decem annis, & in vndecimo deceſſit à rebus humanis. Hic requieſcit in ſiniſtra parte Capituli inter columnam & ſedile Abbatis.* Anonymus. Vſum mytræ Roberto conceſſit ſummus Pontifex. Et C Abbas ipſe maxima animi ſubmiſſione, Humilis Maiorîſmonaſt. *Diſpenſator* voluit nuncupari. Sedit an. 1166. ad an. 1176.

XIX. PETRVS *de Gaſconia* 1177. *Fuit valde ſimplex & religioſus: ſecularis verſutiæ ac nequitiæ ignarus &c.* Inquit Anonymus.

XX. HERVEVS *de villa Petroſa* ab anno C. 1178. ad 1186. paſtorale munus protraxit. Eum laudibus proſequitur multis Anonymus: notat autem inter alia tùm ſtrictam S. Regulæ obſeruantiam, cui minimè repugnat Bulla Clementis Papæ 3. qui ſtatutum D ab Herueo Abbate latum, atque à Monachis receptum, laudat: nempè hoſpitibus intra Monaſterij ſepta carnes apponere inhibetur. Comprobat etiam Alexander 3. omnes immunitates à ſuis prædeceſſoribus *Vrbano, Paſchali, Calixto, Innocentio 2. & Eugenio 3.* Maiorimonaſterio indultas: Pontificatus ſui an. XIX. Indict. XI.

Herueo ſubiectum fuit Cœnobium Sancti Maglorij de Lehonio; atque omni iure, quo potiebatur olim Albertus Sancti Maclouij Epiſcopus ſuis literis in præſentia Henrici E Regis Anglorum liberè vti conceſſit an. 1181. Lucius PP. 3. ſub excommunicationis pœna præcipit Herueo, ne Secularibus quouis colore vllum è Prioratibus conferat, aut eos poſſidere patiatur.

Niuello de Cheriſy Sueſſionenſis Epiſcopus, ex familia dominorum Petræfontis, in carta conuentionis Rectorem inter & Monachos Sancti Sulpitij Petræfontis, hæc de Herueo inſeruit: *Herueus tunc temporis Venerabilis Abbas Maiorîſmonaſt. amicus noſter, familiaris, & conſanguinitatis linea nobis propinquus, hanc compoſitionem approbauit &c.*

XXI. GAVFRIDVS 1187. In charta Prioratus de Fractavalle (*de Freteual*) datâ ann. 1190. Robertus S. Valeriani frater Gaufridi Abbatis recenſetur. Et cartæ de Combornio (*de Combour*) Gaufridum de Curſol ſiue de Curſon cognominant. Matthæus Paris ad ann. 1196. eum pro Rege Francorum Philippo, & Abbates Cluniacenſ. & Sancti Dionyſij, ac Priorem de Charitate, obſides Richardo Anglorum Regi datos affirmat. Anonymus tandem: *Gaufridus natione Britannica, nobili proſapia ortus, clericali ſcientia eruditus, ſtatura, vultuque decorus. Ipſe ſe dimiſit, & poſtea, ſicut Domino placuit, in pace quieuit.*

XXII. HVGO *1210. Natione Carnotenſis, à pueritia in Monachum ſuſceptus eſt. Ipſe erat paruus in corpore & ſufficienter literatus.* Anonymus. Frater fuit Guillelmi de Rupibus Corbonis. Non Abbatis nomen ſed Miniſtri ſibi adſcribit hoc modo: *Omnibus præſentes literas inſpecturis, Fratres Capituli Maiorîſmonaſterij, & Hugo humilis eorum Miniſter &c.* Quod moris ab Hilgoto Abbate 43. ad Abbates Commendatarios continuò deductum eſt. Quamquam is ipſe Hugo, vbi neceſſitas exigebat, publicis verbi gratia in inſtrumentis, Abbatis titulum vſurpabat.

Luctuoſæ eadẽ tempeſtate diſcordiæ, quin potius nefandæ Comitum Bleſenſium, qui Patronos ſeſe vel Aduocatos Maiorîſmonaſt. iactitabant, graſſationes exortæ, vnde Monaſterij eiuſdem, ac Prioratuum in Comitatu Bleſenſi exiſtentium, vniuerſæ propemodum res diſtractæ, & perinde atque à perduellibus direptæ ſunt ab eiſdem.

Sedem Hugoni tribuit Robertus in Gallia Chriſtiana inter Epiſcopos Lingonenſes; quod nilominus ſilent & antiqua monumenta, & Chronologus Anonymus; è cuius narratione iſta de Hugone deſumo: *Contra Archiepiſcopum Turonenſem placitabat; nam Archiepiſcopus aiebat Abbatem noſtrum baculo paſtorali aut mitra vti non debere: quapropter ipſe Hugo prudens & humilis, proſpiciens mitram plus afferre oneris, quàm commodi, noluit inaniter litigare, & ſic potentiam ſine mitra, ſicut antiqui prædeceſſores ſui, de cætero portauit &c.*

XXIII. GAVFRIDVS 2. 1227. Iſte vnà cum ſequente, Anonymo incognitus. Hoc eodem anno Epiſcopus Maclouienſis Goffridus, ab inuaſione poſſeſſionum Maiorîſmonaſt. quæ in ſua diœceſi erant, viros nobiles coërcere nititur; ſed oleum ludit & operam, quippè tàm nequiter & præfractè iiſdem retinendis addici ſolent illi, vt vix ac ne vix quidem ab his diuelli poſſint.

XXIV. GVARINVS 1229. Mandat Gregorius PP. 9. Abbati de Gaſtineta Ord. S. Auguſtini, diœceſis Turon. vti tenuiores è Maiorimonaſterio pendentes Prioratus, vbi

nempe duo Monachi commodè regulariter viuere nequirent, plures reduceret in vnum. præceptum enim antea fuerat ab Alexandro PP. 3. Concil. Lateran. 3. cap. 10. *Monachi non singuli per villas & oppida, seu ad quascumque parochiales ponantur Ecclesias; sed in maiori Conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneãt: nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictionem expectent &c.*

XXV. GAVFRIDVS *3. de Conam. 1235.* A Ioanne Blesensi Comite aduocatiæ causa grauissimas passus est calamitates, quinetiam carceri septennio mancipatus in castro Guisiacensi, & binos Comes ille à suis satellitibus è monte Monachos præcipites dari iussit: de his plura Anonym. Tandem vt tantis sceleribus occurreret Innocentius PP. 4. anno 1254. Nicolaum misit in Galliam, qui iudicio siue sententiâ in eum velut contumacem prolatâ, iure aduocatiæ, & cunctis quæ in res Monasterij sibi vindicârat, spoliauit; nihilosecius Comes sententiam detrectauit, spreuit, & continuatâ in eosdem ascetas rabie debacchatus est.

Ludouicus IX. Rex an. 1255. literas aui sui Philippi Augusti, queis in Normanniæ Scacharium (quòd multas in eodem Ducatu possessiones haberent) velut inquilinos Maiorismo. Monachos ad iura prosequenda, admittendos imperatur, approbat.

Labefactatam, ex præfata sine dubio calamitate, fuisse regularem disciplinam docent acta Legatorum Apostolicorum, Philippi Bituricensis, & Clementis Dolensis Episcoporum, nec-non Abbatis Burgidolensis Bituric. diœcesis. Verùm pauco pòst tempore Cœnobitas ad meliorem redactos frugem, haud obscurè notant literæ Ioannis Episcopi Redonensis: vbi de Prioratu de Sallo Gallo (*Solial*) Maiorismonast. vnito agitur. Ita se habent.

Nos Ioannes Episcopus Redonensis, attendentes feruorem charitatis Monachorum Maiorismonast. & necessitatibus pio attendentes affectu, domum suam de Solial nostræ diœcesis, in qua ab antiquo solus Monachus solebat habitare; & quòd in Lateranensi Concilio fuerit statutum, vt Monachi solitarij debeant amoueri, concessimus ipsorum in proprios vsus conuertendam &c.

Anno 1254. Romam ad limina Apostolorum petiisse Gaufridum Abbatem planum faciunt literæ Nannetelini Agaunensis Abbatis.

XXVI. STEPHANVS ab an. 1263. ad ann. 1284. Vincentius Archiep. Turonens. an. C. 1264. sententiam fert in Comitem Blesensem, qui maiorum suorum prauo exemplo exstimulatus, Monachos Maiorismo. exagitare non desistebat.

Quòd nil propè eorum quæ possidebat in

A Anglia Maiusmonasterium, percipere posset, dat licentiam Gregorius P. M. anno 1274. Stephano Abbati ea omnia venundandi, siue, vt aiunt, abalienandi; quorum tamen pecunias in aliis vtilioribus collocare præcipit.

Stephani temporibus institutum, opinor, ac decretum, quatenus ad Maiusmonast. prioratuum, Ecclesiarum, ac locorum eidem Cœnobio subditorum cartæ, priuilegia, immunitates, atque diplomata defferrentur velut in arce conseruanda: vnde hactenus, rabies Caluinistarum licet omnia susque deque vastauerit, illæsa permansêre.

B XXVII. ROBERTVS *de Flandria natus* (refert Anonymus) *eratque pulcher, & sufficienter literatus; erat etiam Prior de Cella in Bria &c.*

Priuilegium tribuit Roberto Martinus PP. IV. sui pontificat. anno 4. vbique locorum (Ciuitate Turonensi excepta) mitram, annulum & cætera pontificalia indumenta deferendi: nec-non & benedictionem populo solemniter impertiendi, ac benedicendi pallas altaris.

C Cùm Blesensis Comes; patrum vestigiis insistens, Maiorismo. res continuò infestaret, tantis molestiis vt finem imponeret, Matthæus Abbas Sancti Dionysij, tùm Regis vices agens in Francia, Roberto Abbati eiúsque Monachis literas impertitur; Ordinans siquid imposterum inter eosdem & Ioannam Alençonij Comitissam, Blesensis Comitis filiam, dissidij emergeret, Regio in palatio fore discutiendum.

D Durando Nannetensi Episcopo, qui pecunias titulo visitationis ex Prioratibus sui iuris extorquere conabatur, Abbas Robertus priuilegiis, & Concilio Lugdu. non pridem celebrato, id prohibente cap. 24. fretus, viriliter sese opposuit, cohibuítque.

XXVIII. ODO *de Braccolis* seu Braceolis, nobili genere ortus, ac eruditus, fuit Abbas constitutus an. 1296. Ipse & Monachi à visitationibus Prioratuum, ac procurationibus, Archiepiscopos Burdigal. arcuerunt; quamquam illi, proh nefas! tunc temporis fœdè ab Regulæ obseruantia defecêre; siquidem Prioratuum redditus inter sese dispertierunt, & à communi recessêre vita. Vnde non mirum (quod alibi notauimus) si seculares viri, Deo sic plectente, & Episcopi complures hoc æuo Monachorum opibus inhiarent.

E XXIX. IOANNES *de Montelonis siue Monteleonis, de territorio Pictauensi oriundus, & de nobili genere procreatus, paruæ tamen staturæ, sed pulchra facie decoratus &c.* Anonymus. Multis hac ipsa tempestate à Nobilibus affectum calamitatibus & iniuriis Maiusmonasterium, coniecturam infert Bulla Ioannis

PP. 22. data Auenione 1020. ad Abbates Sancti Germani Pariſienſis, Vindocinenſem, ac Rotomagenſem, quâ Defenſores & Conſeruatores contra eoſdem Nobiles & Epiſcopos, Prioratuum Maioriſmo. poſſeſſiones qua fas qua nefas occupantium, denunciantur. *Iſte Ioannes reſignauit Simoni le Maye Camerario an. 1330. & obijt anno ſequenti, & die craſtino in quo reſignauit.* Anonymus.

XXX. SIMON *le Maye 1331. Fuit de pago Turonenſi oriundus, & competenter literatus. Et quantum fuerit potens in ſuo regimine, opera teſtimonium perhibent veritati.* Proſequitur Anonymus. Eduardus Anglorum Rex 1333. Simoni ſcribit ſe omnes Maioriſmo. poſſeſſiones in ſuo Regno exiſtentes confirmare, inſtituiſſéque ad illas tuendas procuratores.

In Archiepiſcopum Burdigal. Petrum, quòd pecunias inſolitè è Maiorimonaſt. exigeret, ſententiam tulit Aymericus Abbas Sancti Auguſtini Lemouic. à ſedę Apoſtolica Iudex delegatus. Qua de re etiam Epiſcopus Trecenſis à Benedicto PP. 12. accerſitus, grauiſſimè reprehenditur. Quemdam Clericum participem piorum operum quæ à Monachis fiebant admittit Simon: patet ex formula, vbi iſthæc præſertim verba exprimuntur. *Miſſæ, Eleemoſynæ, & diſciplinæ.*

Tandem Simon ipſe in Epiſcopum Carnotenſem eſt aſſumptus, teſte Anonymo.

XXXI. PETRVS *de Podio* (*Dupuy*) Lemouicus *1357.* ex Abbate S. Florentij Salmurienſis, quemadmodum indigitat ipſemet in tabula anno 1357. exaratâ. Obiit ann. 1364. die ſancti Sixti Papæ ſepultus in ſacello S. Florentij quod condiderat.

XXXII. GERARDVS *de Podio*, Petri germanus 1334. Cùm duos Anonymus eiuſdem nominis Abbates proximè ſubſequentes, atque in cartis fermè ſemper cognomen ſubticeatur, non facili negotio anni regiminis, ab Gerardi ſubſequentis poſſunt diſcerni; ac proinde ſæpe fato Anonymo fides eſt adhibenda.

Quòd propenſam erga Maiuſmonaſterium Rex Carolus V. habuerit voluntatem, Anno Domini 1370. patefecit: nam ipſe licet Ducatu Turonenſi fratrem Ludouicum, Ducem Andegauorum auxiſſet, ſummum nihilominus in Maioriſmonaſt. res, ius ac dominium voluit ſibi reſeruatum.

Ad Gerardum de Podio, & Ioannem Sancti Albini Andegauenſis Antiſtitem Vrbanus V. ſui pontificatus 7. deinde Gregorius XI. primo, Reſcriptâ miſêre, quibus inquirendorum miraculorum Caroli Britanniæ Ducis, prouincia demandatur. Lege Andreæ Ducheſne Hiſtor. Caſtillion. lib. 5. cap. 1. pag. 228. & in Probat. pag. 127. Gerardum autem purpureo galero donatum aſſerunt Anonymus, & Ciaconius in vitis Pontificum, ſepultúmque Auenione.

XXXIII GERARDVS 2. *Pante* vel *Pauté*, anteà Floriacenſis Sancti Benedicti Abbas, natione Lemouicus. *Sepultus eſt in choro Eccleſiæ.* Anonymus.

XXXIV. HELIAS in Petragorenſi territorio humili loco natus: primùm SS. Sergij & Bacchi Andegauenſis, deinde permutatione facta, Maioriſmonaſt. Abbas an. 1389. Res Monaſterij non modo dilapidauit, ſed monaſticam quoque diſciplinam peſſum ire conſenſit. Nonnulli hoc tempore è Monachis Maioriſmonaſterii Lauream Baccalaureatus in Decretis obtinuêre, publicè Petro Abbate S. Eligij Nouiomenſis docente, ann. 1394. Helias onus in Guidonem de Luro Abbatem Sancti Sergij depoſuit, & abdicatâ omni prælaturâ, atque omnibus renuntians fleuit quæ geſſerat mala. Obiit 3. Kal. Octobris 1418.

XXXV. GVIDO *de Luro* Lemouicus, ex Abbate Sancti Sergij Andegauenſis 1413. Literis non mediocriter eruditus. Damna tum rei domeſticæ, tum etiam regularis obſeruantiæ à deceſſore illata, maximâ parte reſarciuit. Addictus præſertim eleemoſynis pauperibus erogandis fuit, ac Monaſterij iurium, immunitatúmque propugnator: Denique in pace quieuit; cuius corpus delatum ac ſepultum in choro Maioriſmo. ſub tumba cuprea Geraldi Paultæ Abbatis 33. patrui ſui. Ita noſter Anonymus, qui Maioriſmonaſt. Abbatum ſeriem vlteriùs minimè perduxit.

XXXVI. PETRVS Marques ab an. 1429. ad 1453. Priuilegium ſingulare Maiorimonaſt. non tam indulſit, Nicolaus PP. V. quàm approbauit. Quod huic Abbatum Elencho inſerere profuturum ſubindè, iudicaui.

NICOLAVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, ad decorem ſacræ Religionis, ac vt illius felices vbique dilatentur fœcundiùs propagines, nec-non honoris flores, & honeſtatis fructus in ea, in ſalute plurimorum, in vbertate concreſcant, Apoſtolicæ meditationis vehementiùs diffundimus cogitatus, ſpecialibus ea proſequentes amminiculis, per quæ perſonæ Religioſæ ſingularum turbationum ceſſantibus diſpendiis, in pacis & tranquillitatis dulcedine, ſub Apoſtolicæ libertatis præſidiis, in ſanctæ contemplationis ſuauitate quietiùs, & commodiùs exoluere valeant altiſſimo ſua vota.

Hinc eſt quod nos chariſſimi in Chriſto filij noſtri CAROLI Francorum Regis Illuſtris, ac dilectorum filiorum Abbatis & Conuentus Monaſterij Maioriſmonaſterij propè Turonem, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, Ordinis Sancti Benedicti,

ac Priorum Prioratuum dicto Monasterio subiectorum, in hac parte supplicationibus inclinati potiori pro cautela Monasterium prædictum, ac illi subiecta, & in futurum subiicienda vbicumque consistentia, Prioratus, Hospitalia, Membra, & loca quæcumque; nec-non Monasterij Prioratuum, Membrorum, Hospitalium, & locorum prædictorum Abbates, Priores & Suppriores, eorúmque Monachos, & personas familiares, domesticos, continuos commensales, ac personas in ipsis residentes, præsentes & futuros, cum omnibus ipsorum mobilibus & immobilibus bonis, rebus, iuribus, & pertinentiis etiam præsentibus & futuris, ab omni iurisdictione, dominio, subiectione, auctoritate, potestate, superioritate, visitatione, correctione, cohercitione, & compulsione Archiepiscoporum Turonensium, eorúmque Vicariorum, & Officialium, ac quorumlibet aliorum Ordinariorum, & Prælatorum, ac personarum Ecclesiasticarum; nec-non à solutione quorumcumque, collectarum, pedagiorum, caritatiuorum subsidiorum, impositionum, & onerum, ac cuiuscumque alterius generis exactionum, de Apostolicæ potestatis plenitudine, & ex certa scientia, prorsus eximimus, & totaliter liberamus, ac in ius & proprietatē Beati Petri sedis Apostolicæ, & sub eorum speciali, ac immediata protectione suscipimus, atque nostra decernentes Monasterium, Prioratus, Hospitalia, Membra, Loca, Abbates, Priores, Monachos, familiares personas, bona & res prædicta, solū & immediatè dictæ sedi in omnibus subjacere; ita quòd Archiepiscopi, Vicarij, Officiales, Ordinarij, & Prælati prædicti, vel quivis alii in ea, vtpote prorsus exempta, generaliter, & specialiter, aut communiter, vel diuisim non possint quauis auctoritate excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti aut alias sententias Ecclesiasticas, censuras, & pœnas quomodolibet promulgare, seu aliàs etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat; Potestatem, Iurisdictionem, Superioritatem, Auctoritatem, Visitationem, Correctionem, Cohercitionem, Compulsionem, vel Dominium aliquod exercere. Quódque etiam Abbates, Priores, & Conuentus prædicti, ratione bonorum Monasterii, Prioratuum, Hospitalium, membrorum, ac locorum prædictorum, procurationem aliquam, vel etiam conuentionem, aut charitatiuum subsidium, gabellas, pedagia, telonea, & alias exactiones, quibusuis Regibus, seu aliis personis Ecclesiasticis, vel secularibus dare, soluere, minimè teneantur; nec ad id compelli possint, vel super hoc, aut aliàs à quoquam quomodolibet conueniri, vel per literas sedis prædictæ, aut Legatorum, vel Delegatorum, seu Nunciorum ipsius, aut Diocesanorum locorum, vel quorumcumque aliorum, etiam siue eiusdem sedis literis contineatur expressè, quæ ad quæuis exempta vel non exempta, Prioratus, seu loca se extendant, ex aliqua eius cuiuscumque tenoris existat indulgentia, non obsistat; nisi forsan dictæ literæ Apostolicæ de Ordine & Monasterio præfatis ac præsentibus, de verbo ad verbum, nec-non Monachis & degentibus in Monasterio, Prioratibus, Hospitalibus, membris & locis prædictis plenam & expressam, ac etiam notanter, & specialiter fecerint mentionem.

Et insuper volumus & eisdem Abbati, & Conuentui, & Prioribus dicta Apostolica auctoritate concedimus, quæ de præsentibus & in eis contentis, alicui ex Archiepiscopis, ac aliis locorum Ordinariis prædictis, in eorum vita nisi semel tantùm, si super hoc per eos requisiti fuerint fidem facere nequaquā teneantur, nec ad id inuiti valeant quomodolibet coarctari felicis recordationis Innocentii IV. prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis constitutionibus, nec-non legibus imperialibus, ac statutis, & consuetudinibus, nec-non illis per quæ præmissa possent quomodolibet infringi, vel impediri, & aliis in contrarium editis nonobstantibus quibuscumque. Nos enim quascumque excommunicationum, suspensionū, & interdicti, aliásque Ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas: nec-non quoscumque processus, etiā quascumque sententias, & pœnas in se continentes, quas, & quos contra Abbatem, Conuentum, Priores, Monachos, Residentes personas, Monasterium, Prioratus, Hospitalia, membra, & loca prædicta, contra tenorem & formam præsentium, ac exemptionis huiusmodi promulgari, & haberi; nec-non totum id, & quicquid in contrarium à quoquam, quauis auctoritate; scienter vel ignoranter fieri, vel attentari contigerit, nulla, cassa, irrita, infecta, & inania, ac nullius etiam decernimus existere roboris vel momenti.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, susceptionis, decreti, voluntatis, concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationē omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Potentianam anno Incarnationis Dominicę millesimo quadringētesimo quadragesimo octauo, tertio decimo kalend. Decembris, pontificatus nostri anno secundo.

XXXVII. Gvido Vigerij (*Vigier*) 1453. Hiſce temporibus expoſtulârat Pontifex Maximus Pius 2. (quippe expeditionem parabat in Turcas) ab Eccleſiaſticis viris decimam; quam perſoluere multi detrectauêre. Quapropter Andegauenſis prouinciæ Clerici, quòd in ea plures exiſterent Maiorif-monaſt. Prioratus, Guidonem Abbatem ſubmonuerunt, quatenus cum illis iniret ſocietatem; at ipſe nefas ſummo Paſtori iuſſis non aſſurgere putauit.

A. C. 1458. Abbatiam in nepotis Guidonis Vigerii gratiam abdicauit: ille viciſſim Prioratus quoſdam refudit auunculo. Hac de re Bulla Pij PP. 2. eodem anno conſcripta; in qua Pontifex Guidonem nobili genere procreatum, atque in Maiorimo. monaſticen profeſſum, nec-non à ſe creatum Bibliensſem Epiſcopum notat: ego verò vtrumque & auunculum & nepotem nundinatores beneficiorum, priorem maximè animaduerto.

XXXVIII. Gvido *Vigerij* nepos ann. 1458. ad an. 1499. Fidelitatis Sacramentum Ludouico XI. Regi 1493. tunc Ambaſiæ, ac poſtmodum Carolo VIII. ibidem exiſtenti, facit: ſicut inſtrumenta teſtantur.

XXXIX. Lvdovicvs *Pot* 1499. Abbas ſimul Sancti Launomari Bleſenſis. Prioratum ſeptem dormientium, qui intra Monaſterij muros continetur, contulit. In literis Epiſcopum Tornacenſem atque Lectorenſem ſe inſignit. De Ludouico Pot ac de eius familia Andræas Ducheſne in Hiſtoria Montmorenc. lib. 5. cap. 1. pag. 355. & in Probationibus pag. 260. Vitâ fungitur an. 1504.

XL. Franciscvs *Sfortia* 1504. ex nobili genere Sfortianorum oriundus, in Maiorimonaſterio leges monaſticas iurauit, ac iubente Rege Franciſco I. adhuc iuuenis eſt à Monachis in Abbatem electus. Sed contra Ecclaſiaſtica præcepta venationi operam cùm daret, in foueam, quam equo concitato tranſilire cupiebat, prolabitur, qui pondere equi oppreſſus, grauitérque ſauciatus rediit, ac poſtremò è vita deceſſit an. 1511.

XLI. Matthævs Galterus (*Gaultier*) 1511. Maiorifmonaſterij Cœnobita, & Doctor Theologus ſocietatis domûs Sorbonicæ. Impensè in B. Annam, Dei Genitricis Matrem, erat affectus; quare ab Abbate S. Florentij Salmur. portionem capitis illius (quod aſſeruari ferunt in Prioratu de Gaya diœceſis Trecenſis, ab hoc ipſo Cœnobio pendente) obtinuit. In litteris 1550. de Prioratu 7. Dormientium Matthæus Abbas Epiſcopus Nigropontis denotatur. Permutauit Abbatiam cum Philippo Hurault, pro Burgulienſi in territorio Andegauenſi. Matthæi nepos, Maiorifmonaſt. Preſbyter Aſceta, ac Doctor Theologus, Adrianus Galterus nomine, Auctor Operis, cui titulus, *Æquilibrium virtutum B. Petri Apoſtoli, & Sancti Martini.*

XLII. Philippvs *Hurault* 1536. Non diu pedum geſſit ipſe, qui poſtremus eſt Abbatum, ſiue Patrum Monachorum, vitam religioſam profeſſus. Præſidebat 1538. Capitulo generali in Maiorimo. die 17. menſis Aprilis celebrato. Obiit an. 1539. Sepultus iacet Pariſiis in Eccleſia Albimantellorum: cuius inſcriptio ſepulchralis in marmore nigro hæc eſt:

Philippe Hurault Abbé de Marmonſtier, Bourgueil, & de ſainct Nicolas d'Angers, qui deceda le XII. Nouembre M. D. XXXIX. eſt icy deſſous enterré.

ABBATES COMMENDATARII.

XLIII. Ioannes Cardinalis à Lotharingia, primus Abbas Commendatarius, qui peſſumdedit omnes propemodum Maiorifmo. poſſeſſiones & facultates. Prioratus per fas & nefas ſæcularibus conferebat, excidebat ſyluas, & quicquid in æs conuerti poterat, conflabat ex eo nummos; aliáque patrauit, quæ ſunt æterno ſilentio obliteranda. Mortem oppetiſſe ferunt anno 1555. atque ſepultum apud Sanctum Germanum in Laya.

XLIV. Carolvs Cardinal. *à Lotharingia* tit. S. Apollinaris, nepos Ioannis, 1555. vel vt aliis placet 1550. In Comitiis generalibus Statuta pro Scholaſticis collegij Maiorifmonaſt. Pariſienſis an. 1552. condi iuſſit.

XLV. Ioannes *de la Rochefoucault*: Abbas item Cormeriaci, ac Villelupenſis; Muſicorum pariter Aulæ regiæ Præfectus. Iuramentum fidelitatis Carolo Nono Franc. Regi præſtat 1566. à quo & tutelaris præſidij diploma ann. 1568. impetrauit. Ioannes Abbas probatæ vitæ fuit. Solebat in Maiorimo. non Monachus cum Monachis religioſè verſari. Multa contulit beneficia; totis enim viribus & animo incumbebat, vt Maiorimo. illata à fratre, peſſimo hæretico, damna reſarciret. Qui, nempe ad pietatem ac miſecordiam admodum propenſus, ſacras veſtes Eccleſiæ & codices diuino cultui aptos contulit abundè. Quidquid Religioſis die noctúque Deo famulantibus erat neceſſarium paternè prouidebat, ſuppeditabátque.

Egenorum præthereà, & morbis aliíſque miſeriis afflictatorum, non tantùm inopiam effuſis eleemoſynis, ac beneficentiis ſubleuabat, ſed & recreabat ipſe ſuâ præſentiâ. Tandem piis id genus exercitiis dans operam, apud Verteuil in Engoliſmenſi pago,

efflauit animam an. 1583. Atque vtinam posteri Abbates Commendatarij eius assequerentur semitas, vestigiis inhærerent!

XLVI. Anno 1583. IACOBVS *d'Apurilli, vir infimæ conditionis, filius lictoris Aurelianensis, dono Francisci Valesij Aurelianensis Ducis &c. Verùm Duce Francisco è viuis sublato, Iacobus suo destitutus præsidio, nec eam dignitatem sustinere valens, Abbatiam Cardinali Francisco de Ioyeuse resignauit &c.* Hæc Doctor Theologus Iacobus d'Huysseau Maioris monast. Cœnobita coæuus.

XLVII. FRANCISCVS *de Ioyeuse* Cardinalis 1584.

XLVIII. CAROLVS *à Borbonio* obiit 1610.

XLIX. SEBASTIANVS *Galigaï* Archiepisc. Turonensis 1610.

L. ALEXANDER Eques Vindocinensis 1617.

LI. PETRVS Cardinalis *de Berule*.

LII. IOANNES ARMANDVS Cardinalis *de Richelieu*; cuius auspiciis instaurata est Regulæ Benedictinæ perfecta disciplina per Patres Congregationis Sancti Mauri. Obiit 1642. 4. Decemb.

LIII. AMADORVS IOANNES *Bap. de Vignerot*.

Pagina 464. colom. 2 lin. 52.

(*Simon enim quidam.*) Comes Crespeïensis. Huius vitam ab auctore Synchrono exaratam, hactenus in Monasterio Vrsicampi prope Nouiodunum, Congregationis Cistertiens. Ordinis Sancti Benedicti latentem euulgamus: locum obtinet in Additamentis Operibus Guiberti nostri. Insuper ex Chronico Besuensi MS. pericopen, vt puta lectu non indignam, & ab scriptore vitæ B. Simonis partim haud scriptis consignata complectentem excerpere visum est. Igitur in Stephano Abbate Besuensi. *In diebus illis vocauit sponsus ad se sponsam suam Christus, videlicet Ecclesiam, venire à cubilibus leonum, & montibus leopardorum, per montem myrrhæ, & colles libani. Principes enim qui priùs fuerant similes leonibus proptèr crudelitatem, & terrorem, & leopardis propter diuersarum iniquitatum varietatem; hysopina, humili scilicet confessione mundati, per myrrham mortificationum candore sunt super niuem dealbati.*

Horum autem extitit caput & dux quidam Comes Francorum nobilissimus, Simon nomine, Rodulphi Comitis, sup. filius. *Hic diuinâ respectus misericordiâ, mundum fugientem fugit, & Christum vocantem se secutus est. Expetiit autem Cœnobium Sancti Eugendi Iurensis, ibi Christo se sacrificaturus. Præmiserat ante se duos illustrissimos viros, Domnum Rodulphum, & Domnum Franconem; secum verò duxit Domnum Robertum, Domnum Arnulphum, & Domnum Varnerium. Hi omnes & secundum genus sæculi clarissimi, & secundum Deum nobilissimi, posteà se holocaustum Deo obtulerunt.*

Erat adhuc Domnus Stephanus, de quo nobis sermo, tenellus, militaribus tantùm armis decoratus. Sed saniori vsus consilio, vnà, Deo inspirante, Patres istos secutus, seculari balteo abrenuntians, Christique iugum suscipiens, in præfato Cœnobio Monachilem vitam arripuit, ibique sub Domno Hunaudo Abbate per decem annos se in Dei seruitio mactauit. Deinde Cluniacum expetiit &c.

Albericus Cisterciens. Monachus in Chronico nondum edito summatim gesta refert B. Simonis, videlicet annis 1074. 1076. & 1081. sed quia nihil singulare, præter ea quæ in vita recenset, regerenda non putaui.

Porro autem præclara atque religiosa ab Simone, dum adhuc secularibus implicaretur, acta commemorant Chartularia Crepeïense & Cluniacense.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis &c.

Omnis qui semetipsum intelligit hominem duabus naturis, anima videlicet rationali, & corpore constare cognoscit &c. Quapropter ego Simon Comes Crespeïensis &c. Salutem animæ meæ, imò & patris mei Venerabilis Comitis Radulphi præcauens in futurum, præsentis vitæ dies nihil esse conspiciens, atque mentem pro posse in consideratione æternitatis figens, supradictum Radulphum patrem meum de Montedesiderio, iam per tres annos post sui corporis dissolutionem ibi iacentem, asportare feci, & Ecclesiæ Sancti Arnulphi, quæ ab eodem, & ab antecessoribus in castello Crispiacensi honorifico schemate fundata; in qua etiam ex aqua & Spiritu sancto renatus fuerat, reddidi, ibique more antiquorum iuxta sepulchrum matris meæ, vxoris suæ; nec-non & prædecessorum nostrorum, cum psalmis & orationibus in spelunca duplici collocare feci, vt melius apud Deum, eundem Archiepiscopum & Martyrem, videlicet Beatum Arnulfum, habeamus pro animabus nostris intercessorem; eidem Ecclesiæ per annulum aureum totam terram de Bonoculo, quam hactenus in dominio habebam, cum seruis & omnibus appendiciis suis concedo &c. Actum Crispiacensi castello XI. Kal. April. An. Incarnat. 1077. Indict. XV. Epact. 23. concurr. VI. regnante Philippo Rege Francorum.

Signum Philippi Regis &c. Ita Chartularius Crespeïensis. Quæ verò sequitur Simonis Comitis Epistola ad Beatum Hugonem palàm facit eandem Sancti Arnulfi Abbatiam Cluniacensibus fuisse traditam.

VENERANDO *Abbati* HVGONI *& omni Congregationi Cluniacensis Cænobij*, SIMON *Comes vestræ Sanctitatis seruulus salutem.*

Notum

Notum sit vestræ Celsitudini, Beatissime Pater, me plusquam omnes homines in carne viuentes in Deum diligere, atque proficuum & honorem vestrum in quantum valeo quærere. Concedo itaque vobis & omnibus successoribus vestris Abbatiam Sancti Arnulphi, quæ constructa est in castello, qui vocatur Crispi; vt omninò subiecta sit vobis; & ibi Abbatem de vestris Monachis eligatis, qui secundum Deum, & secundum Regulam Beati Benedicti, illud Monasterium regere possit. Volo ergò vt sciatis me fecisse cum consilio, & cum voluntate meorum hominum, scilicet maiorum; nec-non & Regem hanc meo deprecatu firmasse Cartulam; Philippo videlicet astante, & concedente Iuone. Testes Simon Dapifer &c. Factum in domo S. Mariæ Parisiensis, die festiuitatis Omnium Sanctorum.

Signum Philippi Regis. Hæc veteres Membranæ Cluniacenses.

Confirmata quoque est præfatæ Ecclesiæ donatio à Syluanectensi Antistite Hugone: patet ex iisdem membranis.

Ibidem lin. 56. (*Qui quidem Radulphus quàm celebris &c.*) Eius genealogiam describit Iuo Carnotensis Epist. 45. *Perlatum est ad aures nostras, quod Mellentinus Comes ducere velit in vxorem filiam Hugonis Crespeiensis Comitis &c. Horum autem sanguinitas nec ignota est, nec remota, sicut testantur, & probare parati sunt præclari viri de eadem fati prosapia. Dicunt enim quia Gualterius Albus genuit matrem Gualeranni Comitis, qui genuit matrem Roberti Comitis. Item supradictus Gualterus genuit Radulphum patrem alterius Radulphi (* cuius hîc meminit Guibertus) *qui genuit Vermandensem Comitissam &c.* Et hæc hæres B. Simonis fratris sui extitit; cuius filia Adela nomine, Hugoni, filio Henrici Regis Francorum, nupsit primũ, deinde Rainaldo Comiti Claromontensi: vt refert vetus carta Crespeiensis Monast.

Ego Adela Viromanduorum Comitissa, & filij mei Comes Radulphus & Henricus, dedimus S. Arnulfo Martyri, ea quæ Comitissæ Crespeienses in priuato iure suo, in castro meo Crespei, & villis Fenez, &c. ad sustentationem Monachorum Cluniacensium apud Crespeium Deo seruientium. Hoc donum fecimus, vt dominus meus Hugo magnus, qui obiit in via Ierosolymitana cũ filiis & filiabus meis, cum domino meo Comite Clermontensi Rainaldo, participes simus in orationibus omniũ Congregationũ Cœnobij Cluniac. Actum an. 1118. Paschale 2. PP. Rege Franc. Ludouico &c.

Rodulphum autẽ auum Adelæ, de quo nobis est sermo, Crespeiensem, siue Vadensem & Valesiensem, Comitẽ multis auxisse bonis Monasterium S. Arnulphi Cresp. (huius fundator auus Radulphi Galterus Albus agnoscitur) produnt eiusdem loci antiquiora monumenta, sed maximè illud Sacris B. Arnulphi pignoribus decorasse. Veteres chartæ de Rodulpho: quarum summariũ hoc est: *Rodulfus Comes Crespeiacensis plurima quondam in beneficio tenebat altaria ab Episcopo Suessionensi; sed post mortem Adelæ vxoris suæ, ab Heddone Suessionensi Episcopo obtinet, vt altare de Bonol* (Bonoëil) *quod in beneficio tenebat ad personam perpetualiter, & cum integritate teneat Ecclesia S. Arnulphi &c.*

Actum Suessioni ann. Incarnat. 1053. Henrici Regis 19. & primo Heddonis Episcopi.

Hinc nonnullos, qui Rodulphum, filiumq; B. Simonem Viromand. Comites volunt, hallucinari animaduertere est. Lege Claudij Hemerei Augustam Viromand. ad an. 1046. Et Andreã Duchesne hist. Castillion lib. 11. c. 9.

Pag. 465 seu 467. lin. 27. (*Ad S. Eugendum in territorio Iurensi.*) Iura siue Iurassus mons, in quo S. Eugendi, nunc S. Claudij Cœnobium: de quo Menardus Obseruat. Martyrologij Benedictini ad diem 1. Ianuarij. Quo loci Monasteriũ Condatense siue Condatescense à Iurensi haudquaquam distinguendum contendit.

Ibidem lin. 55. (*Qui conuersionis initia ex subiecta nactus occasione &c.*) Audin causam cur Beatissimus ille Carthusiensium protoparens in eremum secesserit, ab auctore coætaneo posteris traditam? eandem propè aperit ille met S. Bruno epistolâ ad Radulphum; vbi potissimùm hoc argumento ipsum sponsionis de vita monastica Deo factæ admonet: *Reminiscitur quippe dilectio tua, quòd cùm ego, & Fulcius Monoculus, quadam die simul fuissemus in hortulo adjacenti domui Adæ, vbi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus, & perituris mundi huius diuitiis, nec-non de perennis gloriæ gaudiis, aliquandiu, vt opinor, tractaremus; vnde diuino feruore feruentes, promisimus ac vouimus Spiritui Sancto, in proximo fugitiua sæculi relinquere, & æterna captare, nec-non monachicum habitum recipere.* Plura hunc in modum edisserit Sanctus Bruno iam Carthusiæ colonus.

Canonicus Anonymus Sancti Martini Turonensis Historiâ ineditâ Bibliothecæ Regiæ. *Anno 1086. incepit Ordo Carthusiæ tali modo: Sanctus Hugo Gratiopolitanus vidit per somnium in solitudine Carthusiæ Dominum* IESVM CHRISTVM *quoddam confirmantem; stellas etiam septem ducatum itineris sibi præstantes. Nec mora ad ipsum Episcopum veniunt septem viri, qui vno desiderio succensi locum eremiticæ vitæ quærebant, nec adhuc repererant: quorum primus fuit Magister Bruno religione & scientia clarus, & alij quatuor literati, & duo laici; quos Sanctus Hugo gratanter suscepit, & voti compotes fecit. Ipso namque consulente, iuuante, & comitante Carthusiæ solitudinem intrauerunt, ædificia construxerunt, & ibi quieti in eremo Domino*

seruierunt. Sic ille, sic & innumeri propemodum Scriptores, quos his annotationibus insuere piget, quandoquidem me ab hoc onere leuet Ioannes de Launoy, vir eruditionis reconditæ, ac disciplinæ Ecclesiasticæ peritissimus, in Dissertatione, *De vera causa secessus S. Brunonis in eremum.* Quem porrò Doctorem habuerit paucis enarrat Chronographus Malleacensis par Beato Brunoni ad an. 996. *Gerbertus docuit Fulbertum Carnotens. Episcopum &c. Hic iterum docuit Berengarium Canonicum Sancti Martini: qui item Brunonem Remensem, & multos alios hæredes reliquit Philosophiæ. Bruno quidem perfectus Philosophus, Monachus effectus & Eremita apud Calabriam multorum Monachorum Pater obijt in Christo.*

At omittendum minimè est, quod obseruaui de Sancto Brunone, quódque fugit, opinor, scriptores; putà Cancellaria dignitate claruisse in Ecclesia Remensi: doceor id ex chartæ subscriptione iussu Manassis Archiepiscopi Remensis scriptæ, quâ Monasterio Sancti Basoli confert Altaria Alteio, & Caprille &c. *Actum anno M. LXXVI. præsentibus Henrico Sancti Remigij, Ioscelino Altiuillaris, Gybuino Mosomi, Raimbaldo S. Theodorici Abbatibus, & Brunone Remensis Ecclesiæ* Cancellario.

Pag. 466. siue 468. lin. 34.

(*Vices autem Abbatis ac Prouisoris Gratianopo. Episcopus, vir plurimùm religiosus exequitur.*) Ne mireris Episcopum Hugonem, nouellæ plantationis Præfectum, quippe qui vitam arctissimam professus, prudenter, sapienterque illam rigare, amputare, suffodere, stercorare nouerat: non secus ac olim sanctissimi Antistites Monachi Athanasius, Basilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Martinus, Augustinus vterque, Doctor & Angliæ Apostolus, Cæsarius Arelat. Bonifacius Mogunt. Leodegarius Augusto. Lanfrancus, Anselmus, & alij, institutionem suscipiebant Monachorum. Etenim quæ longo vsu in Cœnobiis didicerant, peregerantque, aliis apprimè depromebant: & iuxta illud Lucæ 12. de fideli dispensatore Dominicæ familiæ, tritici mensuram dare percallebant in tempore; sciebantque Pastori *Oportere prodesse magis quàm præesse*, vt loquitur Sanctus Benedictus Regulæ cap. 64. Et cap. 2. Abbatem præmonens: *Omnia bona & sancta factis ampliùs, quàm verbis ostendere*: Vt, *Quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda.* Vnde in Statutis iubente Edgaro Rege conditis, decretum inter cætera de Episcopis, qui Monachis præesse debebant: *Qui ordinatus Episcopus in omnibus eundem morem Regulæ cum Monachis suis quem Abbas tenet regularis, diligenti cura sine intermissione custodiat. Nec Episcopatus occasione; Regulæ præcepta tumidus vel obliuiosus temerè intermittat, sed quantum excellat & opere.* Seldenus in Not. ad Eadmeri Hist. pag. 150.

En causam cur identidem præclari tot Præsules Cœnobitarum Rectores extitêre. Ast vbi è seculari vita in solium Episcopale intrusi sunt, quî quod nusquam auditum, lectúmve, nedum in vsu habitum, dictis factísque poterunt edocere? Meritò igitur eos, qui Euangelicæ perfectionis in ordine Monastico instituta amplexati fuerunt, ab illorum iure summi Ecclesiæ Principes exemêre, quin & vltrò Monachorum regimen Antistites ipsi quam multi abdicarunt.

Ibidem lin. 38.

(*Ditißimam tamen Bibliothecam coaggerant.*) Vsurpatum id ex Regula Sancti Benedicti, qui sæpiusculè vt *lectioni vacent*, denique studiis Sanctæ Scripturæ operam exhortatur capite 48. ac præcipit: *Accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem legant &c.* Itaq; primoribus illis Carthusiensibus in more positum fuit bibliothecas instruere, quatenus hac arte solitudinis tædium alleuarêt: hi namque institutorum suorum maximam partê se mutuatos fuisse abs Regula eadem, sed præsertim literis initæ an. 1632. cum Congregatione Sancti Mauri societatis, gloriantur his verbis: *Et quidem iustum nobis hac in re vobiscum, tamquam cum fratribus, aut commilitonibus commune gaudium; qui sub eiusdem Sanctißimi Patris* (Benedicti) *labaro militamus; quique ab illius sapiêti & religioso Magisterio præcipua militiæ nostræ Cartusianæ iura, legésque accepimus &c.*

Cæterùm quæ supersunt in Ordine Benedictino antiquorum monumentorum vestigia, testantur, solemne esse dum viguit regularis obseruantia, instructissimas bibliothecas concinnare, è quibus panem *qui non perit*, quísque *cor hominis confirmat*, perceperunt Ascetæ. Vide Cassiod. institu. diuin. cap. 32. Trithemium Chronic. Hirsaug. ad ann. 838.

Quantæ verò curæ fuerit iisdê Monachis Benedictinis libros aggerare, prædicant Alexandri Papæ (ni fallor) Tertij literæ bullatæ ad Abbatem & Monachos antiquæ Corbeiæ.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filiis, Abbati & Capitulo Corbeiensi, salutem, & Apostolicam benedictionê. Cùm velitis vtilitati vestri Monasterij, sicut conuenit, prouidere, communi dispositione, sicut asseritis, statuistis, vt ad reparationem & emendationem librorum Bibliothecę vestrę, quæ nimis senuerat, ad constitutionem nouorum Librorum à singulis Præpositis maioribus decê, & à minoribus quinq; solidi, Custodi Librorû annis singulis persoluâtur. Tres quoq; modios frumenti, & auenæ mediæ distinctos, ad mensuram Encrensem, quos à

Canonicis de Clarofaïo recipitis annuatim: & redditus terræ de Branlers, quam ex dono Valteri de Malli habere noſcimini, Cuſtodi librorum nihilominus deputatis. Vnde quia conſtitutionem veſtram à nobis rectam haberi, & redditus, quos prædiximus, ad opus librorum petitis confirmari: Nos poſtulationibus veſtris benigniùs annuentes, Conſtitutionem ipſam à vobis, ſicut diximus, rationabiliter factam, ratam habemus, & præſcriptos redditus Cuſtodi librorum veſtrorum; ſicut ei à vobis ſunt circumſpectâ prouidentiâ deputati, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Lateran. XV. Kal. Iul.

Extat id in calce veteris Martyrologij Corbeienſis Monaſterij.

Similiter decreuit Abbas Sancti Benedicti Floriacenſis in Capitulo generali: *Ego Macharius Abbas Monaſterij Sancti Benedicti Floriacenſis, videns Bibliothecæ noſtræ codices, vetuſtate nimia carioſos, ac tinea rodente corruptos, ad eorum refectionem, & nouorum comparationem, ſeu membranarum &c.* Et infra: *Ego igitur, & qui mihi ſuccedet, viginti ſolidos annuatim dabo &c. Prior noſter decem ſolidos. Prior de Regula 10. ſolidos &c.* Hæc conſtitutio inter veteres conſuetudines Bibliothecæ Floriac. pag. 409.

Maiorum quoque exemplo, Patres Congregationis Sancti Mauri ad caput Regulæ 48. in Declarationibus ſtatuêre: *Et ne deſint codices in Bibliothecis dandi fratribus pro eorum captu, erunt ſolliciti Superiores vt libris vtilibus inſtruantur pro facultatibus Monaſterij &c.*

Pagina 166. ſi-ne 468. n. 44.

(*Niuernenſis Comes.*) Guillelmus Tertius, ni fallor, qui aliquandiu cùm adminiſtraſſet Comitatum, neglecto ſplendore natalium, ad tutam monaſticæ vitæ ſtationem è mundiali pelago appulit, in Ordine videlicet Carthuſienſi humilem Conuerſorum (vt vocant) ſeu ſeruientium eſt piè profeſſus: Teſtis Guillelm. Nangis in Hiſt. MS. ad an. 1138. *Florebat etiam Guillelmus Niuernenſis Comes inſignis, cuius deuotio mira enituit, dum de potenti Principe ſæculi, factus eſt in Cartuſia humilis pauper Chriſti.* Guido Coquille Hiſt. Niuernenſ. pag. 145.

Plura id genus exempla memoriæ ingeruntur virorum genere clarorum, qui poſthabitâ ſæculi vanitate in Clauſtra ſe, vitam regularem profeſſuri, hac ipsâ tempeſtate receperunt. Nota nil ad me, ſcilicet ab omnibus legi poſſunt; bina ſolùm hîc apponam, è codice membranaceo Maiorîſmonaſterij anno circiter 1116. exarato, cap. 45.

Illuſtris quidam Carnotenſium Vicecomes Ebrardus nomine audita Domini voce, quâ dicit: Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, &c. *timens ne ſi ab iſta Domini benigniſſima admonitione ſe faceret alienum, alienaretur etiam in futuro à regno Cælorum; excogitare cœpit qualiter ad ipſum Dominum propiùs accederet, ipſiúſque ſeruitio familiariùs manciparet. Et quia ad hoc magnum faciebant impedimentum, & præſens ſæculum, & quæque in eo poſſidere videbatur; nec facilè illi erat adimplere quod volebat, maluit omnia omninò relinquere, quàm pro his in perpetuum infernales cruciatus ſuſtinere. Igitur honorem ſuum & poſſeſſiones fratribus ſuis dereliquit, reliqua autem quæ in auro & argento habere potuit, pauperibus erogauit, quatenus nihil iam ſollicitus de rebus tranſitoriis, ſecuriùs & expeditiùs inhiaret diuinis &c. Anno ab Incarnatione Domini 1073.* Aliquantò poſt ſequitur.

Sed vt ad propoſitum redeamus, domnus Ebrardus nudus & pauper effectus, patria, parentibus ſuis derelictis peregrè profectus eſt. Cùmque de peregrinatione illa, in qua multo tempore demoratus eſt, reuerteretur, ad Maiuſmonaſterium habitum inibi monachicum ſuſcepturus deuenit, vbi cùm quibuſdam vxoris ſuæ impedimentis aliquandiu in laicali habitu moraretur; venit ad eum Hugo frater ipſius, qui ei in honorem Vicecomitatus ſucceſſerat; qui cùm plurima ſalutis ſuæ monita audiſſet &c.

Et cap. 42. vbi ſupra. *Noſſe debetis ſi qui eritis poſteri noſtri, Maioris ſcilicet habitatores Monaſterij ſancti Martini, Militem quemdam nomine Bernardum, cognomine Flagellum, deuenientem ad ſuſcipiendum apud nos monachatum, donaſſe nobis dimidium terræ, vt appellatur, Oſtruluilla, concedentibus dominis quoque de quibus illam tenebat, Hugone videlicet de Putatiolo Vicecomite Carnotenſi, atque Ebrardo de Leuaiſuilla, annuente quoque Stephano auunculo ſuo &c.*

(*Calceorum de Corduba.*) Nil hunc locum Ordericus Vitalis non elucidat, qui eadem fermè tempeſtate componebat, Hiſtoriæ lib. quinto in fine: *Dederunt Simoni quinque ſolidos, & Roberto Sotulares* (calceos) *Corduanos.* Item libro octauo pagina 682. graphicè ſui temporis calceos depingit, & id haud æuo noſtro non competit: *Hic* (Fulco Andegauenſis) *in multis reprehenſibilis, & infamis erat ipſe nimirum, quia pedes habebat deformes, inſtituit fieri longos, & in ſummitate acutiſſimos ſubtolares, ita*

vt operiret pedes &c. Insolitus iste mos in Occiduum orbem processit, leuibúsque & nouitatum amatoribus vehementer placuit: vnde sutores in calceamentis quasi caudas scorpionum, quas vulgò pigacias appellant, faciant: idque genus calceamenti penè cuncti diuites & egeni nimirùm expetunt; nam antea omni tempore rotundi subtolares ad formam pedum agebantur &c. Et Guilielmus Malmesbur. coæuus de gestis Anglorum lib. 4. c. 1. in Guillelmo 2. *Tunc fluxus crinium, tunc luxus vestium, tunc vsus calceorum cum acuminatis aculeis inuentus &c.*

pag. 471 lin. 17. (*His Guido &c. inter quas Sancti Quintini à primo lapide Canonicorum Regularum Ecclesiam fundauerat.*) Vita Sanctæ Romanæ Virginis & Martyris egregium hac de re continet testimonium.

Cùm Comes Flandriensis Balduinus puerum Philippum, Henrici Regis filium, ad regni proueheret solium, ipsum pro eo disponeret regnum; ciuitas Beluacensis suo destituta est Antistite. Annuente igitur supernæ pietatis æquitate, Guido Decanus Custósque Ecclesiæ sancti Quintini Vermandensis, & Archidiaconus Laudunensis, constitutus est à præfato Principe Beluacensium Episcopus, ordinante eum cum cæteris eiusdem prouinciæ Episcopis viro Illustri Geruasio Remensi Metropolitano. Vir quippe nobilis prudenter ascendens altiores gradus Ecclesiæ adeptus est culmen Episcopale. Qui facilè non carere ferens se præsentia Martyris, de cuius vberibus Ecclesiæ suxerat lac doctrinæ spiritualis, in honore & memoria eius ædificauit Ecclesiam haud longè à mœnibus Beluacæ ciuitatis &c. Quæ cùm sit admirabilis specie suæ compositionis, admirabilior haberi potest ipsa facilitate celerrimæ constructionis. Nulla enim tàm breui spatio tantum efficeret opus vis humana, nisi intercedente Martyre virtus auxiliaretur diuina: duobus quippe annis incœpit & perfecit eam in decore suo idem Venerandus Guido Episcopus dealbatam vndique, & depictis insignitam laquearibus &c. Qui inspiratione diuina: sapienti vsus consilio, cum grandi honore, comitantibus turbis psallentium Clericorum, atque Laïcorum, transtulit corpus præfatæ Virginis & Martyris Romanæ, de sacrario S. Petri ad eam quam construxerat Ecclesiam &c. Hucusque fragmentum ex gestis S. Romanæ calamo exaratis, quod mihi commodauit quidam Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ; velut & sequens Gregorij PP. 7. Priuilegium, Iuoni postea Carnotensi Episcopo indultum; & cætera post describenda de Guidone Episcopo.

GREGORIVS DILECTO IN CHRIsto filio IVONI, *Præposito Ecclesiæ S. Quintini, sitæ in Episcopatu Beluacensi, suisque successoribus regulariter promouendis.*

SVpernæ miserationis respectu ad hoc vniuersalis Ecclesiæ curam suscepimus: & Apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, vt iustis precantium votis attenta benignitate faueamus, & libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Domino donante possumus, subuenire debeamus. Proinde interuentu & rogatu confratris nostri Guidonis Beluacensis Episcopi, præfatæ Ecclesiæ Constructoris, postulationi tuæ annuentes, sub tutela & defensione S. Sedis Apostolicæ, locum, cui præesse dignosceris, Ecclesiam videlicet S. Quintini Martyris suscipimus. Cui priuilegia eiusmodi præsenti auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus: statuentes nullum Regum, vel Imperatorum, Antistitum, nullum quacunque dignitate præditum, vel quemquam alium audere de his, quæ eidem venerabili loco à præfato Episcopo, vel à quibuslibet hominibus de proprio iure iam donata sunt, vel in futurum Deo miserante collata fuerint, sub cuiuslibet causæ occasionisve specie, minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel aliis quasi piis de causis pro suę auaritię excusatione concedere: sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tàm à te, quā ab eis, qui in tuo officio locóque successerint, perenni tēpore illibata, & sine inquietudine volumus possideri; eorum quidem vsibus, pro quorum sustentatione gubernationeq; cōcessa sunt, modis omnibus profutura. Nominatim &c. deinde cunctis possessionibus enumeratis. *Datum Lateranis VIII. Kal. Dec. per manus Petri S.R.E. Presb. Card. ac Biblioth. An. XI. Pont. Dom. Greg. VII. Papæ: An. videlicet Dom. Incarnat. M. LXXXIII. Ind. VI.*

Quo tempore condita dedicatáque fuerit præfata S. Quintini Basilica indicant versus codici vetusto inscripti.

Anno millesimo sexagenóque noueno,
Est Incarnati Verbi sub honore Beati
Quintini factus locus iste, Deóque dicatus.

Obitus verò Guidonis Episcopi dies notatur in Necrologio eiusdem Ecclesiæ, in hunc modum: *Nono Kal. Maij Obiit Domnus Guido Beluacensis Episcop. qui huius Ecclesiæ fundator extitit & ædificator; quam multis possessionibus ditauit, & quam pluribus ornamentis decorauit: fecit enim in Ecclesia nostra coronam argenteam, & tabulas argenteas, feretrum argenteum &c. duos Textus* (in quorum vno Guidonis visitur effigies) *Crucem argenteam, Cappas nouem meliores cum Casula vna; decem Campanas maiores & minores. Fecit etiā omnia vetera ædificia, Dedit nobis villam istam &c.*

Legeſis Epiſtolas Iuonis 151. 181. & 193. Acceſſiones Roberti de Monte ad Sigibertum ad an. 1066. & 1069. *Guido Beluac. Epiſcopus duobus annis perfectam dedicauit Eccleſiam in honore Aduocati ſui Quintini Mart. 4. Nonas Octobris.* Quo, verſibúſque præfatis aduertere licet, arguendum lapsûs auctorem vitæ Iuonis, operibus proloquij loco appoſitæ, (inter alios errores) quòd ad annum 1078. fundationem S. Quintini Beluacenſ. reiiciat.

pag. 471 lin. 42. (*Flauiacenſe Monaſterium.*) Vulgò ſancti Geremari, in diœceſi Beluacenſi ſitum, ab eadem ciuitate quatuor leucis diſparatum.

Porrò quæcúmque ad Flauiacenſem Eccleſiam ſpectant, R. P. Domnus Ioannes Baptiſt. *de Boulogne*, tùm eiuſdem Aſceterij Congregat. S. Mauri Prior, vir admodum eruditus, eorum Chronologiam ex primis monumentis, vetuſtioribus ſchedis, ſummorum Pontif. Literis, diplomatibus Regum, Principúmve (è laïca manu poſt ſummos labores ac ſudores ereptis) ampliſſimam retexit. Quo ex fonte in anteceſſum eiuſdem Hiſtoriæ Compendium, à nobis concinnatum damus,

HISTORIÆ FLAVIACENSIS Monaſterij COMPENDIVM.

MOnaſterium Flauiacenſe in Beluacenſis Diœceſis pago, ſitum prope Eptam fluuium; tempore *Dagoberti*, annum circiter 650. ſeu, quod volunt alij, 660. condidiſſe, dotaſſéque ſanctum *Geremarum* (cuius nomine poſtea illud inſignitum fuit) noſces ex literis Ioannis V. Epiſcopi Beluacenſis; quæ ſic habent.

IOANNES miſeratione diuinâ Beluacenſis Epiſcopus, Vniuerſis præſentes literas viſuris, ſalutem. Nobis dilecti filij, venerabiles, & deuoti Religioſi, Abbas, & Conuentus, & Priores eis ſubditi, deuotiſſimi Cœnobij S. GEREMARI de *Flauiaco*, noſtræ Diœceſis, dolentes expoſuerunt; ſanctæ Religionis contemptores, imò veriùs deſpectores ipſis exprobrare, ſuum Monaſterium pridem in honorem Trinitatis Sanctiſſimæ Deo dicatum, per deuotiſſimum Deo GEREMARVM Patronum ſuum, adiuuante Beatiſſimo AVDOENO Rothomagenſi Archiepiſcopo, nunquam fundatum extitiſſe de redditibus ipſius GEREMARI, ſed ex partialibus bonis aliunde venientibus, improperando ipſis, veritate non ſuffragante, quod aiunt, illum Beatiſſimum *Geremarum* ſuum dotaſſe Cœnobium, multáque alia religioſa loca ipſis ſubdita, ex ſuis patrimonialibus, & paraphernalibus bonis. Quamobrem quid in ſacris Hiſtoriis, Chartis, Regiſtris, Libríſque, & Scripturis veteranis noſtris, aut Eccleſiæ & ſponſæ noſtræ, de ipſorum fundatione inueniretur, vellemus teſtificari, poſtularunt.

Notum facimus nos, malè latrantium cupientes ora claudere, teſtimonium veritati exultantes perhibere, certificamus veteranis Libris, Legendis, Chartis, & Scripturis, quibus fidem ſuſpicione vacuam, nulláque notâ reprehenſibilem, ea quæ ſequuntur, contineri. Videlicet Sereniſſimi Regis DAGOBERTI temporibus glorioſum Geremarum à ſobole regia procreatum, maximæ extitiſſe ſanctitatis, cuius conſilio ſacro ille Dagobertus Rex cum amabili pace Regnum gubernauit. Voluit autem ille glorioſus GEREMARVS, tum non ſolùm apud homines militare, immò mundanâ poſtpoſitâ militiâ cupiuit cœleſtis militiæ particeps fieri, velut nouus tyro ſub veterano, & approbato cœleſtis militiæ Rectore, & cœleſtis Principis Vicario, ſancto AVDOENO Rothomagenſi Archiepiſcopo, atque præfati Regis Cancellario, aduerſus carnem, mundum, & dæmonia bellare decreuit.

Cuius AVDOENI iam ſanctitate magna fruentis, ſecutus conſilium, de præfati Regis Dagoberti conſenſu Religionem intrauit, in loco, qui dicitur FLAVIACVS, vbi non multo pòſt, ſuis ad Dominum tranſmigratis liberis, de CLODOVÆI Regis prædicti Dagoberti filij conſenſu, pariter & aſſenſu, reuelatione Angelica præuiâ, ad Sanctiſſimæ & Beatiſſimæ Trinitatis latriam & venerationem, Cœnobium, quod nunc beati GEREMARI dicitur, cum pluribus aliis Religionis locis, propriis ſumptibus conſtruxit; necnon ſuis dominiis, villis, caſtris, ac redditibus dotauit; cupiens & affectans ex terrenis ſibi à Deo datis, multis in locis ipſum Dominum Deum venerari.

Stetit autem in eſſe & ſtatu præfatum illud Monaſterium, ducentis annis & quinquaginta, vel eo circa. Verùm pacis iniquus perturbator, & humani generis corroſor, qui à ſuperis corruit ad inferos, ex ſeruitio illo in Monaſterio celebrato perturbatus, nefandi ROLONIS cor ſubintrans, Monaſterium *Flauiacum* funditùs vſque ad ſolum deſtrui procurauit, & Religioſis non multo pòſt defunctis, & profugis, deſertum & incolis vacuum, aridúmque fructu & inhabitabile, centum & triginta manſit annis; nec à nobis inuentus eſt qui in præfata extiterit deuaſtatione ſuccurſor & conſolator; qui Chartas, Papyros, Regiſtra, vel libros illius Monaſterij conſeruare cupiuerit. Nec mirum quoniam apud prædones, & fidei Chriſtianæ inimicos, moris erat vſitati, & adhuc diebus extat in iſtis, ea quæ Chriſtianam ſapiebant Religionem, igne voraci conſumere.

Sed quia miſereri voluit Creator Omnipotens, populi, & beatiſſimum GEREMA-

RVM Confessorem suum in loco suæ Sanctitatis iterum venerari: mentem prædecessoris nostri bonæ memoriæ DROGONIS Beluacensis Episcopi, gratiâ Spiritus sancti inebrians ad nouam illius Monasterij inspirauit constructionem; ordinans (vt ipsius erat ordinare) antelati GEREMARI præuiam insequendo voluntatem, illud monasterium à Sanctissima Trinitate denominari, addendo ad Dei laudem, & ipsius Fundatoris GEREMARI, Monasterium sancti GEREMARI appellari. In cuius rei testimonium præsentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum.

Datum anno Domini millesimo quadringentesimo, septuagesimo octauo, die Mercurij tertia mensis Iunij.

De mandato Domini sic signatum R. Champdesus.

Cæterùm viginti Abbates ab ipsis Monasterij incunabilis, ad excidium à Normannis illatum, præfuisse notant veterna eiusdem loci monumenta; è quibus, nec-non & ex Fontanellensi, siue sancti Vandregesili Chronico, eorum nomina (paucos si excipias qui temporum iniuriâ excidêre) desumemus.

Primus Abbas SANCTVS GEREMARVS extitit, ac fundator Monasterij Flauiacensis, Sanctissimæ Trinitati initio dicati. Res gestas sancti Geremari ab antiquo Authore exaratas, & ex vetusto Codice Manuscripto Conchensis Monasterij, curâ nostrâ exscriptas, inter Addimenta collocauimus.

III. Sanctus GENNARDVS (secundus enim obliuioni traditus) sancto *Ansberto* longè charus fuit; vnde iuxta corpus eiusdem in Fontanellensi Cœnobio, cui etiam præsederat, sepulturâ donari statuerit.

IV. Sanctus BENIGNVS Fontanellæ Monasterio præfuerat priùs, sed à Regenfredo Maiori-domus proiectus, in Abbatem Flauiacensem à Monachis assumitur.

V. ADEBRARDVS, integritatis, prudentiæ, ac ingenij gloriâ clarus, atque *Imperatori* LVDOVICO *Pio* (Codex manu exaratus de Adebrardo,) *merito prudentiæ adeò fuit acceptus, vt inter eius Principes ad pacis negotia componenda & in Ecclesia, & in Regno in longinquas vsque gentes semper fuerit primus.*

VI. HINCMARVS ex Monacho sancti Dionysij in Francia, vt refert Flodoardus libro 3. cap. 1. *Regis ascitus obsequiis Regimen Monasterij sanctæ Dei Genitricis* MARIÆ, *& sancti* GERMANI, *Regali, & Episcopali, atque Abbatis sui Ludouici iussione suscepit.* Legendum verò hîc *Sancti Geremari*, suadent quæ eodem lib. cap. decimo octauo scribit ipse Flodoardus, his verbis: *Item* (*scribit Hincmarus*) *pro Cella, vel Monasterio Flauiaco, quod* A *idem Rex sibi, dum in ipsius ante Episcopatum moraretur seruitio, donauerat; & vt in vita sua illud teneret, præcepto confirmauerat; quodque à quodam inuasore destructum restruxerat, & Religionem prout potuit, in eo restaurauerat &c.* Plura de Hincmaro Remensi Archiepiscopo scribere supersedemus, quippe notiora & celebriora sunt ipsius facta, scriptáque (duobus voluminibus comprehensa) quàm vt ea retexere debeamus.

VII. ODO ex Abbate Corbeiensi in Picardia, Episcopus Beluacensis, Monasterium B Flauiacense, & alterum Nonnarum, vtrumque solo propè adæquatum, Iuri Episcopali addici, quatenus è laïca manu eriperetur, suæque inopiæ subueniretur, ab Rege Francorum primùm, deinde à Nicolao primo, Papa, impetrauit. *Eo autem ordine* (fert diploma summi Pontificis) *vt de rebus Eiusdem Monasterij collatis, siue conferendis, Ecclesiæ Beluacensis necessitatibus subueniatur, prout voluntas & iudicium Episcopi, qui præfuerit eidem Ecclesiæ decreuerit; & Monasteria* C *ipsa, nec in ædificiis domorum, nec in restauratione Ecclesiarum, nec in necessitatibus Deo illic seruientium subsidia defraudentur; sed ita rerum dispositio fiat ab Episcopo Beluacensis Ecclesiæ, vt & ipsa Monasteria iuxta modum facultatum sibi collatarum restaurentur, & conseruentur, & illic Deo militantium subsidiis adiuuentur, quatenus loca Deo dicata, & res illis Ecclesiis collatæ ibi potissimùm deseruiant, vbi Deo fidelium oblationes esse collatæ noscuntur: quia nec pium, nec iustum esse cognoscitur, vt Ecclesiæ præfatæ ita suis rebus spolientur, & alterius Ecclesiæ ne-* D *cessitatibus deseruiant, vt earum nulla prorsus cura videatur impendi. Vnde sollicitus videat Episcopus Bellouacensis, vt siue de fœminis illis Deo deseruientibus, siue de cuiuscumque Ordinis viris, siue de Monasteriorum restauratione, & cōseruatione, eam curam suscipiat, quatenus & diuinæ domui dignam habere sibi procurationem gaudeat, & ipse qui præfuerit Rector, supernæ censuræ iudicium propter negligentiam non incurrat. In sæcularium verò manus atque potestatem, ipsa Monasteria nulla deinceps ratione vel occasione perueniant; quia non est leue ante oculos summi Iudicis discrimen Religiosis locis, & Monasteriis Deo dicatis, sæcularem* E *præficere potestatem, & ei contradere Pastoralis curæ sollicitudinem, qui, quid sit Pastor, ignorat, nec quærit lucrum animarum, sed pecuniæ censum, non vt diuinis cultibus seruitium impendatur, sed vt suis vsibus, ad Dominationis votum deseruiatur &c.*

Datum est id Priuilegij ann. V. Imperij Ludouici II. Christi vero 860.

VIII. ANSIGISVS vir religione, doctrina, vsuque rerum præstans. Humana deposuit anno 882.

Pluribus pòſt annis, nempe circa annum 900. ſuſque deque euerſum eſt abs Normannis. Sacra autem beati Geremari oſſa tranſlata, ac collocata in Eccleſia Beluacenſi; vbi hodie viſuntur.

At anno 1030. ſtrenuè pius iuxta ac prudens DROCO Beluacenſium Epiſcopus ad inſtaurationem, ſeu veriùs exædificationem, animum appellit, ita feliciter & magnificè, vt breui Eccleſiam, & vniuerſa vitæ Monaſticæ commoda ædificia perfecerit; quò non tantùm vetuſtas ædes, ſed etiam præcipuas Galliæ tum amplitudine, tum elegantiâ ſuperaret.

Conſtructo itaque, & inſtructo monaſticis rebus, & ſacra ſupellectili Cœnobio; necnon prædiis, quæ antiquitùs poſſederant Cœnobitæ, redditis, accerſiuit è Monaſterio ſancti Mauri Foſſatenſi Monachos, quibus Guntherium præfecit. Ac tandem vt ſacra reſtituerentur ſancti Geremari oſſa, totis viribus eniſus eſt, ſed fruſtra, reclamante, præpedientéque populo.

IX. GVNTERIVS ex Monacho Foſſatenſi; aſceticæ vitæ normâ poſtliminio reuocatâ in ſancti Geremari Cœnobio, magnam ſibi virtutum ac ſcientiarum laudem inibi collegit, adeò, vt præſtantis diſciplinæ permoti famâ, etiam exteri, ſæculo abdicato, ſeſe ipſius magiſterio ſubderent: quin & mulieres nonnullæ, eodem odore allectæ, in adiacentibus Eccleſiæ ædiculis commanerent; nempe ſoror Sugerii prioris, Mater Guiberti Abbatis Nouigenti, Leodegardis. De quibus idem Guibertus lib. 1. de vita ſua. Itemque poſterioribus ſæculis Albreda de S. Ouïn Conuerſa, vxor Guillelmi de Henouuille; vxor Girardi de Hanuoiles, & aliæ quamplurimæ; quæ contraditis inibi ſuis opibus, Monaſterii ſtipendiis, ſeu vt codicilli loquuntur, præbendis, nomine Conuerſæ ac ſororis, Sanctimonialium habitu degebant. Ædicularum in hodiernum vſque diem veſtigia extant.

Obiit Gunterius Idibus Martii, anno Chriſti 1058. & adminiſtrationis 22.

X. GARNERIVS Gunterio ſucceſſit; vir vtique probitate, doctrinâ, adminiſtrandi prudentiâ inſignis: qui diſciplinam regularem mirè illuſtrauit, adauxit res Monaſterii. Eo quoque præſidente complures Eccleſiæ, ſeu Prioratus, Flauiaco conferuntur; queis colonias Monachorum, qui orationum ſubſidiis, verbóque & exemplo populum tuerentur, erudiréntque, Garnerius Abbas addixit. Conſtat id potiſſimùm ex narratione Fundationis Prioratus S. Sepulchri de Villaribus, à nobiliſſimo Comite Beluacenſi Lanſcelino conditi, & eandem nos Chartam, vtpote ſummam huiuſce Comitis pietatem redolentem, internectere delectat.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS. AMEN.

Omnibus aqua & Spiritu ſancto renatis, gratum fore decreuit charitas noſtra, ſi literarum apicibus annotamus, qualiter à quibuſdam perſonis Eccleſia noſtra auxiliante Domino fuerit fundata. LANSCELINVS ſenior, FVLCONIS Beluacenſis filius, ſtrenuæ nobilitatis vir, & ſecundum huius ſæculi faſtum magnæ potentiæ fuit: iſte, vt rei exitus probauit, nutu & voluntate Dei Ieruſalem, & ſacra loca, vbi Dominus noſter IESVS CHRISTVS natus, vbi crucifixus, & Sepulchrum in quo poſitus fuit, multis in hac Prouincia ſecum comitatus adiit: illis videlicet temporibus, quibus nullus Chriſtiani nominis Confeſſor, niſi furtim, aut, vt ita dicam, tapinacione propter obſiſtentium Paganorum timorem, illuc pergere auſus erat; qui multa tam per terram, quàm per mare, paſſus pericula, ad vltimum ſuo potitus deſiderio, ſatiſque humiliter adorato, cum ſuis omnibus in Galliam repedauit. Tranſacto autem non longo tempore, pietas Conditoris noſtri, qui *omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui nominis venire*, miſit in cor eius, quatenus in honorem ſancti Sepulchri de propriis facultatibus Eccleſiam ſtrueret, Monachóſque ibidem ad Dei ſeruitium die noctuque peragendum conſtitueret. Conſilium verò, voluntatémque huius rei, vxori ſuæ & filiis ſuis nec non & hominibus propriis aperiens, omnes vna voce laudauerunt, Deóque fore gratum ſimul affirmauerunt.

Poſt hæc Domnum GARNERVM Flauiacenſis Cœnobij Abbatem petiit, & vt Monachos ad tale negotium peragendum dignos ſecum tranſmittere dignaretur, humillimis precibus exorauit, tali ſcilicet ratione, vt Eccleſia, quam ædificare volebat, omnibus diebus Flauiacenſi Eccleſiæ fuiſſet ſubiecta, & vt ipſe Abbas, ſuíque ſucceſſores, Monachos quos vellent tranſmitterent, & quos vellent reducerent. Qui libentiſſimè quod tantus exorabat, non ſolùm conceſſit, ſed vt tam ſanctus perficeret ſua ſancta exhortatione admonuit. Tunc incipiendi operis inter ſe die conſtituta, Abbas Garnerus cum ſuis Monachis adfuit, Lanſcelinus quoque nobilium virorum ſtipatus agmine, viros operis cæmentarij gnaros ſecum adducens à Beluacenſi ciuitate, cum ſuis filiis aduenit. Omnes enim qui conuenerant, locum ad habitationem Monachorum congruum fore affirmabant, circumſpicientes vicinitatem aquarum, amplitudinem pratorum, abũdantiam nemorum, vbertatem vinearum, multitudinémque arborum diuerſi generis fructum ferentium.

Tandem paratis omnibus quæ neceſſaria

erant, lineisque à Cæmentariis iuxta quantitatem iactis, Domnus Lanscelinus cum magna deuotione in honore Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, locum vbi fundamenta Basilicæ iacienda erant fossâ humo primus aperuit.

Cœptum est opus istud mense Martio, millesimo sexagesimo, Philippo Rege apud Gallias regnante, Ducatum verò Normanorum & Regnum Anglorum Guillelmo nobilissimo Rege administrante.

Monachis verò ibidem Deo seruientibus inclyti Lanscelini non defuit largitas. Vt enim sufficientiam quotidiani victus haberent, dedit eis Molendinum Creuicordis super ripam Taræ situm, & totam aquam de Cailoto vsque ad ad Pontē harmis, ad piscādum, dedit & hospites suos ibidem manentes, totámque mansionem Hildefredi, cum pratis ad mansionem pertinentibus: Querquetum Bugerij, & alnetum querquetum adiacentem, Nemus hes, Faïolum; omnes brochias ad comburendum, & ad hospitandum concessit. Vasa apium in nemoribus suis reperta; & duas partes decimæ de Harmis, & duas de Serenciis, & de Medianauilla, similiter duas partes decimæ, & culturam Crene, clausum quoque Monasterioli, quod à quodam homine, Gildino nomine, septem libris Beluacensis monetæ, & vno modio frumenti emit; ipsum verò Gilduinum vsque ad finem vitæ suæ Monachi vestitu, & quotidiano victu sustentauerunt. Dedit etiam quandam mansionem, quam centum solidis Beluacensis Monetæ emit ab Hemelino de sancto Luciano, concedente Petro sancti Luciani Abbate, de Consensisco, & aliis omnibus Monachis concedentibus. De qua re Dominus Lanscelinus Abbati de sancto Luciano hominium fecit. Abbas verò ad augmentum fisci vnum dentem sancti Luciani ei dedit.

Post hæc talem confirmationem fecit, vt si à clientibus suis ex hominibus Monachorum aliquis aliquando caperetur; aut sicut mos est Rusticorum, syluas suas cædendo, aut aliquod forisfactum suum clientes sui de homine illo, qui calumniaretur, clamorem ad Monachos referrent, & Monachi in Curia sua Iustitiam tenerent. Confirmauit adhuc, manúque filiorum suorum roborauit, vt si quis ex militibus suis de fisco suo Ecclesiæ donare voluerit, absque suo iussu, & filiorum suorum donet indifferenter, ita scilicet vt militare seruitium inde non amittat.

Adhuc autem confirmauit, concedentibus suis, vt quando ad Ecclesiam ipsam aut villam ire voluerit, nihil in eadem habeat, nisi solummodò procurationem vnius Monachi, nihílque omninò sibi retinuit in villa, nec Iustitiam, nec sanguinem, nec latronem; nec taliam, nec sæuum, nec forisfactum.

Sciant præsentes, & qui futuri sunt, quia Ego Renaudus Dominus de Bul. profundè de peccatis meis pœnitens, quasdam iniustas consuetudines, Tailliam videlicet, & omnes alias oppressiones, & procurationes, quas in villa, quæ dicitur Villaris Sancti Sepulchri, iniustè per aliquot annos acceperam, quictas dimisi, & à Monachis Flauiacensibus in eadem villa commorantibus absolui postulaui, quod & obtinui.

Et ne hoc statutum meum vlterius à quocunque successorum meorum possit violari omninò prohibens, sigilli mei impressione firmaui.

Priuilegia & prædia Philippus Rex Francorum Monasterio Flauiacensi in Garnerij, quem plurimum diligebat, gratiam, indulsit; sed præcipuè dat literas Beluacensi Episcopo & Clericis, præcipiens vt sacratissima beati Patroni Geremari pignora restituerent, sed nullum sortitæ sunt effectum.

Garnerius demum tranquillioris vitæ amore, vti totum se Deo offerret & impenderet, onere simul & honore sese abdicat; priuatámque egit vitam vndecennio; & anno Domini 1095. Nonis Iunij diem vltimum clausit feliciter.

XI. Hugo I. multiiugæ Religionis, atque eruditionis Guiberto teste extitit. Præfuit post Garnerij spontaneam cessionem. Floruêre hac ipsâ tempestate dum præclarè pedum Hugo gestaret, Monachi magna virtute, doctrinâ & constanti disciplina, quos inter Guibertus ipse velut sidus eminebat.

Guillelmus de Besencourt, & *Gamelinus* de Bouuerescés, nuntium sæculo miserunt, vouísque sese Monasticis obstrinxerunt in Flauiacensi Monasterio.

Ad cœlum venerabilis Hugo euocatus est Nonis Decembris, anno Christi 1100. sui Regiminis 15.

XII. Ioannes. Abba probatæ morum integritatis (quem Guiberti mater à puero nutrierat) è pago Claromontano oriundus: Guillelmum optimæ indolis puerum è Iudaica prauitate ad Christianam veritatem traduxit; cuius gratiâ Guibertus ille Tractatum contra Iudæos elucubrauit. lib. 2. de vita sua cap. 5.

Anno quarto præfecturæ Ioannis, is ipse Guibertus in Abbatem Cœnobij Nouigentini prope Couciacum est euectus. Sub extrema Ioannis tempora venerabilis mater Guiberti, exutâ mortalitate, animam efflauit, corpúsque Flauiaci sepeliendum reliquit.

Obiit Ioannes tertio Idus Martij an. 1106.

XIII. Hildegarius ob egregias animi dotes, ac Religionem, locum sortitur

Ioannis. In tantum creuêre Flauiacenſis Cœnobij diuitiæ, vt non modo peramplæ Monachorum familiæ alendæ ſatisfierent, ſed & abundè hoſpitibus, qui vndique confluebant, neceſſaria ſuppeditarentur, ſubleuaretur pauperum & ſanorum & ægrorum inopia; qua de cauſa plures nobilis notæ viri ſeſe diuino cultui manciparunt Flauiaci.

Effecit autem Flauiacenſium Monachorum ſtricta diſciplina, vt illuſtris Anſellus ipſis Mauriniacenſe Cœnobium iuxta Stampas conferret.

Prodit hæc Mauriniacenſis Chronici Prolog. lib. 2. ſub finem, tom. 4. Hiſtor. Francor. Andreæ Ducheſne. *Anſellus quidam annis & conſilio ſtrenuus, religione & familiaritate Flauiacenſium Monachorum prouocatus, primùm quidem Eccleſiam Stripiniaci, & quæ in villa illa poſſidebat, Monachis Flauiacenſibus obtulit: ac deinde Maurianenſe prædium, in quo Eccleſia iſta in honore ſanctæ Trinitatis fundata eſt, Chriſti gratia præeunte contulit.*

Odo Flauiacenſis Cœnobita, à Monachis ſancti Symphoriani Beluacenſis in Patrem, multùm licet reluctans, cooptatur. Sanctitate, ſapientia, ac doctrina floruiſſe commemorat Guibertus Epiſtolâ nuncupatoriâ libris de Pignoribus ſanctorum præfixâ. Sed cùm ſubeſſe potiùs, quàm præeſſe, eum impensè delectaret, depoſita dignitate in ſuo Flauiacenſi Aſceterio iterum ſub obedientiæ Magiſterio verſari delegit.

Attraxit autem perfecta Regulæ obſeruantia viros nobiles, vt Flauiacenſes redditibus adaugerent; ac præ cæteris Matthæus de Maurenciaco quod conſtat ex hac ſchedula.

In Christi nomine, Ego Matthæus de Monte Maurenciaco Dominus, ad notitiam tàm futurorum, quàm præſentium volo peruenire, Buchardum bonæ memoriæ patrem meum, pro remedio animæ ſuæ Monachis beati Geremari Flauiacenſis, zelo charitatis, in eleemoſynam conceſſiſſe, quatenus miniſteriales ſancti Geremari vndecumque res ad vſus eorumdem Monachorum adducerent, liberè, ac quietè, & abſque vlla conſuetudine per ſuam terram tranſirent. Ego autem & fratres mei idipſum ſimplici & deuota intentione conceſſimus: quia vero bonam & honeſtam Monachorum illorum conuerſationem frequenter audio, eandem patris mei eleemoſynam non ſolùm concedo, verum etiam ſatis àpprobo: Et vt rata in perpetuum permaneat, concedentibus etiam filiis meis, Buchardo, Matthæo, & Heruæo, ſigilli mei impreſsione confirmo, & præſentium ibi virorum teſtimonio confirmari volo.

Quàm plures ex illuſtri proſapia adoleſcentes, ſeſe Chriſti ſeruituti in hocce Monaſterio manciparunt; nimirum *Hugo* (panis auenæ nuncupatus) *Drogo de Caluomonte*, Galonis filii, ac nepotes Hugonis, cognomine Borgni; *Galterus de Rebez*, *Rogerius de Conſtentin*, *Aſzo de Ferrieres*, & alii.

Vita fungitur Hildegarius quarto Kalend. Maii 1123.

XIV. Odo ſpectatæ virtutis & ſapientiæ Hildegario ſufficitur.

Perperàm omni ſuâ ac ſuorum induſtriâ, quo ſacra Geremari Pignora Eccleſiæ Flauiacenſi reſtituerentur, impensâ, tandem os brachii, quod radium vocant, obtinet, ac ſolemni ritu Flauiacum VIII. kalend. Aug. an. 1132. inferri curauit.

Labente eodem anno Abbas ipſe, communi totius Cleri voto, ad præfecturam Eccleſię Beluacenſis eſt euectus: quod oneris quàm præclarè ab anno 1133. ad annum plus minus 1145. ſubiit.

XV. Leodegarius ſucceſsit: qui, vt Odo præfatus Epiſcopatum acceptaret, multùm ſuis adhortationibus adlaborauit. Henricus primus Anglorum Rex Leodegario ſelectas quercus in ſylua Leonis, ad ædificiorum ſolitam reſtaurationem, facit aſportandi facultatem.

Abbatis munere functus toto decennio, mortalitatem exuit anno 1145. V. Idus Decembris.

XVI. Fulbertus, morum vitæ integerrimus, ab *Hugone* Rothomagenſi Archipræſule anno 1151. à ſummo Pontifice *Eugenio* eodem anno; & ab *Odone* Beluacenſi Antiſtite 1146. immunitatum, priuilegiorúmque literas ampliſsimas impetrauit.

Multa quoque beneficia anno 1148. contulit *Radulphus de Mauoiſon*, Samſonis Archiepiſcopi Remenſis frater, annuentibus vxore Bertha, ac filiis, Radulpho, Guillelmo, Manaſſe; & filiabus, Agnete, & Ioanna Regina.

Sed & Ludouicus VII. Chriſtianæ pietatis, atque propenſæ voluntatis ac beneuolentiæ in Sangeremarenos Monachos ſpecimen dedit, conceſsis variis immunitatibus, quarum Diplomata breuitati conſulens prætermitto,

Hugo de Gornaco approbat his verbis, quæcumque Monaſterio Flauiacenſi contulerat.

Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quòd Ego Hugo *de Gornaco* impreſsione ſigilli mei, confirmo omnes eleemoſynas de domanio meo proprio, tam in Anglia, quàm in Normania, & Francia, quas dedi Eccleſiæ Beati Geremari de Flauiaco in perpetuum. Inſuper alias omnes eleemoſynas, quæ ſunt in feodo, & in protectione mea, quas homines mei eidem Eccleſiæ donauerunt, & do-

nabunt. Adhuc verò libertatem famulorum eiusdem Ecclesiæ, qui negationem non fecerunt, similiter concedo. Hoc vt ratum permaneat, sigillo meo, & testium subscriptione corroboro. Testes sunt Ioannes de Hodane, &c.

Lites quæ subortæ fuerant inter Monachos diuersorum Monasteriorum, pro posse (ad hoc chartâ confectâ) diremit Fulbertus Abbas: *Ne inter filios pacis*, inquiebat, *pax, qua nihil melius est, lite aliquando subortâ, turbaretur.* Eiuscemodi Chartam nominibus muniêre, *Theoldus* Prior, *Lambertus* Subprior, *Landricus* Cantor, *Odo* Cellerarius, *Walnerius* alter Cellerarius, *Petrus* Arator (aliàs Carrucarius) *Godzo* Præpositus, *Herbertus* Thesaurarius, *Droco* de Caluomonte aliique Monachi complures.

Interfuit Bellouaci Conuentui Episcoporum, Abbatum, Procerúmque Galliæ ab Ludouico Rege congregatorum, qui agitari rogarat, vtrum Alexāder, an Victor in summum Pontificem admitteretur.

Fulbertus Monasterio præclarè 19. annis administrato, Nono Kal. Maij rebus humanis exemptus est.

XVII. Gerardus. Literulas obtinet ab Henrico II. Anglorum Rege, quibus stabilita permanent quæ concesserat Henricus I. his signum apposuit S. Thomas tunc Angliæ Cancellarius.

Tribus dumtaxat annis præfuit Gerardus; ac mortali vita fungitur XI. Kalendas Maij 1167.

XVIII. Hildegarius II. *Paruipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerens sollicitudinem de rebus transitoriis, atque caducis* (contra Regulæ Benedictinæ præscriptum cap. 2.) habenas laxauit religiosæ disciplinæ; nempe Officialibus Monasterij (quos Claustrales vocant) certos redditus annuatim ascripsit.

Moritur anno 1172. VII. Kal. Martij.

XIX. Hugo II. (quem Claromontani Comitis filium volunt nonnulli) Abbas Flauiacensis, deinde Sancti Luciani Beluacensis, ac demum Cluniacensis. Omnia quæ Iuris sunt Monasterij Flauiacensis, Bullatis literis confirmauit Alexander III. Papa anno Christi 1178.

Cessit è vita VI. Idus Aprilis 1188. tradunt Chronicon Fontanellense Manuscriptum, & Codices sancti Luciani, & sancti Geremari. Vel, si fides Chronographo Cluniacensi adhibenda, 1199. In Ecclesia Cluniacensi iacet vt testis est idem Auctor, in Bibliotheca Cluniacensi pagina 1663.

XX. Lambertus, ex Cellerario eiusdem Monasterij circiter 1180. Huic syngraphum tutelarem impertiit Radulphus Comes Claromontanus. Egit animam pridie Id. Iunij 1190.

XXI. Hugo III. cognomento *Pauper*; è ditissima æquè ac nobilissima familia ortus. Sui Regiminis anno primo possessiones, quæ in Diœcesi Rothomagensi extant, curat ab Archiepiscopo Valtero confirmari. Insuper à Richardo Anglorum Rege tutelare Diploma consecutus est: quod ita se habet.

Richardus Dei gratia Rex Anglorum, Dux Normaniæ, Aquitaniæ, Comes Andegauensis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Iusticiariis, & Vicomitibus, Ministris, & omnibus Balliuis, & fidelibus suis, totius terræ suæ, Salutem. Sciatis quòd Abbatia, Abbas, & Monachi de Sancto Geremaro de Flay, & homines sui, & omnes res & possessiones eorum, sunt in manu nostra, & custodia, & protectione: quare volumus, & firmiter præcipimus, quòd ipsam, & Monachos, & homines, & res, & possessiones eorum tam Ecclesiasticas, quàm laïcas per terram nostram, siue pax fuerit, siue guerra, custodiatis, protegatis, & manu teneatis; ita quòd eis nullam iniuriam, vel contumeliam, aut grauamen faciatis, nec ab aliquo fieri permittatis. Et si fortè in aliquo eis fuerit forisfactum, plenariam eis super hoc iustitiam faciatis, tamquam mihi ipsi. Apud Vallena-Rudolij XV. Iunij.

Prioratum sancti Arnulphi Martyris, prope Claromontem, à Philippo Beluacensi Episcopo sancti Geremari Ecclesiæ dilargitum constat ex sequenti scheda.

Notum sit tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego Philippus Dei gratia Beluacensis Episcopus, Capellam, quæ in honore Beatissimi Martyris Arnulphi fundata est, Ecclesiæ de Flauiaco concedo perpetuò possidendam, saluo Iure circumiacentium Parrochiarum: sic enim singulis sua teneor conseruare, vt aliis non depereant legata, etiam quæ præfatæ Ecclesiæ facta fuerunt, siue Ministro eiusdem, ei præsente scripto, & sigilli nostri auctoritate, confirmo.

Suâ sub tutela Flauiacense Cœnobium declarat Philippus Francorum II. Rex, seu potius Diploma Ludouici VII. approbat suis literis.

Depositâ carnis sarcinâ Hugo ad æternam requiem VI. Calendas Octobris 1200. translatus est.

XXII. Eustachius singulari doctrina, sanctitate, rebúsque præclarè gestis, inter cæteros Flauiacensis Asceterij Archimandritas conspicuus, communibus fratrum votis, & assensu Episcopi Beluacensis, cui à secretis erat Euchachius, præficitur, vti ex subiecta postulandi consensûs Episcopi formulâ perspicuum habetur:

Gratias agimus immensæ benignitati vestræ, quæ non solùm assentit, sed etiam congaudet electioni nostræ: eò quod concorditer facta sit, & secundum tenorem Iustitiæ. Inuocatâ namque clementiâ sancti Spiritus, sine quo preces omnes cassæ sunt, elegimus EVSTACHIVM, *Secretarium scilicet vestrum, virum honestum, approbatum, simplicem, & rectum, intùs & foris bonum habentem testimonium. Hunc talem,* Pater Reuerendissime, *vobis præsentamus, & vt præsentato manum benedictionis apponatis, suppliciter postulamus.*

Normaniæ Ducatus vbi in ius cessisset Francorum, Philippus II. Rex, Flauiacenses literis tutelaribus munit Mēse Iulio 1202.

Cùm in Anglia, & Scotia, Legati potestate ab Innocentio III. acceptâ, semel ac iterum fungeretur Eustachius Abbas, *Prædicauit* (vt habet Rogerus Houedenus) *verbum Domini, & de transgreßione Dominicæ diei & aliarum festiuitatum, dedit populo pœnitentiam, & absolutionem, sub tali conditione, quod illi de cætero debitam impenderent Dominicæ diei & aliis Sanctorum Festiuitatibus reuerentiam, non faciendo in eis quidquam seruilis operis, nec in Dominicis exercerent forum rerum venalium, sed bonis operibus, orationi deuotè insisterent. Hæc seruanda constituit ab hora nona Sabbati; vsque ad ortum solis in die Lunæ. Populus autem Deo deuotus ad illius prædicationem, vouerunt Deo quòd de cætero in diebus Dominicis, nec quidquam emerent, nec venderent, nisi fortè cibum & potum prætereuntibus. Vouerunt etiam quòd de singulis quinque solidis omnium rerum quascunque venderent, darent vnum quadrantem ad lumen Ecclesiæ emendum, & ad sepulturam indigentium. Et ad hoc colligendum, statuit prædictus Abbas in singulis Ecclesiis parrochialibus fieri truncum concauum, sub custodia duorum aut trium fidelium hominum, vbi populus iactaret prænominatum æs. Statuit etiam præfatus Abbas, quod discus eleemosynarius haberetur quotidie in mensa diuitum, in quo partem ciborum suorum mitterent ad opus indigentium, qui non præparauerint sibi. Prohibuit autem idem Abbas ne quis in Ecclesiis, vel atriis earum venderet, emeret quidquam, vel placitaret.*

Tandem posteà quàm probatis religiosisque moribus instituisset Fratres suos, auxisset bona Monasterij, & longè latéque fama summę pietatis peruolasset, notâ sanctitatis, quæ etiamnum peruulgatur insignitus, ad cœlestem Patriam transmigrauit VI. Id. Septembris 1211. Conditus iacet in meditullio Ecclesiæ cum hac Epigraphe saxo Sepulchrali incisâ.

Cultor honestatis verus iacet hic, & pietatis
Arca, lator Legis; formula facta gregis.
Vermibus esca datus, cuncti quo tendimus, iuit
Abbas Eustachius, cui Deus esto pius.

XXIII. GIRARDVS II. *d'Eraigny* dictus, vel à familia, vel à loco natali, qui Gizortio vicinus est. Primo regiminis anno potiùs inuitus, quam sua sponte, cessit præfectura.

XXIV. GIRARDVS III. *à Fraxino.* Init cum Fossatensibus Monachis societatem anno 1214. Cuius literas haud abs re fuerit exprimere.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego RADVLPHVS Dei gratia Ecclesiæ Fossatensis Abbas, & totius eiusdem loci Conuentus, Vniuersis præsentem paginam inspecturis notum facimus, quod inter nos, & Venerabilem GIRARDVM Abbatem Flauiaci, & eiusdem Ecclesiæ Fratres, talis firmata, & concessa est societas. Si Abbas alterius Ecclesiæ ad aliam venerit Ecclesiam, ab Abbate & Monachis eiusdem Ecclesiæ, vt decuerit, honorificè receptus, in Choro locum Abbatis obtinebit: & Capitulum ceu Abbas eiusdem loci tenebit, & fratres in sententia positos, pro voluntate sua absoluet, & puniendos, sicut expedire cognouerit, affliget. Alterius Abbatis dormitionis die cognito, quidquid præfatum vnumquodque monasterium Abbati suo decedenti tenetur exsoluere, idipsum alteri persoluetur; & audito eius obitu, pulsatis Campanis, solemniter ipsius officium celebrabitur, & ei ex integro tricenarium cum debita præbenda persoluetur.

Sed quoniam defunctorum Fratrum obitus ad notitiam alterius Congregationis per negligentiam, vel obliuionem sępe non peruenire contigit; statutum est, vt singulis annis in crastinum Sancti Pauli, hoc est Kalendis Iulij, pro Fratribus defunctis tricenarium faciemus: & istis triginta diebus singulis, tàm apud nos, quàm apud illos, integra prębenda erogabitur pauperibus. Audito etiam vniuscuiusque Ecclesię Fratrum obitu, Officium, & Missam in Conuentu solemniter celebrabimus; & singuli Sacerdotes singulas Missas pro singulis defunctis celebrabunt. Cęteri verò qui non sunt Sacerdotes, singula Psalteria, & Conuersi trigesies *Pater noster:* & ipso die sui officij integram prębendam in refectorio habebunt.

Cæterum si quempiam Monachorum vtriusque Congregationis Abbatis sui iram seu indignationem (quod Deus auertat) incurrisse contigerit, & se in alterius Monasterium contulerit, tanquam vnus eiusdem loci in Communione scilicet tam Capituli, quàm victûs & vestitûs erit, donec pax inter eum & Abbatem reformetur; nisi (quod absit) talis sit, qui secundum Regulam, non valente satisfactione, haud debeat conciliari.

Nomina autem tam Abbatis, quàm

defunctorum Fratrum, in Martyrologio scribentur.

Vt verò hæc societas inter nos & ipsos, firma sit & stabilis in perpetuum, hanc chartam sigillorum nostrorum munimine roboratam, eis indulsimus, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo decimo quarto.

Ecclesiæ parochialis, quam in Corileto recèns extruxerant Flauiacenses, Præsentationem, vt vocant, impertitur Philippus Bellouacensium Antistes, ad hunc modum:

PHILIPPVS Dei gratia Beluacensis Episcopus, omnibus in Christo fidelibus salutem in perpetuum. Nouerit Vniuersitas vestra quòd cum GIRARDVS Abbas, & Conuentus Sancti Geremari Flauiacensis, terras arabiles, quas in nostra Diœcesi possidebant, locassent Cultoribus, ibidémque villam, Coriletum nomine, de nouo construxissent, communi assensu ibidem Ecclesiam fundauerunt propriis sumptibus, & redditibus eandem ditantes. Nos quoque ad petitionem eorum, Præsentationem dictæ Parrochiæ, Ecclesiæ Sancti Geremari perpetuò possidendam concedimus. Ad cuius rei testimonium præsentem paginam dictis Monachis tradidimus, sigilli nostri munimine roboratam.

Datum Flauiaci Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo decimo quinto.

Girardus V. Idus Martij 1215. vitæ cursum peregit.

XXV. GIRARDVS *de Haraigny*, seu Eraigny, cuius supra me minimus, iterum communi Monachorum calculo ad Abbatię gubernaculum assumitur.

Testamento Flauiacensibus Crucem auream, & Ecclesiastica ornamenta, vnà villæ Spalburgi (vulgo *Espaubourg*) partem erogat in extremis positus *Philippus* Bellouacensis Præsul. Et hanc donationem successor *Milo*, obtento priùs à Canonicis Iure quod in eandem villam obtinebant, approbat in hæc verba.

MILO Dei gratia Beluacensis Ecclesiæ Minister humilis, Omnibus Christi fidelibus ad quos præsentes literæ deuenerint, æternam in Domino salutem. Notum facimus Vniuersis, quòd cùm quædam pars villæ *de Espaubourg* in hominibus, feodis, campiparte, terris, pratis, nemoribus, & rebus aliis, dictæ partis villæ pertinentiis, ex parte *Harmerici Ruffi* quondam Militis Beluacensis, ad piæ memoriæ *Philippum* quondam Beluacensem Episcopum, Prædecessorem nostrum, fuisset deuoluta; & idem Philippus Canonicis Beatæ MARIÆ Beluacensis in perpetuum prænominata contulisset: Idem Canonici de assensu Capituli Beati Petri Beluacensis, sufficienti excambio inde recepto, nobis eadem quittauerunt in perpetuum tenenda, vel cui vellemus transferenda.

Nos ergo Ecclesiam Flauiacensem paterno amore complectentes, ipsi, & Monachis ibidem commorantibus, hæc omnia concessimus tenenda in perpetuum liberè, & quietè, cum tota Iustitia, cum aliis, quæ antiquitùs prædecessorum nostrorum temporibus dicti Monachi ibidem liberè & pacificè possidebant, masagio scilicet suo, hominibus feodis, terris, pratis, nemoribus, decimis, molendinis, aquis, campiparte, & tota Iustitia. Itaque in dictæ villæ pertinentiis, nihil nobis retinemus, quin Monachi nominati in prælibatis plena gaudeant libertate. Nósque authoritate Episcopali, fide bona, tenemur guarandire prælibata. In cuius rei fidem &c.

MILO *Episcopus*.

Statuta præscripsit Girardus Abbas quæ ad præcipuas festorum spectant solemnitates: ita veteres consuetudines eiusdem Cœnobij.

Fundat ex consensu Capituli anniuersariam sui obitûs diem, anno 1235.

Mortem oppetiit Kal. Sept. 1236. Iacet in Capitulo; vbi hoc visere est Epitaphium sepulchro incisum.

Quid facimus cum negligimus peccata cauere.
Qui iacet hic semper studuit bona cŭcta fouere.
Cùm moritur, non deseritur Gerardus in imo.
Sed cœlo infertur dono ditatus opimo.

XXVI. GVILLELMVS *de Vilaines*, morum probitate Clarus. Sedet cum aliis Abbatibus Remensis Prouinciæ, in Capitulo, siue Congregatione apud Sanctum Vincentium Laudunensem conuocata.

Thecæ argenteæ auro, lapillísque adornatæ, solemni ritu, adstantibus Guillelmo, ex Flauiacensi Monacho Abbate Cluniacensi, & Guillelmo de Vilaines, Guillel. Episc. benedictionem impertitur, & in ea sacrum Sancti Geremari brachium reconditur.

Anno 1255. Guillelmus *pium Patris ostendens affectum*, prædia quædam ne suis tùm sanis, tùm infirmis quid deesset, selegit ac decernit. Quod quidem statutum ab Episcopo Beluacensi Guillelmo, nec-non ab Alexandro IV. piæ memorię voluit approbatum. Quod & actum est. Causam autem eiusce decreti hanc adfert. *Egestas enim murmuris, & impatientiæ, atque etiam cupiditatis nonnunquam est occasio.* Egregia Guillelmi prouidentia! Diem vltimum clausit XVII. Kal. Iunij 1259.

XXVII. PETRVS *de Vesencourt*. Pręclaro opere immortales glorias ipso sui regiminis primordio

primordio consecutus est. Siquidem summæ Dei Matri Virginíque Sacellum, mirâ structurâ exædificauit & consecrauit; quod etiamnum extat; præstatque cùm pulchritudine, tùm amplitudine sacris penè omnibus Galliæ Ædiculis. Constituit in eo sacra quotidie agenda, precésque horarias, suis annitentibus, persoluendas.

Fœdus siue societatem pactus est cum sancti Audoeni Rothomag. Cœnobitis an. 1261.

Auctas verò sancti Geremari possessiones amplissimis muneribus Petri, indigetat annua diei depositionis eiusdem Petri commemoratio, ordinata mense Maio, 1269.

Ineunt mense Iulio 1275. Sangeremarenses & sancti Luciani Bellouacensis Monachi vnâ societatem.

Tertio Kal. Maij 1272. cursum vitæ impleuit Petrus, & in atrio sacelli à se constructi afficitur, cum hac rithmicâ Epigraphe, sepultura:

Petrum Petra tegit Abbatem, qui bene rexit
Claustrum Germense; quem Christus seruet ab ense.
Deuotæ vitæ semper fuit, & sine lite.
Elegit Cellam, quam condidit ipse Capellam
Virginis in laude Cœli, vt requiescat in æde,
Huic sit propitia Via Cœli Virgo MARIA.

XXVIII. MICHAEL *è Castaneto*, vulgò *Catenay*, prope Claromontem Beluacensem oriundus: prius Flauiacensis Cœnobij Cellerarius. Accuratè disciplinâ Monasticam seruauit. Impetrat à *Philippo* III. Francorum Rege Priuilegiorum cõfirmationem an. 1275. Et anno 1276. Mense Augusto nonnullas confert possessiones, *Pro solemnitate Officij*, inquit, *die obitus nostri anniuersario faciendi, & pro libris Ecclesiæ nostræ reparandis.*

Sepulti iacent in æde Deiparæ Virginis, *Guillelmus*, ac *Reginaldus* Castellani Beluacenses: quorum depositionis dies anniuersaria notatur ab anno 1271. In hac ipsa Æde sacra visuntur & alia sepulchra.

Naturæ debitum soluit Michael IV. Kal. Augusti 1284. & ante Altare eiusdem ædis conditus est.

XXIX. PETRVS II. Diploma Philippus IV. Francorum Rex, Petro annitente, Flauiacensibus concessit, quo ipsorum vniuersæ immunitates ac possessiones sub Regia tuitione, velut ipsius præstiterant antecessores, declarat anno 1287. Obijt Petrus IX. Kalend. Octobris 1299.

XX. FVLCO. Charum domesticis, exterísque Fulconem extitisse, ac Fratrum concordiæ, probæque conuersationi consuluisse, exhibent Cœnobij membranæ. Villam de Reilly in Pago Vilcassino, vbi elegantem ædiculam construi curauit, & alia plura Monasterio acquisiuit. Orbatur vitâ XVII. Idus Ianuarij 1317. cuius sepulchralis tumuli talis est inscriptio.

Fulco sub hac silice milleno triplici. c. anno,
Septenóque simul latuit, iuncto sibi deno.
Fœlix Ecclesia tanti Pastoris alumna.
Nunc dolet illa, quia talis sibi dempta Columna.
Visus erat melior nullus, qui quidquid acerbi,
Aut fausti accideret, non dispare mente subiret.
Hic Abbas humilis, doctus fuit, atq; pudicus.
Vir sanctus, prudẽs, & semper pacis amicus.
Nescius iste doli, quia seruiuit tibi soli:
Quòd pereat noli, cœlo at da, Christe beari.

XXXI. ROBERTVS. Mortem oppetiit XII. Kalend. Octobr. 1333. Et in Æde Deiparæ Virginis sepelitur, insignitúrque hoc Epitaphio.

Hîc iacet Frater ROBERTVS de Marcellis *quondam Abbas huiusce Monasterij. Migrauit ad Dominum anno millesimo trecentesimo trigesimo tertio, in Vigilia Sancti Matthæi; cuius anima requiescat in pace.*

XXXII. IOANNES II. Vir haud infimæ notæ: onus præfecturæ grauius sentiens, subesse quàm præesse maluit; Idcircò illud in humeros Arnulphi, spectatæ vitæ Monachi, deposuit, & Religiosè vitâ triennio peractâ, V. Id. Iulij 1353. obdormiuit in Domino.

XXXIII. ARNVLPHVS. Anno æræ Christianæ 1364. Galliarum Rex Carolus libertatem Flauiacensium vendicat hoc Rescripto.

CAROLVS Dei gratia Francorum Rex, Vniuersis præsentes literas inspecturis, Salutem. Notum facimus, quòd cùm Religiosi, Abbas & Cõuentus Monasterij S. Geremari de Flaïaco, Beluacensis Diœcesis, occasione cuiusdam domus cum certis censibus, quam, seu quos habent in villa Beluacensi, per Burgenses habitantes ipsius villæ Beluacensis, compulsi fuerunt ad contribuendum, & soluendum cum eis tallias, & impositiones in dicta villa factas, pro reparatione, & fortificatione necessariis dictæ villæ, ex quibus compulsi fuerint ad contribuendum & soluẽdum cum eis tallias. Iidem Religiosi certam partem seu portionem guerris durantibus persoluerunt: quod tamen futuris temporibus eisdem Religiosis posset in damnum cedere. Quamobrem nos qui libertates & franchisias personarum Ecclesiasticarum, totis conatibus volumus obseruare, eisdem Religiosis concessimus & concedimus, etiam de gratia speciali, per præsentes, vt ipsi, & dicta

eorum domus, & census prædicti, ab huiusmodi contributionibus, sicut præmittitur, factis, vel aliis cõsimilibus, in posterum faciendis per Burgenses & habitantes in dicta villa Beluacensi omninò, prout ante fuerunt, liberi futuris tẽporibus remaneant, & immunes.

Et quòd propter huiusmodi contributionẽ, guerris vigentibus factam; nullũ eisdem Religiosis, aut eorũ Ecclesię prçiudiciũ de cętero generetur, literis in cõtrarium impetratis, vel impetrandis, nonobstantibus quibuscunque.

Datum Parisiis die prima Martii, an. Domini millesimo trecẽtesimo sexagesimo quarto, Regni nostri anno primo. Per Regem ad relationem consilii. Signatum de Remis.

Arnulphus vita fungitur anno 1371. XI. Kalend. Iunii.

XXXIV. IOANNES III. Expleto administrationis septennio 8. Kalend. Decemb. 1378. finem clausit.

XXXV. IOANNES IV. *Remon.* Conferuntur more maiorum litteræ à Carolo Rege Francorum; quibus, quæcumque Iuris sunt Flauiacensis Cœnobii confirmantur, Regni ipsius 17. anno, Christi verò 1380.

Ioannes de Rochers Doctor in Decretis, ex Monacho Flauiacensi Fiscanensis Monasterii eleemosynis Præfectus; ad Fontanellensis siue S. Vandregisili Asceterii Magistratum euocatur, ac tandem nouissimum diem sortitur quarto Maii 1412.

Ioannes autem Flauiacensis Antistes, pridie Kal. Sep. 1391. atq; in S. Geremari sacello, vbi eius effigies demõstratur, traditur sepulturæ.

XXXVI. EVSTACHIVS II. Ipso Abbate Francorum Regina Blancha, Philippi VI. quondam vxor, peragẽda ritu solẽniori diuina officia quotannis statuit ad hunc modum.

BLANCHA Dei gratiâ Franciæ Regina, omnibus, tam præsentibus quam futuris, hanc paginam inspecturis. Notũ facimus quòd nos ob specialem deuotionem, qua erga Ecclesiam S. Geremari de Flauiaco, afficimur, & ad augendum ibidem Dei cultum, concessimus & dedimus; & per præsentes concedimus & damus, omnem decimam villæ *Hardencourt* in Parrochia de Ferrieres Diœcesis Beluacensis, in Castellania nostra Gornaci, cũ suis Iuribus & pertinentiis, perpetuò possidendã; quam nuper à Ioãne le Feure, dicto Fraillon Presbytero Curato de Belliere, prout latiùs in literis super hac re confectis cõtinetur, acquisiuimus; ita tamen, vt hæc decima semper tota in Cõuentũs, & nulla eius pars in Abbatis vnquã vsus cedat. Nec-non summã quinquaginta Frãcorum aureorum, in Ecclesiæ & aliorum locorum ei subiectorũ reparationes expendendam, cum præfata decima hodie iisdem tradidimus; sub hac lege, vt singulis annis, die nostra natali, quæ est secunda Aprilis, quoad vixerimus, Missa solemnis de Spiritu S. cum Diacono, & Subdiacono Dalmatica & tunica indutis, & cum vna collecta, pro salute animarum Philippi Regis Francorum, domini & coniugis mei charissimi; & Ioannæ filiæ meæ, in Ecclesia præfata celebretur. Post nostrum verò ex hac vita decessum, in die obitûs nostri singulis annis, Vigiliæ & Missa defunctorum solemnis cum Diacono & Subdiacono, vt supra indutis, pro animabus præfatorum domini Regis Philippi, & Ioannæ, & nostra (quorum nomina in Missali Maioris sacri, & in Martyrologio, ne hæc nostra Ordinatio obliuioni tradatur, annotari volumus) ibidem cantabuntur.

In cuius Concessionis & Ordinationis fidẽ, & stabilitatem acquisitionis decimæ prædictæ, literas præfatis Religiosis tradidimus, & præsentibus nostrũ iussimus apponi sigillum.

Datum in Castro nostro de Neaufle anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octauo, die vigesima sexta mensis Iunii.

Priuilegio Eustachiũ Abbatem ornat Ioannes XXII. seu XXIII. P. M. quo ius vtendorum inter sacra solemnia Pontificalium ornamentorum concedit. Sic autem habent literæ.

IOANNES Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Eustachio Abbati, & Conuentui Monasterii S. Geremari de Flauiaco, Ord. S. Benedicti, Beluacensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Exposcit me deuotionis sinceritas, & Religionis promeretur honestas, vt tã vos, quos speciali dilectione prosequimur, quàm Monasterium vestrũ, dignis honoribus attollamus. Hinc est quòd nos vestris supplicationibus inclinati, vt tu fili Abbas, & successores tui Abbates dicti Monasterii, quierũt pro tempore, mitrâ, annulo, & aliis Pontificalibus liberè possitis vti, necnon quòd in dicto Monasterio, & Prioratibus eidẽ Monasterio subiectis, ac Parrochialibus, & aliis Ecclesiis ad vos communiter, vel diuisim pertinentibus, quamvis vobis pleno iure non subsint, benedictionem solemnem, post Missarũ, Vesperarũ, & Matutinarũ solemnia, dũmodò in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, vel Apostolicæ sedis Legatus præsens non fuerit, elargiri possitis: fœlicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædecessoris nostri, quæ incipit, *Abbates*, & aliis quibuscũque Cõstitutionibus Apostolicis in cõtrariũ nequaquam obstantibus; vobis, & eisdẽ successoribus, Auctoritate Apostolica, de speciali gratia, tenore prçsentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Concessionis infringere, vel ei ausu temerario cõtraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum apud Sanctum Antonium extra muros Florentinos, Kalendis Nouembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

Caſtrum de *Gondray*, vbi ſeſe Abbas ac Monachi receperant, Angli, & qui à partibus ipſorum ſtabant Burgundi, prodente Petro de Villequain, cui commiſſum fuerat, capiunt, diripiuntque vniuerſa, ſyntheſes tum ſacras, tum prophanas; libros, chartas, & cætera id genus.

Munus ſuum impleuit & exceſſit Euſtachius V. Kal. Sept. 1415.

XXXVI. IOANNES V. Cùm multas calamitates fuiſſet triennio propter militum graſſationes perpeſſus, migrauit à vita anno Domini 1418.

XXXVII. IOANNES VI. *le Veneur* probitatis, doctrinæque fama illuſtris. Anno reparatæ ſalutis 1456. ſui regiminis 38. tranquilliora præferens vltrò ſe munere abdicauit, & illud Petro Sancti Vandregeſili Aſcetæ commiſit; ac poſt ſeptennium IV. kal. Febr. 1462. ab hominibus demigrauit.

XXXVIII. PETRVS III. cognomine *Aubert*, per deceſſoris ſui ceſſionem, totius Congregationis approbatione, gubernacula Monaſterij ſuſcepit, multóſque labores, quò reſtituerentur poſſeſſiones vi ablatæ, tota propè adminiſtrationis tempeſtate ſuſtinuit.

Iſte prolixam, quam initio huiuſce Compendij prætulimus, à Ioanne Beluacenſium Præſule habuit ſchedam, ſui regiminis anno 46. Vitę corporis finem imponit IV. Decembris, æræ Chriſtianæ 1500.

XXXIX. GVIDO *de Villiers de l'Iſle-Adam*, nobili ſtirpe procreatus: qui ferendo oneri fuit his ipſis bellorum tempeſtatibus, quíque vt omnia ſuſque deque habita in priſtinam integritatem aſſereret, Deo prouidente, eligitur: Diſperſos Monachos reuocat, ſubminiſtrat victûs neceſſaria. Templum inſtaurat, ſacráque ſupellectili adornat. Tótque demùm ac tanta efficit Paſtor optimus ipſe, vti haud immeritò *Reſtauratoris* nomen adipiſci mereatur.

Tandem poſt exantlatos in reſarciendo Monaſterio iuges labores, ad ſuperos euocatur venerabilis Guido, atque dextrâ Chori parte funeratur; cuius ſepulchrali lapidi inſculptam effigiem, vnà ſequens Epitaphium proſpicere eſt.

HIC IACET REVERENDVS IN CHRISTO PATER DOMNVS GVIDO DE VILLERS DE L'ISLE-ADAM, MONACHVS ET ABBAS HVIVS COENOBII, QVI OBIIT ANNO DOMINI M. D. XXXVI. DIE XXIII. IVNII. REQVIESCAT IN PACE.

Parieti verò proximo, hoc encomium æneæ laminæ inſcriptum.

Ci giſt Reuerend Pere en Dieu Guy de Villers, en ſon viuant Religieux & Abbé de ceans : iſſu & parent des nobles & anciennes Maiſons de l'Iſle-Adam, & Aubremont : fils de haut, noble, & puiſſant Seigneur Meſſire Antoine de Villers, en ſon viuant Cheualier Seigneur de l'Iſle-Adam; Preuoſt de Paris &c. Et de noble Dame Madame Ieanne de Nelle, frere de feu de bonne memoire Reuerendiſſime frere Philippe de Villers, Cheualier & Grand Maiſtre de Rhode. Pareillement frere de feu Reuerend Pere en Dieu Louis de Villers, en ſon viuant Eueſque Comte de Beauuais, Vidame de Gerbroy & Pair de France, Oncle de feu Reuerend Pere en Dieu Charles de Villers, auſſi Eueſque Comte de Beauuais. Et auſſi Oncle de noble & puiſſant Seigneur & Cheualier de l'Ordre du Roy noſtre Sire, Meſſire Anne de Montmorency, Seigneur & Baron dudit Montmorency, Comte de Beaumont ſur Oyſe, Grand Maiſtre, Mareſchal de France, Gouuerneur du pays de Languedoc, & du depuis Conneſtable de France : & de Meſſire François de Montmorency Seigneur de la Rochepot & de Merlou, Gouuerneur & Lieutenant pour le Roy au Pays de Picardie. Auſquels Seigneurs de Montmorency eſt neueu Reuerendiſſime Odet de Colligny, vulgairement dit de Chaſtillon, Cardinal du Saint Siege, Archeueſque de Thoulouſe, Eueſque Comte de Beauuais, Pair de France &c.

Lequel Guy de Villers en ſon viuant apres auoir reſtauré l'Egliſe de Ceans, fait pluſieurs autres biens; & dauantage auoit fait l'acquiſition de la terre & Seigneurie de Boisville, a fondé vn Obit qui ſe dit par chacun an à treize fois; ſçauoir les premiers Samedys de chaque mois, & à tel iour qu'il deceda de ce monde, qui fut le vingt-troiſieſme iour de Iuin l'an de grace mil cinq cens trente-ſix. Priez Dieu pour ſon Ame.

ABBATES COMMENDATARII.

XL. IOANNES à *Lotharingia* S. R. E. Cardinalis tit. Sancti Onufrij, vi, ac Monachis renitentibus, Abbatiam retinet in Commendam.

XLI. Georgivs *de Narbonne* per vltroneam Ioannis cessionem.

XLII. Franciscvs *de Tournon.* Episcop. Cardinal.

XLIII. Odettvs *de Colligny*, vulgò *de Chastillon*, Caluiniana hæresi infectus: quapropter eo expulso

XLIV. Carolvs *de Bourbon dë Vendosme*, administrationem sortitur anno Christi 1569.

XLV. Carolvs *de Bourbon de Vendosme*, præfati Caroli nepos.

XLVI. Franciscvs *d'Espinay*, Dominus *de saint Luc*, prouentus, Stephano Auxdents Oeconomo, sibi vendicat.

XLVII. Franciscvs *de Monceaux de Villers-hodanc*, abdicante Francisco d'Espinay, rebus Flauiacensibus potitur. *Equitis Abbatis*, quoties subscriberet, nomen vsurpabat.

XLVIII. Carolvs *de Monceaux*, cui Franciscus germanus Abbatiam, seruata sex millium librarum pensione, tansmittit.

XLIX. Franciscvs *de Tiercelin de Brosse.* Caroli de Monceaux ex nepte pronepos.

Anno Domini 1644. Avgvstinvs *Potier* Episcopus Beluacensis, morum grauitate, pietate, doctrina clarissimus, cùm prece, tùm minis, & authoritate, Regulæ Benedictinæ obseruantiam, accitis ea de re Monachis Congregationis Sancti Mauri, instaurauit, quæ, Deo afflante, viget hodièque. Vnde Præsul ille memoriam consecutus est immortalem.

Pag. 471 lin. 44. (*Extructis itaque inibi ædiculis propè Ecclesiam.*) Sæpiusculè id actitatum tradunt Auctores quàm multi, Guiberti matris non modò tempestate, sed & plura ante sæcula: cuius rei Chronicon Besuense amplissimum suppeditat monumentum; Epistolam videlicet Adalsindæ Antistitæ, quâ & seipsam, & quidquid possessionis suo erat Monasterio, Besuensibus contradidit, & iuxta ipsorum Ecclesiam habitauit. En illam primùm euulgamus.

DOMINO SANCTO ET IN CHRIsto amabili Fratri VVALDALENO, ADALSINDA ABBATISSA.

DVm malorum hominum vexata iniuriis, & variis aduersitatibus ibidem stare non possem, inde ego & germanus meus Adalricus, vobis & fratribus vestris petiuimus, vt ad Monasterium sancti Petri habitare sub Regula vel Ordine in Dei nomine deberem; quod & vos pro charitatis studio concessistis. Ideò monasterium Dornatiacum, in honore sancti Martini situm, quod genitor meus Amalgarius, & Aquilina mater mea construxerunt, & ei maximam partem de suis facultatibus delegauerunt, hoc recipere in Dei nomine debetis cum villis ad locum pertinentibus, & omnibus vniuersaliter appenditiis suis; villam scilicet Assonam, villam Parniacum, Potentiacum, & medietatem, quam in Balatonna genitores nostri tenuerunt. Reliqua verò, quæ ad ipsũ Monasteriũ Dornatiacũ genitores nostri delegauerunt, à die præsenti in Dei nomine recipite. Et de villa Montaniaco quod genitor noster Amalgarius, & Amoloaldus de fisco pariter promeruerunt, portionem nostram à die præsenti in vestra dominatione reuocate, vt nec ego, nec quislibet de parte nostra, vlla apposita persona, aduersum vos de supradictis rebus calumniam ac laborem generare præsumat. Si qua verò fecerit, conferat vna cum sacratissimo fisco auri libras xx. argenti pondo quinquaginta.

Actum publicè Fonte-Besua Monasterio, in Dei nomine. Ego Adalsinda hanc traditionem nostram subscripsi. Aga Monacha iussu Dominæ meæ Adalsindæ subscripsi, hanc donationem. S. Dagnius. S. Munulfus Presbyter. S. Victor. S. Proculus. S. VValibertus. S. Landebertus. S. Trasgarius. S. Rogitus. Ego Allo hanc traditionem scripsi & dictaui, Anno ab Incarnatione Domini D. C. LII. Indictio. X. Epacta VI. Clotario Rege regnante in Francia, primo anno regni eius; Venerabili viro Donato Besonticam sedem tenente, die Mercurij proximo ante mediũ mensis Febr.

Biographus S. Godefridi Ambianensis lib. 1. cap. 27. *Adelheidis Cociaci Vicecomitissa, liberalitatis & castitatis multa præclara de se præbuit exempla. Ea facultatibus suis magna ex parte in pauperes, & pupillos, & Ecclesias erogatis, contemptis mundi pompis, Nouigentum venit, atque illic in multa puritate & sanctitate vitam egit.* Dum scilicet Abbatis munere fungeretur sanctus Godefridus. Chronicon Beccense in calce Operum B. Lanfranci, ad ann. 1089. *Tempore Sancti Anselmi Abbatis Becci tres matronæ nobiles dederunt se in subiectionem* Becci, *videlicet* Basilia *vxor Hugonis de Gornaco, & Amfrida neptis ipsius* Basiliæ, *& Eua vxor Guillelmi Crispini &c.* Quod verò refert Gilbertus Crispinus in vita Beati Herluini pag. 35. (post Chronicon Beccense) non potes non mirari: *Simili se inibi*, inquit, *propter Deum seruituti nobilis mater eius* (B. Herluini) *addixit & concessis Deo prædiis quæ habebat, ancillæ fungebatur officio, seruientium Deo pannos abluens, & quidquid injungebatur extremi operis accuratissimè agens.* His non absimile altero pòst seculo factum Iauserannæ nobilissimo loco natæ, hîc in gratiam antiquitatis studiosorum adijciam.

Sciant præsentes, & discant posteri, quòd anno Incarnationis Dominicæ 1223. mense Maij 12. Kalendas Iunij, Ego Iauseranna filia quondam Domini Guillelmi de Medullione, vxor quondam Bernardi de Sancto Saturnino, dedicò meipsam Deo, & Monasterio Sancti Andreæ, & Ecclesiæ Beati Laurentij de Barreto; & pro salute animæ meæ, & parentum meorum, dono & offero eidem Monasterio, & eidem Ecclesiæ Sancti Laurentij quædam de bonis meis paternis, positis in Castro de Barreto inferiori, intus & extra, cætera filiis meis relinquens B. & W. & B. spontè non coacta, non suasionibus alicuius, vel aliquorum seducta, purè, & sine conuentione, & conditione aliqua, in perpetuum donatione irreuocabili facta. Dono, inquam, septem mansiones hominum, & eorum successorum & ipsos homines. Et aliis interiectis.

Quæ omnia superiùs dicta, & nominata, prædicti Fratres filij prædictæ Iauserannæ promiserunt ita attendere, seruare, & contrà vllo tempore non venire Domno Bermundo Abbati Sancti Andreæ, & Priori Ecclesiæ dictæ Sancti Laurentij; & tactis Sacrosanctis Euangelijs iurauerunt. Et insuper ego Iauseranna prædicta professionem emitto, & me imperio & mandato Domni Bermundi Abbatis, & eius successoribus subijcio, & in manu Caluerij, de mandato ipsius Domini Abbatis, me absque proprio viuere promitto; promittens etiam me obedientiam, & continentiam quantùm permiserit diuina gratia, seruaturam: & habitum Monachalem suscipio, & quandiu vixero, secundum Regulam Beati Benedicti viuere promitto, & tempori probationis renuntio.

Et ego Bermundus Abbas prædictus professionem à te, Iauseranna, emissam recipio, & tibi Monachalem habitum concedo.

Et ego Raymbaudus de Kalma maior dominus Castri de Barreto inferiori, donationem seu oblationem supradictam consensu meo & voluntate factam à te, Domina Iauseranna supradicta, Monasterio Sancti Andreæ, & prædictæ Ecclesiæ sancti Laurentij approbo, & in perpetuum laudo; & confirmo, filiis tuis in præsentia mea constitutis. Ad maiorem memoriam rei & robur in antea valiturum, hanc chartam feci sigilli mei munimine roborari. Et omnes nos fratres prædicti, filij dominæ Iauserannæ prædictæ, de mandato ipsius hanc chartam donationis seu oblationis prædictæ sigilli nostri munimine roboramus. Actum est hoc subtus Ecclesiam Beati Laurentij in prato ipsius Ecclesiæ, præsente domino Raymbaudo de Kalma, & Ioanne de Andusia, Monasterij sancti Andreæ operario, & B. Laurgerio Priore de Saltu, & Rainardo, & Ioanne Bertrando Monachis, Hugone de Pino, Raymundo, & VVillelmo de Pino fratribus, Bertranno de Pennis Milite &c.

A Et hoc quidem monumentum cartophylacij Abbatiæ Sancti Andreæ secus Aueniónem, Domnus Claudius Chantelou sodalis meus, rei antiquæ peritus indagator, dum his in regionibus ageret, excerpsit, mihíque amicè suggessit.

(*Et sutulari partusuris incorrigibilibus terebrato.*) Hoc est calceo, siue calceis omninò detritis vtebatur. Partusuram autem vel pertusuram à verbo pertundo deriuari conijcio. Sanctus Rogerius Abbas Ellantij in hunc modum sese gerebat: *Sotulares tamdiu frequenter portabat foratos, donec stramen per soleas exiret.* Eius acta cap. 7. ad diem 4. Ianuarij apud Bolandum. De hac voce *sutularis*, variè scriptores: quidam *subtalaris*, *sutalaris* alij, nonnulli sotularis exarant. In vita Sanctæ Gudilæ Virg. cap. 2. *Dimidiis vtebatur subtalaribus, vt superior pars pedum videretur.* Auctor vitæ S. Eguini Episc. Vigornensis c. 4. *sotulares*. Ionanes S. Odonis biographus l. 2. post. med. *Subtalares*. Orderic⁹ Vital. Hist. lib. 5. pag. 591. *subtolares*. Pag. 596, *sotulares*. Quibus sotulares siue sutulares pro calceis vel tegumento pedum vsurpari clarum est. pag. 471 colom. 2 lin. 44.

B C (*Prosulas, Versiculósque componere.*) Superest solummodò Prosa, seu (vt vocant) Sequentia de Sancto Geremaro (quæ etiam-num in eius die festo decantatur) cum hac epigraphe: *Sequentia in Festo sancti Geremari, quam Domnus Guibertus huius Ecclesiæ Monachus dictauit ingenio suo.* Sic incipit: Pagina 473. lin. 5.

Adest præcipua, fratres, materia, diei consona date præconia &c.

Quid Prosa, quid Antiphonæ, docet S. D Isidorus lib. 1. Orig. cap. 37. & lib. 6. cap. 19.

(*Multas enim inuidentias &c. patiebar.*) Vnde sibi temperare nequit, quominus sæpiusculè suis in scriptis facessita sibi repetat negotia: potissimùm verò id initio cuiusque libri Commentariorum in Genesim, necnon Epistolâ ad Odonem San-Symphorianum Abbatem libro de Pignoribus Sanctorum præfixâ. Pagina 475. lin. 16.

(*Cuius nomen & pignera.*) Subuculam seu camisiam eiusdem Gloriosæ Virginis (cuius gratia celeberrimum est Carnotense delubrum) hisce verbis intelligi existimo. Ibidem colom. 2. lin. 34.

E (*Nullis impressa tabulis.*) Conceptos animi fœtus olim solemne Scriptoribus erat in tabulis cereis siue pugillaribus stilo exarare; ac postmodum vbi ad limam & incudem eos reuocarant, exscribebant in membranis: extat exemplum in fine vitæ Sancti Bonifacij Moguntini auctore Sancto Vilibaldo, ab Serrario euulgatæ: *Ego VVilibaldus Episcopus &c. Vitam & passionem Bonifacij conscripsi, primùm in cereis tabulis ad probationem Lulli & Megengaudi. Post eorum examen in pergamenis rescripsi &c.* Pagina 477. colom. 2 lin. 55.

Locum verò, vbi olim Monachi scriptioni operam dabant, Scriptorium solere nuncupari, præter innumera antiquorum testimonia, perhibet vetustissimus Liber Sacramentorum nostri Corbeiensis Monasterij, Tit. *Oratio in Scriptorio*, quæ sic exprimitur.

Benedicere digneris Domine hoc Scriptorium famulorum tuorum, & omnes habitantes in eo: vt quicquid diuinarum Scripturarum ab eis lectum, vel scriptum fuerit, sensu capiant, opere percipiant. Per Dominum &c.

Pagina 482. lin. 28. (*Signo crepitante.*) Apertiùs quid eo loci innuere velit Auctor, explicat ipse cap. 23. siue 24. pag. 486. C. *Ad conuocandum aliorum conuentum tabulam ex more percutiunt.* Ista siquidem disciplina continuò ad nostra tempora, præter nolas & campanas in vsu Monasteriis fuit, tabulis seu malleis ligneis, Cœnobitas ad priuata quædam exercitia conuocari, vel excitari à somno. Vitæ Patrum lib. 5. libel. 17. n. 20. *Percute signum in cella fratrum, vt congregent se hic omnes.* Cassian. lib. 4. de Inst. renunt. cap. 12. *Cùm sonitum pulsantis ostium, ac diuersorum cellulas percutientis audierint; ad orationem scilicet, seu ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubiculis suis vnusquisque prorumpit.* Adolius Tarsens. in vita Patrum cap. 14. *Tempore consueto exercitatorio malleo pulsabat cellas omnium &c.* Lanfranc. Decret pro Ord. S. Benedict. cap. 9. *Cura* (Infirmario) *de administranda tabula, quam ex more Prior percutit &c.* Et cap. 23. de ægrotantibus morti proximis : *Cumque eum iam in exeundo viderit laborare, gestans manu tabulam, ad ostium Claustri currat, ictúque creberrimo acriter eam percutiat, quousque in Conuentu auditum esse cognoscat.* Declarationes Patrum Cong. Sancti Mauri in Regulam S. Bened. cap. 8. *Fratres omnes malleoli strepitu ostiatim excitabuntur.*

Ibidem lin. 31. (*Vt monastici moris est, cilicio suppositum.*) In extremis positos vitæ asceticæ professos, cilicio cineríque imponi nil vsitatius olim; quò Filij Dei è cruce ad gloriam transeuntis propiùs imitarentur exemplum. Decret. B. Lanfranci loco proximè citato : *Ægro in agonia posito, frater qui ad hoc deputatus est, cilicium expandat, & supra illud mensuram longitudinis, quam ipsum cilicium habet, signum crucis de cineribus faciat, morientémque fratrem desuper ponat. &c.*

Quid verò moris fuerit in Congregatione Cluniacensi tempore B. Hugonis, caput 26. Statut. exprimit; quod subijcere (etsi prolixius) haud erit ingratum, vtpote plurima continens notatu dignissima:

DE OBITV FRATRIS ET Sepultura.

FRater qui se infirmitate ingrauescente senserit in proximo ab hoc sæculo migraturum, de omni conscientia sua domno Abbati, vel Priori confiteatur; & si in Capitulum vult ire, ostendit Priori vel per se, vel per infirmarium; & posteà adducunt eum duo Fratres inter manus, si est adeò infirmus, & petit veniam, reúmque se de multis negligentiis contra Deum, & contra illos confitetur. Absoluit eum Prior, & cunctis respondentibus, Amen, ipse cunctos si quid contra eum deliquerint, absoluit; omnésque de suis sedibus altiùs inclinant. Posteà reducitur; reductus rogat vt oleo infirmorum vngatur, & tunc collocatur in lecto tali, id est ad terram demisso, vbi Fratres possint vndique circumstare. Tunc Prior qui tenet ordinem, innotescit armario, & Armarius præuidet omnia ad hoc necessaria; scilicet Sacerdotem; quem indui facit alba & stola, & Conuersos, qui deferant aquam benedictam, crucem, & candelabra, & ipse portat oleum. Tunc paratis omnibus præcedit processio, & subsequitur Sacerdos, & per antiquam consuetudinem totus Conuentus, imposito quinquagesimo Psalmo, & postea si opus fuerit adjunguntur &c.

Aliquantò post sequitur.

Interim Sacerdos hoc modo facit vnctionem. Pollicem oleo illinit, & cum pollice signum crucis imprimit super vtrumque oculum ita dicendo. *Per istam vnctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum.* Super vtramque aurem; *per auditum.* Super vtraque labia; *per gustum.* Super nasum; *per odoratum.* Super manus; *per tactum.* (Et Frater Conuersus est interiùs, si Sacerdos exteriùs) super pedes; *per incessum.* Super inguina; *per ardorem libidinis.* Quo facto lauat manus, & priùs in cinere confricat : Olim istud fiebat in crustis siliginei panis; & hæc lauatio non nisi in igne, vel in loco mundo & abdito solet effundi. Tunc si infirmus non communicatur, ab ipso Sacerdote dicuntur omnes hæ collectæ, præmissis his capitulis: *Saluum fac seruum tuum &c.*

Postquam in Ecclesiam venerint, vnum de quotidianis calicibus in armario accipit, vel ipse Sacerdos, vel Armarius, (prius tamen lotis manibus) & vinum & aquam ac si Missa cantari deberet, infundit. Tunc Sacerdos ad maius altare, super quod Domini Corpus seruatur, accedit, & priùs quàm accipiat, incensat; postmodum accipiens, frangit super ipsum calicem; & illam partem,

quam allaturus eſt, ſuper calicem tenet, aliam in pixide reponit; & tunc ab Armario tam manus Sacerdotis, quàm ipſe calix linteolo mundiſſimo cooperiuntur. Si tunc Conuentus in Choro eſt, quando diſcedit ab altari, totus veniam pro reuerentia Dominici Corporis petit. Similiter vbicumque viderint eum Fratres tranſeuntem faciunt. Interea curatur, vt infirmi bucca lauetur recepturi ipſum Dominicum Corpus. Priùs autem quàm recipiat, *Confiteor* dicitur, & Fratribus in commune *Miſereatur veſtri* reſpondentibus; ſolus Sacerdos proſequitur: *Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum tuorum &c.* Ipſum autem Domini Corpus in vino aquæ permixto intinguitur. Quo epotato ebibit quoque ablutionem calicis, & ſi poteſt ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc Calicis, ſi non poteſt, alius ebibit. Adhibetur quoque illi Crux à Sacerdote, vt eam adoret, & oſculetur. Oſculatur etiam quaſi vltimum vale facturus; primò Sacerdotem, deinde omnes Fratres, & per antiquam conſuetudinem, ipſos quoque pueros. Redit Conuentus.

Poſtquam autem Frater ad huiuſmodi venerit infirmitatem, adhibetur ei vnus famulus, qui non habet aliud facere, niſi vt obſequatur Infirmo; ſed & in nocte famuli omnes qui ſunt in Infirmaria diligenter excubant, ne obitus eius improuiſus eueniat. Crux eſt contra faciem eius affixa, & lumen cerei vſque ad claram diem non deficit. Siquis Frater eſt ita religioſus, cui hoc pro ſingulari libuerit affectu, vt ipſe quoque remaneat cum infirmo excubans, libenter ei prior adquieſcit. Famuli qui ſunt in talibus multùm exercitati, multùm opperiti, cùm viderint iam eius exitus horam imminere, cilicium ad terram expandunt, & cinerem in crucis modum ſpargunt, Infirmum de lecto leuatum in cilicium ponunt. Deinde Infirmarius debet Priori notificare, quòd ille Frater ſic eſt propè ſuum finem. Prior verò, ſi æger habuerit memoriam, præcipiet alicui Fratrum, vt legat coram eo paſſiones: ſi autem non habuerit, præcipiet duobus, vel quatuor, vt indeſinenter ibi cãtent pſalmos, donec notum ſit & pateat, animam de corpore iam egreſſuram ſine longa mora. Quod cùm viderit famulus, qui benè doctus & vſitatus in tali officio eſt, tum demum arreptam tabulam debet fortiter, & cum feſtinantia multa, percutere in clauſtro ante gradum dormitorij: priùs, ſi nox eſt, accenſis lucernis in Clauſtro infirmariæ, & per aditum per quem itur in Infirmariam &c. *Hactenus liber MS.*

Locum in quo moribundi corpus deponi ſoleret, deſcribit Petrus Venerab. de Miraculis cap. 19. *Habetur autem* (Cluniaci) *in domo media* (infirmorum) *locus vnius corporis capax, ad hoc aptatus, vt Fratres ibidem in cinere & cilicio compoſiti, extremum Deo Spiritum reddant &c.*

Addit & ille eodem lib. cap. 4. Morem hunc eſſe Chriſtianorum & *maximè Monachorum*: qui vtique ſcriptis verbiſque non modò, ſed potiſſimùm vbi ad altiora euecti Eccleſiis præſiderent, actutùm homines ad ſeueriores rigidioreſque antiquorũ Chriſtianorum mores allicere conabantur (quod ſcitè obſeruauit doctus admodũ Ioan. de Launoy) *Vt conformes fierent imaginis Filij Dei &c.* Apoſtolus. Siquidẽ *dura & aſpera, per quæ itur ad Deum, propter emendationem vitiorum, & conſeruationem charitatis*, planè eos qui Chriſto dedêre nomen condecet, ait cap. 58. & in Prologo Regulæ Sanctus Benedictus, *Arctiſſimæ vitæ Magiſter optimus*; à Magno Gregorio dictus, lib. 4. in libro Reg. cap. 9.

Hinc in ſcholis Monachorum qui cùm pietate, tùm literis imbuebantur, altè adeò in mente retinebant quæ viſu ac vſu didicerant, vti poſteà toto vitæ curriculo ea ſuis moribus exprimerent. Omnium vice fuerit Ludouicus Groſſus Francorum Rex, quem à puero pater Philippus Sandionyſianorum Monachorum diſciplinæ educandum obtulerat; quò Chriſtianiſſimus iuxta & prudentiſſimus, ſapientiſſimus euaſit, teſte oculato Sugerio in eius vita. Quod demùm pius ille Rex morti proximus religionis ſpecimen reliquerit, indigetat idem auctor eò loci: *Qui vt erat in conſiliis prouidus, ſibi ipſi conſulens &c. Hoc vnum totum animi affectu præoptans, apud Sanctos Martyres protectores ſuos Dionyſium ſociòſque eius, ſe quomodocunque deferri, & ante ſacratiſſima eorũ corpora, Regni & coronæ depoſitione, coronam pro corona, pro regalibus & imperialibus ornamentis humi Beati Benedicti Monaſticum Ordinem profiteri. Videant, qui paupertati Monaſticæ derogant, quomodò non ſolùm Archiepiſcopi, ſed & ipſi Reges tranſitoriæ vitam æternam præferentes, ad ſingularem Monaſtici Ordinis tutelam ſecuriſſimè confugiunt.* Et infrà ſub finem. *Præcipientes ergò tapetum terræ, & cineres tapeto in medium crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ Crucis præſentiam ſuam muniens, &c. Spiritum emiſit.* Ita tomo 4. Hiſt. Franc. And. Ducheſne.

(Ad Abbatem Monaſterij, quod vocabatur de Bello.) Sic autem vocitatum à bello in quo vicit Haraldum Guillelmus Conquæſtor, ad littus Suſſexianum. Refert Fundationis diploma Seldenus Notis ad Eadmeri Hiſt. nouorum, pag. 165. *Guillel. Dei gratia Rex Angl. &c. Notum ſit vobis me conceſſiſſe ac confirmaſſe, aſſenſu Lanfranci Archiep. Cantuarienſis &c. Vt Eccleſia S. Martini de* Bello,

Pagina 484. lin.

quam fundaui ex voto ob victoriam quam mihi Deus in eodem loco contulit, libera sit & quieta ab omni seruitute &c. Eam eximi vult ab omni prorsus tàm laïcali, quàm Episcopali iurisdictione.

Ibidem colom.2 lin.43. (*Missa ad* Beatam MARIAM *& de ipsa quotidiana.*) Laudatissima sanè consuetudo in Monasteriis Benedictini Ord. ab antiquo recepta, Missam nimirum quotidie horâ sextâ matutinâ ad Virginis Deiparæ honorem decantare. Chronic. Beccense pag. 17.

Pagina 485. lin. 35. (*Cucullum*) siue cuculla & cucullio. Est quoddam capitis operimentum, ab Auctore verbo corrupto *capero* appellatum, Gallicè *Chaperon.* De quo noster Menardus ad cap. 62. Concord. Regularum. Quare isthoc vestimenti genere vtantur Cœnobitæ lege ibidem pag. 887. De cuculla item, ac diuersa vsurpatione latissimè nec ineruditè Benedictus Haeften. Disquisit. monastic. tract. 3. Disquisit. 1.

Pagina 487 col. 2. lin. 24. (*Ad Lisiardum* Beluacensem *Archidiaconum, auunculum meum.*) Cui Epistolam 92. inscripsit Iuo Carnot. Num verò isipse Lisiardus posteà Episcopatu Suessionensi donatus fuerit, scrupulus mouet animum; imò duos hac eadem tempestate synonimos extitisse, alterum Bellouacensem Archidiaconum, de quo hîc fit mentio, alterum ex Præposito Suessionensi ad eiusdem infulas euectum, statuendũ videtur, quandoquidem Auctor noster eo loco, & infra l. 3. c. 11. atque in Præfatione Hist. Gest. Dei per Francos, ne verbulo quidem Lisiardum Suessionem sibi propinquitate coniunctum, sed potiùs non ita notum aut familiarem innotescit.

AD LIBRVM SECVNDVM.

Pagina 487. lin. 42. VOcatur siquidem Nouigentum.) Næ ego ecquid de lugendo illo Monasterio proferam? quippe non semel idipsum rabies Caluinistica labefactauit, diripuit, vastauit: quin etiam Abbates ipsi Commendatarij nefanda hæresi hac infecti, sæculares viri coniugio copulati, quæ facultatum restiterant dilapidauêre, cartas tradidêre vel igni, vel amicis, parentibúsve, quò redditus Deo sacri faciliùs suis possessionibus quâ fas quâ nefas adiungerent. Cæteræ verò schedæ atque instrumenta, adeò supinâ oscitantiâ fuerunt in Monasterio derelicta, vt sub impluuio corrupta, corrosáue à blatis ac tineis extent modò: curâ nihilominus permaximâ, ingenti labore ac studio R. P. Domnus Simeon Maubaillard nostræ Congreg. illo in Cœnobio Prior, vir non mediocriter eruditus, chartarum reliquias, quæ ab excidio tanto euaserant, eripuit. Earum nonnullas nostris Obseruationibus inseremus infrà.

Porrò plura Nouigenta Notis ad vitam B. Bernardi Tyron. recensuit pag. 246. Doctus Souchetus.

Pagina 488. lin. 8. (*Apud Anglos ante Incarnati Verbi &c.*) Si mira tibi quæ hocce toto capite attexit Auctor, videantur; caueas tamen ipsi velim notam vel inscitiæ, vel fraudis, aut calumniæ inurere. Namque licet altum apud Scriptores cùm sacros, Lucam Apostolicum præcipuè, tùm seculares, ac præ cæteris qui de Britannicis scripsêre rebus, fuerit silentium; & animus nonnulla credere huiusce narrationis quodammodo refugiat, quæ literis ille à maioribus consignata reperit; cùm aperiat nudè, quid amabo criminis, culpæ quid commisit? planè nihil. Etenim ea minimè tanquam indubitatæ fidei credenda proponit. Historica sunt; absurdi nihil, neque apertè falsi præ se ferũt, sufficit. Immò testis oculatus cuncta sepulchro, aliisque vetustioribus quæ remanserant monumentis quadrare attestatur Guibertus: *Quædam autem sunt,* ait ipse, *in eadem Ecclesia literæ metro compositæ, quibus ego nulla adniterer authoritate, nisi quædam quæ plurimùm roborant fidem viderem hodiéque constare. Quæ historia sic se habere secundum scripturæ seriem traditur &c.* Viden illum provt istis versibus tradita, haud veluti certis certiora scriptis mandare? In fine capitis item, vbi de sacris Reliquiis à Quilio Rege Nouigentum aduectis egit, hæc subinfert: *Inde Deo post tempus plurimum procurante exempta capsula, & à quibus nescio fidelibus, vetusto opificio auri preciosi bracteis adoperta ad nostri temporis deuenit intuitus, & antiquis hucusque præbet testimonia noua relatibus. Itaque loci illius sic perhibentur sese habuisse initia.*

Sat ergò est, à Guiberto relatis fidem adhibere tantam, quantam & cætera merentur ab aliis bonæ notæ Scriptoribus ad posteros traducta. Nonne permulti, ipsíque grauissimi Auctores scriptis intersuêre historias velut ab aliis acceperant, seu interlegendo didicerant? Testes SS. Gregorius Magnus libris Dialog. Gregorius Turon. de Gloria Confessorum & alibi, atque æuo Guiberti Venerab. Petrus Cluniac. Abbas libro de Miraculis.

Præterea in Britanniæ regionibus tot propemodum extitisse Regulos, quot erant vrbes munitissimæ, nemo nescit; non mirum igitur si nullam de Quilio habeant mentionem Britanniæ scriptores.

His itaque præmonitũ te volo Lector erudite, ne tanti viri authoritati detrahas, quãdo nonnihil, quod animo fortean hærendi præbeat occasionem, offenderis, & inde parui facias fide dignissima; quinimò quæ retro seculis Auctorem præcessêre, seu quę ipsi fuêre

præ oculis, & quæ sua euenêre tempestate, valeas habere delecta.

Et tandem vt aliquâ possis Abbatem nostrum à crimine eximere (si præfata in animum non induxeris) en tibi vetustissimum Cœnobij Nouigentini sigillum repræsento.



Ibidem colom. 2 lin. 13. *(Castelli ergo nulla antiquitas.)* Graphicè Codiciacum ad mentem Auctoris describit Papirius Masso. In descript. Franc. per Flumina: *Codiciacus est locus situ alto atque eminenti, & naturaliter munito ac despicienti vndique subiectam planiciem admodum fertilem, quæ sumen terræ dici potest. Codiciacum nemo, quod sciam appellauit, qui ante Flodoardum vixerit. In finibus autem Laudunensis vrbis & Episcopatus collocatus est, & finibus Viromanduorum continetur.*

Ibidem lin. 16. *(Fluuio, quem supra diximus, Aquilà &c.)* Vulgus nunc *Elette*, & *Ailette*, antiquitas verò *Aiglette* appellat.

Ibidem lin. 33. *(Si fœminæ nondum natæ quæ Deum & hominē esset genitura.)* Similis de insigni illo Carnotensi templo traditio est, quòd nempe à Druidis ante Verbi Incarnati aduentum *Virgini pariturae* fuerit delicatum. Qua de re statuendum habeo nihil.

Pagina 490. lin. 2. *(Castelli autem ipsius sub florentissimis principibus &c.)* Codiciacensium dominorum historiam texuit Andræas Duchesne: quorum siquid scire peroptas, hunc adi, faciet satis.

Ibidem lin. 26. *(Humiliarensi monasterio præerat.)* Historiam siue seriem Abbatum Monasterij huius Obseruationibus nostris intexere actum agere viderer; siquidem in hoc argumento amplè ac pereruditè laborauit nostras Claudius Hemeræus, Doctor, dum adviueret, Sorbonicæ societatis, historiâ, cui titulus, *Augusta Viromanduorum Illustrata*; pag. 65. & à pag. 94. ad 99.

Verùm ne penitùs ieiunum legentis animum relinquam, paucissima ex pag. 65. apponere visum est: *Ad ipsos penè muros Augustæ* (S. Quintini) *Monasterium Humolariense, Eligio regente Cathedram Nouiomensem, mira Nonnarum sanctitate inclaruit, tùm verò maximè, cùm est præfectura eius Hunegundi Virgini commendata. Hæc orta Lambaidis domicellis, binis miliaribus ab Augusta &c. Scripsit eius vitam Bernerus Abbas, & Chorographus reformationis eius loci, sub Alberto Pio Comite Viromanduorum, an. 948. eiectis Nonnis, quæ à Regula defecissent.* S. Hunegundis vitam inter Surianas Sanctorum vitas, die 25. Augusti: Præceptum verò Ludouici Vltramarini, de inducendis Monachis in Cœnobiū Humolariense, Sanctimonialibus expulsis, nec-non diuersas quæ ad id spectant Monasterij chartas reperies in Regesto ad calcem præfatæ hist. pag. 29. & seq.

Ibidem lin. 28. *(Henricum Cœnobiolo etiam præficerent.)* Quòd Henricum tribus Asceteriis præfectum audias, minimè tibi suadendum est, eorum redditus ac substantias in priuatam vtilitatē vsurpasse, quasi sacrilegij labe ac peste, atque obstinata ea malignitate laborasset, quæ & subsecuta secula adeò infecit, vt quamcunque medicinam hactenus respuisse, vicisséque videatur; nempe nefanda illa, Regum Principúmve concessione, Abbatiarum, Ecclesiarúmque redditum in laïca siue sæcularia beneficia diuulsio; contrà verò hæc onera sibi poni patiebatur, eáque lubens subibat, exempla subsecutus præclarorum Religione & sanctitate Archimandritarum, Benedicti Anianensis, ac Guillelmi Diuionensis siue Fiscanensis, qui canones monasticos, ætatis vitio deformatos, ad antiquum nitorem reuocârunt.

De priori, Ludouici Pij Imp. diploma to. 2. Concil. Gal. Et Epistola Patrum Indani Monasterij ad Monachos Anianenses in calce vitæ, quæ opera eiusdem S. Benedicti præcedit.

De Sancto Guillelmo Chronicon MS. Besuensis Monasterij cuius & Abbas fuit: *Verùm quia super gregem sibi commissum solerti vigilauit cura, diuinâ promeruit gratiâ de fructu operum suorum in hac gaudere vitâ: nam regularem disciplinam, quæ tam deciderat per veterum negligentiam, prout Sanctus Benedictus eam composuit in pristinum statum corrigendo restaurauit, ac per diuersas mundi partes, per plura Monasteria à regulari tramite deuia, tàm per se, quàm per suos, quos Abbates ordinauerat, monastico Ordini subdidit.* Et infra refert qui rogatu Richardi Normannorum Ducis regimen susceperit Abbatiæ Fiscanensis. Item aliis interiectis: *Robertus etiam Rex Abbatiam S. Germani apud Parisius precatus est prædictum Patrem* (Guillelmum) *vt susciperet, & secundum regularem institutionem ordinaret, quod & fecit. Nec-non & Odo Comes pari deuotione locum S. Faronis in vrbe Meldarum, eidem commisit Venerabili Patri, Sed & honorabilis Præsul Metensis Ecclesiæ Theodoricus Gorsiensem Abbatiam eodem zelo Dei commendauit illi &c.* Denique S. Benigni Chronicon calamo exaratum, in Brunone Episcop. Lingon. *Domnus autem Bruno considerans Patrem VVillelmum ita feruentem in Religione ac monastica institutione, & loca ei*

commissa de die in diem in melius proficere, omnia in suo Episcopatu Monasteria ipsius delegauit prouidentiæ &c.

Pagina 490. lin. 55. (*Et Sanquintinensis de Monte &c.*) In Monte, ab vrbe Perona primo lapide, disparato, collocata est Abbatia S. Quintini: est enim alia S. Quintino sacra Augustæ Viromanduorum, vulgò, *l'Abbaye d'Isle*, seu *de l'Isle*, Abbatia S. Quintini in Insula; sic nuncupata, quòd antequam vrbs eadem à Philippo II. Hispaniarum Rege caperetur, secus Somonam fluuium extaret: nunc verò media in vrbe Augustæ Viromanduorum. De qua Sigebert. ad an. 964.

Monasterij sancti Quintini de Monte, solo ab Normannis adæquati, nullæ nobis superstites sunt primæuæ fundationis notæ, præter literas Adalberti Viromanduorum Comitis: è quibus instaurationem pariter & aliquantulam originis eiusdem Cœnobij notitiam percipere est.

Ego ADALBERTVS Comes notum esse volo tàm præsentibus, quàm futuris, in meo Virodumensi Comitatu ab antiquo tempore extitisse Ecclesiã in honore sancti QVINTINI Martyris dedicatam, in Monte sitam, iuxta vicum Peronam, quam quondam DAGOBERTI Regis authoritate, ERCHENALDI præfecti donatione, sancti ELIGII Pontificis benedictione, VLTANVS quidam genere Scotus, professione Monachus, Ecclesiasticis Sanctionibus, ac Monasticis instituit Institutionibus, Abbatis honore functus; post cuius vitæ excessum, incuriâ, ac Barbarorum insectatione ad tantam desolationem ipsa peruenit Ecclesia, vt vix rara antiquæ habitationis apparerent vestigia.

Hanc igitur pro meæ remedio animæ, prædecessorum, siue hæredum meorum salute, diuina compunctus inspiratione, iussi à fundamento reædificare, & Abbate constituto, cum consilio fidelium meorum, Abbatiam studui dotare; sicque in perpetuum ratum, & inconuulsum permanere.

Huius autem dotis res hæ sunt: In pago Virodunensi Villula vna, quæ dicitur Aisilcourt; & in ipso pago, in villa Curticulus nuncupata, mansi septem, & medietas Ecclesiæ de Duriaco Apud Castellum Nigellum super fluuium l'Ingon, pontem cum terra appendente ibi. In Tegeri hamo mansi duo: & in villa quæ dicitur sanctæ Radegundis, mansi tres. In vico medietas Capellæ sancti Quintini, cum quatuordecim hospitibus. In villa Alania, super fluuium Halle, duodecim hospites, cum terra colenda, & prato vno. Ad Ecclesiam eiusdem montis respicit villa, quæ viuarius, cum suis adiacentibus, super fluuium Grinsionem. In villa, quæ Douin vocatur, Molendinum vnum, cum tertia parte prati ibi appendentis. In pago Suessionnico, in villà quæ Allemans vocatur, tres mansi, cum Curia indominicata.

In his ergò Domino sancto QVINTINO Martyri datis rebus, nullus hæredum, vel propinquorum meorum, non Comes, nec Vice-Comes, nec eius liberæ ingenuitatis homo, aliquid à modo accipiat causa consuetudinis, seu aduocationis; non bannum, non iustitiam, non districtionem, nisi fideli precatu ipsius Abbatiæ Abbatis. Quod qui infringere præsumpserit, pro suæ temeritatis ausibus ternis subjaceat maledictionibus, & publicis coactus resipiscere teneatur legibus. Cuius actionis testes laudatores confirmarunt.

Ego ADALBERTVS Comes, qui iussi fieri, confirmaui.

S. HERIBERTI Com.	S. ODONIS.
S. VIDONIS Com.	S. IVONIS.
S. PHILBERTI.	S. BOSLEVI.
S. LVNTBERTI.	S. VVALCELINI.
S. VVALCHISI.	S. AMALRICI.
	S. VVALNERI.
	S. ODONIS.
	S. MACHARII.

Ego LEVDVLPHVS VVermandensis ac Nouiomensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi, confirmaui.

Actum in Curia Sancti Quintini die passionis eiusdem.

Subijcienda præterea est Abbatum breuis Chronologia è vetustis eiusdem Cœnobij chartis ac ruderibus ab erudito æque ac facũdo R. P. Domno Stephano le Gris, nũc nostræ Congregationis Priore meritissimo, deprompta: Et, ne institutum nostrum prætergrediamur, breuiori quo poterimus stilo eam contrahemus.

CHRONOLOGICVM ABBATVM Monasterij Sancti Quintini de Monte SVMMARIVM.

PRoto-Abbas Sanctus VLTANVS, in Hibernia Regio sanguine procreatus, eximiâ tum sanctitate, tum etiam Monasticæ disciplinæ peritiâ Illustris. Anno reparatæ salutis 643. Abbatiæ sancti Quintini Montensis ab Erchenaldo Viromanduorum Comite præficitur; quemadmodum ex præfatis Adalberti literis perspectum habetur.

Ad superos excessit anno Christi 686.

II. EVRALDVM, instaurato Monasterio, in Abbatem assumptum, eædem signant literæ anno æræ Christianæ 943. Verùm enimverò paucò post tempore (sic nimirum vicissitudini atque detrimento terrena subsunt

vniuerſa) rurſum eo vſque decidêre à priſtina inſtauratione ædificia, vt Cellæ nomen, nedum Abbatiæ titulum præferret. At ROBERTVS vrbis Peronæ præfectus, religione præclarus (qui id loci Iure Beneficij poſſidebat) obtentis à Roberto Francorum Rege literis, iniquè poſſeſſores facultatum Monaſterij ablatas reſtituere cogit, ac poſtmodùm ſuis ſumptibus Cœnobium reſarcit (neque prædia facultateſque Monachis deeſſe voluit) anno videlicet 1028.

III. BALDVINVS ex nobili Comitum Flandriæ Namurcique proſapia clarus 1028.

IV. VVALTERANVS obiit 1040.

V. VVALTERANVS II. anno 1040. *Huius Eccleſiæ* (fert Necrologium) *ſapientiſſimus Ordinator, & à fundamentis ædificator:* Verùm piæ peregrinationis gratiâ cùm Romam veniſſet, inibi vitæ finem impoſuit, & corpus ſepeliendum reliquit.

VI. GAVDEFRIDVS 1058. Eum commendat in hunc modum Nicolaus Monachus vitæ ſancti Gaudefridi (qui Abbatem illum educatorem habuit) lib. 1. cap. 2. *Eſt celebre Monaſterium in Viromanduorum ſolo, in B. Quintini Martyris honorem conditum, Peronæ oppido propinquum. Et per id tempus præerat vir pius* GODEFRIDVS *& morum integritate, & generis nobilitate clarus. Fuit enim patruus Idæ filiæ Alberti nobiliſſimi Comitis Namurenſis, quæ iuncta matrimonio egregio Conſuli Bolonienſis Prouinciæ Euſtachio &c. Quæ quidem idcirco mihi commemorata ſunt vt poſſit intelligi genus illuſtre tanti Patris, quem conſtat etiam Gregi ſuo magna cura inuigilaſſe, religione celeberrimum, literarum ſcientiâ, & rerum quoque externarum & politicarum peritiâ cumprimis inſtructum fuiſſe.* Item multa cap. 3. 4. & ſeq. eiuſdem libri de Godefrido.

Anima exhalatâ cœleſtem patriam adiit 1098.

VII. HENRICVS 1098. ſummæ pietatis vir ac doctrinæ deceſſit 1133.

VIII. HVGO 1133. Deſiit anno 1148. Iura poſſeſſioneſque approbat Eugenius Papa III. his verbis:

EVGENIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, HVGONI Abbati Monaſterij Sancti Quintini de Monte, quod in pago Vermandenſi ſitum eſt, eiuſque fratribus tàm præſentibus, quàm futuris &c. Apoſtolici moderaminis clementiæ conuenit Religioſos diligere, & eorum loca pia protectione munire, dignum namque & honeſtati conueniens eſſe cognoſcitur, vt qui ad Eccleſiarum regimen aſſumpti ſumus, eas & à prauorum hominum nequitia tueamur, & Apoſtolicæ ſedis patrocinio foueamus. Eapropter, dilecti in Domino filij, prædeceſſoris noſtri fœlicis memoriæ Paſchalis Papæ veſtigiis inhærentes, veſtris iuſtis poſtulationibus clementer annuimus; & præfatum Monaſterium, in quo diuino mancipati eſtis obſequio, ſub B. Petri & noſtra protectione ſuſcepimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus, ſtatuentes, vt quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona in præſentiarum iuſtè & canonicè poſſidetis, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis Iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Altare de Greſuiller, & de Breſuiller, cum appenditiis ſuis; Capellam de Hamelet, cum appenditiis ſuis; molendinum de bellis aiſis, cum appenditiis ſuis; & molituram eiuſdem à Cruce Forenſi vſque foras Brittanium; totam Alaniam cum appenditiis ſuis, ab omni exactione ſæcularium liberam; exceptis molendinis, & redecimatione Dominicorum agrorum, & feodis, quæ tamen feodi ſub Iuſtitia & diſtricto prædictæ Eccleſiæ erunt redacta; Heldincourt cum appenditiis ſuis; & tranſitum Halæ fluminis; ſepulturam quoque ipſius loci liberam eſſe concedimus, vt eorum qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, deuotioni, & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, vel interdicti, nullus obſiſtat; ſalua tamen Iuſtitia Matricis Eccleſiæ.

Obeunte verò te nunc eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus qualibet ſubreptionis aſtutiâ vel violentiâ præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu aut pars concilij ſanioris ſecundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam, prouiderint eligendum.

Decernimus ergo vt nulli hominum liceat præfatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſeruentur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, vſibus omnimodis profutura; ſaluâ ſedis Apoſtolicæ authoritate, & Diœceſani Epiſcopi Iuſtitiâ.

Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæcularíſve perſona, hanc noſtræ Conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò, tertióve commonita, ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoríſque ſui dignitate careat, reámque ſe diuino Iudicio exiſtere de perpetrata inquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri IESV-CHRISTI aliena fiat, atq; in extremo examine diſtrictæ

ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua Iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesv. Christi, quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem, præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Ego Evgenivs Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Theodevvinvs S. Rufinæ Episcopus.

Ego Albericvs Ostiensis Episcopus.

Ego Imarvs Tusculanus Episcopus.

Ego Gvido Presbyter Cardinalis tit. S. Grisogoni.

Ego Hymboldvs Presbyt. Cardinal. tit. SS. Ioan. & Pauli.

Ego Gillibertvs indignus Sacerdos tit. S. Marci.

Ego Hvgo Presbyter tit. in Lucina.

Ego Odo Diaconus Cardinal. S. Georgij.

Ego Gregorivs Diaconus Cardinalis S. Angeli.

Ego Gvido Diac. Cardinalis S. Mariæ in porticu.

Ego Hyacinthvs Diac. Card. S. Mariæ in Cosmydin.

Datum Meldis per manum Gvidonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacon. Cardinal. & Cancell. XIII. Kal. Iulij Indict. X. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XLVII. Pontificatûs verò D. Eugen. Papæ 3. anno 3.

IX. Rogerivs ex Aquicinctensi Monacho Abbas Montis S. Quintini creatur 1148. De quo Biographus B. Gosuini lib. 2. cap. 12. Vbi discipulorum venerabilis eiusdem viri mentionem faciens, *Rogerius*, inquit, *Montem S. Quintini non segniter obseruabat*. Humana reliquit an. 1150.

X. Hvgo II. an. 1150. *Hugo Abbas Corbeiensis, & huius Congregationis.* Obituarium.

Lucij III. Pontificis Maximi Scriptum Hugoni, in quo Cœnobij Immunitatum & Exceptionum sancitur authoritas, traditum est hac forma.

Lvcivs seruus seruorum Dei, dilectis filiis Abbati Montis S. Quintini, eiúsque fratribus tam præsentibus, quàm futuris &c. Effectum iusta postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, & ordo exigit rationis; præsertim quando petentium voluntatem & pietas adiuuat, & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscepimus, & præsentis scripti priuilegio communimus; statuentes, vt quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum iustè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione A Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrísque successoribus & illibata permaneant.

In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: duas partes decimæ, quas acquisiuistis in terris Ioannis Bortel viginti solidos &c. Liceat quoque vobis Clericos & Laïcos è sæculo fugientes, liberos & absolutos absque alicuius contradictione ad Conuersionem recipere, & in vestro Monasterio B retinere.

Prohibemus insuper, vt nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, nisi arctiori Religionis obtentu sine Abbatis sui licentia fas sit de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium literarum cautione nullus audeat retinere.

Cùm autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis ianuis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, submissâ voce diuina officia celebrare.

C Sanè Noualium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus solitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum, à vobis alitorum, à vobis decimas exigere, vel extorquere nullus præsumat.

In parrochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis Sacerdotes eligere, & Diœcesano Episcopo præsentare; quibus, si idonei fuerint, eis curam animarum committat, vt eis de spiritualibus, vobis verò de temporalibus debeant respondere.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam D esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat: saluâ tamen Iustitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Pro chrismate verò, oleo sancto, consecrationibus Ecclesiarum, Ordinationibus Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promouendi, siue Abbate deducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis Ecclesiasticis Sacramen- E tis, nullis à vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo, quidquam audeat postulare.

Inhibemus etiam ne Ecclesias aut terras, seu quodlibet Beneficium Ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, seu alio modo alienari, sine consensu totius Capituli, aut maioris & sanioris partis eiusdem. Si quæ verò donationes vel alienationes aliter quàm dictum est, factæ fuerint, eos irritas esse censemus.

Ad hæc autem adijcimus ne aliqui Fratres, seu

ſeu Conuerſi, ſub profeſſione domus veſtræ adſtricti, ſine conſenſu & licentia Abbatis, & maioris partis Capituli veſtri, pro aliquo fide iubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiant, vltra pretium Capituli ſui prouidentiâ prouiſum; niſi propter manifeſtam domus veſtræ vtilitatem. Quòd ſi facere præſumpſerint, non teneatur Conuentus, ſine cuius licentia & conſenſu hoc egerint, pro his aliquatenus reſpondere.

Præterea licitum ſit vobis in cauſis veſtris Fratres veſtros idoneos ad teſtificandum adducere, atque ipſorum teſtimonio, ſi rectum fuerit, & propulſare violentiam, & iuſtitiam vindicare.

Obeunte verò te nunc eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptione, aſtutiâ ſeu violentia præponatur, niſi quem Fratres communi conſenſu, vel Fratrum pars Concilij ſanioris, ſecundum Deum, & B. Benedicti Regulam prouiderint, eligendum. Decernimus ergo &c. *vt ſupra in litteris Eugenij PP.*

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
Ego Theodinus Portuenſis, & S. Rufinæ ſedis Epiſcopus.
Ego Petrus Tuſculan. Epiſcopus.
Ego Petrus Preſbyter Cardin. tit. S. Suſannæ.
Ego Vivianus Preſb. Cardin. tit. S. Stephani in Celio monte.
Ego Cynthius Preſb. Card. tit. S. Cæciliæ.
Ego Arduinus Preſb. Cardin. tit. S. Crucis in Ieruſalem.
Ego Laborans Preſb. Cardin. S. Mariæ trans Tyberim, tit. S. Calixti.
Ego Reinerius Card. S. Georgij ad velum aureum.
Ego Gratianus SS. Coſmæ & Damiani Diac. Card.

Datum Vellerr. per manum Alberti S. Rom. Eccl. Presb. Card. & Cancell. VI. Id. April. an. 1181. PP. Lucij III. an. 1.

Defungitur Hugo 1182. ſiue 1185.

XI. Balduinus II. Egit animam 1188.

XII. Robertus. Huius defunctionis annus in Martyrologio 1192.

XIII. Walterus 1192. Is Monachorum coactu præfecturæ ceſſit anno 1198.

XIII. VValterus II. In ætatis flore, ſtirpis & animi præclarus, omnium vnâ voce eligitur. Monaſterium ſtrenuè adeò rexit, vt ſpem ſuperauerit & ætatem. Diſciplinæ Regularis, cæterarúmque virtutum ſtudioſiſſimus fuit. Facultates auxit; excitauit ſacellum Beatæ Virginis: Ingentem pecuniarum ſummam quò ſacram Baſilicam à fundamentis extrueret, aggregauit, ſed morte præoccupatus anno 1241. id operis ſucceſſori perficiendum reliquit. Sunt qui VValterum ex illuſtri familia de Hardecourt originem ducere affirmant.

XIV. Simon *de Valencourt* 1241. Eccleſiam, veſtigiis, ſupremæque voluntati inhærens ſui deceſſoris, mirâ ſtructurâ, quæ nunc dierum cernitur, exædificauit. Cum morte vitam commutauit à partu Virginis *1257*.

XV. Gerardus *Peronenſis 1257*. Iurium, atque immunitatum acerrimus propugnator. mortalitatem expleuit *1267*.

XVI. Robertus *1267*. Itidem forti ſeſe animo, ne priuilegia Monaſterij infringerentur, oppoſuit. Extremâ ætate ſuadente, vltrò munus abdicauit ann. *1275*. & paucis pòſt diebus ceſſit è vita.

XVII. Balduinus III. haud religiosè geſſit præfecturam. Mortem oppetiit *1280*.

XVIII. Matthæus. Fuit mitis & manſuetus, nec-non & multorum ædificiorum Auctor. Migrat anno *1293*.

XIX. Ioannes *de Villaribus*, Sanquintinianus haud ignobili genere oriundus. Hac ipſa tempeſtate, cùm priſca maieſtas Eccleſiæ montis S. Quintini obſoleuiſſet, & poſſeſſionibus, ob debita à Prædeceſſoribus contracta, ad exteros tranſlatis, oppignoratiſque, omnium rerum egeſtas Cœnobitis obrepſiſſet, calamitatibus tandem oppreſſus Peronam ſe recepit, vbi vitâ in cinere & cilicio peractâ, extremum ſpiritum exhalauit *1313*.

XX. Ioannes II. Splendidâ de Hinchin familiâ natus. Rei domeſticæ adminiſtrator induſtrius notatur. Siquidem ipſe, ære alieno grauatum Monaſterium, ſingulari prouidentiâ exonerauit. Reſarcit pleraſque ædes ruinis deturpatas. Sed maximè illi res Eccleſiaſticæ, diuinúmque officium decentiùs atque attentiùs perſoluendum, cordi fuêre. Paterna demum in Monachos & pauperes viſcera demonſtrauit. In cœlum tranſlatus eſt *1337*.

XXI. Ioannes III. ab equitandi peritia *Eques* appellatus. Depoſito Canonicali habitu, Collobium induit Monachale in Aſceterio Montenſi, & Abbas creatur *1337*. Demoritur *1361*.

XXII. Ioannes IV. *de Hercourt de Combles 1361*. magnificentiori apparatu quàm humile Chriſti mancipiũ deceret, incedebat: hic nihilominus longè charus ſuis extitit & familiaris. Nouiſſimum diem clauſit 1370.

XXIII. Hugo III Auguſtæ Viromanduorum, ſiue S. Quintini ciuis. Bona Monaſterij, vtrũ volens, an ob ipſius œconomiam minùs prouidam, dilapidauit. Deſiit anno 1379.

XXIV. Petrus *de Baruille* an. 1379. quæ ſupererant facultatum abſumpſit, obligurivit. Occidit 1398.

XXV. Matthævs *de Dury*. 1398. singulari signatur parsimonia. Etenim cùm perniciem possessionibus, labem ædificiis, antiquæ splẽdori disciplinæ obnubilum illatum conspiceret, vniuersa diuturno labore, industriâ sũmâ, reparauit, restituítque. Naturæ cõcessit 1413.

XXVI. Ioannes V. *de Hennon*. 1413. obiit 1438.

XXVII. Iacobvs *Rausson*: Priùs à sacris Duci Burgundiæ; deinde Monasticen professus, Prioratu de Lehuno in sanguine terso (*Lihon en Santerre*) donatur; tum S. Quintini Montensis 1461. ac postremò Corbeiæ veteris Abbas eligitur. Octogenarius ann. 1480. occubuit. *Fuit vbique vir mitissimus* (quod refert Chronicon Corbeiense MS.) *atque perhumanus, & scientia grammaticali apprimè eruditus, optimus scriptor; magnificúsque ac splendidissimus, qui licet humili loco natus esset, omnibus tamen in rebus præclarissimus euasit. Hic admodum in Communiis & Cœnis facetus, & in iocis Cauillator iucundissimus.* Quod sanctæ Regulæ Monachorum atque Institutorum Ecclesiasticorum grauitati longè repugnat.

XXVIII. Ioannes VI. *Dansquenet*. Vitam cum Abbatia posuit 1481.

XXIX. Ioannes VII. *Karquendlan* Canonicus Pictauensis, & Protonotarius Apostolicus. Hic primus Abbatiam subripuit in Cõmendam 1481. At Monachi multa illi facessunt negotia; vnde tędio pressus, mœroréque confectus diem clausit 1487.

XXX. Ioannes VIII. *d'Estrée*, ex Auita nobilitate originem trahens, ac Monasticis obstrictus votis. Ipsum in Patrem assumunt Fratres; qui & à summo Pontifice anno 1487. asseritur, atque insigniis Pontificalibus adornatur 1505. Terras migrauit anno insequenti 1506.

ABBATES COMMENDATARII.

XXXI. Lvdovicvs *de Constin* Abbatia simul Souillacensi (*Souillac*) titulo Commendæ potitus est 1506.

XXXII. Antonivs *Ragault*, Ludouici nepos, possessionem adiit 1527.

XXXIII. Ioannes IX. *de Genouillac* 1532.

XXXIV. Verdvn *du Mas* 1544. Desiit ann. 1563.

XXXV. Iacobvs *d'Aplincourt* 1563. è medio tollitur 1575.

XXXVI. Franciscvs *Pascanet* Regi ab Eleemosynis, & Ecclesiæ Bituricensis Canonicus an. *1575*. At verò Marescallo *de la Chastre*, quem sibi Procuratorem delegerat, annuente, abdicat Abbatiam *1596*.

XXXVII. Sebastianvs *Robelin* Parisiensis Senatus supremi Princeps. Nicolaus Damerual Dominus de Liencourt, actor ipsius extitit. Abiit è vita *1613*.

XXXVIII. Clavdivs *d'Argouges*, quo morum vitæque consuetudine nemo clarior hac ætate fuit. Inita possessione *1613*. Monasterium ædificiis caducum, imò ruens in vltimum prope casum, excitat. Instaurat nempe à fundamentis Dormitorium, Claustrum, Capitulum, Refectorium, vt verbo claudam, ædes vniuersas regulares, vt vocãt, suis & his permaximis impensis extrui curauit: Nouis operibus Basilicam suffulsit, decorauit diuersi generis sacrâ supellectili, vasis argenteis locupletauit, & quod summum est, quódque ipsi amplissimum nomen cum immortali gloria peperit, Regularis Disciplinæ lucem Monti sancti Quintini inferre peroptans, Monachis Congregationis sancti Mauri, eadem disciplina apprimè instructis, idem Monasterium tradidit possidendum anno.

XXXIX. Franciscvs *d'Argouges*, Claudij Nepos, & Virtutum proximè imitator, Societatis Sorbonicæ Doctor, de quo, vt sacro Vaticinio assurgam, *Lauda post vitam, magnifica post consummationem*, reor silendum. Successit anno.

(*Igitur electo illo &c.*) Quandoquidem electionis, benedictionísque peragendæ modum subiceat Auctor, libet quæ in manus meas, cùm hæc adnotarem, deuenerunt, euulgare. Et primò quidem obseruandum, electionem Abbatum (velut etiam Episcoporum) Reges seu Principes olim priùs potestate eligendi, tùm Clericis tũm Monachis tributa, confirmare solitos: vnde ex neothericis scriptoribus nonnulli, Ecclesiasticæ rei prorsus ignari, ausi sunt inferre, in omnes Ecclesias & Abbatias summam potestatem, iusque summum eosdem Reges habere, atque pro libitu ac genio iis vti posse.

Pagina 490 col. 2. lin. 4.

At eiuscemodi approbationis concessionísve causa in promptu est; nempe quòd non modò amplas possessiones, sed ditiones quoque opulentissimas & iura clientelæ, verbi gratia Toparchias, Ducatus, Comitatus, & cætera id genus Ecclesiæ & Monasteria potirentur, ac proinde Episcopi & Abbates, cunctorum cùm essent moderatores, atq; ab ipsorum penderet nutu plurima hominum & nobilium, & plebeïorum multitudo; quin & municipia, castra, vrbes, prouinciæ ditioni eorum subijcerentur, num ideò par erat, vt de eorundem qui præfecturam gerebant fide, certiores redderentur regnorum, principatuúmque summi Rectores?

Planè his astipulantur antiquæ electionum concessiones, approbationésque. Præceptum immunitatis à Carolo Magno Sancto Benedicto Anianæ Abbati concesso, inter alia sic habet: *Et quandoquidem diuina vocatione suprascriptus Venerabilis Benedictus*

Abba, vel successores eius de hac luce ad Dominum migrauerint, qualem meliorem, ET NOBIS PER OMNIA FIDELEM, *ipsa sancta Congregatio de suprascripto Monasterio, aut de qualicunque loco voluerint eligere Abbatem, qui ipsam sanctam Congregationem secundum Regulam sancti Benedicti regere valeat, per hanc nostram authoritatem licentiam habeant &c.* Ex antiquis Schedis eiusdem Monasterij. Et ex chartulario sancti Albini Andegauensis: *Goffridus Comes ad petitionem Nefingi Episcopi pro remedio animæ matris suæ Gerbergæ &c. facit Monachis potestatem deinceps eligendi Abbatem, & exemit à potestate seculari &c.*

Addam & antiquam electionis factæ formulam, quæ in hoc ipso extat chartulario:

Omnibus in Domino, quibus est Christus viuere & mori lucrum, & potissimùm sub jugo Regulæ sancti Benedicti sponte colla submittentibus, qui iubet vt Monachi in Monasterio degentes, Abbatem sibi præesse desiderent: Notissimum esse volumus, quòd an. 988. Incarnationis Dominicæ, recedens à loco sancti Albini Abbas Gunterius, quem pro fidelitate Dei, & remedio animæ suæ nobilissimus inter suos Goffredus Comes eidem loco præfecerat, & Romam, vel, quod maius est, matrem Ciuitatum Ierusalem expetens gratia orationis, successorem sibi præsago spiritu prouiderat, cui animarum simul & corporum curam committeret . . . . . vitæ & morum probitate decorum, quem ipse in Christi nomine nutrierat, cum consensu tamen fratrum præfati loci, & elegantissimi . . . . . filij prædicti Comitis Gaufridi, qui in loco patris feliciter successit, nomine Fulconis. Cui electioni, prouidente gratia Dei, prout credimus, prudentissimorum Pontificnm, Clericorum quoque & nobilium laicorum; & super his omnibus electio simul & acclamatio prædictæ Congregationis concordare videtur in melius, eo tenore videlicet, vt secundum Regulam sancti Benedicti, qui est Pater, & Dux, Aduocatus quoque post Deum, omnium fidelium Monachorum, tàm in hoc sæculo quàm in futuro, in omnibus conuersari pro posse & nosse studeat, & prodesse magis quàm præesse satagat; & omnia cum consilio fratrum timentium Deum, prouidè & iustè disponat; vt cùm venerit Pastor Pastorum, cui redditurus est rationem de animabus sibi commissis, addita & suæ animæ, audire gaudenter mereatur quod seruus bonus, qui erogauit talentum sibi creditum conseruis suis in tempore suo; Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.

Signum VVIDONI *Episcopi.*

Signum FVLCONIS *Inclyti Comitis.*

Minimè est omittendum Ludouici verè Pij Imperatoris egregium Christianæ pietatis specimen, quod hactenus in cartophylacio Cœnobij Anianæ latuit, illúdque eruit noster Claudius Chantelou.

EPISTOLA LVDOVICI IMPERATORIS, ad Anianenses, seu Gellonenses Monachos, de electo Abbate Trutesindo.

IN nomine Domini Dei & Saluatoris nostri IESV-CHRISTI, LVDOVICVS diuina ordinante prouidentia, Imperator Augustus, Venerabilibus Fratribus in Aniano, siue Gellone Monasterio constitutis. Proximè accidit AGOBARDVM Archiepiscopum ad nostram deuenisse præsentiam indicans nobis, quomodo eo præsente, & NIBRIDIO Archiepiscopo, sine mora omnes pari consensu TRVCTESINDVM super vos elegissetis Abbatem. Cui facto quia rationabile nobis videbatur adsensum prębere non distulimus, desiderantes ac optantes vt pietas diuina, id ad suam & ad vestram communem salutem proficere faciat. Et ille Patris ac Pastoris inter vos locum obtineat, & vos vt Christi oues pari humilitate ac deuotione, sicuti dignum & rectum est, subditi & obedientes ei sitis. Et hæc obedientia vel humilitatis subiectio, Charitatis munimine est roboranda; quo sine simulatione falsæ extrinsecus ostentationis in vobis fieri necesse est. Vos enim optimè nostis, cum quanto studio ac sudore beatæ memoriæ domno BENEDICTO Patre vestro locus iste primò inchoatus ac constructus est. Deinde quâ diligentiâ ille nitebatur, vt vos, quos diuina superni Pastoris gratia, per suæ deuotionis instantiam inibi coadunauerat, secundum monasticæ vitæ Regulam rectè conuersaremini: Quod & Deo largiente iuxta id quod desiderauit ad effectum perduxit. Sed & de Sacrosancto eodem examine, per imperium à Deo nobis commissum longè latéque piæ conuersationis Normam coadoptauit è vobis, & disseminare non destitit. Et cum profectò ita se res habeat, dignum vos admonere statuimus, vt Deo coöperante id efficere studeatis, ne in diebus vestris res tàm egregiè inchoata, & ad incrementum perducta, quolibet casu quicquam detrimenti sumat. Sed tales semper per Dei misericordiam esse studeatis, vt de vobis possint sicut prius Magistri & Doctores, sanctæ, non solum regularis vitæ, verùm omnis spiritalis normæ, & præcipui apicis adsumi vbicumque necessitas vel voluntas fuerit.

Porrò TRVCTESINDVM Abbatem vestrum ammonitum esse volumus, vt circa vos paternum exerceat amorem, & consideret secundum ætatem, vel valetudinem corporis, vel infirmitatis molestiam, quid cui cōueniat

ex subiectis sibi; & caueat omnimodis, ne in negligentes adeò feruida zeli castigatio modum excedat, vt eos pusillanimes reddat: Nec apud obseruantes mandata Dei talis sit, vt torpore, & desidiâ in eis rigorem constantiæ frangat; sed maxima discretione, iuxta Apostolum sit omnibus omnia factus, vt omnes ad se pertinentes saluare possit.

Quòd si fortè euenerit, quod nos non optamus, vt ille extra Regulam vobis à memorato Benedicto optimè traditam in aliquo deuiauerit, & magis voluerit quæ agenda sunt, proprio arbitrio & voluntate, quàm vestro communi consilio agere, vos eum, vt Charissimi Fratres & Filij, cum omni mansuetudine & patientia corrigite; & si vobis adsensum præbuerit, & per vos correctus fuerit, hoc Dei dono tribuatis: si verò ille pertinacior in sua, quod absit, permanere voluerit sententia, tunc nobis id significari priùs faciatis, quàm foris vicinis nostris notum fiat; quia cùm in aliis exercemus potestatem, in vobis tamen paternum semper volumus obtinere affectum.

Et quamvis hæc licentia à nobis sit vobis concessa, tamen summopere cauendum est, ne de qualibet re aduersus Abbatem vestrum leui ira, aut praua inflammati perturbatione, frustra pertinaci audacia aduersus eum commoueamini. Nam si aliquis vestrum sine ratione aduersus eum inflammabitur, & nostras aures sine causa pulsauerit, nos aduersus se nouerit districta animaduersione commotum, vt ille qui eiusmodi est, cæteris fiat documentum; ne in posterum aliquis audeat aduersus Magistrum suum injustè cõsurgere.

Vos quoque Seniores in omnibus adiuuate eum, tàm in districtione iuniorum fratrum, quàm & in reliqua vtilitate Monasterij, nec illum solùm sub tanti ponderis onere grauari patiamini, sed iuxta Apostolum, inuicem onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Vos autẽ iuniores fratres statuimus ammonere, vt in omnibus Abbati vestro & Senioribus Fratribus obedientes sitis & humiles, non proterui, non murmuratores, sed cum omni humilitate, ac mansuetudine seruate propositum vestrum: Nam si secus egeritis, vt aliquis vestrum aduersus Abbatem & Fratrem infletur, & non solùm sibi, sed etiam aliis peruersæ transgressionis fuerit incitamentum, & non sui Abbatis, vel Fratrum sustinuerit correctionem, hunc nobis cum festinatione mitti præcipimus, vt eum in talem dirigamus locum, vnde ille vobis minimè possit quicquam inferre scandali.

Hæc vobis ideò scribere iussimus, vt cognoscere possitis quantam curam ac sollicitudinem de vobis habere desideramus. Eandem enim familiaritatem, quam cum piæ recordationis BENEDICTO Abbate vestro habere visi sumus, si præcepta eius obedienter custodire volueritis, vobiscum similiter habere volumus, & curam vestri ipsiúsque Monasterij semper agere.

Et quia constat per chartam donationis prædicti Patris vestri eumdem Monasterium Genitoris nostri priùs, & denuò nostrum esse alodem, eamdem licentiam, quam ipse priùs, & nos deinceps per præcepta immunitatis visi sumus concedere, perpetuis temporibus firmiter obseruare, & inuiolabiliter conseruare promittimus, vt quandocumque diuina vocatione prædictus Abbas, vel successores eius de hac luce migrauerint, quamdiu inter vos tales inuenire potueritis, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeant, per sæpe scriptam, & roborandam nostram authoritatem, licentiam habeat semper eligendi Abbatem. Optamus verò pro nobis orantes, ac secundum propositum vestrum custodientes in Christo semper bene valere. Amen.

Neque eam ob rem quis inferre audeat, electiones Antistitum iure ad Reges aut Principes attinere: *Sacerdotum quippe est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est; quia docendus est populus, non sequendus*; ait Stephanus Papa ad Archiepiscopum Rauennat. Et Can. 25. dist. 63. Vide Glossam. Statuit quoque Synodus Nicæna 2. Can. 3. *Omnis electio Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi à Principibus facta, irrita maneat.*

De approbandis per Regem electionibus agunt, Iacobus Bruellius ad li. 3. ca. 2. Aimoini de Gest. Frãc. Et Iuret. not. ad Iuonis ep. 104

Subiiciendus nunc antiquus in Benedictione Abbati impertienda ritus, à B. Theodoro Cantuariensi digestus atque obseruatus, ex vetustissima Canonum collectione Bibliothecæ S. Germani Pratensis.

DE ORDINANDIS ABBATIBVS.

IN Abbatis ordinatione Episcopus debet agere Missam, & eum benedicere inclinato capite, cum duobus vel tribus testibus de fratribus suis & det ei baculum & pedules.

Abbas potest pro humilitate, cum permissione Episcopi, locum suum derelinquere: tamen fratres eligant sibi Abbatem de ipsis, si habent, sin autem de extraneis, nec Episcopus debet violenter in loco suo.

Congregatio debet sibi eligere Abbatem, post mortem eius, aut eo viuente, si ipse discesserit vel peccauerit: ipse non potest aliquem ordinare de suis propinquis, neque de alienis, nec alio Abbati dare, si non voluerint Fratres.

Si verò peccauerit Abbas, non licet Episcopo tollere possessionem Monasterij, sed mittat eum in aliud Monasterium, in potestatem alterius Abbatis.

Non licet Abbati, neque Episcopis terram Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ in potestate eius sint. Si mittere vult testem, faciat cum consensu amborum.

Si quis vult Monasterium suum in alio loco ponere, faciat cum consensu Episcopi, & Fratrum suorum; & dimittat in priori loco presbyterum ad Ministerium Ecclesiæ.

Abbas, & Episcopus hominem sceleratum seruum possunt habere, si pretium redimendi non habet.

Abbas si habuerit Monachum dignum Episcopo, debet dare si necesse est.

Pagina 490 col. 2. lin. 51. (*In ciuitate Tricassium coëgerat Concilium.*) Expressiùs his B. Godefridi electionem, Conciliique causam denotant Nicolaus vitę eiusdem Godefridi lib. 1. cap. 30. Iuo Carnot. Epist. 208 ad Paschalem Papam. Sed & Guillelm. de Nangis Hist. MS. ad annum 1109. *Paschalis Papa*, inquit, *venit in Franciam &c. Qui Papa à Rege Francorum honorabiliter susceptus, diuersis Franciæ locis peragratis Concilium vniuersale apud Trecas honorificè celebrauit, & cum amore Francorum, qui multùm ei seruierant, & timore & odio Theutonicorum &c.*

Pagina 491. col. 2. lin 20. (*Pro mei auspicio sumeret.*) Eiuscemodi prognostica passim, Guiberti potissimùm tempestate legere est in actis Antistitum; vnde futuros mores electi, siue Episcopi, siue Abbatis conijcere solebant. Guillelmus Malmesbur. lib. 1. de Pontif. Angl. fol. 121. 2. vbi de B. Lanfranco: *Aiunt eius prognosticon:* Date eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis. *Quo ille ab acclamantibus, hilari vultu ad Dominum direxit: Certemus ergò mutuâ vicissitudine, tu dando, ego dispertiendo &c. nec erat segnis in erogando &c.*

Ibidem lin. 48. (*Ad salutem meorum, quos tu mihi subiecisti, animus intendat.*) Quàm spectata morum probitate ac religione Abbas noster, suíque Monachi claruerint, prædicat Manasses Suessionensium Episcopus donatione cuiusdam Ecclesiæ, quam integrè describere, ne cum aliis pereat, pretium operæ est.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI. AMEN. Ego MANASSES *Dei gratia Suessorum Episcopus. Cum omnibus fidelibus per . . . . nobis creditis debitores sumus, maiorem tamen diligentiam his impendere exigimur; maiore circa eos deuotione . . . . . quos à negotiis sæculi se sponte videmus remouisse, & ad vacandum Deo, & insistendum orationi, quietem & secretum elegisse. Horum igitur quidam, illi videlicet Fratres, qui in Monasterio Sanctæ* MARIÆ *apud Nouiandum, Monachicam & religiosam agunt vitam, ita nobis & maioribus nostris sua deuotione, & sinceritate, charissimi extiterunt, vt eos, quamvis intra Episcopium nostrum minimè consistant, non minus quàm nostros proprios honorauerimus, beneficiis quoque & donis auxerimus. Quod ergò eis nostra beneficentia pro Dei amore contulit, memoriæ placuit literis assignare, ne posteritati quicquam vel ignorantia, vel malitia liceat demutare.*

Præerat siquidem illi Monasterio Domnus VVIBERTVS *Abbas, qui sapientiâ, & innocentiâ suâ nos sibi valde conglutinauit; à quo rogatus sum, vt Altare de villa, quæ dicitur Cretis, quod quidam potentium, nomine* VVIDO VVIDONIS *de* COCIACO *filius, & maiorum beneficio, à nobis, & ab Ecclesia nostra tenebat, eidem Monasterio conferrem: Idem enim Abbas religioso quo pollebat consilio, cũ prædictis VVidone tractauerat, vt Altare illud possidere laicus periculum crederet, egeratque vt præfato Monasterio pro salute sua illud redderet. Si tamen ego, ex cuius beneficio erat, annuerem, & efficerem: ego verè ac libens id effeci; neque enim hoc intellexi beneficij nostri minorationem, sed vtilem commutationem, & quasi de laua transferre in dexteram.*

Concessi igitur Altare de Creci præmonito Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ *Monasterio, annuente* AVSCVLFI *Archidiaconi nostri, & Clericorum nostrorum voluntate; ita videlicet, vt cura eius per manum nostræ principalis Ecclesiæ Decani dispensetur; & inde quinque solidi quot annis persoluantur Canonicis nostris, in festiuitate Sancti Geruasij, post mortem verò meam in anniuersario meo. Vt autem concessio hæc cum determinatione sua inconcussa permaneat, anathematis interpositione confirmamus, sigilli nostri impressione, & signis conuenientibus corroboramus.*

Signum MANASSÆ Episcopi.
S. ANSCVLFI Archidiaconi.
S. LISIARDI Præpositi.
S. BERNARDI Decani.
S. PETRI Archidiaconi.
S. FVLCONIS Archidiaconi.
S. HVGONIS Præcantoris.
S. ODONIS Sacerdotis.
S. GVALTERI Sacerdotis.
S. ROBERTI Decani.
S. ODONIS Diaconi.
S. FVLCONIS Diaconi.
S. AVSOLDI Subdiaconi.
S. LAVRENTII Subdiaconi.
S. HERBERTI Subdiaconi.
S. ADAM Subdiaconi.
S. AVSCVLFI Acolythi.
S. AVGENVLFI Acolythi.

S. DVRANTIS Acolythi.
S. LEONIS Acolythi.
Actum Dominicæ Incarnationis anno M. C. VII.

Porrò haud incongruum hoc loco seriem Abbatum Nouigentini Monasterij fuerit recensere, quandoquidem Auctor vetusta ipsius monumenta hocce lib. 2. describat; vt quoquomodo integram historiam exinde curiosi eiuscemodi mercis exploratores valeant haurire.

ABBATES MONASTERII B. MARIÆ de Nouigento.

I. HENRICVS simul Abbas S. Remigij Remensis, de quo Guibertus noster lib. 2. de vita sua cap. 2.

II. S. GODEFRIDVS rexit Monasterium ad an. 1104. quo ad Episcopatum Ambianensem assumptus est. Idem Guibertus eodem loci, & lib. 3. ca. 13.

Gesta B. Godefridi conscripsit Nicolaus S. Crispini Maioris Suessionensis Monachus; ea refert Surius stilo suo perpolita ad diem 8. Nouembris.

B Godefrido ad subleuandam Monasterij egestatem tria Altaria siue Ecclesias dilargitur Hugo Suessionensis Episc. quod testatum reliquit in hunc modum:

EGo HVGO gratiâ Dei Suessorũ Episcopus, cognoscens ordinis & loci, in quo Deus me indignum posuit, rationem qua omnibus fidelibus, quantulumcumque in me est, debitor sum, vt me non tantum pro mihi commissis, verum etiam pro quibuslibet in Christum credentibus, animum, si necesse sit, ponere, nedum terrenam & exteriorem substantiam ministrare oporteat; dilectis Fratribus Monachis, in Monasterio, *Nouigento*, in pago Laudunensi, Deo, & sanctæ Dei Genitrici, semper Virgini MARIÆ humiliter seruientibus, hoc modo benefacere decreui.

Frequenter enim, sed satis humiliter, rogatus à domno GODEFRIDO prædicti loci Abbate, viro religioso, & charissimo nobis, vt eius Monasterij paupertatem & Fratrum Deo ibi seruientium necessitatem misericorditer attenderem, & laboris eorum, & studij circa Dei cultum adiutor, & sustentator existerem; iustis precibus adquiscerere dignum ducens, ad sustentationem illius Monachorum Cœnobij, tria altaria pro amore Dei, & statu Ecclesiæ nostræ, & vitæ æternæ obtentu, deuotus concessi. Altare scilicet de *Iouiniaco*: Altare de *Valsalione*. Altare de villa quæ vocatur *Pons sancti Medardi*.

Et quia sacra præcipit authoritas, vt quæ rata esse Episcopus voluerit, suorum consilio faciat Clericorum: Hanc concessionem nostrorum consensu & voluntate Clericorum facientes, statuimus, vt sanctæ Suessionensis Ecclesiæ, cui indignus præsum, in die Anniuersarij mei VI. solidos, pro iisdem Altaribus quotannis persoluantur: Decanus verò huius Ecclesiæ, eorumdem persona Altarium semper existat, & ad ipsum cura eorum & prouidentia pertineat. Hanc igitur traditionem nostram omnibus temporibus inuiolatam esse cupientes, ne quis eius temerator vmquam existat, interpositione excommunicationis prohibuimus: scriptura quoque sigilli nostri impressione munita corroborauimus: Signa etiam legitimorum testimoniorum adhiberi censuimus.

Signum HVGONIS Suessorum Episcopi.
Signum LISIARDI Præpositi.
Signum HVGONIS Decani.
S. . . . . . . Archidiaconi.
S. FVLCONIS Archidiaconi.
S. EBALI Archidiaconi.
S. ROBERTI Præcentoris.
S. GVARNERI Presbyteri.
S. HVGONIS Presbyteri.
S. ODONIS Presbyteri.
S. PETRI, ROTBERTI, BERNARDI, Diaconorum.
S. THÆBALDI, IVONIS, GIROLDI, ODONIS, BARTHOLOMÆI, ALEXIS, RAINALDI, Subdiaconorum.
S. ANSOLDI, LAVRENTII, IVONIS, HERBERTI, ARNVLFI VVALTERI, INGELRANNI Acolytorum.

HVGO sanctæ Suessionensis Ecclesiæ Cancellarius huic cartæ subscripsit, & relegit.

Actum Verbi Incarnati anno M. C. Hugonis Episcopi anno VIII. Epacta XVIII. currente VII. Indictione VIII.

III. GVIBERTVS seu VVIBERTVS 1104. ex Monacho S. Geremari Flauiacensis, genere, religione, omni literatura clarus, veluti ipsius opera, quæ nunc primùm in lucem emittimus, at testantur. Addam hîc Ordinationem Guiberti de obitus sui die, tres, antequam ab humanis excederet, annos, factam. Habet ita.

EGo GVITBERTVS Dei gratia sanctæ Dei Genitricis MARIÆ apud Nouigentum seruus. Quoniam de augmento Ecclesiæ suæ quemque Rectorẽ curare conuenit, octo solidos, qui apud Landicurtem in atrio Ecclesiæ ab hospitibus nostris accipiebantur, in festo sancti Martini tali modo emi. Maritus cuiusdam mulieris in feodo à nobis tenuerat, nomen Paganus erat, quo defuncto cui, relicta ipsi quæ in dote eos à marito acceperat,

Hildeburgis nomine, filium & filiam habens, cum valde egeret, & feodum noſtrum alij quàm nobis ſibi vendere non liceret, tandem nobis vendidit, & centum ſolidos proinde à nobis accepit, ita vt, præſentibus Codiciaci Caſtri Proceribus, tàm ipſa, quàm filius & filia eius, à poteſtate feodi ſeſe exuerent, mihique & Eccleſiæ redderent, & pariter donum eius ſuper Altare ponerent. Huic interfuerunt ROBERTVS Caſtellanus. RAINALDVS Belehere. ADO & ITERIVS cum patre ſuo GVIDONE, ROBERTVS Anguilla. GERARDVS Dolle . .

Quin etiam à quodam milite qui Guermundus vocabatur; & in eleemoſynam accepimus manſum quendam apud Remeias, quem pro allodio poſſidebat: quem etiam Fortmundus quidam, cuius familia tota erat de Iure Eccleſiæ noſtræ, cum terra appendice ab ipſo Guermundo tenebat. Cuius largitioni tamen non fui ingratus, ſed triginta quinque ſolidos ei contuli, quia eum pauperem ſciui: qui manſus tres ſolidos Laudunenſis monetæ quotannis ſoluit in feſtiuitate ſancti Remigij. Cui dono Furmelina vxor ſua libenter annuit. Et huius rei teſtes ſunt GVIDO de Guni. ADO filius. HELIAS de Fera. GVIDO filius . . . . . GERELMVS . . . . . ALBERICVS de Traueci.

Hos octo ſolidos cum tribus illis, qui de manſo ſoluuntur, pro anniuerſarij mei die conſtitui cum conſilio fratrum noſtrorum, ipſis fratribus ad quos potuerint epularum apparatus dandos: & eâ die omnes Eccleſiæ Sacerdotes Miſſas ſinguli quique cantent, ſicut in die Ordinationis facere ſolent. In vita autem mea, etiam ſi ab Abbatia decederem, aut aliàs quauis occaſione tranſmigrarem, in feſto ſanctæ Luciæ eoſdem denarios dandos conſtituimus ad fratrum refectionem: Ex Dei ergo & noſtra omnium auctoritate excommunicamus; & Dei Iudicio addicimus omnes, qui has expenſas vndecim quos prædiximus ſolidorum, ab eo cui deſtinati ſunt, remouerint.

Actum Incarnati Verbi anno M. C. XXI. S. ALARDI. S. RADVLFI. S. RAINALDI. S. ALARDI. Refectorarij. S. GODEFRIDI Cantoris. S. ODONIS. S. GVLLERMI. ADDELMI. . . . . S. ADÆ. S. FVLCONIS. S. LEODEGARII, *& cæterorum omnium.*

IV. ANDRÆAS 1124. Prior antea Cœnobii Nouigentini. Nonnullas beneuolo animo Præmonſtratenſibus, maximè apud Bonolium, poſſeſſiones conceſſit.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

SCiant omnes præſentes & futuri, quòd ego ANDRÆAS Abbas ſanctæ MARIÆ Nogenti, conceſſu Capituli noſtri, conceſſi Eccleſiæ Præmonſtratę omnem terram Alodij noſtri quod poſſidebamus apud Bonolium, per cenſum tredecim ſolidorum monetæ Vermandenſis, omni anno perſoluendum ad Purificationem ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ. Et hoc ratum & firmum atteſtatione ſigilli noſtri confirmamus, & inconuulſum permanere decernimus.

Huius conceſſionis teſtes ſunt. GODEFRIDVS Monachus & Cantor Nouigenti, BERNARDVS Eleemoſynarius, ADELARDVS Monachus, ADELELMVS Secretarius, ALBERICVS Præpoſitus, HERBERTVS Cellerarius, FVLCO puer, ITERIVS puer, & cæteri.

Et de eadem Præmonſtrata Eccleſia, HVGO tunc temporis Abbas, GERARDVS Prior, HARDVVINVS Cantor. PETRVS Diaconus, ALMORICVS Diaconus, ADAM, THIBALDVS, Subdiaconi, RAINALDVS, IOANNES, pueri.

Anno Incornationis Dom. M. C. XXIX. Indictione VII. Epacta XXVIII. Conc. I.

Radulphus autem Caſtellanus, & Iuo Nigellenſis Eccleſiam, quam iniuſtè vſurpabant, approbante Simone Nouiomenſi Epiſcopo, tradunt Andreæ Abbati, & Monachis B. MARIÆ Nouigentinæ: En tabulæ donationis.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.

Ego SIMON Dei gratia, Nouiomenſium Epiſcopus: Vniuerſis in Chriſto fidelibus in perpetuum. Quoniam Apoſtolus præcipit dum tempus habetis operamini bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei: Nos provt paſtoralis ſolertia exigit, dum tempus habemus, ea, quæ pietatis ſunt & miſericordiæ, inuicem ſectari debemus. Omnibus ſiquidem notum eſſe volumus tam præſentibus quàm futuris. RADVLFVM N*igellenſem* Caſtellanum, ab IVONE N*igellenſi* domino per ſucceſſionem poſteritatis, in Altare *de Curci*, tàm in minutis decimis, quàm in hoſpitibus atrii, ſeu in oblationibus Sacerdotis, dimidietatem per omnia in feodum tenuiſſe; eóſque ambos ante nos humiliter veniſſe, recognoſcentes ſuper hoc culpam ſuam, Radulfumque in manum Iuonis hunc feodum reddidiſſe, & Iuonem liberè & abſolutè in manum noſtram remiſiſſe, eoſque in commune nos cum deuotione magna rogaſſe, quatinus pro animabus anteceſſorum ſuo-

rum, & specialiter pro anima GVILLELMI fratris RADVLFI, qui in Monasterio Beatæ MARIÆ Nogenti Monachus factus, & sepultus est, eidem Monasterio hoc Ecclesiasticum beneficium contraderemus, & canonicè firmaremus.

Nos igitur deuotioni eorum aggratulantes tibi, frater ANDRÆA supradictæ Ecclesiæ Venerabilis Abba, tuisque successoribus, fratribusque inibi Deo seruientibus, quicquid in Altare *de Curci* Radulfus seculariter tenebat, nos Ecclesiasticè possidendum vlteriùs pro animabus prædecessorum nostrorum, & matris meæ concedimus; vt quod laïca manus hactenus in sanctuarium Dei malè tenuit, Ecclesia tua deinceps benè, & liberè possideat. Presbyter in parochia tuo assensu per manum Episcopi ponatur. Si quid verò in eadem parochia tu & successores tui, Deo auxiliante, adquirere poteritis, huius Cartulæ sanctione firmamus.

Vt igitur hæc omnia rata & inconuulsa permaneant, præcipimus, & sigilli nostri impressione, & testium suppositione corroboramus, & ne quis præsumptor hoc donum violare vmquam præsumat, anathematis inhibitione, auctoritate Sancti Spiritus, prohibemus. Huius rei testes sunt suppositi.

S. SIMONIS Episcopi.
S. HVGONIS Archidiaconi.
S. BALDVINI Decani.
S. PETRI Cantoris.
S. Magistri PETRI.
S. THEODERICI Abbatis sancti Eligij Nouiomi.

Actum Nouiomo in præsentia SIMONIS Episcopi, anno ab Incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI millesimo, centesimo XXXII. *Ego* HVGO *Cancellarius subscripsi.*

V. BRVNO 1140. Ecclesiam Canonicorum Codiciacensium, & pia quædam alia donaria Ingelranni, rata vult Bartholomæus Laudu. Episcopus hocce diplomate;

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Ego BARTHOLOMÆVS Dei gratiâ Laudunensium Episcopus. Quoniam Apostolus præcipit, dum tempus habetis operamini bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei: nos prout pastoralis solertia exigit, dum tempus habemus ea, quæ pietatis sunt & misericordiæ, inuicem sectari debemus. Omnibus siquidem notum esse volumus, tàm futuris, quàm præsentibus, quòd INGELRANNVS filius THOMÆ Ecclesiam in Castro Codiciacensi sitam, quam hactenus contra ius Ecclesiasticum tenuerat, per me, & per venerabilem fratrem nostrum GOISLENVM Suessionensem Episcopum, crebrò super hoc commonitus, tandem diuina inspiratione compunctus, absolutè in manu nostra reddidit, id obnixè & deuotè à nobis expetens, vt eamdem Ecclesiam Monasterio Beatæ MARIÆ de *Nouigento* contraderemus, & canonicè firmaremus.

Nos igitur petitioni eius gratanter assensum præbentes, tibi, frater BRVNO supradicti Monasterij venerabilis Abba tuisque successoribus, & fratribus inibi Deo seruientibus præfatam Ecclesiam perpetuò possidendam concedimus; ita videlicet, vt decedentibus Canonicis præbendas ipsorum habeas, & pro facultate loci consequenter Monachorum inibi numerum substituas.

Præfatus itidem INGELRANNVS sub turri Ecclesiæ capellam construi fecit, in qua, vt cotidie Missa Defunctorum pro anima patris sui Thomæ, & pro animabus omnium fidelium Defunctorum, celebraretur: hortatu Religiosorum, rogatu etiam matris suæ MILESENDIS, & ROTBERTI fratris sui, & sororis suæ MILESENDIS, & assensu procerum suorum, vineam quamdam ab omni consuetudine liberam; duos modios frumenti ad terragia Cociaci villæ, & ad transuersum de Blarencurte triginta; ad Casnels verò decem solidos in festo beati Remigij quotannis persoluendos contradidit. Dedit ad transuersum Codiciacensem viginti solidos ad Luminaria Ecclesiæ concinnanda; & confirmauit donum duorũ videlicet solidorum, quod pater, & mater ante fecerant omni septima ad refectionem fratrum.

Contulerunt etiam pares supradicti castelli eidem Monasterio pro animabus suis, & prædecessorum suorum: *Rotbertus de Cais* v. solidos bonæ monetæ singulis annis ad transuersum Codiciacensem. *Rainaldus Belebere* XI. solidos censualis monetæ ad censum suum de Morilencurte accipiendos. *Ado de Luni* XI. solidos cursabilis monetæ. *Iterius* frater eius XI. solidos. *Rotbertus Vitulus* XII. denarios. *Simon Crassus* XII. denarios. *Petrus de Frescencurt.* XII. denarios. *Guido* filius *Alberici* XII. denarios. *Bonifacius* XII. denarios. *Rainaldus Rufus* III. Sextarios vini. *Lambertus Gruellus* III. Sextarios vini, quos habebat in prædicta vinea. *Robertus de Curual* condonauit consuetudines quas habebat in eadem vinea.

Nouerit etiam posteritas fidelium, quòd ad transuersum Pontis de *Cuiaperit*, quem *Drogo* nepos *Mathildis Grossæ*, Beatæ *Mariæ* Nouigenti ad conuersionem veniens contulit, idem *Ingelrannus de Carreta* denarium vnum bonæ monetæ; de carro verò duos denarios, & de Trusello in Sella iacente, denarium vnum, & v. solidos apud Puisserium, & obolum vnum bonæ monetæ de

vnaquaque domo adiacentium villarum, pro reficiendo ponte, Abbati & Monachis in perpetuum habendos conceſſit.

Vt autem hæc omnia in poſterum inconcuſſa permaneant, Anathematis interpoſitione confirmamus, ſigilli etiam noſtri impreſsione & teſtium ſuppoſitione corroboramus.

Signum BARTHOLOMÆI Laudunenſis Epiſcopi.
Signum ERNALDI Archidiaconi.
S. BARTHOLOMÆI Archidiaconi & Theſaurarij.
S. GVIDONIS Decani.
S. MILONIS Præcentoris.
S. ANSELMI Abbatis ſancti Vincentij.
S. BALDVINI Abbatis ſancti Ioannis.
S. LEONII Abbatis ſancti Michaëlis.
S. GVALTERII Abbatis ſancti Martini.
S. GISLEBERTI Abbatis ſancti Nicolai de ſaltu.

Actum Lauduni anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXVIII.

Data per manum ERNALDI *Cancellarij*.

Quæ Norbertinæ familiæ alumnis conceſſerat ſuus deceſſor, confirmat Bruno.

At controuerſia Brunonem inter & Hugonem Præmonſtrati Abbatem, ſopita tandem eſt iſthac Bartholomæi Laudunenſis ſententiâ decretoriâ:

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

BARTHOLOMÆVS Dei gratia S. Laudunenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, Dilecto filio ſuo BRVNONI Abbati S. MARIÆ de Nouigento, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Quæ ad pacem Eccleſiarum à Catholicis Epiſcopis inter religioſas maximè perſonas iuſtè ordinata, Canonicè ſtabilita ſunt, firma debent & perpetua pace muniri.

Ea propter dilecte fili, quæſtionem quæ inter te & dilectum filium HVGONEM Abbatem de Præmonſtrato, noſtris temporibus emerſa eſt, per gratiam Dei cooperante confratre noſtro Goiſleno Venerabili Sueſſorum Epiſcopo, ad plenum definire, & præſenti pagina tàm futuris quàm præſentibus notum facere curamus.

Sanè conſtat Eccleſiam de Cocciacouilla, & parrochiales reditus, ad Eccleſiam B. MARIÆ de Nouigento pertinere. Porrò intra eiuſdem parrochiæ terminos in loco qui Roſerias appellatur, MILESENDIS INGELRAMI mater, Monaſterium conſtruxit, & prædicto Abbati de Præmonſtrato ad Ordinem Religionis conceſsit. Cuius Monaſterij dedicationem, te & Eccleſia tua contradicente, tandem, præſente & cooperante ſupradicto Coepiſcopo noſtro Goiſleno, res ita definita eſt:

Videlicet, vt nullam omnino Eccleſia tua de poſſeſſionibus tuis patiatur diminutionem, ſed ad integrum decimas, oblationes debitas, viuorum & mortuorum curam: & ſi quid vltra eſt, quod de parrochiali iure deſcendat, æterna quiete poſſidebitis. Ipſi verò Præmonſtratenſes nihil de omnibus his quæ veſtri iuris erunt, poterunt vſurpare. Quod vt impoſterum ratum & inconuulſum permaneat; Ego, & Sueſſionenſis, præſentis chirographi pace firmamus, & ſigillis noſtris conſignamus.

Actum Lauduni anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo primo.

S. Bartholomei Laudunenſis Epiſcopi.
S. Goiſleni Sueſſionenſis Epiſcopi.
S. VVidonis Decani.
S. Richardi Archidiaconi.
S. Barthol. Archidiac.
S. . . . . . . Abbatis S. Ioannis.
S. Anſelli Abb. S. Vincentii.
S. Gilleberti Abb. S. Nicolai de Saltu.
S. Vvillelmi Abb. S. Nicolai de Prato.
S. Milonis Cantoris.

VI. INGELRANNVS 1157.

VII. IOANNES ab anno 1164. ad 1185. hoc ipſo regente creuêre Monaſterij bona, ſummique Pontifices priuilegiis munierunt.

VIII. HELIAS 1185. Complures iniit cum diuerſis ſocietates; præſertim cum Hugone Præmonſtratenſi Abbate.

IX. ROBERTVS anno 1190. ad 1201.

X. PETRVS CLAVDY. (Vulgo *le Boiteux*) 1201. in Archimandritam S. Remigij Remenſ. vbi priùs inſtitutum Monaſticum profeſſus erat, eligitur.

XI. Robertus II. 1213. Eccleſiam ipſe à fundamentis, dormitoria duo, alterum Presbyterorum, Nouitiorum alterum ædificari curauit ſummis impenſis: quorum omnium vix ruinæ parent. Hoc Abbate corpus Thomæ de Marla tranſlatum eſt, vti ex ſubiecta Ingelranni charta perſpectum habetur.

IN NOMINE PATRIS ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

EGO INGELRANNVS Dei gratia Dominus Cociaci, vniuerſis ſanctæ matris Eccleſiæ filiis, præſens Scriptum inſpecturis, Notum facio, quòd cùm vir nobilis Dominus THOMAS de Marla bonæ memoriæ anteceſſor meus, & quondam Dominus Cociaci, antiquitùs ſepultus fuiſſet in quadam Ca-

pella, quam vir illustris & piæ recordationis Dominus INGELRANNVS auus meus, & filius eiusdem Thomæ construi fecit sub veteri turri Ecclesiæ B. MARIÆ de Nogento; in qua pro anima eiusdem Thomæ patris sui, & pro animabus omnium fidelium defunctorum, à Monachis eiusdem Ecclesiæ quotidie vna Missa celebraretur. Tandem tempore meo cum Ecclesia de Nogento cœpisset de nouo reædificari, & eandem Capellam necesse esset amoueri propter nouum opus, quod per eamdem Capellam, & per sepulturam prædicti Thomæ oportebat crescere & extendi; Domnus ROBERTVS tunc Abbas de Nogento & Monachi eiusdem loci, de assensu & voluntate mea, & me præsente, cum aliquantis militibus, & seruientibus meis, corpus eiusdem Thomæ de loco, in quo priùs sepultum fuerat honorificè trãstulerunt; & peractis Missarum solemniis, in medio Choro suo nouæ Ecclesiæ solemniter tumulauerunt; & illam Missam, quæ pro anima sæpe dicti Thomæ, & pro animabus omnium fidelium defunctorum in veteri Capella priùs celebrabatur, in nouo opere per voluntatem meam duxerunt quotidie in perpetuum celebrari.

Et ne per succedentia tempora hæc translatio corporis sæpedicti Thomæ obliuioni traderetur, Abbas & Monachi eiusdem Ecclesiæ petierunt à me vt eamdem translationem, & diem, in qua facta fuit, per litteras sigillo meo roboratas posteritati futurorum commendarem.

Ego autem petitioni eorum gratanter præbens assensum, præsentes litteras fieri præcepi, & sigilli mei munimine roborari; & ad recordationem huius facti, prædictis Abbati & Monachis de Nogento in perpetuum reseruandas commisi.

Actum Verbi Incarnati M. CC. XVIII. mense Aprili III. Non. eiusdem mensis, quartâ feriâ ante Resurrectionem Domini nostri IESV Christi.

Planum autem fit ex hac Ingelranni Chartâ, omnia vetustatis monumenta susque deque diruta; vnde non mirum si eorum, quę Guibertus de sepulchro Quilij Regis, & cæteris eiusdem Cænobii antiquitatum vestigiis attigit in libro II. de vita sua, nil superfit.

XII. GALTERVS seu VVALTERVS 1231. Monachale collobium, induerat in S. Vincentij Laudun. Monasterio.

XIII. IOANNES tertius 1240.

XIV. ITERIVS 1248.

XV. MATHÆVS 1281.

XVI. IOANNIS IV. de Palye 1300.

XVII. ROBERTVS III. 1332.

XVIII. IOANNES IV. *Despagnyes*, ex Marchionibus Despagnyes in Picardia 1347.

XIX. LAVRENTIVS du *Rasse* 1415.

XX. IOANNES *Roussel*; cui, quòd Monasterij bona dilapidasset, munus abrogat Episcopus Laudunensis; Oeconomúmque Nicolaum de Lestoc constituit.

XXI. NICOLAVS de *Lestoc* 1464. Ioanne vita functo, eligitur.

XXII. IOANNES VI. *Mareschal.* 1475. ad ann. 1489.

ABBATES COMMENDATARII.

XXIII. ARTVRVS DONNOY sacrę Capellæ Parisiens. Canonicus, omni iure posthabito, spretâ Monachorum electione, Nicolaum Mauart, cui Cœnobitæ regimen Abbatiæ imposuerant, exagitauit; ac tandem anno 1489. Abbatiam obtinet in Commendam.

XXIV. IOANNES VII. de *Beaumont* Archidiaconus Lingonensis 1512. ad 1529.

XXV. CAROLVS de *Vignacourt* Archidiac. Rothomag. & Canonic. Paris. 1529.

XXVI. IOANNES de *Longueual*, per cessionem Caroli 1544. ad an. 1557. quo, mense Iulio, Abbatiam abdicauit in fratris Caroli gratiam.

XXVII. CAROLVS II. de *Longueual* Ioannis frater 1564. pessimè res Monasterij administrauit, imò dissipauit. Hic vxore sibi copulatâ ad Caluinistarum partes nefariè deuolutus est.

XXVIII. GABRIEL le *Seneux*, cui specie tenus Abbatiam cessit Carolus ille; siquidem nefando mercimonio possessiones sibi continuò retinuit; sed antequam possessionem iniret le Seneux morte præoccupatur 1571.

XXIX. GASPARDVS de *Prenier* Delphinas mense Septembri an. 1572. à Rege Abbatiam obtinet. Possessione adeptâ litem mouet aduersus præfatum de Longueual, qui bona Monasterij suis possessionibus adiunxerat, sacra feretra auro argentóque adornata, Calices sacros, gemmas, & quidquid pretiosum reperire licuit, deprædatus fuerat, exciderat syluas; quatenus ipse non modò vniuersa restitueret, sed & turrim & Chorum Ecclesiæ, quæ ipso die nuptiarum corruerant, instauraret. At cunctæ Gaspardi contentiones incassæ remanserunt. Etenim acceptâ pecuniâ pactum iniit cum Carolo, qui per fas & nefas rebus Ecclesiæ pacificè potitus est.

XXX. IOANNES VIII. de la *Grange* Parisinus, Lite Carolum de Longueual, & armis persequitur, sed frustra: quare multis calamitatibus lacessitus Abbatiam abdicare, atque Iacobo du Val, tanquã Confidentiario

vt vocant, Caroli de Longueual, cedere coactus eſt.

XXXI. IACOBVS du *Val* nominè duntaxat Abbas effectus; nimirum ea lege, vt cùm primùm Philippus de Longueual, ſæpe fati Caroli filius, adoleuerit, Abbatiam in eius gratiam deponeret, quod & actum eſt anno 1586.

XXXII. PHILIPPVS de *Longueual.* Caroli primogenitus Abbatiâ potitus ad ann. 1624. quo Abbatiam retentâ penſione, tradidit Antonio de Longueual ex fratre nepoti.

XXXIII. ANTONIVS de *Longueual*, die 15. Nouembr. adhuc duodenis. Quantum per ætatem & tempus licuit inſtaurationi Abbatiæ, diſciplinæque regulari incubuit, accitis ea de re Monachis cùm ex S. Germani Pariſ. tùm ex Caſalis Benedicti Monaſteriis; ac tandem Congregationis S. Mauri; cui & Nouigentinum Cœnobium, pacto ad hoc confecto aggregauit die 21. Menſis Octobris 1646. vitâ defunctus die 7. Iulij 1649. ſepultus in Eccleſia S. Germani de Antiſiodoro Pariſiis: cuius cor ad Nouigentinum Cœnobium delatum, atque ſepulturæ traditum eſt.

XXXIV. IOANNES de *Graſſe* Prouincialis Abbatiam adipiſcitur an. 1649.

Pagina 493. lin. vlt. (*Augium Caſtrum*) Comitatus, cuius vrbs præcipua Augium, Picardiæ inferiori atque territorio Caletenſi contermina. Familiam Comitum Augenſium ſiue Aucenſium reperies in fine hiſtoriæ Norman. ſcript. ab Andræa Ducheſnio pag. 1086.

Ibidem. (Abbatia Sancti Michaëlis iuxta mare, quod dicitur Vlteriſportus) ipſius conditoris atque originis, nec non facultatum notitiam vt habeas, quodnam antiquius, nobilius, certius monumentum prodere quiuero, quàm fundationis tabulam? hanc ergò ex antiquis ſchedis in lucem emitto.

CHARTA ABBATIÆ VLTERIORIS Portus de donatione & confirmatione Roberti Comitis Augi, fundatoris Eccleſiæ de Vlteriori-Portu.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo triceſimo ſexto, Ego ROBERTVS Comes Augenſis cõſilio MAVRILII Archiepiſcopi Rothomagenſis, & VVILLERMI Normanorum Ducis, ſed & aliorum tàm Epiſcoporum, quàm Optimatum Normaniæ, hominumque meorum laude, & præcipuè monitu vxoris meæ BEATRICIS Comitiſſæ, Abbatiam in honorem Dei & ſancti MICHAELIS Archangeli apud Vlteriſ-portum conſtituo, & vnde Monachi ibi viuant, qui pro mea meorúmque ſalute Deum aſſiduè exorent, vxore BEATRICE, & filiis meis, RADVLFO videlicet, VVILLERMO atque ROBERTO concedentibus, atque laudantibus, de meis poſſeſſionibus ſtabilio.

Do igitur eis in Vlteriſ-portu Eccleſiam, vbi eadem Abbatia eſt conſtructa, cum tota decima, & cum omnibus ad eandem Eccleſiam pertinentibus; & viginti domos in eadem villa, ſex in cambis ex ipſis, & duos homines vauaſores liberos, & cenſum lignorum eiuſdem villæ; & paluſtrem, terram & prata de iuxta, & omnem terram arabilem, quam in dominio meo, in eadem villa, id eſt in Vlteriſ-portu habeo, & omnem conſuetudinem hominum illorum, qui ſunt ſancti Michaëlis, quicquid omnino ſit.

Item in Vlteriſ-portu, & in Augo oppido, & decimam denariorum de Vicecomitatibus, & in vtraque villa quidquid Abbas & Monachi acquirere poterunt. Quod ſi homines Abbatis piſcem, qui vocatur Turium, capiunt, totus erit ſancti Michaëlis, craſſus piſcis ſi captus fuerit ala vna, & medietas caudæ erit Monachis.

Do etiam ego ROBERTVS Comes eidem Eccleſiæ apud Augum, manſionem cuiuſdam hominis qui vocatur. . . . . . cum viridario; & alias tres manſiones; decimamque paſnagij ſyluarum Augi; omniumque exaltatuum earumdem ſyluarum, vbicumque fiant, ſyluam quoque liberam in opus Monaſterij & Miniſterij Monachorum.

Do etiam terram Maiſnilli-Vallis, cum portu, & quicquid in eodem loco habeo; Quercitumque Criolij; & Maiſnillum Soreth liberum, & quietum ab omni conſuetudine, & quodcumque inde exit. Maiſnillum quoque Alardum do; & villam quæ Ramicheon-Maiſnil dicitur; & aliam quæ Grimonth-Maiſnil vocatur. Et concedo medietatem de Boitealmaiſnil apud Fucardi montem.

Et de dominio meo do duos hortos, & manſiones quinque hoſpitum, & vnum molendinum. In fontibus autem, excepto theloneo, & parrochia, do illud quod in dominio meo habeo in terris, & pratis, & alnetis, & mareſcis, & vnam domum liberam, & vnum molendinum, vbi tota molitura de Grimont-maiſnil debet venire, ſi Dominus villæ molendino caruerit.

Do etiam decimam molendinique blangeci, & ſeptem molarum. Apud ſeptem molas do eiuſdem villæ Eccleſiam, & quodcumque ad eam pertinet; terramque vnius carrucæ, & totam decimam de dominio meo. In Crioleio molendinum vnum cum tota

molitura, & de floscis, & de Estaelonde vinliothuil, & duas mansiones liberas.

Ecclesiam quoque do de Anedinace, & fiscum Rogerij eiusdem villæ, qui Monachus effectus est, & totam terram Gozondimare. In Verleio vnum Molendinum do pro anima Rogerij filij Turoldi, & terram quam Romeldis auia ipsius Rogerij in Verleio habuerat, & quam ipse Rogerius Ecclesiæ sancti Michaëlis, me præsente, dedit, scilicet medietatem villæ do ego Robertus Comes liberam.

De Boëuilla autem, & de Penleïo & de Brunuilla do Ecclesias, & totam decimam, & terram quatuor bobus. Ecclesiam quoque de Guillemercourt do, cum tertia garba: & Ecclesiam sancti Petri in Valle, cum tota decima: & Ecclesiam sancti Vvalarici de Monte aquoso, cum terra & cæteris ad eam pertinentibus: & Ecclesiam de Burgo Turoldi, cum tota decima, & trigintaquinque acras terræ. Basilicis terram ad vnam carrucam, & Ecclesiam cum tota decima, & quicquid ad eam pertinet, & mansiones hospitum duodecim: do & Roscelinum de Matun-maisnil cementarium, cum fisco suo; & sanctum Martinum de sylua liberum, & quietum, cum terris, & hospitibus, & quicquid ad eundem locum pertinet, vbi quondam Domnus GERVINVS Abbas sancti Richarij, eremiticam vitam duxit.

Item locum illum qui dicitur Flamengueuilla, & terram vnius aratri, & partem meæ Vvarance; decimamque Thelonei septem molarum; & Grandinciæ omnium piscium quoquinæ meæ; & de sale, & de omni carne, quæ mihi, vel hæredibus meis de Anglia veniunt.

Similiter decimam do & aquam de Criolio, octo diebus ante festiuitatem sancti Michaelis, & ipsa nocte festiuitatis eiusdem, aquam de eo, eidem Abbatiæ do: similiter ante festum translationis sancti BENEDICTI, aquam de Criolio concedo eidem Ecclesiæ quatuor diebus, & ipsa nocte festi, aquam de eo.

In Anglia do Bonitone, & quicquid ad eam pertinet, in terris, in hospitibus, & cæteris rebus.

Hæc omnia dono eidem Abbatiæ in eleemosynam liberam, & quietam, & per chartam istam testificor dona, quæ GVILLERMVS filius meus, me præsente & consentiente, eidem Ecclesiæ in eleemosynam contulit; videlicet Ecclesiam de Haymies cum tota decima, & terram trium hospitum ad eandem Ecclesiam pertinentem.

Testificor etiam omnia dona, quæ, me præsente, volente, & rogante, Barones, Milites, & nationes terræ meæ, eidem Ecclesiæ in eleemosynam liberam contulerunt & quietam; videlicet triginta acras terræ apud Vlterisportum de dono HVGONIS Vicecomitis, patris GVIBERTI de DIMEIO; de dono VVILLERMI CAVCHEIS, duas mansiones in villa Vlterisportus, & totam terram Montis-Goisberti, & duo iugera prati apud Flamengueuillam, & apud Criolium alia duo iugera prati, & terram quam tenebat in Augo oppido, & Viridarium vnum, & quicquid habebat in septem molis. De dono RICHARDI BOISTEL, & HILDVINI de BLANGEIO, & GVSTINI de GRIMONT MAISNIL, & HENRICI IAILLARDI, duas garbas decimæ in feodis suis apud Blangeium. De dono HENRICI MOSTELLENCIS, in fontibus viginti iugera terrę, & duas garbas decimæ. De dono ANSCHERII de RIV senis, decimam suam de Riu. De dono YMBERTI de BASINVAL, & de dono HELDVINI FORESTARII duas garbas decimę de terris suis apud Basinual. De dono VVALTERII ad Barbam de Daiuilla, duas garbas decimę de fisco suo apud Moncheium. De dono GOSSELINI de Bernoumaisnil, & OSMELDIS vxoris eius terram de Sifridiuilla. De dono ROGERII filij Teroldi, apud Guillemercourt fiscum duorum hominum, videlicet Goifridi filij Romoldis, & Rogerij filij Henrici. De dono RADVLFI, qui non videt, patris RADVLPHI de Grantcourt, quamdam decimam in Grantcourt.

De dono VVILLELMI TALLEBOT seruiuitium terræ Sansogolinis in Gillemercourt. De dono ALVNDI de Grantcourt, patris ROBERTI, duas garbas decimæ de terra sua de Grantcourt. De dono RADVLFI filij ALVEREDI totam decimam terrę suę apud Penlieu. De dono GOIFREDI, filij RAINOLDI de sancto Martino Iaillardo, decimam de terris hominum suorũ, quam habebat in dominio suo, & apud S. Martinum, & apud Letot & apud Merlimcampum. De dono CLAREMBOVDI, patris RICARDI de Tokeuilla, duas garbas decimę de Tokeuilla. De dono ROGERI de Salcheio fratris RICARDI de Freauilla, Ecclesiam de Salcheio cum tota decima, & quicquid ad eandem Ecclesiam pertinet, & vnam acram prati. De dono RICARDI, filij ROBERTI de Freauilla, totam decimam de . . . . . . De dono PICARDI de Lonreio, patris BARTHOLOMÆI, decimam de Bosco Ricardi. De dono MILLONIS de Ayssingneio, duos hortos & duas garbas decimę de Assingneio. Ita liberè, vt eas & nunc homines villæ ad domum Monachorum adduxerunt, sicuti ad suam pridem facere ex debito solebant. De dono ROBERTI de Petreponto, & GODEFRIDI fratris eius decimam de Cuueruilla, quam tenebant de OYLARDO domino eiusdem villæ; & hoc fecerunt

fecerunt de consensu eiusdem domini. De dono OYSTELLANDI militis mei, qui filium meum VVILLERMVM nutriuit, villam quæ vocatur Maisinloystellant, & hoc concessi precibus VVILLELMI filij mei, vt in perpetuum esset eadem villa ad eleemosynam pauperum libera, & quieta.

Et volo vt quæcunque Monachi Vlterioris-portus ei dono meo, siue successorum meorum, tenuerint, vel possederint, ita liberè, & quietè teneant, quòd vel ab eis, vel ab hominibus eorum hæredes mei, nulla seruitia, nulla auxilia, nullas tallias, siue collectas, nullas omnino exactiones exigant: & successoribus nostris hoc annuentibus, & pro posse suo res huius Ecclesiæ augentibus, benedictionem; calumniantibus verò, & res huius Ecclesiæ retrahentibus, æternam maledictionem indico, & eos timendæ excommunicationis vinculo ligo. Horum donorum tàm meorum, quàm aliorum benefactorum huius Ecclesiæ, quos prædixi, testes:

Ego Robertus Comes Augi.

Et Radulphus & VVillelmus, & Robertus filij mei.

Et Hugo Vicecomes.

Et Gaufridus de Bailoil.

Et Galterus ad barbam de Dauitusvilla.

Et alij multi quos longum est nominare.

Hocce donationis Instrumentum confirmat Ioãnes, itidẽ Comes Augensis, ad hũc modũ.

Anno Incarnationis M. C. XLIX. Romanam Ecclesiam regente Papa EVGENIO; *Rothomagensem Cathedram Episcop. sedente* HVGONE *Archiep. principante in Normania Andegauorũ Comite* GAVFRIDO: *Ego* IOANNES *Augensium Comes, huic S. Archangeli Michaelis Vlteriorisportensi Ecclesiæ concedendo dedi, & confirmaui, & super altare propriâ manu meâ posui omnia dona illa, quæ antecessores mei, Comes videlicet* ROBERTVS, *&* GVILLELMVS *filius eius*; HENRICVS *pater meus, suique homines concesserunt, dederunt, & confirmauerũt, & quicquid die vno, quocunque pacto Ecclesia tenuerat viuentibus præfatis Comitibus; & volo vt ea præcipuè quæ Monachi habere debebãt, firmiter & plenariè habeant, & in perpetuum possideant &c.*

Verùm paucis post annis ab eodẽ Comite, siue ab eius militibus, cũ Ecclesiæ S. Michaëlis thesaurus immani sacrilegio fuisset direptus, pœnitentiâ Princeps ille ductus, quicquid ablatũ eatenus compensare studuit, vt alia, quæ in sequenti carta continentur, piè contulerit. Hanc exscribere iuuabit, vt inde æui nostri exercituum Duces. (Heu! quam nefanda patrata sunt) nobile religionis Christianæ, quin & iustitiæ exemplum sumere possint.

Notum sit vniuersis Ecclesiæ Dei filiis, quòd Ego IOANNES *Comes Augi pro stipendio militum, & seruientium, quos tenui per guerram Regis, inuadiaui maximam partem & optimam thesauri Ecclesiæ sancti Michaëlis de Vlteriori-portu; duos videlicet Textus pretiosos, & duo thuribula pretiosa, vnũ calicem argenteum, & optimè deauratum, cappas caras viginti-quatuor, casulam peratam, & bonam. Præterea tot & tantis grauaminibus præfatam Ecclesiam tàm sæpe grauaui, quàm vices grauaminum numerare non possem; quare pro multis pauca, pro magnis parua rependens concedo, & in perpetuum do prædictæ Ecclesiæ, auenam & frumentum de Verleio, quæ pertinet ad forestagium. Diligenter autem hæredes exoro, ne Ecclesiae terræ suæ grauent, sed honorent & protegant. Et si quid eis pro salute animæ meæ, & parentum meorum dedi, vel pro ablatis reddidi, in pace stabiliter tenere faciant, recordantes quòd ipsi morituri sunt, sicut prædecessores nostri mortui sunt. Huius donationis testes sunt hi:* HENRICVS *&* ROBERTVS *filij Comitis, & N. Comitissa Augi: H. Abbas Fiscanni, Stephanus Abbas de Fulcardimonte, Thomas de Brienchon, Aluerdus de Sancto* Martino, *Magister Ricardus, Guillelmus Billuar*; & alij plures.

His accedit eiusdem Monasterij Antistitum Nomenclatura.

EX NECROLOGIO ABBATIÆ Sancti Michaelis Vlterioris-Portus.

XIV. Kalendas Maij, obiit piæ recordationis Domnus Abbas RAINERVS, huius Ecclesiæ Pastor primus.

III. Nonas Martii, obiit piæ memoriæ Domnus Abbas DROGO, huius Ecclesiæ secundus Rector.

XI. Kalendas Aprilis, obiit Reuerendissimus vir Domnus Abbas ALVREDVS, istius loci gubernator tertius.

De quarto & quinto nihil.

XI. Kalendas Maii, obiit Domnus Abbas GVILLERMVS, huius Ecclesiæ Pastor sextus.

Kalendis Iunii, obiit Domnus RICARDVS Abbas huius Ecclesiæ Pastor septimus.

De octauo haud vlla commemoratio.

VI. Kalendas martii, obiit piæ memoriæ Domnus Abbas GVILLERMVS huius Ecclesiæ Pastor nonus.

kalendis martij, obiit Domnus Abbas ARTVRIVS huius Ecclesiæ Pastor decimus.

De vndecimo silet Necrologium.

V. Nonas martii, obiit Domnus HVGO Abbas, huius Ecclesiæ Rector duodecimus.

VI. kalendas maii, obiit piæ memoriæ Domnus Abbas HENRICVS Rector, & Reædificator nobilissimus, & tertius decimus loci istius: in cuius anniuersario habemus

quadraginta solidos.

De quatuor subsequentibus nihil.

XIV. kalendas Aprilis, obiit Domnus ROBERTUS Abbas huius Ecclesiæ vigesi. primus.

III. Idus Iulij obiit IOANNES Abbas istius Ecclesiæ, Reædificator & reparator nobilissimus, & Pastor vigesimus secundus.

Vigesimi tertij nulla mentio.

VI. Nonas Maii, obiit piæ memoriæ Domnus Abbas RICARDUS *de Longuemor* Rector, & Reædificator nobilissimus, vigesimus quartus.

V. kalendas Aprilis, obiit piæ memoriæ domnus Abbas ANDREAS Rector, & Reparator nobilissimus capellæ Beatæ MARIÆ, vigesimus quintus.

VI. kalendas Octobris, obiit piæ memoriæ domnus Abbas RICARDUS *de Longuemor* nobilissimus Reædificator, ac vigesimus sextus huius Ecclesiæ Rector.

Videtur hic error, vel fuere synonimi 24. ac 26.

De vigesimo septimo nihil extat.

XVI. kalendas Septembris, obiit anno Domini 1521. illustris dominus CAROLUS *de Cleues* Comes Augi, filius primogenitus domini GILBERTI eiusdem loci Comitis, frater germanus domini Francisci de Cleues huius Ecclesiæ moderni Abbatis Commendatarij primi, & in ordine vigesimi octaui.

XII. Kalendas Iunij, obiit domnus Abbas ALBERICUS, Ecclesiæ S. Leufredi moderatissimus Rector, nostriq; loci primus ædificator.

Hanc Abbatum seriem solidam, certámq; neutiquàm propono; refragatur enim Robertus de Monte in Tractatu de immutatione Ord. monach. infra inter Additamenta: *Robertus Comes Aucensis*, inquit, *Monasterium S. Michaëlis Vlterioris-portus ædificauit: in quo I. Abbas fuit Herbertus, Monachus S. Trinitatis de Monte Rothomag. 2. Aluerêdus, 3. Osbernus Monachus eiusdem loci, 4. Fulcherius Monachus Cluniacensis.*

Pagina 493. col. 2. lin. 23. (*Comitissa Helisendis.*) Quæ Roberto Aucensi Comiti nupta, Vvillelmum (de quo eò loci) natu secundum genuit quemadmodum in subscriptionibus fundationis S. Michaëlis supra allatæ visere est. Guillelmus Gemet. Hist. lib. 5. cap. 3 in Richardo 2. *Cui,* Vvillelmo, *non multò post Ocensem Comitatum tradidit, eique quandam puellam Leschelinam dedit. Ex ea genuit tres filios, Robertum scilicet, post eius mortem Comitatus hæredem &c.* Sed vim solummodò coniecturæ nostra hæc habeat Annotatio.

Pagina 493. col. 2. lin. 49 (*Cùm ibi literatorum floreat multitudo.*) Inter antiquos Radulphus Flauiacensis vulgo dictus, haud infimæ notæ scriptor; Commentarium in Leuiticũ (multoties cusum) edidit.

Pagina 494. lin. 21. (*Instar religiosorum illorum, quos Deonandos* A *vulgò appellant.*) Deonandos eos esse puto, quos *Donatos* siue *Oblatos*, vulgari lingua *Donnez, Oblats*, nuncupamus. Hi autem habitu laïcali inseruiunt Monasteriis, in his potissimùm quæ foris peragi à Monachis (quorum munus est sacris incumbere) non facili negotio queunt: haud omnibus obseruantiis, rigidioribus maximè, tenentur. B. Lanfranco *Monachi laïci* dicuntur, Decret. cap. 1. sect. 4. post init. Et sect. 5. sub med. *Fratres laïci.* Legesis Menardum Obseruat. ad caput 70. Concordiæ Regul. pag. 1028.

B Cæterùm Deonandos, siue laïcos fratres, nomine Monachorum ad succurrendum identidem in vetustis chartis, & martyrologiis seu Necrologiis venire existimo. Cui ministerio non viri tantùm, sed etiam mulieres sese, quo faciliùs theoriæ studiis intenderent Cœnobitæ, addicebant: velut supra ostensum est pag. 12. D. & seq. Testimonium huiusce rei subministrat Chronicon Besuense hoc modo:

Nouerint fideles per succedentia tempora, quòd quidam homo Lambertus nomine, cùm C *esset ingenuus, & maneret apud Setas, cum vxore sua nomine Ereburgi, ac liberis Framvero & Dominico, eiusdem conditionis, gratis se tradidit Sancto Petro ad seruiendum, in loco qui dicitur fons-Besua, ac Monachis ibi degentibus, famulantibus Deo, quatenus libertas proueniret animabus eorum: sed hoc fecit eo tenore, ea conditione & fœnore, vt ipse, & successores eius fideliter custodirent eleemosynam, quam Comes Regionis Rainaldus, vnà cum sua coniuge, tribuit supradicto Sancto Petro: Nam quicquid in lucro, aut negotio ali-* D *quid exinde potuerint lucrari, reddant ad vestitum fratrum in camera supradicti loci. Et vt hæc scriptio firma maneret in præsenti dederunt in recordatione huic Conuentui, vir duos asinos, & eiusdem viri vxor decem solidos, ad restaurandam caldariam: similiter & vnam nauim dederunt. Nam nouerint Monachi ipsius loci, non eum habere alium Aduocatum, nisi ipsos, & ideò omni tempore eum in vestitu, in calceatu, ac cibo semper gubernari. Et vt insuspecti manerent, anathematizauerunt seniores loci quicquam in aliquo, aut quippiam ei molestè fecerit, aut eius liberis perpetua ana-* E *thematizatione ex authoritate Dei, sanctique Petri, ob cuius amorem se tradidit ipse Lambertus ad seruiendum, nisi satisfactio facta promeruerit veniam. Testes huic subscriptioni omnes habitatores sancti loci; ipsi sunt, Ado præpositus, Humbertus, Vuido Decanus, Orbertus, Nectæus, Ramerius. Hæc enim acta sunt tempore Vvillelmi Abbatis, ac Præpositi loci, Benedicti nomine.*

Et charta è Monasterij S. Maxentij tabulario exscripta:

In nomine Domini, Ego GAVTERIVS *Presbyter, filius* ADEMARI DE GVARDA; *dedi animam meam, & corpus meum Domno* GOFFREDO *Abbati sedenti in Capitulo cum Monachis suis, die quodam Dominico Aduentus Domini, in societatem & beneficium totius Monasterij: & quando voluero Monachus esse, cum rebus quas habuero accipiant me siue sanum siue infirmum. Dedi eis vnam borderiam de terra, & vnum quartarium de prato, pro beneficio, & salute animarum parentum meorum, in eleemosynam, sine vlla requisitione progeniei meæ. Ipsi autem me, & fratrem meum Lucium, de hoc beneficio cum Regula reuestierunt nos, & osculati sunt. Et ibidem conuenimus donum hoc à dominis nostris carnalibus seruaturos. Hoc donum fecimus cum isto pergameno super altare, videntibus testibus istis subtus scriptis.*

MARTINVS *Espernus.* HVGO *Porcheus &c.*

Et ego GAVTERIVS *cum signo † firmaui. Facta est autem hæc chartula anno ab Incarnatione Domini M. C. X. Regnante in Francia* LVDOVICO *Rege, &* GVILLELMO *Comite in Aquitania;* PETRO *quoque Episcopo Pictauensi.*

Virum vxoremque Cœnobio Beatæ MARIÆ Vallis-bonæ sese nuncupasse delicat Instrumentum, quod non ita pridem ex chartis eiusdem Prioratus (olim Abbatiæ) diœcesis Grassensis, descripsit atque in epitomen redegit noster Claudius Chantelou.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo trigesimo secundo, Indictione quinta, mensis Decembris die decimo octauo. BLACACIVS DE SARTOLS, *&* IORDANA *vxor sua, donant Monasterio Beatæ* MARIÆ *Vallisbonæ, & domno P. Abbati dicti Monasterij, seipsos, & omnia bona sua generaliter; & specialiter Blacacius dat omnia bona sua mobilia & immobilia, & Iura quæ habet in Castro de Sartolis, & in toto eius territorio, siue consistant in domibus, hominibus, seruitijs, dominiis, vineis, arboribus, pratis, campis, nemoribus, aquis, pascuis &c. Et* IORDANA *specialiter dat omnia bona sua, & Iura quæ habet in Castro de Torrenco, & in eius territorio, & in Castro de Graulerijs superioribus, & in eius territorio, siue consistant in domibus &c. Item dat dicta* IORDANA *libras trigintaquinque, denariorum Raimundensium, vnum denarium, & solidos centum Raimundensium in rebus, retento ipsis iugalibus vsufructu in vita sua. Et promittunt ipsi iugales prædicto Abbati, quòd quicunque ipsorum iugalium priùs defecerit seu decesserit, quòd alter qui superstiterit, tantum quamtum vixerit, permanebit castè & in continentia, & incontinenti promittunt obedientiam eidem Domino Abbati, nomine dicti Monasterij, iunctis manibus: Et ibidem Abbas recipit dictos Blacacium & Iordanam iunctis manibus in Fratres, & participes & Donatos dicti Monasterij Vallisbonæ, promittens quandocunque ipsis venire placuerit, ipse & Monasterium eos benignè suscipiat & pertractet tanquam alios confratres dicti Monasterij, & prouideat ipsis in victu & vestitu, & calceamento secundum Monasterij possibilitatem. Scribebat B. de Sclannola Notarius Domini Raimundi Berengarij Comitis Prouinciæ.*

Sed & Necrologium Sandionysianum expressis verbis: *V. Kal. Februarij, obijt Girardus Monachus ad succurrendum.* Et *XI. Kalend. Nouemb. Obijt Vincentius Monachus ad succurrendum.* Martyrologium Corbeiense: *Pridie Idus Ianuarij, obiit VValterus Monachus nostræ Congregationis ad succurrendum.* Item: *XVII. Kalend. Febr. obiit Odoardus Monachus nostræ Congreg. ad succurrendum.* Mortuologium Sancti Andreæ iuxta Auenionem. *IV. Idus Ianuarij, obiit Domnus Isuardus domnus de Bareto, Monachus ad succurrendum.* Denique: *III. Nonas Nouemb. obiit Rostagnus de Potio alto Miles, Monachus noster ad succurrendum.* Sic & alibi.

Aliter verò Monachos ad succurrendum vsurpari me aliquando in antiquis membranis legisse venit in mentem; nempe pro laïcis morbo aliquo laborantibus, qui in Monasteria vel ipsimet rogantes, vel à Monachis ob Dei amorem suscipiebantur; & iis succurrebant Monachi inseruiebantque, & quascunque poterant res ad eorum solamen, commodabant, inde *Monachi ad succurrendum* sortiti nomen. Duo inter quamplurima occurrunt exempla. In carta Prioratus Sancti Ægidij de Medunta; *Odo Ruffini filius maxima ægritudine vexatus suscepit habitum Monachicum &c. & Monachus ad succurrendum effectus est.* Chronicon. Besuense: *VVido miles de villa, quæ Fretas nuncupatur, decidens in infirmitate effectus est Monachus &c.*

(*Birro talari & nigro capite cooperto.*) Pro pileo birrum siue biretum hîc sumi perspicuum mihi videtur. Verba huic rei. L. 1. Codic. Theodos. de habitu quo vti oportet intra vrbem, libro 14. Tit. 10. *Seruos sanè omnium (quornm tamen dominos solitudine militiæ constat non teneri) aut birris vti permittimus, aut cucullis.* Statuta Cluniacensia anno circiter 1290. edita, cap. 53. *Permittitur*

Pagina 494 lin. 34.

cuilibet Religioso habere duas tunicas &c. duo caputia cum duobus biretis, vno nigro & altero albo. Me tamen non latet birrum aliud sonare apud grauissimos authores; scilicet lacernam & palliolum. Consule Henric. Spelman in Glossario, & Girardum Vosium de vitiis sermonis &c. Canonicus Laudunensis in Chronico MS. ita birrum exprimit: *Et ecce quidam in specie peregrini birro, id est veste Ierosolymitana indutus &c.*

Pagina 495. lin. 1. (*Apud sanctum Medardum.*) In Abbatiæ Sancti Medardi Suessionensis historia conscribenda operam ac studium collocat Domnus Ildefonsus Vrayet, haud ignarus nostræ Congregat. Presbyter: de hac ergò silemus.

Ibidem lin. 57. (*Directis ad Abbatem sancti Nicasij ea tempestate Ioannem.*) Quis iste Ioannes ex subiecta historiæ Monasterij sancti Nicasij epitome, atque Abbatum serie palam fiet. Vtrumque ex sua MS. diœcescos Remensis historiâ (quam improbo studio & cura plures per annos elaborauit) lubenti animo deprompsit mihi valde amicus Domnus Guillelmus Marlot, Maior eiusdem Cœnobij Prior, Doctor Theologus, vir cùm morum grauitate, tùm eruditione singulari præditus.

MONASTERII SANCTI NICASIJ Remensis Ordinis Sancti Benedicti, INITIA ET PROGRESSVS.

MOnasterium sancti NICASII. O. B. in vrbe Remensi, clarum origine, & progressu celebre habetur. Vetus olim Basilica fuit titulo sancti AGRICOLÆ, cui primo consecrata fuit, & Remensium Archiepiscoporum sepultura insignis. A IOVINO Romanæ militiæ præfecto anno 330. & deinceps illustris effecta Beatissimi NICASII nomine, sub VVandalica persecutione Martyrij Laurea donati, cuius sacratissima pignora ac sororis eiusdem EVTROPIÆ fœliciter excepit anno 407. vt est apud Flodoardum lib. 1. cap. 6.

In hac eadem Basilica Idem Fla. IOVINVS Fundator munificus quiescit, ex testamento Sancti Remigij, quo pariter Archiepiscopi in ea tumulati recensentur, his verbis: *Ecclesiæ* IOVINIANÆ *tituli sancti Agricolæ (vbi ipse vir Christianissimus Iouinus, & Sanctus Martyr Nicasius, cum plurimis societatis suæ Christi Martyribus requiescunt; vbi etiam quinque Confessores proximi antecessores Domni Nicasij, cum sanctissima Virgine & Martyre Eutropia, conditi sunt) solidos tres.* Hodie visitur tumulus marmoreus Iouini totâ Galliâ celeberrimus in naui Ecclesiæ, iuxta parietem tribus columnis erectus, & prominens, in cuius anteriori parte egregiè sculpta prostat effigies insignis cuiusdam Equitis, leonem telo ferientis, & multorum satellitum seu seruorum circumstantium, cuius explicationem curiosam iuxta & eruditam dederunt Nicolaus Bergier Remus in doctissimo opere viarum Imperij, ac Dominus Tristan.

Quam vero eleganti structurâ idem Iouinus prædictam Basilicam construxerit Codex manuscriptus sic indicat: *Est quædam Ecclesia in suburbio Remensi* (nūc pomœrio vrbis dilatato à trecentis annis, mœnibus clauditur) *posita, miro columnarum ornatu, arcubus, auro, & vitro lapillis interposito micantibus, à Iouino vrbis Romæ præfecto quondam gloriose fundata &c. quam his verbis aureo prætitulauit decore.* Ex Flodoardo.

Fœlix militiæ sumpsit deuota Iouinus
Cingula, virtutum culmen prouectus in altum &c.

De hoc Iouino præclarè Ammianus Marcellinus lib. 15. Cassiodorus in Chronico, & Necrologium Nicasianum septimo Septembris, qui anniuersarius dies eius obitus solemniter celebratur.

Quanta verò præcelluerit dignitate vetus Basilica Iouiniana, ex quo Sanctorum Martyrum pignoribus locupletata est, satis superque indicat Flodoard. cap. 17. lib. 1. imò promiscuè titulo Agricolæ & Nicasij colebatur à fidelibus, & Abbatiæ nomine gaudebat primis his sæculis, quamuis in ea non Monachi, sed Fratres Clerici diuina officia persoluerent, vt ex Philippi primi Francorum Regis diplomate, & ex cap. 8. Flodoardi abundè colligimus. Sed quamvis sensim, vt sors est rerum humanarum, fortè Clericorum incuriâ, decreuerit, per septingentos tamen annos vsque ad Flodoardi tempora superstes mansit. At sub Henrico primo cum Reuerendissimus Antistes GERVASIVS, ex Episcopatu Cœnomanensi ad sedem Remensem speciali prouidentia Dei euectus est, adeò erat vetustate attrita, & imbribus deformata, vt tecta ac parietes vndique corruerent, veteri maiestate prorsus extinctâ, quo fit vt prædictus Venerabilis GERVASIVS visa tàm magnifici operis fabrica, ruinis vndique fatiscente, in animum induxerit eam à fundamentis instaurare, quod & egregiè præstitit assensu potentissimi Regis Henrici primi, ac conatum eius regali magnificentia promouente Philippo primo Francorum Rege, cuius diplomatis præcipuâ verba hîc præfigenda sunt.

IN NOMINE DEI SVMMI ET Saluatoris mundi IESV CHRISTI, *Philippus diuina dispensante clementia Francorum Rex.*

QVoniam fouendis Ecclesiis Dei, exaltandis & protegendis operam dare, regalis est excellentiæ, nosque ad hanc dignitatem diuina clementia sublimare dignata est, si quid pro earum incolumitate patimur, id eis, prout tempus exigit, regali nostra liberalitate debetur. Nouerit igitur fidelium nostrorum tam præsens quam futura posteritas, GERVASIVM venerabilem Remensem Archiepiscopum, quandam Abbatiam in Archiepiscopatu suo construxisse, & quæ suo labore & industria acquisita sunt, vt eidem nostræ confirmationis scripto corroboremus, nostram Regiam serenitatem sedulò postulare. Est enim Ecclesia in suburbio Remensi posita, miro opere quondam à Iouino Præfecto ædificata, quæ in primordio Archiepiscopatus sui, ab eo inuenta est vetustate & incuria, magna ex parte consumpta. Et quia de nomine sancti Martyris appellabatur, quanquam qui primo fundauerat, sub titulo eam sancti Agricolæ condidisset, ob amorem Dei, & sancti prædecessoris sui, studuit quæ in ea omninò corruerāt à fundamentis restaurare, quæ semirupta pendebant artificio quodam reintegrare, eam speciem noui operis ruinosam Ecclesiam decentissimè reformare. Ad hæc refectorium, dormitorium, & cætera habitacula seruorum Dei vsibus necessaria, quæ antea ibi nunquam fuerant, insigni opere superaddidit, Fratrésque sub Abbate & Regula sancti Benedicti, domino militantes ibidem congregauit, & reditus vnde viuerent sufficienter delegauit &c.*

Signum PHILIPPI *Regis Francorum. Signum* GERVASII *Archiepiscopi. S.* ADELARDI *Suessionum Episcopi. S.* ERMENDI *Laudunensis. S.* ROGERI *Catalaun. S.* BALDVINI *Nouiomen.* S. VVIDONIS *Beluacen.* S. LEIBERTI *Camerac.* S. VVALTERI *Melden. Actum Remis anno Incarnationis millesimo sexagesimo sexto, Philippi Regis septimo, Geruasij Archiepiscopi nono, in Ecclesia sanctorum Agricolæ & Nicasij Martyrum 4. Kal. Octobris.*

BALDVINVS *Cancellarius ad vicem Geruasij Archiepiscopi subscripsit.*

Ex veteri etiam manuscripto discimus Illustrissimum GERVASIVM Archiepiscopum, recentem à se ædificatam Ecclesiam, quam nuper reliquiis Beati Nicasij ab vrbe Tornacensi postliminio reportatis, ditauerat, cõsecrasse quinto Kal. Octobris, ac in ea nouam Abbatiam Monachorum Benedictinorum instituisse, quam amplis possessionibus, & innumerabilibus diuitiis, quamdiu vixit, studuit exornare, sed filios proprios non habentem extraneis procuratoribus vtriusque conditionis Monachis compulsum fuisse committere &c. Quibus verbis liquet GERVASIVM, nullum Abbatem creasse (quamuis regio diplomate quid facturus esset, si diu mansisset in viuis, referatur) sed nomen Abbatis sibi tanquam fundatori reseruasse (externos procuratores sub se constituendo, vt tenelli illius gregis, ac vix adunati, paternam curam gereret) sed eo obeunte onus, legitimum ductorem non habentes, ad propria loca redeunt, possessiones à GERVASIO relictæ à peruersis hominibus distrahuntur, & recens Abbatia in tam infœlicem statum redacta est, vt ipsa Missarum solemnia, nemine in Ecclesia existente, qui hoc ipsum expleret, à forensibus Sacerdotibus celebraretur, horæ etiam regulares à quodam iuuene nomine Ioranno, in eodem loco nutrito, recitabantur potiùs quàm cantabantur; hunc statim Abbatiali dignitate, & Romana purpura ornatum videbimus.

Sed RAINALDO primo Archiepiscopale culmen adepto post MANASSEM, qui sacra profanaque conculcauerat, noua lux Regioni Remensium visa est exoriri: Nam hic dispersa & exterminata congregans, & dissipata restaurans, venerabilis Geruasij exemplum secutus, inter alia præfatam Ecclesiam Iouinianam ad pristinum statum reuocare conatus est; & profectus ad solum Aruernense in comitatu Regis, Monasterium Casæ-Dei adiit, nuper institutum à Sancto ROBERTO, ac insignis tunc obseruantiæ sub venerabili SEGVINO, Beati ROBERTI Fundatoris discipulo; & nacta occasione, prædictum Abbatem Seguinum summis precibus efflagitauit vt delectos sibi Monachos concederet, cum experto rectore, ad regularem disciplinam in Monasterio Nicasiano restituendam; quod & obtinuit, vt ex charta eiusdem Rainaldi colligere licet. *Visum est nobis, & vt credimus diuinitùs inspiratum, Venerandum Seguinum Abbatem Monasterij, quod dicitur Casa Dei, compellare, vt pro Deo laborem restituendæ ipsius Abbatiæ nobiscum susciperet, & ex sua Congregatione Fratrem ad præficiendum idoneum, aliósque in hoc ipsius cooperatores dirigeret, exorare &c.* Hoc præclarè cęptum Rainaldi confirmarunt Paschasius secundus, & Calixtus summi Pontifices, concessâ etiam Monachis facultate eligendi Abbatem in Capitulo, à Remensi Archiepiscopo consecrandum.

Sic igitur renouata regulari obseruantia venerabilis ipse SEGVINVS regimen suscepit animarum, & suis quasdam discipulis imposuit obseruationes, à Casa-Dei mutuatas, vt ab aliis monasticen profitentibus tanquam tessera discerneret, quas multos annos

retinuerunt, donec languescente disciplina Constitutionibus Gregorij 9. Nicolai 4. & Benedicti 12. partim à Cluniacensi Ordine depromptis, & partim de nouo conditis, Abbatiæ Remensis, & Senonensis Prouinciarũ reformatæ sunt. Habitus etiam Nicasianorum, quamvis in pluribus cum aliis conueniret, hoc peculiare habuit, quòd almutiis de pellibus nigris, caputiorum loco, vterentur (de quibus vide Clementinam) & botis foderatis, vt aiunt, de nocte cum ad matutinas surgerent, cum quibus etiam post mortem sepeliebantur.

Porrò vigente obseruantia Regulari, & virtutem Monachis excolentibus, sensimditescere cœpit Asceterium Nicasianum, factumque octo cellarum parens, & Monachorum numerum satis copiosum aluit, quem Abbas canonicè electus additis sub se quatuor Decanis, seu Prioribus Claustralibus, laudabiliter rexit vsque ad moderna tempora, cùm sublatis electionibus Ordo monachicus per totam Galliam pessum abiit, ac Regularis Obseruantia, maximè in campestribus locis, neglecta est; quam tamen à sexdecim annis Seniores Monachi, pro ea propensione animi, quam habent erga sanctam Regulam, summo studio renouare conati sunt, euocatis Reuerendis Patribus Congregationis sancti Mauri, quibus, non vi coacti, sed ingenua & simplici charitate, Ecclesiam sacris supellectilibus refertam, omnes reditus Claustrales, & Iura, quæ hactenus illæsa conseruarant, paucis omnino contenti cesserunt, vt sarta tecta in perpetuum tueantur; hinc factum est, vt Abbatia Nicasiana, quæ hactenus independens ab origine extiterat, exemplo regalium Abbatiarum Regni Franciæ, in omnibus innouata, huic Congregationi, authoritate summi Pontificis erectæ, vnita sit, cui prosperum & fœlicem successum precamur. Cæterùm

ABBATES PRÆFVERVNT hac serie.

I. GERVASIVS Fundator illustris, & primus Abbas, rexit Monasterium per externos procuratores quandiu vixit, vt erat consuetudo huius sæculi; At incerta quædam Abbatum series nobis Remigium quendam, & post hunc Albericum, & Henricum ex Claustro Remigiano emendicatos obtrudere conatur, sed ficta & fabulosa est, cùm obeunte Geruasio, non tam Monasterij facies immutata sit, quàm dissipata Congregatio, & incuriâ vel recessu procuratorum, nulli permanserint, qui regere vel regi possent. ex Chronico MS. à Coætaneo authore conscripto; sed & Monasterium amplis possessionibus à fundatore ditatum instar cornicis Horatij exutum & spoliatum est, *Manassis*, vt credo, in sedem Remensem post *Geruasium* intrusi, omnia latè depopulantis tyrannide, sub quo pariter Cœnobium Remigianum eadem persecutione pressum, legitimum Abbatem nancisci non potuisse, ex Epistolis Gregorij VII. discimus, multo minus aliis prouidere. Adde quòd *Guibertus* de Nouigento, de posteriore Henrico verba faciens, trium Abbatiarum Pastorem nominat, sancti Remigij scilicet Humiliarensis, & Nouigenti, at nusquam sancti Nicasij, quod non tacuisset. Dies obitus GERVASII Archipræsulis 4. Iulij in Nicasiano Necrologio legitur, quo die anniuersarium solemne à monachis celebratur *1068*.

II. B. SEGVINVS ex Abbate Casæ Dei, fit primus Abbas regularis sancti Nicasij, anno 1086. Fuit is discipulus sancti Roberti, quem Rainaldus I. Remensis Archiepiscopus euocauit, cum duodecim Religiosis, vt Benedictinum Ordinem restitueret, ex charta eiusdem Rainaldi. Memoratur in Chartulario sancti Theodorici anno 1093. quòd abdicans, Casam-Dei reuersus est post septem annos regiminis. Eique suffectus

III. NICOLAVS I. etiam ex Monasterio Casę-Dei, & Beati Roberti discipulus; legitur pariter in Chartulario Asceterij Beati Theodorici prope Remos an. 1093.

IV. IOANNES I. ex eodem Claustro selectus memoratur apud Guibertum de Nouigento. Hic vix adepto regimine in terram sanctam profectus est, cum aliis Abbatibus, Eremitis, & reclusis, qui domiciliis suis non satis sapienter relictis, ire viam perrexerunt, ait Ordericus Vitalis de Itinere Hierosolymitano.

V. GVIDO I. pacificauit cum NICOLAO domino de Rumigni, pro decimis eiusdem loci anno 1100. Huic MANASSES II. Archiepiscopus Remensis decimas Montis Valesij concessit instrumento confecto, 6. Pontificatus, quod sic incipit: *Curam nos gerere pauperum, & Episcopalis exposcit sanctitas, & animæ simul inuitat vtilitas, quatenus iuxta Apostoli vocem, sic illorum inopiam nostra suppleat abundantia, vt ex illorum abundantia nostra in futuro suppleatur inopia.* Præfuit quatuor annis.

VI. IOANNVS in Monasterio sancti Nicasij à pueris educatus, & tenaciter obseruantiæ regulari adhærens, etiam post obitum GERVASII, meruit ob præclaras ingenij dotes, & singularia merita, ad præpositurae dignitatem primò, tùm ad Abbatialem promoueri, quam sic laudabiliter gessit, vt aliis esset rectę vitæ speculum, & salutiferæ conuersationis exemplum. Hunc RAINALDVS Archiepisc.

vocat, *Virum ſanctitatis merito omnibus bonis imitabilem.* Eo regente, ex Aſceterio Nicaſiano inſignes viri prodierunt, ad regularem diſciplinam longè lateque propagandam, inter quos memorantur DROGO Prior Clauſtralis, qui expulſis Monialibus è Monaſterio ſancti Ioannis Laudunenſis, tempore BARTHOLOMÆI Epiſcopi, coloniam Monachorum in earum locum inuexit, quorum ipſe ductor fuit & primus Abbas, tùm Cardinalis Oſtienſis, cuius extat Epiſtola de Sacramento Dominicæ Paſſionis, tom. 2. Bibliothecæ patrum. SIMON reparator lapſæ regularitatis in Monaſterio ſancti Nicolai de Boſco, cuius meminit D. Bernardus Epiſt. 83. Beatus ARNVLPHVS, poſtea Monachus Ciſtercienſis apud Signiacum. GODEFRIDVS item Prior S. Nicaſij agentibus Calixto II. & Ludouico VI. Francorum Rege tranſlatus ad S Medardum Sueſſionenſem, pro ſtatu Regulæ reparando: De quo etiam S. Bernardus Epiſt. 66. & alij plures. Multis etiam auxit bonis Monaſterium IORANNVS, multis altaribus, Cellis, ſeu Prioratibus, tàm in hoc Regno, quàm in Flandria; ſed tandem maiori deuotione intrinſecus tactus abdicauit, & Ordinem Carthuſianorũ ingreſſus eſt an. 1138. vt habent MS. Montis Dei, vbi ſe tam præclarè geſſit, vt in numerum purpuratorũ cooptatus fuerit ab Innocentio ſecundo.

VII. NICOLAVS II. legitur in Chartulario anno 1139. hic fauente Beato Bernardo obtinuit Prioratum beatæ MARIÆ Caſtri Porciani, anno 1143. obiit 28. Septemb. 1144. poſt quindecim annos Prælationis. Iacet in Prioratu de Finia prope Inſulas.

VIII. GVILELMVS interfuit tranſlationi Reliquiarum ſancti GIBRIANI, apud ſanctum Remigium, ſub SAMSONE Archiepiſcopo, menſe Aprili 1145. Rexit in omni doctrina & bonitate tribus annis, vt legitur in Necrologio. 21. Iulij.

IX. Ioannes II. recepit Bullam Eugenij 3. pro vnione Prioratus Caſti Porciani Obiit 1. Octob. 1158. Iacet prope altare pulchræ Capellæ, dictæ *la Verde*, ſub tumulo lapideo.

X. GVIDO II. Ex Monacho Remigiano. Vide Sirmondum in Notis ad lib. 5. Petri Cellenſis. Hîc contraxit ſocietatem cum Remigianis, & viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt 5. Octob. 1179.

XI. PONTIVS memoratur vndecimo Iunij in Necrologio; & præfuit duobus annis. huius nudum dumtaxat nomen inuenio.

XII. REGINALDVS electus ritè & ſolemniter à confratribus religioſis, anno 1181. Ei confirmat priuilegia Clemens 3. & obtinuit vnionem Prioratus Berbacenſis, Abdicat anno 1193. iacet in capitulo.

A XIII. GALTERVS poſt abdicationem præcedentis electus; fuit vitæ & doctrinæ venerabilis, cuius fama per totam percrebuit Prouinciã, quem apud nos ſua loquuntur opera, ex epiſtola fratrum ſancti Amandi in Pabulo, qui & illum ſtatim in Abbatem poſtularunt; vnde paucis annis præfuit.

XIV. HARDBRICVS nominatur in ſocietate inita cum Reuerendis fratribus ſancti Amandi 1193. hic etiam ſponte abdicauit, poſt tres annos præfecturæ.

XV. DROGO Dei amore flagrantiſſimus, B ac litteris liberalibus apprimè eruditus, anniuerſaria benefactorum, ac præcedentium Abbatum in Necrologio conſcribi curauit, vt Monachi ipſis ſatisfaciendis feriò incumberent: ſed cùm iuſtitiæ conſulit prolixiores cantus inducendo, ac penſum diuinum augendo, anſam præbuit remittendi Regulæ obſeruantiam. Hic renouauit ſocietatem cum Remigianis: & obiit 18. Nouemb. 1221. iacet in capitulo.

XVI. SIMON de LIONS inſtaurauit Ec- C cleſiam eo ſchemate, quo nunc non ſine admiratione conſpicitur, in forma crucis, longã pedes 305. latam 130. altam à pauimento ad fornicem 95. columnis ſeu pilis ſuffultam 28. Vitreis, feneſtris incomparabilibus ex dono Regum & procerum decoratam; choro vario marmore ſtrato, in quo ſunt ſedilia ex vtraque parte 76. Simon præfuit octo annis, jacet in clauſtro iuxta capitulum.

XVII. SIMON 2. de DAMPIERRE nobiliſſimis parentibus, rexit duodecim annis, Hic obtinuit licentiam augendi numerum D Monachorum vſque ad ſexaginta ab Innocento 4. iacet in capella clauſtri. Verùm deficiente primo Religionis ardore, Regula nouis Conſtitutionibus vallata eſt à Gregorio IX. anno 1233. & poſthac Nicolao IV. & Benedicto XII. quibus priores adauctæ, aliam viuendi normam pepererunt. Imò & habitum diuerſum, vt opinor; Nam præter vſum bireti etiam almutiis nigris caput texerunt; quod Clemens V. confirmat his verbis: *Almutiis caputiorum loco contenti ſint Monachi.*

E XVIII. SIMON 3. de MARMOVSTIER, benedicitur ab Epiſcopo Sueſſionenſi, Sede Archiepiſcopali vacante, anno 1242. Hic confirmationem immunitatis à geſtis & procurationibus obtinuit à Reuerendiſſimo THOMA de BEAVMETS Archiepiſc. anno 1249. & poſt 14. annos regiminis fato functus eſt 5. nonas Iulij 1254.

XIX. GERARDVS de CERNAY, vel CERNY. Ei confirmauit priuilegia Alexander IV. & concedit, vt feſtum Beati Nicaſij ſolemniter celebretur, tàm à Clero, quàm à populo in Prouincia Remenſi. Innocentius per-

mittit, vt Religiosi possent succedere bonis paternis, nec possint excommunicari, aut prohiberi celebrare diuina officia tempore interdicti ianuis clausis. Gerardi tempore lis mota est, pro conseruatione clauium portæ Ciuitatis, quæ sancti Nicasij dicebatur. Obiit 17. Maij 1263.

XX. MILO CROISSART eligitur à IOANNE de COVRTANAÏO Archiepiscopo Remensi, sine præiudicio iurium & libertatis Monasterij, vt ipse declarat in charta proprio sigillo munita. Præfuit quinque annis, & obiit 26. Octobris 1269.

XXI. IOANNES 3. dictus de SANCTO FERREOLO præfuit vnico anno. Notatur in Necrologio 21. Augusti.

XXII. GVIBERTVS administrationem sumpsit 1270. hic excepit PHILIPPVM & MARIAM Reginam in suo Monasterio, quibus valde charus erat. Recognouit Abbatiam esse in guardia, seu protectione Archiepiscopi 1284. obiit post 18. annos regiminis, iacet in Capella Claustri.

XXIII. ODO le PLAT Remus canonicè & solemniter electus benedicitur à PETRO Archiepiscopo, qui eius electioni consenserat. THEOBALDVS Dux Lotharingiæ ei hominium facit in Ecclesia sancti Sulpitij de Ruminiaco, pro feodis à Monasterio dependentibus. Cœpit anno 1289. Desijt verò 1297. Iacet in Cappella sancti Quintini.

XXIV. ÆGIDIVS 1. de *Landre* rexit duobus mensibus cum dimidio. sepultus in Capella dicta, *la Verde*, 1298.

XXV. ROGERIVS in viuis agebat anno 1299. legitur in processu Nicasianorum, pro iure tuendi Chorum in supplicatione ad sanctum Mauritium. Iacet in Capella sanctæ MARIÆ dicta de Coucy. Eo autem è viuis sublato

XXVI. ÆGIDIVS 2. de *Monte Cornuto*, ex gente Castilonea eligitur anno 1303. Societatem contraxit cum Monasterio S. Petri Catalaunensis 1310. Dominus Castiloneus Comes Castri Porcensis, & Conestabularius Franciæ, ei hominium facit, pro feodo de Rumigni, propter Mariam sponsam suam anno 1313. Ipsius tempore ROBERTVS de Courtenais recognouit reliquias sancti Nicasij per aperturam capsæ, præsente ROGERIO sancti Remigij Abbate. Iacet in Capella sancti Quintini, decorata insignibus Castiloneæ familiæ, & Barrensis, in vitreis.

XXVII. PHILIPPVS la *Coque* eligitur an. 1316. Vir ingentis animi, & summæ prudentiæ: ei hominium facit Ferricus Dux Lotharingiæ, pro feodis de Rumigni, in vico Remensi, dicto le Barbastre 1318. postquam declarasset præstari debere in Burgo de Rumigni. Philippus contraxit societatem cum Capitulo Remensi, in qua modus incedendi in processionibus publicis præscribitur. Memoratur in Historia Leod. fol. 384. Vniuit Prioratus de Ham, & de Betencourt Mensæ Abbatiali, anno 1346. senio confectus abdicauit. In sacello sanctæ Eutropiæ sepultus anno 1348.

XXVIII. GVIDO MOREL. Iuramentum præstitit Ecclesiæ Remensi post suam electionem 8. Decembris 1349. & iura Monasterij generosè tuitus est, ac possessionem Reliquiarum sancti Nicasij aduersus Capitulum Remense. Obiit 5. Ianuarij 1363. & in Capella de Couciaco, seu Beatæ MARIÆ de lætitia sepellitur.

XXIX. PETRVS COCQVELET Abbatiam adeptus per resignationem præstitit obedientiam Archiepiscopo 6. Maij 1364. Ei Vrbanus v. confirmauit priuilegia Monasterij. Iacet in Capella de Couciaco post 17. ann. regiminis. Eo verò hominem exuente

XXX. GVILLELMVS *de Illiniis* ex Abbate sancti Basoli per gratiam expectatiuam promouetur 1381. & post octo annos præfecturæ fit Episcopus Viuariensis, omissus à Claudio Roberto. Nominatur in Consilio Regis anno 1398. In Historia Montmorenciaca apud Andræam Duchesne.

XXXI. IOSSERANDVS *de Illiniis*, per resignationem præcedentis: præfuit tribus annis: mortuus 28. Decembris 1392.

XXXII. SIMON *Maubert* Trecensis, obedientiam Archiepiscopo vouit mense Ianuario 1392. quo & benedictionis munus ab eodem consecutus est. Huic FLORENTIA de Ribemont, domina de Chini, & de Germigni, hominium fecit pro feodis ex Monasterio dependentibus, in præsentia Guillelmi Fillastrii Vicarii generalis 1398. Obiit 19. Ianuarii 1405. Iacet in Capella Beatæ MARIÆ, dicta la Verde, retro maius Altare.

XXXIII. ÆGIDIVS 3. *Iennart*. Obedientiam præstitit Ecclesiæ Remensi 24. Martii 1406. more Gallico. Obiit Parisiis 18. Martii 1408.

XXXIV. NICOLAVS *Duchet* ex Præposito sancti Remigii, & Abbate sancti Basoli, obtinuit vnionem Prioratus de Finia, in fauorem Mensæ Abbatialis & Conuentus. Fato functus 22. Decembris 1430. Iacet prope sacrarium in naui Ecclesiæ, ex Necrologio.

XXXV. IACOBVS 1. *Gueulart* canonicè electus in Capitulo, iuramentum solitum de obedientia præstanda Ecclesiæ Remensi edidit 28. Iunii 1430. Iudex delegatus à summo Pontifice, pro litibus dirimendis inter Curatos vrbis Remensis, & Religiosos mendicantes. Rexit 21. annis sepultus 19. Aprilis 1451. Post decessum ipsius conflictus emersit inter Officiarios Regios, & Bailliuum Archiepis-

copi, pro Guardia seu protectione bonorum temporalium Monasterii.

XXXVI. IACOBVS 2. *Champion* rexit vndecim annis cum quatuor mensibus, 15. Septembris 1462. mortuus. Post obitum eius GVILLELMVS Bouille Canonicus Nouiomensis obtinuit Abbatiam in Commendam, per litteras Apostolicas, quibus Scabini vrbis cum Monachis intercesserunt, vt ex actis Capituli Ecclesiæ Cathedralis constat 14. Februarii 1465. Post hunc RICHARDVS de Longueil Cardinalis Constantiensis possessionem cœpit virtute literarum per gratiam expectatiuam obtentarum, sed resignat in fauorem sequentis.

XXXVII. IOANNES 4. IACQVIER per resignationem seu spontaneam demissionẽ Cardinalis, quem iterum NICOLAVS Bouille Protonotarius, & Decanus Nouiomensis, turbat in pacifica possessione, sed ipse confirmatur à Paulo 2. 1467. Hic societatem iniuit cum Monachis sancti Cornelij Compendiensis 1471. Obiit 14. Iulij 1483. sub tumulo Ægidij de Montcornet sepultus.

XXXVIII. IOANNES 5. FRANSQVIN Thesaurarius, & Doctor in Decretis, canonicè eligitur mense Augusti 1483. sed turbauit eum per annum ROBERTVS Lescot Vicedominus Ecclesiæ Remensis Obiit 2. Iulij *1500* post 17. annos regiminis. Iacet in sacello beatæ MARIÆ, dicto *la Verde*, nunc boni Nuntij. Vacauit Abbatia tres menses.

XXXIX. IOANNES 6. WILLEMET Retellinus, virtutis & doctrinæ commendatione clarus; Ecclesiam multis ornamentis decorauit, pulpitum erexit, & reditus sufficienter reliquit pro anniuersario die obitus celebrando, decimo Octobris *1521*. Sepultus in medio chori iuxta aquilam æneam.

XL. IACOBVS 3. IOFFRIN vltimus Abbatum regularium; à multis turbatur in pacifica adeptione dignitatis Abbatialis, quam retinuit dumtaxat per decem annos, numquam satis laudandus pro iis quæ præclarè gessit in augmentum Monasterij. Dies obitus 13. Ianuarij perenni anniuersario celebratur. *1530*.

ABBATES COMMENDATARII.

XLI. CAROLVS *des Vrsins* Protonotarius, & Archidiaconus Campaniæ, in Ecclesia Remensi, nominatur à Rege secundum Concordata: rexit per 38. & tandem abdicat, permutatione facta Abbatiæ, cum Prioratibus sancti Petri de Couciaco, & sancti Theobaldi.

XLII. CLAVDIVS *de Guise* Monachus sancti Dionisij in Francia. Iuramentum præstitit Ecclesiæ Remensi mense Decembri 1568. Hic ædem Abbatialem ampliauit; Sacristiam multis ditauit ornamentis: factus postea Abbas generalis Cluniacensis obiit 23. Martij 1612.

XLIII. FRANCISCVS *de Paris* à Lotharingia, præfectus Regius nominatur à Rege *1612*. sed nusquam possessionem canonicam adeptus est, præmatura morte sublatus 1. Iunij 1614.

XLIV. DANIEL *de Hottemant*, vitæ merito & prudentiâ venerabilis, possessionem iniit mense Aprili 1616. resignat in fauorem Henrici à Lotharingia 1626. ac Patrum Oratorij sodalitio pacatioris, tranquilliorisque vitæ amans, sese addixit; vbi & mortuus est anno *1634*.

XLV. HENRICVS *à Lotharingia* possessionem cæpit personaliter in Capitulo mense Maio 1626. Eo probante, seniores Monachi veteris disciplinæ aliquatenus lapsæ renouandæ gratia, duodecim Patres Congregationis sancti Mauri, ex Regalibus Monasteriis sancti Germani à pratis, & Vindocinensi ab admodum Reuerendo Patre Superiore generali Domno Gregorio Tarrisse, per Domnum Columbanum Regnier Visitatorem Prouinciæ Franciæ missos, intra septa Monasterij humanissimè ac liberaliter exceperunt: Cui rei seriò per totam Galliam incumbunt, ac ædificiorum restaurationi, quæ passim imbribus ac gelu, seu etiam vetustate & Commendatariorum incuria deformata iacebat.

Post abdicationem Henrici à Lotharingia anno 1643. Ludouicus XIII. Francorum Rex Abbatiam sancti Nicasij vniuit Capitulo sacræ ac Regalis Capellæ vrbis Parisiensis, in locum Regalium, quæ percipere solebant post obitum Episcoporum Regni; Et sic hactenus Abbatum Catalogi finis erit. Sed quid iuuat tot illustrium virorum nominibus Catalogos Monasteriorum onerari, cum studio potius vigilantis pastoris optimè viuendi norma floreat, quàm eorum inutili ac fastuoso stemmate. Hactenus idem qui supra Guillelmus Marlot.

AD LIBRVM TERTIVM.

PRæterea *Helinandus &c.*) Canonicus Laudunensis in Chronico manu exarato: *Anno Domini 1095. Elinandus Episcopus Ecclesiam S. Ioannis in Burgo, quondam Abbatiam Monialium, ad vnius Sacerdotis administrationem reductam, præbendis duodecim insigniuit.* Deinde paulò pòst. *Elinando successit Ingelrannus in Episcopatu.* Sepultus iacet in Ecclesia S. Vincentij Laudu. (*Ingelrannus scilicet Botuensis.*) Consulendus Andreas Duchesne hist. Codiciac. lib. 6. cap.

Pagina. 496. lin. 37.

P. 497. lin. 26.

2. Et probat. pag. 317. & seq. qui complura A ex Guiberto nostro mutuauit.

Ibidem. lin. vlt. (*Rogerij Comitis Porcensis.*) De quo historia Luxembourg. Auctore iam producto Duchesnio pag. 34. Et Probat. pag. 36. 38.

Ibidem. col. lin. 5 (*Godefredo Comiti.*) Idem Duchesne locis citatis.

P. 498. lin. 30. (*Gualdericum eligunt quendam Regis Anglorum Referendarium.*) Ita Canonicus Laudunēsis vbi supra, an. *1112. Vualdericus*, inquit, *fuerat Henrici Regis Anglorum Cancellarius, vir insolens, in literatura nil valens omnino; literatos despectui habens, milites super omnes diligebat: proteruus fuit pariter & præsomptuosus.*

B

Ibid. col. 2. lin. 4. (*De curia contra Canones expetitur.*) Can. 1. & 2. dist. 51. præcipuè Can. 3. sed iuuerit audire Hadrianum PP. 1. ad Constant. & Irenen scribentem, multò post med. *Nimis iterum turbati, ac conturbati sumus, quia ex Laicorum ordine, & Imperialibus obsequiis deputatus, repentè ad Patriarchatus culmen electus est, & apocalligus contra Sanctorum Canonum censuram factus est Patriarcha: & quod dicere pudet, & graue tacere est, qui regendi adhuc & docendi sunt, Doctores nec erubescunt videri, nec metuunt ducatum animarum impudenter assumere; quibus via in omnibus ignota Doctoris est: quod quàm prauum, quàmue sit temerarium, seculari ordine & disciplina monstratur. Nam dux exercitus nonnisi labore & sollicitudine eligitur, quales animarum duces esse possint, qui in Episcopatus culmen immaturà cupiunt festinatione conscendere? &c.*

C

Ibid. lin. 14. (*Solus Magister Anselmus &c.*) Laude prosequitur Anselmum, Canonicus ille sæpiùs in medium prolatus, eius designans obitus annum. 1117. *Magister Anselmus nominatissimus Laudunensis Decanus, in literatura suis temporibus nulli secundus, morum honestate, & consilij maturitate venerabilis obiit. Hic vtili stilo, & solerti industria inter cætera opera sua, etiam Glossas marginales & interlineares in Psalterio de authenticis expositionibus elimata breuitate ordinauit.* Tribuuntur pariter ipsi Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim, quæ à nonnullis B. Anselmo Cantuariorum Archiep. inscribuntur.

D

Reperi & Epistolam ad Abbatem S. Laurentij Leodiens. quæ ex illa ingenti manuscriptorum Bibliothecæ Beccensis clade euasit; hanc carie labefactatam, ne cum aliis depereat in lucem damus.

E

EPISTOLA MAGISTRI ANSELMI.

Venerabili Abbati H. de sancto Laurentio ANSELMVS humilis filius Laud. Ecclesiæ salutem. Videndum est Domine, ne illa quæstio, quæ apud vos sic agitur, non in sententia, sed in pugnis verborum sit. Rectos sensus discutere virorum est, in verbis litigare puerorum est, qui non nisi tenuiter intelligunt quæ dicunt, vel audiunt; quos arguit Apostolus. *Nolite paruuli effici sensibus.* Præcipit autem: *Malitià paruuli estote.* (1. Cor. 14. 20. Ibid.) Hæc non attendētes quidam maximè inflati nomine scientiæ, sensus Patrum ignorantes, languent, vt ait Apostolus, circa quæstiones & pugnas verborum. Sententiæ quidem omnium Catholicorum diuersæ, sed non aduersæ, in vnam concurrunt conuenientiam, in verbis verò sonant quædam quasi contrarietates, & pugnæ in quibus scandalizantur pusilli, exercentur strenui, contendunt superbi, excluduntur probati, qui aliis languentibus expeditè dissonantia consonare ostendunt.

In hoc genere pugnantium verborum, hęc in scripturis proponuntur: *Non vult Dominus malum.* Item *vult omnia quæ fiunt*, inter quæ etiam sunt mala, nec aliquid fit eo inuito, nolente, & coacto. Non vult quidem malum, id est non amat, non gratum habet, non approbat, sed odit, prohibet & damnat.

Porrò constat Deum fecisse rationabilem creaturam liberæ voluntatis, vt possit mereri: ipsa autem libera voluntas per se non potest, vel ad maius dirigi, vel in bonum, in quo facta est, persistere; per se verò potest, si sibi ipsi relinquatur corruere. Præsto est igitur ei diuina gratia, parata adiuuare; sed non cogere, quod esset libertatem, quam dederat, tollere. Si ergò libera voluntas præmonita audit, & consentit, à gratia dirigitur; si renuit, relinquitur, & sibi relicta corruit. Quis autem neget Deum velle & sibi consentientem dirigere, & renuntiantem relinquere? Cùm enim *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, (Psal. 24. 11.) sicut vult, quod est misericordiæ, nihilominus vult, quod est iustitiæ. Vult ergò per misericordiam consentientem adiuuare, vult etiam per iustitiam renuentem relinquere. Quod relinquere, dicitur in scripturis in reprobum sensum tradere, indurare, præcipitare, non enim Deus auctor, & incentor est mali, sed dum iustè, vt diximus, relinquit, rationalis creatura in reprobum sensum traditur, induratur, præcipitatur: Nemo ergo neget misericordem & iustum Deum, & velle misereri, & velle indurare, vt ait Apostolus; *Cui vult miseretur; & quem vult indurat*: (Rom. 9. 18) & Augustinus super illum versiculum: *Tradidit illos Deus in passionem ignominiæ:* (De gratia & Libero arbitrio. cap. 21. Rom. 1. 26) Manifestum est Deum operari in animis hominum, inclinando voluntates eorum quocunque voluerit, siue ad bonum pro sua misericordia, siue ad malum iudicio suo, aliquando aperto, aliquando

occulto, ſemper autem iuſto. Plena eſt diuina Pagina huiuſmodi locutionibus, quas nullus ſubitaneus debet ſiniſtrè accipere, ſed cum diligentia prudenter intendere.

Auaritia propriè vocatur, *Idolorum ſeruitus*, Auarus enim pecuniæ tribuit quod Deo debetur & conuenit: quod fit tribus modis: deſiderat quippe auarus vt pecuniam habeat, & vt habitam augeat, & ne amittat. Sic cultor Dei deſiderat vt charitatem, quæ Deus eſt, habeat, & tàm in ſe quàm in proximis augeat, & ne eam amittat; & idcircò ſpiritualiter vitium illud cultus idolorum dicitur, quia prædicto modo quod Deo debetur, pecuniæ exhibet, quam ſic colendo Deũ ſuum facit. Illud enim quod præ cæteris vnuſquiſque diligit, vbi cor & deſiderium ſuum apponit, ſummum bonum ſibi conſtituit, & tanquam Deum colit.

Amor terrenorum eſt venenum, amor ſuperiorum eſt oleum: ad terrena ex ſe inclinatur anima, & deſcendit: ad ſuperiora non per ſe, ſed per Deũ erigitur & aſcendit: quando autem oleo ſuperiori perfunditur, à terrenis auulſa, appetit & diligit æterna. Inter ſterilitatem veneni, & pinguedinem olei, eſt quoddam medium, & quidam gradus, ſcilicet vt anima velit nolle inferiora, & velit velle ſuperiora: & in his duobus eſt gratia cum libero arbitrio, & ſunt illi duo gradus pares, & in merito æquales, tamen diſtincti & ordinati. Amor ſuperiorum ex Deo eſt tantum, amor inferiorum ex homine.

Si Deus hominem à fouea peccati eripit, & extrahit, mirabilis miſericordia eſt; ſi autem deſerit eum, ſumma æquitas eſt & iuſtitia; prius enim foueam præmonſtrat & periculum docet, & ne accedat prohibet. Homo autem hæc omnia contemnens ſponte cadit, & ideò Deus iuſtè ibi eum deſerit. Dum peccator flagellatur, Deus eum viſitat, vt eripiatur, quod eſt ex miſericordia. Si autem proſperatur, amplius ſordeſcit, & illaqueatur, quod eſt iuſtitia.

Si homini peccatum aliquod incipit diſplicere, & vult deſerere illud, ſi propter Deũ hoc facit, bonum eſt, & ex dono gratiæ procedit, ſi aliter fit, bonum non eſt, ſicut aliquando refrænatur luxuria, ne expendatur pecunia, & aliquod ſimile, hoc non propter Deum, nec ex dono gratiæ. Similiter ſi aliquis ſua dat, ſi ieiunat, ſi orat &c. Propter Deum bonum eſt, & gratiæ donum; ſi aliter: non eſt bonum. Illud autem pro quo facit, diligit, & ſecundum illam dilectionem bonum ſeu malum debet dici.

Homo in ſenſualitate ſimilis eſt brutis animalibus, quæ propter ſenſualitatem, cui obediunt & conſentiunt, non damnantur; homo autem inde damnatur, ideò, quia rationem habet; & tamen ſimilis fit iumentis inſipientibus. Sic & malus Angelus propter excellentiam naturæ grauius & irrecuperabiliter eſt damnatus; homo quia infirmior fuit, eſt reparatus.

Humana anima ſimilitudinem Trinitatis ſeruans, triplici conſiſtit natura; habet enim eſſe, viuere, corpus regere; habet etiam rationem, concupiſcentiam, iram. Hæc eſt Trinitas naturalis. Super rationem enim fides fundatur, quæ eſt lumen eius; & ſicut ratio naturaliter præcedit, (priùs enim diſcernimus quàm cõcupiſcamus) ſic fides, quæ eſt prima lux animæ, præcedit alias virtutes. Super cupiditatem eſt ſpes, quæ eſt lumen eius: ſuper iram charitas, regens & illuminans eam. Sicut ira naturaliter ardet, ſic charitas ſpiritualiter feruet. His tribus cohærent, intelligentia, voluntas, memoria, & Tria prius poſita, eſſe, viuere, corpus regere: Tria ſunt quæ ſpiritalem Trinitatem ſubuertunt & expellunt; concupiſcentia carnis concupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ. Hæc Tria oppoſita ſunt fidei, ſpei, & charitati; & dum homo iſtis conſentit, à virtutibus cadit, & opponuntur ſingula ſingulis. Sed Tria ſunt quæ reuocant, & redire faciunt ad memoriam, ſpiritalem Trinitatem, ſcilicet timor mortis; timor iudicij, ſpes æternorum. Tria ſunt quæ conſummant (f. confirmant), ſcilicet iuſtitia, pax, gaudium in Spiritu ſancto.

Amor Dei lux eſt cordium, medicina vulnerum, ſoluit vincula peccatorum; hic operatur in Angelis; operatur in hominibus; non enim amor iſte otioſus eſt; hic eſt quaſi lucerna in media domo, ad cuius radios ſingula diſcernuntur quæ ſunt in domo, ſcilicet lapides, ligna &c. Sic *ſpiritualis iudicat omnia*. Operatur iſte amor in hominibus diuerſis, & pluribus modis. In his qui adhuc in ſæculo ſunt, facit vt veſtiant nudos; paſcant egentes, viſitent infirmos: illi qui ſunt in clauſtro hoc non operantur; habent enim manus confixas, & pedes conſtrictos ſub obedientiæ iugo; in quibus amor Dei operatur jeiunium, orationem, voluntariam ſubiectionem, virtutum ſollicitudinem, & promotionem. In Angelis operatur vt Deo cohæreant indeſinenter, in eo delectentur, eum diligant. Hoc idem in iuſtis operabitur poſt hanc vitam; charitas enim non excidit. Eſt autem tanquam ſcala, duo habens latera, dilectionem Dei & proximi; & gradus medios, quibus ad ſummum aſcenditur, donec addatur cumulus & perfectio, quod erit in futuro. Gradus enumerat Apoſtolus dicens: *Charitas benigna eſt*, *&c.* & ſunt, vt credo xv. gradus illi. Qui ſcalam conſcendit, innititur terræ, alterum in alto ponit. Per terram

significantur terrena subsidia quæ etiam ascendentibus sunt necessaria ad vsum, & sustentationẽ, non ad delectationem. Alter pes virtutum est promotio, tendens ad summum. Charitas etiam ciuitas est in quadro posita; diligit enim Deum, diligit se, diligit amicum, diligit inimicum. Habet etiam quatuor primas virtutes sibi adiunctas, & cohærentes, quæ sunt quadrum ciuitatis, humilitas, prudentia, fortitudo, temperantia. Humilitas fœcunda mater est virtutum, & nutrix. Hæc duplex est, prima vt homo se abiiciat, & quod ex se est contemnat, aliis subiaceat. Hæc est principium, & mater virtutũ. Postquam etiam promotus est, & opulentiam virtutum habet, necessaria est humilitas, ne de habitis superbiat, sed humilietur ne cadat: hoc ostenditur in Cantico graduum. Fortitudo similiter duplex, per eam in præsenti vitiis resistimus: in futuro, Deo fortiter cohærebimus; secundum hunc effectum durabit, secundum alium excidet. Hoc de aliis duobus dici potest.

Corona Clericorum, quæ rotunda est, perfectionem designat: in rotundo nec principium, nec finis, quia æterna, quæ sunt sua hæreditas, principio carent & fine: portionem non habent in terra, sicut Leui, sed de fratribus decimas accipiunt, quæ iterum ad perfectionem respiciunt. Dum autem in terra quærunt habere portionem, agunt contra suam professionem, & perdunt hæreditatem, & neque in sorte Fratrum, neque in sorte Leui perseuerant, cùm inter Deum & homines medij esse deberent.

Clerici electi sunt ad prædicandum, & ad docendos subditos; Monachi verò ad orandum, quia Clerici propter distractiones officij, & negotiorum iugiter, orationi vacare non poterant. Tamen causa necessitatis ex præcepto Episcopi sæpe Monachi assumunt officium prædicandi, & docendi.

Virtutes vocantur arma lucis; arma, quia præcidunt contraria; lucis, quia pulsis tenebris faciunt lumen menti. Continentia præcedit luxuriam, humilitas superbiam, sic & in cæteris. Clauis virtutum pelluntur claui vitiorum; clauis iustitiæ configitur iustus cruci pœnitentiæ. Claui iustitiæ sunt peccatorum recordationes, & singulæ cordis contritiones. Primus & maximus clauus, qui parat viam aliis, est timor Domini: hoc præcedente, & viam præparante, alij possunt infigi, & nunquam aliter.

De tribus reddituri sumus rationem, de eo quòd homines sumus, rationales scilicet, ne in vanum acceperimus animam nostram. De eo quod Christiani sumus, ne nomẽ Domini in vanum assumpserimus: De eo quod in aliquam partem sortis Sanctorum vocati sumus, quâ dicimur Clerici vel Monachi, scilicet ne in vacuum gratiam Dei recipiamus.

Illi qui diuinam paginam legunt, intelligunt, & tamen secundum eam non viuunt; sciũt domũ Dei ædificare, & alios de ea docere, sed ipsi nolunt intrare. Dum verò studio, & magna auiditate illam scientiam in memoriam recondunt, quasi manna colligunt, sed computrescit, quia tenerum & infirmum habent stomachum, nec diffunditur per membra animæ succus illius cibi, neque potest digeri. Manna computrescebat quasi ex quadam infidelitate eorum, qui reseruabant vltra quàm esset necessarium: similiter & isti congregant supra quam necesse sit eis, qui nolunt spiritualiter viuere, & informari; neque in vitam, & in mores diffundunt, sed ad gloriam & lucrum congregant, & quamuis computrescat, tamen non sentiunt putredinem, & aculeos vermium, quia occupati sunt circa vana & inutilia, quæ sunt flores sæculi detinentes animos eorum. Sed istis transeuntibus, sentient punctiones & aculeos vermium de prædicta corruptione procedentiũ.

Ebrietas tota imbecillis primùm abolet memoriam, dissipat sensum, negligit mentem, confundit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, implicat sermonem, corrumpit sanguinem, obtundit visum, perturbat venas, infirmat neruos, obturat aures, turbat viscera, subuertit sensum, humectat cerebrum, debilitat membra, frangit somnum, impedit menstruis. Ebrietas autem mater flagitiorum est, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbo captùs, subuersio sensûs, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, ignominiosus languor, malè suadibilis, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela: Vinum quippe non refutatur vsu, sed damnatur excessu.

Sobrietas tota formosa est, vtilis tota, primùm saluat memoriam; acuit sensum, sincerat mentem, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitium, curat faciem, limat aures, exonerat cerebrum, expedit linguam, explicat sermonem, confirmat sanguinem, curat venas, stringit neruos, contemnit libidinem, fruitur somno, recreat corpus, propagat senectutem, sine his omnis homo contemptibilis fit.

Stadium centum vigintiquinque passus habet, stadia octo faciunt miliarium vnum; ex vno miliario & altero medio efficitur leuga vna; tres miliarij duas leugas faciunt.

Augustinus. Isaias Propheta apertiùs Mariam sanctam designat dicens: *Exiet Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quod hæc virga nuces produxit,

Sermo. de Temp. ser. 3. sub finẽ. Isai. 11. 1.

Imago

Imago Dominici corporis fuit; nux enim trinam habet in ſuo corpore ſubſtantiæ vnionem, corium, teſtam, & nucleum; In corio, caro; in teſta, oſſa, in nucleo, interior anima comparatur. In corio nucis carnem ſignificat Saluatoris, quæ habuit in ſe aſperitatem, vel amaritudinem paſſionis. In nucleo interiori declarat dulcedinem diuinitatis, quæ tribuit paſtum, & luminis ſubminiſtrat officium. In teſta lignum inſerens crucis qui non diſcreuit, id quod foris & intus, ſed quæ terrena, & cœleſtia fuerant Mediatoris, ligni interpoſitione ſociauit, dicente Apoſtolo: *Quoniam ipſe per Sanguinem Crucis ſuæ pacificauit quæ in cælis ſunt, & quæ in terris.*

Coloſ. 1. 20

Matt. 11. 20.

Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Eſt onus quod portantem portat, & leuigat, id eſt onus leue Euangelium, & iugum Chriſti ſuaue conuerſis ad Chriſtũ. Qui priùs non poterat portare præcepta Legis, poſtea leuia habet præcepta Euangelij per cooperantem gratiam. Qui primùm non poterat implere non occides, poſtea leue habet pro fratribus animam ponere; & ſic de reliquis. Sic cùm iumento imponitur onus graue, & refugit quaſi importabile, adducitur quadriga volubilis, id eſt Euangelium diſcurrens per totum mundum, & onus quod quaſi graue refugiebat primùm, poſteà ſine labore trahit duplicatum. Sic auicula quæ implumis, & ſine alis ſeipſam non poteſt portare, pondere plumarum & alarum addito, auolat ſine labore. Sic & panis durus, qui per ſe non poteſt tranſire, adiectione lactis, vel alterius liquoris, colabilis fit in gutture.

Ita erudìtiſſima Anſelmi Epiſtola, quæ diutius tenebras, vtpote lectu digniſſima, pati non debuit.

Quàm turpiter hallucinentur, qui hunc Anſelmum Monachum volunt, ex ſuperiùs allatis, & iis quæ ſcribit Guibertus, relinquitur haud vllus dubitandi locus: errandi autem anſam præbuêre plures hoc Anſelmi nomine, eadem tempeſtate inſigniti; nempe Anſelmus Cantuarienſis, cuius ille auditor extitit, & Anſelmus ex Abbate S. Vincentij Laud. Epiſcopus Tornacenſis.

Tumulatus fuit Magiſter Anſelmus in San-Vincetiano Templo, Epitaphium ſepulchro inſculptum refert Andreas Ducheſne Not. ad Abaelardum pag. 1163. qui & pluribus laudat eundem Anſelmũ ibid. & pag. 1147. corrigendus tamen eſt in citatione hiſtoriæ Canonici cuiuſdam, reuera etenim Auctor germanus à nobis euulgatur *Hermanus Monachus*. Vide Appendicẽ ad vitæ Guiberti lib. 3.

Pagina 498 col. 2. lin. 27.) *Cum Abbate Ribodimontenſi.*) Ribemontium, Riburgis mons, Ribodium, *Omnium verò optimè Ripemontium in monte ſitum, ad ripas Iſaræ præterfluentis duabus leucis ab Auguſta*, inquit Hermeræus in Auguſta Illuſt. ad ann. 1095. Cœnobium porrò ſancti Nicolai in pratis, quod Abbas ille regebat, conditorem agnoſcit Anſellum Ripemontij Dominum: cuius inſtitutionis tabulam euulgare profuturum iudicaui.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

EGO ANSELMVS Ribodimontenſis Comes, quia ſæculo iam in ſenium vergente, & natura mortalium fragilior, & ætas breuior, & memoria labilior eſt, nequando quæ vtiliter diſpoſita ſunt, obliuionis nube obliterari poſſint, prouidâ ſanctorum Patrum Inſtitutione ſancitum eſt, litterarum inſinuatione poſterorum notitiæ tranſmitti, & quæ vtilitas exigit diuturna memoria retineri. Itaque notum eſſe volumus vniuerſis ſanctæ Dei Eccleſiæ filiis, quam ego ANSELMVS de Ribodimonte ad honorem beatæ MARIÆ Dei Genitricis, & beatiſſimi Nicolai Confeſſoris conſtituimus, quam liberam & quietam & ab omni inquietatione, & ſubiectione alicuius perſonæ abſolutam eſſe concedimus in perpetuum ſaluâ reuerentiâ, & ex Chriſtianitate debitâ, & canonica ſubiectione ſanctæ Remenſis, ac Laudunenſis Eccleſiæ. Huic autem Abbatiæ, inſpirante diuina gratia, donamus villam, quæ dicitur *Luciacus* cum furno banno, & diſtricto. Villam quæ dicitur *Montigniacus* cum banno & diſtricto. Villam quæ dicitur *Moncellis* cum toto furno, & dimidiam partem Vinarij, & dimidiam partem molendini, paſcua, & omnes opportunitates eiuſdem villæ, & in aqua, quæ eſt ſub eadem villa, Piſcaturam ad opus Monachorum, & quod eſt noſtri Iuris apud *Albreſeias*, & quod poſſidemus apud Maſcerias, & apud Audoncurtem & duos molendinos ſub Ribodimonte conſtitutos, & Syluam, & terram quæ eſt inter duas aquas, nec non & aquas noſtras Ribodimontis caſtri, ad piſcandum ad opus Monachorum, & ſeruos, & ancillas, ſeu ex ſeruili conditione, ſiue ſponte ſua Eccleſiæ donatos, & cætera omnia ipſius Abbatiæ Monachi ſoluta & quietè teneant, & poſſideant, ſine aduocatione & abſque omni conſuetudine, quam deinceps inde nullus requirat, nec ego ipſe, nec meus ſucceſſor, nec alius quilibet quicquam, niſi orationem fratrum ibidem Deo ſeruientium: ad hæc ſi quidem quæcunque præfato loco à fidelibus donata ſunt, vel fuerunt, fratribus ipſis annuimus poſſidenda, nullo mihi iure retento. Concedimus etiam paſcua, & omnes opportunitates in territorio Caſtri Ribodimontis, ad vſus ſeruorum, & ancillarum eorum, liberè, & abſolutè, & ſine omni moleſtia. Concedi-

mus etiam quòd si quis vtriusque sexus aduena superuenerit, infra vnum annum & diem, prædictæ Ecclesiæ se donare sine contradictione vel mei, vel meorum successorum poterit. Eorum autem Abbate ingresso viam vniuersæ carnis, vel si alio aliquo modo eidem Monasterio Abbas defuerit; de ipso loco Abbatem sibi eligant communi consilio & assensu Capituli, vel de alio quocunque Monasterio voluerint, nulla mihi consuetudine reseruata, vel iure retento. Electus verò communi assensu Capituli, ad benedicendum ducatur nostro, vel nostri hæredis conductu, vt honorificetur, atque tunc demum curam animarum per pastoralem virgam accipiat, & à Monachis deinceps in patrem & pastorem recipiatur. Vt verò hæc superiùs inserta omnia in perpetuum firma & inconuulsa permaneant, memoriale præsentis paginæ inde fieri, & nominis nostri charactere, & sigillo signari, & corroborari volumus.

Acta sunt hæc apud Laudunum Anno Incarnati Verbi millesimo octoges. tertio, &c.

Quas donationes Godefridus Anselmi filius approbat hac formâ.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis.

Antiqua consuetudine, ac diligentia prædecessorum nostrorum, ad tempora nostra cautum extitit, & prouisum, quæ à fidelibus legaliter Ecclesiis, ac Monasteriis conceduntur possidenda, literis ad succedentium temporum notitiam commendare. Ad obstruendam verò, & refutandam quorumdam malignantium, videlicet ac bonis inuidentium improbitatem, sigilli impressione insignire. Vnde notum fieri volumus omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filiis, tam præsentibus, quàm futuris, quòd ego GODEFRIDVS Anselmi filius de Ribodimonte, concedo integraliter eandem libertatem Ecclesiæ B. Nicolai Ribodim. quam pater meus ANSELMVS prædictæ Ecclesiæ concessit, & quæcumque eidem Ecclesiæ largiebatur de donis suis, volumus esse stabilia ac firma, atque nostræ maiestatis vigore corroborata, sine omni aduocatione, & absque consuetudine; quia neque ipse, neque aliquis eius successor, nec aliquis quilibet requirat, nisi tantummodò orationes fratrum in ipso loco domino militãtium; sed ipsi fratres Monachi teneant, habeant, & possideant solutè & quietè in perpetuum, scilicet quæcumque à præfato Anselmo sunt donata. Villam videlicet &c. Quod autem vt in perpetuum stet, hoc donum sigilli nostri impressione, cum testimonio virorum bonorum munimus, & muniendo confirmamus. *Signum* GODEFRIDI *Comitis. S.* HVGONIS *de Buccen. S.* ELINANDI *Ep. Laud. S.* MAINARDI *Abbatis sancti Nicolai &c.*

Acta sunt hæc an. Incarnati Verbi 1104.

Vtrumque instrumentum Domnus Furseus Beaurain, nostræ Congreg. Presbyter Theologus, descripsit, amicéque communicauit.

Nil præterea impræsentiarum dicere sinunt milites, qui hoc ipso quo hæc scribo tempore, priùs Guisianam vrbem quàm obsidione cinxissent (quam minimè ceperunt) armata manu Monasterij cuncta diripuêre, atque ædificia destruxêre.

Robertus in Gallia Christiana, in Catalogo Abbatiarum, V. Ribodimonte, fundationis confirmationem ab Philippo I. Rege Francorum factam an. 1084. inseruit.

(*Apud S. Rufum de Anione.*) Auenione. Monasterium Canonicorum Regularium. Consule eundem Robertum eo loco, V. S. Rufi. Pagina 499. col. 2.

(*Ego poeticè &c.* Quod perstringit Canonicus Laudunens. in Chronico: lin. 42.

Hic (Galdricus) *dum aliquando à dedicatione cuiusdam Ecclesiæ redisset, & ad confirmandum si opus foret, cum stola & mitra equitasset, vt erat leuis animi, lanceam à manu cuiusdam extortam, circumquaque agili gesticulatione gestabat; vnde cœperunt eum deridere, dicentes vulgariter quod Abbas Vvibertus poëticè sic exposuit:* Pag. 500 lin. 6.

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur
Cydaris & lancea.

Hic pannum sericum auro intextum, quem per eum Regina Angliæ miserat Reginæ Francorũ, abstulit in Ecclesia Laudunensi B. Genitrici Dei MARIÆ, *iussitque fieri casulam, ad eiusdem Matris honorem, procedente tamen tẽpore, cùm Reginæ memoratæ conuenissent, & secum ad inuicem diu essent collocutæ, mirabatur Regina Angliæ, quod nullam mentionem faceret de memorato panno, sic ait ad eam: Non placuit vobis munusculum meum, tamen de potioribus fuit, quod manus nostræ potuerunt attingere. Cui Regina Franciæ, ait: Quid est quod loqueris mi Regina? Cui illa; de panno, quem per Laudunensem Episcopum vobis misi, fit sermo: negat illa se aliquid huius rei scire. Vocatur Episcopus, qui in illo conuentu Regali aderat; quæritur quare transmissum illi pannum non obtulerit Reginæ. Respondet se pannum ei deferendum minimè à quoquam accepisse; sed Reginæ, inquit Franciæ, pannum misisti, quem, veniens ei indilatè obtuli; Mirantur vtræque, sed magis Regina Angliæ, putãs se delusam, & cum alia loco Reginæ adfabulasse, aiens ad Episcopum: Vbi igitur Regina Franciæ? Similiter & alia ait: Quid est domine Episcope, non cognoscis me? Qui ait; vtique noui. Certè ait Regina, mihi non præsentasti: Qui ait, Reginæ Frãciæ obtulit pannum ab hac domina sibi transmissum, quæ est pia Dei mater, Regina immortalis, cuius* REGNUM *stabile est sine fine. Laudant vtræque rei factum, & approbant donum.*

VVALDERICO *ſucceſſit* HVGO *Decanus Eccleſiæ Aurelianenſis. Quo poſt 6. Menſes mortuo*, BARTHOLOMÆVS *fit Laudunenſis Epiſcopus, cuius induſtriâ cathedralis Eccleſia in breui reparata, iterumfuit conſecrata: in multis quoque locis in quibus Religionis feruor non fuerat, per eum eſt dilatatus.*

Et Guillel. de Nangis hiſtoriâ ineditâ, ad an. 1113. ab his non diſcrepat: *Valdrico Laudunenſium Epiſcopo à ſuis ciuibus nequiter perempto Hugo Aurelianenſis Eccleſiæ Decanus ſubſtituitur. Quo poſt ſeptem menſes mortuo &c.*

Pagina 500. li. 6. (*Non bene conueniunt &c.*) Alludit ad Ouid. Metamorph. fab. 3. 5. 14.

Ibidem lin. 9. (*Hanaporum & ſcutrarum.*) Hanapum patera eſt, ſiue cymbium, Gal. *Hanap, Taſſe.* Scutra vaſis genus, paropſidis inſtar: Plaut. in Perſa, Act. 1. Scena 3.

Cōmiſce mulſum; ſtruthea colutheaque appara,
Bene vt ſcutris concaleant, & calamum iniice.

Ibidem lin. 23. (*Monaſterij Puellarum Caſtellanus.*) Caſtellanum vulgò arcis præfectum vocitari probè ſcio, L. 11. de fundis limitrophis, lib. 11. Cod. Tit. 59. Verùm ſecùs hoc loco, vt reor, vſurpatur; pro Aduocato nimirum, cuius præcipuum munus erat, Eccleſias vel Monaſteria tueri. Nil frequentius Scriptores antiqui. Capitul. lib. 7. cap. 308. *Pro Eccleſiarum cauſis, ac neceſſitatibus earum, atque ſeruorum Dei, Executores, vel Aduocati, ſeu Defenſores, quoties neceſſitas ingruerit, à Principe poſtulentur; & ab eo fideliter atque libenter iuxta Canonicas ſanctiones fideliſſimè dentur.* Duplicis generis Aduocati, nati, & dati. Videſis Gloſſarium Pithæi ad Capitul. Caroli Magn. & perdoctas Franciſci Boſqueti Obſeruationes ad Epiſt. 122. 134. & 191. Innocentij 3. pag. 143. 149. & 188.

Aduocatum concedit Monaſterio Anianenſi Ludouicus Pius ſuis literis in eam rem conſcriptis. Habent hæc verba.

IN NOMINE DOMINI DEI & Saluatoris noſtri IESV CHRISTI, *Ludouicus diuinâ propitiante clementiâ Imperator Auguſtus.*

Si petitionibus ſeruorum Dei iuſtis & rationabilibus, diuini cultus amore fauemus, id nobis proculdubio ad æternam beatitudinem promerendam profuturum liquidò credimus. Idcircò notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia ERMENALDVS Abba Monaſterij noſtri quod dicitur Aniana, ad noſtram accedens manſuetudinem oſtendit noſtræ maieſtatis obtutibus quamdam præceptionem, quam nos olim ad petitionem prædeceſſoris ſui BENEDICTI Abbatis, ob amorem Dei & Monaſterij vtilitatem fieri iuſſeramus de aduocatione videlicet . . . . in noſtram præceperamus commendationem, vt liberiùs prædicti Monaſterij vtilitates & neceſſitates procurare valeret. Et eodem Aduocato diuinâ vocatione rebus humanis exempto, noſtram expetiuit clementiam, vt eamdem aduocationis curam MAVRINO Vaſſallo noſtro committeremus. Cuius petitioni noſtris indigere auxiliis perpendentes, diuino tacti munere, poſtulata conceſſimus, committentes eidem Vaſſallo noſtro Maurino nomine, rerum Monaſterij ſui curam, in adquirendis videlicet iuſtitiis, & aliis faciendis. Propter hoc hos noſtræ auctoritatis apices, ei, ſucceſſoribuſque per tempora labentia ſibi ſuccedentibus fieri, ac dari præcipimus: per quos præcipimus atque iubemus, omnia quæcumque prędictus Aduocatus ſæpe dicti Monaſterij Anianenſis nomine Maurinus, ſecundum legē quæſierit, aut quærentibus obſtiterit, aut iuſtè ſatisfecerit, atque legaliter ab eo deffinita fuerint, rata & ſtabilita permaneant, & vbicumque ad loca, & poteſtates, ſeu miniſteria cuiuſcumque Comitum aduenerit, vndecumque de rebus eiuſdem Monaſterij iuſtitiam quæſierit, abſque vlla dilatione ſecundum legem pleniſſima recipiat, atque quærentibus faciat. Et quia conſtat idem Monaſterium noſtrum proprium eſſe, volumus, atque præcipimus, vt ſæpe nominatus Aduocatus nulla vllatenus teſtimonia ſuper noſtra eiuſdem immunitate Monaſterij teſtes recipiat, ſed quidquid iuſtè, & legaliter quæſierit, ſiue defenderit, cum noſtræ partis teſtibus, effectum rei euindicare, & perficere ſtudeat. Si verò quilibet aliquam dilationem in iuſtitiis faciendis oppoſuerit, aut aliquam iniuſtam occaſionem conatus fuerit adhibere, prædicto Aduocato iniunximus vt nobis renuntiet. Et nos illi qui noſtram iuſſionem neglexit, ſecundum facti ſui meritum retribuamus. Dixit etiam nobis prædictus Ermenaldus Abba, eò quòd mancipia de Monaſterio ſancti Martini, quod nos largitionis noſtræ munere, ad prædictum Anianenſe Monaſterium conceſſimus, per loca diuerſa fugitiua ſint, volumus, vt prædictus Aduocatus ea quærat, & vbicumque inuenta fuerint, & ſecundum legem Romanam triennio ſe defendere voluerint; & hoc prædictus Aduocatus ex propinquis eorum circumcinxerit, aut teſtimonia idonea dederit, fiant de eis ſecundum Romanæ legis ſanctionem, vt triennium ea excludere non poſſint. Et liceat ei ſuas res proprias, abſque cuiuſlibet interpellatione injuſta, aut inquietudine, quietè poſſidere. Et quia memorata ad peragendum ei injunximus, ab omni hoſte, vel vuacta, ſiue ab omni

publico seruitio immunis existere, quatinus aduocationem à nobis sibi injunctam, liberiùs atque vtiliùs peragere valeat. Licentiam etiam dedimus eidem Abbati, de minoribus ac leuioribus causis alterum Aduocatum mittere, qui præfati Monasterij causas atque necessitates vtiliter, fideliterque administrare possit. Et vt has literas nostras esse verius credatis, de annulo nostro subter eas iussimus sigillare.

HIRMANNVS *Notarius ad vicem* HVGONIS *recognoui. data XII. Kalendas Augusti anno Christo propitio XXII. Imperij domni* LVDOVICI *piissimi Augusti, Indictione XIII. Actum Strennaco villa, in Dei nomine feliciter. Amen.*

Ex Chartophylacio eiusdem Monasterij.

Pagina 500. col. 2. lin. vlt. (*Quæ Basilicæ caput*) Locus Ecclesiæ prominentior, sic dictus quòd instar fuerit ceruicalis, vernaculè *Cheuet*. In Basilicis sancti Dionysij in Francia, sanctæ Genouefæ Parisiis, sancti Benedicti Floriacensis, & alibi id genus capitum visuntur hodiéque.

Pagina 501. li. 7. (*Mastigiâ clamidis à tergo reiectâ.*) Difficile admodum est Mastigiæ etymon aperire: verùm si coniecturæ locum dare liceat, mastigiam opinor clamidis quoddam vinculum, quo veluti ligulâ vtraque pars anterior connectitur. Coniecturæ nostræ videtur suffragari Seuerus Sulpicius dialog. libro 2. cap. 4. *Consurgunt omnes pariter in verbera: consumit Gallicas mularum pœna mastigias.* Vides eo loci mastigiam lori esse genus, seu corriaceum retinaculum.

Pagina 503. col. 2. lin. 38. (*Vt capite censi.*) Vno verbo, id est mancipia, quæ quotannis tributum soluere tenebantur. Charta Flauiniacensis Monasterii relata ab Andræa Duchesne in Probat. historiæ Vergiacensis pag. 21. *Archiuisa & filios suos sub eo censu, vt masculi denarios 4. de capite annis singulis.*

Pagina 505. col. 2. lin. 56. (*Apud sanctum Vincentium.*) Quandoquidem præ manibus habeam Cœnobii sancti Vincentii historiam, ex veteribus schedis abs docto Emiliano de la Bigne Sacerdote nostro Theologo (ex qua, quæ relaturi, pauca studio nostro adiecturi desumemus) libet paulò diutiùs hîc immorari, ad lustranda tùm antiqua illiusce Monasterii monumenta, tùm etiam Antistitum seriem, memorandáque facta nonnullorum recensenda.

SVMMARIVM HISTORIÆ Monasterij, & Abbatum series Sancti Vincentij Laudunensis.

LAuduno Clauato quasi insidet Sancti Vincentii Monasterium. Vno fermè lapide distans ab eadem vrbe situm est in monte, quem inter & ipsam vrbem (in monte itidem collocatam) vallis interiacet.

Fundatur (vt coniectura est) à Bruna Clodouei I. Regis Francorum filia, quam è tyrannide Regis Gothorum ereptam, in Gallias frater Childebertus tum Regnum tenens Franciæ reduxerat. Adeò siquidem tenebris obuoluta sunt illius Monasterii primordia, adeò altum silentium apud historicos, ac veterum monumentorum penuria tanta, vt vix coniecturis possit inniti. Verùm ne gratis isthæc protulisse appareat, hoc adfert testimonium Domnus Emilianus ex vetusto scrinii Officialitatis Laudunensis codice MS.

Anno Domini quingentesimo sexto Bruna Regina Hispaniæ plura Sanctorum Cœnobia fundauit, & ædificia mirandi operis; inter quæ Cœnobium sancti Vincentij Laudunensis, tempore sancti Remigij Remensis Archiepiscopi, & sancti Genebaldi Episcopi Laudunensis.

At vero similius Brunam esse Brunichildem, non coniugem, sed filiam Regis Gothorum, Sigiberto Galliæ Regi coniugio copulatam: vnde autem Brunæ nomen sortita, indicat Chronicon Besuense: *Porro Sigibertus cùm videret fratres suos, viles vxores accipere, Gogonem Maiorem domus causâ legationis ad Anagildum direxit, petens vt filiam suam, Brunam nomine coniugio traderet &c. ad nomen eius ornandum est auctum, vt vocaretur Brunechildis &c.* (Est & Gregorii Turonensis sententia hist. Franc. lib. 4.) *Tanta mala & effusiones sanguinis, Brunichildis consilio factæ sunt in Francia, vt prophetia Sybillæ impleretur, dicens: Veniens Bruna de partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum gentes peribunt; hæc verò equitum calcibus disrumpetur.*

Post fundationem, institutionémque Monachorum, variis est labefactata cladibus Abbatia sancti Vincentii; quam & diuersis Clerici incoluêre temporibus; ac tandem anno salutis DCCCC. XLVIII. [Roricius siue Rorico Caroli Simplicis filius, præcipuæ pietatis & doctrinæ Episcopus Laudunensis ordinatus est, qui antecessores suos Didonem scilicet & Adelelotum, imitatus, Canonicorum ministerio Abbatian sancti Vincentij Laudunensis in pristinum splendorem restituere non potuisse considerans, operæpretium fore putauit, si Monachorum vteretur: quamobrem è Monasterio sancti Benedicti supra Ligerim duodecim accersiuit Monachos, quos in eodem sanctuario substituit, eisque Mecalmum præfecit Abbatem, Diplomate ad hoc confecto] Hæc verba D. Emiliani. Atque magis vt veritas elucescat illud diploma est adiiciendum.

CHARTA RESTITVTIONIS Monachorum.

AVxiliante ſupernæ propitiationis clementiâ, Ego RORICO, etſi indignus Sanctæ Laudunenſis Eccleſię Præſulatum indeptus, conſiderans vltimæ euocationis ſortem, vt cæteris, mihi quoque imminere, peccatorum quoque meorum quam magno depreſſus grauamine, cœpi apud me tacita deliberatione tractare quiddam huic ſedi, cui Auctore Deo præſideo, profuturum, meis verò, vt opinor, conſulendis criminibus perneceſſarium; ſi quidem in latere montis, cui præeminet ciuitas, in proſpectu ſcilicet eius, eſt Eccleſia ſita ſancti Vincentij egregij MARTYRIS cultu & honore venerabilis; ſuper quâ fama ferebatur antiquis temporibus inſigne fuiſſe Monaſticæ cõuerſationis, quæ quidem moderno tempore omni deſtitutionis ſuccumbebat penurię, donec prædeceſſor noſter ADELMVS vndequaque ſumptibus, duodecim Canonicorum in ea aſſiduum conſtituit ſeruitutis conuentum, ordine viuendi religioſum. Quo ita defuncto, creſcentibus diuerſarum cladium malis, penè ad priſtinum relapſa eſt deſolationis detrimentum: quod ego non æquanimis ferens, maximè quia non tantum huius ſedis Epiſcoporum, ſed etiam Canonicorum, Clericorum, Nobilium, nec-non Laïcorum habebatur ſepultura; accito generali Conuentu, ipſius conſilio deliberaui in antiquum, vt fama erat, monaſticæ conuerſationis ſtatum reformare, & prout temporis dictabat opportunitas, quantulumque MONACHORUM ibidem numerum aggregare.

Euocatis igitur à Monaſterio ſancti Benedicti, ſupra Ligerim ſito, duodecim Monachis: venerabilem eis MELCALANVM præfeci Abbatem; quibus inter cætera beneficia à me ſibi collata, ſecundæ ſedis dignitatem Epiſcopatus, ab anteceſſoribus noſtris antiquitùs eidem Eccleſiæ conceſſam approbans confirmaui. Sepulturam quoque Epiſcoporum, Canonicorum, Caſatorum, Cuſtodum MATRIS Eccleſiæ Capellanorum & ſeruientium, ac familiarium eorum. Conceſſi etiam procinctum montis & Vallis diſtrictum: quæ vt ſine aliqua calumnia teneant ſicut dedi, ita & conſilio & aſſenſu prædicti Conuentus determinaui. Statuimus etiam mittere venerandæ Synodo, quæ habita eſt apud montem Sanctæ MARIÆ in pago Tardanenſi, menſe MAIO, vbi recitatum eſt hoc, reſidente Domino ADELBERONE Archiepiſcopo, cum Coepiſcopis, atque omnium aſſenſu ab eis roboratum.

Ego S. Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſi & corroboraui.

Actum Laudani anno Incarnationis Domini noſtri IESV CHRISTI *D. CCCC. LXI Indict. IV. Kalend. Octobris ſeptimo Lotharij Regis.*

Ex maiori Chartulario, fol. 1.

Quo ex diplomate bina Eccleſiæ San-Vincentianæ priuilegia non vulgaria cernere eſt; alterum quòd Epiſcoporum, Canonicorum &c. fuerit ſepulturæ locus; alterum verò quòd ſecunda ſit ſedes, hoc eſt, prærogatiuâ donetur, quâ ſancti Vincentij Abbates proximè poſt Epiſcopum in Eccleſia Laudunenſi ac Synodis aſſideant, debeantque ipſo abſente ſacrum ſolemniter agere, SS. Christi Corpus in proceſſione geſtent, & populo ritu ſolemni benedicant. Quare Epiſcopi eandem Eccleſiam non modò *ſecundam ſedem*, verum & *Primam Laudunenſis Eccleſiæ filiam*, conſuêrunt vocitare. Huiuſce rei fidem faciunt chartularia fol. 1. 4. 352. &c. nec-non vetuſtiora cùm San-Vincentianæ, tùm Laudunenſis Eccleſiæ Ritualia. Quod priuilegium hactenus perſeuerat.

Eſt & alia San-Vincentiani Abbatis, haud minimi penſi habenda prærogatiua. Suâ nimirum in Eccleſia Epiſcopum (vt ipſe Epiſcopatus poſſeſſionem adipiſcatur) excipit, ac poſtmodum in vrbem conducit, offértque Laudunenſis Eccleſiæ Capitulo. Sic Chartularia Laudunenſe, & San-Vincentianum maius fol. 122.

Inſtitutionem MONACHORUM à Roricone perfectam, laudat Lotharius Rex, Diplomate Compendij acto in hunc modum.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

LOTHARIVS diuina propitiante clementia Francorum Rex. Si fidelium noſtrorum ratis petitionibus &c. Quapropter cunctis eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ filiis, fidelibúſque noſtris tàm præſentibus, quàm futuris liquidò patere volumus, quoniam venerandus Laudunicæ vrbis RORICO Epiſcopus noſtram manſuetudinem humiliter poſtulauit, quatinus pretioſiſſimi Martyris Chriſti Vincentij Baſilicæ, in ſuburbio dictæ ciuitatis ſupra montem conſtructæ, adeóque honoratæ, vt ſecunda ſedes ex antiquo ſit appellata, & Epiſcoporũ, Canonicorũ, ac Nobiliũ Laïcorum totius vrbis fuerit ſepultura, ob quaſdam res ibi nouiter fideliũ largitione aggregatas; noſtræ Regiæ authoritatis pręceptum renouare dignaremur. Nam eidem loco petente prænominato Pręſule pręcepti noſtri iamdudum cautionem impertiueramus, cùm ille ibi in ſuam, ſuorúmque, & vrbis tutelam Monaſticam conſtituebat

Regulam. Cuius petitionem quoniam idoneam & proficuam esse comperimus ob amorem Dei, & præcellentissimi Martyris eius Vincentij, ob salutem nostram, coniugis, & prolis, totiúsque nostræ posteritatis; statuimus hoc nostræ authoritatis, seu renouationis præcepto iamdictæ Basilicæ, vt inibi Monasticus Ordo, Deo auxiliante, perduret. Statuimus etiam vt Abbas & Monachi, ibidem Domino militantes, militaturíve; quietè & liberè teneant quæcunque ex antiquo ad ipsum locum possessa &c.

Actum Compendio Palatio Regis anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. LXXV. *anno* XXII. *Regnante Lothario Rege &c.*

Ex Chartulario magno fol. 3.

Summi quoque Pontifices multis post annis id firmatum voluêre priuilegij, maximè Honorius 2. *In quibus* (ait ipse bullatis literis ann. 1135. datis Laterani) *duximus nominibus annotanda, Sepulturam Episcoporum, Canonicorum, Casatorum &c. prohibita infra muros Ciuitatis* (Laudunens.) *omni sepultura, ex quo vrbs ipsa à tempore B. Remigij præsulari meruit, & intronisari Cathedra Pontificali &c.* Sic Honorius PP. agente tùm Romæ Bartholomæo Laudunensi Episcopo.

Superest vt Abbatum seriem, non primorum quidem, sed duntaxat eorum, qui post instaurationem regularis disciplinæ rexerunt illud Asceterium, attexamus.

ABBATVM S. VINCENTII Laudunensis Elenchus.

MELCHALMVS ex Monacho Floriacensi Primus post institutionem Monachorum an. 948.

II. BELLANDVS siue *Beilandus*. Huiusce gratiâ Adalbero Laudunens. Episc. Ecclesiam Petrapontensem sancto Vincentio largitus est vnà cum redditibus atque appendiciis. Obiit 989.

III. LAMPERTVS vel *Lambertus*.

IV. SEIGERVS.

V. CADROS.

VI. ROGIERVS.

VII. HERCANNEVS siue Heruæus; cui Henricus 1. Francorum Rex anno 1031. vectigal in suburbio Semiliaco ad radices montis Laudu. concessit.

VIII. REGINERIVS Corbeiâ oriundus. Dat ipsi Elinandus Antistes Laudun. Altare Sancti Gobini, quod & in Prioratum erexit.

IX. S. GERARDVS, itidem Corbeiæ natus, in fratris Reginerij locum suffectus est; vir pietate ac sanctitate insignis, velut acta ipsius testantur, quæ suo stilo prosecutus est Hugo Menard. Martyrolog. Bened. Obseruat. lib. 2. ad diem 5. Aprilis: Et nos integra, fauente Christo, cum aliis euulgabimus. Priora Monasterij syluæ Maioris fundamenta iecit an. 1079.

X. ROGERIVS.

XI. ADALBERO perinde doctus ac probus, atque in forensibus rebus fuit non mediocriter versatus. Rem monasticam perillustrauit, auxit facultates Monasterij. Anno 1088. Prioratum S. Ioannis Bapt. de Vendolio, supra Faram ad Isaræ ripam, Adalberoni tribuit Rabbodus Nouiomens. Episc. Ecclesia Sancti Goberti de Alto monte in Arduenna, priùs Canonicis, eidem Abbati suísque Mandris subijcitur. Chartularium minus pag. 16. & seq.

Quantum illis temporibus (verba Emiliani de la Bigne) propensus ad pietatem erat nobilium animus ex vno Ansello siue Anselmo Ribbodimontis Comite dignoscitur, qui non solum inclytam Aquicincti in pago Cameracensi dotasse Abbatiam, nec alteram, nempe sancti Nicolai, ad castelli sui radices à fundamentis erexisse, contentus; pænitens malorum quæ fratribus Sancti Vincentij Laud. & eorum hominibus inflixerat, in eorum Capitulo scapulis nudatis comparuit, atque à Monachis se flagellari fecit; ac in iacturæ, quam Ecclesia passa fuerat, remunerationem, Religiosis & hominibus eius per suas terras, Maceriam scilicet & Ribodimontem, liberum Viomagium est elargitus &c. Ita in eodem Chartulario.

Quam donationem Elinandus Episcopus morti vicinus comprobauit. Demum Adalbero carnis sarcinam exuit, atque in sacello B. Mariæ Magdal. quod ipse construxerat, conditus est. In tumulo hæc verba: ADALBERO ABBAS.

XII. SIFRIDVS Adalberoni religione & doctrina non impar, Obseruantię regularis tenacissimus extitit. Is, opinor, ex Priore sancti Nicolai, (cui Epistolam *de Buccella Iudæ* data, inscripsit Guibertus noster) Abbas extitit sancti Vincentij. Pręmonstrati locum, rogante Venerabili Bartholomæo Episcop. concessit B. Norberto. Literæ in hanc rem ex Bibliotheca Pręmonstratensi.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS &c.

EGO BARTHOLOMÆVS Dei gratia Laudunensis Pręsul. Cùm Ecclesia sancti Vincentij locum qui *Præmonstratus* dicitur, qui ad propriam mensam Episcopi pertinebat, ex dono prędecessoris nostri ELINANDI Episcopi haberet, sicut in Priuilegio eiusdem Ecclesię continetur, Monachi locum illum diu incoluerunt, & per multos labores nullũ,

vel paruum fructum conſequebantur; quod ego attendens rogaui ADALBERONEM Abbatem, & MONACHOS, vt locum illum ſupradictum mihi liberè concederent; quatenus ſecundum voluntatem meam de eo diſponere poſſem. Abbas autem & MONACHI petitioni meę aſſentientes, quidquid in eo loco habebant, mihi liberè, & ſine contradictione concesſerunt. Ego verò non ingratus eorum voluntati, conceſſi Eccleſię ſancti Vincentij Altare de Bariaco in perpetuum, ſaluo iure Synodi, habendum. Dedi eis etiam dimidium modium frumenti ad molendinum, quod apud villam ſitum eſt, quæ Broincurtum dicitur. Videns autem prædictum locum, qui Prӕmonſtratus dicitur, religioſis viris vtiliſſimum, fratri NORBERTO, & ſubditis, & poſteris liberè, & ſine contradictione in perpetuum conceſſi habendū. Frater verò NORBERTVS, ſicut Rei alienę minimè cupidus, primitùs noluit recipere, donec SEIFRIDVS Abbas ſancti Vincentij & MONACHI eius, donum illud firmauerunt in Capitulo communi aſſenſu. Quę verò conceſſio aliquo modo deinceps ne immutari poſſit, impresſione noſtrę imaginis, & ſigillo ſanctę MARIÆ Laudunenſis Eccleſię, ſigillorumque SEIFRIDI Abbatis ſancti Vincentij, confirmare curauimus.

Signum *Bartholomæi* Laudunenſis Epiſc. S. *Seifridi* Abbatis ſancti Vincentij. *S. Simonis* Abbatis ſancti Nicolai de Sylua &c.

Actum Lauduni in Capitulo ſanctæ MARIÆ *Laudunenſis Eccleſiæ, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo primo.*

Sponte etiam Seifridus mediam partem loci, in quo Eccleſia ſancti Martini, Prima Præmonſtrati filia, ſita eſt, quòd iuri Sancti Vincentij ſubiaceret, obtulit.

Literas miſit Seifrido Honorius Papa 2. queis vniuerſa San-vincentiani Cœnobij bona confirmat. Defungitur circiter an. 1131. ſepultus in inferiori parte chori.

XIII. ANSELMVS ex Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis in Abbatem à Monachis eſt cooptatus 1131. Religioſè, doctè, ac prudenter rexit Monaſterium annos plus minus ſeptemdecim. Militum, Equitúmque, vi ac tyrannicè prædia auferentium, represſit audaciam; atque fretus Innocentij Papæ 2. authoritate, qui Lauduni tunc aderat, reddere coëgit omnia. Anno 1133. Eccleſia Canonicorum Caſtri de Leſcheriis in agro Guiſiano; itémque alia in caſtro Montis-acuti, iuxta Lætienſe Sacellum collata fuere S. Vincentio.

Romam profectus à Canonicis Tornacenſibus, qui hoc ipſo tempore in Vrbe agebant de Paſtore ſubrogando, Epiſcopus eligitur: at ipſe reluctans à Summo Pontifice annuere ſub anathematis vinculo compulſus eſt. Quàm præclarè ſe geſſerit in hiſce tum Abbatis, tum Epiſcopi muneribus indigitat Hermannus lib. 3. ca. 20. & 21. in Appendice. Vide Galliam Chriſt. in Epiſcopis Tornac.

XIV. BALDVINVS Regimen egit ſolummodò annis quinque. De quo citatus Hermannus eò loci.

XV. Guillelmus. Huic donat Galterus Epiſcopus Laudu. Eccleſiam S. Iuliani in burgo Laud. 1153. necnon Eccleſiam caſtri de Nouauilla (quæ eſt in Prioratum erecta) ab Helluino Tirio erogatam, confirmat ipſemet Epiſcopus.

XVI. GALTERVS.

XVII. HVGO. Baſilicæ S. Vincentij, quæ etiamnum extat, iecit fundamenta, eamque compleuit. Controuerſia Hugonem inter atque Ioannem Nouigenti Abbatem, anno 1177. arbitro Codiciacenſi Rodulpho, diluta eſt. Sacram extruxit ædem S. Genebaldo Proto-antiſtiti Laudunenſi duodecim Canonicorum, quam & prædiis San-vincentiani Aſceterij ditauit. E vita diſceſſit 1200. ſepulchrum eius in medio Chori hoc adornatur epitaphio.

Hugo boni forma, Clauſtri rigor, actio cauta,
Regia frons, doctrinæ fons clarus, largus, abundans.
Abbatum flos ecce iacet: qui regnat vbique
Huic det pro meritis æternæ gaudia vitæ:
Quem poſt Auguſti medium lux tertia clauſit.

XVIII. INGELRANNVS. 1208. Sacrum S. Vincentij Mart. os guturis ab Epiſcopo Carcaſſonenſi, ac Simone de Monteforti A. D. 1215. ſolemni ritu accepit. Eodem propè tempore Abbas & Monachi Caſtrenſis Eccleſiæ (nunc Epiſcopatûs) ad Ingelrãnum partem brachij eiuſdem Martyris tranſmiſère. Et anno 1234. Sacellum B. MARIÆ Lætienſis à Dominis de Apia (qui in Sanvincentiano Templo ſunt ſepulti) initium ſumpſiſſe ferunt.

XIX. BALDVINVS 2.

XX. IOANNES.

XXI. BALDVINVS 3.

XXII. THOMAS.

XXIII. GOSBERTVS. Dum iuſſu Gregorij Papæ 10. ad Concil. Lugdunenſe proficiſceretur, morte eſt præoccupatus, circiter anno 1273. vel 1274.

XXIV. GVIDO *de Boueriis*. Eodem Abbate iuriſdictionis Abbatiæ limites recenſiti ſunt 1280.

XXV. IOANNES 2. Anno 1300.

XXVI. IOANNES 3. cognomine *de Sancto Quintino* Obiit 1345.

XXVII. PETRVS *de Suiſi* ſiue *de Namur* fit Abbas Ioanne de S. Quintino viuente 1333.

XXVIII. PETRVS 2. *de Villiers.* Memoratur in pacto cum Comite de Roucy inito 1349. circa quoddam ius S. Vincentij in molendino de Petraponte.

XXIX. IOANNES 4. *de Noüelles, de Guisia* vulgò nuncupatus 1370. Egregiè literis excultus. Collectarium historiæ vniuersalis, libris octo, qui quatuor voluminibus comprehenduntur, distinctum elucubrauit. Ditissima fuit Ioanne Abbate bibliotheca Sanvincentiana, vndecim nimirum millia voluminũ continebat. Consedit in Concilio Cõpendij habito (cui præsidebat Petrus Lessiensis Abbas) cum aliis Archimandritis Archiepiscopatuum Remensis ac Senonensis. Eo in Concilio lectæ literæ Vrbani 4. & Gregorij 10. ad Episcopos earundem Metropoleon scriptæ, quibus Abbates ab Episcoporum Synodis eximuntur. Obiit Ioãnes 1396. cuius sepulchro discipuli sequens epitaphium apposuerunt.

De Guisia natus iacet hic sub caute Ioannes
Historiographus, artéque Iuridicus.
Abbatum primus mitrâ fuit hic decoratus.
Inhumata manet fama, mirúmque canet
Mens pia, mens humilis, patriæ lux, Martha labore.
Irradiet functo vitâ beatâ Deus.
Anno milleno, quater & C. bis duo demo.
Octauo mensis Idus decessit Aprilis.

XXX. IOANNES 5. *de Sylua* 1396. Obiit 1419.

XXXI. SIMON *à Porta.*

XXXII. THOMAS *Vastel.*

XXXIII. IOANNES 6. *Corbeau.*

XXXIV. HELIAS *d'Arson* Protonotarius Apostol. Abbatis Commendatarij titulo sedem inuadit. Moritur 1502.

XXXV. FRANCISCVS *de Frechencour*, ex Monacho fit Abbas. In Necrologio nobili loco oriundus notatur. Diem clausit 1506. in choro sepultus.

XXXVI. CAROLVS *Morel*, antea Prior S. Ioannis de Vendolio 1510.

XXXVII. IOANNES 7. *Charpentier*, ex Ordine Monastico Abbas vltimus. Totam instaurauit San-vincentianam Ecclesiam, multáque beneficia contulit. Medio in Choro iacet, hoc donatus encomio.

Hic iacet Domnus Ioannes Charpentier Remensis, dum viueret huius Ecclesiæ pientissimus Antistes: qui feliciter obijt sexto Idus Septemb. nostræ Salutis millesimo quingentesimo trigesimo octauo.

ABBATES COMMENDATARII.

XXXVIII. CAROLVS *Borbonius* Cardinalis de Vindocino.

XXXIX. CRISPINVS de Brichanteau ex Monacho S. Dionysij in Francia Abbas S. Vincentij, & Episcopus Syluanectens. Moritur 1590.

XL. GODEFRIDVS *de Billi*, primùm Monachus S. Dionysij, deinde S. Vincentij Abbatiam, atque Episcopatum Laudunensem obtinuit. Diuersas Monachis intulit calamitates. Priorem, Antonium Danis nomine, de ædificiorum imminenti ruina conquerentem exagitauit, expulit è Monasterio: quem nihilominus Abbas ille decreto Curiæ Parisiensis reuocare, organorum, campanarúmque applausu excipere compulsus est.

XLI. PHILIBERTVS *de Brichanteau*, adeptus possessionem 1612. ac postmodum Episcopatu Laudunensi donatus. De quo Robertus in Episcopis Laudu. *Vir multæ pietatis & prudentiæ,*

Qui mores hominum multorũ vidit & vrbes.

Omnem nauauit operam in resarcienda Regulari disciplina; idcircò San-vincentianum Cœnobium Congregationi S. Mauri aggregauit 1643.

(Vulgo bacones vocant) Et nos Galli nunc, *jambons.* Baconum meminit Mathæus Paris in Henrico 3. pag. 404. vltimæ edit. *Missa sunt decem millia summarum frumenti, & decem millia auenæ, cum totidem baconibus.* Vernaculè in Lotharingia & alibi, *bacons*, solent vocitari bacones; nempe pro lateribus, tergísque porcorum salitorum. Glossarium in fine historiæ eiusdem Mathæi. Pagina 506. lin. 9.

(Percussus occubuit) Dies necis Galdrici Episcopi in Necrologio Laudunensi commemoratur. *Sexto Kalend. Maij obitus Vualdrici Episcopi &c. Hic vir magni cordis, & strenuus in secularibus, qui ciuium exigente superbia, suis quibusdam legibus priuatis regentium, per illustrem Franciæ Regem aliósque ...... Laudunenses procurauit cassari Communiam &c.* Et descriptis quæ à Guiberto enarrantur, subinfert idem Necrologium: *Hæc & alia quamplurima ad tam immane scelus pertinentia, memoratus Abbas* (Guibertus) *qui his diebus præsens aderat plena fide & veritate conscripsit. In huius igitur tanti ac tam miserabilis flagitij lamentabilem memoriam, statutum est in Capitulo nostro Anniuersarium dicti Pontificis, singulis annis celebrare.* Pagina 507. lin. 22.

(Prominenti eorum, quam sic vocitant repâ) Repam ornamentum quoddam auro argentóue confectum, coronidis instar, tumulis siue loculis Sanctorum appositum, S. Audoënus subindicare videtur lib. 1. vitæ S. Eligij cap. 32. *Fecit quoque* (Eligius) *& repam in loco anterioris tumuli, & altare secus ad pedes S. Martyris fabricauit.* At vero repam ac crepam synonima fore subdubitat animus, siquidem ille ipse Audoënus lib. 2. cap. 39. sub finem, profert ista de S. Bathilde: *Iussit* Ibid. col. 2. lin 52.

præterea crepam ex auro atque argento mirificè fabricare, quam ſupra Confeſſoris (Eligij) *membra deponere deberet.* Iterum cap. ſeq. initio: *Ingrediente ergò Quadrageſima, præcinxerunt crepam huiuſcemodi ſindone, vt moles radiantis metalli velata tegeret diebus pœnitentiæ &c.* Quibus ex verbis crepam, loculum ſiue vrnam feralem ſonare nemo non videt. Num tandem in verbo *Repa*, & *Crepa*, incidat & *Freda?* de quo Herricus Antiſiodor. lib. 1. cap. 27. mirac. S. Germani: *Clotarius Crotildis filius tempore S. Deſiderij Antiſiodorenſis Epiſcopi, fredam regalibus expenſis compoſuit auro argentoque decoram, vbi authorum erant inſcripta nomina:* Nil certi ſtatuendum occurrit.

Pag. 508 lin. 9. (*Et ſancti Ioannis Eccleſiam ſuccendens*) Monaſterium ab ipſa fundatione, ſanctimonialium; quod pluribus deinde ſæculis elapſis, Epiſcopi Laudunenſis Bartholomæi iuſſu Monachi S. Vincentij eiuſdem vrbis incolere cœperunt. Hermannus Monachus lib. 3. cap. 21. de Miraculis B. MARIÆ. Et Guillelmus Nangiacus ad an. 1128. *Lauduni in Eccleſia S. Ioannis, conſilio Franciæ Regis & Principum, Monialibus, quæ infames erant, eiectis, in loco ipſarum Monachi ſubſtituti ſunt; vbi Drogo Religione ac facundia venerabilis à Bartholom eo Laudunenſi Epiſc. primus Abbas ordinatur: qui poſtmodum à Papa Innocentio 2. Romæ Hoſtienſis Epiſcop Cardinalis.* De S. Ioannis Cœnobio nil in præſentiarum præter vitam Sanctæ Saleburgis (quam damus in lucem) ſuppetit. Occurret in Additamentis.

Ibid. col. 2. lin. 12. (*Radulphi Diſcofori Monacharum*) Nomine Diſcophori œconomum, ſiue, vt vocant, procuratorem, cui rerum gerendarum & facultatum cura & adminiſtratio demandatur, venire mihi ſuadeo. Radulphum pariter Epiſcopi Diſcophorum nominauit Guibertus initio cap. 10.

Ibid. lin. 16. (*Sub birro liberationis cauſa ferret*) Birrum ſupra pileum expoſuimus; hîc verò pallium ſeu clamydem ſignificari, verbis ſubſequentibus haud obſcurè innuitur: *Paraſitus autem aliquis ei obuiam factus, quid ſub cappa portaret aſpexit.* Videlicet verbo antiquato cappa pro clamyde amplo ſumenda hoc loco: qua voce etiamnum in rebus Eccleſiaſticis pluuiale, (vernaculè *Chappe*) ſæpiuſculè vocant. Quamquam à capite cappam periti linguæ latinæ ſcriptores deducant. Conſule Spelmanni Archæologum, & Voſium de vitiis ſermonis. De birro ita Canonicus Laudunenſis in Chronico MS. *Petrus Eremita de territorio Ambianenſi, primò Monachus apud S. Rigaudum in Foreſio, pôſt Prædicator effectus; cœpit tanta populorum multitudine vallari, tantis muneribus donari, tantis ſanctitatis præconiis acclamari, vt multæ ætates non meminerint honore ſimili quempiam haberi. Pili de eius mulo pro reliquiis rapiebantur. Taneâ tunicâ ad purum, cucullâ ſuper vtriſque talaribus, birro deſuper vtebatur: pane vix, vino autem nunquam aut piſce alebatur &c.*

Ibidem lin. 30. (*Ad S. Mariam Verſiliacenſem*) ſiue Veſſelicenſem (*Vezelay*) Monaſterium quondam Benedictini Ordinis in Burgundia; ab ipſa origine Monialibus traditum perhibet Teſtamentum Comitis Gerardi de Roſſilione, atque vxoris Berthæ, cuius equidem Teſtamenti tabulam magna ex parte, diuerſiſque in locis inſeruit ſuis probationibus ad Originem Familiæ Alſat. Doctiſſimus Vignerius è Congregatione Orat. Preſbyter. Nos verò haud per partes ſed ſolidam dare, vnà Nicolai I. Papæ atque Caroli Calui eam approbantes literas ſubiicere, non graue, imò perquam acceptum fore viris eruditis cenſuimus. Ferunt igitur hæc verba:

TESTAMENTVM, SIVE FVNdationis Tabula Monaſteriorum Pulthérienſis, & Vezeliacenſis.

OMNIBVS Chriſti fidelibus pietate, amore, deſiderióque feruenti beatam vitam expectantibus, & in vnitate Chriſtianitatis ſub obedientia præceptorum Dei vbique manentibus, ſiue his qui præſentes ſunt, ſiuè his qui futuri, atque in compage & vinculo charitatis victuri, & vſque ad conſummationem ſæculi in Eccleſia Sanctorum ſibi inuicem ſunt ſucceſſuri: Ego GERARDVS, diuinæ pietatis munere apud glorioſam regalem manſuetudinem Comitis honore ſublimatus, ex communi voto & deſiderio dilectiſſimæ coniugis meæ atque amantiſſimæ BERTHÆ; eò quòd nobis pariter vnanimiterque, Domino inſpirante, complacuerit, vt de rebus noſtris & poſſeſſionum noſtrarum titulis, perennem memoriam Domino Deo noſtro, vbi laus eius aſſidua fieret, ſtatueremus. Et quoniam largitionibus piis dominorum, & ſeniorum noſtrorum, qui nos liberaliſſimè honoribus & dignitatibus ampliauerunt, id eſt, Imperator & ſenior noſter clementiſſimus LVDOVICVS, & glorioſa Domina & Regina IVDITH, filiúſque ipſorum æquè ſenior, atque Dominus noſter Rex CAROLVS, plurima poſſidenda accreuerunt; iuſtiſſimè nobis viſum eſt, vt eorum amore incitati locum Eccleſiæ ipſum fundaremus, vbi prò gratis muneribus ipſorum, eſſet in orationibus ſolemnis & iugis ſupplicatio apud Deum, continua pro ſalute eorum exhortatio.

Non immemores etiam ſumus eorum circa nos beneuolentiæ ipſorum, id eſt Domini ſenioris LVDOVICI Auguſti, IVDITH Do-

minæ & Reginæ, CAROLI filij ipsorum similiter Domini & senioris, qui nunc superest regnans: sed & dignam rependentes genitoribus ac parentibus honorificentiam, id est LEVTHARDI & GYMVLDIS, atque gratissimorum HVGONIS & DAVÆ, amabilibúsque filiis & filiabus ipsorum, siue qui iam obdormierunt in Domino, siue qui adhuc viuunt, consanguinitate, affinitate, & propinquitate etiam nobis iunctis, id est LEVFREDI & ADALARDI Comitum præclarissimorum, vt pro eis intercessio & assidua deprecatio fieret, & peccatorum eorum acquireretur propitiatio; & in loco ipso, quem, iuuante Christo, fundaremus, succedentibus temporibus esset eorum permanens recordatio. Itaque & illorum quoque propinquorum, quibus & hæreditario iure eisdē in rebus successimus, necnon & reliquorum omnium, sed & amicorum nostrorum vniuersorum, & fidelium generaliter omnium perpetualis duraret memoria, ibíque per æuum pro omnibus fieret communis oratio.

al. Grimildis.

Ego igitur GERARDVS, & coniux simul gratissima, piâ & fideli deuotione constituimus, atque construximus Monasterium, & habitaculum seruorum Dei, apto cōpetentíque loco, & ex largitione atque oblatione facultatis, & rerum nostrarum quicquid ad sustentationem eorumdem Deo famulantium, quicquid ad Religionis cultum necessarium extat, piâ ac solerti prouidentiâ iuxta vires, quas Deus tribuit, procurauimus, mentéque promptissimâ, eadem ipsa, quæ de manu ipsius accepimus, gratias beneficiis illius offerentes obtulimus.

Fundatus igitur atque conditus est locus deuotionis nostræ in honore Domini nostri IESV CHRISTI, & veneratione Beatissimorum Apostolorum PETRI & PAVLI, super amnem Sequanæ præterfluentis, in agro respiciente ad villam, quam ex antiquo *Pultarias* nominant, in pago Laticensi, in Regno Burgundiæ; vt ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fidelium frequentetur, conuersatioque cœlestis sub regulari districtione, & Institutione beati BENEDICTI viuentium, omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur. Ibique contulimus villas has, ipsam eandémque, vbi è vicino Monasterium situm est, *Pultarias*, quicquid * erit ex hæreditate, quicquid præcepti sui authoritate senior noster CAROLVS Rex nobis inibi contulit, quicquid alio legitimo pacto rebus nostris accessit, cum vniuersis appenditiis suis, & quæ vbicumque ad ipsa respicientia sunt. In pago verò Senonico sextam cum omnibus ad eam respicientibus, & vniuersis appendentiis; manniflam similiter cum omnibus ad eam

al. ibi.

A respicientibus, & vniuersis appendentiis suis; Verum etiam & villare in supradicto pago; cum omnibus rebus ad eas respicientibus, & appendentiis earum. Similiter & in eodem pago, in villa quæ dicitur Piscatoria, quæ est sita super Hionem fluuium, totum & ad integrum quicquid de . . . . . . Vassallo dominico conquisiuimus, & quicquid ad ipsam Piscatoriam aspicit, in omnibus dumtaxat in quibus ibidem nostra videtur dominatio, vel esse scitur potestas, & quicquid ad ius nostrum in pago B Tricassino pertinet.

Pari etiam ordine fundauimus aliud Monasterium, eodem studio, eadémque deuotione, vt habitaculum Ancillarum Dei sub regulari districtione, & institutione sancti BENEDICTI viuentium fieret in honore Domini nostri IESV CHRISTI, in loco vel agro qui dicitur VIRZILIACVS, in pago Aualensi, in Regno Burgundiæ; vbi & contulimus villas has. Eandem ipsam, in qua situm est sacrum & venerabile Monasterium, Virziliacum, quam commutauimus cum Domina & gloriosa IVDITH Regina, agente & impe- C trante apud piissimæ memoriæ Dominum & seniorem nostrum LVDOVICVM Imperatorem, quicquid idem clementissimus Imperator ad eandem villam respiciens sub præcepti sui confirmatione condonauit, nobísque contulit, quæ vbicunque respiciunt ad eandem villam pertinentia, prædicto Monasterio consignauimus. Villam denique Doruiciacum, Villam Cisternas fontanas atque Molintium, vel quicquid in nominato pago Aualensi, vel Tornodorensi acquisiuimus, D cum vniuersis appendentiis supradictarum villarum, vbicunque, vel in quocunque pago fuerint.

Totum ergo ex integro quicquid in supranominatis villis vel agris acquisiuimus, & acquirere potuimus, sacratissimis locis, & Monasteriis coadunauimus, & vnanimitati, atque vtilitati eorum, qui ibi Deo seruierint, in perpetuo conneximus; tantùm nobis dum manemus in vita, earum vsu-fructuarium reseruantes. Tuitionem quoque & defensionem prædictorum Monasteriorum sub no- E stra cura habentes. Itaque quicquid præfato Monasterio nostra religiosa oblatione collatum est, quicquid in rebus siue seruitiis quibuscunque speciebus, Deo inspirante, contraditum, additúmque fuerit, aut à quibuscunque fidelibus quolibet vnquam tempore oblatum, absque vllis exterioribus obsequiis, & obsequiorum exactionibus, solis eorum stipendiis, & necessariis sumptibus, qui illic Domino seruiunt, iugi præsentis nostri testamenti firmitate permaneat illibatum. Excepto quòd pro benedictione annis

ſingulis ad reuerendam ſedem beatorum Apoſtolorum, cui loca eadem ſubdidimus, Romæ offerantur Beato Pontifici Vrbis libræ argenti duæ.

Et quia vltronea voluntate charitatis, atque humanitatis officio, quotidiana beneficia docent exercenda, liberi tamen ab aliis exhibitionibus Monachi ſub quieto ſeruitio regulariter viuant, Orationis obſequia ſolemniter offerentes Deo, pro glorioſiſſimis Dominis & ſenioribus noſtris LVDOVICO Auguſto, & CAROLO eius filio, & præcellentis memoriæ Dominabus IVDITH, atque HERMENTRVDE; ſed & præclariſſimæ item recordationis genitorum genitricumque filiorúmque ipſorum, qui ſiuè viuunt, ſiue iam dormierunt in Domino, pro nobis etiam filiiſque, ac filiabus viuentibus, ſiuè defunctis, cunctiſque amicis noſtris, omniúmque fidelium multitudine.

Hoc vero Monaſterium, ſiue aliud ſupra nominatum, cum omnibus rebus ibi collatis, beatiſſimis Apoſtolis apud Romã ſubdidimus, & teſtamentario libello dato æternè Pontificibus Vrbis illius, qui vice Apoſtolica annis ſequentibus ſedem tenuerint, ad regendum, ordinandum, non tamen vt beneficiaria poteſtate. Cúmque dandi, aut procaminandi licentia ſit diſponenda, perpetuo commiſimus, vt eorum ſollicitis ſtudiis, & vigili prouiſione, iuxta noſtram deuotionem, religio pietatis & honeſtatis ad gloriam Dei ſemper ibi excreſcat, & fructus apud Deum propenſior generetur: Illud perpetuè firmum volumus, vt quotiens Abbas, vel Abbatiſſa, de præfatis Monaſteriis reſpectu diuino à religione noſtra ſanctis Apoſtolis contraditis, ex hac luce migrauerint, Congregationes ipſæ, quas de venerabilibus locis Deus eſſe voluerit, habeant conceſſam ſibi poteſtatem cum interrogatione, ſanctorúmque virorum conſilio, alterum, vel alteram, bonæ vitæ, & boni teſtimonij, auxiliante Domino, ex ſuo conſortio, atque Collegio electum, vel electam, præficiendi, proſequente Pontificis ſuper hac re probatione, qui ſedem Apoſtolicam tunc temporis meruerit.

Sed & rerum quantitas in ſuſcipiendis fratribus, vel ſororibus ſemper attendatur, ne ſuperfluo numero Congregationes ipſæ (quod abſit) fortè grauatæ delabantur. Illud quoque ſummopere monemus, & ſub obteſtatione etiam inhibemus, ne cui pietatis noſtræ votum liceat in perpetuum commutare, vel præpoſtero ordine irrumpendo perturbare. Quòd ſi quis, quod non credimus futurum, præſumpſerit, Domini & ſenioris noſtri CAROLI Pij Regis præcepto damnatus, Domino Deo noſtro dignam facti ſui vicem ei reddente, ex ſententia ſancti Pontificis, vobis, & ſacrilegus & ſacrarum rerum fraudator, à cætu populi Dei extraneus pœnam æternam, niſi reſipuerit, incurrat.

Sed & vos omnes ſanctiſſimi Patres & Epiſcopi, per Redemptorem Dominum noſtrum deprecamur, vt huic noſtræ deuotionis operi ſemper dignemini exactores, & adiutores in omnibus exiſtere. Quod in finem monendum ſit piis & chariſſimis noſtris ſeruis Dei in Monaſteriis tanto ſtudio à nobis fundatis, degentibus, & pia & vigili cura deuotionis, & Religionis ſit, atque in omnibus ſe exhibeant ſicut Dei miniſtros; nemini dantes vllam offenſionem vituperandi religioſiſſimum & ſacrum Ordinem Monaſterij ſui, vt Apoſtolicæ ſedis Pontifex ſit eis Rector aſſiduus, conſolator, & tutor; quatenus corpori & membris Eccleſiæ fideliſſimà charitate, & religioſiſſima obedientià iuncti, etiam capiti totius corporis, quod eſt Chriſtus, mereantur compage ſociari.

Hoc autem Teſtamentum plenâ à nobis pietate & deuotione confectum, vt omnì tempore irrefragabilem obtineat firmitatem, etiam manus noſtræ, & illuſtrium virorum ſubſcriptionibus ſanximus roborandum.

S. GERARDI Comitis. S. BERTHÆ coniugis qui hanc oblationem Deo pro remedio animæ ſuæ obtulerunt, & teſtamento factofirmauerunt, atque firmari iuſſerunt.

S. EVÆ filię ipſorum quæ voluntatem parentum, & oblationem Deo factam, audiendo, & firmando conſentiit, conſentiendo confirmauit.

S. SANVARII.	S. LEVDERICI.
S. SIMONIS.	S. ALVERTI.
S. FANVEL.	S. FREDEBERTI.
S. BAVNARI.	S. RADVLPHI.
S. WIDERICI.	S. GERARDI.
S. GERARDI.	S. SIGIBERTI.
S. ROTARDI.	S. GISLEMARI.
S. ABONIS.	S. GAVZELINI.
S. AVZGARII.	S. AYRBALDI.
S. OPTADI.	S. ZENONIS.
S. GALFARI.	S. ODOLARDI.
S. ATHONIS.	S. ODEBERTI.
S. ARDVLFI.	S. AVSTORICI.
S. BERCHARII.	S. AMALBERTI.
S. RAGANAVDI.	

NICOLAI PAPÆ I. CONFIRmatio Fundationis Monaſterij Vizeliacenſis.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Religioſæ, & Deo dicatæ, quæ, diuino nutu, diuináque prouidentiâ, in

Monasterio fuerit constituta, quod à vobis GERARDO scilicet clarissimo filio nostro, illustrissimo Comite, & Nobilissima filia BERTHA, in nomine Domini nostri IESV Christi, & veneratione beatissimæ Virginis MARIÆ, Genitricis eiusdem Dei & Domini nostri IESV Christi, in loco, vel agro qui dicitur *Virziliacus*, in pago Aualensi, in finibus Burgundiæ, constructum est, opibúsque ditatum: & omnibus quæ post eam in eodem Monasterio Abbatissæ regimen tenuerint in perpetuum: de quo Monasterio cum omnibus iuribus ad se pertinentibus, pro remedio atque futura retributione animarum vestrarum, hanc sanctam hæredem Romanam fecistis Ecclesiam; illúdque per donationis paginam Beatissimo PETRO Apostolorum Principi contulistis. Quando ea quæ Catholicorum virorum corda Pontificum sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente clementia succedunt, vt ab eis vltrò poscantur, tantò alacri & læto sunt animo concedenda, quantò ea ipsa quæ cupiunt, si vellent facere peti debuerant.

Proinde iuxta vestram petitionem, Monasterio in honore Domini nostri IESV Christi, quod in Parrochia Vrbis Augustudunensis, in loco, & Regno prænominato, à vobis religiosa deuotione fundatum est, huiusmodi. Priuilegia præsentis nostræ Apostolicæ auctoritatis decreto Indulgentis concedimus, atque statuimus, vt nulli Regum, Antistitum, nulli quacunque prædictis dignitate, vel cuiquam alij de his quæ eidem Monasterio à vobis, vel à quibuslibet causa, occasione, siue specie minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ auaritiæ excusatione liceat quocunque modo concedere; sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tàm à vobis, quàm ab eis qui in eodem loco in officio Abbatissæ, vel conuersatione religiosa successerint, seu qui pro animæ suæ remedio ibidem oblationes suas obtulerint, à præsenti tempore illibata, & sine inquietudine volumus, & Apostolica authoritate præcipimus possideri. Earum tantùm vsibus pro quarum sustentatione ac gubernatione concessa sunt, fuerintque modis omnibus profutura; ea conditione, vt nullus successorum nostrorum in hac Sede, cui auctore Domino deseruimus, vnquam vel vsquam quiddam de eisdem rebus cuiquam beneficiare, communicare, aut sub censu concedere, vel retinere, per futura tempora patiatur; sed censum tantummodò in Testamento traditionis vestræ, quo ex eodem Monasterio hæredem hanc sanctam fecistis matrem Ecclesiam; vnam videlicet libram argenti annis singulis successores nostri accipiant, piæ paternitatis suffragium, eidem Monasterio, & Abbatissæ, ac Monachis sub regula sancti Patris BENEDICTI ibidem degentibus, sollicitudine pastorali vigilanter contra omnes infestantes impendere studeant.

Item constituimus, vt obeunte Abbatissa prædicti Monasterij, non alia ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quam consensus Monacharũ secundum timorem Dei, & institutionem Regulæ beati BENEDICTI elegerit, & huius Apostolicæ Sedis Pontifex præuiderit ordinandam, aut suggestione monacharum consenserit ordinatam.

Hoc quoque capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ secludamus. Nullum de sacerdotibus nullum de Regibus, vel quęcunque fidelium, per se, præsuppositámue personam, de ordinatione eiusdem Abbatissæ, vel Clericorum, atque Presbyterorum, vel de largitione Chrismatis, aut consecratione Basilicæ, aut de quacunque commoditate spiritualis, aut temporalis obsequij, siue quibuscunque causis ad idem Monasterium pertinentibus, audere in auro, vel alia qualibet specie commodi, vel exenij loco quicquam accipere; neque eandem Abbatissam Ordinationis suæ causa quicquam dare præsumere, ne hac occasione ea quæ à fidelibus pro loco afferuntur, aut iam oblata sunt consumantur.

Neque Episcopus Ciuitatis ipsius parrochiæ nisi ab Abbatissa ipsius Monasterij inuitatus, ibidem publicas missas agat, neque stationes in Cœnobio eodem indicat, ne ancillarum Dei quies quoquo modo populari conuentu valeat perturbari: neque paratas, aut mansionaticos exinde præsumant exigere.

Susceptionem autem fidelium, & religiosorum, & religiosarum, atque beneficentiam, quam iubet Apostolus cunctis exhibendam, pro possibilitate loci & facultatum, non modò ibidem gratis fieri denegamus, veruntamen suademus. Sed & modus in numero Congregationis adeò conseruetur, vt pluralitas penuriam, nec paucitas inhabitantium, destitutionem loci inducere valeat.

Hæc igitur omnia quæ huius Præcepti, Decretíque nostri pagina continet, cunctis post vos succedentibus, qui idem Monasterium à vobis constructũ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ traditum, sub vsufructuario retinetis, vel eis quorum interesse poterit in perpetuum seruanda decreuimus. Si quis verò Sacerdotum, Iudicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tẽtauerit, potestatis, honorísue dignitate, percussus Apostolico

Apostolico Anathemate careat, reúmque se diuino Iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & nisi vel illa quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel præsumpta correxerit, vel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit, à sacratissimo Corpore Dei & Domini ac Redemptoris nostri IESV CHRISTI alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri IESV CHRISTI, quatenus & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

Scriptum per manum Sofronij Regionarij, & Scrinarij Romanæ Ecclesiæ in mense Maio. Datum verò per manum Tiberitij primicerij sedis Apostolicæ: Imperante LVDOVICO Caroli Magni filio.

DIPLOMA CAROLI CALVI fundationem approbantis Vizeliacensis Monasterij.

IN *nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis.* CAROLVS Dei gratia Rex. Si nobilium & Illustrium, nobisque fidelium virorum salubribus fauemus votis, & Iustis ac rationabilibus assensum præbemus postulationibus, Regiam exercemus consuetudinem, & eos in nostræ fidelitatis obsequiis promptiores reddimus, atque ad præsentis vitæ curricula fœlicius transigenda, & ad futura beatitudinis præmia faciliùs obtinenda nobis profuturum non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorúmque & futurorum solertia, quia charissimus valdéque amantissimus nobis GERARDVS Illuster Comes, ad nostram accedens celsitudinem innotuit, qualiter diuini ardoris face accensus, ob Dei & Domini nostri IESV CHRISTI, Sanctæque Dei Genitricis MARIÆ semper Virginis amorem & honorem, vnà cum consensu nobilissimæ coniugis BERTHÆ, de rebus suæ proprietatis intra Regnum nostrum Burgundiæ, in pago Aualensi, in parrochia Augustudunensis ciuitatis, in loco qui dicitur *Virziliacus*, quoddam Monasterium construxerit, & in honorem Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ dedicari fecerit; atque sanctimoniales Monachas in perpetuum Deo famulaturas instituerit; & Deo beatísque eius Apostolis Petro & Paulo, sanctæ scilicet sedi Romanæ pro defensione subdiderit, vnde & Priuilegium super idem Monasterium, sedis Apostolicæ auctoritate corroboratum obtutibus nostris obtulit; sed pro maiori firmitate nostram petiit Celsitudinem, vt eiusdem Sanctæ Apostolicæ sedis Instituta nostræ auctoritatis Præcepto confirmaremus.

Cuius iustis ac rationabilibus petitionibus assensum præbentes præcipimus atque firmamus, vt quicquid de ipso Monasterio eadem Apostolica sedes suæ auctoritatis Priuilegio iustè ac rationabiliter mansurum statuit, nostris futurísque temporibus maneat inconuulsum, & à successoribus nostris, cunctísque Christianæ fidei cultoribus obseruetur illæsum: & quicquid idem GERARDVS Illuster Comes, & vxor eius BERTHA, communi assensu ex rebus suæ proprietatis, quas aut hæreditario Iure, aut emptione, aut regio dono, aut commutatione, aut quolibet attracto, vel acquisito, iustè & legaliter possidentes, sine cuiuspiam contradictione ipsi Monasterio contulerunt, aut in futurum conferent, & quicquid à Deum timentibus ipsi sancto loco iniustè & legaliter collatum est, & in futurum conferendum, stabile maneat & inconuulsum, ad vtilitates & necessitates eiusdem loci explendas, & ipsum Monasterium cum omnibus ad se pertinentibus sub nostræ successorúmque nostrorum immunitatis defensione consistat. Itavt nullus Iudex publicus, nec quilibet Iudiciariæ potestatis, in eiusdem Monasterij Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, ad causas audiendas, vel injustè freda tollenda, aut mansionaticos, vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut telonea exigenda, aut homines eius tam ingenuos, quàm seruos super terram ipsius commanentes, iniustè distringẽdos: nec vllas redibitiones, aut illicitas actiones requirendas, vllo vmquam tempore ingredi audeat, aut exactare præsumat; sed quicquid inde fiscus exigere poterit, totum pro æterna remuneratione alimoniis pauperum, & vsibus Sanctimonialium Monacharum ibi degentium concedimus.

Quamdiu autem ipse GERARDVS Illuster Comes, & nobilissima eius coniux BERTHA vixerint, sub vsufructuario duas scilicet libras argenti, quas Apostolicæ sedi ex eodem Monasterio annuatim reddendum statuerunt, ipsum Monasterium teneat, ordinet, atque disponat. Post vtriusque ab hac luce migrationem Sanctimoniales Monachæ ipsius Cœnobij, secundum præfatæ Apostolicæ sedis Institutionem, Abbatissam ex se regulariter eligant, vt liberiùs deuotiúsque Deo famulari valeant, & pro nobis conjuge, ac prole; totiúsque Regni nostri statu iugiter Dei misericordiam implorent.

Vt autem nostræ auctoritatis Confirmatio nostris, futurísque successorum nostrorũ

temporibus inuiolabilem obtineat firmitatem, manu nostra subter eam firmamus, & annuli nostri impressione subtus eam iussimus sigillari.

Signum Regis CAROLI.

Datum septimo Idus Ianuarij, Indictione prima. Anno 28. Regnante Carolo gloriosissimo Rege. Actum in bello Pauliaco in Dei nomine fœliciter. Amen.

Aliquot post annis, Sanctimonialibus amandatis, in Vezeliacense Cœnobium successêre Monachi: qui tandem pluribus seculis elapsis anno nimirum 1537. obtentis dolo à summo Pontifice Paulo III. literis bullatis, cucullum abdicauerunt, ac secularium Canonicorum mores & vestes induêre.

Pag. 509 lin. 12. (*Abbas autem sancti Vincentij Adalbero.*) Quem supra Seriei Abbatum S. Vincentij Laudunensis accensuimus; éstque vndecimus.

Ibidem lin. 39. (*Et Salbano superiecto.*) Lege *Sabano*: Quo verbo vsus est Auctor noster libro de Virginitate, cap. 10. *Sabanóque ac vestibus ac si somnolentum operiri.* Pro linteo vsurpatur, velut antiqui Scriptores exponunt. Victor Vticensis libro tertio ante medium. Muritta Diaconus Elpidoforum Christianæ Religionis desertorem, ac crudelem persecutorem, quem è sacro fonte susceperat, alloquitur: *Clàm furto nescientibus cunctis baiulabat illa, quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat Sabana.* Et infra quid Sabanum explicat. *Hæc sunt linteamina, Elpidofore, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis.* Videsis sanctum Gregorium Papam libro 4. Dialog. cap. 55. de Centumcellensi Presbytero. Sanctum Bonifacium Mogunt. Epist. 10. & 145. in fine. Paulum Papam I. ad Pipinum Regem, tomo 3. hist. Franc. Andreæ Duchesne pag. 746.

Ibidem lin. 43. (*Delatus ad Ecclesiam &c.*) Quare in Ecclesia San-vincetiana sepultus fuerit Galdricus Ep. rationem dedimus in Summario hist. eiusdem Monasterij; quòd nimirum Ecclesia illa Episcoporum Laudunensium fuerit cimiterium. Epitaphium Galdrici penè obliteratum prostat ante altare S. Benedicti in hæc verba:

Fructus amórque gregis, vtriusque modestia legis.
Viuere dum licuit Vvaldricus iste fuit.
Præsul prudentis super alta negotia mentis.
Ecclesiæ clypeus sit suus inde Deus.
. . . . Vix terra recepit
. . . . . Pastorem iugulauit ouis.

Pagina 509. col. 2. lin. 53. (*Thomam enim Codiciacensis, vt dicitur, filium.*) Latè etiam nefandos Thomæ mores suis coloribus depingit Sugerius in vita Ludouici Grossi pag. 97. hist. Franc. tom. 4. ab Andrea Duchesne. Aliquando nihilominus illum ipsum Thomam Religionis cultorem extitisse, exhibuisséque pietatis exercitia demonstrat subsequens charta.

IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITVS SANCTI.

EGO THOMAS Dei gratiâ Codiciacensis Dominus, perpendens quanta sanctæ Ecclesiæ reuerentia debeatur, quæ sub Deo Patre Mater nostra vocatur; in qua per Baptismatis Sacramentum regeneramur, & ex qua ad supercœlestem Ierusalem nostram principaliter matrem colligimur, Ecclesiam Beatæ MARIÆ Nouigenti sub nostro post Deum patrocinio, & de nostris beneficiis constitutam, prospiciens plurimùm à debita libertate claudicare, & Ministrorum nostrorum vsurpationibus miserabiliter subjacere, tali, Deo inspirante, prærogatiua disposui insignire: eam enim reuerentiam, quam ab antecessoribus meis eidem Ecclesiæ impensam comperi, scripto, & auctoritate nostra, & Procerum nostrorum testimonio roborare decreui.

Intra constitutos igitur terminos ambitum villę ipsius ita liberum esse debere censuimus; vt nullus clientum, vel Prępositorum nostrorum intra ipsius terminos, nec hominem, nec aliquid capere audeat, vel quicquam à quoquam vllus hominum, pręter Abbatem & Monachos, pręsumat violenter exigere: sed à cunctis inuasionibus, ac si sacratus, sit immunis locus ipse. Homines loci ipsius præter quinque, quos mihi retinui, Deo & Ecclesiæ seruituros dereliqui; quos nolo à modo pro meo seruitio, nisi cum Abbatis & fratrum licentia & voluntate vrgeri. Quod si quis eorum quos mihi retineo ad me venire noluerit, cùm eum per ministrum meum mandauero, Abbati suggeretur, vel Priori, aut Pręposito, vt eum ad me venire faciat Si propter Abbatem venire noluerit, nunquam per aliquem hominum meorum intra districtum territorij Ecclesię capietur. Sed vt intra districtum Castri mei capi valeat, expectetur.

Et si ab hac die in posterum aliquis externus ibi habitare voluerit, si probabiliter liber est, Ecclesię seruitio se mancipare poterit. Similiter & aduena. Quòd si alicuius sancti eum esse constiterit, meus erit.

(*Facta sunt hæc &c.*) Consimilis est istis Canonici Laudunensis enarratio: *Anno Domini 1112. Vvaldericus Laudunensis Episcopus cùm ciues ipsius vrbis à Sacramen-*

to iuratæ communitatis studuisset reuocare, ciuibus in seditionem versis cum quibusdam fidelibus suis nobilibus, ei subuenire volentibus, armis eorum nequiter est confossus feriâ quintâ Hebdomadæ Paschalis VIII. (Guibert. III.) *Kal. Maij, in Letania maiori: vnde confusa multitudine tumultuante succenditur Ecclesia Cathedralis cum domo Episcopali; succensa est etiam Ecclesia B. Ioannis Baptistæ in Abbatia Monialium, cum aliis IX Ecclesiis è vicino appendentibus. Ludouicus Rex Francorum tàm seuerè scelus istud in auctores seditionis vltus est, vt tàm futuros quàm præsentes debeat exemplum à simili scelere terrere.*

Ibidem col. 2. lin. 24. (*Quod siccatorias vocant.*) A sicca deduci opinor. At quodnam instrumenti siue machinæ genus fuerit siccatorias nondum legi.

Pagina 514. col. 2. lin. 47 (*Quo decedente iste legitimè.*) Per se patet demonstratiuo *iste* Bartholomæum, qui Hugoni successit, ab auctore subintelligi. De quo sic Guillelmus Nangiacus in hist. MS. an. 1113. *Quo* (Hugone) *post septem menses mortuo, vir illustris Bartholomæus ad Episcopatum Laudunicæ ciuitatis prouehitur: cuius industriâ Episcopalis Ecclesia, quæ incensa fuerat, in breui reparata est &c.* Gesta Bartholomæi recenset Hermannus in Appendice; qui, quòd inter cætera ab eodem Episcopo præclarè acta, Abbatiam Fusniacensem Congregationis Cistercienf. condidisse affirmet, pauca eiusdem fundationis ex ipsomet Fusniacensi tabulario hausta, retexere libitum est.

DE EO QVOD BARTHOLOMÆVS Episcopus in loco qui Fusniacus dicitur Abbatiam construxit.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego BARTHOLOMÆVS *Dei gratia Laudunensis Episcopus, Notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quòd* FVSNIACVS *erat Alodium sancti Michaëlis, & cùm locus ille non multùm esset vtilis eidem Ecclesiæ, impetrauimus ab* ELBERTO *Abbate, & Monachis loci illius, vt illum locum nobis liberum, & absolutum redderet, ad faciendum quidquid inde facere vellemus. Nos autem eundem locum assensu prædicti Abbatis, & Capituli eius,* BERNARDO *& Monachis de Claraualle, liberum & absolutum reddidimus; vt ibi Abbatiam constituerent, & liberè & quietè Deo deseruirent. Actum anno Domini millesimo centesimo vigesimo primo.*

Multa & alia contulit beneficia Fusniacensi Monasterio idem venerabilis Antistes. Sepultus iacet in eiusdem Cœnobij Templo, in quo sequentia duo Epitaphia cernuntur.

EPITAPHIVM REVERENDISsimi Præsulis Bartholomæi Laudunensis Episcopi.

REgum stirpe Ducum generatus sanguine, claris
Clarum nomen habet Bartholomæus auis.
Promptus ad arma fuit dum iunior iret in hostē:
Multa trophæa tulit, vix habet vsque parem.
At Deus in præceps retrahit miseratus euntis,
Nec mora Castra fugit, proijcit arma Ducis.
Clericus inde Remis sequitur virtute Manassem,
Immò senem fessum fertque subitque vicem.
Lauduni interea sacra mactatus in æde
Præsul, obit subito, moxque vacante sede,
Hunc sibi Pastorē Clerus, populusque requirit,
Abducuntque Remis, ac sibi præficiunt.
Sic bene Pontificis, meritūq; & nomen adeptus,
Quod gerit officij, perficit, implet opus
Exemplo verbóque gregem regit omnia factus,
Omnibus Christo fœneret ex ouibus.
Protinus hinc MARIÆ *succensa recondere tēpla*
Non tardat, reparat tectaque Præsulea.
Tùm sacra Baptistæ Monachis dans claustra, perire
Crimina & ipsa facit, scandala suffugere.
Posteà Cœnobium MARIÆ *sub nomine fundat,*
Consecrat ipse Deo Fusniacumque *vocat.*
Fusus vt è cœlo castis in cordibus ignis
Ardeat, incaleat pectoribusque piis.
Vtque tribus votis triplicē quasi funibus hostem
Implicet, ad pugnam dirigit hic aciem.
Sic decet & funes dissoluere, fastus
Sternere, mundanos tundere carnis acus.
Boheryas condens scelerum spineta reuellit,
Terraque fert fructus quam prius ipse colit.
Mentibus expellit tenebras, lucemque refundens
Dat Vallem claram, *luminis arma ferens.*
Lampada ne vacuam virgo ferat, auget oliua,
Monstrolium *plantans, pullulet unde olea*
Dans Præmonstratum *per deuia euntibus aptū*
Mōstrat iter, sequitur quod nouus Ordo Patrū.
Legibus instituēs NORBERTI MARTINIANOS
Vrbicolas, mores corrigit hisce malos.
Quissiacum *iaciens quatit, arcum tela retorquēt*
Dæmonis, ac animis noxia cuncta mouet.
Forcipe, Thenaliis, *sumpto carbone labella*
Mundat, & vt Cherubin casta dat eloquia.
Clarifontis *aquas facientibus exhibet, hisque*
Turbida mundanæ flumina tollit aquæ.
Buccilici *bellum vitiis quasi buccina clangit,*
Oraque diuinis laudibus apta facit.
Fessus Episcopij tandem sub pondere, honores
Deserit, ac Clerum, prospera cuncta, & opes:
Fusniacū petit, inde simul quod venerat, implet:
Sponte fit & Monachus præsul, ibique latet.
Vt liber vacet ille Deo, totusque saluti
Incumbens propriæ, gaudet amara pati.
Occidit oppressus senio, dignumque sepulchri
Marmor habet corpus, mens petit alta poli.

Sicque sua partis fruitur virtute coronis:
Cingitur & ternis frons sua laureolis.

ALIVD CIRCA TVMVLVM.

QVi iacet hîc Præsul Marianam condidit ædem
Lauduni, pariterque domos Antistitis vstas.
Templa decem instruxit; Benedicto contulit vnum:
Bernardo quatuor: Nortberto quinque piauit.

Addit & Guillelm. de Nangis histor. MS. *Bartholomæus Laudunensis Epis. anno 38. sui Episcopatus, contempto mundi schemate Fusniaci induitur habitu monachali.*

Inter Beatos accensetur in Menologio Cistertiensi ad sextum Kalend. Iulij. Auctore Chrysostomo Henriquez. De Bartholomæo agunt auctores plurimi quos referunt idem Henriquez ad id diei; & Angelus Manrique Annal. Cist. an. 1120. cap. 2. n. 1. & ann. 1142. cap. 1. n. 3.

Pag. 515. lin. 17. (*Ab Archiep. totius Franciæ & Episcopis anathemate pulsabatur.*) Expressiùs Abbas Sugerius in vita Ludouici Grossi vbi supra. *Cuius* (Thomæ) *intolerabili fatigata molestia, cùm sederet Beluaci in generali Conuentu Gallicana Ecclesia &c. Venerabilis S.R.E. Legatus Cono, Prænestinus Episcopus innumerarum pulsatus molestia querelarum &c. anathemate generali detruncans, cingulum militarem ei licet absenti decingit, ab omni honore tanquam sceleratum, infamatum, Christiani nominis inimicum omnium iudicio deponit &c.* Auctor Appendicis editæ ad Sigibertum, Thomæ funestum finem strictim ostendit. *An. 1130. Thomas de Marla in suo proprio conductu negotiatores dolo capiens, à Rege Ludouico cum exercitu impetitur; & à Radulpho Viromanduorum Comite, in vltionem Henrici fratris sui, vulneratus & captus, Lauduni moritur.*

Ibidem colum. 2 lin. 9. (*Post funestum excidij Laudunesis euentum.*) Non equidem hîc metam facinoribus posuêre Laudunenses, vltrà progressi sunt. Post aliquot annos iterum commouerunt vrbem; ac saniem vulnus recrudescens foras erupit. Testis est sæpiusculè productus Laudunensis Canonicus.

Anno 1177. homines de Laudunesio in præiudicium Episcopi Ecclesiæ Laudunensis, data Regi Ludouico æstimatione pecuniæ, communiam ordinauerunt habere, & sic perperàm cogitantes, à iugo seruitutis ceruices suas & suorum hæredum excutere arbitrati sunt. At Rogerus egregius Laudunensis Episcopus per se, per amicos, Regis præsentiam adiit, & vt Ecclesiæ suæ misereretur, Communiam seruorum suorum deflendo, modis omnibus exorauit. Rex verò, vt dicitur, sponsioni pecuniæ hærens Episcopum & suos non audiuit. Episcopus verò; vt erat magnanimus, videns se apud Regem sæpe requisitum non proficere; proprium genus suum sollicitauit, vt per eos de seruis sibi ingratis & rebellare volentibus vlcisceretur. Confluentibus vndique ad eum sui generis Principibus cum aliis amicis, necessariis, Iacobo scilicet Domino de Auennis, & Comite de Rostolio.

Pars autem aduersa non ignara, eorum aduentum cum suis adiutoribus præstolabatur armata. Venerant eis in auxilium, ex aliis Communiis plurimi, Galfrido Syluanectensi, tunc Laudunensi Præposito, procurante. Sed ex Regis præcepto homines Sancti Medardi Suessionensis ad eorum auxilium confluxerunt. Communia de Crespeio, Communia de Velli in eorum auxilium conuenerunt. Apparatis itaque hinc inde copiis armatorum, tota illa rustiana multitudo solo nomine militum, qui conuenerant, territa fugam consuluit. Cæsa fuit ibi multitudo non modica: sed eorum qui in aquis perierunt incertus numerus.

Hæc autem acta sunt secunda feria post Inuocauit me *ad molendinum sancti Martini Laudunensis, cui nomen est Conporte, quem locum fuerant deprædati. Sequenti verò æstate eiusdem anni, Rex Ludouicus vltum ire parat stragem illorum de Laudunesio, in fratrem Episcopi Reinaldum Dominum de Roseio* (Rosoy) *peruenit ad castrum Comitis de Roceio* (Roucy) *cui nomen Nisi, vbi amicis dicti domini de Roseio satisfacientibus Regi, pro eo interuenit reconciliatio: Ita tamen vt castrum suum ab eo deinceps recognosceret tenendum. Venerabilis verò Episcopus iram Regis declinans apud Galterum tunc Lingonensem Episcopum latuit in Burgundia.*

Pag. 518. lin. 6. (*Matricularios vocant.*) Qui in singulis Ecclesiis matriculæ pauperum curam agebant, & eorum stipendia dispensabant, hodie *Marguiliers*. Plura vide in Not. Clariss. ac doctissimi Bignonij ad Veteres formul. Marculphi pag. 615. 2. Et Vossium de vitiis sermonis pag. 496.

Ibidem lin. 23. (*Is contra datis vadibus bello pugillaturus impetiit.*) Nil vsitatius apud antiquos Scriptores, frequentiúsque nil in veteribus schedis (mediæ potissimùm ætatis) occurrit, quàm duello, siue singulari certamine res controuersas diluere. At quia complures argumentum istud pertractarunt, ab hoc, etsi multa præ manibus habeamus, temperare visum est; ne periti lectoris stomachum sæpè sæpius repetita ingerendo ad nauseam vsque moueamus. Legas Pithæi Glossarium ad capitularia. Sirmondum Not. ad lib. 3. Epistola 28. Goffridi Vindo. Bosquet. in libri 2. Epistolam 136. Innocent. 3. Spelmannum in Glossario, Verbis, Campus, Duellum, & Iudicium.

Vnum ex multis ſeligere placet exemplum inſignis duelli, ex membranis nempe huiuſce Cartophylacij Sancti Germani Pariſienſis: quo in Gallia monomachiæ quamdiutiſſimè vſum viguiſſe aduertere eſt. Habet ita.

IN Chriſti nomine, Ego GAVFRIDVS Dei gratia Abbas Sancti Germani Pariſienſis, & eius Monaſterij Conuentus: notum eſſe volumus vniuerſitati præſentium pariter & futurorum, quod STEPHANVS de Mathiaco cœpit quemdam hominem noſtrum INGELRANNVM de Antogniaco, quoniam ipſe iuxta publicam ſtratam foſſetum quoddam faciebat, vbi idem Stephanus & EVSTACHIVS de Biuera, conſanguineus eius, mediam partem vicariæ ſe habere clamabant. Nos autem hanc injuriam ſuper iniuſta captione hominis noſtri nobis illatam domino Regi oſtendimus Ipſe verò per ſubmonitionem in curiam regiam veniens, omnes terras, præter arpennos extra villam Antogniaci, & extra villas ad eam pertinentes, de vicaria quā clamabat eſſe aſſerebat; & ideo prædictum hominem noſtrum abſque ſuo aſſenſu ſecus viam fodientem cœperat. Dicebat inſuper, quòd pater ſuus, & ipſe poſt patrem, vadia belli ſi quinque in villa Antogniaci eueniſſent, ad voluntatem ſuam ex conſuetudine apud Mathiacum, & apud Colliacum duxerant. Ad quod probandum duos homines exhibuit.

Porrò nos hæc omnia pro Eccleſia noſtra negantes, per Landricum de Antogniaco vnum de probatoribus ſuis; ſecundum Lambertum de Mathiaco in approbatione facienda, quam promiſerat, mendoſum eſſe monſtrauimus. Igitur pluribus intercurrentibus interuallis ad diem à Domino ſtatutum venit idem Stephanus, cum ſuo pugili, in curiam Domini Regis Pariſius, vbi fratres noſtri RAINARDVS, & *Philippus* à nobis deſtinati loco noſtri, ſicut ad duellum bene muniti adfuerunt.

Proinde pertractatā cauſâ in præſentia Pariſienſium præpoſitorum GVLLELMI de *Gornaio*, RAINOLDI de *Bellomonte*, BALDVINI *Flandrenſis* locum domini Regis tenentium, cùm non poſſet inter nos, & prædictum Stephanum, pax firmari; adductus eſt in medio vterque pugil, & ad conflictationem ſtatutus; cùmque ambo diu, multùmque conflictaſſent, & ſeſe inuicem grauiſſimè afflixiſſent; tandem, Deo auxiliante, pugil noſter aduerſarium ſuum viriliter, & audacter inuadens, oculum ei eripuit, & tanto conamine eum grauauit, quòd, illo profitente ſe victum eſſe, victoria ſibi ceſſit.

Præterea eadem die dic ſupradictus Stephanus adduxerat duos homines in medium, per quorum teſtimonium probare volebat, quòd ipſe, vel ſeruientes ſui, ſine aſſenſu noſtro, & officialium noſtrorum, debebant de iure metretas de villa pyrodio ad rectum parare. Ingelbertus autem de Antogniaco vni illorum hominum, Odoni nuncupato, contradicens, teſtimonium ipſius ſuper hoc falſum eſſe ſe probaturum publicè aſſeruit; & ſic vadiis belli inter eos commiſſis, ad duellum faciendū eadem dies præfixa fuit. Cúmque victoriam primo pugili noſtro, ſicut prędictum eſt, ceſſiſſet præfati fratres noſtri Rainardus & Philippus noſtrum pugilem, ſcilicet Ingelbertum, cum obſidibus bonis in medium adducentes, obtulerunt Iudicibus eum ad probandum quod promiſerat: at ſæpedictus Stephanus præſens cum ibidem non fuit, nec pugilem ſuum, ſicut mos eſt, cum obſidibus prætaxatis, Iudicibus exhibuit. Vnde iidem Iudices fratribus noſtris Rainardo & Philippo, cum pugilibus, & obſidibus noſtris, dederunt licentiam recedendi à curia. Et cum ipſi iudices à curia exeuntes irent ad propria, prænominato Stephano obuiauerunt, quem pro defectu vtriuſque duelli captum, cum ſuis pugilibus, & obſidibus in caſtello poſuerunt.

(*Sacri laticis iudicio.*) De eiuſmodi probationibus, aquâ calidâ, ac ferro candenti, conſulendi authores modò citati; nec-non Iuretus ad Iuonis Epiſt. 73. & 168. Verum enimverò prohibuêre duella, & iudicia Stephanus PP. V. 2. quæſt. 5. Conſuluiſti. Cœleſtin. III. capite cura ſuſcepti. de purgat. vulg. Innocent. 3. cap. ex literis de exceſſibus Prælat. Honorius 3. capite Dilecti, & alibi. Pagina 518. lin. 36.

Non vulgare eſt quod protulit iudicium (inſigni miraculo conſignatum) S. Pontius Abbas S. Andreæ Andaonenſis iuxta Auenionem; ideò hîc annotandum; nempe caput 10. vitæ eiuſdem Abbatis, nondum typis euulgatæ, & ab æquali conſcriptæ, deſcribendum,

Nec prætereundum, nec ſilentio occultandum, dignum fore decernimus, quod illorum relatu, qui præſentes aderant audiuimus. Quadam namque die vir domini (Pontius) *tranſeundum Rodanum pro quibuſdam ſui magiſterij negotiis diſpoſuerat. Matutinali itaque ſacroſanctis myſteriis ſecundum ſuum morem humiliter perſolutis deſcendebat ad ripam cum pluribus ſociis, ſtatimque ante eum adueniunt terræ cultor, & cuſtos boum ſuorum, in manu tenens vomerem, altercando cum ſocio ſuo, proclamando illum latronem; ſiquidem nudius tertius idem vomer non longè ab aratro ſub terra ab eodem aratore coopertus fuerat, nemine præſente, vel vidente, niſi ſuo ſocio, qui iuxta aderat. Requiſitus*

in crastinum, non est inuentus per triduum. Qua de re alter contra alterum conquerendo, impetebat vnus alium furem vomeris proclamando. Aiebat ergo, inquiens, qui absconderat: nullo præsente, nec in proximo existente, excepto te solo, fuit terræ suppositus, propter quod te illum abstulisse dicimus. Prædictus etiam vir Domini supradictam ante se audiens querimoniam, ambobus subridens hanc indixit sententiam: Mittatur prope ripam sic vt videri possit vomer in aqua Rodani, & consignabimus eam in nomine Domini. Quod viri Dei dictum facto est celeriter adimpletum. Tunc namque vir Domini signo Sanctæ Crucis aquam sanctificans, inquit: Nudatis brachiis ille de quo plus dubitatur, prior ab aqua vomerem eleuet, & si reus furti sit, Deus iustus & verax, hoc sua bonitate reuelet. Audacter itaque sibi furti conscius ad extrahendum vomerem ex aqua manum intulit, quam velut in cacabum bullientis aquæ misisset, crematam, & sine vomere retulit. Mira itaque res nec nostris sæculis hactenus audita. Aqua enim naturaliter frigida ad demonstrandam rei pollutam furti conscientiam, furis cremando brachium, vindictæ fecit indicium. Hominibúsque ex hoc facto mirantibus, ac viri Dei sanctitati præsens miraculum ascribentibus ait ipse cum precibus: Laudemus in suis sanctis operibus Dominum, siquidem ipse facit mirabilia solus, sicut dicit propheta veridicus. Nullus vtique mortalium fecit vmquam mirabilia nisi Deus homo factus in Virgine MARIA. *Ille igitur laudetur, honoretur, & glorificetur: fecit enim nobis sua pietate cognitum, quod nostris oculis manebat absconditum. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Pag. 519. lin. 22. (*Dispensationem Filij Virginis fantasma esse fatentur &c.*) Manichæorum hoc est deliramentum. Inspiciendus B. Augustini lib. de Hæresibus cap. 46. post medium. S. Leo Sermo. 5. de ieiunio decimi mensis, sub med. Sermo. 4. de Quadragesima, ante finem, & eius Epist. 93. contra Prescilianistas, cap. 7. Prædestinatus hæresi 46. 60. & 70.

At enim in Gallia non modò postquam sopita hæresis Berengariana est, territorium Suessionense haccе pestifera Clementij (quẽ tuebatur Ioannes Comes) labe infectum est, immò in Armoricam quoque prouinciam ipsa eadem tempestate diuersas hæreses serpsisse docet Hugo Rothomagensis Archiep. Tractatu de hæresibus, qui iccircò primùm nunc luci à nobis exponitur. Reperies inter Additamenta.

Pagina 520. col. 2. lin. 11. (*Interea perreximus ad Concilium Beluacense.*) Cui præsedit Cono Legatus Paschalis 2. an. 1114. quod supra visum est. Append. ad Sigibertum. Et Nicolaus vitæ S. Godefridi lib. 3. cap. 9.

Pag. 521. lin. 54. (*Sordidissimas bracas.*) Ouid. lib. 3. Trist. eleg. 10. braccas memorat, de quarum antiquo vsu Vosius de vitiis Sermo. pag. 10. Quid verò sonent apud nostrates indigitant Molismenses Monachi apud Orderic. Vitalem, hist. lib. 8. pag. 712. *Ast omnes populi braccis vtuntur in Occiduo climate; nec eis tàm pro frigore, quàm pro dedecore norunt carere. Quibus pro causis idem mos est in nostro Ordine.* Nempe braccis femoralia intelligunt: inde braccile diminutiuum, quod subligaculum aliqui interpretantur. Adeas Menardum in Concordiam Regularum, cap. 42. pag. 894. & Haeftenum Disquisit. Monast. pag. 495.

Pagina 502. col. 2. lin. 27. (*Ad sanctæ Conuersationis habitum.*) Auctor ipsemet lib. 1. vitæ suæ cap. 8. *Suscepto* SANCTÆ CONVERSATIONIS *habitu perenniter Domino deseruiére.* Ita Magnus Gregorius Dialog. lib. 2. cap. 1. ante med. *Eique* (Benedicto) SANCTÆ CONVERSATIONIS *habitum tradidit.* Perantiquus Auctor vitæ S. Geremari cap. 3. infra inter Additamenta: *Construit congregationem Monachorum sub* SANCTA CONVERSATIONE *degentium.* Vnde olim Maiores nostri, vbi de institutione Monastica sermo haberetur, summam cum veneratione loqui solebant. Concilij in palatio Vernensi, cap. 5. ORDINEM SANCTVM. Suessionensis an. 744. cap. 3. REGVLAM SANCTAM. Mogunt. Sub Leone Papa 3. cap. 11. SANCTAM REGVLAM, appellant Patres.

Sed & Carolus Mag. Præcepto membranaceo ad Benedictum Anianæ Abbatem de donatione Cellæ nouæ &c. *Supradicta loca habere dignoscitur* (Benedictus) *denuò per nostræ authoritatis præceptum, ei & Monachis suis inibi sub* SANCTA REGVLA *consistentibus plenissima deliberatione, pro mercede animæ nostræ cedere & confirmare deberemus &c.* Pius Ludouicus Caroli filius in Confirmatione Abbatis eiusdem Monasterij, quam supra retulimus: *Magistri & Doctores* SANCTÆ *non solum* REGVLARIS VITÆ, *verum omnis spiritualis normæ &c.* Nicolaus Papa 2. Priuilegium Archimandritæ huiusce Monasterij Poncio concedit, approbans vniuersa quæ contulerant Reges, cæterique Christiani: *Licentiam, inquit, donandi pœnitentiam ad se vndecumq; humiliter concurrentibus, excommunicandique peruersos, potestatem habeat, & soluendi satisfacientes auctoritate Apostolica indulgemus &c. Et ne paruam quamlibet occasionem prædicti loci Congregatio adinueniat exequendi quæ sancta sunt & iusta, &* SANCTÆ REGVLÆ *congrua &c.* Ex tabulis eiusdem Monasterij. Instituens Neufingus Andegauensis Episcop. Monachos, (expulsis Canonicis) in Monasterio S. Albini, sic eloquitur in schedis veteribus. *Priuilegia quæ ex antiquo Canonicis eiusdem Ecclesiæ fuerant obten-*

ta, fratribus quoque nunc Deo ibidem regulariter seruientibus, nostra authoritate firmaremus: quod nos ORDINEM SANCTVM *attollere cupientes fecimus &c.*

At verò si vltra progrediamur, & anteriora secula attendamus, Cœnobiticam vitam Ecclesię Patres miris cumulasse laudibus aduertemus. S. Athanasius, referente Cedreno, numero siue cap. 91. historiæ. *Cùm duo sint vitæ genera, mediocre vnum, & humanæ vitæ accommodatum; alterum Angelicum, & Apostolicum, atque incomparabile, quod est virginitatis atque Monasticæ vitæ &c.* Et paucis interiectis: *Atque hinc Dionysius ille Apostolicus: Omnium sacrorum Ordinum supremus & celsissimus est Monachorum Ordo &c.* Qua de re Theodosius Imp. Monachos alloquens ibidem infra, cap. 130. *Beati ac felicissimi profectò vos Monachi estis &c.* In laudem S. Athanasij Orationem habuit S. Gregor. Naz. estque Oratio 21. vbi sub med. *Ad sacra illa & diuina Ægypti Monasteria se confert, in quibus homines à mundo se distrahentes, Deo viuunt magis, quàm cæteri homines, qui in corpore versantur.* Quam ob rem S. Chrysostom. homil. 70. in cap. 22. Math. *Non cœlo diuerticula Monachorum minora æstimanda sunt. Angeli nempè, imò verò ipse quoque Angelorum Dominus sæpenumerò ad eos diuertuntur.* Iterum Gregor. Naz. Orat. ad Iulianum Trib. exeq. *Dei seruos & discipulos, cœlestium rerum inspectores, generis nostri primitias, hæc columina, has fidei nostræ coronas, hos templi lapides &c.* appellat Monachos. Et Saluianus lib. 8. de Guber. post. med. *Sanctos Dei.*

Concilium Toletanum 4. sub Honorio PP. 1. cap. 50. *Clerici qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopis in Monasteriis largiri oportet ingressus.* Bonifacius Papa 4. Clericis Anglicanis, qui omni studio totísque viribus Monachos, quòd mortui essent mundo à Clericorum officiis arcere conabantur, respondens inter alia sic rescribit: *Sacerdotes igitur Monachi & Canonici, qui quotidie Dei præcepta annunciant, Angeli vocantur ratione non incongrua. Sed vnusquisque Angelicus Ordo quantò claritatem Dei viciniùs contemplatur, tantò dignitate sublimior affirmatur: nam vti Cherubim, Monachi sex alis velantur &c.* Habet hæc Iuo decret. part. 7. cap. 22. Concinit in hanc rem anonymus Poëta in notis Sirmondi ad lib. 4. Godefredi Vindo. epist. 1. in fine.

Sic Cherubin cœlo, Monachi tellure manentes.
Vnum dant vni seruitium Domino.

Denique subsequiora tempora paululum inspiciamus. In Concilio Lemouicensi an. 1034. ita eos qui consedebant affatur Præses: *Illi enim (*Monachi*) nostris legibus constringi non debent, qui vltra nos per arctam & angustam portam vitæ ingrediuntur.* Deinde post pauca. *Abbates regulares non ideò ad Synodum venire cogo huius sedis, vt arguantur, sed vt mihi de rebus Ecclesiasticis moderandis consultum præbeant; quatenus ipsi spirituales viri, in retributione coronæ mecum participentur.* Vnde S. Leo PP. 9. Monachorum S. Remigij in Concilio Remensi, *Societatem deuotè petiit* (fert vetus carta) *& accepit, suámque eis humiliter petentibus largitus est &c.* Anno 1049. quo loco monasticis votis astrictos haberet Iuo Carnot. prædicat suis litteris ad Abbatem Bonæ Vallis Bernerium: his mox finem nostris obseruationibus imponemus. S. Bernardus serm. de Verbis Domini: *Verè claustrum, fratres mei, verè Religio est Paradisus.* Petrus Blesens. epist. 13. sub finem: *Iuxtà sententiam cordis mei, si Paradisus in hac vita præsenti est, vel in Claustro est, vel in schola,* Et Pius Ioannes Gersen. lib. 3. de imitatio. Christi, cap. 56. *Verè vita boni Monachi crux est, sed dux Paradisi.*

Cæterùm eas SS. Patrum sententias sic à me expositas velim credas, non ad fastũ, non ad philautiam; siue vt aliis Ordinibus institutum Monasticum, quòd id sim amplexus, anteferri appetam; (*Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*) imò verò mens mea potissimum fuit, quæ mihi inter legendum collegeram, speculi instar iis, qui terrenis rebus despectis, Christi suaue iugum humeris vltrò imposuerunt, objicere; quatenus repetere queant animo quod Gersen vbi supra cap. 10. tanti facit: *Non enim omnibus* (exclamat) *datum est, vt omnibus abdicatis, seculo renuntient, & monasticam vitam assumant.* Necnon & quò animæ ac corporis vires collineare, & quantum virtutum, sanctitatísque fastigium spectare debeant, nihil non agnoscant. Atque illi prætereà verecundiâ percellantur, quibus cordi minimè est hocce vitæ genus; scilicet abstinentiæ, ieiuniis, vigiliis, chameuniis, silentio, solitudini, & cæteris quæ grauia ac molesta carni reuerà videntur exercitamentis operam dare, séque ad ea perficienda votis obstringere, tum verbis, tùm etiam scriptis improbant, studéntque fastidium suggerere præfatorum, perperam edocentes rerum vsum nihil prorsus remoram Christianæ perfectioni inferre, modò adsit charitas: quasi verò hæc ipsa conseruari possit, (charitas, inquam, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi) nisi corpus castigetur, redigatur in seruitutem, quemadmodum Apostolus, & quotquot Sanctitatis nomine in Ecclesia veneramur, actitauêre.

IVONIS CARNOTENSIS Episcopi, Litteræ Ad Bernerium Bonæ-vallis Monasterij Abbatem.

QVoniam dispositiones Ecclesiasticarum rerum, Episcopali curæ faciendas, Decretorum & Canonum paginæ concedunt, oportet ipsos Episcopos vigilanter attendere; vt qualiscumque disceptatio sit inter homines, vt fidelis quis inueniatur; ipsi sibi bene conscij, pio affectu & sincero intuitu disponant quæ disponenda sunt; illis præcipuè manum extendentes, qui renunciauerunt mundi actibus; & nudam crucem Christi nudi secuti sunt. Si enim, vt dicit Regula Patrum, exigente charitate, Episcopus seruus est plebis, non Dominus; multò magis oportet, vt eorum quibus mundus crucifixus est, minister sit & seruus. Quod ego Ivo *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister attendens: Notum facio cunctis Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus quòd vir Religiosus Bernerius Bone-vallensis Monasterij Abbas humilitatẽ nostrã adierit supplicans, mediante* Gausling *eiusdem loci Archidiacono, vt Ecclesiam Beati Petri in castro Dunensi sitam, quam per pecuniam de manu laïci occupauerant quidam clerici incircumcisi, Bonævallensi Monasterio concederemus: cuius petitioni, quia saluti animarum conuenire mihi visa est, assensum præbens præsente & concedente ipso laïco,* Odone *nomine, qui eã hactenus occupauerat, prætaxatam Ecclesiam Bonæ-vallensi Monasterio concessimus; eo tenore, vt Clerici præbendas suas in vita habeant, si castè vixerint, & in ipsa Ecclesia, sicut decet, Deo seruierint. Si autem prædicti Clerici criminaliter deliquerint, aut Ecclesiæ seruire noluerint, Episcopali iudicio ab Ecclesia eliminentur, & præbendæ vsibus Monachorum mancipentur.*

Adiecimus etiam vt quidquid de Casamento hactenus Carnotensis Ecclesiæ, concessione possidentium & præsidentium, per annum & diem quietè possederunt, de cætero nostra concessione quietè possideant; saluo legum tramite, & saluo in omnibus iure Carnotensis Ecclesiæ. Confirmamus etiam eis Capellam sancti Vincentii, *quæ Carnoti sita est iuxta portam cinerosam, quam dedit eis* Hugo *Vicecomes.*

FINIS.

Soli Deo honor & gloria.

ADDITAMENTA
AD VENERABILIS
GVIBERTI ABBATIS
OPERA
ILLVSTRANDA.

VITA S. GEREMARI ABBATIS ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

Auctore quidem anonymo, sed perantiquo.

CAPVT PRIMVM.

TEmpore DAGOBERTI Regis Francorum, cùm fideles Christi, odium pro veritate incurrerent; & per Galliam à membris diaboli pro nomine Christi multa sustinerent; beatus GEREMARVS ad proterendam rabiem perfidorum, & & ad corroborandam fidem Christianorum, villa Giuiarandrâ, quæ sita est in confinio Belluacensium super fluuium Ittam, annuente Dei clementiâ ortus est. Genitor eius nomine RIGOBERTVS; & genitrix illius nomine AGA, ex gente Francorum nobili orta. Ortus denique illustribus parentibus sacro fonte baptizatur, & sacrâ fide consignatur: sacris etenim mysteriis imbuendus traditur. Hunc siquidem genitores, velut vnicum filium tenerè diligentes, tradiderunt scholis erudiendum, atque instruendum doctrinâ Christi.

Nobili ortus prosapia.

Post quorum mortem, beatus GEREMARVS magis ac magis in Christi amore exardescens, non cessabat substantiam suam erogare pauperibus: sciebat enim quia quod pauperibus dabat, ipsi Domino IESV Christo tribuebat; sicut idem Dominus dicit in Euangelio: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Præparabat sibi de transitoriis æterna, & de caducis præmia sine fine mansura. His, & aliis multis exemplis corroboratus, captiuis, orphanis, viduis, pauperibus incessanter substantiam suam impendebat. Sed cùm iam Domino placuisset meritum reuelare multis beati GEREMARI: quoniam sicut ipse dicit in Euangelio; *Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit; neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Cœperunt plures Francorum A ad eum concurrere, fruíque eius sanctissimâ allocutione; quos pane cœlestis verbi quotidie pascens, admonebat eos, vt fidem, charitatem, dilectionem Dei, & dilectionem proximi inuiolabiliter retinerent; & multa alia cœlestia arma, quibus conscendere possent cœlum; & debellare humani generis inimicum.

Pius in Pauperes.

Mat. 25. 40.

Luca 11. 33.

Fama eius sanctitatis.

Hæc ita eo agente; audiuit famam sanctitatis eius atque prudentiæ Rex DAGOBERTVS; mitténsque nuncios accersiuit eum in palatium suum: & videns eum elegantem & doctum in verbis, & sapientem in consiliis, præfecit eum consiliis suis: cuius consilio quandiu acquieuit, tandiu strenuè Francocorum regnum obtinuit. B

Geremarũ accersit Rex Dagobertus.

CAPVT II.

IGitur non multis annis iuuentutis suæ in Regis DAGOBERTI palatio expletis, tractare secum cœpit, quem sibi in hæreditate suâ sociare potuisset. Hoc autem eo cogitante, cum consensu Regis cæterorúmque Francorum sociauit sibi puellam in coniugio nomine Domanam. Hoc idcircò maximè fecit, vt inde procrearet aliquem futurum hæredem, ne post mortem eius grauia scandala orirentur inter parentes suos ex hæreditate suâ: habebat namque quamplurima prædia; erántque ei parentes plurimi in palatio Regis DAGOBERTI. Acceptâ verò vxore suâ, compleuit circa eum Dominus misericordiam suam; generauit ex eâ duas filias; quarum prior dum ad maturam ætatem perueniret, sponso destinatur; sed virgo permãsit morte interueniente carnis. Iunior tradita monasticis disciplinis in virginitate C

Quare matrimonio copulatur.

Duas filias, quæ virgines permãserunt, procreauit.

permansit: sic in virginitate corporis ambæ permanentes meruerunt cōputari inter prudentes virgines: sepeliuit autem eas B. GEREMARVS in Ecclesiâ B. REMIGII in prædicto vico, vbi multa largitus est de propriis rebus.

Expletis autem multis diebus dedit eis filium: super quem gaudens & exultans beatus GEREMARVS, transmisit eum beato AVDOENO, qui tunc illis diebus in palatio Regis morabatur, cuius consilio cuncta agebat; & nihil extra præceptum ipsius faciebat; erátque ei familiarissimus amicus; & in omnibus secretis suis sibi conscius: narrauitque ei omnia quæ acciderant, & quod filius illi successerat: qui audiens hæc omnia gauisus est; & suscipiens puerum catechisauit eum; præparatóque fonte baptismatis, baptizauit eum in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, vocans eum nomine AMALBERTVM: & sic mysteriis quæ sacræ fidei conueniunt initiatum, remisit eum ad beatum GEREMARVM; qui crescens & quotidie proficiens, factus est honorabilis inter Francorum Principes.

B. Audoeno perquā familiaris.

Amalbertus S. Geremari filius.

CAPVT III.

BEatus autem GEREMARVS Spiritu Dei plenus, omnia quæ in mundo sunt pro nihilo pendens, & cælibem vitam desiderās, Cœnobiis Monachorum plurima de substantiâ suâ tribuebat. Per consilium verò beati AVDOINI de propriâ facultate fundauit Monasterium, quod dicitur *Insula*; construxítque ibi omnia ædificia sanctæ Regulæ conuenientia. Ecclesias ibidem construxit in honore Apostolorum Petri & Pauli: multorúmque Sanctorum Reliquias ibi posuit; constituitque ibi congregationem Monachorum sub sanctâ cōuersatione degentium; præfecit ei ARCHARIVM Abbatem, magni meriti virum, cuius doctrinâ & sapientiâ quotidie grex Christi ad superna tenderet. Ipse verò ARCHARIVS vsque in finem vitæ suæ gregem sibi commissum gubernauit decenter & strenuè.

Consilio B. Audoeni construit Monasterium. Sancta Regula. Sancta cōuersatio. Archarius Proto-Abbas.

Cùm autem placuisset Domino vt vita beati GEREMARI esset exemplum aliorum, misit ei in cor vt cuncta derelinqueret; solíque se Domino ad seruiendum traderet. Postquam ei talis voluntas cecidit in mentem; antequam vlli mortalium hoc confiteretur, adiens Regem petiit ab eo, vt coram cunctis Principibus Francorum, filio suo AMALBERTO cuncta quæ sui iuris erant traderet: eíque cunctis præsentibus Francis indiferenter donaret: quod Rex audiens valdè mirari cœpit. Tandem petitioni eius libèter annuens, non solùm quod rogabat iuueni tribuit, sed insuper etiam multa ei auxit.

Hæredem filium constituit B. Geremarus.

Acquisitis verò omnibus suæ potestatis A filio suo, adiit ad Sanctum AVDOENVM, qui tunc in ipso palatio erat, vt omnia cordis sui aperiret secreta. Et vocans eum ad secretum his verbis adorsus est, Quæso, Pater Sancte, vt mihi viam Dei non renuas demonstrare, per quam possim ad gaudia æterna peruenire, & huius mundi naufragium euitare: video enim quia cuncta pertranseunt, & regrediuntur ad nihilum. Hæc audiens beatus Audoenus lætatus est valde: & trahens suspiria cordis, his verbis respondit ei: Viam Dei quam à me, Frater requiris, Euangelicis tibi de- B monstratur verbis: ait enim Dominus Petro quærenti de retributione & de futuro præmio: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Audiensque hæc beatus GEREMARVS sancto AVDOENO respondit: Scio Pater sancte quia omnia vera sunt quæ audio ex ore tuo; derelinquam omnia mundi transitoria, vana, caduca: quæ cùm magis videntur stare, transeunt, & miseros ducunt ad interitum: & vt verbis Domini vtar: *Quid prodest* C *homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Completis his inter se sanctis allocutionibus, rediens domum beatus GEREMARVS instruxit filium suum atque familiam suam de fide, de spe, de charitate, cæterísque aliis virtutibus ad curam animarum pertinentibus.

Ipsius cum S. Audoeno colloquium.

Math. 19. 29.

Math. 16. 26.

CAPVT IV.

EOdem tempore DAGOBERTO mortuo; anno vndecimo regnante CLODOVEO Rege, correctus est beatus GEREMARVS in D viam salutis æternæ. Videns ergo quoniam nihil in mundo perpetuæ mercedis animæ suæ acquirebat; sed magis detrimentum perpetuum illi præparabat (adhortante eum beato Audoeno) adiit Regem Clodoueum: petiítque ab eo vt filio suo quod pater eius concessit, concederet, & capitis comam ei deponere liceret: séque Deo in Monasterium ad seruiendum traderet. Per iussionem autem Regis, licet abnegantibus Francis tonsurauit eum beatus Audoenus: dedítque ei monachilem habitum, & instruens illum E cælestibus disciplinis, misit eum in Monasterium *Pentalli* vocabulo denominatum: vt ibi fuisset in obedientiâ Abbas & Pastor ouium Christi, & illuminator animarum. Beatus autem GEREMARVS reuoluens illud psalmographi: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Et * tritum *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* In Domino Deo totam spem suam ponens non distulit obedire præcepto sancti.

Obiit Dagobertus; successit Clodoueus.

S. Geremarus seculo nuntium remisit.

Pentalli Monasterium.

Psal. 123. 8.

Psal. 26. 1. f. iterum.

Cum

Cum magno ergo gemitu & lachrymis & suspiriis cordis suscepit regendum Monasterium.

Derelictâ autem vxore & filio suo, & omnibus huius mundi curis secundum Euangelicum præceptum secutus est Christi Iesu vestigia; & abiit in Monasterium quod supra nominauimus Peutallium in pago Rothomagensi super fluuium *Lirizinum*. Cuius vita qualis, & quàm sancta ibi cunctis refulsit testantu sanitates, & plurimæ incolis factæ virtutes. Diebus ac noctibus in oratione se macerabat; in vigiliis & ieiuniis; & in omnibus contemplatiuæ vitæ congruentibus. Ieiunabat quotidie; totam diem ducens in hymnis & laudibus Dei, in vesperum reficiebatur. Cibus illi panis paximaticus cum oleribus paruulis; & potus aqua salsissima, vt saturitas ventris non afflueret. Mortuus erat mundo, & viuus Christo. Omnibus autem ad se confluentibus non cessabat demonstrare viam salutis: præmonebat vnumquemque vt in lege Dei meditaretur.

Fluuius Lirizinus.

Pia Geremari exercitia.

Erat autem in eodem Monasterio multitudo maxima Monachorum, cui ad regendum Pater GEREMARVS constitutus erat. In hâc verò Congregatione multi amantes bonum, & timentes Dominum, libenter audiebāt eum, & recipiebant correptionem ipsius. Sed quoniam semper vita bonorum odiosa est malis; fuerunt ibi nonnulli malitiosi vel impij, quorum pars erat cum Belial; qui nolentes recipere prædicationem eius, cœperunt tractare de morte ipsius oportunū locū quærentes; vt per quamdam damnationem eum interficerent. Erat autem illi consuetudo in primo Galli cantu ad laudem Dei surgere, & vsque ad crepusculum lucis in Dei laudibus noctem peruigilem ducere; completo autem officio suo reuertens in dormitorium in strato suo collocare se consueuerat; hoc noscentes inuidiosi atque proterui, consiliū inter se acceperunt, vt cultellum sub lectisternio ponerent, vt sanctus vir rediens ab Ecclesiâ super cultellum se cum impetu corporis iniiceret, & sic semetipsum interficeret: quod & fecerunt. Manubrium cultelli solo fixerunt: acumen ferri nudum in aëris spatiū erexerunt: O infandum nefas, in omni tempore cunctis horrendum! More solito reuertens B. GEREMARVS ab Ecclesia ad lectū, Spiritu S. eum hortante, fecit hoc quod solitus non erat facere: non enim in cōsuetudinē habebat lectum tangere, sed cū toto corpore se in mediū lecti iniiciebat. Tetigit manu lectū, & circumducēs manū, inuenit quod erat absconditū. Statim vt sensit fraudē esse paratam, relicto lectulo reuersus est in tēplū amicus; quod supererat noctis, lacrymas fundēs, in hymnis & laudibus Dei duxit, & mane primo rem quę ei contigerat nemini indicauit.

Maximam Monachorum multitudinem regebat.

Ex iis pessimi nōnulli Geremaro perniciem m[illegible] tur.

Insidias cōperit Geremarus.

Tertiâ verò horâ diei post lectionis disputationem, in Capitulo ante pedes omium prostratus rogabat vt à pastorali curâ illum absoluerent; & meliorem quemcumque patrē super se eligerent. Erat autem quædam crypta in vasto solitudinis super fluuium Sequanam, vnde S. SANSON serpentem eiecit, hanc petebat vt ad habitandū concederent. Quātus clamor! quantus dolor erat ibi omnium timentium Dominum; & super Patrem GEREMARVM lamentantium, & dicentium; Cur nos, Pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis? quid egimus? quid in te cōmisimus? quomodo fuimus tibi contrarij. Ipse autem respondit eis: nemo vestrum extitit mihi vnquā contrarius in aliquo; nemo alienus; nemo malus, nemo durus; omnes mihi vt patres, vt fratres, vt veritatis amatores (nolebat enim prodere in publicum, quod inuenit in lecto absconditum, ne locus ipse verteretur in exemplum malorū.) Iterum atque iterum prostratus ante pedes omnium, rogabat vt à pastorali sede absoluerent eum; illi autem nolebant: sed magis petebant, vt eos non desereret. Tādem victi petitionibus cryptam quam petebat ei concesserunt. Relinquens autem Monasterium B. AVDOENO abiit ad prædictum locum. Ibi se in orationibus die ac nocte dedit, faciens plurimam abstinentiam, maiorē quàm facere consueuerat. Tantam ei gratiā Dominus veluti electo famulo suo contulit, vt cuncta mundi mente transcenderet, & sæpius cœlestibus secretis interesset.

Disputatio nis lectio.

Abdicat munus pastorale, ac secessit in desertum locum.

CAPVT V.

Beatus autem AVDOENVS audiens famam sanctitatis eius, & sciens meritum eius in gradum Presbyterij eum ordinauit; cuius voluntati multùm resistere voluit: sed Spiritu Sancto eum compellente præceptis Sancti Præsulis obediuit. Factúsque Sacerdos, Domino placere studuit. Offerebat enim sacrificium illi per singulos dies cum lachrymis & contritione cordis. Ibi in exemplum omnium positus annis quinque, & mensibus tribus in omnibus mandatis extitit sincerus & deuotus.

Sacerdotio initiatur.

Quotidie Missam celebrat.

Dum autem illuc moraretur, nuncius ei venit de Filio suo AMALBERTO, quem in palatio reliquerat. Rediens enim de Vvasconiâ cum Rege, graui infirmitate percussus ægrotare cœpit; vnde morbo ingrauescente euadere non potuit; sed surripiente mortis articulo vitam corporis amisit: erat enim adhuc virgo, & ignarus mundanæ corruptionis. Et quoniam carus erat Regi & Francis, delatus est vsque ad locum propriæ

Defungitur filius Amalbertus.

hæreditatis. Cùm autem hoc ei nunciatum fuisset, assumens patientiam Beati Iob, dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Exiens autem de cryptâ illa, & omnes clerici simul cum illo, in hymnis Dauid laudem Deo dicebat: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Pergens autem cum magno psallentium choro, peruenit in pagum Vilcassinum: quem pertransiens intrauit Beluacensem pagum, vbi iacebat filij corpus defunctum: veniens illuc vbi iacebat, nihil de morte ipsius est motus: sed laudabat Dominum Deum, quod dignatus sit suscipere in virginitate vnicum filium suum. Eleuantes eum in feretrum, deferunt in Monasterum quod Beatus GEREMARVS construxerat in honore Petri & Pauli Apostolorum. Sequebatur multitudo populi flens atque lugens super eum. Veniens autem ad locum qui Baujacus-pons dicitur, paululum solo substiterunt. Non illud silere debeo quod Dominus operari dignatus est. Ibi circa corpus defuncti, ob meritum Beati GEREMARI (quatenus omnes agnoscerent magni meriti esse eum, & ipsius filium) in eodem loco sic aggrauatum est corpus Beati AMALBERTI, vt ab his, qui eum portabant, non potuisset moueri: sed nec sic moueri potuit. Fit clamor omnium virorum atque mulierum: tantus autem stupor inuasit omnes retro & ante incedentes vt vix ambulare valerent.

Iob. 1. 21.

Psal. 15. 5.

Corpus defertur in monasteriũ S. Geremari.

Diuinitùs impeditur.

Tunc Beatus GEREMARVS sentiens hoc esse voluntatem Dei iussit corpus deponi: quo deposito, prostratus solo genibus orationem ad Dominum fudit, & coram cunctis diutissimè orauit. Completâ oratione, illis qui corpus videbant dixit: auferte pallium ab eo quo coopertus est, vt videamus quid contigerit, cúmque tulissent gladium, & diligentius aspexissent, inuenerunt faciem eius sanguine madidam, ac si illo die bello interfectus fuisset: fluebat enim sanguis per nares, irrigans totam faciem eius. Valde stupendum est, atque mirandum, & in memoriâ deuotis laudibus reseruandum: iam multum fluxerat temporis quo vitâ decesserat reuens à Vasconiâ cum Rege & Francis: quid hoc facto manifestius potuit hoc adimplere illius virtus, Beati Geremari meritis & virtutibus, cuius potentiâ resuscitatur quatriduanus Lazarus? Demonstratur hoc iudicio Beatum AMALBERTVM meritis sancti GEREMARI viuere cum Christo.

£ pallium.

Tunc Beatus GEREMARVS in eodem loco Ecclesiã fieri præcepit, in honore S. Ioannis. Duodecim Monachos ibi constituit, quorum vita salus esset sibi, & animæ filij. Vt ergo sine indigentia viuerent, & Domino sine murmuratione seruirent, reliquit eis multas villas: scilicet propria prædia, per cartarum monimenta: his ita promissis, statim inuentum est corpus tantæ leuitatis, vt ab vno homine potuisset portari. Mouentes inde peruenerunt ad prædictum Monasterium, quod Beatus Geremarus adhuc in sæculo positus construxerat, vbi honorificè sepelierunt eũ. Tunc Beatus Geremarus hæreditatem suam recepit, & Dominum Iesum Christum ex ea hæredem fecit: festinabat enim peruenire ad cœlestem patriam, & contingere immortalitatis stolam: desiderabat hæredem habere eum à quo, & in quo, & per quem est summũ bonum, vltra quod nihil est appetendum.

Construit & aliud monasteriũ

CAPVT VI.

POstquam autem omnia hæc sunt diuinitus completa, in semetipsum reuersus cogitare cœpit, quomodo astutia antiqui serpentis per mille artes nocendi nititur subuertere corda seruorum Dei, ad interitũ & damnationẽ perpetuæ mortis. Quibusdam enim virtute orationum perfectis: quibusdam ieiuniis deditis: aliis solitariæ vitæ laude diffamatis, multoties quamdam facem iactantiæ ingerit, & cum Virginibus stultis lampades eorum vacuas reddit. Ij tales veniente sponso non intrabunt cum eo ad nuptias. Hoc prouidens Beatus GEREMARVS, ne cor eius laus solitariç vitæ attingeret, cœpit familiarissimè suos alloqui: O fratres, multos pro Christi nomine passi labores, indesinenter ad viam summi & incomprehensibilis boni currite: & in opere Dei quod cœpistis permanete: vtendum nobis est hoc cõsilio: properemus ad S. AVDOENVM, petamúsque ab eo vt sua oratione demonstretur nobis ad habitandum locus, vbi vsque ad finem vitæ in bonis operibus perseueremus.

Placuit omnibus consilium Beati GEREMARI: pergénsque ad S. Audoenum, sic eum allocutus est: Deprecor te, Sancte Pater, vt orationem ad Dominum pro me facias; mihique locum ad habitandum tuis precibus demonstres: confido enim quòd Deus te exaudiet; & quod rogaueris, impetrabis. Audiens hæc Beatus AVDOENVS respondit ei: noli, noli, Frater ista referre, quis ego sum vt hæc agam? non meis meritis, sed tuâ fide hoc adimplebitur: si fidem habueris, quicquid petieris, consequeris: fide Abraham amicus Dei factus est; fide Petrus saluatus est. Expectemus misericordiam Dei triduo cum ieiuniis, & orationibus, si fortè respiciet humilitatem nostram. His inter se familiarissimè dictis; in-

dictum est triduo ieiunium cunctis: tertiâ autem nocte ieiuniis & orationibus positis, apparuit per visum vtrisque Angelus Domini, dicens eis: exaudiuit Dominus preces vestras: ite ad locum qui *Flauiacus* nuncupatur, & ibi inuenietis desiderium vestrum.

S. Geremarus pergit Flauiacum.

Mane autem facto, retulit vterque quod viderat: & gratias agentes Domino, tendunt ad locum prædictum ab Angelo. Cùm autem non longè essent à vico, nutu Dei & voluntate deuiati sunt à recto tramite: & gyrantes vastæ solitudinis desertum, peruenerunt ad destinatum locum; vbi cùm peruenissent, & multùm dubitarent, nescientes quid agerent; ecce nebula descendit de cœlo; & circumdedit totum locum, vbi construendum erat Monasterium: & cum nebulâ superna vox dicens; Electi Dei, ecce locus iste metuendus est; quadraginta anni voluti sunt, ex quibus Dominus hunc locum benedixit & sanctificauit, & fideli suo GEREMARO destinauit: erit enim habitabilis Monachorum multitudini, quamdiu perstiterit in præceptis Domini. Mulieribus verò nullus patebit ad eum vnquam acccessus.

Audientes autem ambo viri sancti valde lætati sunt. Cúmque obtutus suos in aspectum nebulæ defigerent, statim ab aspectibus eorum subtracta est. Ex eadem autem nebulâ, in circuitu loci, quasi quædam virga geometricalis totum locum circumdans remansit: vt daretur intelligi verum esse quod superna vox cecinit. Tunc circumeuntes locum repererunt signum cœlestis roris impressum. Beatus autem AVDOENVS certus de Angelica visione & supernâ voce, accipiens virgam in manu, per vestigia nebulæ mensus est plateam in circuitu, vbi Ecclesia ædificaretur, vbi officinæ construerentur, & cætera Monachorum vitæ vtilia: consignatóque loco B. GEREMARO, ita discessit ab eo.

Ædificat Monasteriũ in loco sibi diuinitus ostenso.

Tunc Beatus Geremarus vnà cum omnibus sibi commissis, ad ædificandum locum aduenit. Ædificauit ibi Ecclesiam in honore Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Sanctæque MARIÆ Virginis, & S. Ioannis, Sanctique Petri Apostolorum Principis; & ibi totam hæreditatem suam tradidit. Construxit ibi omnia necessaria monasticæ vitæ congrua: vel artes diuersas, quas intra Monasterium exerceri vtile est, vt non esset Monachis necessitas vagandi foras: *Quia* (sicut Beatus Benedictus dicit) *omnino animabus eorum non expedit.* Audientes autem circumquaque Monachi confluebant ad eum, quasi ad hortum omnium virtutum; quos ille verbi Dei gratiâ reficiens admonebat, vt in proposito suo perseuerarent; & à voluptatibus mundi alienos se facerent.

Regula cap. 66.

Confluunt ad eum vndique Monachi.

Consummato autem omni opere suo, fixit se in oratione, atque permansit in Dei opere annis tribus, & mensibus sex, & sic in Domino emisit spiritum, transiuítque ad gaudia Angelorum. Sepultum est corpus eius in eâdem Ecclesiâ cum magno honore & reuerentiâ, vbi per meritum eius multa beneficia præstantur. Ad sepulchrum eius ægri veniunt & sanantur; cæci illuminantur; claudi gressibus reformantur; surdis auditus reparatur; dæmones ab obsessis corporibus effugantur; & multi à variis languoribus sanantur, præstante Domino nostro IESV CHRISTO, cui est honor & gloria, laus & potestas per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Feliciter animam exhalauit in Flauiac. Cœnobio.

Explicit vita S. Geremari Abbatis.

PROLOGVS IN VITAM B. SIMONIS COMITIS CRESPEÏENSIS: ET MONACHI ORDINIS S. BENEDICITI.

QVoniam quorumdam virorum Dei obsecratio & necessitas instat, vt de Beati viri SIMONIS actibus, ad vtilitatem audientium, aliquid loquamur; gesta illius singula colligentes, & certa agnoscentes, verbis explicare curauimus, & scriptis, & verbis assignare. Dignum quippe est, quod opere gessit, litteris ostentari, cuius vita nulli hominum tempore isto potuit comparari. Meritò Dominus, vt scriptum est, mirabilis prædicatur in sanctis. Spiritus enim ipsius vbi vult spirat; quos peruersos reperit, à peruersitate diuertens, opere simplices, animo innocentes, eloquio dulces, simúlque sanctæ Dei Ecclesiæ socios reddit, pariter & adiutores. Sed in quo magis quàm in SIMONE Dominus mirabilis denunciatur? lupum namque vidit, & Agnum mansuetissimum reddidit; Raptorem, & Ouem innocentiæ destinauit. Et quia in SIMONE denunciatur mirabilis, mirabilia eius quæ in SIMONE monstrare dignatus est, necessè est silentio non reprimenda.

Nota Auctoris tẽpus

Psal. 67. 36.

Ioan. 3. 8.

Augustin. Serm. 14. de Sãctis.

VITA SIMONIS B. COMITIS Auctore Synchrono.

Cuius Festum est II. Kalendas Octobris.

CAPVT PRIMVM.

FVit igitur vir quidam SIMON nomine, vitâ mirabilis, moribus egregius, &

genere insignis. Consul primùm, & Regis Francorum Primipilus; deinde Monachus probatissimus effectus est. Pater eius RODOLPHVS diuitiis & viribus potentissimus; mater ADELA vocabatur. Qualiter ergò propositum fidei ad profectum produxit actionis, narrationis ordo enucleatus exhibebit.

Parentes.

Is itaque cùm iam in primæuo iuuentutis flore, arte militari multos excelleret, & in his quæ mundi sunt penè totus inhiaret, fortè die quadam in agro ad spatiandum progressus, manu tenens accipitrem, vt auem capiendo deciperet, impegit. At ipse nihil accipiens deceptus est. Quod factum, vt ipsemet referebat, talis & tam peruersa cogitatio subsequuta est, vt omne quod bonum est, proponeret non diligere, malum verò nullo modo odisse: sicut de Beato BENEDICTO scriptum reperitur, quia aue recedente, suggestionis immundæ dente acerrimè mordetur. Sed Sancti Spiritus gratiâ tàm subitò peruersitas illa disparuit, & diabolicum illud, vt quod priùs diligebat, omninò displiceret, ibique sanctæ Conuersationis initium sumēs bonum iugiter in voluntate habuit, licet sæcularibus immixtus opere implere nequiret.

S. Gregor. Dialog. lib. 2. c. 2.

Parente verò vtroque orbatum, Rex Francorum PHILIPPVS malignitatis spiritu permotus, quæ iure successerat huius hæreditatem surripere gestiens, vtpote iuuenem solum sine consilio, absque parentum adiutorio, leuiter expugnare existimans, primùm insidiis molitur appetere; dein in apperto belli commouet tempestatem. Cœpit namque ipse Rex, igne, prædâ, gladio, villas destruere, prædia, municipia, & quæ eius videbantur, provt poterat, omninò dissipare: Is verò intrepidè confisus in Domino, erigens se contra se, ad hoc enim vt malum ageret inuitus trahebatur, præcingit se, & præparat fortiter resistere. Concitat namque gentem suam, & velut frendens leo, licet corde dolens, perturbat & deuastat quod in Regis reperit potestate, & donec proprium possideat, asserit nullo modo retroire. Ecquis bonitatis Domini plenitudinem non admiretur in illo? ecce inter tot flagella positus, bellorum negotiis impeditus, tamen patri condolens iam defuncto (quippe quem dum adhuc viueret, nimis sæcularibus intentum, mundi cupiditatibus nouerat grauiter irretitum, Castellum quoddam, quo sibi sepulturæ locum præparauerat, eius possessori vi subripuisse, & velut proprium detinuisse meminerat,) Romanum Pōtificem quid super hoc acturus esset, & quomodo patri sic defuncto subuenire potuisset, per nuncium contulit.

Mortuis parentibus Rex facessit negotium.

Nonnulla patr. vi sustulerat.

CAPVT II.

PApa vero GREGORIVS, qui ILDEBRANNVS dictus est, ab eo quem iniustè abstulerat loco penitùs tollendum, & pro anima Missarum solemnia, eleemosynarumque largitatem, Deo suppliciter offerenda, piè mandare curauit. SIMON verò benignè mandatum suscipiens, in omnibus quæ sibi proposuerat, obtemperauit; corpus scilicet remouens; & Ecclesiam, quæ Beati Arnulphi dicitur, apud Crispiniacum Castrum; vbi translatum est, de facultate propria largissimè dotauit: viduis, orphanis, & omnibus indigentibus victus necessaria amplissimè erogauit. Hæc fides vera, & hæc est dilectio firmissima; in qua non carnalis, sed vita perpetua cogitatur, non caro moritur, sed in æternum victura anima proponitur. Erat vir Dei hoc in facto perterritus timore si mundum antea contemptibilem, tunc horribilem iudicauit; & si in aliquo dilexerat quasi anguem venenosum fugiendum perdocuit, & licet mundiali certamine, & belli negotiis detineretur, extrinsecus militiæ Domini interueniens arma Dominica gestabat intrinsecus. Nam cùm ferè triennio labore militari implicitus, caro illius requiem non haberet, nocte tamen armorum fatigatione minimè detentus, solo tantum comite contentus Ecclesiarum limina subiens, matutinis semper interesse gaudebat. Si Monachum, Clericum, seu peregrinum quempiam religione famosum, alicubi reperisset, vitæ corporaliter necessaria præbens, se eius orationibus commendabat. Iejunij verò & eleemosynarum largitate pollebat, carnem namque, conditos cibos, pigmenta, & cætera huiusmodi quæ apponebantur in mensa, aliis hunc saturari credentibus esuriens, quibus nunquam caruit pauperibus erogabat: vestium quoque varietate desuper indutus, cilicio corpus aspero macerabat.

Quid de patris sepultura, & animæ requie egerit Simon.

Quàm piè in sæculo vixit.

Quàm austerè.

CAPVT III.

INterea dum regio Regis & ipsius vallatione consumitur, homines à propriis sedibus effugantur, timorem de malefactis amplectitur. Mox belli certamina ad tempus differens, Sanctorum Apostolorum Petri videlicet & Pauli habitacula visere, & Dominum Papam GREGORIVM, vt sibi pœnitentiam indiceret, adire proponit. Nec mora, paratis omnibus quæ Viatori necessaria sunt, Romam ducente Domino peruenit, illicque sanctæ sedis Apostolicæ Præsulem reperiens, quid quæreret indicauit: At ille petitioni eius non statim acquieuit, nisi priùs arma deponeret, inquiens; INANIS FORET ABSOLVTIO RENITENTIS.

Romam petit.

Quid inibi peregerit.

Tunc vir Domini SIMON aliquantulùm in dubio subsistens, memor tamen Euangelici præcepti: *Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: se facturum quidquid præciperet, illicò promisit. Præceptâ igitur Præsul armorum redditione pœnitentiam indicit, & indictæ partem super se detinuit, duobusque religiosissimis viris, qui tunc præsentes aderant, partem distribuit, & sic absolutum reatibus ad propria remittens, his quibus spoliauerat arma reinduit; terrámque gubernandam donec cum Rege pacem reformaret, iterum commendauit; adhibens etiam boni testimonij, & summæ authoritatis custodiam HVGONEM scilicet Diensem Episcopum, qui tunc in Galliis legationis functus est officio, Abbatemque Cluniacensium; quorum doctrinæ & obeditioni subiectus lege diuina redderetur instructus.

Luc. 14. 33.

Instruitur ab Hugone Diensi, & Hugone Cluniac.

Reuertens igitur sancta iocunditate repletus, rursus Regem aggrediens, certamen vt miles optimus amplexatur, & donec victor existeret, licet inuitus à belli negotio minimè relaxatur. Ad vltimum verò regione depopulata, & * vtriusque laboris graui pondere depressus, consilium de pace concipitur, colloquiumque ab vtroque mandatur. Quid plura? fit Conuentus Nobilium; Iudicium fitá sapientibus, quæ Iure contigerat hæreditas SIMONI iudicatur, & redditur; pax & concordia confirmantur.

al. * & victus, laborisque.

Pax inter Regem & Simonem.

CAPVT IV.

PAce igitur restituta, & quæ belli longitudine inordinata videbantur, rebus omnibus collocatis, vxor ei eleganti forma, facie pulcherrima, genere nobilis, quæ nulli in tota regione Aruernica, secunda videretur, eligitur. Ipse verò quasi talibus adgaudens, vt bonum quod in se latebat penitùs operiret, se eo iturum denunciat, statímque iter arripiens profectus est. Quò, Deo disponente, perueniens à sponsæ genitore, HILDEBERTO videlicet Consule, honorificè suscipitur, ibíque aliquamdiu commoratur: post verba tali facto congrua, datâ fide & acceptâ, se eam accepturum, nî secus ageretur, affirmat: & sic Nuptiarum die constituto, cum gaudio reuersus est in propria.

Matrimonium contrahit.

Ecce statutus dies appropinquat, Magnatum multitudo mandatur, ornatus diuersitas appetitur. Et ex ordine dispositis omnibus, regionem repetens Aruernicam, vt decebat, ad fœdera promissa reuertitur. Mox illis appropinquantibus, clamor turbæ vociferantis excipitur, sponsa venienti SIMONI oscula porrigens amplexatur. Quis auditu A non obstupescat? quis tali dulcedine commotus non lugeat? Oscula dabantur sanctitate condita, amplexus implicabantur luxuriâ semotâ, aliísque credentibus eorum dicta lasciuâ iocunditate repleta, vir Domini prædicationis verbum & dulcia vitæ colloquia, vt ambo sæculo renunciarent, cordi illius inserebat. Nec mora ipsius monitis acquiescens, Religionis habitum accipere, & Sanctimonialem fieri deuouit.

Nocte igitur subsequenti vir Beatus, patre, cæterisque ignorantibus, iunctis * illi B conuersione & generis propinquitate Collegis duobus, Monasterio, quod Casa-Dei nuncupatur, transmittens, illic habitare disposuit. Ibi illicò mutata veste sæculari, tres pariter sumunt habitum Monasticæ professionis; quorum alter religiositate pollens, posteà Bituricæ Ciuitatis ordinatur Episcopus; alter in humilitate subsistens diu in Monasterio perstitit, dans operam Religioni. Domna verò Deo deuota sanctissimè degens multis post annis superfuit.

*Sponsæ. Ipsa nuptiarū nocte monitis Simonis sponsa aufugit, inscio patre, & habitum monast. sumpsit.

Ad hæc pater somno excitus, credens filiam amore meretricio detentam, lenonum quempiam prosecutam, se delusum C æstimabat: Tunc tristis & eiulans, SIMONEM accersiens, quasi commissi reus huius alloquitur: *O dulcissime Iuuenis, quid agam, quid faciam funditùs ignoro? te prodidi, tibi fidei meæ commisso, longóque terrarum spatio nobis accito, insidias intuli. De pretio fraudatus sum quod promisi; promissum namque sublatum est, sed nesciui. Parce igitur, parce nescio delinquenti.* At ille corde lætitiam restituens, dolorem extrinsecus, quasi consolans aiebat: *Noli Domine mi, noli tristari, quem potiùs dilexerit, diligentius exequitur; & si tibi charior factus* D *sum, vilis forsitan illi.* Iis dictis, acceptâ ab eo licentiâ, festinus in Galliam repedauit.

Quid filia eius egerat, quemadmodum Sanctimonialem deuouerat, HILDEBERTO per nuncium mandare curauit. O virum per omnia laude dignum! cuius meliùs similem, quàm sancto ALEXIO dixerimus: namque cum sponsa sua, cùm iam thalamum subintrasset ambo pariter quieturi, quemadmodum & SIMONI, verbum prædicationis intulit, luxuriam declinandam, conseruare E præmonens Castitatem: illa verò dictis obtemperans admonentis, se Virginem deuouens, carnis munditiam Domino consecrauit.

Aperit id tandē Patri Simon.

Ita Beatus homo manu sanctæ allocutionis ferale contagium detersit immundæ prauitatis. Deinde ipsis, quarum magnitudo infinita videbatur, patris neglectis deliciis, sub ipsa noctis hora latenter abscessit. Sed ad ea quæ de SIMONE dicenda sunt redeamus.

CAPVT V.

Rex Angl. Simonem, vt filiā suā duceret, allicere conatur.

SIMONI verò in propria vix ad modicum quiescenti, ecce Rex Anglorum potentissimus, WILLELMVS nomine, qui eum nutrierat, ad se veniendum sub velocitate mandauit. Additur etiam vt Castello nec villa, nisi solius noctis quietem assumeret; vxorem sibi debitam nullomodo desponsaret, quoad vsque ad sui colloquium Normanniam festinus occurreret. Tunc ille Regis metuens edictum, absque recrastinatione aliqua, vbi constituerat abire, disposuit.

Videns ergò Rex ad se venientem, lætus efficitur, secretò vocans eum, & dicens; *Quoniam fidem & dilectionem tuam ex longo expertus sum, & nutrimentum meum, quod in te est augmentare cupiens, qui pro filia mea rogaturi diu mecum conuersati sunt, Regis Hispaniarum** ANFVRSI, & ROBERTI *Principis Apuliæ neglectis nunciis, tibi eam tradens in vxorem te elegi, te hæreditatis meæ filium adoptans: Deliciæ meæ tibi reputabuntur; amici mei tui erunt, & inimici similiter.* Ad hæc vir Beatus hanc Diaboli credens prosperitatem, qui Electorum corda multis circumdat insidiis, licet nihilum & inane corde reputans, gratias tamen voce humillima referens, aiebat: *Magnum & apertum est beneficium, quod pueritiæ meæ præstitisti; sed grates tibi refero multò melius pollicenti. Dignitas tua, sicut scriptum est, in humilitate descendit, vt exaltetur. Humilitas mea, nisi in gratiarum actione tibi iugiter subijciatur, meretur vt deterius corruat. At obstaculum nobis opponitur, quod valde ambiguum est & graue, & scrupulum cogitationi meæ videtur inferre; Domina mea namque Regina, vxor videlicet tua, & ego, vt fertur, cognatione iungimur parentali, & generis propinquitate; quamobrem à sapientibus inquirendum est; si quo modo fieri possit, & qua ratione.* Ad hæc Rex: *Si ab antiquis & senibus populi nostri cognatio vera comprobatur, Episcopos, Abbates, & Clericos viros prudentes, scientes legem, & alta sapientes, si eleemosynarum largitate, seu Monasteriorum ædificatione, seu aliqua re congrua id ordinari queat, adunare & scrutari necesse est.*

* f. Alphō-si.

Strenuè respuit Simon.

SIMON autem spem suam semper ponens Domino, ait: *adhuc superest aliud, tantum voluntas adsit tua, quod necessarium est & salutare; volo namque, si placet, Romam adiens Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Domni Apostolici, super hoc consilium & adiutorium flagitare, vt acceptā spirituali licentiā, quidquid in iis nobis agendum est cum fiducia perpetretur.* Cui Rex assensum præbens, respondit: *Quidquid super hac re bonum tibi videtur, fauente Deo, & mea voluntate, dispone:* & his dictis pariter abscesserunt.

CAPVT VI.

DEinde quæ parari videbantur omnibus per ordinem dispositis ad ambulandum, relictâ domo, omissis deliciis, quarum vbertas tanta illi affluebat, vt penè post Regem in tota regione nullus ditior, nec rebus opulentior videretur. Cùm Romam ire debuit, se Monachum deuouens, sanctum EVGENDVM adire disposuit; quò postquam peruentum est, iunctis sibi de familia quibusdam viris nobilissimis, omnes pariter cum gaudio Sanctæ Trinitatis, Religionis habitum susceperunt.

Secessit in Monasterium S. Eugendi siue S. Claudii, & fit Monachus.

Nam cùm olim adhuc in sæculo positus in febrim teneretur; Beatus ARNVLPHVS, & ipse Sanctus EVGENDVS, aliúsque cuius nomen & faciem ignorabat, dormienti illi in viridario apparuerunt, admonentes vt illuc abiret, ibíque Deo militans permaneret, permanens sub Abbate Monachus ordinaretur & esset. Qui statim à lectulo surgens ab infirmitate conualuit, & voce magna clamauit dicens: Sanus sum; & ij qui hîc aderant tres Domini, vbi sunt, & quò abierunt? Qui verò de familia præsentes affuerant ignorantes quid diceret, se nescire professi sunt.

Igitur Flandriæ, Normanniæ, cæterisque Galliarum partibus vsque ad fines Germaniæ, tanti viri rumore suscepto stupore repleti mirabantur; quippe qui notus regionibus illis dilectus Domino, & tam charus omnibus erat, quatenus HVGO Burgundiæ Dux, Comésque Matisconensis, eiusdémque Ordinis quamplures pietatis affectu, & illius amoris dulcedine inflammati, arma deponerent sæculum relinquentes. Quis enim illius exemplo conuersionem morum penitùs non appeteret, ac vitæ propositum in melius non mutaret? Nobiles pariter, & ignobiles, audito eius nomine, mutabantur. Nunc ad ea quæ Monachus expleuit redeamus.

Nobiles viri complures, eius exemplo sæculo renūciarunt.

CAPVT VII.

HIc est SIMON obediens, sed non ille primus. Hic vt nominis sui hæres existeret, nunquam in obedientia dicitur restitisse; vbi verò Monasticum sumpsit indumentum, stratum suum in Secretario Ecclesiæ ponens, nocte sub silenti lectulo surgens, solus in Oratorio orationi vacabat. Ieiuniis verò tam præpotens erat, vt tempore illo, cùm præ egestate, quæ regionem illam

Simonis exercitia in Monasterio.

vehementer affligebat, triticum vt panis fieret etiam ad opus illius defuisset, panem auenæ siccum & gratias agens in refectione perciperet.

Cumque genuum inflexione, ieiuniorum afflictione, infirmitas, quæ vehemens irruerat, crura turgida reddidisset, & quasi sopita, adeò vt ignis ardorem, licet pati videretur, minimè sentiret: Abbas suus voce humillima precabatur, vt leuigandi gratia caligas abstraheret; at ille vt erat mitis eloquio, humiliter abnegans, se ad modicum perpeti respondit, & hoc leuiter posse sustinere. Nocte verò subsequenti, Domino propitiante, illo cæterisque ignorantibus, abstractæ sunt caligæ. Cumque ex more vt ad matutinos pergens mane surrexisset, crura sensisset, & caligas in cruribus minimè reperisset, admirans quod acciderat, coram se in lectulo plicatas inuenit, quas iterum accipiens sicut consueuerat, reinduit.

CAPVT VIII.

EST & aliud memoriæ dignum, quod Dominus seruo suo monstrare dignatus est, nocte etenim quadam priusquàm fratres ad debitæ seruitutis officium processissent, ille alios antecedens, Monasterium ante altare Dominicum oraturus ingreditur. Cùmque in oratione persisteret, sursum caput eleuans, Ecclesię fenestras luminis splendore coruscantes, trésque renitentissimi habitus viros Monasterium subintrare speculatur, vsque in Presbyterium festinantes; quorum vnus sacerdoti similis, alter Diaconi, tertius vero Subdiaconi speciem gerebat. Vbi super sanctum Altare inspectante viro Dei, quasi solemnia Missæ deuotissimè celebrauerunt. Extrema verò oratione finitâ, qui Sacerdos videbatur SIMONEM benedicens vnà cum sociis ab eius oculis euanuit.

Quod Abbati suo, vt moris est, confessionem faciens non celauit, exigens ab eo, vt quamdiu in hac vita subsisteret, nulli penitus hominum denudaret. Abbas autem videns Dei hominem profectum attendẽtem, & paulatim quæ Dei sunt virtutes multas amplectentem, altiori quàm quo ingressus est Capituli loco, ascendere & sedere præcepit; quod ipse admodum triste ferens, veniarum multiplicatione misericordiam postulabat: & hoc tandiu actum est, donec ad sedem pristinam reuocari promeruit.

CAPVT IX.

PErpendens itaque honorem à fratribus sibi impensum, metuénsque ne ieiuniorum suorum afflictio, seu alia quælibet animæ necessaria, alicui in Conuentu tædio viderentur incommoda, Eremi solitudinem concupiuit: vnde Monasterij patrem adiens, vt illuc gradiendi licentia ei daretur, prece non minimâ deposcit, & adeptus est: quâ acceptâ, assumptis secum paucis de fratribus, quorum vita religiositate pollebat, cum humilitate recedit.

Eremum petiit.

Quid ibi adueniens gessit in opere, quantaque pro Christi nomine perpessus est, vt exemplum fiat audientibus, propalare necesse est. Cœpit namque vt de proprio manuum viueret, vbi nouale fieret scindere cum securi. Cibus erat tenuis, panis cum aqua, legumen & poma syluestria cum labore graui, & hoc semel in die, exceptâ Dominicâ, & die solemni. Et quæ domi contulerat aquam collo deferens ipse mala cum pulmento decoxit. Et cùm ad quid operandum foras egrederetur, si quis pauper occurrens ibi eleemosynam posceret, dispensatori suo præceperat, vt nullo modo vacuus abiret.

CAPVT X.

ACcidit autem vt quadam die viator esuriens illic agapem postularet, quæ sola remanserat libram panis ei minister obtulit. Tunc vir Dei cum fratribus syluâ regrediens si refici possent inquirit: Cui seruitor; panis, inquit, deest, sunt poma syluestria, qui sero superfuit panem indigenti præbui. Mox lætus & Deo gratias agens; fratrémque, qui illud egerat, benedicens, Ecclesiam subiit orationi incumbens. Nec dum orationis verba finierat, & ecce vir quidam onustus panibus adueniens, hos dispensatori sub SIMONIS nomine tradidit, qui viro Dei cum sociis accersito, quid acciderit, & quemadmodum Dominus seruorum suorum non est oblitus, indicauit. Illi autem sub tali facto stupefacti, hoc viri Dei fidei deputantes, Deum pariter laudauerunt, in refectione sumentes.

Quàm opidò eleemosynis erogandis delectabatur insigne specimen.

Rursum in nemore, cui fere nullum tempus habebatur vacuum, ligna succidenti ferramentum arbore excussum vulnus pede incutiens vehementer reddidit afflictum, adeò vt domi regrediens alienis sustentaretur humeris. Quod fratres oppidò contristati, vt ad Medicum mitti deberetur, insinuant; quibus ille renuens, excepto Dei medicamine, nullatenus se velle sanari respondit; & tamen, procurante Deo, mox pristinæ restitutus est sanitati.

Sub idem verò tempus vir quidam religiosus, tanti viri famam audiens, ferreo vestitus amictu super nudo, de longinquo visendi gratia venit ad eum; qui deuotè veniens deuotiùs ab eo susceptus est. Quem post-

Veste ferrea induitur.

quam secretim alloquēs, nescius quo docente, sic indutum comperit, summopere deprecatur pœnitentiale illud sibi dari, qui precibus eius annuens, licet inuitus dimisit, & abscessit. SIMON verò ab Abbate vix adeptâ licentiâ, corpus tenerum, abiecto cilicio quo vtebatur, duriùs illud induit diebus multis, cadauer afficiens semimortuum: quod ferrugine tinctum, clauorum tonsionibus attritum, tam liuidum & dilaniatum reddidit, vt qui vidit, assereret, etiam saxeum pectus piè in fletibus molliri posse videretur.

CAPVT XI.

EOdem verò tempore bonæ memoriæ HVGONE Abbate Cluniacensium rogante, vt ipse beatus vir in Galliam proficisceretur, vt pro eo Regem Francorum PHILIPPVM, qui sibi quædam auferebat, alloqueretur, & corriperet; Abbatis sui imperio in Galliam profectus est.

In Gallias proficiscitur.

Accidit autem eo proficiscēte apud Compendium, oppidum Regis, vt sudarium Domini leuari debuisset, & capsa aurea decentius deponi: quod vir Domini audiens ab itinere, quod rectius videbatur, vt illuc abiret, aliquantulùm diuertit, ac in breui Domino ducente peruenit; qui beati Cornelij quasi sub occulto Templum oraturus ingressus, à quibusdam, qui festiuitati intererant, statim agnoscitur, & mox fama peruolante rumor in auribus vulgi suscipitur. Vox populi & turbæ lætantis clamor attollitur, SIMON ferè ab omnibus clamabatur: SIMON certatim aspicitur, & sic vsque ad Palatium Regis, vix, turba premente, subtrahitur.

Sudarium Domini.

Quem Rex, qui nuper aduenerat, diligentissimè intuens honore perdebito suscepit, eumque blandè allocutus, si quid ab eo postularet, se obsequi præparatum libentissimè repromisit. Ille verò petitionis suæ non immemor, quid sibi quæreret, innotuit, & sicut petierat, impetrauit.

In crastino itaque solemnitate peracta, & Domini perspectis Reliquiis, Anglorum Regem & Reginam, qui eum nutrierant, visendi gratia Normanniam vsque properauit, illicque perueniens, contra filium, ROBERTVM nomine, Regem dimicantem inuenit; qui vtrique compassus, pace reformata pestilentiæ malum à regione fugauit.

Anglorum Regem & filium in pace reducit.

Auditâ verò eius famâ qui sui in sæculo dicebantur, alij & quamplures, penè milites mille, in aduentum eius læti obuiam processerunt, & quisque de proprio aurum vel argentum, mulam seu palefridum vt acciperet, deuotissimè precabantur, ille verò foris gratias agens, corde pro nihilo reputans, nullum penitus accipiens, hæc omnia ex aduerso conspicatur.

Ad vltimum verò Regem secretò adiens & Reginam mœstos pietate pariter reddidit & gaudentes; adeò vt Regina, sicut bonarum moris est mulierum, loqui nequiret verba intercedente ploratu. Post dulcia itaque eorum colloquia, & reliquias, aurum, argentum, & cætera quæ huiusmodi sunt munuscula, illi offerunt, vt benignè susciperet summopere deprecantes: ille autem præter Reliquias, hæc omnia vilipendens, nullum in accipiendo præbuit assensum. Ignorante tamen illo, qui cum eo socij fuerant, quædam optima sub absconso capientes munera detulerunt: itaque malè facto & accepto ad Monasterium regredi meditatur. O mira Dei dispensatio! quis hominum tantum dilectionis donum ab hominibus impensum temporibus istis promeruisse dicitur? Noti pariter & ignoti SIMONEM diligebant, SIMONEM cernere lætabantur; non hoc fortuitò, sed Dei dispensatione fieri credendum est.

Respuit munera.

Ecce occurrit in memoria miræ ipsius patientiæ bonum, quod eodem itinere sustinuit necessitate compulsus. Nam cùm apud Firmitatem Castellum, quæ olim ipsius hæreditas dicta est, in propria demoraretur, amicum quemdam ad se de villa venientem, videndi desiderio accensum, vnus ex iis, qui raptores dicuntur, improuisè prosiliens, captum rapuit & abcessit. Quod ibi milites & viri nobiles aduerterunt, triste admodum ferentes, quæsierunt, & repertus est. Eruere oculos, seu aliter iustitiam facere minabantur.

Vir autem Domini innocentiam, & illud quod scriptum est, corde retinens: *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus*: fieri omninò prohibuit. Tunc vnus ex sociis, accersito eo secretò alloquitur, scire volens qualiter, & quo animo illam iniuriam illatam sustineret, si dedecus illatum ab aliquo in propria sentiret, magis esse se lætum & gratias Deo exhibere respondit, quia patientiâ saluabimus animas nostras.

Rom. 12. 19.

CAPVT XII.

PEractis igitur in itinere quæ perpetranda erant, Eremum regrediēs, quæ priùs proposuerat iterum inchoauit, ibique quantum licuit labori corporeo insistens, in humilitate conquieuit. Sed ne ciuitas super montem posita, & lumen lateret in tenebris, sanctæ Romanæ sedis memoratus Antistes tanti viri nomen audiens, Abbati suo, vt ad eum mitteretur, litteris denunciat. Ille verò tanti mali famâ dolore commotus, ne alij turbarentur, sigillum abscondisse, nec manifestasse dicitur; donec Dominus Papa rursus

Papa iubet Simonem Romā accedere.

aliud mitteret, quod duriora baiularet. Secundo namque per litteram editam dedit, nisi quantocius in SIMONEM transmittendo festinus existeret, Abbas & cuncta Congregatio à spiritali officio vacaret. Quid plura? Turbatur Abbas, fratres pariter contristantur. Quid aliud facerent? Ecclesiæ namque solamen amittitur.

Disposito ergò itinere in iis quæ parari videbantur; SIMON vnà cum sociis ad vrbem dirigitur. Quem postquam venientem Dõnus Apostolicus comperit, & appropinquantem oculis intuitus est, lætus efficitur, cum honore perdebito suscipiens eum. Cui vbi blandè allocutus pacis osculum tradidit, iuxta Theclæ virginis Ecclesiam domus ad habitandum congrua eligitur. Quâ sanctissimè conuersanti, & orationi vacanti, omnis societas suorum pro infirmitate loci morte subtracta est; relictis solummodò duobus Monachis, quorum alter ad Monasterium regressus est, alter verò illi seruiens vsque ad finem vitæ, vrbis inæqualitatem cum eo sustinuit.

Honorificè suscipitur à Summo Pont.

CAPVT XIII.

ACcidit eodem tempore quòd Domnus Papa, & ROBERTVS quidam Apuliæ princeps, ab inuicem dissentirent; vnde Præsul metuens ne ciuitas belli contentione in aliquo perturbaretur, SIMONEM accersiuit summopere deprecans, vt pacandi gratia illuc proficisceretur. Cui statim obediens se profecturum promittens, adiuncto sibi viro religiosissimo, iter arripit cum benedictione iubentis.

Eo igitur adueniens Principem quærit & inuenit; quem inuentum quasi epulis in visu suo refecit, vnde pacem reformans, quod voluit opere perpetrauit. Omnibus itaque illuc pacificatis reuertitur, in itinere *plebes alloquens, vt ad Dominum conuerterentur, admonuit. Cuius allocutioni assensum præbentes, penè sexaginta milites sæcularibus omissis, arma Dominica susceperunt; & sic viri Dei prædicatione monachalem habitum per diuersa prouinciæ loca cum benedictione susceperunt.

Pacem init Papã inter & Robertũ Apuliæ.

al *plures.

Prædicatione Simonis plures conuertuntur.

Ad vrbem itaque regressus Pontificem adiit, & quidquid egerat, de pace nunciauit. Ille autem & gratum habuit quod accepit, & illud quod fecerat, approbauit. Nec multò pòst habẽs in voluntate ad Monasterium reuerti, licentiam ab eo cum humilitate deposcit; qui nec primò, nec secundò eius precibus aurem accommodans, tale fertur dedisse responsum: *Sicut nec meis meritis, Charissime, nec meâ, sed Domini Petri dominatione Pastorali huc accersitus aduenisti; ita nec mea est in potestate promissio reuertendi. Vade ergò, & Oratorium ingredere beati Petri, & quidquid in voluntate habeat, orationibus perscrutare.*

Qui nocte subsequente, sicut ipse præceperat, Templum precaturus ingreditur, totam peruigilem ducens orationi intentus, & priusquàm inde procederet, quâ sublatus est vitæ, mortis infirmitate corripitur. Mox inde progrediens ad habitaculum, & lecto decidens ad confessionem suam Pontificem inuitat, & ad se visitandum. Qui voluntati eius obtemperans, & mundatum à vitiis absoluit, & pariter benedicens abcessit. Nec multò pòst pretiosi corporis & sanguinis Christi munimine roboratus, pridiè Kalendas Octobris Spiritum Deo reddidit, & qualis in vita religione perstiterit, finis sanctissimus in assumptione monstrauit.

Obiit 30. Septemb.

CAPVT XIV.

ECce ciuitas omnis rumore concutitur, Diuersi sexus & ætatis gens in funere concitatur; & quod viuenti minus tribuerat, funeri eius obsequium ab iis ministratur. Tum præcipiente Episcopo, sepulturæ locus inter Apostolicos præparatur: Et quia Apostolicam vitam studuit imitari, meritò huius apicis adeptus est dignitatem.

Cum Summis Pontif. funeratur.

Præsul tamen non affuit infirmitate detentus, sed Clerum omnem conuocans, dirigit illuc Episcopos, Abbates, Clericos & Moniales cum cereis & luminaribus. Ita vt triginta quinque Congregationum numerus, cum populorum turbis, funeri eius obsequium ministrarent; & sic cum Missarum solemniis, & celebritate præcipua à Principibus Romæ corpus in foueam delatũ deponitur. Census verò denariorum non minimùm à Præsule collatus, pauperibus erogatur. Ecce Dei seruus absque pecunia, & cognatione aliqua, paulò ante pauper, in fine diues efficitur, sed adhuc ditior fit dum in sede cœlica collocatur.

Regina verò Anglorum MATHILDIS nomine, diues & præpotentissima, quia eum nutrierat, & consanguinitate dicebatur proxima, ob viri Dei memoriam, ad sepulturam componendam, Romæ auri quam plurimum & argenti Monacho deferente transmisit: Quæ studiosè quadris & politis lapidibus ex marmore diuersi coloris intexta, adhuc peregrinantibus bonitatis exempla præbet.

Ad eius ornandum sepulchrum muneta mittit Regina Anglorum.

CAPVT XV.

MOnachus autem qui cum SIMONE diu conuersatus, incommoda corporis pro eius amore multa sustinuerat, post eius assumptionem, pòstque sepulturæ suæ

instructionem, relictâ Româ Monasterium reuisit: vbi multis diebus abstinentiæ & labori operam dans, summæ humilitatis exempla monstrauit. Priusquàm verò ad mortem, quæ est exitus vitæ, propinquasset, SIMON beneficij & seruitutis impensæ non immemor, nocte quadam apparuit ei cum cæteris quiescenti, vocans eum, & dicens; ROBERTE, (sic enim appellatus est) At ille inquit: *Tu quis es?* Tunc SIMON respondens: *Ego*, inquit, SIMON *sum* & adiecit: *Cur hoc in me olim facere voluisti? Nam cùm apud Romam ad nouum sepulturæ locum corpus meum transferres, nil pro anima mea pauperibus erogasti.* Cui Robertus: *Pauper*, inquit, *eram, & census mihi deerat.* Ille è contrà: *Certum est te habuisse aliquid quod impertiri debueras.* Et, vt ipse post modum retulit, duos aureos habebat.

Colloquiũ B Simonis cum socio.

Ad quem iterum Robertus: *Dilectissime mihi, quæ gloria, & quæ requies tibi maneat, si placet, insinua? Requies*, inquit, *& gloria mea magna est: Nam Dominus meus inter Apostolos requiem mihi dedit, & sedem gloriosam.* At ille. *Et quod est gaudium, quis cantus ante Dominum, rogo si potes edicas? Magnum est*, inquit, *gaudium & incomprehensibile, nec verbis narrari, nec sensu cogitari potest. Tamen si pergamenum, pennam, & incaustum in proximo habuisses, certum te scribendo in aliquo reddidissem.* Et adiecit: *volo vt Anselmo sanctæ* MARIÆ Becci *Abbati, prudenti, & Reuerendissimo viro, quod modicum in Deo mihi contulit auxilium ex parte nostra denuncies; æstimabam quippe in eo erga animæ meæ salutem, fidem & dilectionem non modicam.* His dictis, confortans eum ad seruitutem & obedientiam salutarem, disparuit.

Frater verò quod audierat, beato viro, sicut præceptum est, enarrauit. Cui Abbas lachrymando respondit dicens: *Crede mihi frater, crede mihi, vera intulit seruus Dei; nam peccatis meis exigentibus, illud quod deberem pigritia detinente postposui; si verò orando, eleemosynam faciendo, seu aliud quid, quod Deo placeat, exhibeam, operando, omnibus modis, vt in his participetur, exopto.* Et his dictis pariter abcesserunt.

Hic est vir ille religiosissimus ANSELMVS, qui ex Abbate Cantuariæ Archiepiscopus, & Legationis Apostolicæ in Anglia sortitus est dignitatem.

Hæc & alia quæ de SIMONE scripta sunt, hi qui de propria familiâ in sæculo viri religiosissimi, cum eo habitum spiritalem susceperunt, quæ oculis intuiti sunt, & auribus audierunt, quemadmodum scripsimus, ita esse testati sunt.

Scriptor coætaneus, vel suppar.

EPITAPHIVM SIMONIS *COMITIS, SCRIPTVM IN PYRAMIDE EIVSDEM, A DOMINO PAPA VRBANO, COGNOMENTO ODONE.*

SImon habens nomen, maiorem sanguine claro,
Francorum Procerum pars ego magna fui.
Paupertatis amans patriam, mundúmque reliqui,
Spiritum diuitiis omnibus anteferens.
Post ad Apostolicam cœlestis Principis aulam,
Eximius tanti me patris egit amor.
Quo duce promerear tandem super astra leuari.
Hospitor hîc sacras conditus ante fores.

ITEM VERSVS.

Olim facta Patris renouans dictamine fratris
Discipulis normam scripsi sub paupere forma;
Sed quia nec spernit Deus hæc, nec pauperiora,
Ostendit Moyses, operi capiendo minora,
Quare Lectorem cupiens auxiliatorem,
Me legat absentem posco virtute carentem.

VITA SANCTÆ SALABERGÆ
ABBATISSAE S. IOANNIS LAVDVNENSIS.
SVPPARI AVCTORE.

PROLOGVS AVCTORIS.

In infulis sacerdotalibus honore decorato religionis, cui copia fuit, OMOTARIO Papæ, nec non & Sacerdoti castissimæ Christi Virgini Anstrudi Abbatissæ, & Salabergæ.

I*Vssionibus vestris, ô venerandum decus parentum, almique vigoris, parere non distuli, quò potissimum almæ matris, & nostris præferendæ temporibus fœminæ,* SALABERGÆ *vitam, atque gestorum seriem, in quantum res sinebat & diuina pietas fauebat meo debuerim stilo cudere. Sed ego in hac parte valde me censeo fore imparem, quippe qui vix primis imbutus sum Literis, & Christiana simplicitate educatus. Sed sum memor illius Domini & Saluatoris præconij dicentis:* Petite & dabitur vobis; quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis. *Et illud Psalmographi Oraculum:* Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. *Vnde Lectorem obsecro. Si quis tamen hæc, quamuis temerario conatu aggressus sum texere gesta, captus amore sanctæ Matris, legere decreuerit, non quærat in his Tullianam eloquentiam, nec Oratorum facundiam, non Philosophorum flosculos, & Stoicorum diuersas assertiones, sed veritatem, & simplicitatem historiæ. Neque enim Aquila extensis alis semper ad æthera volitat, sed aliquotiens assolet, vt remissioribus pennis descendat ad terras, & inter regias sæpe dapes, etiam vilia poma, lactucæque aggrestes optima quæque censentur. Orandus est Deus Pater, vt densissimi pectoris obtusique sensus nubila detegat. Orandus est & Saluator noster* IESVS CHRISTVS, *vt aurâ nos S. Spiritus afflare dignetur, vt caligine mentis abrasâ, facultatem accommodet loquendi, vt venerabilis Matris, quæ semper Monasteriorum Ecclesiarúmque amore flagrauit, valeamus actus differere, & in posteros strictim succinctéque promulgare. Tribuat ille quod peto vestro opitulante oratu, qui linguas infantium fecit esse disertas.*

Mat. 7. 7. *Psal. 80. 11.* *Sap. 10. 21.*

VITA SANCTÆ SALABERGÆ ABBATISSÆ ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

CAPVT PRIMVM.

Patria Salabergæ.

IGitur* sancta SALABERGA in suburbano Leucorum oppido Lingonicæque confinio, illustribus orta natalibus, quem Vternensem pagum ob amnem iisdem in locis defluentem vocitant, humanis rebus initium sumpsit. Sed quantum illustrior, vel nobilior fuit natalibus, adeò in nutriendi cura parentibus sollicitior. Nam cùm illo in tempore gens Baioariorum (quam Orosius vir eruditissimus, & historiarum cognitor Boias prisco vocabulo appellat, in extrema Germania sita) Bonosiaca esset infecta errore, Bonosiacam hæresim defensores sanctæ Ecclesiæ notarunt: quæ hæresis antiqui & callidi hostis irretita habenis, purum hominem Dominum nostrum IESVM Christum, absque Deitate Patris esse, sensu prauo censebat. Ad quam nefariam & insanam doctrinam confutandam, immóque resecandam, venerabilis vir EVSTASIVS Abba, diuino vt pote instigatus Spiritu, Luxouio Monasterio in Vosago saltu citò aduenit; quod vir formâ laudabilis, & sanctitate pollens COLVMBANVS, peregrinus ex Hibernia adueniens, ex munificentia CHILDEBERTI Regis summo studio & labore construxit.

*al. * territorio Lingonico cõfini secundum sæculi dignitatē clarissima parentibus nõ infimis ac in seruitio Dei per omnia deuotis extitit oriunda.*

Bonosiaca hæresis.

S. Eustasius eam confutat.

CAPVT II.

SEd quoniam tanti viri Columbani fecimus mentionem, eius non est necessariũ

S. Columbani gesta

percurruntur. in nostro opere detexere gesta, cùm sint ab eloquentissimo viro IONA elucubratè edita, qualiter etiam inter turbines sæculi, & *Theodorici* Regis principatum, Reginæque *Brunechildis* instigante versutia, nefandi hostis pertulerit insidias. Quomodo etiam tyrannicâ temeritate à fratribus sit eiectus, & Italiæ fines sit ingressus. Monasterium Bobiense ex permissu & auctoritate Aigulfi Longobardorum Regis miro * ordine construxit, Regulámque condiderit Monachorum, iisdem præfatus Ionas in libro quem de vita & miraculis eius edidit suo stylo prosequitur.

al. * *opere.*

Extant eiusdem Patris *Columbani* scripta ad beatum & facundissimum virum *Gregorium* Pontificem Romanum, in libro, * quem de peruigili pastorum cura elicuit, qui eo tempore adeò clarus habebatur, aque sanctitate præditus erat, vt etiam, Spiritu sancto ei fauente, secreta cæli patuerint; nouémque ei Ordines Angelorum, post Paulum Apostolum mirum in modum aut solus aut rarus fermè disseruit. Cuius doctrina, eloquij venustatem, pœnitentiæque fomenta docente vniuersus Occidens hactenus illustratur. Sed & idem Venerabilis vir ad præfatum patrem melliflua remisit scripta. Nunc ad propositum reuertamur.

al. * *que*

CAPVT III.

Probat Eustasius Christi diuinitatem, humanitatémque.

PRæfatam gentem per Germaniæ sinus vir Dei *Eustasius* aggressus vt lucerna Conditoris nequaquam sub modio, sed super candelabrum posita, omnibus patefieret: talentúmque desuper datum huius non operiretur, sed potiùs omnibus cum duplicato fœnore perpatesceret; exspargescentis ipsius abraso erroris tramite, Euangelico, in quantum Dominus contulit, verbi mucrone truncauit, prædicans Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, quòd sicut in Diuinitate æqualitatem Dei Patris omnipotentis haberet; ita & humanitatem materni corporis, nostrámque naturam, quam ipse condiderat, absque peccato susciperet, & * nullam imminuentem vnionis Deitatem, quæ vt poté semper cum Patre fuerit, vt nihil sua dignitate minuerit, vnde verus Deus, & verus homo appellatus sit Christus.

al. * *nulla imminuêteimmutationis Deitate.*

Denique remeans ex Baioariis vir egregius, post Germaniæ, Belgicæque laboriosum callem, tandem peruenit ad quendam virum illustrissimum opibus & diuitiis opulentum famáque secundum sæculi dignitatem præclarum, & aulicis rebus aptum, nomine * *Gunduinum*, qui eo tempore apud villam quandam, nomine Mosam, ob amnem in eo loco decurrentem, sic appellatam mo- A rabatur; quia amnis ex Lingonicis finibus fontem sumens, post multos anfractus, crebrósque terræ circuitus, Rheni velocissimi fluminis in se fluenta ex parte recipiens, oceanum Barbaricum ingreditur.

al. * *Gundoinum.*

Vir igitur *Gunduinus* venerabilem virum velut gratissimum munus suscepit. Porrò vt assolet & rès se habent, humanæ inter salubria adhortationis verba in colloquio virorum fidelium * animus crescebat piorum. Cœpit idem vir Dei sciscitari vtrum eidem viro, illustri Francorum orto Natalibus, soboles B adesset. Cernebat quippe, vt opinor, vir Dei, à Deo fore præscitam prolem, quam postea rei probauit euentus. Tunc vir illustris *Gundainus*; cum conjuge sua *Saretrude*, eleganti forma & nobili fœmina; duos bonæ indolis adolescentulos ob benedictionis percepturam gratiam præsentauit; quorum senior * *Leudinus*, cognomento *Bodo*; Iunior verò *Fulculphus*, qui & ipse alio vocabulo *Bodo* dicebatur.

Salabergæ pater Gunduinus.

el. * *animi fauere pastorum.*

Mater Saretrudis.

al. * *Leudeinus.*

Sciscitatur denuò vir Dei si adhuc proles superesset. Ad quem illi fatentur se habere puellam Germanam licet ætate præferen- C tem, sed dudum luminibus orbatam. Ad quos vir Deo plenus, ait, *Veniat quæso ipsa, & * vestris præsentetur obtutibus.* Senserat enim, vt reor, in Spiritu, ei à Domino sanitatem fore collaturum. Tridnano igitur à semetipso exacto ieiunio, super oculos puellæ oleum benedictionis vir Dei effudit. Mirum dictu! mox puella sanitatem pristinam, Christi gratiâ opitulante, consecuta est. Nec immeritò omnipotés Deus sic in promptu suorum obtemperat precibus famulorum, qui suas propter ipsum crucifixerunt voluntates.

Salabergæ lumen restituitur

al. * *nostris*

D Sequitur deinceps aliud splendidum miraculum. Cùm eadem puella iam pridem fluxum sanguinis pateretur, & grauissima corporis molestia ex hoc debilis teneretur astricta, vir egregius Eustasius vt hoc perspicuè compererit, diuinum solitumque profusis precibus poscit adminiculum: exaudiuit preces fidelis famuli sui, ille rerum Sator æternus, qui sanctis suis, eius præceptis piè obtemperantibus, præsto esse consueuit. Quid multa? E Puella sospitate percepta incolumeis est restituta.

A fluxu sanguinis liberatur.

CAPVT IV.

INterea cùm ad perfectæ ætatis peruenisset annos, parentes eius cùm vidissent puellam gliscentem, moribúsque ornatam, erat enim decora venustáque vultu, verùm, vt assolet, post rerum discrimina in prosperis successibus animus tepescere multorum, de liberorum successione cogitantes: contra puellæ

Matrimonio copulatur.

multorum, de liberorum ſucceſſione cogitantes, contra puellæ voluntatem, eam cuidam viro generoſitate pollenti, *Richramno* nomine, in matrimonio tradiderunt; qui *vir eam duobus menſibus iure matrimonij habens humanis rebus exemptus, vitáque priuatus eſt.

* vix.

His ita tranſactis *Euſtaſius* ad Luxouium regreſſus eſt. Deinde ad Vvaraſcos, qui partem Sequanorum prouinciæ, & *Duni, amnis fluenta ex vtraque ripa incolunt, pergit; qui & ipſi eodem Bonoſij, Fontiníque maculati errore *euerſo, iam ſenio tabeſcebant. Ad quos vir Dei veniens Euangelico vomere, Scripturarúmque Sacrarum cauterio, licet non abſque labore exercens, ne ſeges dominica, crudeſcente gleba, ſuffocante zizania, in auenas, loliúmque accreſceret, ad ſanctæ Eccleſiæ gremium reuocauit. Qui hactenus gratia diuinæ aſpirationis in eadem, quam ab eo perceperunt, norma, perſeuerant.

Paulò pòſt viduatur.
al.* Duuij
al.* æuo iã ſenes.

Sic *B. Euſtaſius* poſt multa rerum diſcrimina, poſt labores immenſos, poſt hæreticorum diras procellas, aggreſtiúmque ſchiſmaticorum fraudes, quæ pleniùs in ſuis geſtis continentur, vt bonus Athleta, ſummis pollens miraculis vita beata functus migrauit ad Deum, cùm curam fratrum poſt diſceſſum magiſtri tribus non parùm minus rexiſſet luſtris. In cuius locum iam pridem conuenientia beatæ recordationis *Vvalbertus* in Regimine fratrum ſubuectus eſt, vir omnium famâ laudabilis, eximiæque ſanctitatis, & in Eccleſiaſticis diſciplinis non mediocriter eruditus; bonitate ac pietate, charitatéque perſpicuus, & doctrinâ exuberans: Huius tempore per Galliarum Prouincias agmina Monachorũ, & ſacrarũ puellarum examina, non ſolùm per agros, villas, vicóſque, atque caſtella, verùm etiam per Eremi vaſtitatem, ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti Columbani pullulabant, cúm ante illud tempus Monaſteria vix paucis illis reperirentur in locis. Sed nunc ad articulum reuertamur hiſtoriæ.

Hic videtur Auctor B. Salabergæ ſup. par.
Vvalbertus Abbas
Regula SS. Benedicti, & Columbani.

CAPVT V.

PRudentiſſima fœmina Salaberga cùm per biennium iam viduata reſideret, licet ſub laïco habitu degens, vigiliis, ieiuniis, atque eleemoſynis, in quantum vires *ſuffragabantur prædita, quæ Dei ſunt, Deo inhianter reddebat. Doctrinam verò, quam à B. *Euſtaſio* perceperat, velut mundum animal ruminabat. Cùm hæc ita res ſe haberet, decreuit animo vt ad ſacrarũ Virginum Cœnobiũ, quod venerandus vir *Romaricus* ex palatio magnifice conuerſus, per exhortationem & & ſolamen B. *Euſtaſij* in Voſago conſtruxerat ſaltu, latebram fugâ expeteret, feciſſétque ſatis votis, ſi ſexus non feciſſet impedimentum, & Regia non impediſſent obſtacula.

al.* ſuppetebant intenta, prædita.
B Romaricus.

Per idem tempus Francorum ſceptra Regnique gubernacula *Dagobertus* geſtabat, vir imprimis acer ingenio, & *principatum tenens, & non ſolùm fidei iure ſibi ſubiectis, verum etiam exterarum, vicinarúmque gentiũ famâ metuendus. Metuens autem præfatus *Gunduinus*, ne ob filiam iram Regis, ſæuitiámque incurreret, eam à calle, quo ire ſponte decreuerat, pedetentim retraxit. Iam enim opinio eius ad aures Regis peruenerat.

al.* principatu clarus.
al.* Bundoinus.

Morabatur denique iiſdem temporibus in Aula prædicti Principis vir quidam ſtrenuus, conſiliis Regiis gratus, & inter ſuos fama celeberrimus, nomine *Blandinus*, qui cognomentum *Baſo* acceperat; qui vtpote & ipſe ex Sicambrorum proſapia ortus expectabili, prædictam *Salabergam*, non eius ſponte, quia iamdudũ diuinis pręceptis ſe implicare *nouerat, licet inuitis parentibus, Regio tamen iuſſu, & ob liberorũ procurandorũ cauſam, in ſuum adſciuit coniugium. Sociata itaque viro memorato, licet ſub iure coniugij, Chriſtiana tamẽ vtrique exercebant opera, & baptiſmi candidatum deuotiſſimè ſeruabant. Erant enim hoſpitales & eleemoſynis dediti, maximéque iuxta B. Paulum egregium prædicatorem, domeſticis fidei, & peregrinis, ſeruis autem Chriſti ſumma veneratione obtemperantes, illius Saluatoris memores præcepti: *Quamdiu feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* Et illud B. Petri Apoſtoli: *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.*

al.* Blaudinus.
Iterum Salaberga Blandino ſeu Baſoni nupſit.
al.* voueraͭ.
Pia in pauperes exercitia.

Sed cùm his, fauente Domino, bonis pollerent moribus, & Chriſtiano *more degerent, & prolẽ nullã capere poſſent, Chriſtianiſſima fœmina anxia, & tot priuata priuilegiis, ſanctarũ mulierũ Annæ & Elizabeth in ſe adhibens fidẽ, quæ in tẽplo Domini vigiliis & orationibus excubantes, poſt diuturnã ſterilitatẽ partus ſanctos meruerunt, & procrearunt liberos; ad Baſilicã *B. Remigij* Pontificis, qui vrbẽ Remorũ Campaniæque Tellurẽ virtutibus ſacris & mirabilibus illuſtrabat, expetiit; ibique vigiliis & orationibus excubans, votum vouit, vt ſi diuinitùs ei ſoboles concederetur, ipſam Domino dicaret.

al.* vigore vitam.

Nec mora domum reuerſa, hoc quod fideliter & anxiè petierat, à Domino eſt ei collatũ; concepítque, & peperit filiam, cui ex auiæ vocabulo *Saretrudis* nomen indidit. Rurſus aliã filiã edidit, quã *Ebanem* nuncupauit. Deinceps verò genuit filiã tertiã, ipſamque baptiſmi gratiã regeneratam *Auſtrudem* appellauit, quæ in curam & regimen ſororum, proceſſu temporis, cuncta annuente caterua, ſucceſſit.* Quartum vero edidit liberum, cui & ipſi baptiſmi gratia Sacerdotibus cõſecrato, Euſtaſius nomen indiderat, qui & infra

Tres filias, & duos filios edidit.
al.* Aſtrudem.
* Quæ hactenus Chriſto auſpice diui-

pueriles annos defunctus est. Quintum verò bonæ indolis edidit prolem, nomine *Balduinum*, quem & ipsum iuxta priores Omnipotenti Deo sacrauit. Egit hoc denique famula Christi, omnique nisu aggressa est vt omnem domum suam non sibi soli, sed marito simul, & liberis Christi faceret Ecclesiam.

ois priuilegiis: nunc superest. Vnum tamen edidit liberū, qui & ipse baptismi gratia à Sacerdotibus Eustasium nomen tradiderūt qui & infra pueriles annos &c. al. * Baldonum.

CAPVT VI.

INterea cùm egregiæ sanctitatis opinio *Vvaldeberti*, cuius memoriam fecimus, penè per vniuersos Francorum terminos eximiè pullularet, & solertia prædicationis eius à Christo Domino, sine quo nihil boni agitur, affatim ferueſceret; eſſétque omnibus Domini colentibus gratus, Monasteriáque virorum ac mulierum ex eius norma affatim conderentur.

Cernens Beata *Salaberga* seruum Christi militémque præclarum tot florere exemplis, virtutibúsque flagrare supernis: & assiduè velutè luporum faucibus ereptos vbique greges Christi adunari, eum ad propriam domum, ob benedictionis ab eo gratiam percipiendam, crebriùs accersitum, velut diuinum munus sibi à Domino fore concessum ouans suscipiebat, verbáque salubria, & animarum medelæ congrua, haurire ex eius mellifluo ore desiderabat, flagrabátque instantissimè animus, vt spretis faleramentis sæculi, pompísque mundanis postpositis, ad virtutum culmen apicémque sanctitatis valeret ascendere. De quo virtutum culmine Dominus quoque & Saluator in Euangelio loquitur, dicens: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Et illud: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Quid plura? Auctore Deo omnem spem suam post Deum beato viro committens, viro conuerso, prolibúsq; Deo sacratis, Religionis veste accepta, inito cùm *B. Vvaldeberto* consilio, * conuenientiâ existente mariti. Cœnobium puellarum in Suburbio Lingonicæ vrbis, in hæreditate vel successione paterna, conatur extruere. Quod propriis reditibus prędiorum suorum, ex successione hæreditatis paternæ, Christum faciendo hæredem, nobiliter ditauit. Ad quod opus peragendum venerabilis *Vvalbertus* solamen, artificésque, ac viros industrios præbuit, atque commisit. Qui locus licet Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, distans à Luxouio Monasterio paulominus millibus quadraginta; ibíque adunatis centum seu amplius tam ex * nobilibus liberis, quam ex proprio officio puellis, Christo Domino dicauit.

f. * conniuentiâ. Ædificat Monasterium.

al. * nobilium.

Sed cùm iam pars maxima fabricæ Monasterij instructa esset, cœpit famula Christi præsaga, vtpote Spiritu Dei repleta, sagaci cum viro trutinare animo, non esse in loco eodem puellarum Cœnobium tutum, nihilque stabilitatis atque munitionis habere. Nam cùm Barbaries licet procul abesset, Regum tamen limitibus hinc inde admixtis, periculi indicium futuris temporibus erat, quod periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper ciuile Bellum inter Reges Francorum Theodericum & Dagobertum circa illos fines est actum, vbique vicinia quæque depopulata, agri, villæ, ædes, & ipsa, quod grauius est, Sanctorum corpora igne sunt cremata: vnde liquidò patet, diuino eam Spiritu fuisse imbutam, quæ pridem anticipauit discrimen.

Ætas Auctoris.

CAPVT VII.

COnsilio igitur adepto cum præfato Vvaldeberto Abbate, qui ingenio, & vigore sagaci, & natura bona in talibus rebus præditus erat, quem postea & Comitem itineris, & socium laboris habuit. Elegit iter Christo Duce instar sanctissimi Abrahæ Patriarchæ, qui de Mesopotamia Syriæ egressus, Philistinorum colonus extitit, eámque Deo promittente in postera successione sortitus est. Quem imitata Dei famula relinquens patriæ solum, paternas sedes malens cum Christo egere, quàm mammonæ lucra possidere, quàm tot pati discrimina, cum vitæ stipendio ad vrbem Lauduni Clauati, cum maximo apparatu, & cum animabus à Deo sibi commissis, proficiscitur.

Patrio solo relicto, Laudunum venit Salaberga.

Quæ vrbs licet obsidione vallari ab hostibus possit, tamen natura loci, & in cacumine saxi sita, munitionem robustam obtinuit, vt frangi à Barbaris nequeat periculoque careat. Nam & vetusto tempore cùm eam Vvandali, Alani, Huni, cæterǫque Germaniæ & Schytiæ gentes frustra vallassent, nulla aggerum arte imminenti, non fundibulorum iaculis, non armorum spiculis iacientibus, nec arietum impulsionibus obtinere valuerunt; sed casso labore frustrati, inertes recesserunt. Excepto enim murorum ambitu, qui extrinsecus in proceritatem collis extenditur, intrinsecus ipsius muri circuitus humo coæquatur: Vnde & machinarum arte nullâ illud oppidum fatigari possit; sed & altrinsecus saxa naturalia ambiunt; vrbs infra referta puteis; ad ipsos quoque portarum exitus fontes emanant perennes, qui in vsus hominibus, pecoribus, ac iumentis potui dantur.

Eiusdem vrbis descriptio.

Igitur cùm iam ad illuminandam vrbem, veluti solis radius, veneranda fœmina cum suis sequacibus sanctis appropinquasset: Pręsul oppidi illius *Attilo* cū sūmo fauore ei obuiā pergit, tanquā diuinū munus, Angelicamque turbam venisset, ouans sanctas famulas

Attilo Episcopus, aliis Attila vel Attola. al. æ tanquā si diuinum munus turbaque Angelica venisset.

Christi cum choro psallentium, cum psalmodia, & hymnidicis, summísque laudibus deduxit in vrbem. Sed miraculum illud magnificum dictu, quod nocte eadem in ipsa vrbe gestum sit, non est silendum.

CAPVT VIII.

Quid post Salabergæ ingressum in vrbem acciderit.

PRædictus itaque Pōtifex præcepit pueris ac familiaribus sibi creditis, ob prępar̄adā in crastino die familię Christi refectionis gratiā adesse. Ministri igitur attoniti velociter per noctem, portā oppidi ingressi, obuiā sibi ferarum ac bestiarum diuersa genera cernebant. Nam ille bubulum, alius ceruum; ille vrsum, alius suem, nonnulli lupos, plerique nihilominus vulpes, aliùs interim lasciuum asinum, trucémque cernebant leonem, ęgredientes, & fugientes simul de ciuitate & cætera monstra bestiarum, quæ huic operi intexere prolixum est, ne fastidium lector incurrat.

Quo miraculo pauore percussi omnes ministri mirabantur, quoniam in illo loco istæ bestiæ nusquam antea apparuerant. Quid aliud datur intelligi, nisi quod sanctitatem ac vigorem ancillarum Dei antiquus hostis non ferens, cum suis satellitibus fugiens discessit? Nec immeritò in bestiarum se ferarúmque, & monstruosas deformat figuras, variáque figmenta depromit, qui, vtpote à bono Creatore bonus creatus Angelus, superbia deinceps tumidus dudum dixerat in corde suo: *Super astra cœli ascendam, ponam thronum meū ad Aquilonem similis ero Altißimo.* Nunc de superna claritate, & paradiso deliciarum eiectus, cum suis sequacibus in formicarum, vermium, soricum, vel qualibet deformi specie actus, mysterium operatur iniquitatis: siquidem priscis temporibus, quod plerique adhuc memoria retinent, & superstites esse noscuntur, qui hoc facinus viderunt, quod in eodem oppido, vt creditur, antiqui anguis versutia crudeliter vigebat, plebeios, rusticos, atque hebetes homines arte callida ludificabat, de quo scribitur: *Cuius mille nocendi sunt artes.* Nam sub specie * Idolatriæ eos sibi propriè vēdicabat. Denique * raro tempore peracto, & Idolum vocitabant velut à ludo, incipientes in medio eorum dumtaxat Diabolo debacchante, plerumque homicidia perpetrabantur.

Tempus quo scribebat Auctor.

al. * baptismatis.

al. * retro acto tempore.

Egerat hoc nequissimus Dæmon callidā astutiā, vt si quis ibidem proximum alterius quolibet modo debilitasset, à consanguineis, vel affinitate coniunctis, innoxius foret ab effusione sanguinis, videlicet vt in longius consuetudo nefanda incrementum malignitatis augeret, & miseram vrbem suis habenis irretitam iniquus prædo velut propriam vendicaret. Sed Omnipotens miserator omnium rerum Dominus, *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; ad sui juris plasma clementer respiciens, olim iam hoc sacrilegum, & nefandum facinus, à ciuitate ista radicitùs euacuauit.

CAPVT IX.

B. Salaberga Cœnobium Laud. exædificauit.

SEd nunc rursus ad cœptam redeamus narrationem. Denique contemplata conditione loci, cernentésque idoneum ac gratissimum, & absque discrimine munitionis locum, cœperunt fundamenta Ecclesiarum atque domorum iacere. Quibus ritè peractis, ac prosperè gestis, cœperunt ad laudes Dei Omnipotentis Domini nostri IESV CHRISTI nobilium soboles, seruitiúmque concurrere. Quis enim vir potens, aut fœmina nobilis, qui illis in locis * degerit, qui non Beatam Salabergam ex affectu diligeret? Erat enim hilaris semper, & placido vultu, charitate, atque humilitate perspicua, eleemosynis promptissima, & quæ circa Dei cultum sunt, valde deuota. Quid multa? Infra exigui temporis spatium coaceruatæ in eodem loco sunt, vel Monasterio adunatæ plus minúsve trecentæ famulæ Christi.

al. * degeret

Ipsius encomia.

Illisque dipositis per turmas instar Agaunensium Monachorum, * habendíque castimoniam, disposuit. Die ac nocte præcipiens psallendi canorem Omnipotenti Deo personare, & iuxta egregium prædicatorem Paulum: *sine intermißione orare.* Quæ institutio hactenus in eodem, Christo Auspice, celebratur Cœnobio. Flagrabat quippe in eodem desiderio canendi carminis valde amor intentus. Plures siquidem, vt supra diximus, nobilium, ad seruitium Christi colligendas sitiens adunabat.

al. * habēdi normam. Laudem perennem instituit.

Nam inter cæteras nobilium Sicambrorum fœminas, *Odila*, nobilitate & * ingenio naturæ bono pollens, quæ & ipsa pridem à Venerabili *Vvaldeberto* Christiani vigoris insignia, & salubre acceperat antidotum, consilio accepto cum * legali viro illustri *Bodone*, quem superius prædiximus, qui eo tempore industrius, & potens, & secundum sæculi dignitatem, florens erat, postpositis faleramentis mundi, ad Dominum sunt conuersi; rebúsque suis Monasteriis collatis, post Beatam *Salabergam*, eundem callem terentes, Laudunum * properabant. Bodo incisa cæsarie Monachi, in quantum res sinebat, agebat officium: Ac non multò post Tulli oppidi adeptus Episcopatum, naturæ

S. Odila & Bodo vir eius abdicant sæcularia.

* Ingenii natura boni.

* Regali. adde, Leudinum.

* properauerunt.

debitum reddidit. Veneranda quoque Odila Christi stigmate suscepto sacrarum Virginum se Choro coniungens, sub obedientiæ tenore, vitam beatam degens, spiritum, cui omnia debentur, reddidit.

I. MIRACVLVM.

I. Miraculū Monialem restituit sanitati.
* morosa.
* exornato.
* guttæ cadiuæ vesaniæ.

IGitur cùm Beata *Salaberga* in sanctitate æuosa *, & ornato * vultu, cum sororibus piè vitam duceret, puella quædam Sanctimonialis in eodem Cœnobio cadiuæ * vesaniæ * morbo indepta, dum cursum in Ecclesia canere cœpisset, coram omnibus effrœnata mente in terram corruit. Quam mox Beata & venerabilis Mater secum familiariter acceptam, sedula oratione pro ea Deum poscens: opitulante diuinâ gratiâ, ab eadem peste purgauit, & in seruitium Christi liberè abire iussit incolumem. Plurima enim & valde celeberrima sunt quæ in laudibus atque memoria venerandæ Matris stylo inseruntur, quæ postmodum suis aptabuntur locis.

CAPVT X.

II. Miraculum. Vas plenū reperitur.

QVodam verò tempore dum Beati viri *Vualdeberti* præstolaretur aduentum, & Falerni copia deesset ius tritici vel ordei, quod ceruisam nuncupant, & arte conficitur humana, quo* Orientalium pleræque Nationes vtuntur, iussit facere; quæ cùm in vas, quod lingua vulgari tonnam vocant, missa fuisset, ac cùm vas ad plene refertum ex potus liquore non esset, famula Christi, cui obedientiæ causa eodem anno, iuxta tenorem Regulæ, ad Cellarium custodiendum, sororibúsque ministrandum ordo euenerat, ad venerabilem Matrem summa cum humilitate veniens ait: *Domna*, inquit, *Mater*, *quid faciemus, quia vas non est plenum ex sicera*, *& aër æstuat*, *si sanctus vir Abbas inueniendo moras innexuerit*, *vereor ne potus liquor in acerbitatem aceti * acescat*. Ad quam illa ait: *Vade*, *& quod subsequens ex liquore est confectum*, *funde in vase*. At illa non dubia celeri cursu pergens, vt iussionem scilicet matris impleret, reperit vas plenum, quod paululum pridem semivacuum reliquerat. Ac sic Omnipotentis Dei misericordia actum est, vt dum Matris * fides armatur, obedientiæ vigor in discipula roboratur, virtúsque diuina protinùs panditur, potusque, quod exiguum erat, in maius augetur, remeánsque Dei famula, cum alacritate & humilitate sanctæ Matri narrauit Miraculum. Illa summo rerum Creatori Domino nostro IESV CHRISTO gratias referens, qui seruientibus sibi in veritate citò adesse consueuit.

al. * Occidentalium.
al. * accrescat.
al. * amatur obediētia, vigor in discipula &c.

CAPVT XI.

III. Miraculum.

PAtratum deinceps aliud miraculum soror quædam vel abluendo vestimentorum sordes, vt mos est, ad cellam officinæ, qua hæc agi solitum erat, veniens, accepto vasculo quod in talibus rebus necessitas poposcit, deferens simul & exigua ligna, peruenit. Sed quia cathena, in qua pendebat vas, exilis, & breuior constabat, igni non appropinquans, reperiens de industria famula Dei aliam cathenam, sibi inuicem nexuit, & ecce alia sodalis eius cum alio vasculo ex aëris metallo facto adueniens simile optabat opus, humiliter postulans sociæ dixit. Commoda mihi soror vnam cathenam, vt ambæ velociùs operemur. Ait socia, pro charitatis gratia commodabo tibi, sed perge tu & affer ligni quantitatem, quantum volueris, quia arduè suspenduntur vascula, vt valeamus perficere quod necessitas compellit. Quæ cùm abiisset nequaquam reperit quod petiit. Tunc vtræque ancillæ Christi anxiæ esse cœperunt, quid tamen facerent ignaræ; & subitò magno cum sonitu cella officinæ quasi casura semel flectendo, addicitur igni. Tunc concito cursu famulæ Christi, omnésque sorores ad eam aspiciendam veniunt, & quisnam esset fragor strepitúsve inquirunt. Sed videntes miraculum stupefactæ sunt in re quæ acciderat. Tunc venerabilis mater iubet ad hoc miraculi genus, vt vir Dei *Italus* Presbyter, atque eiusdem Cœnobij Præpositus, contemplaturus accederet. Vir autem Dei cum affuisset, videns cellam fragoribus nec dirutam sed illæsam permanentem, vberes Deo gratias retulit perpendens meritum Matris, quæ ita imbutas ac deuotas haberet Discipulas, quarum charitati feruenti etiam elementa seruirent.

CAPVT XII.

QVadam denique die cum extra murum oppidi, infra claustra tamen Cœnobij æstiuo tempore deambularet, vidit Landefridum Monachum suum hortulanum in horti ambitu nescio quid oleris causa inuestigantem innoxia gramina abscindentem. Ad quem sub sibili voce silentíque, quod nequaquam aliqua sororum audire potuerat, ait: Defer, inquit, nobis ex lactu-

cis, frater Landefride: hæc illa innuendo magis quam loquendo affatur. Hæc præfatus frater narrare consueuerat qui adhuc superest. Mirum dictu! Vox quæ paruo anhelitu & nullo alio audiente emissa fuerat, in aures fratris admodum peruenit, quasi in præsentia fratris ipsius dicta fuisset. Erat autem spatium inter ipsos quasi stadiis quatuor, aut amplius.

Ætas Auctoris.

CAPVT XIII.

ACcidit quoque & aliud miraculi genus. Cùm quodam tempore in coquinæ officio, vt mos erat, hebdomadam suam sororibus deseruiret, & pisciculi, vel alia quęlibet Monasticis vsibus apta, minimè suppeterent, *Basinus* Archidiaconus eiusdem vrbis domi recumbebat, & ecce vox in aures eius insonuit dicens: Nosti quòd Abbatissa onus coquinæ sororibus exercet. Ad eam visendam expedit te debere quantociùs properare. Sed ille leuiùs retinens neglexit. Cúmque vsque ter fuisset ammonitus, etiam insuper verbera minatur adhibere. Quid ageret, quid tantæ Matri munusculi deferret, minimè ad huiuscemodi opus habebat. Tandem aliquando domo egressus in foribus ostij reperit hominem piscem miræ magnitudinis gestantem, quem diuino nutu allatum credens, dato dumtaxat pretio, piscem beatæ Matri detulit. Ex quo illa pulmentum sororibus adhibens, omnes vsque ad satietatem refecit. Quod ne cui de industria factum fuisse credatur; sed nutu diuino ad eius refectionem exigendam præparatum, quoniam verò quanto amore in hac vita omnipotens Deus eam dilexerit, immò vt aurum obrizum purgauerit, silentio non est prætereundum.

CAPVT XIV.

QVodam namque tempore febrium* igne accensa, grauem molestiam corporis perferebat, itavt loquendi facultatem amitteret; Sed cum melius Christo præsule conualuisset, sciscitata immò flagitata à sororibus quænam fuisset correptio illa, feruente spiritu respondit: O dulcissimæ sorores quid inuestigare vultis rei causam? A sæuis namque nimium & tetris opprimebar † Dæmonibus; quando autem melius conualescebam duæ alæ * dorsum meum venientes girabant, quarum visio auro purissimo pulchrior erat. Nam & summitas earum gladio ancipiti acutior sentiebatur. Cùm autem ab his vallabar, fugiebant teterrimi spiritus. Quid autem aliud datur intelligi, nisi quod Omnipotens Deus plasma suum in præsenti dumtaxat purgaret vita, & * dextra suæ protectionis roboratum cum sanctis aggregaret. Alæ etenim in Scripturis Sanctis supernæ intelliguntur potestates. Conualescens corpore sed mente robustior, anno & nouem non plenis mensibus vixit tentatione exacta. Nam quis valeat eius sanctitatis, sagacitatísque astutiam condignis referre præconiis, cuius charitas & humilitas cunctarum subiectarum sibi præminebat miræ dulcedinis & bonitatis affectu? Erat enim hilaris vultu, venustóque aspectu, alacris in colloquio, moderata in verbo, consilio prudens, in ordinandis Cœnobij causis præcipua, sagax ingenio, eleemosynarum amori dedita, & hospitalitate non pigra, in regulari norma discreta, sanctarum fœminarum vitam imitans, Melaniæ videlicet & Paulæ, quarum Melania, vt B. Hieronymus ait, nobilissima Romanarum fœminarum fuit, & Marcellini quondam Consulis filia, Ierosolymam nauigauit, vbi tantùm humilitate & charitate insignis extitit, vt Theclæ nomen acceperit. Paula verò relicto patrimonio vrbano, Græcorum orta prosapia, Bethleemitica rura expetens cum summa bonitate & humilitate vitam degens sacrum spiritum Domino fudit. Et vt altiora repetam: Beata Salaberga imitata Helenam Augustam, Constantini Augusti matrem, vt historia narrat Ecclesiastica, mortificatis carnis membris, mundíque pompis postpositis, quotidianis Deo famulabatur obsequiis. Quicquid enim in Cœnobio vilitatis & quæ munditiæ essent exercendæ, sibimet deputabat: Coquinam autem & reliquas causas, quæ monasticis rebus peragi solent, vicissim suis hebdomadibus ministrabat.

al. * venâ.
Afflictionibus probatur Salaberga.
al. † spiritibus.
al. * à dorso meo venientes girabant me.
al. * dexteræ suæ protectione
Commendatur.
Et humilitate.

CAPVT XV.

SEd cùm his & cæteris his similibus bonis Christo præsule polleret, quodam tempore vidit in mansione quam frequentare solita erat, tabernaculum è polo miræ claritatis ac splendoris descendere, quod deorsũ spatiosum & sursum arduum videbatur. In quo recepta auis miro splendore refulgens, eam apprehensam in extasi positam, immo trãslatam, trans fluuium quẽdam ingentem asportauit, & in prata valde amœna immisit, vbi diuersorum florum, & immensa odoramentorum genera fragrabant, atque inter candentia lilia, & rosarum rubentium flores vidit immensa infantum agmina vtriusque sexus, niueis cicladibus, & laureatis capitibus ouantes, inter quos & Magobertus puerulus aderat. Quâ visâ ait; *Agnoscis me Mater?* Illa ait, *Nescio.* Respondit puer: *Ego sum Magobertus filius* Amilianæ, quem ante te misisti & sum modò in hac claritate quam cernis. Nec mora vidit beatum virum & ve-

Visio B. Salabergæ.
al. * miri candoris ac splendore nimio.

nerabilem *Anscricum* Pontificem, obuiam sibi venire, ad quam ait: *Agnoscis me?* & illa fatetur se ignorare. *Ego sum*, inquit, *Ansericus Episcopus Suessionum, quem crebrius in domo tua accersitum vidisti, veni & ostendam tibi valuas Paradisi.* Et ostendit ciuitatem Dei Altissimi, & duodecim sedes Apostolorum ex auro gemmisque rutilantes. Cui & ait: *Ecce tibi locus præparatus est. Sed quia B.* MARIÆ *ingemmati sunt oculi, & preces sororum ferre non potest, quia adhuc eis necessaria es, deprecata est Filium suum, vt à superis celerius illuc reuertaris præmia possessura tibi à Domino collata.* Interim auis illa iterum illam apprehensam in ore eius, anhelitu * recuperato, à superis remisit.

al. * dato.

CAPVT XVI.

al. * sopore capeter.

De suo obitu certior fit.

IGitur dum quadam nocte * quiesceret, in specie venerabilis viri Waldeberti, vtpote Angelus Domini, apparuit ei tertiò, qui & cingulum eius vidit, & de renibus abstractum secum detulit, quod cingulum vlteriùs non comparuit; significans, vt opinor, quod in posteritate eius honor successionibus accreuerit. Cuius vestes vt ipsa referre solebat, candore nimio fulgebant & hac voce admiranda affatur fœminam: *O dulcissima* filia, præpara te vt accipias brauium, & exitum tuum præstolare, quia & ego ex victoria tua cupio brauium accipere, quia centesima ex hac die dies vocationis tuę eueniet, vt laboris tui fructum, quem cum magno sudore quæsisti, cum multiplicato fœnore in horreo Domini tui recondas. Hæc audiens illa vnâ ex sororibus sibi familiari accersitâ: vim somnij, tenorémque rei pandit, & cæteris promere distulit.

CAPVT XVII.

De felici S. Salabergę obitu.

ANgelus autem Domini præcipit ei vt per singulos dies ac noctes infra illum centenarium numerum expleret psalterium. Ab illa igitur die cœpit vigiliis, ieiuniis, psalmis, & orationibus plus solito Domino libare quantò firmior de promisso, tantò alacrior de obsequio. Ante vigesimã autẽ vocationis eius diem, pedum dolore tacta lectulo * decubuit, vt & de viro perfecto dicitur: *Florebit amigdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.* Nouissimè expleto officio, conuocatis sororum agminibus, hac eas voce affatur: *Permanete in seruitio Omnipotentis Dei, ô famulæ Christi; quia, non qui cœperit iuxta diuinum Oraculum, sed qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.*

al. * occubuit.

Eccl. 12. 5

Matt. 10. 22.

CAPVT XVIII.

INterea, vt assolet in rerum opulentia, discordiam etiam inter propinquos generari, germanus eius *Bodo* aliquas villas, quas per chartarum seriem ad ipsum condonauerat Cœnobium, illicita vsurpatione retinebat: sed compertâ germanæ ægritudine, & illa pro hac re anxia Dominum deprecante; summa cũfestinatione ad eam venit, * moxq; de medio chartarum sanctio inuicem roborata, hactenus rata perdurat, sed cũ sensisset se migraturam à corpore vale dicens sororibus, *Italum* Presbyterum poposcit, vt pro se, sicut mos est, officium expleret funeris, & hæc flagitans sacrum emisit spiritum, Sanctorum aggregata cœtibus, perceptura duplicia in æterna gloria, ipso præstante, cui est honor, & gloria, & virtus, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

De Bodone fratre eius.

al. * moxq; chartas inuicem roborantes, hactenus totum ratum perduxit.

Obiit præfata famula Christi decimo Kalendas Octobris, qua die sacra Thebeorum Mauricio Duce Agauno celebratur passio. Reliquiæ quoque eius in eodem conduntur loco: Ad cuius poliandrum claræ post obitum patuerunt virtutes.

XXII. Sept. euolauit in cœlum.

Explicit vita Sanctæ Salabergæ.

TESTIMONIA
DE HVGONE ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPO.

SANCTVS Bernardus epist. 25. ad Hugonem Rothom. Archiep.

SI diei malitia inualescit, non præualeat. Si turpet, non præualeat. Mirabiles elationes maris, sed mirabilior in altis Dominus. Benignè, si non dißimulas, egit tecum vsque adhuc superna miseratio, Pater illustris. Prouida namque dispensatione, non priùs prefectus es malis, quàm prius sociatus bonis, quorum consortio & exemplo bonus fieres, vt sic postmodum etiam inter malos viuere bonus posses &c. Dico ergo: sufficiebat tibi apud Cluniacenses custodire innocentiam &c. Hæc melius me ipse nosti, ideòque supersedeo. Orari pro me instanter postulo, quia incessanter pecco.

PETRVS Venerabilis lib. 1. epist. 4.

Totius reuerentiæ & dignitatis viro, verè Sacerdoti Dei, Hugoni Rothomagensium Archiepisc. &c.

Idem lib. 6. epist. 32.

Magno Sacerdoti Dei, egregio Archipræsuli Rothomag. Ecclesiæ Hugoni &c. Exundabat diues materia scribendi, nec rerum verarum inopia falsa vel adulatoria fingi poterat. Quid enim magis vel rapere cor meum ad amandum, vel mouere manum adscribendum poterat, quàm tam sancta, tam benigna, tam longæua in sancto proposito à primis ferè adolescentiæ annis, vsque ad senilem magis labore, quàm annorum numero fractam ætatem, perseuerantia vestra? Quid magis mouere poterat, quid magis mouere debebat, quàm illa iam antiqua, mihi & vobis paucisque aliis nota rerum Cluniacensium recordatio? Non excidit mente, qualiter primo iuuentutis vestræ tempore, inter antiquos illos reipublicæ nostræ Senatores, vos insignem viderim. Non excidit quantum eruditio & religio vestra sacrum illum ac magnum Cluniacensium ouium gregem decorauerit: quàm splendidè præ cunctis pene aliis in ordinis commissi custodia effulserit. Taceo, nec viuens obliuisci potero, quòd à cœpto sanctæ religionis proposito, in diuersis Ecclesiasticorum honorum gradibus, vultus vestri non sunt in diuersa mutati; sed tam apud nos, quàm à nobis semoti, Prior, Abbas, Summusque tandem Pontifex Dei, merito virtutis ac scientiæ, bonus semper, iuxta Apostolum, odor Christi in omni loco fuistis. Non estis reueritus magnos magnique nominis Reges; sed quantum in vobis fuit, Ecclesiam Dei super gentes & reges ab eo constitutam, cuilibet mortalium indecenter ancillari, æquo animo numquam tulistis &c. His de causis, si fieri posset, & dispositio diuina permitteret; mallem vestra non solùm frequenter sed & continuè quàm mortalis cuiuslibet vti præsentia: vt vobis colloqui, vobiscum in Domino iucundari, imò quod super omnia optarem, quòdque vtriusque nostrum professio exigit cogitando de ipso, loquendo de ipso, disputando de ipso, in mensa sapientiæ, quæ vobis non est ignota, assiduè deliciari &c.

ARNVLPHVS *Lexouiensis Episcopus Epitaphium Hugonis condidit, extatque in fine Epistolarum.*

ROBERTVS *de Monte* infra in Appendice ad an. MCXXX.

*Mense Decembri transiit (*Henricus Rex*) in Normaniam, & ad Natale S.* MARIÆ *fuit Becci, & adducit secum* HVGONEM *nouiter electum Rothomag. Archiep. qui fuerat Abbas Radingæ: qui etiam sacratus est in Festo Exaltationis sanctæ Crucis, die Dominica Archiepiscopus Rotho. L. quem consecrauit Richardus Baiocensis Episc. cum Coepiscopis suis in Ecclesia S. Audoeni.*

Item an. MCLIV. *Eodem mense Dux Henricus &c. assensum præbuit prædictæ electioni, quam Archiep. Rothomag.* HVGO, *vir summæ religionis & industriæ cum Imperatrice &c. confirmarant.*

Et an. MCLV. *Affuerunt & de Normania vir religiosus ac timens Deum Venerabilis* Hugo *Archiep. Rothomag. &c.*

Denique An MCLXIV. *Obiit* Hugo *Venerabilis Archiep. Rothomag. IV. Id. Octobris. Hic vir magnæ literaturæ, multa iucundè edidit. Viduis, & orphanis, & aliis pauperibus largus extitit. Rexit Ecclesiam Rothomagensem honestè & viriliter annis* XXX.

Scriptorum Hugonis nihil occurrit, præter libros tres de Ecclesia, siue de Hæresibus sui temporis; & duas Epistolas, quas hîc è MS. codice Beccensis Monasterij euulgamus. Prioris meminit Robertus de Monte vbi supra ad ann. MCXLIV. *Extat de hac re ipsa inaudita* (de qua Hugo scribit) *Epistola Hugonis Archiep. Rothomag. ad Theodoricum Ambianensem Episcopum super hac re sciscitantem.*

REVERENDO PATRI THEODORICO AMBIANENSIVM Episcopo, Hugo *Rothomagensium Sacerdos, Prosperari semper in Christo.*

MAgna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius! Apud Carnotum cœperunt in humilitate quadrigas & carpenta trahere ad opus Ecclesiæ construendæ. Eorum humilitas etiam miraculis coruscare, hæc fama celebris circumquaque peruenit. Nostram denique Normaniam excitauit. Nostrates igitur benedictione à nobis acceptâ, illuc vsque profecti sunt, & vota sua persoluerunt. Deinde forma simili ad matrem suam Ecclesiam in diocesi nostra, per Episcopatus nostros, venire cœperunt, sub tali proposito, quod nemo in eorum comitatu veniret, nisi priùs datâ confessione, & pœnitentiâ susceptâ; nisi depositâ irâ & maliuolentiâ, qui prius inimici fuerant conuenirent in concordiam, & pacem firmam. His præmissis: vnus eorum princeps statuitur, cuius imperio in humilitate & silentio trahunt quadrigas suas humeris suis; & præsentant oblationem suam non sine disciplina & lacrymis.

Tria illa quæ præmisimus, Confessionem videlicet cum pœnitentia, & concordiam de omni maliuolentia, & humilitatem veniendi cum obedientia, requirimus ab eis cùm ad nos veniunt, eósque piè recipimus, & absoluimus, & benedicimus si tria illa deferunt, dum sic informati in itinere veniunt, quandoque & in Ecclesiis nostris quàm maximè miracula creberrima fiunt. De suis etiam quos secum deferunt infirmis, & reducunt sanos quos secum attulerunt inualidos. Et nos permittimus nostros ire extra Episcopatus nostros, sed prohibemus eos ne intrent ad excommunicatos, vel interdictos. Facta sunt hæc anno Incarnati Verbi MCXLV. Bene vale.

Alphonso. *HVGO ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPVS, SEDIS Apostolicæ Legatus A   nobilissimo Comiti Tholosæ: Duci Narbonæ, Marchioni Prouinciæ, quidquid boni Tibi mandare possumus & debemus.*

QVia Deus tam honore, quàm probitate tuam personam egregiam & sublimem constituit; decet omnimodis vt bene placeas ei, in cuius manu honor & probitas tua consistit, Scripsit namque nobis tua Liberalitas, quatenus aut Lugduni, aut Viennæ, aut Valentiæ tibi occurramus; sed pro tua Reuerentia magis apud Valentiam tibi obuiam veniemus. Nonis Martij, Domino ducente, pro tua petitione erimus Valentiæ. Speramus enim te plena fide sic velle prosequi sicut venerabili fratri nostro Tricassino Episcopo promisisti, & nobis per literas tuas idipsum promittendo significasti. Festina reconciliari matri tuæ Ecclesiæ, vt crescas semper in honore, Egregie Princeps & Domine. Vale.

Quo loco Hugonem habuerit, quibus sequentibus literis indicat Innocentius Papa.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Venerabili fratri Hugoni Rothomagensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

FEruorem tuæ dilectionis, ac constantiam fidei, quæ in persona tua hactenus claruerunt, exigente temporis necessitate, tam apud Ecclesiasticas, quàm seculares personas, ipsis operum fructibus sancta Dei Ecclesia comprobauit. Vnde & in specula domûs Domini diuinâ prouidentiâ constitutus, super commissum gregem more boni pastoris diligenter inuigilas & te seuerum in corrigendis vitiis exhibendo, Episcopale officium verbis & exemplis adimplere contendis. Age nunc, Charissime, & iuxta Apostoli vocem, *Argue, obsecra, increpa*; in omnibus tamen charitate, & mansuetudine, ac sanctorum Canonum formâ seruatâ.

Nec vllatenus arbitreris quòd ea quæ rectè à te statuta sunt, in irritum deuocare; & quæ

plantaueris disperdere, aut eradicare velimus: quin potius ea quæ secundum Deum & iustitiam feceris, perpetua firmitate volumus obseruari. Quòd si abbas sancti Vvandregisili vsque ad proximam Pentecostes Solemnitatem obedire fraternitati tuæ contempserit, sententiam quam in ipsum rationabilem promulgabis Apostolica auctoritate ratam habebimus.

Præterea, Frater dilectissime, te præsentibus litteris duximus commonendum, quatinus personam tuam studeas præparare, vt cùm Nuncium nostrum acceperis, beati Petri seruitium valeas exercere. Stolam ob insigne dilectionis de collo nostro assumptam, per dilectos filios nostros R. & G. viros industrios, tibíque deuotos, charitati tuæ transmittimus; vt videlicet ad honorem Dei, & beati Petri reuerentiam, nostríque memoriam, ea assiduè perfruaris. Data Pisis XIII. Kalend. Februarij.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Abbati sancti Vvandregisili salutem & Apostolicam benedictionem.

TYrannorum socium se esse manifestis probationibus indicat, qui tenacitatis & ambitionis reus, subditis præesse desiderat, & Rectoris officium negligit adimplere. Perlatum siquidem est ad aures nostras, vnde valde miramur, quoniam cùm locum Abbatis teneas, & fratribus præsis, atque bona Ecclesiæ beati Vvandregisili tamquam Prælatus tuo arbitrio administres, sub prætextu cuiusdam prauæ consuetudinis, quæ sacris Oraculis, & rationi resistit, Archiepiscopo tuo professionem facere contemnis; & quod spectat ad Abbatem, diuinum non suscipis sacramentum. Sacramento ergo contempto, profectò vas vacuum es, & nomen Abbatis cassum geris & inane. Quod si homines decipere niteris, Deum vtique fallere non poteris. Ideóque per Apostolica tibi scripta mandando præcipimus quatinus & benedictionem suscipere, & quod stricti iuris ratio postulat, Prælato tuo irrefragabiliter obedire non differas: quòd si hoc adimplere subterfugiendo distuleris, sententiam, quam in te & obedientes tibi monachos, prædictus frater noster HVGO Archiepiscopus, vir siquidem sapiens & discretus, dictante iustitia protulerit, aut etiam promulgauerit, nos, auctore Domino, ratam habebimus. Data Antisiodori XIII. Kal. Ianuarij.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Charissimo in Christo filio HENRICO *illustri & glorioso Regi Anglorum, salutem & Apostolicam benedictionem.*

QVemadmodum personam tuam sincerâ caritate diligimus, ita in his quæ ad honorem tuum spectare cognoscimus, & secundum Deum possumus, dare operam parati sumus. Venerabili siquidem fratri nostro HVGONI Rothomagensi Archiepiscopo per scripta nostra mandauimus, & consilium dedimus, quatinus de Abbatibus illis, de quibus tua nobis significauit serenitas assensum tuæ præbeat voluntati. Verumtamen quantò altiùs diuinæ pietatis prouidentia personam tuam honore, sapientiâ, & diuitiis decorauit, tantò ampliùs eam obnoxiam sibi constituit, & ad suum obsequium arctiùs alligauit.

Expedit igitur vt in regno siue ducatu à diuina dispositione tibi commisso, tuo tempore prauæ consuetudines amputentur, & vitiorũ radicibus resecatis, bona quæque per tuæ nobilitatis studium, Domino cooperante, plantentur. Aliter enim Abbates, & reliqui Clerici, nec gratum Domino famulatum impendere, nec animarum suarum saluti poterunt prouidere, immo acephali, idest sine capite, reputantur, nisi Episcopis suis & Prælatis debita fuerint humilitate subiecti. Vnde prouidendum est à tua prudentia, ne ipsi omnino liberè, & sine iugo viuendo, in superbiam elati animarum suarum detrimentum incurrant, & tibi (quod absit) ante conspectum superni iudicis imputetur. Ad Excellentiam verò tuam, & prudentiam pertinet, vt prædictum fratrem nostrum HVGONEM Archiepiscopum, tantum siquidem virum, tàm discretum, de cuius religione, & sapientia, sancta Dei Ecclesia lætatur, diligas, & honores, & nullis molestiis inquietari permittas. Data Cremonæ Idibus Iulij.

GVILLELMO DEI GRATIA ROTHOMAGENSIVM ARCHIepiscopo, IVO humilis Ecclesiæ Carnotensis minister salutem & seruitium.

DE clerico præsentium portitore, qui inordinatè & propero saltu, cùm non esset benedictus in Clericum, & in Subdiaconum se fecit ordinari. Sublimitati vestræ respondeo, quia si rigorem iustitiæ tenere vultis, nec in acceptis inordinatè Ordinibus eum ministrare permittetis, nec ad superiores gradus eum promouebitis. In Decretis enim Pontificalibus legitur, quia, quod contra leges præsumitur, per Leges dissolui meretur. Si autem honesta vita,

eius aut vtilitas Ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatoriè, dato clericatu cum debita satisfactione, eam misericordiam impendere, vt cùm sacram Ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde & corpore, sacris Ordinationibus intersit, non vt reordinetur, sed vt competentibus verbis in acceptis Ordinibus confirmetur. De talibus excessibus impendenda misericordia propriam sententiam ad manum non habeo, sed pro simili negotio dispensatoriam ALEXANDRI Papæ secundi sententiam vestræ discretioni transmitto. Cuius exemplo munitus, si vobis dignum fuerit, habita ratiocinatione potestatis & accepta confirmare, & nondum accepta concedere, sententia autem hæc est.

ALEXANDER secundus RVMALDO Constantiensi Episcopo: Solicitudo dilectionis tuæ nos studuit consulere, vtrum portitor litterarum istarum, Diaconatûs, & Presbyteratûs officium idoneus sit peragere, necne, cùm ad id præpropero cursu, videlicet sine Subdiaconatus ordine, negligentiâ potiùs, quàm superbiâ, cognoscatur ascendisse. Vnde nos consulendo charitati vestræ mandamus, vt ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio, Subdiaconatus ministerium sibi ritè imponas, & sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas, Vale.

Hactenus præfatæ sex Epistolæ ex Codice MS. Beccensis Monasterij.

EPISTOLA HVGONIS.

ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI IN LIBROS TRES CONTRA HAERESES SVI TEMPORIS, SIVE DE ECCLESIA, ET EIVS MINISTRIS.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio ALBERICO Hostiensi Episcopo, quàm sæpe Sedis Apostolicæ Legato; peccator HVGO Rothomagensis vtcumque sacerdos.

REuerende Pater tuis obedire mandatis pro tempore distuli, non tamen illud omisi, sed præsta petenti veniam, cui soles præstare gratiam. Digna sedet mihi memoria reminisci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum, ciuitate Nannetensi meruimus assistere tibi. Ibi Sanctorum corpora Martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum: multo cœtu præsente fidelium, suscepta præsentasti, præsentata relocasti cum digno honore, & gratiarum actione. Ibi tecum aspeximus Cometem præcipiti lapsu in Occiduo ruentem, ruinam hæresis, quæ in Armorico tunc scatebat, te protestante signantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica stare non poterat. Eorum Hæresiarches pertimuit: nec apparere præsumpsit. Proinde placuit tibi super Hæresibus insurgentibus nos aliqua scribere, quod & suscepimus tuæ iussionis auctoritate: sed succincto opere, sed breui charactere. Trahatur itaque ex arcto commate clausa latissima, sumantur ex vase modico fercula copiosa, more Catholico in Spiritu sancto.

Donati & Rogatia. Nanneus vrbe.

Hæresis in Armoricæ prouincia.

PRÆFATIO.

MAndat Dominus, obediat seruus, Patres præcipiunt, fratres expetunt, filij requirunt, charitatis imperio simul & singulariter iniungunt, vt contra Hæreticos emergentes nouos, contra eorum hæreses non nouas sed veteres tandem aliquando consurgamus; sinceram Catholicæ fidei puritatem,

& eis opponamus, & contra eos assistente Domino deffendamus. Loquatur igitur per nos & pro nobis omnipotens Pater coæterni Verbi: loquatur Verbum quod semper & pariter omnia dicit: loquatur Spiritus Patris & Verbi vnus & coæqualis, qui continens omnia, scientiam habet vocis. Veritatis sermo proponitur, audiamus; Deus in causa est, assistamus.

HVGONIS ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI

LIBER PRIMVS

DOGMAT[illegible]VM CHRISTIANÆ FIDEI CONTRA HÆRETICOS SVI TEMPORIS.

CAPVT PRIMVM.

Sana doctrina sole clarior.

Deus vnus & Trinus.

SOl oriens effuso lumine, toto orbe noctium tenebras expellit. Sole clarior sana doctrina passim exposita hæresim destruit. Sana doctrina profitetur & prædicat, quia Creator omnium Deus omnipotens & solus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Trinitas inconfusa, Deitas indiuisa. Veritas hæc sublimis, & præcelsa transgreditur vniuersa. Non eam temporalis intelligentia, non ratio capit humana; excedit omnem tàm Angelicæ, quàm & humanæ mentis altitudinem: Hoc Psalmista testatur dicẽs: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, & alibi: *Ascendit*, inquit, *super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum*, id est, super excellentiam alta quærentium. Inuisibilis est Deus soli sibi cognitus: nescit eum penitus vlla creatura, nisi ea, quam sapientia Dei Patris, vt scire valeat gratanter illustrat. Audi Euãgelistam: *Deum*, ait, *nemo vidit vnquam*. Dicimus ergo, Ioannes vnde scire potuit quod euangelizauit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, si nemo vnquam vidit Deum? Inde mox respondit, & ait: Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Ipso igitur enarrante potuit dicere Deum apud Deum, apud Patrem Filium, qui *dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*. Veritas quoque dicit: *Nemo nouit Filium, nisi Pater; & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluit Filius reuelare*. Reuelauit ei qui dixit. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: & Apostolo dicenti: *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Reuelatum est & Moysi in monte Synai, de

Psal. 63. 7

Item 17. 11.

Ioan. 1. 18.

Item. 1.

Item. 12

Matt. 11. 27.

Psal. 84. 9.

2. Cor. 13. 3.

A creatione mundi sub æterni trigona forma senarij, de requie Domini omnibus completis in die septima, sine mane, & absque vespera; de lege, & mandatis, de Tabernaculo fœderis, de ritu sacrorum, & cæremoniis, quorum omnium exemplar in monte perspexit. Reuelata sunt etiam Patribus & Prophetis quam multa de consilio, de Misericordia, de Iudicio Dei; sed ista prosequi non est de instanti: Reuelat & seipsum nobis Filius, qui ait, *Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*. B Iudæis quoque dixit: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est*. Ad hoc consequenter aliàs intulit: *Creditis in Deum, & in me credite*. Hoc si quidem nõ sequeretur, nisi Christus esset Deus.

Ioan. 16. 28.

Item 8. 58.

Item 14. 1.

Adora igitur Patrem, adora Filium, adora pariter vtrumque Deum vnum. Alius quidem est Pater, alius Filius, non alius Deus Pater, alius Deus Filius. Diuersæ sunt personæ Pater & Filius, non autem duo sunt Dij sed vnus. *Audi*, inquit, *Israël Deus tuus, Deus vnus est*. C Huic veritas attestatur: *Ego*, inquit, *& Pater vnum sumus*. Sumus dicit, quia alia est persona Patris, alia Filij. Vnum dicit, quia vna & eadem est essentia Patris & Filij. Spiritus quoque sanctus ipse est Patris & Filij vnus ex Patre & Filio, tertia persona, non tertius Deus. *Verbo*, inquit, *Domini cœli firmati sunt; & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Et, *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*. Sunt dixit, quia tres personæ, vnum pro inseparabili diuinitate. Spiritus iste sanctus, Spiritus est Patris in Euan- D gelio: *Non enim vos estis qui loquimini; sed*

Diuersæ in Deo personæ.

Deut. 6. 4

Ioan. 10. 30.

Psal. 32. 6.

1. Ioan. 5. 6. 7.

Matt. 10. 20.

Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Et Ioannes Apostolus ait: *In Deo manemus, & ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis; & nos vidimus & testificamur quoniam Pater misit Filium suum Saluatorem mundi.* Spiritus iste Sanctus sicut est Patris, ita est & Filij. Super hoc idem Filius ita dicit: *De meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

1. Ioan. 4. 6. 13.

Eiusd. 16. 14.

Adora igitur Patrem, adora Filium, adora amborum Spiritum, non tres Deos, sed simpliciter vnum. Nouerat hoc Propheta, qui dicebat: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Eum dixit non eos, vt vnum teneat non tres Deos.

Psa. 66. 8.

CAPVT II.

Spiritus S. à Patre & Filio procedit, à quo & missus.

SCire autem te conuenit qui Deo & in Deum credis, quia Spiritus Sanctus sicut à Patre procedit, & à Filio mittitur: *Ego,* inquit, *mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Et alibi: *Quem mittet Pater in nomine meo.* Missus iste & à Filio procedit, quem post resurrectionem suam Discipulis insufflauit dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Corporeus flatus ab eo processit, quo inuisibilis signata est processio Spiritus sancti, quem ex seipso dedit. De hoc ait Apostolus: *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Sanctus Spiritus à Patre quidem & à Filio procedit, non nascitur, ideoque non Filius sed procedens dicitur. Filius verò à Patre procedit & nascitur, ideóque Filius appellatur: *Ego,* inquit, *ex Deo processi, & veni.* Processio natiuitatis filij ex Patre, & processio non natiuitatis sancti Spiritus ex vtroque fideliter creditur, perenniter adoratur: Euangelica veritas ista perdocuit, Apostolica doctrina manifestè prædicauit. Contra Hæreticos ista proponimus, & autoritate diuina firmamus, qui Deum non discutimus, sed Catholicè credimus, non est enim discutienda diuinitas, sed fidei simplicitate colenda. Sicut autem Deus Pater à nullo est, sic nec missus est; quia verò ex Patre est Filius, & ex vtroque Spiritus Sanctus bene vterque mitti potuit à quo existit.

Ioa. 15. 26

Ibid. 14. 26.

Eiusd. 20. 22.

Rom. 8. 9.

Filius ex Patre nascitur & procedit.

Ioan. 8. 42

Deus non discutiendus

Pater à nullo est.

CAPVT III.

Filius missus quòd humanitatem assumpsit.

MIssus quidem à Deo Patre Deus Filius, cooperante Spiritu Sancto, de Virgine natus, quod erat permansit, & quod non erat homo fieri voluit; perfectus Deus, perfectus homo, vnus non duo. Vnus cum Deo Patre in essentia, vnus cum assumpto homine in persona. Factus de nostro genere sine criminis traduce. Ex hominibus homo, ex peccatoribus absque peccato. Filius Dauid, Filius Abraham, & Filius Adam. Factus inde medicina, vnde processerat culpa. Deus homo factus est, vt Deos faciat homines; Deos gratiâ non naturâ; Deos adoptione, non essentiâ. Ipse pro peccatoribus absque peccato passus, mortuus, & sepultus, ad Inferna descendit; inde suos liberans die tertia surrexit; & discipulis suis manifestus apparens, ipsósque benedicens, cœlos ascendit: sedens ad dexteram Dei Patris Spiritum Sanctum copiosiùs effundit, vnde charitatis flamma consurgit, teste Apostolo, qui ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Rom. 5. 5.

CAPVT IV.

Vnus Sponsus Christus, vna sponsa Ecclesia.

HOc dato suscepto vna est Ecclesia vni viro desponsata. Quis ille sponsus? quæ illa sponsa? Doctor Gentium fidelibus clamat: *Despondi enim vos vni viro, Virginem castam exhibere Christo.* Celebratur desponsatio ista in præsenti per Sacramenta, in futuro visione manifesta. Fide suscipitur, spe firmatur, charitate perficitur. Aquâ primùm & Spiritu gratanter abluitur, quo detersis criminibus à culpa soluitur, vt sacro renata Baptismate, cœlesti sponso sanctificata societur. Renata itaque fonte perennis gratiæ, manus impositione paranymphi cum oratione, cœlesti signatur chrismate; vt quam Christi baptisma à peccatis omnibus emundat, supereminentis vnctio chrismatis, ritè per Episcopum celebrata, eam virtutibus induat. Virtutes istæ sponsalia sunt præcellentissima ex septiformi sancti Spiritus gratia quæ sponsæ suæ cœlestis sponsus mirificè donat. Exinde præparatur ei vitalis participatio alimenti, Corpus & Sanguis eiusdem Sponsi sui Iesu Christi Filij Dei, quo suscepto & homo Deo, & Deus homini vnitate fœderantur inenarrabili. *Qui manducat,* inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Non hic de ligno vitæ, quod erat in Paradiso terrestri fructum suscipimus: sed ipsam vitam, quæ Christus est de Altari Dominico sumimus: *Ego,* inquit, *sum via, veritas & vita.* Vita hæc mortem in nobis destruit, quæ de ligno scientiæ boni & mali præuaricatione traducta processit.

2. Cor. 11. 2

Quid desponsatio celebratur.

Sponsalia, Virtutes.

Alimentũ, Corpus & Sanguis Sponsi.

Ioa. 6. 54. & 56.

Ioan. 14. 6

Attende qui legis, venerare sponsam Christi prius emundatam aqua baptismatis, renatam fonte salutari: deinde perornatam chrismate regali, manus impositione Pontificis, renitentem gratia septiformi, postmodũ ad mensam

ad mensam cœlestis perductam conuiuij, ibi Corpus & Sanguinem sponsi sui sub fœdere perennis vitæ percipit, & cum Ioanne charitatis filio, supra pectus Domini beatè quiescit. Vide ergo in Baptismate fidem, in Confirmatione sacro facta chrismate spem, in Mensa Dominica charitatem; fide namque renouatur, spe sublimatur, charitate glorificatur.

CAPVT V.

Perfectus Christianus quis.

VT igitur perfectum teneas Christianum, primò eum ex aqua & Spiritu renatum, dehinc charismatum gratiâ, Pontificis manu perornatũ, mox ad Mensæ Dominicæ Sacrosanctum intromitte Conuiuium. Tria ista Sacramenta, Baptismus scilicet nouæ in Christo regenerationis, & Confirmatio baptizati manu facta Pontificis chrismate regali in gratia septiformi, & participatio mensæ cœlestis Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI, in vita perenni fide quidem incipiunt, spe certa crescunt, charitate persistunt. Tria ista ciuitatem Dei constituunt, de qua Psalmista canit, & exultans dicit: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.* Ciuitatis huius fundatorem profitetur idem quia homo est & Deus, dicens: *& homo natus in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*: Deus quidem. Altissimus ipse est, homo sub tempore in ea natus. De eius verò beatitudine dicit in laude: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Hæc patrem habet Deum, amplexatur Dei Filium sponsum suum, collætatur Spiritum sanctum suum esse Paraclytum. Super hoc Psalmista dicit: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio eius non commouebitur. Adiuuabit eam Deus mane diluculo.* In hac sola tam celebri, tam gloriosa remissio est peccatorum, efficacia sacramentorum, gratia charismatum, communio Sanctorum, resurrectio & vita beatorum. Hoc fidei Symbolum ratum & sacratum sana doctrina prædicat singulariter obseruandum, quo ignorantia tollitur, error aboletur, hæresis propulsatur.

Psa. 82 3 — Ibidem 5. — Ibidem 4. — Psa. 45. 5 — Ibidem 6.

CAPVT VI.

PRima quidem defluxio à luce veritatis mox ignorantiæ tenebras incurrit; ignorantiæ cæcitas errorem induxit, error inolitus hæresim procreauit. Hæresis autem error ille vocatur, qui pertinax esse probatur. Spiritus sanctus sanam doctrinam inspirauit, quâ via, veritas & vita nobis innotuit. Spiritus nequitiæ Sathanas mendacium sparsit, quo errorem, & hæresim, & mortem mundo propinauit.

Quid hæresis. — Spiritus S. sanam doctrinam inspirat.

A Sathanas fons mendacij, origò peccati, à bono Conditore bonus conditus, sed mox propria voluntate peruersus inuenit sibi apud se casum superbiæ, cupiditatem rapinæ, sordem Idolatriæ, vbi ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, ero similis Altissimo.* Non erat eius sedem sibi ponere Aquilonem occupare, similitudinẽ Altissimi affectare. *Ponam sedẽ meam*, ecce superbia; *ad Aquilonem*, ecce rapina; *Ero similis Altissimo*, ecce Idololatria. Vide ruinam impij. Voluntatem suam quam Deo debuit, qui eum de nihilo fecit, B non Deo, sed sibi propriam tenuit. A proprio isto mendacium genuit: De hoc veritas ait: *Cum loquitur mendacium, de propriis loquitur*, mendax est enim & pater eius, hoc est mendacij, pater iste mendax, pater mendacij, mendacio Idolum formauit.

Sathanas fons mendacij. — Vnde diaboli casus. — Isa. 14. 14. — Ioa. 8. 44.

Ab exortu itaque malignitatis mendacij Abyssus erupit: *Et tenebræ*, inquit, *erant super faciem abyssi.* Sathanas ille Lucifer à Deo conditus, clarior & excelsus statim voluntate propria deprauatus, præsumptione superbus, cupiditate cæcatus, de excelso factus est Abyssus, de luminoso tenebrosus; C tenebræ eius præsumptionum procellas emittunt, cupiditatum laqueos innectunt, libidinum turpitudines faciunt. Ex earum nebulis tenebrarum creantur noctes errorum, & tempestas iniquorum: Pro his, & de his in Euangelio Veritas respondit: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.*

Diaboli nequitiæ. — Genes. 1. 2. — Luc. 22. 53.

CAPVT VII.

AVdisti super Abyssum tenebras, audi quia Spiritus Domini superferebatur D super aquas. Hic Spiritus Deus est & Dominus, sicut alibi legitur: *Vox Domini super aquas multas, Deus Maiestatis intonuit; Dominus super aquas multas. Fecit*, inquit, *Deus Firmamentum in medio aquarum, diuisitque aquas quæ erant sub Firmamento, ab his quæ erant super Firmamentum.* Angeli quippe illi qui steterunt, cadentibus aliis, humilitate leuati sunt, & ex aquis suæ mutabilitatis in cristallum æternæ stabilitatis E durduerunt. Hi non sibi, sed Spiritui sancto consenserunt, & beati sunt dum non suam sed Domini voluntatem semper inquirunt, iugiter aspiciunt, perenniter diligunt.

Angeli quare non ceciderunt. — Genes. 1. 2. — Psal. 28. 3 — Genes. 1. 7.

De his Psalmista dicit: *Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* Aquæ istæ manent super Firmamentum stabile & immotum, qui est Christus IESVS *portans omnia verbo virtutis suæ.* In eo charitate perfecta consolidatæ sunt, & à beatitudine, quam ibidem acceperunt, cadere nullatenus possunt.

Ps. 148. 4. — Angeli aquæ super cœlos. — Hebr. 1. 3.

Homines aquæ sub firmamento.

Aquæ verò illæ quæ sub firmamento sunt, nimirum homines intelligi possunt, qui nondum laqueos tentationum euaserunt, qui mundum in maligno positum minimè reliquerunt. Et his aliquando Spiritus Domini superfertur, quo suscitantur, vt vita, quæ erat lux hominũ, destruat tenebras eorum, & transferat in lucem Sanctorum. Ibi audiunt dicẽtem Apostolũ: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Hæ sunt aquæ fideles, quæ verbo Domini in vnum congregantur: vnde ait: *Congregentur aquæ, quæ sub firmamento sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Vnum in vnitate Sacramentorum, in vnitate fidei, spei, charitatis, in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; in vnam Ecclesiam Catholicam, vno Spiritu congregatam; in hac vnitate apparet arida, illa scilicet terra, quæ Spiritu sancto diuinitus irrorata, dedit fructum suum, genuit Saluatorem nostrum. Nouit hoc Isayas, & videns clamabat: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Beata terra Virgo MARIA quæ dedit fructum suum, vitam Angelorum & hominum, Dominum Deum IESVM CHRISTVM. *Et iustitia*, inquit, *oriatur simul.*

Ephes. 5. 8

Genes. 1. 9.

Terra B. Virgo S. Spiritu irrorata.

Isaia 45. 8.

Ibidem.

Vide quia cum cæteris de carne carnaliter genitis præuaricatio traducta descendit; Cum isto autem de Virgine nato, operante Spiritu sancto: Iustitia oritur, quia culpa soluitur, Iniquitas aboletur eorum qui per Sacramenta renascuntur; Inde & virtutum gratia vestiuntur, & mensa Dominica perfruuntur. Ego, inquit, ego Dominus creaui eum, non sub concupiscentia carnis, sed efficacia diuinæ virtutis. De hoc Angelus respondit Virgini: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Ibidem.

Luca 1. 35

CAPVT VIII.

De Christi temporali generatione.

EX Adam, ex Abraham, ex Dauid, & cæteris Patribus in eadem Genealogia consequentibus vsque ad partum Virginis, IESVS CHRISTVS Deus & homo vnus descendit, & per clausam Virginis portam, vt Deum & Dominum decebat, vera natiuitate Princeps Omnipotens ad nos egredi voluit, absque vulnere criminis, sine crimine præuaricationis. Factus est de Virgine, factus de nostro genere, non sub peccati traduce, sed abolitio culpæ, sed largitio veniæ, sed effusio gratiæ sempiternæ: Solus Mediator inter Deum & nos, summus Pontifex consilians Deum & nos, Sacerdos non secundum ordinem Leuiticum, sed secundum ordinem Melchisedech manet in æternum. Melchisedech erat Sacerdos Dei Altissimi, cui Abraham decimas exsoluit & in lumbis Abrahæ ibi decimatus est Leui: Qui sicut in Lumbis Abrahæ, ita fuit & in Lumbis Adæ in quo omnes peccauerunt. In Adam peccauit, in Abraham decimatus est. Quia peccauit decimari debuit. Decimabatur quod curabatur. Christus verò sicut in Adam non peccauit, sic in Abraham non decimabatur, non enim erat in eo quod curaret, sed medicina erat & salus, quo mala omnia, & mors ipsa destruitur. Est enim Christus Sacerdos non secundum Leui, qui decimatus est, & à morientibus & ipse moriturus decimas accepit, sed secundum ordinem Melchisedech, qui teste Apostolo Sacerdos Dei Abrahæ victori benedictionem dedit, *cui decimas omnium diuisit Abraham.*

Sacerdos non secundum Ordinem Leuiticum, quare. Heb. 7.

Decimari non debuit Christus.

Heb. 7. 1.

Melchisedech iste, vt ait Apostolus, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in æternum: Intuemini*, ait, *quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Ibi autem contestatur quia viuit, &, vt ita dictum sit, per Abraham & Leui qui decimas accepit decimatus est. Adhuc enim in Lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech: Ea propter intueri libet, quia in Lumbis Abrahæ aliter erat Leui, aliter & Christus. Erat ibi Leui sub lege præuaricationis, quia necesse habebat decimari. Erat ibi Christus, cui à Patre dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Huic omnes debent decimas, quia omnes curat, & æternam benedictionem donat.

Ibidem 3.

Ibidem 4.

Psa. 109. 4

Sacerdos iste singularis & ineffabilis seipsum semper offerens Deo Patri pro nobis, seipsum donat & nobis, Deus & homo inter Deum & nos, cum Deo Patre vnus in essentia, cùm assumpto homine vnus in persona. Solus iste tollit peccata mundi, Mediator Dei & hominum pacem plenam facit vniens seipsum nobis, & nos ipsos sibi in vnitate sancti Spiritus, qui vnus Patris & Filij vnus est in omnibus nobis.

Seipsum nobis, & nos ipsi vnit.

CAPVT. IX.

AB hac vnitate sancta cadunt aliquando decisione manifesta homines impij, mente corrupti, naufragi circa fidem, cauteriatam habentes conscientiam. Pestes sunt huiusmodi hæretici, mendacia spargunt, peruersa proponunt, faciunt schismata, seminãt, scãdala. Ij suis tenebris obuoluti, criminibus fœdi, persequuntur lumen fidei: *Qui malè agit odit lucem*; lucem veram, quæ etiam lucet in tenebris, Doctrinam sanam execrantur,

Qui ab vnitate Christi descendunt.

Hæreticorum peruersa vita.

Ioa. 3. 20.

carnis intemperantiam, spiritus concupiscentiam, mentis superbiam amplexantur; & quia lumen fidei non admittunt, omnis eorum scientia tenebræ sunt. Pro huiusmodi veritas ait: *Vide ne lumen quod in te est teneebræ sint.* Isti quidem licet tenebrę sint, quia impij, quia scelerati, pro rationali tamen intelligentia quam naturaliter acceperunt, quandoque & alta cognoscunt, & sublimia sentiunt: sed suã quam habent de rebus corporeis scientiam, de incorporeis seu diuinis cognitionem, vel experientiam non Deo, sed sibi referunt; suã, non Dei gloriam quærunt. Vnde & obscuratum est insipiens cor eorum. Intellectus quidem hominis pro libertate arbitrij, pro captu rationali, pro intelligentia mentis, eum quærere, eum sequi, eum diligere semper debuit, à quo tanta percepit; & virtute supra se ad Deum humiliter eleuari, fide pura, spe indefessa, charitate profusa.

Luc. 11. 33.

Vnde aliquando hęretici sublimia sentiũt

E contra omnis illa hominum scientia, quæ nec fide regitur, nec spe leuatur, nec charitate Deo coniungitur, manet in tenebris, nescit lumen veritatis. Hinc Moyses ait: *Vidit Deus lucem quia bona est, & diuisit eam à tenebris; appellauitque lucem diem, & tenebras noctem* Lux si quidem rationis humanæ bona, quia à bono Conditore bene condita, dum ei, à quo est seipsam præsentat, obtẽperat, conseruat virtute à Deo suscepta, fit melior seipsa. Hanc lucem appellat diẽ, quia sanæ mentis dealbata, & charismatum splendore vestita, fit dies charitatis, quam Deus inhabitat, & beatam facit. *Dies*, inquit, *diei eructat verbũ*: Dies diei, Catholicus Christiano, Christianus Catholico, fidelis obedienti, obediens fideli eructat verbum apud Deum, Deum Verbum, omnia facta per Verbum; & quia ea omnia in verbo sunt vita, vita Verbum, vita lux hominũ. Itaq; vita & lux Verbũ. Et vt plenius homo vniretur Deo, *Verbum Caro factum est.* Verbum Caro idem Deus homo; *& habitauit in nobis*; non sicut in Angelis, vel in omnibus creaturis, sed homo factus ex nobis. Est igitur vita, & lux hominum Verbum caro factum. Fœlix dies, quæ hoc diei eructat Verbum, hoc semper eructat qui diligit ipsum.

Gen. 1. 4.

Probi viri dies.

Psal. 18. 2

Verbum caro factũ vt homo plenius Deo vniretur.

Ioan. 1. 4.

Dies diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam. Nox nocti errans hæretico, Hæreticus erranti, sceleratus impio, impius scelerato indicat scientiam suo sensu conceptam; falsis opinionibus lubricam, pertinacia iactatam. Scientia hæc, quia superbiâ nititur, elatione grassatur, quærit tantum inflari potiùs quam ædificari. E contra Verbum charitatis humilitate proficit, veritate subsistit, diem ex die pronunciat, quos replet illuminat, Sacramentorum gratiâ perornat, virtutum manibus ædificat. Hoc Apostolus affirmat dicens: *Scientia enim inflat, Charitas verò ædificat.*

Psal. 18. 2.

Nox impius & hæreticus.

1. Cor. 8. 1.

CAPVT X.

CHaritas itaque patiens & benigna domum Dei ædificat, quam summa sapientia septem columnis charismatum, structurâ mirabili consummat, iustitiæ sole clarificat, plenis bonorum omnium copiis locupletat. Hanc domum à longè prospiciens Psalmista dulci modulatione canebat: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Psaltes iste in domo Domini transitoria & caduca, in Ierusalem terrena, pro more canebat, sed ad illam supernam & immotam, stabilem & beatam Ierusalem pia deuotione tendebat. In hoc autem cœpti progressu itineris potissimùm stare intenderant qui dicebant: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Ne verò istam ruinosam & vetustam attendas Ierusalem, sed illam cœlestem veram & beatam respicias, adiecit: *Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* De hac alibi clamat: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion; non commouebitur in æternum qui habitat in Ierusalem.*

Psa. 121. 1.

Ibidem 2.

Ibidem 3.

Ps. 124. 1.

In ista præsenti misera & commota commouetur omnis qui inhabitat, in illa cœlesti gloriosa, & quieta nullatenus commouetur quisquis inhabitat. *Cuius*, inquit, *participatio eius in idipsum.* Ac si patenter dicat: Beata illa ciuitas cœlestis Ierusalem particeps est eius in idipsum. Intransitiuè dicitur, *eius in idipsum*, singulariter positum, diuinitus assumptum, soli Deo & semper assignatum, tanquam propriè proprium: Deus enim nec incipit, nec desinit, nec variatur: Hoc autem sicuti est pleniùs scire, vel intelligere, nulli vnquam licitum est creaturæ, nisi ei, quæ Spiritum sanctum accepit, quo suscepto, & ipsa vnum esse cum Deo meruerit, vnum gratiâ per Christum, vnum participatione eius in idipsum. *Videbimus*; inquit, *eum sicuti est.* Videmus eum in præsenti *per speculum & in ænigmate*, per Sacramenta, nondum in essentia. *Nunc*, vt ait Apostolus; *abscondita est cum Christo in Deo vita nostra: Cum autem apparuerit Christus vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* Ibi non fides, sed meritum fidei; ibi non spes, sed remuneratio spei; ibi charitas, quæ nunquam excidit, quod dilexit, plenè, & perfectè videbit.

Psa. 121. 3

1. Ioa. 3. 2.

1. Cor. 13. 12.

Coloss. 3. 3

Huius cœlestis & beatæ Ierusalem aperta sunt atria, in hac præsenti & temporali Ecclesia; Vnde canit Psalmista: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Hæc

Ps. 121. 2.

sanè atria sunt in Ecclesia, quæ adhuc parturit, & laborat. Filios enim per Sacramenta generat, per Virtutes eleuat, per IESVM CHRISTVM triumphatores cœlesti Ierusalem iugiter assignat.

Ecclesia filios per Sacramenta generat, per virtutes educat, euehit in cœlum per Christum.

Attamen dum in hac lachrimarum valle peregrinatur scandala necesse est patiatur. In hac passim prodeunt insidiæ perfidorum, obscænitas criminum, rapacitas prædonum, turbines errorum, tempestates hæreseum. Inter hæc autem tàm pessima, tàm importabilia mala stat fides Petri, fides Catholica, turris eminentissima. *Mille clypei pendent ex illa, & omnis armatura fortium*; Clypei protectio Sacramentorum, armatura fortium, iacula virtutum. Sacramentis protegimur, virtutibus superamus. Mille quidem plenus est numerus & completus: Bene ergo mille sunt clypei, quia perfectio est in Ecclesiæ Sacramentis: bene omnis armatura fortium, quia est in ea plenitudo virtutũ. Turris itaq; Catholicæ fidei turris est fortitudinis, hæc est turris Dauid quæ respicit contra faciem Damasci. Dauid, id est manu fortis, seu visu desiderabilis intelligitur: Damascus, os sanguinis interpretatur: Turris quippe Dauid, quæ est Ecclesia Christi munita, & fortis ex aduerso Damascum respicit, stat contra feritatem sorbentis sanguinem, contra hæreses, & omnem impietatem.

Cant. 4. 4.

Ex hac turri munitissima & præcellenti prodeunt armati, fortes & validi, qui virtutum gladiis perimunt hostes fidei: *Horum fortissimi custodiunt lectum Salomonis*: His circumseptus Rex pacificus mira suauitate quiescit. Ibi namque lumen Catholicæ fidei clarius excrescit; spes, quæ non confundit, validius inardescit; charitatis flamma copiosius assurgit; ibi lætitia, & pax gratissima. Ex aduerso de tenebris abyssi, de frigoribus Aquilonis, de cruenta facie Damasci emergunt impij, fluunt Schismatici, fantur Hæretici. Impij nec Deum colunt nec Sacramenta suscipiunt. Schismatici, nec patribus suis obediunt, nec Catholicæ Communioni consentiunt.

Cant. 3. 7.

CAPVT XI.

Quid sentiant hæretici illius temporis.

HÆretici peruersa proponunt, & contra Sacramenta disputando sæuiunt. Sacramenta, inquiunt, solummodò prosunt, scientibus non ignorantibus, adultis prosunt, paruulis nihil conferunt. Condemnant isti baptisma paruulorum & infantium; trahunt de Euangelio contra Euangelium, & dicunt: in Euangelio legitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ita proponunt, deinceps assumunt; sed paruuli non credunt: statimque concludunt; igitur baptismata paruulis non prosunt.

Marci 16. 16.

Catholicorum responsio.

Ad hæc surgunt Catholici, omni armatura fortium præmuniti, & dicunt: Quia hoc producti capitulum Euangelij non quidem de paruulis, immò dictum est de scientibus, de adultis. Adulti namque homines, vel sui sensus & memoriæ compotes, non debent baptizari, nisi priùs data sui professione nominis & fidei; talibus illicò mandatur, vt quod promittunt fide, teneant opere. Etenim scriptum est: *Quia fides sine operibus mortua est*; Quare non debuit opponi paruulis. Quod verè dictum fuerat de respondentibus pro se, & apertè professis. Cùm autem generaliter dicat in Euangelio veritas: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei*. & alibi: *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*; nullus excluditur, nec infans recens natus. Quapropter illa eorum fraudulenta conclusio passim respuitur; non procedit, quia gratiæ Dei aduersari planè conuincitur. Non tangit paruulos, vel infantes, sed scientes, sed suæ fidei professores.

Iacob. 2. 20. & 26.

Ioan. 3. 5.

Matt. 28. 19.

Infantibus, vt baptismum suscipiant, sola gratia, non opera necessaria.

In paruulis quidem sola quæritur gratia, nondum opera. Gratia sanctificationis ex baptismo, nondum opera debitæ actionis ex arbitrio. Quomodo autem in præsenti datur Sacramentum Baptismi, sic in antiquo tempore dabatur paruulis Sacramentum Circumcisionis. Sub antiquis Patribus paruuli octauo die circumcidebantur, deinde muneribus hostiarum Domino consecrabantur. Omnes enim ex carnali genitos concupiscentia conclusit originalis culpæ macula. Apostolus dicit: *Quia omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei*. Sed paruuli quomodo culpam nesciunt, quam ex Adam originaliter trahunt, ita & gratiam nesciunt, quam in Christo per Sacramenta recipiunt: sicut autem paruuli non excusantur à culpa, quia eam nesciunt; sic nec excluduntur à gratia, quam præstitam non agnoscunt.

Rom. 3. 23.

Nesciuit Chanaam Cham patris sui culpam, qui Noë genitoris sui nuditatem risit, & tamen pro culpa Cham patris sui seruus cum sua posteritate Chanaam remansit. Verumtamen pro obedientia Abrahæ patris nostri, generalis benedictio in omnes gentes nullis eorum meritis gratanter effluxit. Vnde & hæc sacri regeneratio Baptismi, solius est gratiæ, non meriti. *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes*. In semine tuo, hoc est in Christo, qui Deus homo fieri voluit, vt hominem soluat à peccatis. Peccare quidem homo potuit, sed peccatum peccator suum dimittere sibi non

Gen. 9. 22.

Genes. 22. 18.

Nisi homo Deus potuit hominem à peccato soluere.

potuit. Quapropter omnis eget gloria Dei, qui peccata dimittit homo factus pro nobis; vt, quod non potuit homo solus, efficiat homo Deus, qui *cui vult miseretur & quem vult indurat:* Cui vult gratiam impendit, & quem vult condemnat.

Rom.9.18

De Iacob & Esau nondum natis, nondum scientibus, Apostolus Dominum dixisse testatur: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Nesciebat Iacob gratiam dilectionis, quam accepit; nesciebat Esau sententiam odij, quod incurrit; Iacob quidem & Esau, sicut omnes, in Adam peccauerunt. Sed Iacob pro gloria Dei gratuita dilectione donatur; Esau verò pro originalis culpæ merito, irâ Dei reprobatur. Misericordiam in Iacob, Iudicium in Esau pariter intuemur; & cum Propheta dicimus. *Misericordiam & Iudicium cantabo tibi Domine.* Mala siquidem à nobis habemus, pro quibus meritò, & damnamur; bona verò nisi à Deo habere nulla possumus, sed pro gratia nobis à Deo præstita indebitè, saluamur. Huius dator gratiæ IESVS CHRISTVS natus de Virgine, plenus gratia, & virtute, Sacramentum Circumcisionis in seipso suscepit, Sacramenta sanctificans, non egens Sacramentis. In templo cum hostiis est oblatus, hostias consecrans, non hostiis consecratus. Quod autem iste maior omnibus, sed paruus pro nobis factus, Sacramenta suscepit, agendo nobis innuit paruulos Sacramentis non debere priuari, de quibus post modum ita respondit: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnum cœlorum.* Et ipse quidem Dominus omnium, & Saluator vniuersorum à seruo suo baptisatus, à Ioanne Christus, baptismum sanctificauit, non est baptismo sanctificatus.

Ibid.13.

Ps.100.1.

Mala à nobis, à Deo bona.

Marc.10.14.

Sacramentum hoc non sicut circumcisio in masculis tantùm, & in octauo die, sed omni tempore, in omni sexu, omni ætate, vnicuique semel impenditur, sine quo nemo à culpa soluitur, nemo saluatur. Baptismum quippe pro nobis accepit ipse Dei Filius, ne quod Deus prærogat, ab homine respuatur; nec quod præstat gratiâ, meritis imputetur. Quapropter omnes in omni sexu, in omni conditione, omni ætate, omni tempore, semel baptisari, absque iteratione, dum hîc viuitur, est necesse.

Baptismus à Circumcisione quomodo differt.

CAPVT XII.

SEd his succinctè decursis adhuc Hæretici sæuiunt, & litigando dicunt: Christus cùm esset annorum triginta baptismum accepit, ideóque paruuli non debent baptizari, sed hi qui eo annorum tempore quo Christus baptizatus est, voluerunt baptizari.

Iterum hæretici obijciunt.

Declamatio hæc Hæretica, tàm perniciosa, quàm pessima, non solùm paruulos, sed & quoscunque minoris ætatis viros, excludere nititur à baptismo. Sciendum est autem, & Catholicè profitendum, quia baptismus Christi à Christo sanctificationẽ accepit, non Christum sanctificauit. Nos verò, qui in Christo baptizamur, baptismo Christi sanctificamur: Non igitur baptismus Christi, quem, vt ipsum sanctificaret, accepit, nostro baptismati, quo sanctificamur, debuerat opponi. Christus Dominus venit ad Ioannem vt baptizaretur ab eo in Iordanem. Ioannes prohibebat eum dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Respondit autem IESVS & dixit ei: *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem Iustitiam. Tunc dimisit eum:* De hoc Lucas Euangelista prosequitur ita: *Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est ei cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus in te complacuit mihi.* Attende ergo & intellige, quia in baptismo isto manifestata est ipsa Trinitas Deus, quæ singulariter & inseparabiliter adoratur. Audis Patrem de Filio attestantem; aspicis egressum de aqua Filium, intueris Spiritum sanctum sicut columbam descendentem in ipsum. Ita quoque fit in omni baptismate Christi. Quisquis illud more debito suscipit, efficitur Filius Dei; Et vox Patris attestatur ei; *Tu es Filius meus dilectus, in te complacuit mihi:* Et Spiritus Dei in ipsum descendit. Hæc est omnis Iustitia, quam Iesus Christus adimplere venit in omni regenerato fonte salutari.

Confutantur.

Mat.3.14.

Luce.3.21

Ibid.22.

Aperti sunt ei cœli qui factus est in baptismo Filius Dei. Hic habet Deum Patrem, & Spiritum sanctum in se descendentem. Hoc Psalmista intuens piè decantabat dicens: *Veritas de terra orta est, & Iustitia de cœlo prospexit.* Veritas de terra orta est, IESVS CHRISTVS de MARIA natus est, cuius largitione mirabili Iustitia de cœlo prospexit, quæ filios iniquitatis emundatos à culpæ macula, cœlesti vestitos gratia, sicque iustificatos ad cœlum de terra perducat. Fiunt isti noua creatura, qui baptizantur in præsenti Ecclesia Matre nostra, aliquando professione sua, aliquando attestatione aliena. Paruuli quidem dum Sacramenta quæ nesciunt aliorum opere suscipiunt, per fidem Ecclesiæ Catholicæ præfatam illam de cœlo Iustitiam induunt, & membra Christi fiunt. Saluantur isti & iustificātur Christi baptismate,

Ps.84.12.

Infantes baptismo iustificantur non sua fide, sed Sacramento fidei alienæ.

nondum sua fide, sed Sacramento fidei alienæ.

Sic sic ille paraliticus ante Dominum IESVM à tecto demissus non fide sua, sed aliena saluatur; *Vt vidit*, inquit, *fidem illorum dixit: Fili remittuntur tibi peccata tua*: Et *Surge, & ambula*. Sic mulier Chananea rogans pro filia, nimia importunitate sua gratiam inuenit, & audire meruit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti*. Sic Regulus pro filio: sic vidua egit pro vnico suo: sic pro surdis & mutis, & nimia infirmitate præuentis fides aliena solet operari, quæ in Christo *vult omnes saluos fieri*. Ista pro paruulis vtique baptizandis pauca perstrinximus, ne nihil Hæreticis super hoc respondisse causemur.

Mat. 9. 2. Eiusd. 15. 28. Ioa. 4. 46. Luc. 7. 12.

CAPVT XIII.

PRæterea loquuntur aliqui (tamen euitare volentes ne dicantur Hæretici) Quæstionem faciunt, & dicunt: In veteri Testamento legimus scriptum: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad Iustitiam.* Denique in nouo subiunctum est fidei Sacramentum baptismi, vbi ait: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Si ergo ex fide iustificatio, & salus ex baptismo, quid credentibus & baptizatis, iustificatis & saluatis confirmatio manu facta Pontificis superaponit?

Hæreticorũ obiectio. Gen. 15. 6. Marc. 16. 16.

Audiant isti, quia verè ad remissionem peccatorum, & ad Iustitiam, ad perceptionem gratiæ, & ad vitam æternam sufficit baptismus à quibuslibet, per quoscunque, omni tempore, omni ætate, omni conditione, omni sexu, semel in Christo ritè susceptus. Ibi datur absque meritis gratia, ex gratia Iustitia, ex Iustitia vita, si statim obierit sempiterna & beata, nullàque ei reputantur in peccatum propter baptismi remedium. Si verò post baptismum superuixerit, qui sanctificatus per gratiam Christi à Baptismo surrexit, protinus incentiua carnis suæ sustinens, & Diaboli congressus excipiens, nisi indutus virtute ex alto stare non poterit, superatus carnis suæ concupiscentiis, & mundi illecebris, & Sathanæ tentamentis: *Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ad hoc Pontifex summus dator gratiarum, largitor charismatum, post ascensionem suam discipulis suis iam purificatis, iam sanctificatis, Spiritum sanctum in igne vehementer effudit. Accepto itaque spiritu principali, calore virtutis, igne charismatis, illi ipsi qui antea relicto Domino fugerant, & qui arguentem extimuerat ancillam, mox in medium absque timore processerunt loquentes magnalia Dei, cum omni fiducia prædicantes verbum Dei.

Baptizatus gratiam absque meritis suscipit. Tentationibus resisti non potest nisi gratiâ Dei. Psal. 126. 2.

Sicut ergo Pontifex noster, summúsque Sacerdos, de sede Maiestatis in discipulos suos priùs per Spiritum sanctum baptizatos, & sanctificatos, postea in igneis linguis Spiritum sanctum pleniùs effudit; ita & ij qui præeminent officio pontificali, donant opere cœlesti, vice IESV CHRISTI, donant filiis in Baptismo regeneratis, super eos imponentes manus, cum oratione, & signo sanctæ crucis, & vnctione chrismatis spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, spiritum timoris Domini: Hi sunt septem in vno lapide oculi; septem candelabra in templo Dei; septem tubæ sub manu Iosue triumphantis; septem stellæ in ordine Pontificali: Hi thesauri superabundantes; hæ diuitiæ præcellentes.

Quid Pontificis manuum impositio cõferat.

Dantur ista fidelibus Christi renatis lauachro salutari, fonte perenni, ope Spiritus sancti, qui ab initio sæculi superferebatur aquis, ad demonstrationem sacri baptismatis in Ecclesia Catholica ritè celebrandi. Dantur ista non baptizandis, sed postquam fuerint baptizati dantur, non à quocumque, sed manu sola Pontificis; de hoc in Actibus Apostolorum Lucas Euangelista sic ait: *Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepit Samaria verbum Domini, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent Spiritum sanctum: Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini* IESV CHRISTI. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur* Spiritus *sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat* Spiritum *sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* De Simone Mago isto Apostata facto, Lucas meminit ita dicens: *Cum in Samaria credidissent Philippo euangelizanti de Regno Dei, & in nomine* IESV CHRISTI *baptizarentur viri ac mulieres: tunc Simon & ipse credidit; & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo.* Philippus autem non Apostolus, sed Leuita de septem erat vnus, quibus Apostoli orantes imposuerunt manus. *Videns* itaque Simon Magus per Philippum *signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.* Denique videns Apostolos Petrum & Ioannem dare Spiritum sanctum per orationem, & manus impositionem, ambitione nimia concupiuit hanc præcellentem Pontificum dignitatem, & Episcopalem celsitudinẽ,

Act. 8. 14. Ibidem 12.

mediante pecunia, possidere sub obtentu rapacitatis & auaritiæ. Ex hoc Simone Simonia nomen accepit, quæ dona Dei & beneficia gratis accepta, gratis exponenda mercimonio interueniente confundit. Sed Petri potestas, sed Pontificalis auctoritas, sed fidei Catholicæ puritas, hanc in Simone pestem, & in eius complicibus ilicò perdidit, & maledictioni subiecit. Perditus est itaque Simon Magus cum suis sequacibus, quia donum Dei possidere voluit, pecunia interueniente, vt quod emerat, posset aliis vendere. Perdantur & isti qui nunc obloquuntur Hæretici, dicentes inane & superfluum esse, quod post perceptionem sacri baptismatis confirmantur ab Episcopo fideles Christi.

Ideo namque missi sunt in Samariam ab Ierosolymis Petrus, & Ioannes ab Apostolis, vt eos qui à Philippo Euangelista fuerant baptizati, confirmarent auctoritate Pontificali, super eos orantes, eísque manus imponentes, vt Spiritum sanctum acciperent. Datus est ibi Spiritus sanctus non ad emundationem peccatorum, & sanctificationem, quam in baptismo susceperant, sed vt contra rediuiua carnis peccata, contra mundi huius oblectamenta, contra Sathanæ dira certamina, acciperent diuinam, & insuperabilem gratiam septiformem sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, timoris Domini. His indutus atque munitus quisquis in Christo renatus, vbique securus vndecunque lacessitus victor egreditur; huic victori corona debetur; huic triumphanti gloria præparatur. Festinet itaque omnis in Christo baptizatus, vt oratione Pontificis, & manus impositione, cœlestis vnctione chrismatis consignetur, & sic virtute ex alto suscepta victor vbique proficiat, & pro chrismate regali in perpetuum nomine Christiano præfulgeat.

CAPVT XIV.

Corporis & Sanguinis Christi necessaria est perceptio.

TAlibus, dum in præsenti viuitur, necesse est vt vitalis refectio præparetur, panis vitæ, calix benedictionis æternæ, Corpus & Sanguis summi Pontificis nostri IESV CHRISTI. Hoc autem omnino necesse est, nec alicui Christiano à participatione tanti Mysterij abstinere licitum est. Huic Dominus ait: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* (*Ioa. 6. 54.*) *Qui manducat*, inquit, *carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* (*Ibid. 55.*) *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* (*Ibid. 56.*) Denique in Cœna Paschali, de veteri nouum, de terreno diuinum, panem viuum Discipulis suis dedit: Hinc Matthæus ait: *Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem; & benedixit ac fregit; deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & manducate, Hoc est Corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (*Matt. 26. 26.*)

Ex hac cōmunione Christo vnimur.

Ex hac communione veri Corporis & Sanguinis IESV CHRISTI, & nos IESV CHRISTO, & IESVS CHRISTVS nobis vnitate fœderamur inenarrabili, sicut ipse dicit: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* (*Ioan. 6. 55.*) Noster iste summus Pontifex inter Discipulos suos viuus & integer erat, suísque manibus Corpus & Sanguinem suum dabat: *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* (*Luc. 22. 19.*)

Verè corpus Christ in Altaris Sacramento.

Ex hac ergo Institutione, & præcepto, in altari dominico, & ore Sacerdotum & manibus ipsum Corpus, ipse Sanguis Christi conficitur; non incipit, non nascitur, sed quod totum manet in dextera Dei Patris, totum est in manu Sacerdotis, totum in ore sumentis, vnum in multis, idem in diuersis. Munus hoc inæstimabile, donum hoc incomparabile datum est vniuersali Ecclesiæ matri nostrę in illo sacro conuiuio Paschalis Cœnę. Frustra igitur proditor Iudas Dominū IESVM Iudæis vendebat, quem largitione diuina sub æterno munere mater Ecclesia semper habendum susceperat. Frustrati sunt ergo & ille vendens proditor, & perfidus emptor: *Vicit* enim *Leo de Tribu Iuda*, *radix* David: (*Apoc. 5. 5.*) *lapis excisus de monte sine manibus.* (*Dan. 2. 34.*) Deus & homo, de Virgine natus, ex humano genere sine manibus, absque carnis amplexibus, Deus & homo vnus Iesus Christus, per omnia nobis absque peccato similis factus, pro nobis hostia salutaris, reconciliatio generalis, oblatus in cruce Deo Patri, fideles suos pariter omnes tàm defunctos, quàm viuentes à peccato redemit, à reatu purgauit, à pœna gratanter absoluit. Patriarchas & Prophetas, & quoscunque titulo fidei præsignatos à mundi exordio, Christus IESVS Pontifex noster & Sacerdos, ab Inferis sua morte redemptos eduxit, resurgendo leuauit, ascendendo glorificauit.

Christus in defunctos ac viuentes redemit.

Absque detrimento assidens dexteræ Patris se donat in Altari.

Sedens itaque ad dexteram Dei Patris seipsum absque detrimenti perpessione, absque omnimoda detritione donat in Altari, per officium sacerdotis, viuentibus suis fidelibus in remissionem peccatorum, defunctis sanctis, vel intra Ecclesiam absolutis, in expiationem pœnarum; & vtrisque in vitæ perennis alimentum. *Ego*, inquit, *sum panis viuus qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum:* (*Ioan. 6. 51.*) Et, *panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* (*Ibid. 52.*) Hæc est viua hostia, quam Dominus noster IESVS Christus & ipse Deo Patri pro nobis obtu-

lit, & nos more debito offerre mandauit. *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem*. In eius equidem commemorationem hoc ipsum facimus, dum quemadmodum & ipse fecit, & nos facere præcepit, pro defunctis fidelibus, vel adhuc in præsenti degentibus, in Ara Dominica quotidie ipsum immolamus. In omni namque Missa quam facimus, agnum, qui semper viuit, qui tollit peccata mundi, & immolando sumimus, & sumptum non consumimus. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ: &c. Ego* A *sum panis viuus, non sicut Manna in deserto*, quod calorem solis ferre non poterat, quod in Sabbato non apparebat, de quo dicit: *Patres vestri manducauerunt in deserto Manna, & mortui sunt*. Patres mali, Patres increduli, & corpore & anima pariter mortui. Non erat eis remedium contra mortem Manna comestum. Vera enim & sola contra mortem medicina, qui ait: *Ego sum resurrectio & vita. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Amen.*

Luc. 22. 19. — *Ioa. 6. 48.* — *Ibid.* — *Ioa. 11. 25.* — *Eiusd. 6. 55.*

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

SATHANA sæuiente contra veritatem fidei Catholicæ lux vera procedit, & Spiritus sancti gratiâ clarior innotescit, loquitur veritas, mendacium cadit. Fiunt sacramenta, peccatum deficit. Fons patens in domo Dauid toto orbe diffunditur, baptizantur homines & saluantur. Cœli aperti sunt & virtutes operantur. Desponsatur Ecclesia Christo, induitur virtute ex alto. Episcopi sponsalia præparant, & septiformis gratiæ spiritum donant. Regali chrismate signatur Ecclesia, stat Regina à dextris sponsi in veste C deaurata, charitatis splendore corusca. Huic autem sponsæ tam illustri, tam speciosæ, paratur Cœna paschalis in Aula sapientiæ; ibi vitulus saginatus integer, & perfectus agnus anniculus, plenus, & immaculatus, cum omni suauitate, dulcissimo sapore, gratissima dilectione percipitur. Cibus iste non terrenus, sed super-cœlestis esse dignoscitur, ex eo, & per eum; & in ipso vita, & æternitas, & beatitudo percipitur. Est enim cibus iste D non transitorius, sed quotidianus, sed sempiternus, semper totus, semper viuus: isto viuunt Angeli in cœlis, & beati sunt; isto viuunt homines in terris, & sancti sunt.

Quàm eximius Corporis Christi cibus.

Est namque cibus iste verbum non transitorium, sed æternum, non mutabile, sed idipsum apud Deum Deus Verbum, apud nos Verbum caro factum, & habitauit in nobis: *Et vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*. Et, *Nos de plenitudine eius omnes accepimus*: Omnes videlicet Episcopi, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij, & cæteri sub corona Clericali:

Ioã. 1. 14. Ibid. 17.

Explicatur Ordines sacri.

B Principes quoque & potestates huius terreni moderaminis, & reliqui nomine Christiano signati.

Episcopi toto terrarum orbe dispositi funguntur vice Christi, & principaliter ædificant Domum Dei. Sicut enim summus Pontifex & vniuersalis Episcopus noster IESVS Christus, ex omnibus Discipulis suis elegit duodecim, quos cæteris præferens Apostolos nominauit, quos etsi puros homines, sui tamen officij fecit esse consortes, & diuinæ magnificentiæ compotes: ista quoque ipsorum in Episcopali gratia successores præsules siue Pontifices excellentia singulari præminere fecit, vt more Apostolico Sanctum donent Spiritum his, quibus ritè manus imponunt. Qui autem ordine censentur inferiori, vt Presbyteri, Diacones, & cæteri gradu Canonico in Ecclesia promoti, habent vtique Spiritum sanctum, quo bene viuunt, & in Ecclesia Dei pro officio piè deseruiunt; sed aliis quem acceperunt sanctum dare Spiritum manus impositione non possunt. Soli hoc Episcopi à Domino speciali prærogatiua susceperunt, quod præcellenti opere, ipsum quem habent Spiritum sanctum, ipso donante qui dedit, donant & aliis, quibus ex officio Pontificali, fusis precibus ad Dominum, piè manus imponunt.

Episcopalis Ordo.

Spiritum sanctũ soli Episcopi, non Presbyteri, conferunt.

Mirandum quippe miraculum omni veneratione dignum, non tamen nouum, non quidem est insolitũ, sic nempè olim Dominum egisse legimus, de egisse Moysi Spiritu E in libro Numeri: *Et dixit Dominus ad Moysem: Congrega mihi Septuaginta Viros de senibus Israël, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum, vt descendam,*

Num. 11. 16.

Moyses figura Pontificum.

& loquar tibi, & auferam de Spiritu tuo, tradámque eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. Venit igitur Moyses, & narrauit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senioribus Israël, quos stare fecit circa Tabernaculum; Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum auferens de Spiritu qui erat in Moyse; & dans septuaginta viris. Cúmque requieuisset Spiritus in eis, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt. Solus quippe Moyses sanctum acceperat Spiritum, quo regere poterat commissum sibi à Domino populum. Ipsum itaque Moysi Spiritum, non humanum esse sentias; sed diuinum: Deus enim erat Spiritus quem à Domino Moyses habuit, quem à Moyse sumptum mentibus aliorum Dominus infudit: erat quidem in Moyse Spiritus Domini, qui & datus est aliis, quos more diuino repleuit; totus in Moyse, totus in illis. Moyses ipse hunc Spiritum fatetur esse diuinum, vbi mox respondit dicens: *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum.* Ipse etiam Moyses Pontifex & Sacerdos Domini, super Iosue Ministrum suum manus imposuit, eique Spiritum sanctum dedit In Deuteronomio legis: *Iosue verò Filius Nun, repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas: & obedierunt ei filij Israël, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi.* Iste est Moyses qui Aaron primum sub lege Pontificem, & filios eius consecrauit, eisque Spiritum sanctum ad agenda diuina mysteria Pontifex ipse & Sacerdos mirificè dedit. De eius Sacerdotio Psalmista sic ait: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius; & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.*

Accepit ac tribuit Spiritum sanctum.

Num. 11. 29.

Deut. 34. 9.

Psal. 98. 6.

Helias quoque, si bene recolo, non solummodò Spiritum sanctum habuit, sed etiam Helisæo dedit: *Oro*, inquit, Helisæus Heliæ, *oro vt Spiritus tuus duplex fiat in me.* At ille: *si videris*, inquit, *quando tollar à te, erit quod petisti.* Ad hoc Helisæus perstitit, vidit, & accepit. Proinde filij Prophetarum ita dixerunt: *Requieuit Spiritus Heliæ super Helisæum*: Vnde & Helisæo sicut prius Heliæ subditi permanserunt.

4 Reg. 2. 9.

Ibid. 10.

Ibid. 15.

Vbi autem venit plenitudo temporis, in qua misit Deus filium suum Pontificem, & Episcopum secundum ordinem Melchisedec in æternum, effusa est à sede maiestatis superabundans, & largiflua septiformis gratia Spiritus sancti, ex quo Pontificalis auctoritas, & Episcopalis dignitas pleniùs excreuit. Hinc Petro ait: *Tu es Petrus, & super hanc Petram, ædificabo Ecclesiam meam* Est enim & Petrus in ea, & ipsa in Petro, Episcopus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo. Est Episcopus Ecclesiæ fundamentum, quia per Episcopum habet Ecclesia Spiritum sanctum. Est Episcopi cōficere chrisma sacrum, Oleum sanctum, Oleum infirmorum; consecrare Basilicas Dei & altaria, calicem & corporalia, Officiales & eorum vestes, & omnia Ecclesiæ instrumenta. Baptizatos confirmare, Cæsares & Reges sacrare. De petra ista, super quam fundata est mater Ecclesia, sub Pastorali virga bis percussa, ad amorē Dei & proximi excitata, fluunt aquæ largissimè, aquæ salutares, aquæ viuæ: *Qui biberit*, inquit, *aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et alibi: *Qui in me credit flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dicit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Cùm*, inquit, *venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Gal. 4. 4.

Matt. 16. 18.

Episcopus Ecclesiæ fundamentum.

Episcoporū munia.

Ioan. 4. 13.

Eiusd. 7. 39.

Item 16. 13.

Quod itaque non potest solus homo scire sensu suo, potest homo plenus Spiritu sancto: secundum hoc ait: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Nota in Spiritu veritatis, nota in plenitudine charitatis. Talibus *datum est nosse mysterium regni Dei.* Ne quis autem præsumat eos non audire, vel eorum præcepta cassare, dixit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Et alibi: *Non*, inquit, *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Item. 15. 15.

Marc. 4. 11.

Luc. 10. 16.

Matt. 10. 20.

Habentes igitur à Domino Spiritum veritatis scientes mysteria regni Dei, sicut à Domino Iesv, pariter Apostoli susceperunt, sic per Orbem terrarum tenenda posteris mandauerunt. Post Apostolos enim secuti sunt viri Apostolici, Pontifices & Episcopi, qui virtute cœlesti semper ædificant domum Christi quam sustentant septem columnis. Septem enim sunt gradus illi perutiles & necessarij, ad sustentandam & conseruandam domum Dei manu Pontificis peronati gratia septiformi. Hi sunt secundi Ordinis viri, scilicet Presbyteri, & post eos Leuitæ seu Diaconi, exinde Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij, pro officiis; ab Episcopo sibi delegatis. Isti si absque nutu Episcopi, vel contra Episcopum agere præsumunt, à septenario numero decidunt, à septem columnis prætaxatis resiliunt, à domo sapientiæ prolapsi pereunt. Sed his omissis cœpta teneamus, & de septem columnis Ecclesiæ Dei aliqua sub breuitate dicamus.

Ordinis Sacramētum 7. gradus habet.

CAPVT II.

PRimùm de Presbyteris, quos Episcopi, inuocato Spiritu sancto, consecrant ad conficienda Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta prout ipse Dominus in Cœna Paschali fecit, & fieri mandauit, fieri tantùm

Presbyterorum potestas & officium.

abEpiſcopis, & Sacerdotali Presbyterio ſacratis. Huius officij præcellens poteſtas, & poteſtatis præcelſa dignitas, non Angelis, non cuilibet ſupernorum ciuium maieſtati collata eſt. Deus homo eam homini dedit; non ope humana, ſed cœleſti, non acquiſitione meriti, ſed electione pietatis, ex dono Spiritus ſancti gratanter accepti, quo conſecratus ad hoc opus in Chriſto meruit, vt prorſus idem ipſum efficiat in altari quod Chriſtus fecerit manibus ſuis in Cœna Paſchali. Quapropter manus illæ, manus ad hoc ſacratæ, quibus Chriſti Corpus & Sanguis in altari ſacro habet confici, manus vtique ſunt Chriſti, quibus offertur Patri Filius, qui tollit peccata mundi, & defunctos fideles liberat à pœnis, & æternæ beatitudinis participes facit.

Conſecratus itaque Sacerdos ſtat, vice Chriſti coram Patre ſummo Dei & hominum mediator, dùm Sacramenta ineffabilia deſuper apertis cœlis profert & eleuat ab altari, quibus Eccleſiæ filios participes communione facit, dum in Spiritu ſancto quem accepit, & pœnitentibus peccata dimittit, & Deo reconciliat quos abſoluit. Præfulget in hoc opere Spiritus ſapientiæ, quo in eis ſanctificatur nomen Patris, ſicut in oratione Dominica precatur quiſque fidelis, fiúntque pacifici, ideóque beati cenſentur, *quoniam Filij Dei vocabuntur*. Pacificant iſti in vita præſenti Deum homini, pro ordine ſuo ſacramentis ritè celebratis, ſuíſque meritis, & manibus ſuis cœleſti medicamine plenis.

Matt. 6. 9

Eiuſd. 5. 9.

Sciendum eſt itaque, & omni prædicandum veneratione, quia Spiritus ſapientiæ ſanctificat eos Patri noſtro Deo in filios, non quoſcunque, ſed pacificos, ideóque beatos, & in præſenti ſæculo, & in futuro.

CAPVT III.

Quod Diaconorum munus.

POſt Presbyteros autem conſecrantur Leuitæ ſeu Diaconi manus impoſitione Pontificis, vt in Eccleſia Dei præſto ſint altari, dum in eo fiunt Sacramenta Corporis & Saguinis Domini. Qui licet non agant ipſi conſecrationem, tamen ſuſcipiunt à conſecratore diſpenſationem veri Corporis & Sanguinis IESV Chriſti. De manu namque Pontificis, ſeu Presbyteri, ſuſcipiunt quo ſe & alios munifica largitione alimento vitali reficiunt; & bona Eccleſiæ ſub Epiſcopi voluntate diſponunt. Sunt oculi Pontificum & Presbyterorum; vt in quantum poſſunt quietem & pacem eos habere faciant, qui peragendis Sacramentis inuigilant, qui docere populos, & orare quietiùs elaborant.

Oculi ſunt Pôtificum & Presbyterorum.

Præfulget in hoc opere Leuitarum, ſeu Diaconorum, Spiritus intellectûs, quo & Sacramenta quæ diſpenſant intelligunt; quo res ſibi commiſſas piè diſponunt; quo Prædicatoribus Verbi Dei pacem & quietem, remouendo perturbatores, & inquietos, pro poſſe ſuo faciunt. Hi perornati caſtitate, & beati mundo corde, quærunt Regnum Dei, dum per Diaconias ſuas Epiſcopis viam doctrinæ faciunt, & de ſingulis Epiſcopo quæ norunt, certiùs innoteſcunt. Et hos etiam Euangeliſtas eſſe Pontifices ſtatuunt, & hi vices Pontificum diligenter exequi pro Ordine ſuo ſatagunt.

Hi nimia charitate ſua promerentur cum Stephano videre filium hominis ſtantem à dextris Dei. Hi quoque in celebratione Dominicæ Miſſæ dum ſanctum Euangelium pronunciant præſenti Eccleſiæ; reſpondetur eis, *Gloria tibi Domine*, conſona fidelium voce.

CAPVT IV.

Subdiaconis quid agendum.

POſt Diaconos autem Subdiaconi promouentur; quibus, oratione præmiſſa, ab Epiſcopis cura imponitur, vt obedientes pareant Leuitis, atque Presbyteris, & præparent ſacrata vaſa in quibus conficitur Corpus & Sanguis Chriſti. Præparent pro more panem, & vinum, & aquam, & vaſa his conuenientia: pallas quoque altaris, & * prandea, promptâ ſollicitudine & diligentiâ.

al. * brandea.

Hi dum ab Epiſcopo conſecrantur, proponitur eis ſermo continentiæ & caſtitatis. Si verò caſtitatem deinceps ſe tenere propoſuerint, tunc Epiſcopus dat eis tenere calicem Domini in manibus ſuis, vt ab ea die intendant calici Domini cum humilitate & caſtitate.

Apparet in hoc opere Spiritus conſilij quem ſpecialiter accipit, dum conſecratur oratione Pontificis, quo ſuſcepto ſeruare ſeipſum mundum & caſtum intendit, & præparare ſe myſteriis, & mundata præſentare vaſa Sacramentis. Iſti quidem de ſeipſis miminimè præſumunt, ſed voluntatem ſuam voluntati Domini ſupponunt, & humiliter dicunt: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*: Sicut in Spiritualibus patribus noſtris, ſic & in nobis eorum filiis adhuc terrenis, adhuc decertantibus contra concupiſcentias carnis. Fiunt iſti miſericordes ex hoc fiducialius miſericordiam à Deo poſtulantes.

Matt. 6. 11.

CAPVT V.

Acolythorum officia.

POſt Subdiaconos ſequuntur Acolythi ab Epiſcopis ordinati, vt in Eccleſia Dei ferant Vrceola, Aquamanilia, Manutergia ſuo officio conuenientia, vt ante faciem Euangelij præferant ipſi luminaria accenſa,

cerogerulis diligenter imposita; ita vt in ipsis appareat quod veræ fidei lumine, quod spei certissimæ splendore, quod charitatis ardore iustitiam Regni Dei, per Euangelium declaratam, & ipsi quærant, & alios ad quærendum sui luminis exemplo commoneant; & exinde tàm seipsos, quàm & alios ad percipienda Sacramenta fortiter esuriendo perducant.

Apparet in hoc opere Spiritus fortitudinis, quo inter procellas aëreæ potestatis, & tempestates sæculi, iam fidei lumine viuunt, iam spe proficiunt, iam charitate persistunt. Hi quoque in hoc beati sunt quia esuriunt & sitiunt iustitiam, quia panem nostrum quotidianum semper viuum, semper integrum in altari Dominico piè degustant.

Mat. 5. 6.

CAPVT VI.

Quid præstant Exorcistæ.

POst Acolythos Exorcistæ sequuntur, qui ab Episcopis consecrantur. Exorcistas benedictio Pontificalis Imperatores facit, non emolumenti terreni, non potentiæ carnalis, sed ex virtute Dei, qua Sathanam, & omnem nequitiam ab Energumenis, & quibúsque Dæmoniacis inuocato nomine IESV, præmissa oratione facta ex sufflatione, propellunt; vt ad Baptismi sacri gratiam, & ad percipienda Sacramenta peruenire valeant.

Apparet in hoc opere Spiritus scientiæ, ne hoc sibi attribuant, ne inde superbiant, sed sciant quid fuerint per naturam, quid meruerint per culpam, & quid ipsi ab Episcopo consecrati possint facere per gratiam. Sunt beati qui lugent suos in quibus ante fuerant à bono defectus, ad mala prolapsus, sed consolantur in Domino IESV Christo, qui eos à malis eruit, & Imperatores super Sathanam, ad propellandam eius nequitiam potenter, effecit.

Ibid. 5.

Bene igitur bene isti primùm pro seipsis misericordia superna redemptis, deinde pro illis, quos potestate sibi à Deo collata eruunt à Dæmonum nequitiis, humiliantur sub potenti manu Dei, dicentes voce supplici; *Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* In hoc Spiritus scientiæ eis præsto est, quod licet pro officio sint Imperatores, sciunt tamen pro fragilitate sua se esse peccatores.

Matt. 6. 12.

CAPVT VII.

Lectores.

POst Exorcistas Lectores ab Episcopis benedicuntur, vt in Ecclesia Dei legant, iubente Episcopo, vel in præsentia sua, vel alibi legant verba veteris ac noui Testamenti; legant more solito, tempore statuto, & loco congruo, protestantes sacras noui ac veteris instrumẽti paginas, & Patrum Agiographa, in vnum Dominum nostrum IESVM Christum consona, & completa; & ea debita veneratione semper audienda, pro tempore seruanda.

Apparet in hoc opere Spiritus pietatis, dum non typo superbiæ, non elatione iactantiæ, non astu maligno, non fastu hæretico præsumunt legere, audent exponere, sed pio intuitu, Catholico ductu, scripturas non suo sensui, immò sensum suum applicant scripturis. *Beati mites* isti *quoniam possidebunt terram*, ab aquis & fluctibus maris, ab initio segregatam, hoc est solidam veritatem ab erroribus & errorum fluctibus sequestratam. Hæc vt euadant & liberi fiant, hanc ad Dominum humilem effundunt precem: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Eiusd. 5. 4.

Ibid. 6. 13.

Habentes itaque Spiritum pietatis fiunt mites in pronunciatione veritatis, euitantes laqueos tentationis & proficiunt in scripturis.

CAPVT VIII.

Ostiarij.

POst lectores Ostiarios ponunt Pontifices, vt, accepta benedictione, fores Ecclesiæ diligenti cura custodiant, & fideles ad seruitium Dei certis horis, sono competenti venire commoneant. Hi pro officio suo eos intromittunt quos Catholicos esse cognoscunt, non credentes excludunt, quos irrisores, vel esse perturbatores sentiunt. Illos etiam valde reijciunt, quos ab Episcopi communione priuatos esse pro certo nouerunt.

Apparet in hoc opere Spiritus timoris Domini, qui beatos pauperes Spiritu facit, quo suscepto, Ostiarij à Regno Dei, quod est Ecclesia Christi, secludunt malos à bonis. Hoc fieri iam in præsenti, & compleri penitus in futuro orantes, petunt à Domino, & dicunt: *Libera nos à malo.* Spiritus iste timoris Domini castum & humilem facit, & sapientiam introducit. *Initium*, inquit, *sapientiæ timor Domini.* Timor iste Domini non est seruilis, non est peccati, sed charitatis, quæ libera seruit. Hoc Ostiarius accipit, vt liberetur à malo, & pro paupertate spiritûs recipiat Regnum Dei.

Ibid. 5. 3.

Ibid. 6. 13

Psal. 110. 10.

CAPVT IX.

Septẽ Ordinum prærogatiuæ.

ATtende qui legis, si habes Spiritum Dei, qui clauem scientiæ gerit, claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit; attende hos septem gradus, has septem columnas, ore sapiẽtiæ Dei, per manus Episcopi ordine distinctas, benedictione firmatas, sacramentis ornatas. Has septem Episcopus

septem orationis præcibus eleuat, septem donis sancti Spiritus affirmat, septem beatitudinum honore cumulat. Prætaxatas septem preces illas IESVS Christus edocuit plenas, & perfectas, deditque pro sua magnificentia septem sancti Spiritus dona mirifica, & septem beatitudines suis fidelibus in æternum largitur & vltra, septem istis precibus septem dona sancti Spiritus impetrãtur; septem donis illis septem beatitudines acquiruntur. Fides in precibus, spes in donis, charitas in beatitudinibus pariter assignantur: in præcibus studium, in donis præmium, in beatitudinibus gaudium, si piè quæris citiùs inuenis. Talibus inquirendis admodum intendamus, & super has septem columnas septem dies fœliciter impleamus.

Fides in precibus, spes in donis, charitas in beatitudinibus &c.

Ecce pro septem precibus, pro septem donis, pro septem beatitudinibus verè beata es mater Ecclesia, sacramentis plenissimè diuinis vberrima in te soluuntur peccata, præstatur venia, donatur gratia. Tua quidem sunt omnia, tuus est enim qui fecit omnia. Te summa sapientia semper inhabitat, & bonis omnibus locupletat. Bona tua beneuolentia præparat, charitas dispensat. Ministri tui sunt Episcopi prouisores strenui, tutores fortissimi. Ex te tibi generant filios fortes & ingenuos: ex his quos approbant, eligunt, & exaltant: Ex his creant septem gradus honoris, septem columnas fortitudinis, quas septem precibus Dominicis consecrant, septem donis sancti Spiritus illustrant, septem beatitudinibus glorificant. Hæ septem columnæ & Ecclesiam Dei sustentant, & perpetuo splendore clarificant.

Ecclesiæ Catholicæ dignitas, & quanta cõfert bona.

Columnas tales per Episcopos ordinari Dominus IESVS Christus instituit, & septem gradibus designauit. Ipse etiam in seipso tenens gradus istos proposuit auctoritate sua tenendos.

CAPVT X.

Septẽ Ordines quomodo Christus instituit. Ostiarius ipse fuit. *Luc. 23. 43. Ioã. 10. 9. Matt. 27. 51.*

MAgnus iste noster Ostiarius & semel & iterum de Templo Dei vendentes & ementes eiecit; beato Latroni in cruce pendenti, sed confitenti; sed misericordiam postulanti Paradisum aperuit. *Ego*, inquit, *sum ostium, si quis per me introierit saluabitur.* Ipse potenti virtute portas inferi confregit, & suos inde liberos eduxit: Tunc velum Templi scissum est medium, & reserata sunt Sancta Sanctorum. Eo resurgente apertum est sepulchrum, & terra mota est, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Eo ascendente apertum est cœlum nunc & in æternum.

Lector.

Magnus quoque Lector noster Dominus IESVS semper fuit, qui Verbum Dei Deus apud Deum simul omnia loquitur, & scripsit in libro vitæ vero charactere: qui legem decreti primo homini in Paradiso dictauit. De Lectore isto Apostolus ita dicit: *Multifariè, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.* Lector iste pro muliere in adulterio deprehensa digito in terra scribebat, & dicebat: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Ibi digito suo in terra scribebat, qui olim duas tabulas lapideas, digito suo scriptas, semel & iterum Moysi dederat. Huic Lectori tandem in medio synagogæ datus est ad legendum liber Isaiæ Prophetæ, in eo legit, &, libro reddito, quod legerat, exposuit, & capitulum Prophetiæ manifestè in seipso, & de seipso verè dictum, & verè completum docebat.

Heb. 1. 1. Ioan. 8. 7. Luc. 4. 17.

Magnus quoque noster Exorcista IESVS Christus extitit, qui Sathanam tumentem, & super Aquilonem regnare volentem, solo respicientis imperio virtutis funditùs obruit, qui Patres nostros transgressores à Paradiso deposuit. Imperator iste noster ductus in montem excelsum, Sathanam illum tentatorem vetustum. Idololatram primum propulit, & dixit: *Vade retrò Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Dæmones etiam illos, quibus nomen erat Legio, & in porcos misit. Opera quidem huiusmodi quam multa inuenis, cùm Euangelia perlegis.

Exorcista. *Mat. 4. 10*

Magnus vero noster Acolythus erat IESVS Christus vbi ait: *Fiat lux, & factam lucem diuisit à tenebris.* & de seipso dicit: *Ego sum lux mundi.* Lux ista, lux est vera, de qua sic ait Euangelista: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Acolythus iste in columna ignis filios Israël ab Ægypto vsque in terram promissionis mirificè perduxit. His etiam quos in carne veniens illuminabat, ita dicit: *Ambulate dum lucem habetis.* Et, *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Super hoc noster Acolythus ita præcipit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*

Acolythus. *Gen. 1. 3. Ioan. 8. 12. Eiusd. 1. 9. Eiusd. 12. 25. Matt. 5. 16. Luc. 12. 35.*

Magnus insuper Subdiaconus noster IESVS Christus, omnium potentissimus; filiis Israël in deserto per quadraginta annos manna de cœlo præsentauit. In torrente Carith pauit Heliam multo tempore pane & carne, coruo ministrante. In Cana Galileæ, aquis in vinum versis, Conuiuas lætificauit. In Cæna Paschali aquam misit in peluim, & pedes Discipulorum Subdiaconus humiliter lauit, & linteo quo erat præcinctus extersit.

Subdiaconus. *Deut. 2. 7. 3. Reg. 17. 3. 15. Ioan. 2. 1. Eiusd. 13. 5.*

Magnus

Diaconus. Sap. 8. 1. Magnus idem Diaconus noster IESVS CHRISTVS, qui *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ipse disposuit manum Moysi & ritus sacrorum, & officia ministrorum. Qui sub moribus naturæ, sub legis moderamine, sub remedio gratiæ, ab initio mundi vsque ad finem sæculi, Ecclesiam suam mira dispensatione producit. Ipse Leuita mirificus in Cœna Paschali, vt de veteri nouum faceret, vt ex figuris veritas appareret, semper viuam proposuit escam. Ipse quidem in cruce positus Matrem suam, & discipulum quem diligebat, sub charitatis cura piè disponebat, dicens: *Mulier, ecce filius tuus*: Ad discipulum autem: *Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Filius in matrem à Leuita summo sibi delegatam. De hoc discipulo respondit Dominus Petro, dicens post resurrectionem suam: *Sic eum volo manere donec veniam.*

Ioa. 19. 27

Eiusd. 21. 23.

Presbyter. Magnus Presbyter noster IESVS CHRISTVS, qui Corpus & sanguinem suum propriis manibus suis, de pane & calice, in illo sacro conuiuio fecit, & discipulis suis sumenda tradidit, absque omni ambiguitate, simplici veritate. *Hoc est*, inquit, *Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Sanguis meus qui pro vobis fundetur. Hoc facite in meam commemorationem.* De hoc Sacramento Corporis & Sanguinis sui, & de omnibus Ecclesiæ Sacramentis, eorumque Ministris discipulos suos plenè perdocuit: discipuli sicut à Domino susceperunt, sic & suis tenenda dederunt, & posteris pari forma iugiter obseruanda mandauerunt.

Matt. 26. 26. Mar. 14. 23. Luc. 22. 19.

Pontifex. Magnus iste Pontifex & Episcopus noster, passus in cruce pro Mundi salute, seipsum pro nobis obtulit Deo Patri hostiam sanctam, viuam, plenam, & perfectam; affigens cruci nostræ chirographum damnationis, delens in ea nostra omnium peccata, tam ex origine traducta, quàm propria voluntate superapposita: Eius Sacerdotium ab æterno permanet in æternum. Hic ab initio mundi, simul creatis omnibus & completis, præsulatu supereminenti benedictionem dedit, & sanctificauit diem suæ quietis, in quo semper apud semetipsum ab omni opere quod fecit, ineffabili perpetuitate quiescit. Ad hanc suæ quietis beatitudinem, nouem illos supernorum Ciuium Ordines, Sathana cum suis eiecto, Pontifex pius charitatis manibus eleuauit; & nos miseros peccatis sordidos, criminibus fœdos, ineffabili miseratione respexit. Ipse quidem ad nostras tenebras lux vera descendit, missus à Patre Deus homo factus de Virgine, semen Abrahæ datus ex promissione, in quo benedicuntur omnes Gentes in plenitudine sine fine.

Summus iste Sacerdos omnia peccata nostra tulit in corpore suo. Super hoc Isayas: *Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* Vnde & per eundem Prophetam Pater Deus de Filio suo sic attestatur: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et Propheta: *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum: Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Et ipse Pastor bonus in Euangelio dicit: *Ego pono animam meam pro ouibus meis.* De hoc alibi: *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meã, & iterum sumendi eam.* Posuit eam non pro se, sed pro nobis in cruce moriens; iterum eam sumpsit à morte resurgens: prout voluit ita fecit. *Cùm enim in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est*, vt ait Apostolus, *esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen; quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei Patris.*

Isa. 53. 6. Ibidem 8. Ibidem 7. Ibid. 5. Ioa. 10. 15. Ibid. 18. Philip. 2. 6.

Ex hoc cernimus adimpletum quod ei dicitur in Canticis Canticorum: *Vnguentum effusum nomen tuum.* Salomon autem dicit: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Ab ortu solis vsque ad occasum, à summis cœlorum vsque ad vltimas tenebras inferorum, nomen Christi vbique est effusum in odorem vitæ omnibus qui salui fiunt. De hoc Psalmista canit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam à summo cœlo egressio eius; & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.* Calor iste viuificat sanctos, exurit impios, necat hæreticos.

Cant. 1. 2. Eccles. 10. 1. Psal. 18. 6. Ibidem. 7.

Itaque triumphator excelsus, & Pontifex gloriosus, à sede Maiestatis copiosa benedictione Spiritum sanctum effundit, & muscis morientibus, Hæreticis scilicet curiosa improbitate vana quæque sectantibus, cum errorum tenebris longè latéque dispersis, & perditis, super humiles & quietos descendit vnctio cœlestis, ad laudem & gloriam eiusdem Domini nostri IESV CHRISTI, cuius Regnum & Imperium, summumque Sacerdotium permanet in æternum, & in omnia sæcula sæculorum.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Ps. 144. 9. Quàm misericors Deus. *Sap. 8. 1.* *Genes. 1.*

SVauis Dominus Vniuersis; *& miserationes eius super omnia opera eius.* Suauis est Dominus, *attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Dixit, fiat, & factum est. Vidit factum, & bonum est. Dixit fiat, verbum est in æternitate, & factum est, processit creatura cum tempore. Vidit factum, respectus est beneuolentiæ Conditoris: & bonum est, ecce magnificentia diuini muneris. A summis vsque ad infima, si bene perspicis, vides omnia beneficiis ditata supernis. Suauis est Dominus iste, & misereri non desinit. *Qui facit solem suum oriri super bonos, & malos; & pluit super iustos & iniustos:* Sed *miserationes eius sunt super omnia opera eius.* Opera quidem eius dum attendis, si sapiens es, non obstupescis. Omnipotens Deus *omnia quæcunque voluit fecit: & non est qui possit eius resistere voluntati.*

Matt. 5. 45. *Ps. 144. 9.* *Ps. 113. 11.*

Pacificum tenet Regnum suum, Regnum omnium sæculorum. Deponit potentes, exaltat humiles. Præuaricatores Angelos nutu solo propulit è cœlo; inobedientes primos parentes nostros deposuit à Paradiso. In Ecclesia præsentis exilij perdit à cœtu fideli vasa mendacij, auctores sceleris, defensores hæresis. In omnibus istis & super omnia ista miserationes eius aspice præeminentissimas, & piè considera; quia vt homines fiant Dij, Deus homo fieri voluit. Miro quidem modo facit de immundis mundos, de fœdis pulchros, de indignis dignos, de peccatoribus iustos, de malis bonos, de pessimis sanctos, de miseris beatos: Hæ sunt miserationes eius super omnia opera eius. Sub isto omnium miseratore pacifico Rege, præcellenti Pontifice, in cœlis nouem ordines Angelorum pro humilitate sua charitatis implent officia, à Deo quidem mittuntur, nec ab eo separantur. Semper ei assistunt, quem semper diligunt.

Ps. 144. 13. *Luc. 1. 52.* Angelorũ nouem Ordines.

In terris sub eo, & per eum, Pontificalis auctoritas septiformi gratia sancti Spiritus perornata, septem gradus Ministrorum promouet in Ecclesia sub clericali corona, cũ obedientiæ disciplina, ad peragenda diuina Mysteria. Principes quoque & Potestates manus Altissimi benignè dispensat. De hoc Apostolus dicit: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et Petrus: *Subiecti,* inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue Regi quasi præcellenti; siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Et sicut Daniel attestatur: *Altissimus dominatur in Regno hominum, & cui voluerit dabit illud.* Inter omnia autem Regna mundi corona Clericalis clarius elucescit, quorum vita cæteros illuminat; quorum doctrina alios ad vitam vocat, vt transitoria deserant, & æterna bona concupiscant, vt errores caueant, & Christi bono odore viuant.

Rom. 13. 2. *1. Pet. 2. 13.* *Dan. 4. 14.* Clericorũ status quã præclarus ac perfectus: Regum ac principum terrenorũ præponendus.

CAPVT II.

DE hac corona Clericali, de hac forma regali, de hoc signo IESV CHRISTI Hæretici quæstionem faciunt, maximè illi qui à Clero deciderunt, & ad hæresim transierunt. Vnde, inquiunt, vnde corona hæc accepit initium? Quid nobis & coronæ huic?

Clericalẽ coronam impugnant hæretici.

Ad hoc non eis, quia impacatis, sed Catholicis respondemus. Redemptor sanè noster & Saluator, nos miseros peccati seruitute depressos, morti addictos, Sathanæ vinculis astrictos, misericordiâ motus noster Samaritanus qui sine peccato est, pro nobis peccatum factus est, hostia pro peccato Redemptor noster oblatus est; pro nobis pœnam peccati suscepit; & crucem pertulit in corpore suo, mortem moriendo destruxit magnificus triumphator portans spineam coronam in capite suo. Ex hac Domini IESV corona pro peccatis nostris, à Redemptore nostro suscepta, toto mundo regnare cœpit mater nostra præsens Ecclesia, sponsa Crucifixi, sub spinea corona potestates aëreas debellantis. Sub hac Redemptoris nostri corona triumphat Apostolus, & clamat: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* De hoc Regno Crucifixi nostri Domini IESV responsum in Euangelio legitur: *Nonne hæc opportuit pati Christum; & ita intrare in gloriam suam?* Et alibi: *Empti,* inquit, *estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

Oppugnãt Catholici. Vnde Clericorum corona. *Galat. 6. 14.* *Luc. 24. 26.* *1. Cor. 6. 20.*

Seruitutis indicium corona.

Antiqui quàm sæpe referunt Historiographi à victoribus superatos & captos sub corona fuisse venditos. Venditio talis manifestum erat indicium seruilis opprobrij. Ita & noster Christus pro peccatis nostris venditus, & captus, in cruce sub spinea passus est corona. Hæc indebitè à Domino suscepta, debitam nobis coronam damnationis potenter effregit, & coronam victoriæ suæ, coronam libertatis nostræ, coronam gloriæ sempiternæ, nobis redemptis suis, & sanctificatis, Triumphator egregius superapposuit.

Cur coronā Clericis deferendam præscribit Ecclesia.

Propterea Catholica Mater Ecclesia quosdam inter se de suis fideles elegit, quibus fidei pro firmitate, pro vitæ honestate, pro splendore scientiæ, gratanter imponit similitudinem coronæ Christi, raso desuper capite, capillis in rotundum seruatis, ex æquo tonsoratis. Hoc coronæ signum ad memoriam Christianæ libertatis assumptum, non passim, sed electione quæsitum, pontificali benedictione signatum, ab Apostolis sumpsit exordium, & toto orbe sub Apostolica auctoritate stat in Ecclesia conseruatum. Corona hæc tonsuræ clericalis seruatur in habitu Religionis absque macula criminis.

Clerici etymon.

Omnes huiusmodi pro signo cœlesti, & gratia benedictionis, communi nomine vocātur Clerici, quia Dominus pars eorum est, & ipsi pars Domini prærogatiua speciali pro signo sanctitatis. Ex his aliqui proprietate reiecta sua simul habent communia in vnitate Canonica, tam regulares Clerici, quàm Cœnobitæ Monachi. Aliqui verò singulares nuncupati, seruitio Ecclesiæ deputantur, & quia Canonicas simul in Ecclesiis, horis statutis, laudes Dei persoluunt, etiam Canonici nominantur; præbendas tamen suas diuidendo partiuntur; & hi si bene vixerint meritò collaudantur, & honoribus Ecclesiasticis pro vita & scientia ritè sublimantur.

Clericorū tria genera

Canonicus vnde.

Omnes denique Clericali corona signatos, in quocunque habitu, si tamen religioso, si bona conuersatione decorato, Episcopalis auctoritas cùm opportunum viderit, & vtile fore cognouerit, ordinat in gradibus Ecclesiasticis, & animarum curam eis imponit quamdiu in seipsis coronam Domini & moribus exaltant, & vita glorificant.

CAPVT III.

Prauos Clericos insectatur Auctor, ambitiosos maximè.

HÆc ita diximus, quia quosdam videmus portare coronam Christi non Christo, sed sibi, & in habitu Religionis non virtutes quærere, sed quæstus facere; Non contenti suis, inhiant alienis, simulantes se non habere propria nimia ambitione sua rapiunt inconcessa. Quidam etiam reiectâ verecundiâ peruadunt iura Episcopalia, freti

A falsis inductionibus & peruersis consuetudinibus. Insanis istis veritas contradicit: *Ne transgrediaris*, inquit, *terminos, quos posuerunt Patres tui.* E contra sæuiunt & terminos sibi à Patribus præfixos rapido pede transiliunt, oculos à cœlo deponunt, resurrectionem futuram & si fateantur, nullatenus credunt; *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; post concupiscentias suas eunt & sibi viuunt.

Prouerb. 22.28.

Resurrectionem futuram haud credebant hæretici.

Tit. 1.16.

Eccles. 18, 30.

Epicureos tales, seu vanos simulatores, ab erroribus suis reuocare nemo hominum potest, qui potest omnia, solus potest. B Talibus inclamabat Psalmista, & dicebat: *Filij hominum vsquequo graui corde; vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Statímque proponit eis cui credere, & quem debeant sequi, dicens: *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.* Sanctum istum mirificauit Dominus Patriarchis per oracula præsignatum, Prophetis præostensum in plenitudine temporum, ex Spiritu sancto de Virgine natum, Deum & hominem vnum IESVM CHRISTVM. Hunc Angeli Pastoribus: C hunc stella dixit Regibus; hunc in monte sancto glorificatum vt summi Patris vnigenitum, Petrus, Iacobus & Ioannes videre meruerunt. Iste victor ab Inferis, viuens à mortuis mirificè surrexit, in seipso gloriam veræ resurrectionis præmonstrauit.

Psal. 4.3.

Ibidem 4.

De hac gloria resurrectionis nostræ, de vita beatitudinis æternæ quam multi, sed infideles, dubitant, & dubitando quæritant pro vanitate sua, quod idem Psalmista pro eis clamat, & dicit ita: *Quis ostendit nobis bona?* Scimus, inquiunt, ista bona præsentia, hæc bona temporalia. Nescimus ea, quæ di- D citis æterna, quæ dicitis bona, fine carentia.

Probat resurrectionem.

Psal. 4.6.

Respondit è contra Psaltes ille Propheta, exultat ad Deum dicens ita: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Secundum lumen vultus sui Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam fecit. Habet homo pro imagine Dei æternitatem, pro similitudine Dei beatitudinem. Hoc vtrumque bonum æternitatis & beatitudinis dedit Deus homini, E quem ad imaginem & similitudinem suam fecit. Hoc hominis bonum insigne & præcipuum fecit Deus, qui est lumen verum, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vnde bene concinit Psaltes ille dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Ibidem 7.

Homo imago Dei qui.

Genes. 26.

Ioan. 1. 9.

Psal. 4.7.

Pro imagine quidem Dei, quam nec in malis homo perdidit, necessariò resurget in fine mundi, in resurrectione generali, vt imago respondeat suo Psalmatori, & appareat

vtrum eius similitudinem, ad quam factus est, bene viuendo seruauit. Ibi miser homo, qui amissa similitudine Dei, peccati fœditatem incurrit, si surrexerit absque peccati remedio, tanquam dissimilis recedet à Deo, æterno damnatus elogio. Miser iste inuentus non in veste nuptiali, absque indumento similitudinis Dei, hoc est absque gratia charitatis, cadet à lumine vultus Domini, datus exterioribus tenebris. Miser iste dum tempus habuit, non quæsiuit illum, quem mirificauit Dominus sanctum suum, qui est misericordia nostra, & refugium. *Exaudiet*, inquit, *me cum clamauero ad eum*: Sanctus itaque mirificatus noster iste, qui exaudit clamantes ad se, eósque à peccatis absoluit, à morte redimit, & per gratiam sancti Spiritus similitudinem suam reparat in eis, & resurrectionis suæ participes facit. Vnde Psalmista ita concludit: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Hoc expectabat Beatus Iob, & dicebat: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Hinc veritas in Euangelio: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in resurrectionem Iudicij.* Et alibi: *Hæc est*, inquit, *voluntas patris mei, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum; habeat vitam æternam; & ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Ibidem 4. *Ibidem 9.* *Iob 19. 25* *Ioan. 5. 28* *Ibid. 6. 39 & 40.*

Si Euangelia perlegis, si Apostolos, si Prophetas inquiris, de resurrectione beata Sanctorum, de resurrectione communi omnium qui fide viuis, dubitare non poteris. Fide viuis, si tenes iustitiam fidei: Scriptum est enim; *Iustus ex fide viuit*: Ex fide namque est iustitia, & ex iustitia vita. Vt igitur viuere possis, offer Deo, qui vita est, iustitiam fidei. Hæc oblatio hoc sacrificium placet ei, qui vita est, & vitam tribuit. Admonet hoc Psalmista qui dicit: *Sacrificate sacrificium Iustitiæ.* Hoc autem sacrificium iustitiæ, quia est ex fide, sequitur spes vitæ æternæ. Vnde cùm dixisset: *Sacrificate sacrificium Iustitiæ*, adiecit continuò; *Et sperate in Domino.* Spes ista non est inanis, non est vacua, sed completa, quia plena in Deum charitas ei omnia conseruat, & eam copiosa manu remunerat. Pro spe ista exultabat in gaudio dicens: *Dedisti lætitiam in corde meo*, non in temporalibus, sed in Deo. Alij, inquit, *à fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* In his sperantes lætantur, & pereunt. Ego autem ista prætereo, & in Deum spero. Sed quo fructu, quo præmio? Ait: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Sancta dormitio in pace, quæ semper est beata, quiescit in charitate plena quæ Deus est. Extra Deum non inuenies idipsum; si non habes idipsum, tendis in nihilum, à bono deficis, & cadis in malum.

Rom. 1. 17. *Psal. 4. 6.* *Ex fide iustitia, ex iustitia spes.* *Ibidem.* *Ibidem 7.* *Ibidem 8.* *Ibidem 9.*

Eapropter tu qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus es, attende teipsum, clama ad Deum. Per fidem accede, offer Sacrificium Iustitiæ: renouare per sacra merita, vt his emundatus, his purificatus offeras dignè sacrificium Iustitiæ. Sic in Deo poteris sperare, poteris mutabilia transire, poteris in pace in idipsum dormire, in resurrectione beata quiescere. Ibi, tu homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei conditus es, eris Deo similis, quia videbis eum sicuti est. Testatur hoc Euangelista Ioannes: *Similes*, inquit, *ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Tunc similitudo Dei erit integra in hominibus Sanctis, quos ad imaginem & similitudinem suam Deus fecit. Hæc erit gloria Resurrectionis eorum omnium qui membra sunt Christi, qui dicit: *Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.*

Quid Sacrificium offerre Deo. *1. Ioa. 3. 2.* *Similitudo Dei in hominibus quando integra.* *Ioa. 11. 25.*

Proinde quia resurrectionem nullatenus diffiteri debent qui rationales sunt, & Deo credunt, quęstionē tamen super hoc faciunt, & ita proponunt. Videmus hominum corpora aliquando scissa, & distracta, vel à bestiis, & auibus asportata, & deuorata, insuper & in puluerem redacta, quandoque & in aërem exsufflata, nullatenus ista recolligi possunt, ideóque recompaginari nequeunt, & ipsa eadem mortuorum corpora minimè resurrectura sunt. Respondemus & incunctanter dicimus: Si resurrectio humanorum corporum fieret hominis opere, vel cuiuslibet creaturæ, possent ista, & his similia, patenter opponi, nec facile solui; sed rectè credimus, & verè fatemur; quia manus Domini, manus Omnipotens, omnia colligit, & nulla perdit, omnia cõtinet, & extra se nihil quærit. Humana itaque corpora quãtùmcũque dispersa tenet simul omnia, nouit singula, & ea in momento, in ictu oculi, provt vult, reparat vniuersa. Non est ergo quærendum, quare, vel quando humana corpora condidit, nec qualiter, vel vbi ea in resurrectione reparabit; quia omnia simul & singula, pro Omnipotentia, pro plena scientia, pro voluntate quieta disponit, ordinat, producit, & nutu suo tenet vniuersa.

Quæ in resurrectionē obijciunt hæretici, diluuntur. *Dei Omnipotentiā fit Resurrectio.*

CAPVT IV.

IN eius manu tenentur omnia cœlestia & terrena, spiritualia & corporalia, bona pariter & mala: bona pro cōditore, pro natura, pro gratia. Mala pro defectu, pro negligētia, pro nequitia. Et miro modo ipsa quæ dicimus mala, bene sunt disposita, sibi pessima, bonis vtilia, sūma dictante sapientia, quæ Ecclesiam suam posuit inter mala, prouehit inter scandala, leuat inter aduersa: *Super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.* Vt Arcam in diluuio, vt Israël in mari rubro, vt tres pueros in igne Babylonico: Ita quoque sunt in Ecclesia Dei Virgines, sunt continentes, sunt & coniuges. Virgines pro integritatis gratia gloriantur; Continentes pro certamine victorioso lætantur; Coniuges pro sacri connubij remedio consolantur; Coniugalis quippe castitas sub benedictione Sacerdotis, remedium est contra incentiua carnis, contra libidinem fornicationis. Est autem in coniugio fides, quæ thalamum seruat, ne iste cum alia, nec cum alio illa. Inde proles honesta suscipitur, decora seruatur, hæreditaria benedictione ditatur.

Aduersis quatitur Ecclesia. Psal. 23. 2. In ea diuersi status. Virgines, Continentes, Coniugati.

Est etiam in coniugio Sacramentum, si singulare manserit, quod est vnum. Sacramentum hoc, dicit Apostolus, quia *magnum est in Christo & in Ecclesia*, vnitate singulari atque perpetua. Coniugium namque Christi & Ecclesiæ vnum, & singulare, cœpit quidem ex tempore, sed permanet in æternitate. Ab exordio rerum, ab origine temporum, formata legitur mulier de viri costa; vnde & virago est appellata. *Hoc nunc*, inquit, *os de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam; & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Data est in Paradiso lex ista coniugij, quæ extra Paradisum etiam post peccatum rata permansit. Pro lege ista tempore diluuij bina & bina, masculum & fœminam de animantibus Dominus in Arca seruauit. Iustus Noë Rex Arcæ, ibi cum vxore sua fuit, & tres eius filij cum singulis vxoribus suis. Simplex coniugium in Paradiso statutum est, simplex coniugium in Arca diluuij seruatum est.

Matrimonij Sacramentum. Ephes. 5. 32. Gen. 2. 23.

Lex ista coniugij, tam iusta, tam sancta est, vt etiam ipse mundi Conditor, ipse humani generis Redemptor, cùm caro fieret de carne Virginis, non ex Virgine simplici, sed ex sponsata concipi, & nasci voluerit. Idem ipse in Cana Galileæ miraculo facto de aquis in vina conuersis, nuptias consecrauit. De hoc sacro Coniugij vinculo postmodum ipse præcipit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Huius sanctionem Coniugij diuinitùs instituti in paradiso, seruati in diluuio tenet Ecclesia sub Christo.

Ioan. 2. 1. Matt. 19. 6.

Quotiēs verò decedēte altero, more debito coniugiū fuerit iteratū, sēper quidē est bonū si fuerit vnū. Sed pro iteratione iā non est singulare, nec habet Sacramentū cœlestis coniugij vnius & singularis, quo Christus iunctus est Ecclesiæ perpetua stabilitate. Quisquis itaque iterando coniugium de vnitate transit ad numerum; de singulari ad plurimum; iam non in se repræsentat sacrosanctum Christi & Ecclesiæ coniugium, quod singulare permanet in æternum. Eapropter homo iterati coniugij exinde non habet promoueri in gradibus Ecclesiasticis, nec Episcopus consecrari. Attamen eius coniugium quotiescumque compari decedente fuerit iteratum, si legitimè contractum, reputatur bonum; tenetur honestum. Istam coniugij honestatem illi siquidem non tenent, qui mulieres absque lege Coniugij suo consociant lateri. Super hoc Ecclesia eos arguit, & authoritate qua præeminet, indicit, quatenus aut fornicarias tales amoueant, aut easdem si licuerit, vel alias, legitima traductione coniugij, Christiano more, suscipiant. Ecclesia Christi fornicarios abiicit, impudicos percutit, incestuosos euertit; honorat Coniuges, amat Continentes, exaltat Virgines.

Coniugiū secūdò celebratum haud Christi vnitatē cum Ecclesia signat.

Econtra stant Hæretici, resistunt Ecclesiæ, nolunt audire, nolunt adquiescere, tenent secum mulierculas vndecunque conductas, non sub lege coniugij, non sub debito consanguinitatis, sed sub contubernio priuatæ libidinis. Dicunt se communem in domiciliis suis vitam ducere, & more Apostolico secum mulieres habere. Proponunt quia Paulus ait: *Nunquid non habeo potestatem circumducendi mulieres, sicut Cephas & alij Apostoli.* Igitur & nos formam Apostolicæ vitæ seruamus, qui mulieres non abiicimus, qui in eodem domicilio, in eadem mensa eas nobiscum licitè colligimus.

Contra luxuriosos contendētes sibi mulierculis fornicariè coniungi licere. 1. Cor. 9. 5.

Sed his taliter obloquentibus, & suæ latebras incontinentiæ, falsitatis vmbra tegentibus, respondent Catholici, protestantur Episcopi dicentes: Apostoli Domini nostri IESV CHRISTI, eiusque discipuli sanctas mulieres illas quas ante conuersionem suam legitimè susceperant, & sub coniugali vinculo decēter habuerunt, eas quoque postquā Discipuli Domini facti sunt, debita procuratione seruabant; ita vt de vxoribus sorores fierent, & religiosa deuotione non carni, sed Domino deseruirent; & illas nimirum quæ eorum matres, aut filiæ, vel huiusmodi fuerant iusta deliberatione retinebant, & sanctæ illæ, quæ de Galilæa venerant, Domino de suis aliquando ministrabant. Vos itaque si,

Quas mulieres circumducebant Apostoli? Qualis cū mulieribus

habitatio seu conuersatio.

vt prætenditis Apostolos & in hoc sequi, & sanctos cuiuscunque temporis imitari satagitis, ámodo mulieres illæ, quas vobiscum facitis habitare, sint sponsæ vestræ sub Sacerdotali benedictione, publica attestatione: sint etiam vobiscum, si placet, & illæ, quas pro sanguinitatis linea debetis honorare, & irreprehensibili cura protegere, absq; fornicationis dedecore, vel incestuosa fœditate.

Sic itaque pro Christiana consuetudine mulieres vobiscū, si libet, habetote, aut legitimè desponsatas, aut consanguinitate proxima, in conuersatione sancta; vt si quando mater Ecclesia aliquos ex vobis elegerit, quos Leuitas, vel Presbyteros, siue Pontifices sublimandos adiudicauerit; hoc absque reprehensione fieri possit, & tunc quas legitimas habetis vxores, thoro separato, manebunt vestræ sub castitatis honore sorores. Taliter agentes manebitis irreprehēsibiles, honesti, & vtiles. Morem hunc tenendum in Ecclesia Patrum sanciuit auctoritas, & sancitum seruare suscepit eorum sancta posteritas.

Coniugalis sanè castitas in principio legitur instituta. Opera verò coniugij post peccatum, & extra paradisum nouimus insecuta. Eiectis namque de Paradiso primis parentibus nostris, legimus quia Adam cognouit vxorem suam; factique sunt duo in carne vna. Copula siquidem ista duorum in carne vna, si absque coniugij remedio fuerit vsurpata, fœditas esse reputatur, & fornicatio communi nomine nuncupatur. Hoc Apostolus abhorrebat, & à tali contagio Christianum quemque reuocabat dicens: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Legitima sanè fœdera nuptiarum si ad vnitatem carnis vsque perueniunt, exinde vir, cùm in cæteris dominetur, non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Et in inuicem vir & mulier lege pari dominantur in suæ debito carnis. Porrò iudicatur vir adulter si fuerit cum alia, & mulier si cum alio fuerit iudicatur adultera: Hac de causa potest dimittere vir vxorem, & vxor virum si non teneant coniugij thorum, nec tamen ideo solutus est vir à lege vxoris, nec vxor à lege viri, quamdiu alter eorum viuit: vnde oportet aut viro reconciliari eam, aut manere innuptam, & virum aut reconciliari suæ, aut continere. Altero eorum defuncto, qui superuixerit, nubat cui voluerit, tantùm in Domino.

Gen. 4. 1. — Quid fornicatio. — 1. Cor. 6. 15 — Adulteriū.

Consanguinitas matrimonium dirimit.

Proinde si fuerit accusatum; & ordine Iudiciario comprobatum; quod in linea consanguinitatis septimo gradu, vel infra, fuerint combinati, oportet eos auctoritate Apostolicæ sedis ab inuicem separari; sicut pro consanguinitate generis, sic & pro affinitate consanguinitatis. Nec enim illa viri sui defuncti consanguineū potest accipere, nec ille vxoris suæ consanguineam sibi sociare.

CAPVT V.

Qui castitatem vouêre ducere nequeunt vxores.

Sciendum autem quia neque Monachi, neque Canonici, nec aliqui coram Ecclesia publicè castitatem professi, coniuges possunt fieri. Quod si secus agere tentauerint, incubones reputantur, & fornicarij. Huiusmodi lapsos pro voto fracto mater Ecclesia condemnat, Pontificalis auctoritas Communione priuat. Ex his impudenter aliqui proruunt, & Hæreticos pro se litigantes adsciscunt, qui nobis Apostolum tumultuosa loquacitate proferunt, vbi ait. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat; & vnaquæque virum suum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro.* Et paulo post: *Dico autem non nuptis, & viduis bonum est illis si sic maneant, sicut & ego quòd si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quàm vri.* Ecce, inquiunt, ecce Apostolum, audite illum. Sic autem ab initio nouimus homines creatos à Deo, quòd masculum & fœminam fecit eos, & benedicens ait: *Crescite, & multiplicamini.* Quod vtique fit ex copula carnis. Habeat ergo propter naturæ debitum, & iuxta Apostolum vnusquisque suam, & vnaquæque suum.

Obiectant Hæretici. — 1. Cor. 7. 2. — Ibidem — Gen. 1. 28.

Respondēt Catholici. — 1. Cor. 6. 17 — Ibid. 7. 32

Talibus occurrunt Catholici, respondent Episcopi, ipsum Apostolum ita loquentem adducunt: *Qui, inquit, adhæret Domino, vnus Spiritus est.* Ac deinceps: *Volo autem vos sine sollicitudine esse: qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu: Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obsequendi.* Ex his Apostoli verbis respondemus potissimùm nostris sanæ fidei non contentiosis, sed his qui exercitatos habent sensus ad capessenda quę veritatis sunt, ad exequenda pariter omnia, quæ à Deo mandata sunt.

Doctor Gentium in fide & veritate Paulus Apostolus habet filios, quibus lacte opus est, non solido cibo, quos & in aquis viuere facit in fluctibus mūdanæ conuersationis, quos modificat in operibus carnis sub lege cōiugii propulsata voragine fornicationis, cū immoderatæ naufragio libidinis. His dicitur vt sua omnia cū iustitia teneant, suis cōtenti aliena

non rapiant, de mammona iniquitatis, de transitorio & fallaci faciant amicos sibi pauperes Christi. *Præterit enim figura huius mūdi. Transit mundus, & concupiscentia eius.* Hi nondum pro Deo sua relinquentes, nondum voluntatem suam Domino deuouentes, audiunt ab Apostolo, vt contra fornicationum immunditias, si se non continent, vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque virum suum habeat, vt opus eorum non imputetur ipsis in peccatum, propter coniugij sub benedictione contracti remedium; & reliqua opera sua condiat eleemosyna, regat obedientia, promoueat pietas: Proinde Apostolus Christi habet filios ex aquis mundanæ voluptatis ad superiora leuatos.

1. Cor. 7. 31.
1. Ioan. 2. 17.

Hi non solùm sua reliquerunt, sed etiam seipsos Domino vouerunt, & cum Propheta dicunt; *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Et, *vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius.* Pro huiusmodi à Paulo dictum est: *Qui adhæret Domino vnus Spiritus est*: Vnus est vtique non diuisus. *Volo*, inquit, *vos sine sollicitudine esse*; non quidem sine illa quæ ad Deum est, sed sine illa quæ ad carnem est. *Qui sine vxore est*, inquit, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est sollicitus est quæ sunt huius mundi: quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Diuisus est iste, non vnus, non singulariter in spe ad Dominum erigitur, sed sub carnis opere religatur. Non centesimo honore cum Virginibus gloriatur, non sexagesima continentiæ palma lætatur; sed tricesimo coniugij labore fatigatur; &, quia legitimè coniunctus est, pro honestate coniugij laudatur.

Psal. 4. 10
Psa. 24. 4
Ibid. 5.
1. Cor. 6. 17.
Ibid. 7. 32

CAPVT VI.

TRes istos ordines Virginum, Continentium, & Coniugatorum, Ecclesia Christi suscipit, honorat & diligit. Alios autem sine virgineo decore, sine gratia continentiæ, sine coniugali venustate, notoria propalatione manifestos, seu publicè confessos, vel ordine iudiciario conuictos, tandem censura Pontificali anathematizat, Ecclesiæ virtus eliminat. Istis pereuntibus soli Noë, & Daniel, & Iob liberantur.

Noë siquidem præcipiente Domino centum annis Arcam fabricauit, & super vndas diluuij gubernauit, in qua de omni genere animantium in terra, seu volatilium per aëra, masculum & fœminam, Domino adducente, suscepit. In hac autem ædificatione diurna, in hac gubernatione tàm innumera, tàm multifaria; insuper etiam post diluuium trecentis quinquaginta annis genuisse non legitur, sed continens mansisse perhibetur.

Coniugatos, Virgines, continẽtes, Noe, Daniel, & Iob repræsentant.

Daniel autem de filiis Iuda in aula Regis Babyloniorum immaculatus, & sanctus corpore & spiritu stabat coram Domino Deo suo; immensâ præ cæteris ornatus gratiâ, visionum mysteria & reuelationum sacramenta cognoscebat, semper coram Domino quiescens in cœlibatu suo.

Iob magnus inter omnes Orientales, de quo Dominus ad Sathanam: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo.* Hunc Dominus vt probaret in manu Sathanæ dedit, qui ei omnem substantiam suam abstulit, & filios & filias eius interfecit: quem etiam à planta pedis vsque ad verticem vlcere pessimo percussit. Super hæc omnia Domino benedicebat Iob, & exprobranti vxori respondebat: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus autem conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret pro amicis suis. Addidit quoque Iob Dominus omnia duplicia*, quæcumque ei antea fuerant, & benedixit nouissimis Iob, magis quàm principio eius in substantia rerum suarum cum restitutione filiorum & filiarum.

Iob 1. 8.
Iob 2. 10.
Eiusd. 42 10.

Igitur Noe iustus cum vniuersis suæ prouidentię commissis in Arca saluatur pro obedientia sua: Daniel sanctus in medio leonum esurientium viuit pro innocentia sua. Iob simplex & rectus timens Deum, & recedens à malo eripitur à Sathana, & quæ perdiderat plenius habet omnia pro pœnitentia sua. De istis tribus, per quos in Ecclesia Dei tres Ordines designatur, Virginum, Continentium, Coniugatorum coram Domino piè viuentium ad Ezechielem Prophetam Dominus ita loquitur: *Fili hominis, terra cùm peccauerit mihi, vt præuaricetur; præuaricans extendam manum meam super eam, & conteram virgam panis eius, & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum: & si fuerint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel, & Iob, ipsi in iustitia liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quòd si & bestias pessimas induxero super terram, vt vastem eam, & fuerit inuia, eo quòd non sit pertransiens propter bestias: & tres viri isti fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur; terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, & dixero gladio; transi per terram illam, & interfice de ea hominem, & iumentum, & tres viri isti fuerint in medio eius. Viuo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios; sed ipsi soli liberabuntur. Si autem & pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sangui-*

Ezec. 14 13.

nem; vt auferam ex ea hominem, & iumentum; & Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi in iustitia sua liberabunt animas suas.

Omnes ergo qui per istos tres designantur, per Danielem Virgines, per Noe Continentes, & per Iob Coniuges, pro sua iustitia saluantur. Cæteri hominum qui de aliquo istorum trium ordine nullatenus sunt, vel ab eis apostatando recidunt, mala imminentia atque promerita non euadunt.

CAPVT VII.

Recidentes isti quia vota sua preuaricando deserunt, quia primam fidem irritam faciunt, transgressores deputantur; & si admoniti emendare contemnunt, infames fiunt. Si verò errorem defenderint, sibi nomen hæreseos adsciscunt. Occurrunt eis Ecclesiæ filij, sanam doctrinam opponunt eis, corripiunt insipientes, reuocant errantes, frangunt hæreticos, perdunt desperatos. Sequuntur Apostolum dicentem: *Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita; sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cùm sit proprio iudicio condemnatus.* (Tit. 3. 10.) Pestes huiusmodi hæretici subuersi desperati quantò validius currunt, tantò profundius cadunt; quem enim non tenet veritas, erroneum protrahit falsitas. Vnum, qui Deus est, perdit, & ad infinita descendit. Pro varietate diuersorum ei nulla sufficiunt, sed concurrentibus variis singula perdit. Huiusmodi præcipitia perhorrēs Propheta Dominum exorabat dicens: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* (Ps. 68. 16.) Aquarum tempestate demergitur quisquis ignorantiæ nebulis hebetatur: Profundo si quidem absorbetur quisquis errorum funibus implicatur. Obturato desuper puteo, mola desperationis protegitur, quisquis hæresum colluuione suffocatur. Veruntamen & hi nequissimi, tàm perniciosi, quàm pessimi omnipotentis manu disponuntur Opificis; comprimuntur ne faciant quanta nituntur, sed quanta facere permittuntur. (Ex hæresib. quid accidat Ecclesiæ.) Tenent suum hoc maligno tempore locum, per eos enim Ecclesia præsens crebriùs excitatur, anxiata probatur, probata firmatur, firmata dominatur. Tandem verò malis penitus exclusis stabit Ecclesiæ Catholicæ Regnum solidum, & pacatum toto Orbe terrarum, vsque ad summa cœlorum, eritque Deus omnia in omnibus. (1. Cor. 15. 39.) Omnia in omnibus sanctorum voluntatibus, omnia in virtutibus, omnia in bonis omnibus, æternitate continua, beatitudine diuina.

Ista non attendunt homines ferè mentis intelligentiam non habentes, rebus corporeis pleniùs intendentes, verè sopita ratione bestiales. Talibus cùm nihil de fide, & sacramentis Ecclesiæ valeat, quis vt oportuit intimare pro consilio dicitur, vt non suos sensus, sed Ecclesiam Dei obediendo sequantur. Respondent illi, & quasi irridentes aiunt nostris: (Quæ sensibus subiacent, approbant hæretici.) vos qui Ecclesiam Dei sequendam proponitis, dicite nobis, quid est & vbi est, & quare est Ecclesia Dei? Volumus, inquiunt, eam agnoscere, & agnitam inuenire, & inuentam pro vtilitate, si qua est, eam conseruare, visibilia quærimus & approbamus; inuisibilia quoniam ignoramus, ignorata reprobamus.

Tales Christianos non fide viuentes, sed quasi mortuos abhorret mater Ecclesia, & de eis iam ferè desperat, quæ adhuc Gentiles & Iudæos, vt conuertantur ad Dominum, patienter expectat. Quia verò scriptum est: *Non respondeas stulto, ne similis ei esse videaris;* (Prou. 26. 4.) præterimus istos, ne margaritas ponamus ante porcos: sed nostris piè quærentibus respondere compellimur. Loquatur igitur ille qui dixit: *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* (Matt. 10. 19. Ibid. 20.) Aperiat Spiritus sanctus suorum corda fidelium, & obstruat ora perfidorum; descendat vnctio cœlestis, audiatur verbum veritatis.

CAPVT VIII.

Est sanè Ecclesia vera atque Catholica in vnum collecta, caput & membra plena, & perfecta: (Quæ Ecclesia Catholica.) summa Trinitas Deus vnus; Deus & homo Christus vnus: vnitas fidelium in vno Spiritu, vna cum Deo per vnum IESVM Christum Deum & Dominum nostrū. Huius vnitatis ineffabile mysterium, mirabile Sacramentum, cùm à nobis nequeat explicari, non tamen potest ignorari. Summa quidem Trinitas, Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres personæ, sed vnus ita Catholicè pensatur, vt & Trinitas minimè confundatur, & vnitas indiuisa sentiatur. Trinitas in vnitate permanet inconfusa; vnitas in Trinitate semper est indiuisa. Pater quippe solus Filii pater est; Filius solius Patris Filius; & Spiritus sanctus nec solius Patris, nec solius Filii, sed amborum vnus est. In hoc vno Spiritu essentialiter vnus est Pater & Filius, vnde idem Filius: *Ego & Pater vnum sumus.* In hoc vno Spiritu manet Christus Deus & homo personaliter vnus, temporaliter de Virgine natus.

In hoc vno Spiritu vna est cum Deo vnitas fidelium, vnicè collecta ex Iudæis & Gentibus, sociata sanctorum cœtibus Angelorum

per vnum Mediatorem IESVM CHRISTVM: hæc è multis collecta, è pluribus vna, vni viro IESV CHRISTO, vnicè desponsata generat filios in vno Spiritu sancto. Eo namque Spiritu, quo natus est de Virgine IESVS CHRISTVS, eo ipso in baptismate sacro singuli renascuntur facti filij Dei: *Quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* De his in Spiritu sancto renatis filiis Dei Filius vnigenitus ad Patrem ait: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint.* Et; *Ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis; vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum.* O vnum singulare & summum, intra te sunt bona omnia, extra te nulla. Vnum omni studio quærendum, totis viribus tenendum, plena charitate diligendum, quisquis per gratiam scire te potuit, ipse quid sit Ecclesia Dei certissimè nouit.

Ioan. 1. 14

Item 17. 21.

Ibid. 22.

Quicumque igitur hanc vnitatem nescit, vel ab ea apostatando recessit, Ecclesiam fidelium, quæ vna est, non habendo, bona omnia perdidit, peccato subditus, malis implicitus, miseriis cumulatus, nisi eum misericordia Dei respiciat, nisi eum Mediator Dei & hominum gratanter eruat, nisi eum Ecclesiæ vnitas piè recolligat. Postmodum autem vbi sit Ecclesia Dei non contentiosè quærunt, quod equidem scire possunt, si caput Ecclesiæ, qui Deus est, pura fide præsentiunt, qui est lumen fidelium. *Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt:* facti sunt isti per gratiam filij Dei in ipso summo angulari lapide Christo IESV; in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino; in habitaculum Dei, in Spiritu sancto. Vt autem pleniùs agnoscas, & agnitam quæras, audi veritatem super hoc ad Patrem ita loquentem: *Pater quos dedisti mihi volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum.* O ineffabilis gratia, benedictio copiosa, beatitudo plenissima! Hoc intuens Propheta Ecclesiam Dei taliter ammonebat: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam; & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus:* Decorem tuū, non quem ab origine populi tui, à vetusta domo patris tui, sed quem apud Deum facta filia per gratiam inuenisti; quæ Sacramentis dealbata, quæ septiformi Spiritus sancti lumine decorata, quæ pane vitæ satiata videre Deum Deorum in Sion sine fine festinas. Ad hanc Apostolus intendebat dicens: *Nostra conuersatio in cælis est,* Illuc vsque filia Regis iam fide pergit, spe conscendit, charitate quiescit.

Ioan. 1. 12

Eph. 2. 21. & 22.

Ioan. 17. 24.

Ps. 44. 11.

Philip. 3. 20.

Ecclesia igitur cum Deo in vno Spiritu sociatur, pennis virtutum vniuersa transgreditur, aurâ charitatis eleuata Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum sanctum in vtroque quiescendo diligit, diligendo quiescit. Quies ista ibi est, vnde Filius ait: *Pater quos dedisti mihi volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum.* Vbi es tu Fili Dei Patris, Verbum Dei, Deus Verbum apud Deum, vita omnium, lux hominum, Verbum caro factum, nostra Redemptio, salus & beatitudo? *Ego,* inquit, *in Patre, & Pater in me est.* Quod vtique essentialiter est; vnus enim amborum Spiritus coæternus & coessentialiter est. Testatur enim sacra scriptura, quia, peractis omnibus in principio simul, requieuit Deus in die non habente vespere & mane, in die septima benedicta, & sanctificata; quia *requieuit* in ea *ab omni opere suo quod patrarat.* Operator iste mirificus, nec labore fatigatus, nec requie releuatus, prout voluit omnia fecit, & ab omnibus quorum nullo eguit in se ipso quieuit. Manet hic immotus, nullo sustentatus, nullo adiutus quiescens agit, agendo quiescit. Nihil debet alicui, sed omnia debent ei per quem sunt omnia, & subsistunt vniuersa. Ad hanc Domini requiem festinat Ecclesia sanctorum, vt à tempestate malorū, à potestate tenebrarum, ad suum possit redire principium, & ibi requiescere, vbi Christus est in gloria Dei Patris, in Sabbato requietionis, in æternitate beatitudinis.

Ioan. 17. 24.

Eiusd. 14. 11.

Gen. 2. 2.

A nullo pēdet Deus, sed ab ipso pendent vniuersa.

CAPVT IX.

POstremò quærunt nostri non cum litigio sicut hæretici; sed pio studio tanquam Catholici, quærunt de Ecclesia Dei, quare ipsa sit. Sed hoc scire nemo potuit, nisi is qui intra vnitatem Ecclesiæ Spiritum sanctum accepit, & intrare in Sanctuarium Dei, Christo IESV aperiente, promeruit, & voluntatem eius in mandatis agnouit. O quàm magnus est iste, quàm sublimis charitate, qui rerum origines & causas immutabiles apud Deum persistentes intueri præualet! Qui æternum Dei consilium stabile sentit & immotum, quo de nihilo creata sunt simul omnia in exordio rerum, sine interuallo temporis. Statim enim ex motu conditoris tempora cucurrerunt, & corporum partes, locorum spatia tenderunt. Non sunt itaque res aliqua in principio post tempora seu loca conditæ; ex motu namque rerum tempora prodierunt, & ex spatio corporum loca diuisa sunt. Deus autem prout voluit, & simul omnia condidit, & singula formauit.

Ad quid Ecclesiā quærunt Catholici.

Prodeunt igitur omnia, fiuntque singula pariter ex voluntate diuina, vt effectus ex causa. Non est ergo quærendum quare, vel

vnde, aut quando Deus creauit mundum, vbíue posuit creatum, qui pro voluntate sua de nihilo simul omnia edidit, de motu quorũ profluunt tempora, & partes corporum spatia dedêre locorum, quinimmò quærendum fuit; Quis de omnibus creatis Creatorem suum scire potuit? Quis voluntatem eius in mandatis tenuit? Quis eius similitudinem in virtutibus conseruauit?

Ad hæc inuenis solos inter omnia conditos Angelum in cœlis, hominem in terris, rationali intelligentia præditos, qui vnum verum, & summum Deum, & Dominum pro ratione quærerent, pro intelligentia scirent, pro similitudine singulariter amarent: homo enim conditus est ad imaginem & similitudinem Dei; Angelus verò habuit in se signaculum similitudinis Dei, vt vtrâque tàm natura rationali, quàm similitudine Dei, quàm vnitate charitatis Domino Deo pariter obedirent; ipsum solum diligerent, & in ipso beati permanerent. Agnoscat igitur Angelus Deo conformatus, fœlix & beatus; agnoscat homo per gratiam reparatus; quia charitas Dei supereminens & ineffabilis, ad hoc ipsos ambos facere voluit, vt pro inuicem geminata charitas in eis constituat Ecclesiam Dei, quæ Deum ex toto diligat, quæ seipsam in alterutrum diligendo mutuâ charitate ad Deum referat.

Homo ad imaginem Dei creatus; Angelus habuit, signaculũ similitudinis Dei.

Angelus & homo Ecclesiã constituunt.

Ad hoc itaque facta est Ecclesiâ Dei, vt ipsa in Deo, & Deus in ea sit per vnum IESVM Christum Mediatorem nostrum, qui & Angelum Deo confirmauit, & hominem Deo reconciliauit; vt ex vtroque fieret Ecclesia Dei vna, & singularis in vnitate Spiritus sancti, in quo Deum sicuti est, facie ad faciem plenè, & perfectè videbit. Istam diuinæ charitatis magnificentiam Propheta intuens aiebat: *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* In tempore quidem est abscondita, in æternitate erit manifesta. De hoc abscondito audi Filium in Euangelio: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater quia sic placitum fuit ante te.* Et Apostolus: Nunc *abscondita est vita nostra cum Christo in Deo. Cùm autem Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* Igitur de Ecclesia Dei quid, & vbi, & quare ipsa sit, videmur potius non tacuisse, quàm aliquid dignè, sicut oportuit, respondisse.

Quare?

Psal. 30. 20.

Matt. 11. 25.

Coloss. 3. 3

Tria ista ex Deo esse, in Deo manere, cum Deo in vnitate persistere, si piè quæris, inuenire poteris. Extra Deum nihil est eorum. In his tribus fidem, spem, charitatem pariter intuere. Ex Deo namque fides oritur, in Deo spes eleuatur; cum Deo charitas operatur. In præsenti siquidem tempore frustra credis, si non speras, si non diligis. Frustra speras nisi credas & diligas; frustra diligis qui nõ speras, qui non credis. In hac tẽporali vita sic ista tria simul esse considera, vt eorum quid primum, quid secundum, quid tertium sit, temerè non assumas, sed interminabilis auspicia Trinitatis in eisdem aspicias. Ex tribus istis colligatur textura mirabili, ille, de quo Salomon attestatur; quia *funiculus triplex difficile rumpitur.* Funiculum tu complicas istum vnum, & trinodum; si eo leuaris ad Deum, à Deo descendis ad proximum, à proximo & te cum ipso reuehis ad Deum. Hæc est in Ecclesia Dei scala Iacob à terris erecta in cœlum, qua Angeli ascendunt & descendunt, & redeunt ad Deum scalæ desuper innixum. Hoc in visione Dei Patriarcha Iacob vidit, & euigilans ait: *Terribilis est locus iste; hic domus Dei est, & porta cœli: verè Dominus est in loco isto.* Iste si quidem locus in quo Dominus est non sicut vbique, sed sicut in loco gratiæ, in quo piè quæritur, inuenitur, & amatur. Terribilis domus Dei, porta cœli esse dignoscitur; Terribilis omnibus Impiis, Schismaticis, Hæreticis. Domus Dei omnibus per Sacramenta renatis, septiformi gratia sancti Spiritus perornatis, vno pane cœlesti satiatis. Porta cœli omnibus cum Deo ambulantibus, sicut Enoch, & & subleuatis cum Helia in curru igneo, & ascendentibus in cœlum cum Domino Deo IESV CHRISTO. Cum Deo fides pergit, spes procedit, Charitas ascendit: cum Deo fides superat, spes triumphat, charitas regnat: Charitas autem in fine temporum cum Deo tenebit imperium singulariter vnum: In eo & fidei meritum, & spei brauium, & cæterarum debita virtutum completa charitas complebit in vnum, cuius participatio eius in idipsum, qui est vnum, & omne bonum omnium; per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Extra Deũ nulla est fides, spes, charitas.

Eccl. 4. 12.

Funiculus triplex charitas Dei & proximi.

Schola Iacob.

Genes. 28. 17.

LECTORI.

Hactenus ab omnibus, miror, Appendix ad Sigibertum Roberti de Monte nomine circumlata, ac sæpius repetita editio est; sed perperam; maxima enim ex parte, ab anno videlicet M C X. ad an. M C L V. alium Authorem habere deprehendi. Siquidem me discutiente prædictam Appendicem, occurrit tandem Codex MS. Monasterij S. Michaëlis de Monte, in quo & reperi Chronica Eusebij, S. Ieronymi, Prosperi, & Sigiberti, ab Roberto Montensi correcta & elimata; atque in calce germana ipsiusmet Roberti Appendix: germanam dico, quippe quæ in ipso matris vtero concepta, editáque; in Monasterio Montensi nimirum, vbi Abbas extitit Robertus, elucubrata est; immò, si coniectari liceat, propriâ Roberti manu exaratâ, quemadmodum lituræ & correctiones diuersis in locis innotescere videntur. Qua de re nunc primùm eandem Appendicem in eruditorum gratiam euulgamus. Hanc subsequitur Continuatio alterius Scriptoris, nempe ab an. M C L X X X I V. quo desiit; quàm appositè edendam, gratámque fore putaui.

Præterea vbi passim Accessiones animaduertissem in Sigiberti Chronico, proposueram animo vniuersa, quæ prænotaui in Codice contenta, prelo subiicere: verùm quoniam toties edita fuêre, ne Literatos grauarem, cogerémque iterum, propter easdem Accessiones duntaxat & Appendicem, ea omnia sibi comparare, malui eas seligere, & secundum seriem annos apponere. Et tandem coronidis instar Tractatum de immutatione Monachorum, siue de Fundationibus atque Instaurationibus plurimorum Cœnobiorum (Normanniæ maximè) & Catalogum Abbatum, quem Robertus de Monte texuit anno Christi circiter MCL. haud luce indignum, quin & operæ pretium existimaui.

His adijciendum reor quod in Elencho Chronicis Eusebij, Ieronymi, & aliorum à nobis supra enumeratorum, præfixo, de Roberto nostro Scribitur, vt mentem ipsius, & quicquid ad Sigibertum præstititerit, agnoscas. Habet ita:

In hoc volumine ista continentur Chronica Eusebij &c. Deinde post pauca. *Sequitur exinde Chronographia Sigiberti Gemblacensis Monachi, quam incepit à* C C C L X X X I. *Dominicæ Incarnat. anno, & perduxit vsque ad* M C. *annum eiusdem* Do. *Incarnat. quo anno, primus Henricus Rex Anglorum cœpit regnare. Ab eodem anno* ROBERTVS *Abbas S. Michaëlis de periculo maris, fecit Historiam continentem res gestas Romanorum, Francorum, Anglorum, vsque ad præsens tempus, continentem annos vsque ad an.* M C L X X X I V. *quem librum præsentauit Charissimo* Domino *suo Henrico Regi Anglorum, continentem istam historiam, & reliquas in hac pagina notatas, Scilicet, Eusebij, Ieronymi, Prosperi, & propriam quæ in fine ponitur.*

Qui equidem Elenchus Roberti esse, his ex verbis conijcio, *vsque ad præsens tempus.* Deinde: *Vsque ad annum 1184.* quo finem imposuit Abbas ipse. Et ista: *Quem librum præsentauit Charissimo* Domino *suo &c.* Velut de seipso in tertia persona, vti & aliàs in Appendice loquitur.

Multa quæ ad historiam attinent non modò scripsit Robertus Abbas; sed & alios ad id rei vt industriam suam & operam impenderent, permouebat, veluti hæc apertè ad Geruasium Priorem Epistola, dum adhuc Prioris officium gereret, missa, demonstrat.

CHARISSIMO IN CHRISTO FRATRI GERVASIO PRIORI S. Serenici, Frater Robertus vltimus Monachorum Becci salutem & obsequium.

QVoniam audio te à negotiis secularibus feriatum, & otio religioso occupatum, supplico dilectioni tuæ, quatinus ad ea quæ in Normannorum prouincia euenerunt post excessum nobilissimi Regis Anglorum, & Ducis *Normannorum* HENRICI, *vsque ad mortem illustris* Ducis *Normannorum, & Comitis Andegauensium* GAVFRIDI *describenda accingaris. Hoc enim ad augmentum famæ tuæ proficiet, & gratiosum me tibi, & remunerationis debitorem efficiet; & quod his omnibus maius est, noui* Ducis *fauorem non modicum forsitam adquiret. Si autem ad hoc opus manum miseris, volo vt hoc ordine illud exequaris.*

Inprimis omnium Comitum Andegauensium, scilicet ab Ingelgerio, vsque ad ipsum Goifridum, breuiter, & quasi recapitulando, enumeres nomina, genealogias, successiones, & quot annis quisque eorum Comitatui præfuit, & quæ præclara gesta memoriæ annalium digna, siue in spiritualibus, siue in sæcularibus rebus exercuit: sub quo etiam Rege Francorum primum Comitem Ingelgerium Andegauenses habuerunt. Cùm autem veneris ad FVLCONEM *patrem Goifridi, quia vxor eius fuit filia*

Heliæ *Comitis Cœnomannorum, hac de causa volo vt sicut epilogum fecisti de omnibus Comitibus Andegauensium, ita facias & de omnibus Comitibus Cœnomannensium, & omnia obserues in illis, quæ superius obseruanda prætaxaui in istis. Hæc autem omnia libentiùs per memetipsum quoquomodo expedirem, si otium, facultas, copia chronicorum ad illos duos Comitatus pertinentium, æquè mihi vt tibi suppeditarent.*

Et quoniam de singulis ducibus Normannorum à Rollone *vsque* Henricvm *nobilissimum Regem Anglorum, & Ducem Normannorum, singuli libri apud nos retinent, dignum iudicaui res gestas illius summatim describendo, historiis antecedentium ducum superadijcere, ne magnitudo illius silentio premeretur, qui & in vita sua multis profuit facto, & post mortem suam, si imitari dignentur, proficiet exemplo. Cui operi propter continuationem temporum, illud quod à te postulo, continuari volo, quatinus ea quæ in temporibus nostris, in nostra prouincia gesta sunt, ad notitiam futurorum per scripturam transmittamus. Vale.*

Porrò quæ in lucem protulerit, quæque ad meam peruenêre notitiam, Operum Syllabus vltimo loco subijciendus.

Accessiones ad Sigiberti Chronicon.
Chronicon siue Appendix ad Sigibertum.
Gesta Henrici II. Regis Anglorum.
Tractatus de Immutationibus Monachorum, de Abbatibus & Abbatiis Normannorum, & ædificatoribus earum.
Historia Monasterij S. Michaëlis de Monte.
Commentarij ex verbis S. Augustini in Epistolas B. Pauli, cuius Præfationem ijsdem Commentariis præfixam ipsa Roberti manu exaratam, haud iniucundum fuerit audire.

PROLOGVS ROBERTI DE TORINNEIO IN ABBREVIATIONEM expositionis Epistolarum Apostoli secundum Augustinum.

Est quidam Liber immensæ magnitudinis, continens ea quæ B. Avgvstinvs *in libris suis, siue epistolis, ex Apostolo sumpta exposuit. Hoc Opus à quibusdam vocatur* Florvs, *quia ex diuersis Opusculis beati Augustini excerptus, & quasi defloratus est. A quo autem illud Opus collectum & ordinatum sit, plurimi dubitant. Quidam autem hunc* Bedæ *Presbytero ascribunt; & hoc ideò, quia in fine historiæ Anglorum enumerans opuscula sua, inter alia hoc ad verbum posuit.* In Apostolum quæcumque in opusculis sancti Augustini inueni dicta, per ordinem transcribere curaui. *Vnde & quidam prædicta verba, & alia nonnulla in eadem historia sibi connexa assumentes, loco prologi prædictæ collectioni sententiarum sancti Augustini ponunt, ex eo volentes probare Bedam Auctorem huius Operis. Ego autem magis assentior* Cassiodoro *Senatori & Monacho, viro vndecumque doctissimo, qui antiquitate temporis, ne dicam multiplici rerũ scientiâ, vtpote consul, & apocrisarius Theodorici Regis Gothorum, Bedam præcedere non dubitandus est; cùm & ipsius Bedæ Annotationes in Apostolum ex libris sancti Augustini vulgò habeantur. Qui liber totus non adæquatur magnitudine medietati solius expositionis epistolæ ad Romanos, quæ in hoc Opere habetur. Qui autem prædictam Collectionem ordinauit, Cassiodorus in quodam suo libro ita posuit.* Petrus Abbas Tripolitanæ prouinciæ, sancti Pauli epistolas ex capitulis opusculorum B. Augustini subnotasse narratur, vt per os alienum sui cordis declararet arcanum. Quæ ita singulis locis competenter aptauit vt hoc magis studio beati Augustini credam esse perfectum. Mirum est sic alterum ex altero dilucidasse, vt nulla verborum suorum adiectione permixta desiderium cordis proprij complesse videatur. *De hoc opere exceptiones subsequentes fecimus ex maiori parte librorum reliquorum B. Augustini, flores sententiarum ijs adiecimus.*

De Diui. lect. cap. 8.

Vidi & ingens Plinij historiarum volumen elegantissimè scriptum, & ad nos è præfato Cœnobio Montensi transmissum, vbi hæc inter alia leguntur.

Prologus Roberti Abbatis in Plinium: qui & ipsum librum in Normanniam aduexit, & corruptum correxit &c.

Meminêre Roberti de Monte Chronicon Beccense ad an. 1154.

Henricus Huntindonensis infra post Præfationem Roberti ad Appendicem, in Epistola mirè commendat Robertum his verbis:

Hoc anno, qui est ab Incarnatione Domini millesimus trigesimus nonus, cùm Romam proficiscerer cum Theobaldo Cantuariensi Archiep. apud Beccum, vbi idem Archiep. Abbas fuerat, scripta rerum prædictarum stupens inueni: siquidem Robertum de Torinneio eiusdem loci Monachum, virum tam diuinorum, quàm secularium librorum inquisitorem, & coaceruatorem studiosissimum ibidem conueni &c.

Videsis Catologum Abbatum S. Michaëlis de Monte inter Obseruationes nostras ad B. Lanfranci Epistolas pag. 351. in Abbate 15.

ROBERTI

ANNI DOMINI.

ROBERTI DE MONTE AD SIGIBERTVM ACCESSIONES.

DCCCLXXVI.

NORMANNI origine Dani, Duce quodam Rollone nomine, à Scythia inferiori egressi, atque per Oceanum vecti cùm sæpe numero ante, tam Germaniam, quàm Galliam, more piratico, per eadem Oceani littora excursantes, infestassent: tandem egressi Galliam, qua in parte Britanniam respicit, peruaserunt, ciuitatémque in ea Rothomagum occupantes, vsque in hanc diem Normanniam de suo nomine vocauerunt. Francis tunc *Carolus* qui dictus est Simplex imperabat. Normanni verò linguâ barbaricâ, quasi homines Septentrionales, dicti sunt, eò quòd primùm ab illa mundi parte venerunt.

Carolus autem Rex Francorum inito cum eis fœdere, filiam suam *Gislam Rolloni* vxorem dedit, & eam teram quæ nunc Normannia vocatur, ei concessit; additâ etiam ad sumptuum supplementa totâ minori Britanniâ, quæ antiquitùs Letauia, siue Armorica, vocata est. Nam terra maritima, quæ nunc vocatur Normannia, ob diuturnos paganorum excursus, syluis vbique adultis cultro, & vomere torpebat inculta. Flandrensem verò Comitatum voluit ei Rex primùm dare, sed noluit præ paludum impeditione recipere.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis nongentesimo duodecimo, benedicto fonte in nomine Sanctæ Trinitatis *Rollo* à *Francone* Archiepiscopo Rothomagensi baptizatus, quem *Robertus* Dux Francorum à fonte excipiens ei suum nomen imposuit.

912. *Rollo* autem postquam baptizatus est, per septem dies, quibus in albis mansit, Deum & Sanctam Ecclesiam deuotè datis muneribus honorauit. Nam primo die dedit terram permaximam Sanctæ MARIÆ Rothomagi Ecclesiæ. Secundo Sanctæ MARIÆ Baiocensi Ecclesiæ. Tertio Sanctæ MARIÆ Ebroicensi Ecclesiæ. Quarto Sancti MICHAELIS Archangeli Ecclesiæ, in periculo maris, supra montem positæ. Quinto sancti *Petri* & sancti A *Audoeni* in Suburbio Rothomagi Ecclesiæ. Sexto sancti *Petri* & sancti *Aichadri* Gemeticensi Ecclesiæ. Septimo Brenneual cum omnibus appendiciis sancto *Dionysio* dedit. Octauo die expiationis eius, vestimentis cæremonialibus exutus, vrbis cœpit acquisitam terram metiri, Comitibúsque suis, & cæteris fidelibus suis largiri. Videntes autem pagani Ducem suum Christianum esse, relictis idolis, Christi nomen suscipiunt, ac vnanimes B ad Baptismum conuolant; & exinde gens Normannorum Christo credens fidei subacta est.

Rollo autem Dux, qui & *Robertus*, postquam vxor eius *Gisla* mortua est absque liberis: repudiatam *Popam*, filiam Berengerij Comitis Baiocensis, ex qua genuerat *Vuillelmum* longam spatam, & vnam filiam *Gerloch*, quam postea duxit Vuillelmus Dux Aquitanorum; iterum repetens, sibi copulauit. DCCCXCIII.

Capta ciuitas Ebroicensis solus Episcopus Sebar Deo authore euasit.

Baptizatus R*ollo* Dux Normannorum, cum multitudine gentis suæ virorum illu- C strium, à *Francone* Rothomagensi Archiepiscopo; factáque pax inter *Carolum* Regem Franciæ & R*ollonem*, dedítque ei Carolus filiam suam nomine G*islam*, quâ mortuâ sine filiis, Rollo accepit *Popam* priùs repudiatam vxorem; de qua genuerat V*villelmum* Longam Spatam. DCCCXII.

Relatus est Beatus *Audoenus* de Francia in Normanniam. kal. Febr. Regnante Carolo. DCCCCXV.

Obiit R*ollo* primus Dux Normannorum; cui successit V*villelmus* lóga Spata filius eius. DCCCCXVII.

Obiit *Franco*; cui successit *Guntardus* XLII. Archiepiscopus Rothomagensis. DCCCCXIX.

D *Edvvardo* filio *Alfredi* Rege Anglorum mortuo; successit filius eius *Athelstan*: & regnauit XIV. annis; qui fecit maximum prælium apud Bruneberi. DCCCCXXII.

Factum est prælium apud Rothomagum inter *Vuillelmum* Ducem, & *Riculfum* fraudulentum, cæterósque infideles *Vuillelmi* DCCCCXXXIV.

SSſ

A. D. Comitis: In loco qui dicitur Pratum de bello. Antea enim anno ab Incarnatione Domini DCCCC. XXVII. firmata amicitia inter Franciæ *Ludouicum*, & *Henricum* Regem Theutonum; in quo placito fuit *Vuillelmus* Dux Normannorum, & *Richardus* Dux Burgundionum. *Vuillelmus* Dux rediens, filium *Ludouici Lotharium* Lauduno de sacro Fonte leuauit.

Egresso igitur *Vuillelmo* duce Victore de præfato bello, Fiscannensis castri legatus dirigitur, deferens ex quadam nobilissima puella Danico more sibi iuncta, nomine Sprota, filium esse natum. Qui lætus valde effectus, sub festinatione Baiocas illum Episcopo *Henrico* mandauit dirigere, vt per ipsius manus sacro lotum fonte, proprio nomine vocaret eum *Richardum*: Quod ita factum est. Hic *Vuillelmus* Dux reædificauit Ecclesiam Gemeticensem; ad quod opus inter cætera beneficia soror sua *Gerloch*, Pictauensis Comitissa, XII. Monachos cum Abbate suo nomine *Martino*, à sancti Cypriani Cœnobio sublatos fratri destinauit.

DCCCC XXXVIII. *Henricus* Præsul sanctissimus Baiocensis Ecclesiæ baptizauit primum *Richardum*, filium Vuillelmi Ducis Normannorũ; quẽ de *Sprota* genuit ipse Vuillelmus filius Rollonis.

Contra *Ottonem* Imperatorem rebellauit *Euerardus* Comes Palatij, & *Gislebertus* Dux Lotharingiæ, qui *Gerbergam* sororem ipsius Imperatoris vxorem habebat.

DCCCC XLII. Obiit *Guntardus*; cui successit *Hugo*, Monachus habitu non opere, XLIII. Archiepiscopus Rothomagensis.

Occiditur V*uillelmus longa Spata* Dux Normannorum; filius Rollonis, nequitia & traditione *Arnulfi* Comitis Flandrensium. Cùm enim idem Arnulfus *Herluino* Comiti Pontiui Monasteriolum castrum vi abstulisset, petendi auxilij causâ dominũ Normanniæ Vuillelmum idem *Herluinus* lugubris aggreditur. Cuius calamitati Dux beneuolo animo compulsus, exercitũ congregans, Castrum, obsidione occupauit, & alimoniis munitum *Herluino* reddidit. Vnde *Arnulfus* efferatus inuitans Ducem ad fraudulentum colloquium fecit illum trucidari apud Pinchiniacum in quadam insula Somonæ fluuij. Traditores autem qui illum occiderunt, hæc sunt nomina eorum, *Heiricus*, *Balcecurtus*, *Robertus*, *Ridulfus*.

Huic Vuillelmo Duci Normannorum successit filius eius *Richardus* primus, qui vetus dicitur; quem de Sprota genuit.

Mortuo *Edmundo* Rege Anglorũ successit *Edredus* frater Edmundi & regnauit IX. annis, qui omnes Angliæ partes fœliciter obtinuit.

DCCCC LI. *Edredo* Rege Anglorũ mortuo succedit ei *Edvvi* filius Edmũdi, & regnauit 4. annis, qui eodem spatio & potentia Regnum tenuit.

DCCCC LV. Mortuo *Edvvi* Rege Anglorum, succedit *Edgarus* filius Edmũdi, & regnauit XVI. annis, pacificè & gloriosius omnibus aliis imperauit. Huius *Edgari* pacifici an. V. *Adelvvoldus* venerabilis fœliciter Episcopatum Vvincestrensem suscepit. Hic secundo anno Episcopatus sui, Canonicos quosdam in veteri Monasterio Vvincestriæ degentes, & ordinẽ suũ pigrè & negligenter obseruantes eiecit, & Monachos imposuit: quæ Ecclesia temporibus nostris loco auulsa, quia nimis coniuncta erat Matri Ecclesiæ, quæ sedes est Episcopi. Consensu igitur Episcopi & Abbatis eiusdẽ Monasterij extra muros vrbis sita est.

Adelvvoldus verò egregius Præsul ædificator sepium fuit, auertens semitas iniquitatis, & plantans charitatis: ipse namque seminator consilij optimi fuit, cuius monitis Rex *Edgarus* nouellas plantationis, & arbusta teneritudinis Deo gratissima instituit. Abbatiam namque *Glastingebiriæ* construxit, Abbatiam *Abbaudunæ* super Tamasim composuit. Abbatiam apud *Burch* prope Stanfordiam stabiliuit. Abbatiam *Torneige* prope illam, quæ apud Burch in mediis paludibus, loco tamen amœnissimo, fixit.

Consilio etiam Adelvvoldi Episcopi *Adilvvinus* Consul eiusdem Regionis, Abbatiam *Rameise* in insula pulcherrima inter easdem paludes fixit. Est autem palus, de qua loquimur, latissima & visu decora, multis fluuiis decurrentibus irrigata, multis lacubus magnis & paruis depicta, multis etiam syluis & insulis florida. Intra quam sunt Ecclesia *Heliensis*, Abbatia *Remesiensis*, Abbatia *Chateris*, Abbatia *Torneige*, Abbatia *Crulandiæ*. Sed iuxta eam fuit Abbatia *Burgensis*, Abbatia *Spaldinge*, Ecclesia sancti *Iuonis* super Vsam fluuium, Huntendoniæ Ecclesia sancti *Ægidij* super Grentam fluuium, Cantebrigiæ Ecclesia *sanctæ Trinitatis* in Tedfordia.

DCCCC LX. *Menardus* Abbas Cœnobium Fontinellam reædificauit.

DCCCC LXIV. Hoc tempore, *Richardi* scilicet Ducis Normannorum, qui tertius à Rollone auo eius Normanniæ Regebat Ducatum, quique propter ætatis diuturnitatem, *Veteris* sumpserat cognomen, piæ memoriæ *Menardo* insistente in sacri Cœnobij Fontinellensis restauratione, vir quidam ex transmarinis partibus frequenti commonitus visione in Gallias venit, & ad locum, qui super Auturam situs Acineia dicitur, intempestæ noctis silentio accessit, Sanctorúmque corpora *Maximi* & *Venerandi* Martyrum, vt ex reuelatione didicerat, inuenit, secúmque secretius tulit, & ad portum Logiensem festinus descendit, vbi dato naulo cuidam viro, nomine *Amalberto*, nauiculam ingredi

voluit. At diuina retentus virtute velut ebrius labare cœpit. Itaque quod disposuerat explere nullatenus valebat. Quod cum nauta ille cerneret, & nouitate rei attonitus paulò diutiùs aspectaret, tandem hominem percunctatus, quid sub inuolucro ferret, ad Fontinellæ Monasterium, quod iuxta erat, secum venire compulit, Abbatíque & fratribus illũ offerens, quod actum fuerat, expediuit. At deprehensum ille se intuens, spémque deferendi penitus non habens, sancta ossa inuoluta retexit, nomina & visionem cunctis palam exposuit, sícque amisso, quem per tot pericula quæsierat, cœlesti thesauro, tristis mœstúsque vehementer recessit. Quæ res cùm præfato Principi Normanorum innotuisset, & fratres humiliter illi suggererent, vt quid inde agere deberent, decerneret, vigilanter hoc decreuit; vt quo diuino imperio, & sua sancti peruenerant electione, ibidẽ deinceps permanerent, sua quoque authoritate. Vnde hactenus in Fontinellensi Cœnobio iidem sancti Martyres cum debita habentur reuerentia. Progeniem autem eorum, & patriam, & vitam, & passionẽ libet breuiter intimare.

VITA SS. MAXIMI ET VENERANDI.

VAlentiniano Iuniore cum matre *Placida* Rempublicam gubernante, *Vitalio* & *Sabino* in Formiana ciuitate Italiæ Consulibus repentinus Gentilium tumultus eiusdem Prouinciæ in Idolorum culturis exoritur. Erãt ergo duo fratres germani, Maximus & Venerandus, Ciues Brixiani, fide & opere Christiani; quorũ primus à B. Damaso Papa Romano Episcopus ordinatus. Alter in Leuitarum numerum ascitus cum multis aliis ad Italiam Euangelizandi gratia venerunt. Ciuibus itaque suis cœperũt fidem S. Trinitatis prædicare, culturam Idolorum fidei documentis annulare. Sed populus his admonitionibus non adquiescens, Vitalio Proconsuli in Formianam ciuitatem venienti, super prædicatione sanctorum quærimoniam depromunt; & quòd simulachro Nestorioso sacrificare dedignarentur, eos accusant. Erat autẽ idem simulachrũ sculptum in honorem Liberi patris Bacchi, id est, Nestoriosi. Tunc Iudex iussit exungulari eos, & postea in fornacem ardentem proiici. Ex qua cùm illæsi diuina virtute exiissent, flamma exundans, Vitalium Proconsulem consumpsit.

Iterum sancti Dei sub alio Iudice, scilicet *Sabino*, experti vertiginem rotarum, feras, ieiunium septem dierum in carcere, ex quo ministerio Angelico educti sunt: ad præceptum Angeli ascitis duobus Presbyteris: *Etherio* scilicet & *Marco*, se in partes Galliç direxerunt, Venientes itaque ad ciuitatem Antisiodorum à B. *Germano* honorificè sunt suscepti, & cum eo aliquandiu conuersati. Comperiens tandem Proconsul Sabinus illos de carcere exiisse, & quod fama vulgante partes expetissent Galliæ, cum ducentis armatis viris per quæque eos vbi hospitandi gratia deuenerant loca perquirens prosequutus. Iam enim prædicti fratres cum suis Comitibus in pagum peruenerant Parisiacum, ad locum qui dicitur Conflentium, vbi fluuius Ysara in fluuium defluit Sequanæ. Vbi cùm quieti post fatigationem longi itineris indulgerent, fama vulgante audiunt eminus Proconsulem Sabinum, ducentibus satellitibus Italicis, sese prosequi. Tunc facta oratione, veloci virtute Dei, viderunt fluuium Sequanæ more rubri maris diuisum, quo transito illæsi ad pagum Arbociniacum diuina voluntate peruenerunt. Sabinus verò & qui cum eo erant videntes sanctos fluuium transisse, more Pharaonis immerserunt post ipsos gurgitibus; quorum media pars in flumine interiit. Sabinus autem, & qui cum ipso erant nutabundi de periculo emerserunt, sanctos Dei persequentes, & ferè post triduum apprehenderunt eos super fluuium Auturam IX. Kal. Iunij, miliario à vico, cui prisca vetustas Achinniacus nomen indidit. Comprehensos vero perduxerunt in vnam ipsius fluminis Insulam, vbi eos diuersis affecêre contumeliis & tormentis.

Cùm autem duos Energumenos per Dei virtutem, & suam orationem, curatos baptisassent, ex centum comitibus Sabini, triginta & octo viri crediderunt Christo, & vt in Sanctæ Trinitatis nomine baptizarentur, humiliter cœperunt flagitare. Dum ergo beatissimus *Maximus* Episcopus & *Venerandus* Archidiaconus in his baptizandis intenderent, à Sabino Proconsule vna eademque die VIII: scilicet Kal. Iunij capite plexi sunt. Ipsi verò triginta octo viri, qui baptizari deprecabantur, à suis commilitonibus sanguine proprio baptizati, decollati sunt; reliqui igitur tenentes duos Presbyteros *Etherium* & *Marcum*, perducere illos tentabant ad ciuitatem Ebroicas.

Nocte verò sequenti gloriosi Martyres Maximus & Vererãdus, propriis sumptis capitibus, ductu Angelico extra Insulam, in qua decollati fuerant, deportauerunt, & in loco vbi olim fuerat extructa Ecclesia, sed iam tũc Vvandalica persecutione apparebat deserta, deposuerunt. Etherius verò & Marcus Presbyteri fugã de manibus persequentium lapsi, ad locum, in quo sanctorum corpora dimiserant, regressi sunt. Quæ non inuenientes diuina voce edocti sunt quo requiescerent loco. Gauisi igitur de glorificatione eorum infra parietes semirutos eiusdem Ecclesiæ, in vico videlicet Achinniaco, sanctissima Martyrum corpora sepelierunt.

A. D.

Emma vxor *Richardi* primi Ducis Normaniæ, filia *Hugonis* Magni absque liberis moritur, ipse verò non multo post quondam speciosissimam Virginem, nomine *Gonnor*, ex nobilissima Danorum prosapia ortã, sibi in matrimonio Christiano more desponsauit, ex qua filios genuit, *Richardum*, qui ei successit, & *Robertum* postea Archiepiscopum Rothomagensem, & *Malgerium* Comitem Curbuliensem; alióſque duos, & filias tres, quarum vna, nomine *Emma*, *Edelredo* Anglorum Regi nupsit; de qua idem Rex *Edvvardum*, & *Aluredum*, *Godvini* Comitis longo post dolis interemptum, procreauit. Secunda verò *Haduis* nomine *Goiffrido* Britannorũ Comiti iuncta, *Alanum* & *Eudonem* Duces progenuit. Tertia quidẽ nomine *Mathildis*, *Odoni* Comiti, quæ absque liberis mortua. Genuit etiam duos filios ex concubinis, & totidem filias, quorum vnus *Godefridus*, alter verò dicebatur *Vvillelmus*; horum prior Comes fuit Aucensis, quo defuncto accepit frater eius eundem Comitatum, quem adhuc hæredes eius iure possident successionis, licet Comes Brionnensis *Gislebertus*, filius prædicti *Godefridi*, eumdem Comitatum parumper tenuerit antequam occideretur à *Radulfo* de *Vvaceio*, filio *Roberti* Archiepiscopi Rothomagensis.

DCCCC LXVI. Hoc anno eiecit *Richardus* Marchisus & Dux Normannorum Clericos sæculares de hoc Monte, & aggregauit ibi Monachos sub Regula B. *Benedicti* Deo perpetuò seruiẽtes.

DCCCC LXXI. Mortuo *Edgaro* Rege Anglorum filio *Edmundi*, successit filius eius *Edvvardus* Rex sanctus, & regnauit quinque annis, & fœliciter, occisus est. Cuius Regni principio apparuit cometa signum maximæ famis, quæ anno secundo secuta est.

DCCCC LXXII. Venit *Aigroldus* Rex Danorum, consilio Normannorum fideliũ primi Richardi pueruli, in Normanniam, & pugnauit contra Ludouicum Regem Franciæ; in quo prælio occisus est *Herluinus* Comes Musterioli, & Rex *Ludouicus* captus est: sed *Gerberga* Regina consilio *Hugonis* Magni filium suum Lotharium in obsidem, & duos Episcopos, *Hildierum* Beluacensem, & *Guidonem* Suessionens. misit, pro obseruanda fide; & Rex à captione liberatus, & *Richardus* in patria firmiter Dux corroboratus est.

DCCCC LXXV. Omnes optimates Anglorum ceciderunt à quodam solio apud Calne, prætèr sanctum *Dunstannum*, qui trabe quadam apprehensa restitit; vnde quidam valde læsi sunt, quidam verò mortui, Dei scilicet signũ, quòd proditione & interfectione Regis sui *Edvvardi*, ab amore Dei casuri erant, & à diuersis gentibus digna contritione conterendi erant.

DCCCC LXXVII. Occiso sancto *Edvvardo* Rege Anglorum filio Edgari, à Nouerca eius, matre scilicet Regis Adelridi, dum Cyphum ei porrigeret, cultello eum percutienti. Successit frater eius qui regnauit super vniuersos fines Angliæ XXXVII. annis semper cum labore.

DCCCC LXXXIX. Subrogatur *Robertus* XLIV. Archiepiscopus Rothomagensis.

DCCCC XCVI. Obiit prius *Richardus* Dux Normaniæ, filius Vvillelmi filij Rollonis; cui successit filius eius *Richardus* secundus.

M II. Obiit *Vvillelmus* primus Abbas Fiscãnẽsis.

M VI. Circa hoc tempus *Emma*; Normanorum gemma, filia Richardi Ducis Normanorum; venerat in Angliam, & diadema, nomenque Reginæ, facta Regis Adelredi vxor, susceperat. Quo prouentu Rex *Adelredus* in superbiam elatus, & perfidiam prolatus, omnes Dacos qui cum pace erant in Anglia, clandestina perditione fecit mactari, vna eademque die, scilicet in festiuitate sancti Bricij. De quo scelere loqui audiuimus, quòd in in vnamquamque vrbem Rex præfatus occultas miserit Epistolas; secundum quas Angli Dacos omnes eadem die, vel gladiis truncauerunt impræmeditatos, vel igne simul cremauerunt subito comprehensos. Quod indignè ferens Sueni Rex Dacorum, vir fortissimus, cui Deus Regnum Angliæ destinauerat, cum nauibus multis venit ad Norvvich, & eam prædatus est, & combussit. Si quidem immiserat Dominus Omnipotens iamdudum velut examina Apum gentes crudelissimas in Angliam, quæ nec ætati, nec sexui parcerent, scilicet Dacos cum Gothis, Norwagenses cum Suathedis, & Vvandalos cum Fresis, qui ab exordio Regni *Edelvvlfi* Regis, vsque ad aduentum Normanorum *Vvillelmi* Regis ductu, CC XXX. annis terram hanc desolauerunt. Qui etiam ex affinitate Britanniæ nonnunquam Dei vindices, & stimuli, Galliam pro meritis crudeliter inuaserunt. Sed tamen tempore *Edredi* Daci quieti manebant in Anglia.

Obiit *Hildebertus* Abbas sancti Audoeni, qui ipsum locum restaurauit.

Audi quod nesciebas, quomodo coniuncti sunt Ducatus Aquitaniæ, & Ducatus Pictauiæ. *Willelmus Pius* Dux Aquitaniæ habebat cognatum vnum *Rainaldum* Comitem Pictauiæ, qui ex propria vxore habebat filium, nomine *Eblum*, quem cùm pater eius moreretur, tradidit eum nutriendum Sanctus *Gerardus* Vvillelmo Pio Duci Aquitaniæ cognato suo. Hic *Vvillelmus* Aquitaniæ Dux fecit Monasterium Cluniacense: & vxor eius *Eua*, post aliquantulum temporis, cùm Dux *Vvillelmus Pius* venisset ad extrema, dedit Ducatum Aquitaniæ *Eblo* suo cognato Comiti Pictauiæ: & extunc vna persona est Dux Aquitaniæ & Comes Pictauiæ.

A. D.

Ricardus Dux Normanorum qui ſecundus dicitur hoc tempore duxit vxorem, *Iudith* nomine, ſororem *Goiffridi* Ducis Britannorum, corpore & moribus valde elegantem: de qua profluentibus annis tres filios genuit, *Ricardum* ſiquidem & *Robertum*; necnon *Vuillelmum* apud Fiſcannum Monachali vellere in adoleſcentia functum; totidémque filias, quarum vna nomine *Adelith* *Reinaldo* Burgundiorum Comiti nupſit, ex quo *Vuillelmum* & *Vuidonem* procreauit. Altera *Balduino* Comiti Flandrenſi. Tertia iam adulta obiit Virgo. Porrò *Goiffridus*, qui ſororem ſuam dederat Ricardo Duci Normãniæ, ſororem eiuſdem duxit, *Haduis* nomine, de qua genuit *Alanum* & *Eudonem* poſtea Duces. Nam Romam proficiſcens orationis obtentu, totam Britanniam duobus filiis reliquit, cuius poſtea Duces effecti ſunt. Ipſe verò *Goiffridus* peragratis ſanctorum locis repatriando defunctus eſt.

Mortuo Adelredo filio Edgari Regis Anglorum ſuccedit ei *Edmundus* filius eius, iuuenis fortiſſimus, qui regnauit vno anno, & proditione occiſus eſt. *Cuius cognomen* Edmundus Ireneſide, *id eſt*, *ferreum latus*.

MXIV. Mortuo Edmundo filio Adelred Regis Anglorum, ſucceſſit ei *Canutus* filius Sueni Regis Daciæ, omnium prædeceſſorum ſuorum maximus; qui duxit *Emmam* Reginam relictam Edredi Regis, ſororem videlicet Ricardi ſecundi Ducis Normanorum. Ex qua genuit vnum filium *Hardecanutum*, & vnam filiam *Gunildem* nomine, quæ poſtea nupſit *Henrico* Imperatori Romanorum. Regnauit autem idem Rex *Canutus* ſuper Angliam & Daciam glorioſiſſimus xx. annis.

MXVII. Obiit *Iudith* Comitiſſa Normanniæ, quæ fecit Abbatiam de Bernay, vxor Ducis Richardi.

MXXIV. Poſt mortem Iudith Comitiſſæ Normanniæ, accepit *Ricardus* ſecundus Dux Normannorum quandam vxorem, nomine *Papiam*, & genuit ex ea duos filios, *Malgerium* Archiepiſcopum Rothomagenſem, & *Vuillelmum* Comitem de Archis. Idem *Ricardus* exercitum Normãnorum per tertium filium ſuum *Richardum*, vſque ad Milmandum Caſtrum iuxta Alpes duxit; & idem Caſtrum viribus Normannorum cœpit; & *Hugonem* Comitem Cabillonenſem Dominum eiuſdem Caſtri, qui *Rainaldum* trans Saonæ fluuium Burgundionum Comitem generum eiuſdem Ricardi, in vinculis tenebat, ad liberationem eius coëgit. Dedit etiam idem ſecundus *Richardus* duas villas optimas in Normãnia, ſcilicet Vvellebum ſuper Sequanam, & Cambaium in Oximenſi pago anteceſſoribus Comitis Vvilcaſini, vt liceret exercitum Normanniæ pacificè tranſire per terram ſuam ad ſupradictam expeditionem peragendam.

MXXVI. Mortuo Richardo ſecundo Duce Normãnorum filio primi Richardi, ſucceſſit ei filius eius *Richardus* tertius. Hic genuit *Nicolaum* poſtea Abbatem Sancti Audoeni, & duas filias, *Papiam* videlicet vxorem *Vvalteri* de ſancto Vvalerico, & *Aeliz* vxorem Ranulfi Vicecomitis de Baiocis. Hic tertius *Richardus* primo anno Ducatus ſui mortuus eſt, & ſucceſſit ei *Robertus* frater eius, qui genuit *Vuillelmum* de *Herleua* non ſponſata, qui poſtea Angliam conquiſiuit, & vnam filiam nomine *Aeliz* de alia concubina.

Robertus Rex Francorum ad inuadendam Lotharingiam animum intendit, ſed citò ab hoc conatu deſiſtit. *Gothelone* Duce, qui propter priuatum odium grauabat Regnum Conradi, & aliis Principibus ad pacis vnitatem deductis Regi proſperitas & regno accreuit tranquillitas.

MXXVII. De potentia & probitate *Canuti* Regis Anglorum pauca ſunt perſtringenda: nec enim ante eum tantæ magnitudinis Rex fuerat in Anglia; erat namque Dux totius Daciæ, totius Angliæ, totius Nortwagiæ, ſimul & Scotiæ. Extra numerum verò bellorum quibus maximè ſplenduit, tria geſſit eleganter & magnificè. Primum eſt, quòd filiam ſuam Imperatori Romano cum ineffabilibus diuitiis maritauit. Secundum, quòd Romam pergens omnes malas exactiones in via quæ per Gallias tendit, quæ vocatur Tolenea, vel Tranſuerſa, datâ pecuniâ ſuâ, diminui fecit vſque ad medietatem. Tertium quòd cùm maximo vigore floreret Imperij, ſedile ſuum in littore maris cum aſcenderet, ſtatui iuſſit. Dixit autem mari aſcendenti; tu meæ ditionis es: & terra in qua ſedeo mea eſt. Nec fuit qui impunè meo reſiſteret imperio. Impero igitur tibi ne in terram meam aſcendas, ne vel veſtes, vel membra Dominatoris tui madefacere præſumas. Mare verò de more conſcendens, pedes Regis & crura ſine reuerentia madefecit: Rex igitur reſiliens ait: Sciant omnes habitantes orbem, vanam & friuolam eſſe potentiam Regum, nec Regis quempiam nomine dignum, præter eum cuius nutu cœlum, terra, mare, legibus obediunt æternis. Rex igitur *Canutus* qui à quibuſdam *Cnut* dicitur, nunquam poſtea coronam auream ceruici ſuæ impoſuit: ſed ſuper Imaginem Domini, quæ Cruci affixa erat, poſuit eam in æternum ad laudem Dei Regis magni.

MXXXI. Obiit *Gonnor* Comitiſſa, vxor primi Richardi.

MXXXII. *Lanfrancus* Papienſis, & *Garnerius* ſocius eius repertis apud Bononiam Legibus

A. D. Romanis, quas Iustinianus Imperator Romanorum anno ab Incarnatione Domini D. xxx. abbreuiatas emendauerat, his, inquam, repertis operam dederunt eas legere, & aliis exponere: sed Garnerius in hoc perseuerauit; *Lanfrancus* verò disciplinas liberales, & litteras diuinas in Galliis multos edocens; tandem Beccum venit, & ibi Monachus factus est, sicut in sequentibus potest reperiri.

MXXXIV. *Herluinus* venerandæ sanctitatis Abbas Beccensis Ecclesiæ primus, inspirante Domino IESV CHRITO omnium bonorum authore, postpositâ nobilitate terrenâ, quâ satis pollebat, abiectâ sæculari pompâ, quâ ante iuxta modum suum non parum floruerat, fastûque terreno relicto, hoc anno cingulo militiæ deposito, ad Christi paupertatem tota deuotione se contulit; & vt soli Deo liberiùs vacaret, sola Dei dilectione habitum Monachalem cum gaudio suscepit. A Danis qui Normanniam primi obtinuere pater eius originem duxit, mater proxima Ducis Flandriæ consanguinitatem attigit; *Ansgotus* ille, ista *Helois* nomen habuit.

Gislebertus Brionnensis Comes, primi Richardi Normannorum Ducis nepos, ex filio Consule Godefrido, illum enutritum penes se inter omnes suæ Curiæ primates habuit acceptissimè. Habilis ille ad arma plurimùm erat, nec minori ea animositate gestabat. Omnes omnium totius Normaniæ maiorum familiæ in electis illum habebant in armis, omnique rei militaris vsu, & cultu corporis sui attollebant. Ab inhonestis auertebat animum, honestis quæ Curiæ magnifaciunt, impendebat omne studium. Domi ac militiæ Commilitonum suorum præstantissimus erat, quibus de rebus non solùm singularem domi suæ obtinuerat fauorem: verùm & apud *Robertum* totius Normanniæ Ducem, & apud exterarum Dominos Regionum, pepererat sibi nomen plurimum, accessúmque familiarem.

Hic talis & tantus vir cum prædiis ac facultatibus, licet minimis, ad Monachatum desiderans; & in fundo sui iuris, qui Burneuilla dicitur, haud procul à Brionnio volens Cœnobium construere, Ecclesiam ædificauit in honorem sanctæ MARIÆ; ibíque Religionis habitum ab Episcopo Lexouiensi *Herberto*, maximæ sanctitatis viro, quadragesimo ætatis suæ anno deuotè suscepit: nec multo post ab eodem Præsule Sacerdos ordinatus est, & Abbas constitutus; quia propter paupertatem ipsius loci, quiuis alius regimen ipsum nolebat suscipere. Verùm quia campestris & inaquosus est locus, monitus per soporem à Beata DEI Genitrice MARIA, in vallem ad riuum, qui Beccus dicitur, DEO adiutore, secessit; ibíque nobile ædificare cœpit in honorem DEI Matris DOMINI Monasterium, quod DEUS perfecit ad sui nominis gloriam, & multorum hominum salutem & solatium.

Cui DEUS ad auxilium & consilium adduxit iuxta desiderium cordis sui, *Lanfrancum* virũ in liberalibus artibus vndecumque peritissimum: deinde *Anselmum* virum per omnia approbatum, pollentem moribus, consilio affabilem, misericordem, castum, sobrium, in omni clericali officio mirabiliter eruditum. Qui ambo, DEI annuente Consilio, Archiepiscopatum Cantuariæ postea consecuti sunt. Inde ad eumdem locum tot & tanti viri tàm Clerici, quàm Laïci, ex nobili genere nati, confluxêre, vt sancto *Herluino* Abbati satis decenter posset dici: Ab vbertate domus tuæ inebriasti faciem terræ: & à torrente sapientiæ eorum replesti orbem terrarum: Qui locus quantum adhuc temporibus nostris charitatis splendeat radicibus, expertis differendum dimittimus.

Mortuo *Canuto* Rege Anglorum succedit ei *Haraldus* filius eius, qui regnauit quatuor annis & sex Hebdomadibus. *Haraldus* iste erat filius *Cnut* ex *Aluina* filia *Alfemi* DUCIS. Fuit namque placitum magnum apud Oxinefordum, vbi omnes Principes ex Boreali parte, cum Lundoniensibus, elegerunt *Haraldum* vt conseruaret Regnum fratri suo *Hardenut*, filio Cnut, ex Emma Regina nobilissima DOMINA.

MXXXV. Obiit *Robertus* DUX Normannorum, frater tertij Richardi, ab Ierosolymis rediens, apud Niceam ciuitatem: cui successit *Vuillelmus* filius in puerili ætate, qui Angliam postea conquisiuit: pater Vuillelmi Regis Rufi, & Henrici.

MXXXVII. Obiit *Robertus*; cui successit *Malgerius* nepos eius XLV. Archiepiscopus Rothomagensis.

MXXXVIII. *Haraldus* Rex Anglorum filius Cnut exulauit *Emmam* Nouercam suam, matrem Hardecnut; quæ diuertens ad *Balduinum* consulem Flandriæ, accepit ab eo castrum Bruge, vt ibi & inde viueret: *Vuillelmo* namque DOMINO Normannorum adhuc in ætate puerili cum Rege Francorum manente, Normania fiscus regalis erat.

Mortuo *Haraldo* filio Canuti Rege Anglorum, successit ei frater eius ex patre Cnut *Hardecnut* munificus, qui cùm regnasset duobus annis, decem diebus minus, morte præreptus est in medio flore iuuentutis suæ, apud Lambihite; qui claræ indolis, & benignæ iuuentutis fuerat suis. Tantæ namque largitatis fertur fuisse, vt prandia Regalia quatuor in die vicibus omni Curiæ suæ facere apponi, malens à vocatis apposita fercula dimitti, quàm à non vocatis apponenda

A. D.

fercula reposci: cùm nostri temporis consuetudo sit causa vel auaritiæ, vel ipsi dicunt fastidij, Principes semel in die tantùm suis escas anteponere. Sepultus est autem Hardecnut in veteri Monasterio apud Vvincestre, iuxta Cnut patrem suum.

Proceres igitur Anglorum iam Dacorum dominio liberati hilares, pro *Aluredo* primogenito filio *Adelredi*, vt Regni diademate sublimaretur, nuncios mittunt. Ille autem cùm esset patre Anglicus, matre Normannus, aliquos ex consanguineis matris suæ, multos ex coæuis commilitantibus à Normania secum duxit in Angliam. *Goduinus* verò cùm esset Consul fortissimus, & proditor sæuissimus, præcogitauit se *Edvvardo* fratri iuniori & simpliciori posse filiam suam dare in Reginam. Hunc verò *Aluredum*, quia primogenitus erat, & magnæ probitatis, nullo modo filiam suam ducere dignaturum præuidebat. Intimauit igitur proceribus Angliæ Aluredum nimiam copiam Normannorum secum adduxisse, terras Anglorum eis promisisse, gentem fortissimam & subdolam inter eos instirpare Anglis securum non esse. Hos persoluere pœnas oportere ne alij posthac audeant pro Regis cognatione se Anglis ingerere. Capti sunt ergo Normanni & ligati, qui venerant cum Aluredo: & cùm ordine sederent, nouem semper excapitati sunt: & decimus remansit apud Geldeforte. Cùm autem omnes interfecti essent, nisi decima pars, nimium visum est Anglis tot superesse, fecerúntque decimam decimari, & sic paucissimi euaserunt. *Aluredum* verò captum duxerunt in Heli, & oculos eius eruerunt, & mortuus est. Miserunt ergo pro *Edvvardo* Iuniore in Normaniam nuncios & obsides, mandantes ei quòd paucissimos Normanorum secum adduceret, & eum in Regē firmissimè stabilirent, paruit *Edvvardus*, & cum paucis venit in Angliam, & electus est in Regem ab omni populo; & sacratus est ab *Eadsi* Archiepiscopo apud Vincestre, in die Paschæ. Eadsi verò Archiepiscopus dimisit Archiepiscopatum propter infirmitatem, & sacratus est *Sivvardus* in loco eius. Tunc verò factus est *Stigandus* Episcopus Estanglæ.

Obiit *Hugo* Episcopus Baiocensis & successit Odo.

MXL. Fundamenta Ecclesiæ sanctæ MARIÆ in Gemetico innouata sunt ab Abbate *Roberto*, postea Cantuariorum Archiepiscopo.

Mortuo *Hardecnut* filio Canuti Rege Anglorum, successit *Edvvardus* Rex bonus & pacificus in Regno Anglorum; qui regnauit in pace XXIV. annis

MXLI. *Edvvardus* Rex Anglorum in patrocinium Regni sui duxit filiam *Goduuini* Consulis, nomine *Editham*, sororē Haraldi Regis futuri. Circa hoc tempus tanta fames Angliam inuasit, quòd sextarius frumenti, qui equo solet esse oneri, venundaretur quinque solidos & etiam amplius. Postea verò *Stigandus*, qui erat Episcopus Estanglæ, factus est Episcopus etiam apud Vvinceastre. Rex autem exulauit *Sueui* Consulem, filium Godvvini prædicti Consulis, qui recessit ad Balduinum Flandrensem Comitem.

MXLII. *Lanfrancus* de Senatorum Papiæ nobili genere natus, in septem liberalibus artibus mirabiliter eruditus, Deo omnium bonorum authore disponente, apud Beccense Cœnobium, magnis tunc temporis facultatibus inornatum, secundum sancti *Herluini* ibidem Abbatis desiderium, Monachalem suscepit habitum; qui quanto miraculo illuc aduenisset, & quantum ibidem profuisset, & quomodo Abbas Cadomi extitisset, & quàm admirabilis Archiepiscopus Cantuariensis diu viguisset, in vita ipsius inueniri potest.

MXLVI. Hoc anno commissum bellum est apud Vvallesdune inter *Henricum* Regem Francorum, & Proceres Normannorum, & *Guidonem* scilicet filium *Richardi* Comitis Burgundiæ, cognatum *Vvillelmi* Ducis Normāniæ, quia nolebant eumdem Vvillelmum in Dominum recipere. Quos cùm Dux *Vvillelmus* auxilio Henrici Regis Francorum victos obtinuisset, quosdam exulauit, quosdam corpore minuit.

MXLIX. *Leo* Papa in Gallia & Germannia Synodis habitis statum Ecclesiæ meliorauit. Eo tempore tenuit Synodū apud Vergelei vbi *Vlf* Episcopus interfuit, & penè fractus est eius baculus Episcopalis, nisi manus accipientium vngerentur, nesciebat enim officium sicut Episcopum deceret. *Eadsi* Archiepiscopus Cantuariensis vita cassatus est; Obierat enim Siwardus successor eius.

ML. *Lanfrancus* etiam Papiensis primùm Monachus Beccensis, deinde Archiepiscopus Cantuariensis, omnibus luculentius & mirabilius librum super hac re contra eum (*Berengarium*) composuit: in quo singulis illius quæstionibus & oppositionibus laudabiliter respondit; malè dicta ab eo & intellecta scripturarum testimoniis diuinarum improbando conuincens.

Emma Normanigena, filia secundi Ricardi Ducis Normannorum, vxor Regum *Adelredi*, & *Canuti*, & mater Regum *Hardecnut*, & Edvvardi, morem mortis pertulit, *Aluredum* & *Eduardum* habuit de Adelredo, & *Hardecnut* de Canuto, qui genuit *Haraldum* de *Alvvina*; & ita hi quatuor fratres fuerunt.

MXLII. *Edvvardus* Rex Anglorum cùm prande-

A. D. ret apud Vvinlesores, vbi plurimùm manere solebat, *Goduvinus* gener suus & proditor, recumbens iuxta eum, dixit: sæpe tibi Rex falsò delatum est me proditioni tuæ inuigilasse, sed si Deus cœli verax & iustus est, hoc panis frustillum concedat, ne in gutture pertranseat, si vnquam te prodere cogitauerim: Deus autem verax & iustus audiuit vocem proditoris, & mox eodem pane strangulatus mortem prægustauit æternam. *Haraldus* verò filius eius habuit Consulatum patris sui; & *Algarus* Consul Cestiæ habuit Consulatum Haraldi.

MLIV. Ex quo Normanni arua Neustriæ Occidentalis cœperunt incolere, mos fuit Francis semper eis inuidere; concitabant ergo Reges aduersus illos insurgere, asserentes terras, quas possident, suis maioribus violenter eos subripuisse. Quibus Rex *Henricus* vehementer irritatus ambagibus, imo malignissimis æmulorum suggestionibus; ob Ducis *Vvillelmi* improperium, Normanniam est aggressus, duobus videlicet hostium agminibus; vnum quidem electæ nobilitatis virorum fortium ad Calciuum subuertendum territorium direxit, cui fratrem suum Odonem præfecit. Alteri verò cum *Goffrido Martello* ad demoliendum Comitatum Ebriocensem ipse præfuit. Dux verò vt se suósque taliter opprimi vidit, magno & nobili tactus dolore milites protinus elegit, quos ad comprimendos Calceij subuersores celerrimè direxit. Ipse autem cum suorum nonnullis circa Regem se contulit, quatenus pœnas lueret, si quem satellitum à Regis latere aliquatenus abstrahere valeret.

Venientes verò Normanni ad Francos repererunt eos apud mortuum mare, in incendiis & mulierum ludibriis occupatos. Cum quibus illicò mane commissum bellum, in continua cæde occũbentium ad vsque Nonam ab vtrisque est prostratum. Nouissimè autem Francigenæ victi fugerunt, & Normanni certaminis euentum Duci mox per nuncios intimauerunt. At ille nimis lætus super hac re *Henricum* Regem volens effugare, terruit eum hac legatione. Nuncius Ducis Regalibus Castris appropiauit; & in quodam proximo monte noctu stans fortiter clamare cæpit; cúmque Regis Vigiles sciscitarentur quis esset, vel quare tali hora sic vociferaretur, respondisse fertur: *Rodulphus de Toenia* nominatus sum, vobísque defero lugubre nuncium: Ad mortuum mare currus vestros cum carris ducite & inde cadauera charorum vestrorũ asportate, Franci quippe Normannorum militiam experiri super nos venerunt, eámque multò maiorem quàm voluissent inuenerunt. *Odo* Regis frater signifer turpiter fugatus est; *Vvido* Pontiui Comes captus est; reliqui omnes aut capti aut perempti sunt, aut obnixè fugientes euaserunt. Hoc ex parte Ducis Normannorum confestim renuntiate Regi Francorum. Rex igitur vt infortunium suorum audiuit, à Normannia concito gradu quàm citius valuit, mœstus de interitu Gallorum retro pedem retraxit.

MLV. *Hunfridus de Vetulis*, Pater *Rogerij de Bellomonte*, & *Albereda* vxor eius, duo Monasteria, vnum virorum, & alterum fœminarum, in fundo Pratelli ædificauit.

MLX. Sanctus *Anselmus* in Augusta nobili ciuitate, quæ confinis Burgundiæ est, & Longobardiæ Oriundus, licet nobiliori parentum prosapia natus, disertorum studiis Magistrorum in breui, Deo donante, coæquatus, & per diuinam visionem ad sedes cœlicas denique in spiritu raptus, salutis suæ arcana verba confestim audiuit: quæ non multo pòst tempore deuotè compleuit. Audiens igitur famam Magistri *Lanfranci*, iam Monachi Beccensis, & scholas ibidem regentis, omnium penè doctorũ nomina præcellere, spretâ pro Dei nomine patriâ, & matris multimoda hæreditate, cum aliquantis familiarium Clericis venit ad eum; in cuius scholis aliquandiu diligenter manens, & sibi & aliis multùm proficiens; tandem *Lanfranci* incitamento, & *Maurilij* Rothomagensis Archiepiscopi consilio, diuina prouidente clementia, in Beccensi Ecclesia habitum Monachalem tota deuotione hoc anno suscepit, anno ætatis suæ XXVII. qui ad quanta sanctitatis & dignitatis culmina postea peruenerit, in subsequenti diligens lector inueniet.

MLXIII. *Lanfrancus* Ecclesiæ Becci Prior cùm sancti Stephani Cadomi accepisset regimen, *Anselmus* factus est Prior Beccensis Ecclesiæ, qui tribus annis fuerat sine Prælatione. Cùm iam, *Henrico* Rege Francorum defuncto, *Philippus* filius eius regnaret, *Vvillelmus* Dux Normannorum subiugauit sibi Cœnomaniam. *Haraldus* verò tunc temporis transiens in Flandriam, tempestate compulsus venit in Pontiuam Prouinciam. Quem captum Consul *Ponticus Vvillelmo* Duci Normanniæ reddidit, *Haraldus* autem iurauit Vvillelmo super Reliquias Sanctorum multas & electissimas, se filiam eius ducturum, & Angliam post mortem *Edvvardi* Regis ad opus eius seruaturum. Summo igitur honore susceptus, & muneribus amplis ditatus, cùm reuersus esset in Angliam periurij crimen elegit.

MLXIV. Dominator omnium rerum Dominus de gente Anglorum quod diu præuiderat ad effectum perduxit: genti namque Normannorum asperè & callidè tradidit eos ad

A. D. exterminandum. Enim verò cum Baſilica ſancti Petri apud *Vveeſt-moſter* dedicata eſſet in die ſanctorum Innocentium; & poſteà in vigilia Epiphaniæ Rex bonus *Edvvadus* filius Aelredi, & Emmæ filiæ primi Ricardi, mundo diſceſſiſſet, & ſepultus eſſet in eadem Eccleſia, quam ipſe conſtruxerat, & poſſeſſionibus multis ditauerat, quidam Anglorum *Edgar Adeling* promouere volebant in Regem; Haraldus verò viribus & genere fretus diadema Regni cum periurio inuaſit.

At *Vvillelmus* Dux Normannorum tribus de cauſis mente ſtimulatus eſt, & intrinſecus irritatus. Primò, quia *Aluredum* cognatum ſuum *Godvvinus* & filij ſui dehoneſtauerant, Secundò, quia *Robertum* Epiſcopum, & *Odonem* Conſulem, & omnes francos *Godvvinus* & filij ſui ab Anglia exulauerant. Tertiò, quod H*araldus* in periurium prolapſus Regnum quod iure cognationis ſuum eſſe debuerat, ſine aliquo iure inuaſerat.

Mortuo itaque *Edvvardo*, vt ſupra diximus, Rege Anglorum pacifico, H*araldus* periurus filius Godvvini potentiſſimi Conſulis inuaſit Regnum Anglorum, & Diadema in periurio; qui regnauit vno anno, & tamen non pleno, quia propriâ iniuſtitiâ Regnum, quod iniuſtè ſubripuit, Deo volente, perdidit.

Interea H*araldus* Rex Norvvagiæ cum mille penè nauibus venit in Angliam regnaturus; & in vrbe Eboraca pluſquàm mille Laïcos, & centum Presbyteros de Anglis occidit. Cui H*araldus* Rex Anglorum cum ſeptem legionibus ſuperueniens eum cum multis occidit.

MLXV. Dux Normannorum *Vvillelmus* cùm conſilium petiiſſet, & omnes Normanniæ Barones ad Angliam conquirendam audiſſet vnanimes, gauiſus eſt valde, quibus ad ſe iterum conſiliandos euntibus, *Vvillelmus* filius *Osberni* dapifer Ducis interfuit, qui grauiſſimum iter ad Angliam capeſcendam, gentémque fortiſſimam Anglorum perhibens, contra pauciſſimos in Angliam ire volentes acerrimè litigauit. Quod quidam Proceres audientes valde gauiſi ſunt, fidem dederunt ei, vt quod ipſe diceret, omnes concederent. Ingreſſus ante eos coram Duce dixit: Paratus ſum in hac expeditione cum meis omnibus proficiſci. Oportuit ergo omnes Normannorum Principes Verbum eius proſequi, ſicut promiſerant ei.

Claſſis igitur maxima ad portum ſancti *Valerici* eſt præparata. Quod audiens Rex H*araldus* vir bellis acerrimus, terrâ & mari militares turmas contra Vvillelmum præparauit. Cùm autem apud Eurohic poſt occi- A ſionem H*araldi* Regis Norvvagiæ, & Toſti fratris ſui, lætus pranderet, audiuit nuncium dicentem ſibi: *Vvillelmus* Normannorum Princeps littora auſtralia occupauit, & apud Haſtinges caſtellum conſtruxit. Rex verò non ſegnis aduolans aciem ſuam conſtruxit in Haſtinges planiciis; *Vvillelmus* quidem quinque cateruas equitum ſplendidè promouit in hoſtem, quibus terribiliter diſpoſitis ſermo Ducis dulcifluus, tam mirabiliter in ſuorum maiorum exemplis diutius perorauit, vt ſi ſegnes antea videretur, omnibus audaciores poſtea probarentur. B Nondum enim ad finem Dux orationem duxerat, omnes ira accenſi vltra quàm credi poteſt ſecundum acies ſuas impetu ineffabili prouolabant in hoſtem, Ducem iam ſibi ſoli loquentem relinquentes. Quidam verò nomine *Tailefer* dudum antequam coirent bellatores, enſibus iactatis, ludens coram gente Anglorum, dum in eum omnes ſtuperent, quendam Vexilliferum Anglorum interfecit: Secundò ſimiliter egit: Tertiò idem agens & ipſe interfectus eſt, & acies ſibi offenderunt. C Tunc incipit lætifera nubes ſagittarũ tonitruum, ſequitur ictuum, inſilit ignita colliſio galearum & enſium. Cùm ergo H*araldus* totam gentem ſuam in vna acie ſtrictiſſimè vt prudens locaſſet, & quaſi caſtellum inde conſtruxiſſet, impenetrabiles erant Normannis.

Docuit igitur Dux *Vvillelmus* genti ſuæ fugam ſimulare, fugientes autem ad quandam foueam magnam doloſè protectam deuenerunt, vbi multus eorum numerus corruens oppreſſus eſt. Dum igitur Angli in ſequendo D perſiſtunt, acies principalis Normannorum mediam cateruam Anglorum pertranſiit, quod videntes qui perſequebantur per foueam prædictam redire compulſi, ibidem ex magna parte perierunt. Docuit igitur Dux *Vvillelmus* viros ſagittarios vt in hoſtem directè, ſed in aëra ſurſum ſagittas immittentes, hoſtilem cuneum ſagittis cæcarent, quod Anglis magno fuit detrimento.

Viginti autem Equites ſtrenuiſſimi fidem ſuam inuicem dederunt, quòd Anglorum cateruam prorumpentes ſignum Regium, quod vocatur Standard, acciperent: quod E dum facerent plures eorum occiſi ſunt, pars autem eorum, viâ gladiis factâ, Standard apportauit.

Interea totus imber ſagittarum cecidit circa Regem H*araldum*, & ipſe in oculo ictus corruit. Irrumpens autem multitudo Equitum Regem interfecit vulneratum, necnon & *Girdh* Conſulem, & *Leuine* Conſulem fratres eius cum eo. Sic igitur contritus eſt Anglorum exercitus, & Normannis à Deo victoria conceditur.

Vvillelmus igitur Dux Normannorũ tantâ,

A. D.

Deo donante, potitus victoriâ susceptus est à Londoniēsibus pacificè, & coronatus apud Vuestmoster ab *Aldredo* Eboracensi Archiepiscopo, quia *Stigandus* Cantuariensis Archiepiscopus erat excommunicatus, sic dexteræ excelsi mutatio gloriosa comprobatur esse facta, quam Cometa ingens in exordio eiusdē anni designauerat. Vnde dictum.

Anno milleno sexageno quoque seno,
Anglorum metæ flammas censere Cometæ.

Commissum est autem hoc bellum mense Octobri, in festiuitate sancti Calixti; quo in loco Rex V*villelmus* Abbatiam nobilem in honore sancti *Martini* construxit, & eam dignè nomine *Belli* vocauit.

Regnauit autem idem V*villelmus* Rex Anglorum & Dux Normannorum XXI. ann.

MLXVI. Obiit *Conanus* Dux Britanniæ. V*villelmus*

MLXVII. Rex Anglorum Mare transiit in Normanniam, ducens secum obsides & thesauros; qui interfuit dedicationi sanctæ Mariæ Gemeticensis.

Obiit *Maurilius* Rothomagensis Archiepiscopus, priùs Fiscannensis Monachus. Cui successit *Ioannes* filius *Radulfi* Comitis, fratris Ricardi primi; qui priùs Abrincensi Ecclesiæ septem annis & tribus mensibus præfuit, & postea rogatu Alexandri Papæ, concedente Vuillelmo Rege Anglorum & Principe Normannorum, adeptus est Cathedram Metropolitanæ Rothomagensis Ecclesiæ quadragesimus sextus.

MLXX. Deposito *Stigando* Apostata, qui priùs fuerat Episcopus Halmeensis, quæ sedes postea ad Norvvith translata est, & postea Episcopus Vvincestrensis, ad vltimum Episcopus Cantuariensis, & hos tres honores non causa Religionis, sed cupiditatis simul tenebat, vnde à Papa Romano excommunicatus fuerat.

Lanfrancus priùs Monachus Beccensis, deinde Abbas Cadomensis, constitutus est Archiepiscopus Cantuariensis; vbi laudabiliter & gloriosè vixit, ad exemplum omnium bonorum XVIII. annos.

MLXXI. Rex Anglorum V*villelmus* duxit exercitum suum terrâ & mari in Scotiam. Melcolin verò Rex Scotorum homo suus effectus est, & obsides ei dedit. Anno proximo idem Rex exercitum Anglorum & Francorum duxit in Cœnomanicam Prouinciam. Angli verò terram illam destruxerant villas comburendo, vineas cædendo, & eam Regi subdiderunt.

MLXXII. Secundus *Balduinus* Flandrensium Comes, pater *Matildis* vxoris Regis Anglorum Vvilelmi, habuit duos filios, Balduinum & Robertum: Quorum vterque vxorem accepit viuente patre eorum. Nam *Balduinus* primogenitus habuit vxorem Comitissam Hamaucensem, ex qua genuit duos filios, *Ernulfum* & *Balduinum*. Robertus autem accepit coniugem relictam Florentij Comitis Frisiæ, quæ vnicam ex prædicto Florentio habebat filiam; Quam *Robertus* longè facere volens à paterna hæreditate, dedit eam *Philippo* Regi Francorum; & ita Comitatus Frisiæ remansit ei cum matre prædictæ puellæ: vnde cognominatus est Frisio. Decessit autem ante mortem Patris sui Balduini *Balduinus* Comes Hamaucensis, & successit *Arnulphus* filius eius primogenitus.

Tandē hoc anno mortuo secundo *Balduino* Comite Flandriæ, cùm *Ernulfus* Comes Hamaucensis deberet ei succedere, vtpote nepos ex primogenito eius filio Balduino, & ad hoc etiam niteretur *Philippus* Rex Francorum veniens in auxilium eius; & *Mathildis* Regina Anglorum amita eius mittens ei *Vvillelmum* filium Osberni cum armata militum manu. *Robertus* Frisio Patruus eius adiuncto exercitu *Henrici* Romanorum & Alemanorum Imperatoris, cuneis suis ex improuiso super eos irruens, die Dominico Septuagesimæ fugato Rege Erancorum, *Ernulfum* nepotem suum; & *Vvillelmum* filium Osberni Comitem Herefordi peremit; & hac de causa Flandriam vsque ad suum obitum possedit. Interea tamen hinc *Richildis* Arnulfi mater, illinc *Robertus* capitur, & altero pro altero relaxato, bellum inter eos vario euentu protrahitur. *Butinatius* Michaëlem Imperatorem Constantinopolitanum de Regno expulit, & ipse pro eo imperat.

MLXXIII. Monachi Becci in vigilia festiuitatis Omnium Sanctorum, de prima veteri Ecclesia, solemni processione; & magnæ gaudio deuotionis, venerunt in nouam, quam Beatus *Herluinus* eiusdem loci gloriosus Abbas, *Lanfrancus*, & *Anselmus* viri magnæ authoritatis ædificauerunt.

MLXXIV. Congregatum est Consilium in Rothomagensi vrbe præsidente *Vvillelmo* Anglorum Rege & Normannorum Principe & *Ioanne* Archiepiscopo Rothomagensi, & *Odone* Baiocensi Episcopo, & *Hugone* Lexouiensi, & *Michaele* Abrincensi, *Gisleberto* Ebroicensi & *Roberto* Sagiensi, in quo tam de negotiis Ecclesiasticis quam de Regni vtilitatibus diligenter tractauerunt.

MLXXV. *Vvillelmus* Rex Anglorum & Princeps Normannorum die sancto Paschæ in Ecclesia Fiscanni obtulit filiam suam *Ceciliam* per manus Ioannis Archiepiscopi Rothomagensis Deo consecrandam. Inibi namque legem instituit, ne aliquis scilicet aliquem hominem assallirer pro morte alicuius sui parentis, nisi patrem aut filium interfectorem. Instituit quoque alia Ecclesiæ & Regno valde vtilia. Idem Rex *Vvillelmus* eodem anno

A. D. obſedit *Dol* ciuitatem Britanniæ. Britanni verò caſtellum tenuerunt donec Rex Franciæ adueniens liberauit eos. Poſteà Rex Franciæ, & Rex *Vuillelmus* concordati ſunt: Rex autem Scotorum *Meleold* prædatus eſt in Nordhembre vſque ad Tine prædam maximam, multoſque homines in vinculis ſecum reduxit. Rex quoque *Vuillelmus* ſeditione militari agens contra Robertum filium ſuum primogenitum apud Gerbereie, quod eſt Caſtellum in Francia, equo ſuo propulſus eſt, & filius eius V*villelmus* vulneratus, & multi ex ſuis occiſi. Maledixit igitur Rex Roberto filio ſuo, quam maledictionem antequam moreretur perpeſſus eſt. Porrò *Nordherbri* proditione occiderunt V*valcherum* Epiſcopum Dumeliniæ in quodam placito pacificè ſtatuto iuxta Tinam, & centum homines cum eo.

MLXXVII. Eccleſia Becci X. Kal. Decembris in honorem beatæ MARIÆ ſemper Virginis Matris Domini, dedicata eſt ab Archiepiſcopo Cantuariæ *Lanfranco*; quod opus pergrande ipſe inchoauit, & poſt Abbatem H*erluinum*, primum lapidem poſuit; quod opus in ſexdecim annis peractum eſt. Huic etiam dedicationi interfuerunt Epiſcopi *Odo* Baiocenſis, *Giſlebertus* Lexouienſis, G*iſlebertus* Ebroicenſis, R*obertus* Sagienſis, & *Arnaldus* Cænomanenſis. De lætitia illius diei, & gaudio multiplici, ſuperfluum videtur proloqui, cùm de aduentu perſonarum, virorúmque illuſtrium, & mulierum nobilium, non ſine magna largitione donorum, Franciæ, Normanniæ, Angliæ, & deſuper abundanti omnibus præparata procuratione, nemo ſufficienter vix poſſit diſſerere.

MLXXVII. Beatus H*erluinus* Abbas Becci primus, miles Chriſti glorioſus, inter Choros Iuſtorum ab Angelis ſuſceptus eſt; pretioſum corpus terræ relinquens, fœlicem animam cœlis inferens. Obitus eius dolor ſuis, Angelis gaudium. Cui etiam Dominus corda hominum reuelauit, & animas de corpore exeuntes à Dæmone arreptas plangentes audiuit, & plangendo cognouit. De virtutibus, vita, & moribus ſi dicere volumus, dies deficiet. Mittimus igitur prudentem Lectorem ad deſcriptam eius vitam, vbi abundanter inuenerit quo inſtrui poſſit.

EPITAPHIVM.

HVnc ſpectans tumulum, titulo cognoſce ſepultum.
Eſt via virtutis noſſe quis ipſe fuit
Dum quater hic denos æui veniſſet ad annos:
Quæ fuerant ſæcli ſpreuit amore Dei.
Mutans ergo vices, de mundi milite, miles
Fit Chriſti, ſubitò Monachus ex Laico.
Hinc ſibi more Patrũ ſocians collegia fratrum:
Curà, qua decuit, rexit eos, aluit.
Quot, quantáſque vides hìc ſolus condidit ædes,
Non tam diuitiis, quàm fidei meritis.
Quas puer haud didicit ſcripturas, poſt ita ſciuit;
Doctus vt indoctum vix ſequeretur eum.
Fletibus hìc nobis tulit inclementia mortis,
Sextili quina, biſque die decima.
Herluine pater ſic cælica ſcandis ouanter:
Credere namque tuis hìc licet ex meritis.

Defuncto itaque Patre *Herluino* VII. Kal. Septembris, anno ætatis ſuæ 84. Monachatûs verò 44.

Paucis interpoſitis diebus, electus eſt Abbas eiuſdem loci *Anſelmus*, qui Prior quindecim annis fuerat. Sequenti verò anno in feſto ſancti Petri, quæ dicitur Cathedra, benedictus eſt Abbas in Eccleſia Becci ab Epiſcopo Ebroicenſi *Giſleberto*.

MLXXIX. Succeſſit *Ioanni* Archiepiſcopo *Vuillelmus* XL. Archiepiſcopus Rothomagenſis, qui fuerat Monachus & Abbas ſancti Stephani Cadomenſis.

MLXXX. Factum eſt Concilium apud *Liſlebonam*, in præſentia *Vuillelmi* Regis Anglorum & Ducis Normannorum, in Pentecoſte, V*uillelmo* præſidente Archiepiſcopo cum Epiſcopis, Abbatibus, Conſulibus, & cæteris Normannorum Principibus; vbi multa vtilia inſtituta ſunt, quæ ſeruantur, maximè in Normannia. Idem Rex V*uillelmus* duxit exercitum ſuum in Vualiam, & eam ſibi ſubdidit: *Odonem* Epiſcopum fratrem ſuum poſtea in carcerem poſuit.

MLXXXIII. Obiit *Matildis* Regina, filia ſecundi Balduini Comitis Flandrenſis, vxor Vuillelmi III. Regis Anglorum, qui Angliam conquiſiuit; Regina nobilis, de cuius nobilitate largiflua multa Eccleſiæ ſanctæ retinent beneficia. Miſit Rex potentiſſimus Anglorum V*uillelmus* Iuſtitiarios ſuos per vnamquamque *Scyram*, id eſt Prouinciam Angliæ, inquirere fecit per iuſiurandum quot *Hidæ*, id eſt iugera vni aratro ſufficientia, per annum eſſent in vnaquaque villa; & quot animalia: fecit etiam inquiri, quid vnaquæque vrbs, caſtellum, vicus, villa, flumen, palus, ſylua, redderet per annum: hæc autem omnia in chartis ſcripta delata ſunt ad Regem, & inter Theſauros repoſita vſque hodie ſeruantur. Eodem anno *Mauricius* factus eſt Epiſcopus Londoniæ, qui Templum maximum, quod necdum perfectum eſt, incœpit.

MLXXXIV. *Vuillelmus* Rex Anglorum fortiſſimus cùm de more tenuiſſet curiam ſuam in Natali apud Glouceceaſtre, ad Paſcha Vvinceaſtre, ad Pentecoſtem apud Londoniam, *Henricum* filium ſuum iuniorem virilibus induit armis. Deinde accipiens hominium omnium terrariorum Angliæ, cuiuſcumque feodi eſ-

A. D. sent, iuramentum fidelitatis recipere non distulit.

MLXXXV Hoc anno pestes infirmitatis & famis Angliæ Deus immisit, vt qui febribus euaderet, fame moreretur. Immisit etiam tempestates, & tonitrua, quibus multos hominum occidi permisit, nec animalibus, nec pecoribus pepercit. Fuerat autem hoc anno *Vuillelmus* Rex in Francia, prædauítque Regnum Regis *Philippi*, & multos suorum neci dedit. Combussit quoque Castrum nobile, quod vocatur *Maante*, & omnes Ecclesias quæ ibi inerant, plebemque multam, & duos Anachoritas sanctos igni tradidit. Quibus de causis Deus irritatus, Regem cùm inde rediret, infirmitati, postea morti concessit. De cuius Regis potentissimi vitâ, bona perstringenda sunt & mala; vt à bonis sumamus exempla, & à malis discatur cautela.

Vuillelmus omnibus Normanniæ Consulibus fortior fuit, omnibus Anglorum Regibus potentior; omnibus prædecessoribus suis laude dignior. Erat autem sapiens, sed astutus; locuples, sed cupidus; gloriosus, sed famæ deditus. Erat humilis Deo seruientibus, durus sibi resistentibus. Ad Castella solus omnes fatigabat construenda: si ceruum caperent aut aprum, oculos eis eruebat, nec erat qui obmurmuraret. Amauit autem feras ipse ferus, tanquam pater esset ferarum. Vnde in syluis venationum, quæ vocantur Nouæ-forestæ, villas eradicari, gentem extirpari, & à feris fecit inhabitari.

Huic Normannia hæreditariè peruenerat: Cœnomaniam armis acquisierat; Britaniam sibi acclinem fecerat; super Angliam solus totam regnauerat, ita quòd nec ibi sola hida inerat, de qua nesciret, cuius esset, & quid valeret. Scotiam quoque sibi subiugauerat, Vvaliámque reuerendus in suam acceperat. Terris omnibus vicinis terrori inerat. Pacis autem tantus author fuerat, quòd puella auro onusta Regnum Angliæ pertransire posset impunè, vt aliquis quempiam quacunque de causa peremisset, capitali plecteretur sententiâ. Si aliquem vi oppressisset armis, sine dubio priuabatur genitalibus.

Construxit autem Abbatiam *Belli*, de qua supradictum est, & illam apud *Cahem* in Normannia, in qua ipse sepultus est. Vxor verò sua *Matildis* Abbatiam sanctimonialium ibidem construxit, in qua ipsa requiescit; quorum animabus misereatur, qui solus post mortem medetur.

Vuillelmus hic mirabilis, terram suam sic diuisit, *Roberto* filio suo primogenito dimisit Normanniam: *Vuillelmo* secundo filio eius, Angliæ Monarchiam: *Henrico* tertio thesauri copiam, pro quo cùm *Robertus* partem ei Normanniæ vendidisset, thesauro habito; quod ei vendidit, iterum abstulit, quæ res valde Deo displicuit, sed vindictam in tempore reseruauit.

MLXXXVII. Obiit *Vuillelmus* Rex Anglorum & Dux Normannorum Rothomagi, apud sanctum Geruasium, quinto Idus Septembris, qui suâ magnâ industriâ & probitate omnem Angliam suæ subdiderat ditioni. Translatum est corpus eius, sicut ordinauerat, Cadomum, & in Ecclesia sancti Stephani, quam ipse à fundamentis ædificauerat, ante maius altare regaliter tumulatum. Solus autem filiorum suorum *Henricus* exequias patris prosequutus est, dignus qui paternam hæreditatem aliquando solus obtineret, quam fratres sui particulatim post mortem patris possederunt. Decessit verò idem Rex ferè sexagenarius, anno Ducatus sui in Normanniam quinquagesimo secundo: porrò Regni sui in Anglia vigesimo primo completo.

Hoc Vuillelmo rebus humanis substituto *Vuillelmus* secundus filius eius, qui *Rufus* cognominatur, apud Tolcam quàm citiùs potuit, mari transito, susceptus est ab Anglis & Francis, vnctúsque in Regem à *Lanfranco* Cantuariensi Archiepiscopo, eiúsque suffraganeis Londoniæ apud Vestmonasterium. His verò peractis *Vuillelmus* Rex pergens apud Vinceastre thesaurum patris sui, secundum imperium eius diuisit. Erant tunc in thesauro illo sexaginta millia librarum argenti; excepto auro, & gemmis, & vasis, & palleis. Dedítque inde quibusdam Ecclesiis decem marcas argenti; quibusdam sex; & vnicuique Ecclesiæ villæ quinque solidos; & misit in vnumquemque Comitatum centum libras diuisurum pauperibus: præceptóque patris sui omnes vinctos à vinculis soluit.

Rex igitur *Vuillelmus* curiam ad Natale tenuit apud Londoniam, in qua affuerunt *Lanfrancus* Archiepiscopus, qui eum sacrauerat, & *Thomas* Episcopus Eboracensis, & *Vvacelinus* Vintoniensis, & *Gaufridus* Episcopus Exiceastriæ, & *Vvlnof* Episcopus Vvireceastriæ, & *Vuillelmus* Tetfordiæ, & *Robertus* Ceastriæ, & *Vuillelmus* Dunelmiæ, & *Odo* Episcopus Baiocensis iusticiarius, & princeps totius Angliæ, & *Remigius* Episcopus Lincoliensis, qui Monachus fuerat Fiscanni.

Robertus namque primogenitus Regis defuncti Vuillelmi, ante mortem eius discesserat à Normannia, indignè ferens, quòd ipse non ei permitteret pro sua voluntate disponere tàm Comitatum Normanniæ, quàm Cœnomaniæ. Alterius enim dudum hæres designatus fuerat, alterius verò hac de causa viuĕte patre regimen quærebat, quòd *Margarita* filia *Herberti* quondã Cœnomanensis Comitis

A. D.

Comitis ipsi fuerat desponsata, licet antequam ad nuptias eius pertingeret, apud Fiscannum Virgo eadem Christo deuota obierit. Cùm igitur in Pontiuo apud Abbatisvillam cum suis similibus iuuenibus, filiis scilicet Satraparum Normanniæ, qui ei quasi suo Domino venturo specie tenus obsequebantur, re autem vera nouarum rerum cupiditate illecti, moraretur, & Ducatum Normanniæ maximè in margine excursionibus & rapinis demoliretur; audito nuncio excessûs patris confestim veniens Rothomagum, ipsam ciuitatem, & totum Ducatum sine vlla contradictione suscepit.

Eodem anno obiit *Robertus Vviscardus* Normannigena, Dux Apuliæ; & successerunt *Rogerus* & *Boamundus* filij eius. Mortuo itaque vt diximus Rege Anglorum Vuillelmo Seniori, successit ei secundus filius eius *Vvillelmus Rufus*, qui regnauit tredecim annis.

MLXXXVIII. Omnes Nobiliores procerum in *Vvillelmum* iuniorem Regem Anglorum, non sine periurio bella mouentes, & *Robertum* fratrem suum in Regnum asciscentes, suis quique prouinciis Dei iudicio debacchati sunt. *Odo* Præsul Baiocensis Princeps & moderator Angliæ, in Cancia seditionem exordiens, Regis & Archiepiscopi villas inuasit & combussit. *Robertus* Consul de Moretuil circa Peuense idem incepit: *Gaufridus* Episcopus prodiens ab Rigestou, vrbem Bade, & Barchelai, & circumiacentia destruxit. *Rogerus* in castello Norduuic sceleris exercitium per Estangle non segniùs inchoauit. *Hugo* in Prouincia Legecestriæ, & Hantouiæ nihil mitiùs egit. *Vvillelmus* Episcopus Dunelinæ in finitimis similia perpetrauit. Principes verò Herefordescyræ, & Salopscyræ, cum Vualensibus prædantes, combusserunt Prouinciam Vvireceastriæ vsque ad portas vrbis.

Gislebertus filius Ricardi tenens Castellum Tunebruge contra Regem Anglorum Vuillelmum, rebellat. Idem facit Comes *de Moretuil*: Robertus apud Peneuesel: *Odo* Episcopus Baiocensis apud Rourecestre: *Vvillelmus* Episcopus apud Dunelinum; quorum Castella tria prius posita, idem Rex per se obsidens, capit, & Episcopum *Odonem* in Normanniam transfretare non rediturum coëgit; quartum verò, scilicet Dunelinę, per milites suos capiens, *Vvillelmum* Episcopum exulauit.

MLXXXIX. Obiit piæ memoriæ *Lanfrancus*, priùs Monachus Beccensis, deinde Abbas Cadomensis, ad vltimum Episcopus Cantuariensis XIX. annis. Hic inter alia bona ab eo ibi instituta, Maiorem Ecclesiam, præter Presbyterium, renouauit. Officinas Monachorum nouas ædificauit: dignitates Cantuariensis Ecclesiæ, quæ vetustate vel negligentia deciderant, siue imminutæ fuerant, renouando reformauit: terras multas, quæ ablatæ fuerant, in ius Ecclesiæ reuocauit: XXV. Maneria eidem Ecclesiæ restituit: Xenodochia, vel protrophia duo extra Ciuitatem ædificauit, quibus de suo annuos reditus, quantum satis visum est, delegauit.

Ecclesiam Rofensem ipse instaurauit, & in ea Episcopum ordinauit Beccensem Monachum, nomine *Hernostum*; in cuius consecratione inuentus est Euangelij versus: *Cito proferte stolam primam* &c. Quod cùm audisset *Lanfrancus* prædixit eum cito moriturum, & sic contigit: namque ei in Episcopatu, nondum anno completo, decedenti successit *Gundulfus*, & ipse Beccensis Monachus, vir Deo amabilis religiosus, qui perseuerauit vsque ad tempora sancti *Anselmi* & Regis *Henrici*. Abbatiam quoque sancti Albani restituit in primum statum, in qua posuit Abbatem *Paulum* Cadomensem Monachum, qui ibi Ordinem Becci, & Ecclesiastici officij vsum instituit, sicut est cernere vsque hodie.

Quando *Vvillelmus* Rex gloriosus morabatur in Normannia, *Lanfrancus* erat Princeps & Custos Angliæ, subiectis sibi omnibus Principibus & iuuātibus in his, quæ ad defensionē vel pacem pertinebant Regni, secundū Leges Patriæ. Lectioni assiduus, & ante Episcopatum & in Episcopatu quantum poterat: & quia scripturæ, scriptorum vitio, erant nimiùm corruptæ, omnes tam veteris, quàm noui Testamenti libros; nec-non etiam scripta Sanctorum Patrum, secundum orthodoxam fidem, studuit corrigere; & etiam multa de his, quibus vtimur die ac nocte in seruitio Ecclesiæ, ad vnguem emendauit; & hoc non tantùm per se, sed etiam per discipulos suos fecit. Qua de causa meritò illum Latinitas cum honore, & amore veneratur Magistrum. Huius emendationis claritate, omnis occidui orbis Ecclesia, tam Gallicana, quàm Anglica gaudet se esse illuminatam.

Ita fuit liberalis, vt diceretur nullum tam largum de Italia Lombardum egressum fuisse: Ipse enim ditatus multis possessionibus, erat locuples. Verùm quanti penderet ista in hoc apparebat, quòd quantum poterat, paupertatem retinebat in vilitate habitûs, parcimoniam tenens inter multimodas delicias; multa quoque & magna offerebantur sibi dona, quæ hilariter rogantibus, vel indigentibus tribuebat: pauperibus quoque erat ita dapsilis, vt quingentas libras quot annis in eleemosynam

A. D. erogasse dicatur; & meritò; nam in consecratione eius repertum est super caput Euangelicum Domini dictum: *Date eleemosynam, & ecce omnia sunt munda vobis.* Quod ipse tota deuotione facere studuit. Consanguineis Monachorum suorum indigentibus, quàm benignè, quàm sufficienter, beneficia impendebat. Verè dicere poterat. *Ab adolescentia creuit mecum miseratio.*

VERSVS ANSELMI ARCHIEPISCOPI, De Lanfranco decessore suo.

Archiepiscopij non diuitias, nec honores
Lanfrancus subiit, sed curas, atque labores.
Natus in Italia Papiensi de Regione,
Ciuibus egregiis, & honesta conditione.
Monachus, atque Prior Becci fuit, hinc Cadomensis
Abbas, post Præsul Primatûs Cantuariensis:
Totius Anglorum fuit Ecclesiæ Reparator:
Et Normannorum nihilominus Auxiliator:
Cuius doctrinam pars maxima senserat Orbis.
Et commune fuit viduis solamen & orbis;
Claudis, Contractis, Leprosis, Dæmoniosis,
Surdis, & cæcis, nec-non etiam vitiosis;
Post exhortamen non spreuit ferre leuamen.
Sed dum vixit erat spes omnibus atque leuamen.
Sole sub vndecima geminos subeunte dieta,
Fœlicis vitæ sibi ponitur vltima meta.
Regum Rex æterne Deus, rerumque Creator,
Sis sibi perpetuus defensor & auxiliator.
Virgo Redemptoris mundi sanctissima mater,
Illum conserua, ne spiritus atterat ater.
Omnes electi precibus, meritisque iuuate
Lanfrancum vestris, & vobis consociate.
Vos quoque qui vitam gratanter adhuc retinetis,
Et spem venturæ donec superestis habetis,
Hortor & admoneo quòd eidem subueniatis,
Et quod feceritis post mortem percipiatis;
Nam qui propter eam supplex & sedulus orat,
Pro semet supplex, & sedulus ipse laborat.

Hoc anno terræ motus fuit terribilis, portendens mala forsitan ventura, quæ propter hominum iniquorum peccata, iam nostris temporibus vidimus impleta.

MXC. *Vuillelmus* Rex Anglorum Regni sui vlcisci paratus iniurias, quas frater suus *Robertus* ingesserat, muneribus datis acquisiuit sibi castellum sancti Vualerici, & Albemarle, & Ou, & Fiscannum.

MXCI. Rex Anglorum *Vuillelmus* cum fratre suo *Roberto* concordiam fecit; eo tamen pacto, vt Castra illa, quæ frater ab eo acquisiuerat, Regi remanerent.

A Rex Anglorum *Vuillelmus* ædificauit ciuitatem Cayleol, & ex Australibus Angliæ partibus illuc habitatores transmisit. A. D.

MXCIII. Sublato de hac vita venerabili Patre *Lanfranco*, vt supra diximus, Rex Anglorum *Vuillelmus* Ecclesias ac Monasteria totius Angliæ, graui nimirum oppressione afflixit: Cuius oppressionis anno quarto *Anselmus* Abbas Beccensis Ecclesiæ, vir magnæ sanctitatis & doctrinæ inuitatus, imò districta interpellatione adiuratus ab *Hugone* Cestrensi Comite, multísque aliis Anglorum B Regni Principibus, qui eum animarum suarum Medicum, & Aduocatum elegerant, & insuper Ecclesiæ suæ prece & præcepto, pro communi vtilitate coactus Angliam ingressus est. Venienti Optimates alacriter occurrunt, Rex ipse solio exilit, & viro gaudens occurrit. Interea Rex *Vuillelmus* graui corripitur langore, & penè ad extrema perducitur. Suadetur ei inter alia à Principibus vt de Matre totius Regni Ecclesia videlicet Cantuariensi cogitet, & eam à pristina viduitate, & calamitate per institutionem Pontificis releuet. Acquiescit ille C consilio, & *Anselmum* in hoc opus dignissimum iudicat. Tunc ille contradicens, & reluctans, & multis modis omnibus obstans rapitur, & violenter in vicinam Ecclesiam cum Hymnis & Laudibus portatur magis, quàm ducitur.

Acta sunt hæc anno præsenti pridie nonas Martij, primâ Dominicâ Quadragesimæ.

Anno verò sequenti pridie nonas Decembris, debito cum honore ab omnibus Episcopis Angliæ Cantuariæ est consecratus ad laudem & gloriam nominis Domini; in cuius consecratione Euangelica illa sententia D super eum reperta est: *Vocauit multos, & misit seruum suum hora cænæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.* Qui cuius meriti extitit, in vita ipsius potest reperiri.

Rexit autem hic vir sanctissimus Anselmus Ecclesiam Cantuariensem sexdecim annis fœliciter: qui Monachus Becci Claustralis extiterat tribus annis; xv. Prior post Venerabilem Lanfrancum: & xv. Abbas post E sanctum *Herluinum* eiusdem Cœnobij Abbatem primum.

Cui successit in eadem Ecclesia Becci vir magnæ sanctitatis & doctrinæ *Vuillelmus*, nobili Normannorum prosapia originem trahens, in veteri castro super Rislam, quod dicitur *Monsfortis*, claris parentibus: Pater eius *Turstinus*, mater verò *Albereda* dicebatur, Rogerij de Bello monte patris Roberti Comitis Mellenti ex sorore neptis; qui anno sequenti benedictus est Rothoma-

A. D.

gi, in die festiuitatis sancti Laurentij ab Archiepiscopo *Vuillelmo*.

Eodem anno *Melecolin* Rex Scotiæ, in Anglia prædans ex improuiso est interceptus & interfectus, & *Edvvardus* filius suus hæres eius si viueret. Quod vt audiuit Margareta Regina duplici contritione anxiata est in animo vsque ad mortem, & Communionem accipiens animam reddidit. Scoti verò elegerunt *Duuenal* fratrem Melcolin in Regem. Sed *Deuecan* filius Melcolin, obses Regis Vuillelmi, auxilio eiusdem fugauit patruum; & susceptus est in Regem. Anno sequenti, consilio *Duuenal* Scoti Regem *Dunetan* occiderunt.

MXCIV. Rex Anglorum *Vuillelmus* prouocatus à Fratre suo quod iusiurandum non seruaret, transfretauit in Normanniam. Cùm ergo fratres simul venissent, iuratores omnem culpam Regi imposuerunt. Rex ferus ea negligens, & iracundus discedens, Castellum Buresinuasit, & accepit. Econtrà Dux castellum Argentoni cepit, & in eo Consulem Regis R*ogerium* Pictauensem, & cum eo DCC. milites, & postea Castellum Hulmecum. Rex *Vuillelmus* interim gentem magnam de Anglia fecit adduci in Normanniam. Dux verò R*obertus* adduxit *Philippum* Regem Francorum, vt caperent Regem apud Hou. Ingenio autem & pecuniâ suâ Rex *Vuillelmus* remisit *Philippum*.

MXCV. Rex Anglorum *Vuillelmus* misit *Henricum* fratrem suum in Normanniam cum pecunia multa, vt eam loco Regis diutinis inuasionibus expugnaret.

MXCVI. R*obertus* Dux Normannorum, cum multis comprouincialium virorum suorum illustrium, qui idcircò *Vuillelmo* fratri suo Regi Anglorum per nuncium mandat, vt in Normanniam festinanter veniat, Ducatum ipsius vsque ad reditum suum habiturus, & de thesauris Anglorum opimis suam & suorum indigentiam obiter suppleat. Huius autem legationis nuntio exhilaratus Rex Vuillelmus, in Normanniam transfretans, decies mille marcas argenti ea conditione R*oberto* Duci commodauit, vt quamdiu in prædicta peregrinatione moraretur, ipse Ducatum Normanniæ pro eis vadem haberet, iterum ipsi restituturus, cùm ipse sibi prætaxatam pecuniam rediens consignaret. His itaque gestis Comes H*enricus* contulit se ad Regem Vuillelmum, atque omnino cum eo remansit. Cui idem Rex Comitatum Constantiniensem, & Baiocensem, præter ciuitatem Baiocas, & oppidum Cadomi ex integro concessit.

Hoc tempore prædictus Rex *Vuillelmus* fecit quoddam castellum, *Gisorth* videlicet, in confinio Normanniæ & Franciæ, quod sæpe nominatus frater eius H*enricus*, qui ei diuina dispositione successit, mœnibus ambitum, & turribus excelsis inexpugnabile reddidit.

MXCVII. Cùm igitur per septem hebdomadas & tres dies ibi morati essent, tunc ad Antiochiam dirigunt, & diuiso exercitu in duo, circumdederunt vnum eorum exercitum CCC. LX. M. Paganorum extra Arabes, quorum non erat numerus. Mittitur ergo ad alium exercitum. Interim bellum geritur horrendum, quo Christiani sunt vehementer attriti, & tanto stridore eorum percussi, vt quot essent, ignorarent. Dum ergo iam fugam Christicolæ, vel meditarentur, vel inciperent, occurrit R*obertus* Dux Normanniæ clamans: *Quo milites, quo fugitis? Equi eorum nostris sunt velociores. Fuga nobis non est præsidio. Meliùs est benè mori, quàm malè euadere: mecum sentite; me sequimini.* O vir magnæ & admirandæ probitatis! vix dixerat, & ad quemdam Paganorum Regem lanceæ direxit aciem, quæ lignum, & æs, & corpus æquè diffidit, strauítque secundum, & tertium omnino non resurrecturos.

Igitur *Tancredus* impiger & *Boamundus* belliger, & R*ichardus* de Principatu, & R*obertus* de Ansa Dux & miles fortissimus, non segniùs indulgent ictibus, pugna committitur grauissima, cùm ecce H*ugo* Magnus, & *Anselmus de* R*ibemont*, cum multa caterua militum, alium præuolantes exercitum, defessos paganos recentes findunt. Pugnantes igitur Pagani dum tot hostes ex insperato prospiciunt, quasi cœlum super eos ruiturum esset, animis deliquerunt, & fugæ indulserunt, cum Solimanno Rege suo. Christiani autem victoriâ licet damnosâ, & spoliis innumeris potiti sunt primo die Iulij.

Porrò continuantes propositum Antiochiæ petendæ, venerunt ad Eracheam, inde ad Tharsum, quæ subdita est *Balduino* Comiti mirifico; Athena verò, & Manistra subditæ sunt *Tancredo*. Dux Normannorum quandam ciuitatem Furcorum dedit *Simeoni*: R*emundus*, & *Boamundus* aliam ciuitatem *Petro de Alpibus*.

Tandem venerunt ad Pontem Ferreum; posteà Antiochiam, quæ caput est Syriæ, obsiderunt XII. kalend. Nouembris.

In Februario congregatus est mirabilis exercitus Paganorum, ad Pontem Ferreum apud castellum Arech. Tunc nostri sex acies equitum direxerunt contra hostes: Tunc maxima vis Parthorum nostros tam acriter inuasit, vt paulatim iam cederent. At *Boamundus* bellorum arbiter, & certaminum iudex, cuneum suum mediis immisit hostibus. Sic R*obertus* filius *Gerardi* signifer proruit

A. D. inter agmina Turcorum; quod videntes alij, animo recuperato, velut leones inuadunt hostes. Dux igitur Normannorum gladio caput cuiusdam magni viri & dentes, & collum, & humeros vsque in pectora discidit. Dux *Godefridus* quendam medium secauit.

Cùm igitur pars terræ cecidisset, partem Domini ferebat equus inter paganos pugnantes, quo monstro perterriti simul cuncti fugientes, in iram damnationis abierunt. Capita igitur multorum delata sunt à nostris cum gaudio. Venerunt interea multi de gente Amiralij Babylonis in Antiochiam.

MXCVIII. Cùm *Vuillelmus* Rex Anglorum Normanniam, quam à Roberto fratre suo ad Ierusalem profecto in vadimonium acceperat, pro libitu suo disposuisset, rediit anno superiori ad Vigiliam Paschæ in Angliam: *Anselmus* verò Archiepiscopus recessit ab Anglia; quia nihil recti Rex prauus in Regno suo fieri permittebat, sed Prouincias intolerabiliter vexabat in tributis, quæ nunquam cessabant in opere muri circa turrim Londoniæ, in opere Aulæ Regalis apud Vvestmoster.

Rex *Vuillelmus* hoc anno fuit in Normannia semper hosticis tumultibus & curis armorum deditus, tributis interim & exactionibus pessimis Anglorum populos non abradens, sed excoriens. In æstate autem visus est sanguis ebullire à quodam stagno apud Fiscanstede in Berseyre. Post hæc apparuit cœlum tota nocte tanquam arderet. *Vualchelinus* Episcopus Vinceastriæ obiit & *Hugo* Comes Salopesbyri occisus est, cui successit *Robertus de Belesme* frater eius.

Cœnobium Cisterciense incipitur principium & Ordinis dealbati origo: In Burgundia videlicet, in loco qui dicitur Molismus, *Robertus* Abbas Monasterium condens viros religiosos secum aggregauit, & consuetudines aliorum Monachorum aliquandiu tenuit. Posteà verò Regulam sancti Patris *Benedicti*, in loco vbi de labore manuum loquitur, secundum literam intuens, dixit Monachis suis, vt litteram Regulæ per omnia sequerentur. Illi autem nolentes nouas adinuentiones sequi, se non recedere à traditionibus præcedentium, & patrum Institutis, *Martini* scilicet, *Mauri* beati Benedicti Discipuli, *Gregorij*, *Maioli*. Ille autem hoc audiens recessit ab eis cum duodecim Monachis, & Cistercium adiens Monasterium ibi fundauit. Ex cuius fonte multi riuuli Religiositatis postea, vt vidimus, emanauerunt.

MXCIX. Comes Normannorum ecce pro re bene gesta proprio nomine sæpe dicendus Robertus, Admirauisi stantarum à longe considerans, quod in summitate hastæ pomum aureum habebat. hasta verò cooperta argento decenter albicabat; vbi ipsum esse deprehendit, audacter per medias acies super eum irruit, & grauiter ad mortem vulnerauit; quod non mediocrem gentibus incussit timorem. Ipse verò *Robertus* Dux Normannorum post emit Stantarum, ab his qui illud ab Admirauiso sauciato retinuerunt, viginti marchas argenti, & intulit ad sepulchrum Domini ad monimentum memorandi triumphi. Alter emit ensem eiusdem Admirauisi LX. bizanteos.

Obtulerunt igitur Normannorum Duci Roberto Regnum Ierusalem; quod, quia causa laboris repudiauit, offensus est in eum Deus, nec prosperum deinceps quid ei contigit. Ipse & Consul Flandriæ *Robertus* & *Raimumdus* remearunt ad propria.

Dux ergo *Godefridus* regnauit in Ierusalem; & post eum *Balduinus* strenuissimus frater eius; & post eum *Balduinus* secundus nepos eorum; & post hunc Comes Andegauensis *Fulco*; & post eum *Balduinus* filius eius frater *Gaufridi* optimi Comitis Andegauensis, mariti Imperatricis. Subdiderunt enim Christo multa & grauissima bella, peragentes finitimas vrbes, præter Ascalon quæ adhuc in scelere suo perseuerat.

Primus ibi tunc Patriarcha constitutus est Domnus *Daibertus* Episcopus Pisanus, qui illuc venerat causa orationis.

Tunc Domino placuit, quod inuenta est vna particula de Cruce Domini, quæ antiquitùs in secreto occultata, nunc à quodam homine Syro reuelata, qui cum patre suo eam olim absonderat, & conseruauerat: quæ particula in modum Crucis formata, aurea & argentea fabricata est, & apud sepulchrum conseruata.

Rex *Vuillelmus* rediit in Angliam & tenuit Curiam suam apud Westmoster, in noua aula; quàm cùm inspecturus primùm introiisset, & alij satis magnam & æquo maiorem dicerent, dixit Rex, eam magnitudinis debitæ dimidia parte carere, qui sermo Regis magno fuit, licet paruo constaret, honori. Rursus cùm venaretur in noua foresta, venit ei subito nuncius à Cænomania, dicens familiam suam ibi obsideri. Ilico Rex festinus ad mare veniens naues introiit: Cui Nautæ: *Cur Regum maxime intolerabili tempestate maris alta lacescis, & mortis imminens periculum non formidas?* Quibus Rex ait: *De Rege fluctibus submerso sermonem non audiui.* Ergo mare transiens, spreto mortis periculo, nihil dum viueret egit vnde tantam famam, tantumque gloriæ decus haberet; Cænomaniam verò gressu veloci veniens *Heliam* Consulem turpiter fugauit, & eam

A. D.

sui iuris esse iussit, & in Angliam iterum transiit. Tunc ipse Rex *Rannulfo* Placitatori, sed Peruersori, Exactori, sed Exustori totius Angliæ, dedit Episcopatum Dunelme.

Hoc etiam anno decessit *Osmundus* Episcopus Saleberiæ.

In Concilio Aruernensi authentico & nominatissimo, vnanimi assensu constitutum est, vt quæcumque ciuitas, mari magno transito, à Paganorum posset excuti iugo, sine vlla contradictione sub sanctæ Ierusalem dominio, vel ditione, perenniter obtineretur. Hoc etiam in Antiocheno postea Concilio, Podiensi Episcopo magistrante, replicatum, & confirmatum est ab omnibus. In Ierusalem Dux quoque *Godefridus*, & domnus *Boamundus* acceperunt terram suam à Patriarcha *Daiberto*, propter amorem Dei, & dignitatem Ecclesiæ idem Paschalis Papa priuilegiis corroborauit suis; & ea Ierosolymitanæ Ecclesiæ transmisit, quibus, Ecclesiâ Romanâ sic authorizante, Iure perpetuo communietur. In quibus priuilegiis hæc inscripta continentur.

PASCHALIS *seruus seruorum Dei, Reuerendissimo fratri Ierosolymitano Patriarchæ* GIBELINO, *& eius successoribus canonicè promouendis. Secundum mutationes temporum; transferuntur etiam Regna terrarum; vnde etiam Ecclesiasticorum Patriarcharum fines in plerisque prouinciis immutari expedit & transferri, Asiaticarum siquidem Ecclesiarum fines antiquis fuerunt diffinitionibus distributi; quas distributiones diuersarum diuersæ fidei gentium confudit irruptio; Gratias autem Deo, quòd nostris temporibus Antiochia & Ierosolimitanæ Ciuitates, cum suburbanis suis, & adjacentibus Prouinciis, in Christianorum Principum redacta sunt potestatem. Vnde oportet nos diuinæ mutationi, & translationi manum apponere. Præsentis itaque Decreti pagina, Tibi frater charissime, & Coepiscope* GIBELINE, *tuisque successoribus, & per vos Ierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarchali, seu Metropolitano iure regendas, disponendásque sancimus Ciuitates omnes, atque Prouincias, quas in Balduini Regis ditionem, aut iam restituit, aut in futurum restituere gratia diuina dignabitur. Dignum est enim, vt sepulchri dominici Ecclesia, secundum fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat, & Turcorum seu Sarracenorum iugo libera, in Christianorum manu abundantiùs exaltetur.*

M C.

Vuillelmus Rex Anglorum in noua foresta sibi multùm dilecta, cùm sagitta incautè ceruo tenderetur; in corde percussus interiit, nec verbum edidit. In die qua obiit, in proprio habebat Archiepiscopatum Cantuariensem, & Episcopatum Vincestrensem, & Saleberiensem; & vndecim Abbatias ad firmam datas. Mirares, quidquid Deo, Deumque diligentibus displicebat, sibi placebat, nec malitias occultè, sed etiam apertè, ipse & sui agebant.

Robertus Comes Flandrensis ab Ierosolymis repatrians, detulit secum brachium sancti *Georgij*, & Ecclesiæ Acquinicensi posuit.

A. D.

PROLOGVS

ROBERTI IN EA QVÆ SEQVVNTVR, DE TEMPORVM DESCRIPTIONE, VSQVE AD M. C. LXXXIV. ANNVM.

De Chronographia, id est, temporum descriptione in subsequentibus locuturi, primò detractoribus inuidis, & nostrum laborem inanem reputantibus, breuiter respondebimus. Deinde amantibus beneuolis, & id expectantibus, immò expostulantibus, rerum ordinem præsenti Prologo succinctè aperiemus.

Qui dicunt, quid necesse vitas, vel mortes, vel diuersos casus hominum litteris mandare? Prodigia cœli & terræ, vel aliorum elementorum scriptis impressa perpetuare? Nouerint bonam vitam & mores præcedentium, ad imitationem subsequentium proponi. Malorum verò exempla, non vt imitemur; sed vt vitentur, describi. Prodigia autem vel portenta præterita, quæ famem, vel mortalitatem, vel aliqua alia flagella supernæ vindictæ pro meritis filiorum hominum cùm videntur, significant; ideò per literas memoriæ commendantur, vt si quando similia euenerint, peccatores, qui se iram Dei in aliquo incurrisse meminerint, mox ad remedia pœnitentiæ & confessionis, per hæc Dominum placaturi, festinent.

Hac de causa, licet aliæ non desint, Moyses Legislator in diuina Historia, innocentiam Abel; Cain inuidiam, simplicitatem Iacob; dolositatem Esau; malitiam vndecim filiorum Israel; bonitatem duodecimi, scilicet Ioseph; pœnam quinque Ciuitatum per consumptionem ignis & sulphuris; manifestat: quatenus bonos imitemur, malorum esse pedissequos exhorreamus; prodigiosum autem incendium peccati fugiendo fœtorem deuitemus. Hoc non solùm Moyses, sed & omnes diuinæ paginæ Tractatores, & in historicis, & in moralibus libris faciunt, virtutes commendando, vitia detestando. Deum timere simul & amare nos admonendo. Non igitur sunt audiendi qui libros Chronicorum, maximè à Catholicis editos, negligendos dicunt; in quibus tam vtilis intentio, sicut & in cæteris Tractatibus generaliter habetur.

Hoc non ignorantes Cyprianus Carthaginensis Episcopus & Martyr; Eusebius Cæsariensis; Ieronymus Presbyter; Sulpicius Seuerus, Sancti Martini familiaris; Prosper Aquitanus Sancti Leonis Papæ Notarius, Gregorius Turonensis Episcopus; &, vt ad modernos deueniam, Marianus Scotus Fuldensis Monachus, & Sigibertus Gemblacensis, omnes non inutiliter Chronica ediderunt. Fecerunt hoc & alij plures, tàm Religiosi, quàm Seculares quos causa breuitatis prætereo; his contra obloquentes dictis, beneuolis attentionem nostram aperiamus.

Omnibus modernis Chronographis Sigibertum Gemblacensem præferens, & eius studium vehementer admirans, illius Chronographiæ de serie temporum aliquid continuare conabor: Ille siquidem Chronica Eusebij, quæ incipiunt à Nino Rege primo Assyriorum, cuius quadragesimo tertio Imperij anno, natus est Abraham, & extenduntur vsque ad vigesimum annum Imperij Constantini piissimi Principis secundum veracissima exemplaria

describens, & illis nihilominus Chronica Ieronymi subiungens, videlicet à vicesimo anno prædicti Principis, vsque ad tertium decimum Valentis Augusti: addens etiam ex ordine Chronica Prosperi, id est, à primo anno Gratiani, vsque ad quintum annum Valentiniani & Martiani Augustorum: tandem propria supposuit, noluítque incipere vbi Prosper finierat, sed vbi inceperat, id est à fine Chronicorum Ieronymi, videlicet ab anno Dominicæ Incarnationis ccc. lxxxi. Quod propterea fecit, quia multa, vt pote modernus, & multarum historiarum diligens inquisitor, quæ Prosper necdum quando hæc scripsit audierat, addere disponebat.

Ponit autem in fronte paginæ libri sui, primùm nomina Regnorum diuersorum, videlicet Romanorum, Persarum, Francorum, Britanorum, Vvandalorum, Vvisigothorum, Ostrogothorum, Hunnorum; postea supponit Regnis nomina propria Regum. Deorsùm verò per mediam paginam annos singulorum Principum. In margine nomina Romanorum Pontificum, & annos Domini respondentes recta fronte annis prædictorum Regum. De Regno autem Britonum faciens mentionem, ferè per annos centum duodecim nullum Regum eiusdem insulæ nominat, nisi Aurelium Ambrosium. Similiter de Anglis, qui successerunt Britonibus, nonnulla locis opportunis commemorans, de illis Regibus tantummodò loquitur, quos Beda Presbyter, & Doctor Anglorum, in historia sua nominat, cùm plures Reges in eadem gente fuerint post mortem Bedæ, quàm ante. De Ducibus Normannorum nihil, aut parum dicit, non tamen hoc fecit negligenter, sed quia carebat his temporibus historiis.

Ego verò quia his abundo; Nomina & successiones, & aliquando facta eminentiora eorumdem Ducum, & omnia Nomina Archiepiscoporum Rothomagensium, & de Episcopis eiusdem Prouinciæ aliquantos locis conuenientibus, vsque ad millesimum centesimum annum Incarnationis Dominicæ, Chronicis ipsius interserens: similiter & de Regibus Anglorum, de quibus nullam mentionem facit. Quod & de Britonum Regibus proposueram facere, si tantummodo infra Chronica Sigiberti competenter illos valerem comprehendere; sed quia Brutus pronepos Æneæ, à quo & insula Britannia vocata est, primus ibi regnauit, si vellem omnes Reges sibi succedentes ordine congruo ponere, necesse esset mihi non solùm per librum Sigiberti, verum etiam per totum corpus Chronicorum Ieronymi, & per magnam partem Chronicæ Eusebij, eadem nomina spargere. Verùm quoniam indecens est scriptis virorum tantæ authoritatis, Eusebij & Ieronymi dico, aliquid extraneum addere, vt satisfaciam curiosis, huic prologo subijciam vnam Epistolam Henrici Archidiaconi, in qua breuiter enumerat omnes Reges Britonum à Bruto vsque ad Cadvvallonem, qui fuit vltimus potentum Regum Britonum, fuitque pater Cadvvalladri, quem Beda Cedvvallam vocat. Quam Epistolam, sicut in ea reperitur, cùm Romam idem Henricus pergeret, me ei præbente copiam, exemplares totius historiæ Britonum, apud Beccum excerpsit.

Igitur sicut iam dictum est, quia prædictus Sigibertus Chronica sua incipit ab anno Incarnationis Dominicæ CCC. LXXXI. *perduxit eam vsque ad annum eiusdem Dominicæ Incarnationis* MC. *Ego exinde, permittente & auxiliante Deo, sine quo nihil possumus facere, vsque ad* M. C. LXXXII. *annum, ea quæ in diuersis Prouinciis, & maximè in Normannia, & Anglia euenerunt, & ad meam notitiam peruenerunt, sub annis Dominicæ Incarnationis, colligere aggrediar. Et hoc ideò libentiùs, quia volo gesta primi Henrici strenuissimi Regis Anglorum, & Ducis Normannorum, à quo habeo incipere, summatim per singulos annos annotare. Ad quod opus me adiuuabit, & historia quam de ipso Rege nouiter defuncto edidi, & gestis Ducum Normanniæ adieci: Et historia prædicti Henrici Archidiaconi, quam composuit de rebus Angliæ, incipiens eam à Iulio Cæsare, & texens ordinatim vsque ad mortem prædicti Regis Henrici, id est vsque ad millesimum centesimum tricesimum quintum annum Dominicæ Incarnationis.*

EPISTOLA HENRICI ARCHIdiaconi ad Varinum,

DE REGIBVS BRITONVM.

QVæris à me, VARINE Brito, vir comis & facete, cur Patriæ nostræ gesta narrans à temporibus Iulij Cæsaris inceperim, & florentissima Regna, quæ à Bruto vsque ad Iulium fuerunt, omiserim. Respondeo igitur tibi, quòd nec voce, nec scripto horum temporum sæpissimè notitiam quærens inuenire potui. Tanta pernicies obliuionis mortalium gloriam successu diuturnitatis obumbrat & extinguit. Hoc tamen anno, qui est ab Incarnatione Domini millesimus trigesimus nonus, cùm Romam proficiscerer cum THEOBALDO Cantuarensi Archiepiscopo, apud Beccum, vbi idem Archiepiscopus Abbas fuerat, scripta rerum prædictarum stupens inueni. Siquidem ROBERTVM DE TORINNEÏO eiusdem loci Monachū; virum tam diuinorum, quàm sæcularium librorum inquisitorem, & coaceruatorem studiosissimum, ibidem conueni: Qui cùm de ordine Historiæ, de Regibus Anglorum à me editæ, me interrogaret, & id quod à me quærebat libens audisset, obtulit mihi librum ad legendum de Regibus Britonum qui ante Anglos nostram insulam tenuerunt; quorum excerpta, vt in epistola decet, breuissimè scilicet, tibi dilectissime mitto.

Æneas igitur Romani generis actor genuit Ascanium, *Ascanius* verò Syluium, *Syluius Brutum*. De quo cùm Magus prædixisset, quia interfecturus esset patrem & matrem, id casu euenit. Matrem namque nascēs enecauit. Postea inuenis sagittâ ludens, patrem nesciens, percussit. Exulatus igitur ex Italia diuersas terras adiit. Ædificauit autem Vrbem Turonis in Gallia. Tandem in terram longinquam proficiscens, oblato sacrificio, responsum petiit à Diana his verbis:

Diua potens nemorum, terror syluestribus apris,
Dic mihi quas terras nos habitare velis?

Cui Dea respondit

Brute sub occasu solis trans Gallica Regna,
Insula in Oceano vndique clausa mari;
Hanc pete, namque tibi sedes erit ista perennis,
Hæc fiet natis altera terra tuis.

Hoc igitur *Brutus* responso fretus hanc insulam adiit, cui nomen Albio erat. Hæc habitabatur nisi à Gigantibus. Illi autem staturæ mirabilis, & vigoris inenarrabilis erant, sed stolidissimæ mentis. Cucurrerunt igitur contra naues Bruti in mare; & cùm in tantam profunditatem peruenissent, quòd nec in Brutum progredi, nec facilè regredi potuissent, sagittis & balistis occisi sunt. Obrutis autem eis & pulsis, cæteros Gygantes qui non affuerunt, noctibus & insidiis, tam balistis, quàm aliis artificiis deleuit.

Inhabitauit igitur terram, & diuisit eam suis funiculo distributionis; & vocauit terram ex nomine suo Britanniam. Ædificauit proinde Trinouantum in memoriale sempiternum, id est Troïam nouam, quam nomine Londoniam vocamus. Vrbs igitur magna Trinouantum tempore Heli Sacerdotis & Syluij Æneæ stabilita est.

Brutus autem fœliciter regnans, & gloriosè decedens *Lucrino* primogenito suo Britanniæ Regnum reliquit. Quem cùm decem annis potentissimè regnasset, vxor sua Gondolouea occidit in Bello sagittâ, quia eam dimiserat. Puniuit igitur Gondolouea crimen adulterij in viro suo, quod perpetrauerat in ancilla ipsius Gondolouex, quia non erat formâ venustior, visu delectabilior, vnde in Reginam promota est expulsâ Dominâ suâ. Gondolouea igitur post mortem viri sui regnauit xv. annos tempore Samuelis & Homeri Poetæ. Post quam regnauit *Maddan* filius eius vir ferinus & crudelis, & deuoratus est à Lupis.

Proinde regnauit *Menpricius* filius prædicti Regis viginti annos tempore Saul Regis Iudæorum. Deinde *Ebraucus* filius Mempricij XL. annos tempore Dauid Regis, & Syluij Latini. Hic Eboracem fecit, & Castellum puellarum construxit. Ebraueus etiam Rex genuit xx. filios, & totidem filias; ex quorum numero *Brutus*, cognomine *viride scutum*, regnauit post patrem miles inuictissimus. XII. annos. Hic construxit Carleil tempore Salomonis & Roboam Regum; & tunc *Syluius Epitus* patri Albæ successit in Italia.

Postea regnauit filius eius *Rudbudibras* vir fortissimus XXXIX. annos. Hic ædificauit Cantuariam, & Vvintoniam, quam tunc vocauit Vvente; tempore Capi filij Epiti, & Aggei, & Ioel, & Amos Prophetæ. Post quem *Bladus* filius eius XX. annis. Hic construxit Vrbes Bade, & Balnea; & ibi posuit ignem perpetuum in domo Mineruæ. Erat quippe omni genere scientiarum eruditissimus, sed arte negromantica perfectissimus. Arte nimirum negromantica discurrens per aëra cecidit Trinonantum volatu infausto; & fractis ceruicibus expirauit.

Lier filius eius regnauit pro eo XL. annis. Hic construxit Lecestram super fluuium Sore. Tandem masculina carens prole tres filias habuit Regni sui hæredes. Posuítque rationem cum eis, dixítque primogenitæ: *Charissima quanta est apud te dilectio mea?* Cui primogenita: *sub luna quæ disterminat ab*

æternis mutabilia nihil inueniri poterit, quod esse tanti possit mihi. Tunc Rex mediæ natu: *Et apud te quanti est amor mei?* Respondit illa: *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur: huic non valent comparari.* Deinde Rex iuniori dixit: *Et me iunior quantum diligis?* Respondit: *Quantum habes, tantum vales, tantúmque te diligo.* Rex igitur iratus auertit faciem suam ab ea, iurauítque nihil eam Regni sui principaturam; dedítque primogenitam Duci magno Britanniæ cum Regni parte Australi: Alij verò Duci mediam natu, cum parte Boreali: Cordeillam verò iuniorem extorrem fecit sui, & Regni, & amoris.

Deus autem qui eruditis interest cogitationibus suscitauit animum *Aganippi* Regis Gallorum, qui eam causa decoris à patre petiit, & in matrimonium sibi collocauit. Parua fuit medij mora temporis, cùm filij Regis in Britanniam degentes promouerunt maritos suos, vt patrem suum quia diutius desiderato viuebat Regno expellerent. Expulsus verò ad Cordeillam in Gallias fugiens ad pedes eius prouolutus, & cum lachrymis dicens: sorores tuæ quæ de amore mei magnificè locutæ sunt, Regno me crudeles expulerunt; precor igitur dulcedinem tuam vt sicut illæ verba magniloqua crudelibus gestis dehonestauerunt, ita tu temperata, & tamen vera quæ de me amando locuta es, beneficiis decores & venustes, sempiternúmque tibi sit præconium; vt sicut illæ bona malis recompensant, sic tu malis bona remutues, victúmque mihi saltem vestitúmque non abneges. Cordeilla verò lachrymis commota patris, cum viro suo Rege Aganippo Britanniam petiit, Ducésque Soceratos debellans & interficiens, Regno Patrem triumphosè restituit. Hinc ergo tractum est, moderatè dicta sunt appretianda. *Lier* verò senecta demolito, regnauit Cordeilla post patrem quinque annis. Sed duo nepotes eius *Marganus*, & *Cunedagius* quasi iniurias Patrum vindicaturi, fraudulenter eam cœperunt, & in carcerem recluserunt vbi tantæ mutationi fortunæ offensa se ipsam viriliter peremit.

Cùm igitur nepotes Regnum partirentur *Cunedagius* interfecit Marganum, regnauítque XXXIII. annis, tempore Osee, & Isaiæ; & tunc Roma facta est. Successit ei *Riuallo* filius eius; in cuius tempore sanguis pluit tribus diebus. Regnauit deinde *Gargutius.* Succeßítque ei *Sisilius.* Inde *Iago.* deinde *Kinemarcus.* Inde *Bobodogo*, vel *Gerbodug:* Cuius filius *Porrex* occidit fratrem suum *Ferex*, quem etiam mater eorum occidit. Degenerauítque Regnum Britanniæ in quinque Reges, & seditio pullulabat vbique. Surrexit interea Dummallo Molmutius, & Reges quinque solus deleuit. Regnauitque igitur quadraginta annis splendidißimè, pacémque peroptimam, legésque perutiles creauit, quæ Malloninæ, vel Molmutinæ vocantur; quas Gildas Historiographus Britonum magnis laudibus attollit.

Duo filij eius *Belinus*, & *Brennus* post mortem patris compræliati sunt, & erat vterque strenuissimus. Brennus iunior filius Noruvagiam victus petiit, ducénsque filiam Regis Norvvagiæ, exercitum Norvvagensium in Britanniam duxit. Rex autem Dacorum cum eane m puellam ducere præparasset, videns se frustratum, obuiatus est Brenno in mari; & dum confligeret maximè intendens naui in qua puella residebat, vnco puellam extraxit, & arreptâ prædâ, naui velocissimè fugiens, in fuga victor extitit. Brennus fugientes persequens & multos perimens, pro victo se habebat: sed sæpe lætis interueniunt mœsta. Mirabili namque tempestate Rex Dacorum appulsus est in Britanniam, cum præda sua dilectissima: Captus igitur à Rege *Belino* homo eius effectus est; & tributariam Daciam recipiens ab eo, cum coniuge sua noua in pace reuersus est. *Brennus* verò eadem tempestate appulsus est amissa coniuge, & amissâ sociorum multitudine cum paucis in *Belinum* vincendus concurrit; fugiénsque in Gallias ad Senonensium Regem, interuentu suæ probitatis & facetiæ, filiam eius duxit. Rediensque cum exercitu grandi Senonensium in Britanniam cum fratre, maternis lachrymis permotus, concordatus est. Oblatúmque sibi regni dimidium spernens, auro sumpto, Romam, vnde progenies eorum descenderat, petiit.

Romam igitur bello primus hominum cepit. Quæ cum tota Italia tamen ei non suffecit; sed omni auro & argento asportato, Græciam totam occupauit. Græciam quoque stimulante probitate relinquens, in Asia quæ voluit sibi regna retinuit; quæ voluit, suis dedit. *Brennus* suis temporibus hominum summus, fortium decus, æternum Britanniæ sidus. *Belinus* verò frater eius omnibus terris circumiacentibus Britanniæ subiectis, fœliciter regnauit; Vrbem Legionum construxit, sepultúsque est in vrbe Trinouantum.

Regnauit autem *Gurguitharetruc* filius Belini pro eo: Daciamque, quia nolebat ei tributa, quæ patri reddiderat, bello magno acquisiuit: Hiberniam verò, Hispanis petentibus ab eo terram dedit, qui ibi degunt vsque hodie. Et tunc primùm inhabitata est Hibernia: sepultus est vbi pater; & successit ei *Kinthelinus*; cui *Sisinnius*; cui *Kimarus*; cui *Danius.* Exinde etiam Moruidus probitate laudabilis, & crudelitate detestabilis. Qui

post multa sæcula peracta à fera horribili, vt aiunt, ab inferis missa, dum nimis audacter in eam proruit, absorbetur. Loco eius regnauit *Gorbonianus* filius eius.

Successit abhinc *Archgallo*, huic *Elipurus* pius, de cuius pietate fama innotuit. Cum enim *Peridurus* frater eius primogenitus absens esset, sceptra coactus suscepit. Post annum verò cùm frater eius egenus remearet, cum lachrymis eum suscepit, & se sponte regno deponens, sceptro & diademate fratrem insigniuit: *Peridurus* autem naturâ crudelis erat, vexauitque proceres adeò, vt eo abiecto *Elidurum* iterum pium reciperent. *Elidurus* verò fratri regnum malens, quam sibi, se ab eo capi & in carcerem poni permisit. *Peridurus* regnans vindictam crudeliter in proceres exercuit donec mors eum communis absumpsit. Tunc vero *Elidurus* pius tertio fœliciter omnium communi gaudio vsque ad vitæ finem gloriosus effloruit. Successit ei in regnum filius *Gorbantani*. Postea *Marganus* filius *Archgallonis*: post quem *Cumanus* filius *Margani*.

Et ne longius morer successerunt ex ordine *Induuallo*, *Runo*, *Gerontius*, *Catellus*, *Coillus*, *Porrex*, *Cherin*. Post hunc tres filij eius *Fulgenius*, *Eldraldus*, *Andragius*, alter post alterum regnauerunt. Deinde *Vrianus Andragij* filius. Regnauerunt ex ordine postea *Eliud*, *Clodacus*, *Clotennus*, *Gurgineius*, *Merianus*, *Bledano*, *Capœnus*, *Sisillius*. Tunc *Blagabred* Rex facetissimus mira vocis dulcedine prænituit, nec magis Thraces Orpheũ, nec Romani Neronem obstupuerunt canentes, quàm Bitanni prædictum Regem. Quo mortuo, regnauit *Arciam* frater eius, vir benignissimus: post quos ex ordine *Eldon*, *Redion*, *Redorchius*, *Samul*, *Pir*, *Capoir*, *Dignellus* filius eius. Post hos *Hely* filius proximè dicti. Tot verò Regum prædictorum bella & fortitudines & magnificentiæ, nonne hæc vel scripta sunt in libris innotissimis, vel penitus à memoria delecta? Det mihi igitur Dominus & meis, tam nihil pendere laudes hominum, quàm nihil sunt.

Luid filius Hely Regis prædicti considerans Trinouantum, tam bellorum copiâ, quàm vetustate decidisse, reædificauit Londoniam ædificiis venustissimis murorum, turrium, portarum, serrarum, pontium Regiorum. Vbi coadunato consilio, petiit à suis vrbis decorem nouum stupentibus, vt ad sui memoriam *Carlunden* vocaretur, & obtinuit. Vnde nunc Lõdonia corruptè vocatur. Superfuerunt ei tres filij *Cassibellanus*, *Belinus*, *Androgeus*. Quomodo verè *Iullius* Cæsar Cassibellanum & Belinum vicerit, nonne hæc scripsi in historia Anglorum? Audi tamen quid hæc historia dicat.

Dum *Androgeus* cum fratribus suis dimicaret contra Iulium Cæsarem, bis victi fuêre Romani: pro tanto igitur tripudio solemnitas splendidissima celebrata est apud Londoniam; vbi inter ludendum occidit in luctamine filius ducis *Androgei* filium Regis *Cassibellani*. Vnde Rex vltra modum iratus, minatus est Androgeo fratri suo mortem, nisi redderet ei filium ad occidendum: hoc discordiæ seminario, & odij fomite, Androgeus misit literas redeundi inuitatorias *Iulio* Cæsari; redeunti Londoniam tradidit, & cum eo in prælio victor sæuæ gentis extitit. *Cassibellanus* tandem Cæsari subditus, tria millia libras argenti Cæsari lege tributaria singulis annis persoluit. Sepultus est enim apud Eboracum, dum amplius viuere non potuit.

Dictis à *Bruto* vsque Iulium Regibus Britannorum, gratum tibi fore puto, si cæteros Reges Britonum vsque ad aduentum Anglorum, vel ad tempus *Caduuallenis*, qui fuit vltimus potentum Regum Britonum, distinctè persequar.

Themnantius, qui Romam cum Cæsare perrexit, frater Androgei, successit Cassibellano, tàm in regno, quàm in tributo. Deinde *Kinelinus* filius eius, quem Augustus armis decorauit: hic igitur Augusto tributum gratis diligenter tradidit. Cui successit *Guidenus* filius eius, qui tributum Romanis minuit. Missus ergo *Claudius* bello strauit eum, & *Armigarum* fratrem eius Regem statuit, datâ ei filiâ suâ. Huius auxilio *Claudius* Orcadas cepit. Hic in honore Claudij Gloecestriam fecit. Idem postea Romanis rebellauit: sed *Vespasianus* eum priùs bello, tandem amore subiugauit. Successit ei *Marius*, à quo Vestmaria Romanis seruiens: hic Cestriam ædificauit. Post quem regnauit *Coillus* filius eius.

Dehinc *Lucius*, de quo scripsimus, qui primus fidem Christi suscepit. Constituit igitur viginti octo Episcopos in Britannia secundum numerum fluminum; sepultúsque est ipsé Rex egregius apud Gloecestriam, hærede carens. Ideóque Britones rebellauêre Romanis. Sed imperator *Seuerus* bello domuit eos. Et cùm à *Fulgentio* Duce Pictorum infestaretur, fecit vallum inter Britones, & Pictos: de quo aliàs præscripsimus. Ab eodem tamen *Fulgentio* apud Eboracum occiditur, & sepelitur, post quem *Bassianus* filius eius, fratre suo *Zeta* superato, regnũ Britanniæ in proprio tenuit, vt patet. *Bassianum* verò occidit *Carausius* tyrannus. Carausium verò occidit *Allectus* socius eius. Allectum verò occidit *Asclipiodotus* præfectus, & *Gallum* socium eius in Londonia; vnde dicitur *Vualebroc*: Asclipiodotum

verò occidit *Cole* Dux Colecestriæ.

Cole verò Ducem subiugauit sibi *Constantius*; & post mortem eius regnans decem annis, *Helenam* filiam eius duxit: quo defuncto apud Eboracum, *Constantinus* filius eius regnum & postea Romam occupauit. Tunc Octauius Dux Vuisseorum occidit Proconsules Romanos *Constantinus* igitur misit *Trahern* Ducem, qui cum Octauio bis confligens priùs victus est, & postea vicit: fraude tamen occiditur. *Octauius* verò dedit filiam, & regnũ *Maximo* filio *Leonini* auunculi *Helenæ*. Hic dedit Armoricam *Conano* nepoti Octauij. Missus est etiam à Maximo Gratianus municeps in Britanniam, vt regnaret sub eo. Sed perempto Maximo *Gratianus* occiditur à Britannis.

Cùm igitur Picti & Hũni asperrimè terram destruerent, miserunt Romam. *Legio* veniens murum ædificat; sed post destruitur: mittitur & *Vitelmus* Londoniensis Episcopus ad *Aldroenum* Regem Britonum, & reduxit Constantinum fratrem eius in Regem: cuius filij fuerunt *Constans* Monachus, & Aurelius Ambrosius. Hos duos nutrit Rex Britonum *Budicius*, occiso prius Constantino, & posteà Constante Monacho, quem sine Episcopis Regem creauerat *Vortigernus* Dux Cornubiæ, diadematum, & super hastas circa Monasterium vectum idem Vortigernus Regnum inuasit; qui ascitis Anglis proditus est ab eis. Britones irati statuerunt V*ertimerum* filium eius Regem. Quater vicit Anglos, occiso *Hors*, veneno enim periit per nouercam. V*ortigernus* item Rex proditur; quem Aurelius, vt proditorem combussit. Occidit etiam & ipse *Eldol* Dux Gloecestriæ *Hengistum* apud Kimgeburch iudicio: quia post concordiam proditionem feceratin Regem *Aurelium*; filio tamen Hengisti *Otta* nomine cõcessit vasta trans Eboracum. Interea V*terpendragen*, id est caput draconis, iuuenis præstantissimus, filius scilicet Aurelij, choream Gigantum attulit ab Hybernia, quæ nunc vocatur *Stanhenges*. *Pascent* verò filius Vortigerni fecit inuenerari Aurelium. Sed *Vter* prædictus strauit eum bello, & Regem Hyberniæ cum eo. *Vter* etiam cepit *Otta* & *Cosa* cognatum eius rebellantes, & posuit Londoniæ in carcere. *Vter* quoque *Gorloin* Ducem Cornubiæ occidit, & *Igernam* sponsam Ducis sibi sociauit, & genuit *Arturum*, & *Annam*. *Otta*, & *Cosa* fugientes à carcere in Germaniam, posteà rebellantes occisi sunt apud Verolamium: & ibidem Rex venenato fonte periit.

Artur ille famosus, mortuo patre V*ter*, sceptris insignitur regalibus, licet adolescentior esset. Statímque in noua bella exardescens, *Colgrinum* Ducem Anglorum prælio vicit, victum obsedit in Eboraco: sed per aduentum *Keldrici* periit. Cùm autem *Keldricus* obsedisset Lincoliam cum innumera gente Anglorum venit *Hoelus* filius sororis Arturi, & Budicij, à minori Britannia, & Linccoliæ obsidionem dissipat per concordiam. Iurauerunt enim hostes, quòd nunquam amplius in illam terram reuerterentur. Spreto autem iuramento circuierunt terram per maria, & peruenerunt ad vrbem Legionum, quæ super Sibarim sita erat, & eam nihil cauentem destruxerunt. Post hæc fuit apud Bade magnum prælium, in quo *Arturus Colgirnum*, & *Baldulfum* duces Anglorum occidit; & Keldricus vix effugit, postea tamen occiditur in Teneth.

Arturus igitur valde confortatus in Regno, Anglos quotquot remanserunt tributarios facit. Scotiam vero sibi subdidit; omnes circumiacentes terras Britanniæ in ditionem suam accepit. Successu verò temporum Romam acquirere studens, quòd inde progenies eius descenderat, *Mordredo*, nepoti suo reliquit Regnum, & Reginam in custodiam. transiénsque mare cùm mirabili exercitu, Romanum exercitum Parisius vicit. Franciam, & Burgundiam sibi subdidit. Cùm Alpes transiturus esset, dixit ei Nuncius: *Modredus* nepos tuus diadema tuum sibi imposuit, auxilio *Keldrici* Regis Anglorũ, & sponsam duxit tuam. *Arturus* igitur mirabili ebulliens irâ, reuersus in Angliam vicit Modredũ prçlio. Cúmque insequereretur eum vsque in Cornubiam cum paucis, incidit super eum inter multos. Cúmque se non posse reuerti videret, dixit: vẽdamus socij mortes nostras: Ego enim iam caput nepotis, & proditoris mei, gladio auferam; post quod mori deliciosum est. Dixit, & gladio per aciem viam sibi parans, in medio suorum *Modredum* galeâ arripuit, & collum loricatum velut stipulam gladio resecauit. Inter eundum tamen, & in ipso actu, tot vulnera recepit, quòd & ipse procubuit, licet parentes tui, Britones, mortuum fore denegent, & venturum adhuc solemniter expectent. Fuit equidem vir temporibus suis omnium summus militiâ, largitate, facetiâ.

Successit ei C*onstantinus* cognatus eius; & tertio anno occiditur à *Conano*, & ad Stanheng, vbi *Aurelius*, & *Vter* pater Arturi, sepultus est. Post hæc *Aurelius Conanus*, duobus annis regnauit. *Vartiporius* verò quatuor annis; vicítque Saxones rebellantes. Post quem *Malgo* pulcher, quòd non erat alter formâ pulchrior, affatu dulcior. Deinde *Cathericus*, cuius tempore Saxones adduxerant *Godmundum* Affricanum, qui omnem destruxit patriam, necnon & Christi cultum.

Augustinus venit à Roma; & *Elfridus* vicit *Broginail* apud Leccestriam; vbi etiam monachi occisi sunt. Postea *Caduanus* regnans cis Humbram, *Caduuinum* mittit cum *Caduallone* filio suo. Postea cùm vterque regnaret, vicit *Caduuinus*, & fugauit *Caduallonem* in Armoriam. *Caduuallo* tandem cum magnis copiis reuertens, vicit priùs *Pendam* & sibi vniuit. *Caduuinus*, & *Offridus*, & *Osricus* occiduntur. *Penda* occidit *Osuualdum*. *Osui* occidit *Pendam*. *Cheduualdo* verò cùm regnasset quadraginta octo annis, sepelitur ad portam Londoniæ, iuxta templum sancti Martini, in imagine ænea super equum æneum. Tandem *Cheduualladrus* regnauit, quem *Beda* *Chodluuallam* vocat, filius Cheduuallonis & sororis Pendæ. Tunc veniente peste grauissima fugit in Armoriam ad Regem *Alanum Salomonis* nepotem. Angli vero venientes à Germania terras peste vacuas possederunt. *Cheduualladrus* autem Rex Romam iuit non reuersurus. Exinde Britanni, & nomen, & Regnum penitus amiserunt. Ex tunc illa Britannia est Anglia nominata.

Hæc sunt quæ tibi, *Varine* Britto charissime, breuibus promisi; quorum si prolixitatem desideras, librum grandem *Gaufridi Arturi*, quem apud Beccense Cœnobium inueni diligenter requiras, vbi prædicta satis prolixè, & luculenter tractata reperies.

ITEM DE EADEM *Historia.*

ADhuc ad maiorem euidentiam rerum dictarum, & dicendarum, ponemus quandam partem historiæ HENRICI *Archidiaconi, de qua iam epistolam ante positam excerpsimus. Dixit itaque in primo libro eiusdem historiæ.*

Erat autem Britannia ciuitatibus quondam viginti & octo nobilissimis insignita, præter castella innumera, quæ & ipsa muris, turribus, portis ac seris erant instructa firmissimis. Ciuitatum autem nomina hæc erant Britanniæ *Kaireborauc*, id est, Eboracum. *Kaircherit*, id est, Cantuaria. *Kairgorango*, id est Vvigornia. *Kairlondenæ*, id est Londonia. *Kairlirion*, id est, Leicestria. *Kaircolin*, id est, Colecestria. *Kairglou*, id est, Gloecestria. Kaircei, id est Ceceastria. Kairceri, id est, Cereceastria. Kairquèt, id est, Vinceastria. *Kairgoant*, id est, Granceceastria, quæ modo dicitur Grantebirgia. *Kairlion*, quam vocamus Carleuil. *Kairdauri*, id est Doreceastria. *Kairdorin*, id est, Dontecestria, quæ sita est in Huntedonensi prouincia, super flumen, quod vocatur *Ner*, penitùs constructa est, *Kairloitchoit*, id est Lincolia. *Kair merdin*, quæ nunc quoque sic vocatur. *kairGuorcon*. *kair Cucherat*. *kairGorttegern*. *kairVrnac*. *kairCelemion*. *kairMeguaid*. *Kair Licidid*, *kair Peris*, id est, Portcestre. *kairlegion*, in qua fuit Archiepiscopus tempore Britonum: nunc autem vix mœnia eius comparent; vbi Vsca cadit in Sabrinã. *kairDraton*. *KairMercipre*. *kair Segent*, quæ fuit super Tamasim, non longè à Redinge; & vacatur Silcestre. Hæc erant nomina ciuitatum tempore Romanorum, & Britonum.

Quinque autem plagas ab exordio, vsque ad præsens immisit diuina vltio Britanniæ, quæ non visitat solùm fideles, sed etiam diiudicat infideles. Primam per Romanos, qui Britanniam expugnauerunt, sed postea recesserunt. Secundam per Pictos, & Scotos, qui grauissimis eam bellis vexauerunt, necnon obtinuerunt. Tertiam per Anglos, qui eam debellauerunt, & obtinent. Quartam per Dacos, qui eam bellis obtinuerunt, sed postea deperierunt. Quintam per Normannos, qui eam deuicerunt, & Anglis inpræsentiarum dominantur.

Quando autem Saxones hanc terram sibi subiugauerunt, reges septem statuerunt, regnísque nomina pro libitu imposuerunt. Primum regnum, vocatum est *Chent*. Secundum *Sudseaxe*, in quo sita est Ciceastre. Tertium *Vuestsexe*, cuius caput erat Vvintonia; quæ nunc est data Sanctimonialibus. In quo sunt vrbes Vvinceastria, Salesbiria, & plures aliæ. Quartum regnum *Eastseaxe*, quod non diu durauit, sed cæteris regnis subiugatum est. Quintum *Eastangle*, in quo sunt prouinciæ quæ vocantur Nordfole, & Sudfole. Sextum *Inunche* in quo est Lincolia, Leiceastria, & aliæ complures. Septimum *Nordhumbre*, in quo est Eboracum.

Postquam autem Reges *Vvestsexe* cæteris præualuerunt, & Monarchiam obtinuerunt terras per triginta quinque prouincias sibi diuiserunt: quorum situs, & nomina, quamuis inhabitantibus notissima sint, tamen pigeat subscribere. Deueniet enim forsitan, vt quemadmodum nomina ciuitatum prædicta, quæ olim grata, & excelsa erant, modo in barbariem, & risum vertuntur, ita etiam decursu temporum quæ modo notissima sunt, incognita, & incredibilia fiant. Vnde patet quam miserè & frustrà, nominis nostri famam incolæ Prouinciarum appetamus, cùm nec ipsarum vrbium vel Prouinciarum nomina durare possint.

Prima igitur Prouincia est *Chent*, in qua est Archiepiscopatus *Cantuariæ*, & Episcopatus *Roueceastriæ*. Secunda est *Sudseaxe*, in qua est Episcopatus Ciceastriæ. Tertia *Sudrie*. Quarta *Hautesirie*, in qua est Episcopatus Vvieeastriæ. Quinta *Bertsire*. Sexta *Vvintesire*

Vvintesire, in qua est Episcopatus *Salesbiriæ*. Septima est *Dorsete*. Octaua *Sumersete*, in qua est Episcopatus *Badde*, vel *Achemanecestriæ*. Nona *Deuenesire*, in qua est Episcopatus *Exceastriæ*. Decima *Cornugalliæ*. Vndecima *Castsexe*. Duodecima *Mildelsexe*, in qua est Episcopatus *Londoniæ*. Tertiadecima *Sudfole*. Quartadecima *Nordfole*, in qua est Episcooatus *Hely*. Quintadecima *Cantebregesire* in qua est Episcopatus *Norvvincie*. Sextadecima *Lincolesire*, cuius est caput *Lincolia*, cui subjacent aliæ septem prouinciæ: scilicet, prouincia *Leiceastriæ*, & *Hamtoniæ* & *Huntendoniæ*, & *Herefort*, *Bedefort*, *Bucingehan*, *Oxineford*, extenditur enim Episcopatus Lincoliæ, à magno flumine Humbræ, vsque ad fluuium Thamasis. Vicesima quarta est *Glouceastriesyre*. Vicesima quinta *Vviriceastriesire*, in qua est Episcopatus *Vvigorniæ*. Vicesima sexta Herefordesire, in qua est Episcopatus H*erefordiæ*. Vicesima septima S*alopsire*. Vicesima octaua *Ceastresire*, in qua est Episcopatus *Ceastriæ*. Vicesima nona *Vvareuuie*. Tricesima Staford. Post trigesimam, prima est *Derebi*. Secunda *Notinglian*. Tertia *Eureuichsire*, in qua est Episcopatus *Eboraci*. Quarta est *Nordhumbrelãd*, cui præest Episcopus *Dunehelmiæ*. Quinta illa Regio, in qua est Episcopatus nouus Carliul. *Sira* verò Anglicè, Latinè dicitur prouincia.

Igitur septemdecim Episcopatibu insignita nostro tempore florescit Anglia. Vrbes verò multò plures sunt, quàm Episcopatus, vt Glouuestria, Leecestria, & aliæ plures. Sed in occidentali parte Britanniæ, quæ vocatur Vvallia, tres super sunt Episcopatus. Vnus apud sanctum Dauid: alius apud Pangor: tertius apud Clamergam. Sunt tamen hi tres nullarum vrbium Episcopi, propter desolationem Vvalliæ, quæ sola deuictis remansit Britannis. Tempore nostro recepit Episcopus sancti Dauid pallium à Papa, quod fuerat olim apud Carlegion, sed statim amisit.

Quatuor sunt quæ mira videntur in Anglia. Primum, quòd ventus egreditur à cauernis terræ, in monte, qui vocatur *Pec*, tanto vigore, vt vestes iniectas reiiciat, & in altum eleuet. Secundum apud Staneges vbi lapides miræ magnitudinis in modum portarum eleuati sunt, vt portæ portis superpositæ videantur; nec potest excogitari qua arte eleuati sunt; vel quare constructi sunt. Tertium est apud Chederhole, vbi concauitas est sub terra, quam cùm multi sæpe ingressi sunt, & spatia magna terræ, & flumina pertransierunt, ad finem tamen venire non potuerunt. Quartum, quòd quibusdam locis pluuia videtur eleuari de montibus, & sine mora per campos diffundi.

Tantæ autem gratiæ inhabitantibus fuit Britannia, quòd quatuor in ea calles à fine in finem construerent, regia sublimatos auctoritate, ne aliquis in eis inimicum inuadere auderet. Primus ab Oriente in Occidentem, & vocatur Ichenild. Secundus ab Austro in Aquilonem, & vocatur Erningestrate. Tertius ex transuerso à Dorobernia in Cestriam, & vocatur Vvalingestrate. Quartus maior cæteris incipit in Catenes, & desinit in Totenes, & vocatur Fossa, tenditque per Lincoliam.

Quinque autem linguis vtitur Britannia: Britonum videlicet, Anglorum, Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ doctrinâ Scripturarum cæteris omnibus est facta communis: quamuis Picti iam videantur deleti, & lingua eorum destructa: ita vt iam fabula videatur, quod in veterum Scriptis eorum mentio inuenitur.

EX EADEM HISTORIA DE modernis Sanctis Angliæ.

QVis Cantuariæ Metropolis Ecclesiam venerabilem petens, & *Dunstanni* patris numerosa legens magnalia, magnopere non miretur, & in laudes Sancti Sanctorum non erumpat?

Quis Vvintonesem videns Ecclesiam, & patris *Edelvvoldi* lucidissima gesta reuoluẽs, non laudet Patrem, qui solus facit per se, & suos miracula? O quot Ecclesias Præsul ille Deo instituit! Quot Congregationes Regularibus disciplinis insigniuit! Quot impietatis incendia rore sancti Spiritus extinxit!

Illic quoque sancti Patris S*uithuni* laudes videbis, qui fortissimi Regis *Egberti* assidens, & pius *Adelvvlsi* filij eius educator fuit. *Adelvvlfus* verò de clericatu transflatus ad regnum, concessu *Leonis* Papæ pontificauit eum fœliciter. Tertio verò anno *Aldelberti* Regis, filij Adeluulfi, vir sanctus decessit cum gloria. Ibi etiam *Birini* Præsulis Dorchecestriæ, quæ modo sedes ad Lincoliam translata est, miracula magna videbis.

Syreburnam verò potens *Aldekni* eiusdem loci Episcopi miracula cernis, quæ modò sedes ad Salesburiam translata est.

Kynelini verò martyrium clandestinum leges apud Vvinchelcumbe: hic fuit filius Regis Merciorum *Kenulfi*, qui cùm viginti quatuor annis regnasset, auno gratiæ octingentesimo decimo nono decessit. Martyrium verò kynelini filij eius, reuelatum est cœlitùs Romæ Siluestro iuniori Papæ.

Milburgæ verò virginalem videbis vitam apud Vvinlocan, quæ fuit filia Meruuali filij Pende Regis, & Domneuæ, filiæ Eormenredi, filij Regis Edbraldi Cantuariæ. *Milgi-*

thi verò soror eius in finibus Norherborum quiescit. Mildrithæ verò tertiæ sororis, cœlibem vitam in insula Teneth reperies.

Rumaldi vitam videlis mirandam apud Buchingehan, super flumen Vse.

Neochi verò vitam laudabilem videre poteris super fluuium prædictum, scilicet Vse, decurrens vsque in Huntendosira, vbi corpus eius sanctissimum pausat. Splenduit enim tempore Regis Alfredi, & Marini Papæ.

Ramesiæ corpora, & vitam *Edelbredi* & *Edelbricti* reperies.

Apud Burgum pausant duæ sanctæ Virgines germanæ, *Kineburga*, & *kinesuuitha*, sorores Regum pendæ, & Vvilferi, & Althelredi. *Tibba* etiam virgo sancta, prędictarum cognata, quiescit ibidem.

Sanctus verò *Gudlacus* quiescit apud Croilande.

Sancta Vvalburga apud Cestriam quiescit, de qua cùm multa dicantur, vnum quod egregium, & penè inauditum non tangere non possum. Scribitur enim quòd aucas syluaticas, quarum copia grandis frumentum suum virens depascendo exterminauit, includi fecerit in domo quadam, quasi domesticas; quas cùm mane emittere pararet, vidit vnam deesse, quàm cùm à famulis comestam, rem perquirens, audisset; *Afferte*, inquit, *mihi plumam, & ossa comestæ*; his allatis pręcepit vt integra esset & viua; & factum est ita. Anseribus autem applaudentibus pro sociæ amissę reditu, pręcepit ne in sempiternum introiret in campum suum, aliqua specie illarum participans. Recedentes igitur, quod virgo præcepit, obseruauerunt vsque in hunc diem.

Sancta virgo *Vvifrida*, Regis Edgari spretis sponsalibus pro Deo sponso, Berehinge fuit Abbatissa, & ibidem sepulta. Sancta quidem *Adelburga* loci illius fuit Abbatissa.

Sancta *Elgitha*, filia Regis Edgari, Vvintoniæ pausat. Multos pręterimus quorum in Ecclesiis eorum nomina, & gesta luculenter irradiant.

CHRONICA

ANNI DOMINI.

SIVE APPENDIX

ROBERTI DE MONTE

AD SIGIBERTVM

AB ANNO M.C. AD AN. MCLXXXII. VEL MCLXXXIV.

ROMANORVM.	FRANCORVM.	ANGLORVM.	MCI.

HENRICVS, filius primi *Vvielmi* Regis Anglorum, & Ducis Normannorum, occiso secundo *Vvillielmo* fratre suo Rege Anglorum, & sequenti die in Ecclesia Sancti Petri apud Vvinciastriæ sepulto, ibidem in Regem electus, dedit Episcopatum Vvinciastriæ *Vvillelmo Giffard*. Pergénsque Londoniam sacratus est ibi à *Mauricio* Londoniensi Episcopo, melioratione legum, & consuetudinum optabili repromissa. His auditis, *Anselmus* Archiepiscopus rediens in Angliam, desponsauit *Matildem* puellam nobilem filiam *Melcolim* Regis Scothiæ, & *Margaritæ* Reginæ, *Henrico* Regi nouo. Quantæ autem sanctitatis vtraque Regina & scientiæ, mater & filia fuerint, liber, qui de vita ipsarum scriptus est, plano sermone describit. Genuit autem ex ea idem Rex *Henricus* filium vnum, *Vvillelmum*; & filiam vnam, sicut nomine, ita honestate matrem repræsentantem. Hanc denique virginem quinquenem vix *Henricus* quartus Imperator Romanorum Augustus in coniugem per honorabiles Legatos requisiuit, & vxorem accepit.

Capta vrbe Ierosolymitana, vt diximus, & ingenti prælio postea victoriosè patrato contra exercitum Amiralij Babyloniæ, rediit *Robertus* Dux in Normanniam mense Augusto, & cum lætitia susceptus est ab omni populo.

Thomas Eboracensis Archiepiscopus, vir ingenij florens &, Musarum à secretis, hominibus apparere desiit. Cui successit *Giraldus* Cantor Rothomagensis.

XLV.	XLI.	I.

HEnricus Rex Anglorum, cùm ad Natale tenuisset curiam suam apud Vvemoster, & ad Pascha apud Vvinceastre, commoti sunt Principes Angliæ erga Regem, causa fratris sui *Roberti* cum exercitu aduenientis. Misit igitur Rex in mare nauale prælium gessuros contra fratris sui aduentum: sed quædam pars eorum subdidit se *Roberto* venienti. Cùm ergo appulisset apud Portesmuthe Calendis Augusti, & Rex tenderet contra eum cum maximis copiis; principes vtrinque fratrum bellum non perferentes, concordiæ fœdus inter illos statuerunt eo pacto, quòd *Robertus* vno quoque anno III. M. marcas argenti haberet ab Anglia, & qui diutiùs viueret, hæres esset alterius; si alter absque filio moreretur: hoc autem iurauerunt duodecim eximiores vtrinque. *Robertus* igitur in pace perendinauit vsque ad festum Sancti Michaelis in regno fratris sui, & ad propria rediit. *Ranulphus* autem peruersus Episcopus Dunelme, quem Rex *Henricus* posuerat in vinculis, consilio gentis Anglorum, cùm à car-

cere euasisset, clandestinè per rexerat in Normanniam, consilio & admonitione sua Robertum Ducem promouens in fratrem suum.

Conradus filius Henrici Imperatoris, adhuc patris rebellis, in Italia moritur.

Henricus Imperator *Henricum* Lemburgensem aduersantem sibi debellat. Et expugnatis eius castellis, eum ad deditionem cogit: sed Imperator ei multâ summâ gratiam suam redimenti, etiam Ducatum Lotharingiæ ei donat, & sic pacificantur.

Capta est vrbs Cæsarea à Christianis.

MCII. XLVI. XLII. II.

HEnricus Rex Anglorum quemdam Consulem nequissimum & perfidum, R*obertum de Belesme*, iure in eum exurgens exulauit. Obsedit namque prius castellum Arundel: quod cum grauissimum esset ad conquirendum, castellis ante illud constructis, iuit & obsedit Bruge, quousque redditum est ei. Et R*obertus de Belesme* gemebundus in Normãniã migrauit.

Eodem anno ad festum S. Michaelis tenuit *Anselmus* Archiepiscopus Conciliũ apud Londoniam: in quo prohibuit vxores Sacerdotibus Anglorum. Quod quibusdam visum est mundissimum, quibusdam periculosum. In illo autem Concilio multi Abbates, qui acquisierant Abbatias sicut Dominus noluit, amiserunt eas sicut Dominus voluit.

R*oberto* Flandrensium Comite vrbem obsidente Cameracum, H*enricus* Imperator contra eum proficiscitur, & aliquibus eius castellis expugnatis, asperitate instantis hyemis redire compellitur.

Occisus est *Stephanus* Comes Blesensis decimo quinto kalendas Augusti apud Ramulam. Mortuus est & H*ugo* Magnus apud Tharsum; & successit ei R*odulphus* filius eius.

MCIII. XLVII. XLIII. III.

ROBertus Dux Normannorum venit in Angliam, & causis variis intercedentibus, & cautâ Regis prudentiâ condonauit ei III M. marcas, quas Rex debebat ei per annum. Eodem anno visus est sanguis ebullire à terra in Besehire apud Hanstude.

R*obertus* Comes Flandrensium in gratiam recipitur.

Capta est à Christianis vrbs Acchon, quæ antiquitùs dicebatur Ptolomaida, quam quidam putant esse Accharon, sed non est. Illa enim Philistæa; ista verò Ptolomaida dicitur. Accharon vrbs est Philistæa, prope Ascalonem; Acchon verò, id est Ptolomaida, habet ab austro Carmeli montem.

Boamundus commendauit principatum Antiochiæ Tancredo nepoti suo, & ipse nauigauit in Apuliam, deinde venit in Franciam.

Ebremarus successit *Daiberto* primo Patriarchæ Ierusalem.

MCIV. XLVIII. XLIV. IV.

HEnricus Rex Anglorum, & frater suus R*obertus* Dux Normannorum, causis intercedentibus discordati sunt. Misit igitur Rex milites in Normanniam, qui à proditoribus Ducis recepti, prædis & combustionibus non minimam cladem rebus consularibus ingesserunt. *Guillelmus* verò Consul Moretuil causa perfidiæ ab Anglia exhæreditatus, à Rege, in Normanniam discedens, animo perfecto & exercitio feruenti vir probissimus indixit, & infixit regalibus turmis Vverram (*guerram*) calamitate refertam.

Apparuerunt circa solem in meridie quatuor circuli albi coloris, rei signum venturæ.

MCV. XLIX. XLV. V.

HEnricus Rex Anglorum perrexit in Normanniam contra fratrem suum certaturus: conquisiuit igitur Cadomum pecuniâ, Baiocum armis: & auxilio Fulconis Andegauensis, cepit quoque plura alia castra, & omnes ferè principes Normanniæ Regi se subdidère. His actis, mense Augusto rediit in Angliam.

Ierosolymitæ innumerabilem multitudinem Paganorum gloriosâ victoriâ conterunt.

Filius Imperatoris H*enrici* à patre auersus, quoscunque potest ab eo auertit. Et sub obtentu meliorandæ reipublicæ, & restaurandæ Ecclesiæ in eum insurgit.

MCVI. L. XLVI. VI.

ROBertus Dux Normannorum venit ad Regem H*enricum* fratrem suum, apud Norhantune, amicabiliter ab eo petens, vt ablata sibi fraternâ redderet gratiâ. Cùm verò Dominus concordiæ non assentiret; Dux iratus perrexit in Normanniam: & Rex ante Augustum secutus est eum. Cùm ergo Rex obsedisset castrum Tenerchebrai, venit Dux Normannorum, & cum eo R*obertus de Belesme*, & Consul de Mortuil, & omnes fautores eius. Rex verò secum omnes proceres Normanniæ, & robur Angliæ, & Andegauis, & Britanniæ, non improuidus habebat.

Igitur cùm cornua rauco ſtrepuiſſent cantu, Dux Normanniæ cum paucis multos audaciſſimè aggreſſus eſt. Aſſuetúſque bellis Ieroſolymitanis aciem regalem fortiter & horridè, vt vir admirandæ & iamdudum probatæ probitatis, audacter repulit. *Guillielmus* quoque Conſul de Moritolio aciem Anglorum de loco ad primum locum turbans promouit. Tunc acies equeſtris Britannorum (Rex namque, & Dux, & acies cæteræ, pedites erant, vt conſtantiùs pugnarent) aciem Ducis ex aduerſo proruens, ſubitò diffidit: Et mole magnitudinis in breui ſatis ſpatio gens Ducis oppreſſa, diſſoluta, & victa. Mira res! cui pater eius maledixerat, & qui regnum Ieruſalem renuerat, durare non potuit.

Captus eſt igitur Dux fortiſſimus Normannorum, & Conſul de Moretuil. Reddidítque Dominus vicem Duci *Roberto*. Quia cùm glorioſum reddidiſſet eum in actibus Ieroſolymitanis, regnum Ieruſalem ſibi oblatum renuit: magis eligens quieti & deſidiæ in Normannia deſeruire, quàm Domino Regum in ſancta ciuitate deſudare. Damnauit igitur eum Dominus deſidiâ perenni, & carcere ſempiterno.

Huius rei ſignum in eodem anno cometa apparuerat. Viſæ ſunt etiam in Cœna Domini duæ lunæ plenæ, vna ad Orientem, & alia ad Occidentem.

Hoc anno impletum eſt quod *Guillielmus* Rex, pridie quàm moreretur, dixerat filio ſuo iuniori *Henrico*, de quo in præſenti loquimur. Cùm enim Rex potentiſſimus theſauros ſuos Eccleſiis, & pauperibus dandos ante ſe à Notariis deſcribere faceret, & Clero Medantenſi ſupplex ingentia munera tranſmitteret, vt inde reſtaurarentur Eccleſiæ quas conbuſſerat; & *Roberto* primogenito Ducatum Normanniæ, licet abſenti, deſignaret: *Guillielmo* verò *Rufo* Regnum Angliæ: vnde & Epiſtolam de eo Rege conſtituendo per eundem miſit *Lanfranco* Archiepiſcopo: *Henricus* cum lachrymis ad patrem dixit: *Et mihi pater, quid tribuis?* Cui Rex ait: *Quinque millia libras argenti de theſauro meo tibi do.* Ad hæc *Henricus* dixit. *Quid faciam de theſauro, ſi locum habitationis non habuero?* Cui pater: *Æquanimis eſto fili, & confortare in Domino. Pacificè patere, vt maiores fratres tui præcedant te. Robertus Normanniam: Guillielmus verò totius Angliæ Monarchiam habebit. Tu autem tempore tuo totum honorem, quem ego nactus ſum, habebis; & fratribus tuis, diuitiis & poteſtate, præſtabis.*

Quarto nonas Februarij ſtella viſa eſt per diem in cœlo, longum ex ſe emittens radium, ab hora tertia, vſque ad horam nonam, quaſi cubito diſtans à ſole.

Henricus filius Imperatoris contra ius naturæ, & fas legum, in patrem inſurgens, quia indignè eum tractauerit, declarat Epiſtola ex ore ipſius patris ſcripta ad Philippum Regem Francorum: Imperatore *Henrico* morante Leodij, filius eius Aquiſgranum venit, & nolens venire Leodium contra patrem ſuum, quintâ feriâ Dominicæ Cœnæ, permiſit præoccupare pontem apud Vviſatum; ne quis ſibi venienti obſtaret: ſed militibus patris occurrentibus, ad exoccupandum pontem milites filij à patre repelluntur, aliis eorum captis, aliis in Moſam demerſis, aliis occiſis: inter quos etiam *Bruno* Comes occiſus eſt. Sic filius contra patrem veniens, rediit inglorius. Colonienſibus fidem Imperatori ſeruantibus; & eorum Archiepiſcopo filium Imperatoris contra patrem ſuum animante, Colonia obeſſa oppugnatur, ſed non expugnatur. Igitur *Henricus* Imperator Leodij moritur, eiuſque filius *Henricus* ei ſuccedit; qui poſtea duxit *Matildem* puellam nobilem, vix quinquennem Regis HENRICI Anglorum filiam.

Dux *Henricus*, qui ab Imperatore ad filium eius animo tranſiens, eum contra patrem ſuum armauit conſilio. Et à filio ad patrem rediens, partes filij debellauit: mortuo Imperatore, ſe vt reum maieſtatis filio Regis dedidit: & ab eo captus cuſtodiæ traditur. De qua ipſe per induſtriam ſuam euaſit, Ducatus verò eius datus *Godefrido* Louanienſium Comiti.

HENRICVS.

I. XLVII. VII. MCVII.

HEnricus Rex Anglorum, cùm, deletis vel ſubiectis hoſtibus, Normanniam pro libitu diſpoſuiſſet, rediit in Angliam; fratrémque ſuum Ducem magnificum, & Conſulem de Moritolio carceralibus ingeſſit tenebris. Igitur victorioſus, & tunc primùm Rex fortis tenuit curiam ſuam ad Paſcha, apud Vvindeshores; in qua proceres Angliæ cum timore & tremore affuerunt. Antea namque & dum iuuenis fuiſſet, & poſtquam Rex fuerat, in maximo habebatur deſpectu: ſed Dominus, qui longè aliter iudicat, quàm filij hominum, qui exaltat humiles, & deprimit potentes, *Robertum* omnium fauore celeberrimum depoſuit, & *Henrici* deſpecti famam per orbem terrarum clareſcere voluit. Dedítque gratis ei tria Dominus omnipotens munera, ſapientiam, victoriam, diuitias. Quibus ad omnia proſperans, omnes ſuos Anteceſſores præceſſit. Cuius bonitatis & magnanimitatis fama in omnibus penè gentibus patuit dilatata.

Obiit *Mauricius* inceptor Londoniensis Ecclesiæ; & *Edgarus* Rex Scothiæ, cui successit *Alexander* frater suus, concessu Regis Henrici.

Boamundus remeauit de Gallia in Apuliam cum magno exercitu. Et cœpit vastare terram Alexij Imperatoris Græcorum.

Henricus Exdux affectans repetere ducatum, occupat oppidum Aquisgrani contra Godefridum Comitem. Sed hoc non ferens *Godefridus*, oppidum Aquense violenter irrupit. Oppidanos à fauore Henrici Exducis exterruit, aliquos potentes Comites & multos nobiles cepit. Ipse *Henricus* cum filiis suis vix fugâ euasit. Vxorem eius capere Dux indignum duxit. Comites & honoratiores eorum quos ceperat, per conditionem sub se militandi sibi reconciliatos, ad fidelitatem suam adduxit.

MCVIII. II. XLVIII. VIII.

HEnricus Rex Anglorum, cùm decessisset, *Philippus* Rex Francorum, transiit in Normanniam contra *Ludouicum* filium Philippi, Regem nouum Franciæ, werram (*guerram*) promouens maximam.

Gerardo Eboracensi Archiepiscopo defuncto, *Thomas* posteà successit.

Henricus Imperator contra Robertum Flandrensem vadit, & pacto pacis, magis vtrinque simulato, quàm composito, penè inefficax rediit.

Boamundus Dux Apuliæ contracto vndecunque exercitu accingitur ad inuadendum Imperium Constantinopolitanum.

MCIX. III. XLIX. IX.

MIssi sunt ab *Henrico* Imperatore Romano Nuntij, mole corporis & cultus splendoribus excellentes, filiam Regis Anglorum Henrici in Domini sui coniugium postulantes. Tenens igitur Curiam suam apud Londoniam, quâ nunquam splendidiorem tenuerat, Sacramenta depostulans, ab Imperatoris recepit legatis ad Pentecosten.

Obiit Domnus *Anselmus* venerabilis memoriæ Cantuariensis Archiepiscopus vndecimo Calendas Maij. Scripsit verò idem vir reuerendus nonnulla memoriæ digna, quæ subtus annectere curauimus.

Dum adhuc Prior esset in Beccensi Cœnobio, scripsit Tractatus tres.

Primum, *De veritate.*

Secundum, *De Libertate Arbitrij.*

Tertium, *De casu Diaboli.*

Scripsit & Quartum, quem titulauit, *De Grammatico*; in quo Discipulo, quem secum disputantem, introducit, respondit: & multas dialecticas quæstiones proponit, & soluit.

Fecit quoque Libellum quintum, quem *Monologion* appellauit: Solus enim in eo, & secum loquitur, ac tacita omni authoritate diuinæ Scripturæ, quòd Deus sit, sola ratione quærit, & inuenit. Et quod vera fides de Deo sentit, inuincibili ratione, sic, nec aliter esse, probat & astruit.

Composuit etiam librum sextum, licet paruulum, sed sententiarum, ac subtilissimæ contemplationis pondere magnum, quem *Prosologion* nominauit. Alloquitur enim in eo opere, aut seipsum, aut Deum.

Scripsit & septimum librum *Epistolarum* ad diuersos, diuersis eorum negotiis respondens, vel ea quæ sua intererant procurare mandans.

Fecit & octauum *de Incarnatione Verbi*: quod Opus epistolari stylo conscriptum, Sanctæ Romanæ Ecclesię summo Pontifici *Vrbano* dicauit, destinauit.

Nouum librum edidit, quem *Cur Deus homo* appellauit.

Decimum *De Conceptu Virginali.*

Vndecimum *De Orationibus contemplatiuis*, quem plurimi *Meditationes* vocant: In quibus, legentibus facilè apparet, quanta dulcedo supernorum mentem eius repleuerat.

Duodecimus, qui & vltimus illi Tractatus fuit, *de Processione Spiritus sancti.* Confutauerat enim Græcos in Barensi Concilio, negantes Spiritum sanctum à Filio procedere: vnde sumptâ materiâ, rogatu *Ildeberti* Cenomanorum Episcopi, hunc librum composuit.

Si de natione eius, vita, & moribus quæris, aliquantulum retrò inuenies.

In parochia Legiensi porca enixa est porcellum habentem faciem hominis. Natus est etiam pullus gallinę quadrupes.

Imperator *Henricus* contra Hungaros vadit, sed facto pacto rediit.

Obiit Domnus *Hugo* Cluniacensis Abbas, cui successit *Pontius.*

Hoc anno sacro igne multi accenduntur, membris instar carbonum nigrescentibus.

Philippus Rex Francorum obiit: *Ludouicus* filius eius post eum regnat annis vigenti nouem.

IV. I. X. MCX.

DAta est filia Regis Anglorum, *Mathildis* nomine, Imperatori *Henrico*, vt breui dicam, sicut decuit. Idem Rex *Henricus* cepit ab vnaquaque hida Angliæ tres solidos. Cumque Curiam suam tenuisset ad Pentecosten apud nouam Vvileshores, quam ipse ædificauerat, exhæreditauit eos qui ei nocuerant: Scilicet *Philippum de Branse*, & *Guillelmum Malet*, & *Guillielmum Bainard*. Helias verò Consul Cenomaniæ, qui eam sub Henrico Rege tenebat, vita priuatus est. At Consul Andegauensis *Fulco*, pater Gaufridi, suscepit Cenomaniam cum filia eius, & tenuit eam contra Regem Henricum.

Apparuit quidam Cometa more insolito. Cùm enim ab Oriente insurgens in firmamentum ascendisset, regredi videbatur.

Obiit *Guillielmus*, & successit Gaufridus Cenomanensis Decanus XLIX. Rothomagensis Archiepiscopus.

Rex Balduinus Ierosolymitanus cepit vrbes Bertum, Sydonem. *Gibelinus* fit tertius Patriarcha Ierusalem.

In mense Iunio cometes apparuit radios dirigens ad Austrum, multis coniicientibus hoc signo portendi futuram Regis *Henrici* expeditionem Italiam versus.

V. II. XI. MCXI.

HEnricus Rex Anglorum & Dux Normannorum, pergens in Normanniam contra Consulem Andegauensem Fulconem, qui Cœnomaniam eo tenebat inuito: vevrræ leges in eum ferro & flamma constanter exercuit.

Decessit autem *Robertus* Consul Flandriæ, qui Ierosolymitano clarissimus interfuerat itineri. Vnde memoria eius non pertransiet in æternum. Post quem *Balduinus* filius eius, Consul effectus est, iuuenis omninò strenuus armis.

Henricus Imperator Romam vadit propter sedandam discordiam, quæ erat inter regnum & Sacerdotium. Quæ cœpta à beato *Gregorio* septimo Papa Romano, qui & *Hildebrandus*, & exagitata à successoribus eius *Victore*, & *Vrbano*, & præ omnibus à *Paschali*, magno scandalo erat toti mundo. Rex enim vti volens authoritate, & consuetudine, & authoralibus priuilegiis Imperatorum, qui à Carolo Magno, qui primus de Regibus Francorum imperauit Romanis, iam per trecentos, & eo ampliùs annos imperauerant sexaginta tribus Apostolicis, dabat licitè Episcopatus, & Abbatias, & per annulum & per virgam. Contra hanc maiorem authoritatem censebant Papæ Synodali iudicio, nec posse, nec debere dari per virgam, vel per annulum, Episcopatum, aut aliquam Ecclesiasticam inuestituram à Laicali manu. Et quicunque ita Episcopatum, aut aliam Ecclesiastici iuris inuestituram accipiebant, excommunicabantur. Propter hanc præcipuè causam Imperator Romam tendebat. Et si qui Longobardorum quoquo modo ei resistere volebant, potenter eos proterebat. In reconciliatione autem, quæ facta est inter Imperatorem, & Papam, nam ipsum Papam cum Episcopis, & Cardinalibus ceperat. Die Paschæ *Henrico* in Imperatorem coronato, tradidit ei post lectum Euangelium Papa *Paschalis*, qui & *Raginerius*, ante altare Apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium principum priuilegium de inuestitura Episcopatuum, vel Abbatiarum, tàm per annulum, quàm per virgam, vt regni scilicet eius Episcopis, vel Abbatibus, liberè, propter violentiam, & Simoniam, electis inuestituram virgæ & annuli conferat: post inuestionem verò Canonicè consecrationem accipiat ab Episcopo ad quem pertinuerit. Confirmatio pacis inter Apostolicum & Imperatorem, dum in celebratione Missæ traderet ei corpus & sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI: *Domine Imperator, hoc corpus Domini natum ex* MARIA *Virgine, passum in Cruce pro nobis, sicut sancta & Apostolica tenet Ecclesia, damus tibi, in confirmationem veræ pacis inter me & te.* Datum est Idus Aprilis, Indictione quarta.

VI. III. XII. MCXII.

MOrtuus est *Tancredus* miles fortissimus, qui tantùm auxit principatum Antiochenum & dilatauit, quòd omnes successores nequiuerunt retinere, quod ille acquisiuit. Huic successit *Rogerius* filius *Ricardi* propinquus eius.

Deo peccatis hominum offenso, Ecclesia sancti *Michaëlis* de periculo maris fulgurata diuinitùs arsit cum ædificiis omnibus.

Rex Anglorum *Henricus* exulauit Consulem Ebroicensem, & *Guillielmum Crispinum* Normannum, cepitque *Robertum de Belesme*, de quo supra diximus. *Valdricus* Episcopus Laudunensis, ciues ipsius Vrbis à Sacramento perperàm iuratæ communionis nisus reuocare, à seditiosis ad arma concurrentibus (quod dictu nefas est) gladio confossus interiit, feriâ V. Hebdomadæ Paschalis VII. Calend. Maij, in Litania majore. Tumultuante igitur impetu confu-

sæ multitudinis, domus Episcopi succenditur; vnde etiam ipsa mater Ecclesia sanctæ *Mariæ*, & sancti *Ioannis Baptistæ* Ecclesia in Abbatia sanctimonialium, cum aliis Ecclesiis omnibus è vicino appendentibus, concremantur. In Actores seditionis à Rege Francorum tam seuerè est vindicatum, vt tam præsentes, quàm futuros à simili scelere deterrere possit exemplum.

MCXIII. VII. IV. XII.

ANno sequenti, non præsenti, *Henricus* Rex Anglorum dedit Archiepiscopatum Cantuariæ *Rodulpho* Episcopo Rouececastriæ. Tunc quoque Thoma Eboracensi Archiepiscopo defuncto, *Tustanus* successit: inter *Rodulfum* verò & *Tustanum* Archiepiscopos, orta est magna dissentio. Quia Eboracensis Cantuariensi de more subiici nolebat. Causa autem sæpe coram Rege, sæpe coram Apostolico ventilata est, sed necdum finita.

Henricus Rex Anglorum duxit exercitum in Vualliam; & Vuallenses subditi sunt ei, secundum magnificentiam libitus sui. Cometa ingens in fine Maij apparuit. Rex verò transiit in Normanniam.

Mense Maio siligenes, & arbores sacro igne adustæ, fructus sui spem sunt mentitæ; & Syluæ insuper arefactæ. Subsecuta est hominum valetudo grauis & diuturna, cum profluuio ventris, & mortalitate.

Hoc anno Rex Anglorum *Henricus* rediens in Angliam, posuit *Robertum de Belesme* in carcerem perennem apud Vuarhan.

Obiit *Sigibertus* Venerabilis Monachus Gemblacensis Cœnobij, vir in omni scientia literarum incomparabilis ingenij, descriptor in hoc libro præcedentium temporum, Tertio Nonas Octobris; & suis grauissimum absentiæ suæ reliquit dolorem.

MCXIV. VIII. V. XIII.

MOrtuo *Ricardo* filio Ricardi, filij Comitis Gisleberti, Monacho Beccensi, qui fuit vltimus Abbas in Insula Heli: Henricus Rex constituit ibi primum Episcopum *Herueum*. Et Comitatus vnus scilicet Cantebrigesire subtractus Episcopo Lincoliensi, subditus est huic nouo Episcopo. Lincoliensi verò remanserunt adhuc VIII. Comitatus, siue Prouinciæ, id est, Lincolesire, Leiceastesire, Hantonesire, Huntendonesire, Herefordsire, Bucingehansire, Oxinefordesire.

Decedente etiam in Normannia *Gisleberto* viro religioso, Ebroicensi Episcopo; successit ei *Audoenus* vir magnæ Sanctitatis.

Terræmotu pars vrbis Mamistriæ corruit, & duo castella haud procul ab Antiochia corruerunt, Mariscum, & Triphalech.* Alexius imperator Constantinopolitanus obiit, & successit ei Ioannes filius eius.

* Cod. Gemetensis.

MCXV. VIIII. VI. XV.

HEnricus Rex Anglorum fecit omnes proceres patriæ fidelitatem Domino debitam Guillelmo filio suo iurare; & in Angliam rediit.

Desolata est Mamistria maiori terræmotu.

Eodem anno deposito *Arnulfo* Patriarcha IV. per Legatum Apostolicum; idem Patriarcha Romam adiit, & per *Paschalem* Papam restitutus, pallium ab eo accepit.

MCXVI. X. VII. XVI.

REx *Henricus* Anglorum ad Natale interfuit dedicationi Ecclesiæ sancti *Albani*, quam dedicauit *Robertus* venerabilis Lincoliensis Episcopus, per *Ricardum* memorabilem eiusdem loci Abbatem. *Offa* vero Rex Mercæ, vir religiosus, transtulerat quondam eiusdem Martyris corpus in priori Monasterio, quod ibidem construxerat, multisque ditauerat. *Paulus* autem Monachus Cadomēsis, quem *Lanfrancus* Archiepiscopus ordinauerat Abbatem, opere maiori idem Monasterium renouauit. Quod successor eius *Ricardus* à Roberto Lincoliensi Episcopo, præsente Henrico Rege, fecit dedicari. *Gaufridus* verò successor eorum, transtulit corpus prædicti Martyris in feretrum mirabiliter auro, & argento, & gemmis coruscum, præsente *Alexandro* Episcopo Lincoliensi anno XXVIIII. Henrici Regis.

Hic est *Offa* Rex qui dedit Vicario beati Petri Romanæ Vrbis Pontifici, redditum statutum, quod vocatur *Romescot*, de singulis domibus Regni sui in æternum.

Erant autem illo tempore in Anglia Sacerdotes adeò ab auaritia immunes, vt nec territoria ad construenda Monasteria, nisi coacti, acciperent: Reges in tantum Religionis amatores erant, vt aut Monasteria amplissima deuotè ædificarent, aut etiam salubriter mundum declinarent. Sicut fecerunt Reges *Vuestsexe*, *Cedvualla*, & *Ine*: Quorum prior, cùm duobus annis potenter regnasset, Regnum terrenum relinquens, Romam perrexit: & ibidem baptiza-

quot Reges Angliæ effecti Monachi.

tus, in albis mortuus est, anno ab Incarnatione Domini, sexcentesimo octogesimo octauo. Sequens verò cùm triginta sex annis post Ceduuallam regnasset, Regnum relinquens Adhelardo cognato suo, Romam petiit, & ibi pro Dei amore peregrinus obiit.

Hos etiam insecuti sunt duo contigui Reges Mercæ, *Ædelred*, & qui ei successit *Chinred* cognatus eius. Siquidem anno ab Incarnatione Domini septingentesimo, *Ædelred* filius *Pendæ*, factus est Monachus vigesimo nono anno regni sui, & sepultus est apud Bardeneïe. Cuius successor *Chinred*, cùm quinque annis regnasset, Romam pergens Monachus ibi effectus, vsque ad mortẽ inibi perseuerauit. Cum quo etiam *Offa* filius Sigheri Regis Orientalium Saxonum Rex, si remansisset, futurus, pari deuotione iuit Romam, & monachatum suscepit.

Celuulfus etiam Rex Norhumbræ, ad quem *Beda* historiam Anglorum scripsit, cùm regnasset octo annis, anno ab Incarnatione Domini septingentesimo trigesimo octauo, videlicet tertio anno post mortem Bedæ, Monachus factus est. *Edbrichtus* verò cognatus eius, qui ei successit, anno Regni sui vigesimo primo itidem factus est Monachus. Cui in eodem Regno successerunt octo Reges, qui omnes à perfidis Prouincialibus aut proditi, aut expulsi, aut occisi sunt.

Sigibertus similiter Rex Estanglæ, qui sanctum *Furseum* de Hybernia venientem honorificè suscepit, cuius dono & auxilio, idem sanctus Monasterium fecit in castro Enobheriburc: quod demùm Anna Rex, & nobiles quinque ampliauerunt. Hic inquam *Sigibertus* Monachus factus, Regnum suum cognato suo *Ecgnico* reliquit. Post multos annos coegerunt exire contra Regem *Pendam*. Ille tamen non nisi virgam in manu habebat in prælio, vbi & occisus est cum Rege Ecgnisce & exercitu. Sebbi etiam Rex Orientalium Saxonum Monachi habitum ex deuotione consecutus, in Ecclesia sancti Pauli Londoniæ est sepultus. Isti ergo octo Reges Regna sua pro Christo sponte dimiserunt.

Et vt ad illud vnde digressus sum, redeam: ideo fortasse Monasterium sancti Albani ab exactione prædicti census quòd vocatur *Romescot*, absolutum & quietum est: quia idem Rex, scilicet *Offa*, & Monasterium prius ædificauit, & censum Romanæ Ecclesiæ concessit; cùm Offa tantummodò de Regno suo, id est, de illa parte Angliæ, quæ Merce dicitur, illum censum priùs dedisset.

Cùm autem Rex Henricus ad pascha transfretasset in Normanniam, fuit maxima inter eum discordia & Regem Francorum *Ludouicum*. Causa autem hæc erat. *Tebaldus* Consul Blesensis, nepos Regis Anglorum Henrici, contra Dominum suum Regem Francorum arma promouerat. In cuius auxilium Rex Anglorum Duces suos militiamque misit, & Regem non mediocriter afflixit.

XI. | VIII. | XVII. | M CXVII

HEnrico Anglorũ Regi grauissimus labor insurrexit. Iurauerunt namque Rex Francorũ *Ludouicus*, & Comes Flandrensis *Balduinus*, & Consul Andegauensis *Fulco*, se Normanniam Regi *Henrico* ablaturos, & *Guillelmo* filio Roberti Ducis Normanniæ eam daturos. Multi etiam procerum Regis Henrici recesserunt ab eo, quod maximo fuit ei detrimento. Qui tamen non improuidus, in auxilio suo Comitem *Tebaldum* prædictum nepotem suum, & Consulem Britannorum *Cononum* habebat. Venerunt igitur Rex Francorum, & dux Flandrensin cum exercitus in Normaniam: in qua cum vna nocte fuissent, formidantes aduentum Regis *Henrici* cum Anglis, & Normannis, & Britannis, ad sua sine bello reuersi sunt.

Hoc eodem anno pro necessitate Regia * geldris creberrimis, & exactionibus variis, Anglia compressa est. [* guertis.]

Tonitrua verò & grandines in Calend. Decemb. affuerunt, & in eodem mense cœlum rubens, ac si arderet, apparuit. Vigiliâ enim Natiuitatis Domini factus est ventus vehemens syluas eradicans, & domos conterens. Passa est etiam luna eclipsim. Terræ motus etiam maximus factus est in Longobardia, Ecclesias, turres, domos, & homines destruens.

Domnus *Pontius* Abbas Cluniacensis, cùm vellet ad vnguem corrigere excessus & in cibo, & in vestitu quorundam Monachorum, qui exteriora eiusdem Monasterij negotia tractabant insurrexerunt in eum, & crescente simultate, accusauerunt eum in præsentia *Paschalis* Papæ, de quibusdam grauissimis capitulis, licet falsis. Quibus cùm dedignaretur respondere, dicens nec de accusatione eorum se curare, nec de Abbatia: confidebat enim & in bona cõscientia, & in genere, vt pote filius Comitis Mergulensis: inuitô Papa Abbatiam relinquens, Ierosolymam perrexit. At illi durãtes in malitia sua, elegerunt in Abbatem *Hugonem*, Priorem Marciniaci. Quo defuncto infra primum annũ sui regiminis, elegerunt quendã strenuæ nobilitatis Iuuenẽ, nomine *Petrum*. Quomodo autem prædictus *Pontius* de Ierosolymis rediẽs, itẽrum Abbatiæ, cui renuntiauerat, præesse voluit, & quomodo schismate facto in eodem Monasterio multum humani sanguinis effusum est: pudet dicere. Remansit tamen Venerabili

Petro Regimen Monasterij Cluniacensis, quod adhuc disponit; transactis exinde triginta duobus annis. Pontius verò in Monasterio, quod vocatur Cauea, ad vltimum mortuus est.

Mortuus est autem etiam hoc anno vir religiosus, & magnæ literaturæ, *Iuo* Carnotensis Episcopus. Hic dum esset iuuenis audiuit Magistrum *Lanfrancum* Priorem Becci, de secularibus & diuinis litteris tractantem, in illa famosa schola quam Becci tenuit: in qua multi & nobilitate seculari, & honestate morum conuenerunt viri prædíti; & qui postea ad summum apicem Ecclesiasticæ dignitatis, & religionis attigerunt. Postea verò idem *Iuo* aliquandiu præfuit & profuit Conuentui Canonicorum sancti Quintini Beluacensis. Ad vltimum factus est Episcopus: rexit Ecclesiam Carnotensem viriliter & religiosè ferè annos viginti tres. Reliquit autem multa monimenta industriæ suæ, religionis & sapientiæ, ædificando scilicet Monasterium Cononicorum sancti Ioannis de Valle, in quo & sepultus est: & domos Episcopij faciendo; & à malis consuetudinibus & exactionibus Comitis Carnotensis, idem Episcopium liberando; & multa vtilia scribendo.

MCXVIII XII. VIIII. XVIII.

HEnrici & *Ludouici* Regum, procerúmque eorum longa debellatio, grauissimè Rgem vtrumque vexauit, donec *Balduinus* strenuissimus Frandriæ Consul, apud Ou in Normannia seditione militari funestè vulneratus, ad sua recessit.

Porrò *Robertus* Consul *de Mellent* sapientissimus in rebus secularibus omnium in Ierusalem degentium, & Regis Henrici familiaris consiliarius, luce mundana caruit. Cui successerunt filij sui, *Galeranus* in Normannia factus Comes Mellenti, & *Robertus* in Anglia factus Comes Leecestriæ.

Obiit secunda *Matildis* Anglorum Regina, Venerabilis vxor Henrici Regis, & mater Imperatricis; de cuius bonitate largiflua, & morum probitate multimoda, dicere per singula, si volumus, dies deficiet. Inter alia tamen bona multa in Anglia & Normannia Ecclesiæ, & in aliis prouinciis adhuc suis splendent beneficiis. Cuius misereatur à quo cuncta creantur.

Mortuus est etiam eodem anno *Paschalis* Papa mense Ianuarij, cui successit *Gelasius* CLXV

Obiit etiam *Alexius* Imperator Constantinopolitanus, cui successit *Ioannes*.

Mortuus est insuper *Arnulphus* Patriarcha Ierusalem, & alij quàm plures proceres in mũdo.

Obiit etiam primus Rex *Balduinus* Ierusalem, mense Aprilis. Iste fuit miles audacissimus, qui vrbes has expugnauit, & cepit; Achor, videlicet, Cæsaream, Berttum, Sydonem, Tripolim, Arsurch; & trans Arabum vsque ad mare Rubrum subdidit sibi. Qui decem & octo annis regnauit, & successit ei secundus Balduinus cognatus eius Comes Edessenus.

MCXIX. XIII. X. XIX.

REx Henricus LII. anno, ex quo Normanni Angliam obtinuerunt, Regni verò sui anno decimo nono, pugnauit contra Regem Francorum gloriosè. Præposuerat quidem Rex Francorum aciem procerum, cui præerat *Guillielmus* filius Roberti Ducis, fratris Henrici Regis. Ipse verò cum maximis viribus in sequenti erat agmine. Rex verò Henricus in prima acie proceres suos constituerat: in secunda cum propria familia eques ipse residebat: in tertia verò filios suos cum summis viribus pedites collocauerat. Igitur acies prima Francorum agmen procerum Normanniæ statim equis depulit, & dispersit. Posteà verò * aciei in qua Rex Henricus inerat, collidens, & ipsa est dispersa.

*aciem.

Acies itaque Regales offenderunt sibi inuicem, & acerrimè pugnatum est vtrinque. Dum hastæ franguntur, gladiis res agitur. Interim *Guillielmus Crispinus* miles magnanimus, *Henrici* Regis caput bis gladio percussit. Cúmque lorica impenetrabilis esset; magnitudine tamen ictuum aliquantulum capiti Regis inserta est, vt sanguis prorumperet. Rex verò animi feruore commotus, percussorem suum ita repercussit, vt cùm galea esset impenetrabilis, mole tamen ictûs equitem & equum prostrauit. Qui mox ante Regios pedes captus est. Acies verò pedestris, in qua Henrici Regis filij inerant, nondum percutiens, sed mox percussura ex aduerso surrexit. Quod Franci videntes horrore insperato liquefacti, terga dederunt.

Henricus autem Rex victoriæ perstitit in campo, donec optimates hostium capti, ante pedes eius sunt positi. Reuersus verò Rothomagum, signorum sonitibus, & Cleri, concinentibus, Deum & Dominum exercituum benedixit.

Eodem anno Papa *Gelasius* obiit, & sepultus est apud Cluniacum. Cui *Guido* Viennensis Archiepiscopus successit, vocatus *Calixtus* Papa CLXVI⁹.

Balduinus Consul Flandriæ, per vulnus, quod in Normannia receperat, decessit. Cui successit *Carolus* cognatus eius filius *Cnut* sancti Regis dacorum.

Eodem anno *Rogerius* Antiochiæ princeps, cum septem millibus de suis, iuxta Archasium oppidum trucidatus est à Turcis. Itaque Rex *Balduinus*, mortuo principe Antiocheno, Rex,

addito altero Regno, vel vt minus dicam, Princeps efficitur.

MCXX. XIV. XI. XX.

REx Anglorum *Henricus*, omnibus domitis & pacificatis in Gallia, cum gaudio rediit in Angliam. In ipso verò maris transitu, diuino Dei iudicio, licet occulto, duo filij Regis *Guillielmus*, & Ricardus, & filia Regis, & neptis, necnon multi proceres, dapiferi, Camerarij die festiuitatis sanctæ Catharinæ naufragati sunt.

Sic mare dum superans tabulata perultima serpit,
Mergit Rege satos, occidit orbis honos.

MCXXI. XV. XII. XXI.

REx Anglorum *Henricus* ad Natale Domini fuit apud Brantune, cum *Tebaldo* Comite Blesensi Nepote suo. Et post hæc apud Vvindleshores duxit *Adheliz* filiam ducis Nouaniæ, causâ prolis & pulchritudinis. Cùm autem Rex ad *Pascha* fuisset apud Bethlea, ad Pentecosten fuit diadematus cum Regina sua noua apud Londoniam. In æstate verò dum tenderet cum exercitu in Vvaliam, Vvalenses ei suppliciter obuiantes secundum magnificentiam libitûs sui, concordati sunt ei.

MCXXII XVI. XIII. XXII.

HEnricus Rex fuit ad Natale apud Norduuic. Et ad Pascha apud Northantune. Et ad Pentecosten apud Vvindleshores. Inde ad Londoniam & Chent, posteà verò perrexit in Nordhumbreland ad Dunelmiam.

Obiit *Rodulphus* Cantuariensis Archiepiscopus, & *Ioannes* Batensis Episcopus.

MCXXIII XVII. XIV. XXIII.

REx Anglorum *Henricus* fuit ad Natale apud Dunstlaple, & inde perrexit ad Berchanestede. Inde iuit Rex ad Vvdestoc, ad locum insignem, vbi cohabitationem hominum & ferarum fecerat. Ibíque *Robertus* Lincoliensis Episcopus clausit diem vltimum.

Vnde, Pontificum Robertus honor, quem fama superstes
Perpetuare dabit, non obiturus obit.
Vndecima iam mendacis somnia mundi
Liquit, & euigilans vera perennè videt.

Posteà verò ad festum Purificationis dedit Rex Archiepiscopatum Cantuariæ *Guillielmo de Curbuil*, qui fuerat apud Chicce Prior. Ad Pascha verò apud Vvincestre, dedit Episcopatum Lincoliæ *Alexandro* venerabili viro, qui nepos est *Rogerij* Salebiriensis Episcopi. Dedit etiam Rex Episcopatum Bathe *Gaudefrido* Cancellario Reginæ. At circa Pentecosten mare transiit.

Eodem anno *Hugo de Monfort* perfecerat quoddam castellũ validissimum in eodem loco, quod cùm Rex interrogaret, noluit dare monitu vxoris suæ, sororis *Galeradi* Comitis *De Mellent*; qui iam discordiâ propalatâ à Rege discesserat. Quod castrum Rex obsidens cepit. Deinde Pontaldemum obsidens, castellum Comitis cepit. Deinde Brionnium, sed non tam facilè cepit. Posuerátque Rex proceres suos cum magna militum copia, pluribus locis in Normania. Quæ guerra plurimùm patriam afflixit.

Calixtus Papa tenuit Concilium Remis; cui interfuit *Ludouicus* Rex Francorum. Posteà in eodem anno idem Papa venit in Normanniam loqui cum Henrico Rege Anglorum, & loquuti sunt insimul in castello Gisorth, Magnus Rex, & Magnus Sacerdos. Idem *Calixtus* successerat Gelasio, qui Gelasius ante Papatum dicebatur Ioannes Graditanus, & fuerat Cancellarius Papæ Paschalis, & de ore eius fluxerant multæ literæ literatæ.

Henricus Rex circa turrem Rothomagi, quam ædificauit primus Ricardus Dux Normanorum, in palatium sibi, murum altum & latum cum propugnaculis ædificat, & ædificia ad mansionem Regiam congrua infra eundem murum præparat. Ipsi verò turri propugnacula, quæ deerant, addit. In qua turre fenestra est, quæ vocatur *Conani-Saltus*, quia ex ea idem *Henricus* fecerat præcipitari quendam traditorem Rothomagensis vrbis prædiuitem, nomine Conanum, qui ipsam vrbem nolebat tradere hominibus *Guillielmi* Regis Anglorum; sed peruenitus à fidelibus Roberti Ducis, & maximè ab Henrico fratre ipsius, qui tunc partes Ducis iuuabat, vnde & ipsum digna morte mulctauit. Turrem nihilominus excelsam fecit in castello Cadomensi, & murum ipsius castelli, quem pater suus fecerat, in altum creuit. Murum verò circa Burgum, ita vt à Guillielmo Rege patre suo factus fuerat, intactum reliquit. Item castellum quod vocatur Archas, turre & mœnibus mirabiliter firmauit. Sic etiam fecit castellum Gisorth, Falesiam, Argentomagum, Oximum, Danfrontem, Abreas, castellum de vira, Vvaurei; turrem Vernonis similiter fecit.

Vigiliâ sancti Martini tonitruus magnus factus est, & grando miræ magnitudinis,

Balduinus Rex Ierosolimitanus captus est à Balac quodam Admirato, qui etiam anno prætero ceperat *Goscelinum de Tornaissel*, Comitem Edessenum, & Galerannum cognatum eius.

XVIII. XV. XXIV.

MCXXIV REx Anglorum *Henricus* fortunatè glorificatus est. *Guillielmus* namque *de Tancaruilla* Camerarius eius, cum aliis pluribus Baronibus, aciebus statutis confligens, cepit Comitem *Mellenti* septimo Calendas Aprilis. *Galerannum* tunc satis iuuenem, militem tamen armis fortem, & *Hugonem de Monfort* sororium eius, & *Hugonem* filium Geruasij, & alios multos magnæ probitatis, & magni nominis viros, in valle videlicet iuxta Bortorod. in itinere munitionis castelli de Vvareuille. Rex *Henricus* tunc erat apud Cadomum, quod audiens credere non potuit donec oculis suis vidit. Traditi igitur Regi, positi sunt in carcerem, & sic magna illa patriæ dissensio finem accepit, & destructio.

Tyrus capitur, quam moderni vocant Sagittam. Sydon verò contermina eius ab incolis modo Sur vocatur, & est Metropolis. Captâ Tyro, discordia facta est propter eam inter Patriarchas Ierosolimitanum & Antiochenum: dicebat enim Antiochenus tempore antiquo Tyrum fuisse Ecclesiæ suæ subiectam; Ierosolimitanus verò nitebatur priuilegiis Romannorum Pontificum. Si dignitates & priuilegia horum Patriarcharum Ierusalem, & Antiochiæ, & huius litis terminationem audire, vel legere cupis, require in primo anno, vel circa post quam Ierusalem capta est à Christianis.

Antiochia ciuitas est pulcherrima, & munitissima, copiosiorum redditũum opulentissima. Sunt infra ipsam quatuor montaneæ satis altæ, in quarum vna sublimiori, scilicet castellum est quod omni ciuitati prominet: deorsum enim ciuitas est decenter ædificata, & duplici muro circumambita. Murus interior amplus, & in aëra porrectus est, & magnis & quadris lapidibus compactus & compaginatus. In qua muri compagine turres sunt quinquaginta quadringentæ, formosis venustate mœniis, & defensæ propugnaculis. Murus exterior non tantæ celsitudinis, sed tamen admirandæ venustatis. Continet in se trecentas & quadraginta Ecclesias. Pro suo magno Primatu Patriarcham habet, cuius Patriarchatui subijciuntur centum quinquaginta & tres Episcopi. Ab Oriente quatuor clauditur montaneis. Ab Occidente verò ciuitatis muros præterfluit fluuius, cui nomen Pharphar. Octoginta enim & quinque Reges eam constituendo sublimauerunt & nobilitauerunt, quorum maximus & primus emersit *Antiochus*, de cuius nomine Antiochia nuncupata est.

Obiit Domnus Vvillielmus piæ memoriæ, tertius Abbas Beccensis Ecclesiæ, vir gloriosus, & honestæ vitæ, qui vigesimo quinto ætatis suæ anno prædicti loci monachus effectus est, quindecímque annis in Monachatu priuatè peractis, in regimen eiusdem Abbatiæ venerabili Anselmo successit. Quam cum triginta annis & dimidio, sex diebus minus, strenuè gubernasset, septuagesimo ætatis suæ circiter anno, monachatûs verò ferè quadragesimo sexto, migrauit à seculo, decimo sexto Calendas Maij.

Huic successit pius *Boso*, in nouo & veteri Testamento apprimè eruditus, vir scientiæ admirabilis, & doctrinæ incomparabilis. Tantam insuper gratiam ei virtus diuina contulerat, vt nullus tam tristis, & egens consilio, ad ipsum accederet, quin extemplò lætus, & consiliatus ab ipso recederet. Hic dilectus à Deo, & hominibus amabilis, Regi Anglorum *Henrico* multùm erat familiaris; quia veram religionem, & admirandam sanctitatem, & consilium incomparabile, in ipso repererat. Qui licet penè continua premeretur ægritudine, tamen ipse per Dominum, imò vt credimus Deus pro ipso, omnia necessaria Conuentui suo, & superuenientibus, vt opus erat, affluenter tribuebat.

MCXXV. Eodem anno obiit *Teulfus* Vvigorniensis Episcopus, & *Ernulfus* Roueceстriæ Episcopus.

XIX. XVI. XXV.

REx Anglorum *Henricus* fuit in Normania, & ibi dedit Episcopatum Vvigorniæ *Simoni* Clerico Reginæ. *Sifrido* quoque Abbati Glastingebiri dedit Episcopatum Cicestriæ. Porrò *Guillielmus* Cantuariæ Archiepiscopus dedit Episcopatum Rouecestriæ *Ioanni* Archidiacono suo.

Ad Pascha etiam *Ioannes Cremensis*, Cardinalis Romanus, descendit in Angliam: perendinánsque per Episcopatus, & Abbatias, non sine magnis muneribus, ad Natiuitatem sanctæ *Mariæ* celebrauit Concilium solemne apud Londoniam.

Obiit *Henricus* Imperator, qui duxerat Matildem filiam Henrici Regis Anglorum.

Operæ pretium est audire, quàm seuerus Rex Anglorum *Henricus* fuerit in prauos; monetarios enim ferè omnes totius Angliæ fecit ementulari, & manus dexteras fabricantes nequitiam abscidi, quia monetam furtiuè corruperant. Iste est in Anglia annus carissimus omnium, in quo vendebatur onus equi frumentarium sex solidis.

Mortuo

Henrico Imperatori successit *Lotharius*.

Mortuo Alexandro Rege Scotorum, successit ei *Dauid* frater eius, vir magnæ sanctitatis & Religiosus; qui filiam *Galleui* Comitis, & Iudith consobrinæ Regis, vxorem duxit; binósque Comitatus Nordhentone, & Huntendone, quos *Simon* Siluanectensis Comes, cum præfata muliere possederat, habuit. Illa peperit ei filium nomine *Henricum*, duásque filias *Clariciam*, & *Hodiernam*.

LOTHARIVS.

MCXXVI | I. | XVII. | XXVI.

REx Anglorum *Henricus* ad Natale, & Pascha, & Pentecosten moratus est in Normania, & confirmatis pactis cum Franciæ principibus, qualia Regem gloriosissimum decebat, circa festum sancti Michaelis rediit in Angliam. Adduxit siquidem secum filiam suam *Matildem* Imperatricem, tanto viro, vt prædictum est, viduatam. Quam cùm vellent in patria illa animo libenti retinere Dominam noluit.

Decessit *Robertus* Episcopus Cestrensis.

Obiit *Calixtus* Papa; cui successit *Odo* Hostiensis Episcopus, & vocatus est *Honorius* Papa CLXVII.

MCXXVII. | II. | XVIII. | XXVII.

REx Anglorum *Henricus* curiam suam tenuit ad Natale apud Vvinleshores, pergens inde Londoniam. In Quadragesima, & Pascha fuit apud Vvdestoc, vbi nuncius dixit ei: Carolus *Comes Flandrensis, tibi dilectissimus, nefanda proditione occisus est à proceribus suis in templo apud Bruge. Rex autem Francorum dedit Flandriam* Guillielmo *nepoti tuo & hosti*. Qui iam valde roboratus, *diuersis cruciatibus omnes proditores Caroli mulctauit*. Super his igitur Rex angariatus, consilium tenuit ad Rogationes apud Londoniam. Et *Guillielmus* Archiepiscopus Cantuariæ similiter in eadem villa apud Vvestmonster.

Cùm autem ad Pentecosten fuisset apud Vvincestre, misit filiam suam Imperatricem in Normaniam desponsatam *Gaufrido*, filio Fulconis Comitis Andegauensis, & post Regis Ierusalem; mulierem videlicet pollentem moribus, benignam omnibus, largam eleemosynis, amicam Religionis, honestæ vitæ: dilectricem Ecclesiæ, cuius abundantiâ beneficiorum maximè Ecclesia Beccensis non modicè splendet. De qua etiam idem *Gaufridus* tres filios genuit, *Henricum*, *Gaufridum*, & *Guillielmum*.

In Augusto venit Rex post filiam suam in Normaniam. *Ricardus* verò Londoniensis Episcopus obierat. Cuius Episcopatum dedit G*illeberto vniuersali*, viro doctissimo. Decessit etiam Ricardus Herefordensis Episcopus.

MCXXVIII. | III. | XIX. | XXVIII.

HEnricus Rex sapientissimus moratus in Normania, perrexit hostiliter in Franciam; quia Rex Francorum tuebatur nepotem suum & hostem. Perendinans igitur apud Hesparlum VIII. diebus tam securè, ac si in regno suo esset, compulit Regem *Ludouicum* auxilia Comiti Flandrensi non ferre. His igitur peractis, reuersus est Rex *Henricus* in Normaniam.

Aduenit autem à partibus Alemanniæ quidam dux *Theodoricus* Flandriam calumnians, quosdam proceres Flandriæ secum habens, & hoc suasu Regis Henrici. G*uillielmus* autem Comes Flandrensis aciebus ordinatis obuiam venit ei. Pugnatum est igitur acriter: Guillielmus quidem Consul numerum suorum, cum pauci essent, solus supplebat probitate inæstimabili. Cruentatus igitur sanguine hostili, hostium cuneos ense fulmineo findebat. Iuuenilis tunc brachij robore hostes sunt territi, & fugæ dediti. Victoriosus igitur Consul dum hostile Castrum obsideret, & in crastino reddi deberet, Deo volente, paruo vulnere sauciatus in manu deperiit. Nobilissimus autem iuuenum ætate breui famam promeruit æternam Vnde;

Vnicus ille ruit, cuius non terga sagittam,
Cuius nosse pedes non potuere fugam.
Nil nisi fulmen erat, quotiens res ipsa monebat.
Et si non fulmen fulminis instar erat.

H*ugo de Paens* Magister militum templi Ierusalem veniens in Angliam, secum multos duxit Ierusalem. Inter quos *Fulco* Andegauensis Comes Rex futurus perrexit.

Obierunt *Randulphus Flambard* Dunelmensis Episcopus, & G*uillielmus* G*iffardus* Vvintoniensis Episcopus.

Obiit G*aufridus* Rothomagensis Archiepiscopus, mense Decembris.

Successit G*uillielmo* Comiti Flandrensi *Terricus de Auseis*.

Iacobus Clericus de Venecia transtulit de Græco in Latinum quosdam libros Aristotelis, & commentatus est; scilicet, Topica, Anal. Priores & Posteriores, & Elenchos. Quamuis antiquior translatio super eosdem libros haberetur.

MCXXIX. IV. XIX. XXIX.

REx Anglorum Henricus in omni penè bono fortunatus, pacificatis omnibus, quæ in Francia, Flandria, Normania, Britannia, Cenomannia, Andegauia erant, cum gaudio rediit in Angliam. Tenuit igitur Concilium maximum Calend. Augusti apud Londoniam de vxoribus Sacerdotum prohibendis. Intererant siquidem huic Concilio, *Guillielmus* Cantuariensis Archiepiscopus, *Tustenus* Eboracensis Archiepiscopus, *Alexander* Lincoliensis Episcopus, *Rogerius* Salesberiensis, *Gislebertus* Londoniensis, *Ioannes* Rourecensis, *Siffridus* Sudsexensis, *Godefridus* Badensis, *Simon* Vigornensis, *Eurardus* Nouicensis, *Bernardus* S. Dauidis, *Herueus* primus Heliensis, nam Vintoniensis, & Dunelmensis, & Cestrensis, & Herefordensis obierant.

Illis quos *Hugo de Paiens*, de quo prędictum est, secum duxerat ad Ierusalem, malè contigit: Dominum siquidem offenderant sanctæ Telluris incolę variis sceleribus. Vt autem scriptum est in Moyse, & Regum libris, non diu scelera locis illis sunt impunita. In Vigilia sancti Nicolai à paucis Paganorum multi Christiani deuicti sunt; cùm antea soleret è contrario contingere. In obsidione igitur Damascena, cùm magna pars Christianorum progressa esset ad victualia perquirenda, mirati sunt Pagani, Christianos plures & fortissimos se muliebriter fugientes, & persequentes, innumeros occiderunt. Eos autem qui fuga salutem sibi quęsierant, in montibus, tempestate niuis & frigoris Deus ipsâ nocte persecutus est, ita quòd vix aliquis euasit.

Ludouicus Rex Francorum eodem anno fecit sublimari filium *Philippum* in Regem.

Dicam quod forsitan placeat Lectori de successionibus Apuliæ. Primus in Apulia præfuit Normanis, dum adhuc vt aduenæ *Vvimachi* Ducis Salerni stipendiarij essent, *Tustinus* cognomento *Scistellus*. Quo mortuo per venenum serpentis, quem ipse occiderat, successit ei in principatum *Rannulphus*, qui condidit Auersam vrbem. Huic successit *Ricardus* filius eius Princeps Capuæ, qui filio suo *Iordani* reliquit moriens eundem principatum: Et Iordanis filio suo *Ricardo* iuniori. Post aliquantum temporis Constantiniensis *Drogo* filius *Tancredi de Alta villa*, princeps Normanorum in Apulia factus est. Hunc *Vrazo* Comes Neapolis per traditionem in Ecclesia sancti Laurentij occidit. Huic successit *Hunfredus* frater eius, totámque Apuliam Normanis subegit. Hic moriens Abailardum filium suum Roberto fratri suo, quem, pro versutiis, Vviscardum cognominauerat, cum Ducatu Apuliæ commendauit.

R*obertus* fratres suos qui omnes Duces vel Comites fuerunt, virtute, & sensu, ac sublimitate transcendit. Nam totam Apuliam, Calabriam, Siciliam sibi subjugauit; & transmeato mari maximam partem Græciæ, Affricæ inuasit. Hic multa bona fecit, Episcopatus, & Abbatias plures restaurauit. Hic relicta priore vxore Normanigena propter consanguinitatem, de qua susceperat filium, *Boamundum* nomine, duxit primogenitam filiam G*aumarij* Principis Salerniæ, fauente G*istilfo* fratre puellæ prædictæ. Minor verò soror eius nupsit *Iordani* principi Capuæ. Roberto morienti successit in Ducatum Apuliæ R*ogerius* filius eius, natus ex secunda vxore, ex qua genuerat tres filios, & quinque filias. Hoc etiam Rogerio deficiente, & filiis suis, post ipsum Rogerius Patruelis ipsius filius Rogerij Comitis Siciliæ, fratris Roberti Vviserec, solus tam Apuliam, quàm Siciliam obtinuit.

Hic factus est Rex anno ab Incarnatione Domini M. C. XXX. causâ altercationis duorum Apostolicorum, qui tunc Romæ electi erant. Quorum *Anacletus*, qui Romæ erat, concessit ei, vt regio diademate decoraretur.

Audiat qui mira audire desiderat: venit in Normanniam de longinquis finibus auium innumerabilis multitudo, quæ gregatim volantes, & insuper longissima aëris spatia tenentes, ad inuicem inter se pugnabant horribiliter, portendentes forsitam innumera mala post mortem Regis Henrici ventura.

MCXXX V. XX. XXX.

HOnorius papa decessit. Cui successit G*regorius* Cardinalis Presbyter Romanæ Ecclesiæ, vocatus *Innocentius* papa CLVIII. Electus est etiam cum eo imò intrusus per seditionem populi furentis, & per violentiam parentelæ suę, alius Cardinalis, videlicet *Petrus Leonis*, vocatus à populo *Anacletus*, & vixerunt ambo ferè VIII. annis. Remansit autem *Anacletus* in vrbe propter fratres suos, qui erant potentes viri, & habebant principatum castelli Crescentionis. *Innocentius* verò ad Cismontaneos transiit. Vnde dictus est ille *monosticon*.

R*omam Petrus habet, totum Gregorius Orbem.*

Rex Anglorum *Henricus* fuit ad Natale apud Vvireceastre, ad Pascha apud Vvdestoce. Ibi fuit accusatus *Gaufridus de Clintone*, & infamatus de proditione Regis falsò. Ad Rogationes fuit apud Cantuariam ad dedicationem nouæ Ecclesiæ. Mense Septembris

transiit in Normanniam, & ad Natiuitatem sanctæ MARIÆ fuit Becci, & adduxit secum *Hugonem* nouiter electum Rothomagi Archiepiscopum, qui fuerat Abbas Radingensis. Qui etiam sacratus est in festo sanctæ Crucis die Dominica Archiepiscopus Rothomagensis quinquagesimus, quem consecrauit *Ricardus* Baiocensis Episcopus, cum Coepiscopis suis, in Ecclesia sancti Audoeni.

Occiso *Aragois* Comite Morafiæ, Rex Scotiæ *Dauid* ex tunc habuit illum Comitatum.

* Ex Cod. MS. Gemeticensi.

* *Eodem anno* Arageis *Comes Morafiæ, cum* Melcoimo, *notho filio* Alexandri *fratris Regis* Dauid, *qui ante eum regnauerat, & cum quinque millibus armatorum Scotiam intrauit; totam regionem sibi subijcere voluit.* Dauid *Rex tunc Curiæ Regis Anglorum intererat: Sed* Oduuardus *consobrinus eius, & princeps militiæ, cum exercitu illi obuiauit. Et* Arageis *Consulem occidit, eiúsque turmas prostrauit, cepit, atque fugauit. Deinde Morafiam defensore dominóque vacantem ingressus est, totúsque regionis spatiosæ Ducatus, Deo auxiliante, per* Eduuardum *ex-tunc* Dauid *religioso subditus est.*

Gratianus Episcopus Clusinus coadunauit Decreta valde vtilia, ex Decretis, Canonibus Doctoribus, Legibus Romanis sufficientia ad omnes Ecclesiasticas causas decidendas, quæ frequentantur in Curia Romana, & in aliis Curiis Ecclesiasticis. Hæc post modum abbreuiauit Magister *Omnebonum* Episcopus Veronensis, qui fuerat eius discipulus.

Occiso *Boamundo* Principe Antiochiæ, *Raimundus* frater Guillielmi Comitis Pictauensis duxit eius vxorem, & factus est Princeps Antiochiæ.

MCXXXI. VI. XXI. XXXI.

REx Anglorum H*enricus* apud Carnotum post Natale recepit Papam *Innocentium Anacleto* subijci recusans. Post Pascha venit idem Papa Rothomagum, & receptus est à Rege Henrico honorificè. Et eius auxilio receptus est per totas Gallias. Pòst in æstate Rex H*enricus* rediit in Angliam secum filiam suam adducens: fuit igitur in Natiuitate sanctæ MARIÆ magnum placitum apud Nordhantune. In quo congregatis omnibus Principibus Angliæ, deliberatum est, quòd filia sua redderetur viro suo Consuli Andegauensi eam requirenti. Missa autem post hæc filia Regis viro suo, recepta est fastu tanta viragine digno.

In principio hyemis obiit H*enricus* primus Heliensis Episcopus.

Eodem anno mense Octobris contigit etiam, quòd filius Regis Francorum *Philippus* iam Rex factus, dum cornipedem ludens agitaret, obuium suem habuit, cui cum pedes equi currentis offenderent occidit Rex nouus & fractis ceruicibus expirauit. Ecce res insolita & admiratione digna! ecce quanta celsitudo, quàm leuiter, & quàm citò adnihilata est!

Eodem mense *Innocentius* Papa sacrauit fratrem eius *Ludouicum* Remis in Regem, satis paruæ ætatis infantem, cùm idem Papa ibi teneret Concilium in festo sanctorum Crispini & Crispiniani, die Dominica. Qui Deum diligens & Ecclesiam plurimùm vixit honestè.

MCXXXII. VII. XXII. XXXII.

REx *Henricus* fuit ad Natale apud Dunestaple. Ad Pascha apud Vvdestoc. Post Pascha fuit magnum placitum apud Londoniam: vbi de pluribus, sed maximè de discordia Episcopi sancti Dauid, & Episcopi Clamorgensis, de finibus parochiarum suarum tractatum est.

Obiit *Balduinus* Rex Ierusalem tertius; & successit *Fulco* Comes Andegauensis, qui duxerat filiam prædicti Balduini, ex qua genuit duos filios, *Balduinum*, & *Amauricum*.

Quidam Scholaris Clericus dolore graui anxius, die ac nocte eiulans, & flens vt mulier parturiens, quadam nocte præ dolore, nec vigilans, nec dormiens, vidit assistere sibi Virginem Matrem Domini, quæ, quia inuocauerat, præsens sibi affuerat, albis induta vestibus, quæ congruunt virginibus. Manum igitur porrigens, quò plus erat dolor ingens, sanum reddit penitùs, qui semper erat anxius.

MCXXXIII. VIII. XXIII. XXXIII.

REx Anglorum *Henricus* fuit ad Natale apud Vvindeshores infirmus. Ad caput ieiunij fuit Conuentus apud Londoniam, super Episcopos sancti Dauid, & Clamorgensis; & præ discordia Archiepiscopi, & Lincoliensis Episcopi. Ad Pascha fuit Rex apud Oxinefond. in noua aula. Ad Rogationes fuit iterum Conuentus apud Vvincestre super rebus prædictis. Post Pentecosten dedit Rex Episcopatum Eliensem *Iugello*, & Episcopatum Dunelme *Gaufrido* Cancellario. Paulò ante dederat Vvitoniensem *Henrico* Abbati Glastoniæ nepoti suo, qui tamen Abbatiam cum Episcopatu tenuit vsque ad mortem suam. Hereforden-

ſem vero Epiſcopatum *Roberto de Bertona* Flandrenſi viro religioſo. Ceſtrenſem verò *Rogerio*, Archidiacono Lincolienſi, nepoti *Gaufridi de Clintona*; deceſſor eius fuerat *Robertus* cognomento *Pecerem*. Prædeceſſor verò Roberti *Normannus de Limeſia*. Hic ſecularibus intentus magis quàm diuinis, à Rege Henrico Conuentrenſe Cœnobium obtinuit, ibíque capitalem Cathedram Merciorum conſtituit. Habet itaque ille Epiſcopatus vſque hodie tres ſedes, Licifeldenſem, Ceſtrenſem, Conuentrenſem.

Anno ſiquidem ab Incarnatione Domini M. LXXV. regnante Guillielmo Rege Anglorum, anno regni eius IX. congregatum eſt Londoniæ Concilium, præſidente *Lanfranco* Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Britanniæ inſulæ primate, conſidentibus ſecum viris Venerabilibus *Thoma* Eboracenſi Archiepiſcopo, & cæteris Epiſcopis ipſius inſulæ, & Abbatibus, nec-non & multis religioſi Ordinis perſonis; in quo multa vtilia tam Clericis, quàm Laicis inſtituta fuerunt. conceſſum eſt etiam inibi munificentia Regali, & Synodali auctoritate, tribus Epiſcopis de villis ad ciuitates ſedes ſuas transferre; ſcilicet H*ermanno* de Syreburna ad Syriberiam; *Stigando* de Senlenge ad Ciceſtrum. *Petro* de Licefelle ad Ceſtrum. De quibuſdam autem, qui in villis, ſeu vicis adhuc degebant, dilatum eſt vſque ad Regis audientiam. Videlicet *Remigio* Dorchacenſi, *Giſoni* Hermeacenſi, H*elfato* Vvellenſi: quorum Prior ad Lincoliam, ſecundus ad Batam, tertius ad Telfort, munificentiâ Regis, & ſuggeſtione Lanfranci poſtea tranſlati ſunt.

H*erfato*, qui fuerat Capellanus Guillielmi Regis, ſucceſſit apud Telfort *Guillielmus de Belfou*, vir genere nobilis, & Cancellarius eiuſdem Regis; quo in breui defuncto, ſucceſſit ei dono *Guillielmi* iunioris *Humbertus*, vir magnanimus, & admodum literatus; hic Monachus & Prior fuit Fiſcannenſis; & poſt patrem ſuum Abbas Rameſienſis, ad vltimum verò Epiſcopus Tedfordenſis. Hic emit multâ pecuniâ magnam partem villæ Noruicenſis, & euulſis domibus, & loco complanato in maximum ſpatium, in optimo loco ſuper Gerne fluuium, perpulchram Eccleſiam in veneratione ſummæ Trinitatis ad memoriam illius, cuius Monachus extiterat, ædificauit; additis etiam officinis pergrandibus ad opus Monachorum neceſſariis, quos & ibi poſuit ad ſeruiendum Deo in illa Eccleſia, quam conſtituit Matricem & Principalem ſedem Nortfulcani Epiſcopatus.

Fecit etiam Rex *Henricus* nouum Epiſcopatum apud Carliul, in finibus Angliæ & Scotiæ; & poſuit ibi Epiſcopum primum *Adanulfum* Priorem Canonicorum Regularium ſancti Oſwaldi, cui ſolitus erat confiteri peccata ſua. Hic autem factus Epiſcopus Canonicos regulares poſuit in Eccleſia ſedis ſuæ.

Paſſus eſt ſol eclipſim IV. Non. Aug.

Eodem die Rex *Henricus* transfretauit in Normanniam, non rediturus. Multis hoc, propter ſignum quod acciderat, muſſitantibus.

Hoc etiam tempore vena argentaria reperta fuerat apud Carliul; vnde inueſtigatores, qui etiam in viſceribus terræ quærebant, quingentas libras Regi *Henrico* perſoluebant annuatim. Menſe Martij natus eſt Cenomanis *Henricus* primogenitus filius *Gaufridi* Comitis, & *Matildis* Imperatricis.

MCXXXIV. | IX. | XXIV. | XXXIV.

NAtus eſt *Gaufridus* II. filius Gaufridi Comitis Andegauenſis menſe Maio in Pentecoſte Rothomagi. Et infirmata eſt mater eius Matildis Imperatrix, propter difficultatem partus, vſque ad deſperationem. Vbi prudentia eius euidentibus inditiis manifeſtata eſt. Nam theſauros ſuos orphanis, viduis, & reliquis pauperibus & maximè Eccleſiis, & Monaſteriis, manu ſicut larga, ita deuota diſtribuit. Monaſterium verò Beccenſe abundatiori benedictione in auro, & argento, & lapidibus pretioſis, & multiplici ornatu Eccleſiæ, quam reliqua Monaſteria cumulauit. Popoſcit etiam patrem ſuum, vt ibidem ſepeliretur; quòd cum ille priùs renueret, dicens dignius eſſe, vt Rothomagi ſepulta conderetur, vbi & anteceſſores eius, Rollonem & Guillielmum filium eius dico, requieſceret. Dixit animam ſuam nunquam eſſe lætam, niſi compos voti in hac parte duntaxat fieret. Conceſſit pater quod petebat: ſed Domino volente, ſanitati reſtituta eſt.

Hoc anno toto Rex *Henricus* moratus eſt in Normania, pro gaudio nepotum ſuorum Henrici & Gaufridi.

Eodem anno Rex Henricus donauit Epiſcopatum Baiocenſem *Ricardo* filio Roberti Comitis Gloeceſtriæ: Epiſcopatum verò Abrincenſem *Ricardo de Belfou*.

Obiit Robertus Dux Normanorum, filius Guillielmi Regis, qui Angliam ſibi ſubdidit, primogenitus, & ſepultus eſt apud Gloeceſtriæ.

LVna passa est eclipsim IV. Non. Ianuarij. Ventus vehemens factus est horribilis, & mentes hominum valde deterrens, turres & domos deijciens, & syluas eradicans. In vigilia Apostolorum Simonis & Iudæ, mortem magni Principis Henrici, & totius patriæ excidium forsitan portendens.

Hoc etiam toto anno Rex *Henricus* continuè moratus est in Normannia: & sæpe non rediturus in Angliam redire proponebat; sed detinebat eum filia eius discordiis variis, quæ oriebantur pluribus causis inter Regem & Consulem Andegauensem, artibus scilicet filiæ suæ. Quibus stimulationibus Rex in iram, & animi rancorem excitatus est; quæ à nonnullis causa naturalis reffrigidationis, & postea mortis eius causa fuisse dictæ sunt. Cùm igitur de venatu Rex idem redisset apud Sanctum Dionysium in sylua leonum, comedit carnes murænarum, quæ semper ei nocebant, & semper eas amabat: cùm autem medicus hoc comedi prohiberet, non acquieuit Rex salubri consilio, secundum quod dicitur: *Nitimur in vetitum, sempérque cupimus negata.* Hæc igitur comestio pessimi humoris illatrix, & consimilium vehemens excitatrix, senile corpus letaliter refrigidans, subitam & summam fecit perturbationem. Contra quod natura renitens, excitauit febrem acutam, ad impetum dissoluendum materiei grauissimæ. Cùm autem restare nulla vi posset, decessit Rex magnus cùm regnasset XXXV. annis, & IV. mensibus, in prima die Decembris.

EPITAPHIVM.

QVòd modicum præstent, quòd opes magnum nihil extent,
Rex probat Henricus; Rex viuens, pacis amicus
Extiterat, siquis præ cunctis ditior, idem,
Occiduæ genti quos prætulit ordo regendi.
Quippe Pater populi, Rex, & Tutela pusilli,
Dum pius ipse ruit, furit impius, opprimit, vrit,
Anglia lugeat, hinc Normannica gens fleat.
Occidis Henrice*, tunc pax, nunc luctus vtrique:*
Quo dum dura febris, primâ sub nocte Decembris,
Mundum nudauit; mundo multa multiplicauit
Sensu, diuitiis, aditu, feritate decenti,
Mirè, plus dictu, vim perpessis, scelerosis,
Excellens, locuples, haud difficilis, reuerendus,
Hic *iacet* Henricus *Rex, quondam pax, decus Orbis.*

Nomina castellorum quæ in Normannia ex integro fecit Rex H*enricus* in margine ipsius prouinciæ, hæc sunt: *Brincurtis*, *Nouum castrum* super Eptam: *Vernolium*, *Nonnanticurtis*, *Bonmol. Colmiæ-mons*, *Pons-vrsonis*, *Castrum* Sancti Dionysij in Leons, *vallem Rodulij*, *Turrem Ebroicarum*, *Turrem Alenconij*, *Turrem* Constantiarum, *Turrem* sancti Ioannis iuxta Montem sancti Michaëlis; & alias plures, quas supra commemorauimus. Fecit enim in Anglia & in Normannia Monasteria plurima, scilicet Monasterium Rading. Monasterium Canonicorum Regularium apud Cirecestre. Monasterium de Prato apud Rothomagum. Monasterium de Mortuo-mari. Fecit etiam alia multa pietatis opera, quæ in libro de vita eius pleniùs enumerauimus.

Vitam Henrici edidit Au-ctor.

Defuncto Rege H*enrico* apud sanctum Dionysium in leonum Sylua IV. Non. Decembris, allatum est corpus eius in ciuitatem Rothomagum ab Archiepiscopo, & Episcopis, & Comitibus, Baronibus, qui multi conuenerant, & in Ecclesia sanctæ MARIÆ apertum, & cor, & lingua, & viscera eius in Monasterio Prati ante altare tumulatæ sunt. Corpus verò reliquum sale multo aspersum coriis est inuolutum, & translatum Cadomum. Et iuxta tumulum patris sui in Monasterio sancti Stephani positum, vsquequo ventum ad transfretandum conuenientem Exequutores exequiarum eius haberent.

Infra ergo XII. dies Natalis Domini sepultum est in Monasterio sanctæ MARIÆ Rading, quod à fundamentis ipse ædificauerat, & ornamentis, & possessionibus ditauerat. Interfuit exequiis eius *Stephanus* iam Rex nepos eius, & Archiepiscopus Cantuariensis *Guillielmus*, & alij proceres regni. Siquidem prędictus Stephanus cùm esset in Comitatu suo Boloniæ, audita morte auunculi sui, transfretauit citissimè in Angliam; vir magnæ strenuitatis & audacię. Et quamvis promisisset Sacramentum fidelitatis Anglici regni filię Regis Henrici, fretus tamen vigore & prudentia, regni diadema audaciâ suâ inuasit. *Guillielmus* Cantuariensis Archiepiscopus, qui primus Sacramentum filię Regis fecerat, eum in Regem benedixit, & post annum non vixit. *Rogerius* Magnus Salesberensis Episcopus, qui secundus hoc idem fecerat, & om-

nibus aliis prædicauerat, diadema ei & vires auxilij sui tribuit. Vnde postea, iusto Dei iudicio, ab eodem, quem creauit in Regem, captus & excruciatus, miserandum sortitus est exterminium. Sed quid morer? Omnes qui Sacramentum inierant tam Presules, quàm Consules ad quid inde venerint perspicuum est.

Audita morte Regis *Henrici*, Comes Andegauensis, & vxor eius Matildis, filia eiusdē Regis, absque vlla difficultate castella Normanniç obtinuerunt: videlicet Danfrontem, Argent. Oximum, Ambreras, Gorram, Coliniæ montem. Ista tria vltimò nominata, interim Comes concessit *Gibello de Meduana*, hac conditione, vt ipse eum fideliter adiuuaret in acquirendo hæreditatem vxoris suæ, & filiorum suorum. Dicebat enim idem Gibellus illa oppida esse in terra sua. Redditæ sunt etiam prædicto Comiti omnes firmitates *Guillielmi Talouat* Comitis Pontiui, quas habebat in Normannia, quas Rex *Henricus* habebat in manu sua ante mortem suam, & à quibus exulauerat eundem Guillielmum. Et ideo aliquanta discordia fuerat inter Regem, & Comitem, & Imperatricem ante ipsius Regis mortem, quia nolebat reddere Guillielmo Cassamentum suum. Erat & alia causa ipsius discordiç maior, quia Rex nolebat securitatem facere filiç suç, & marito eius idem requirenti, de omnibus firmitatibus Normanniæ & Angliæ. Hoc enim requirebant propter filios suos, qui erant legitimi hçredes Regis Henrici. Comes verò Gaufridus benignè reddidit easdem firmitates prçdicto Guillielmo, mortuo Rege, vt prçdictum est.

Optimates Normanniæ confestim miserunt propter Comitem *Tebaldum*, vt veniens reciperet Normanniam. Venit itaque Rothomagum, & postea Lexouias in Sabatho Ieiunij decimi mensis. In crastino dum colloqueretur ipse & Comes Gloecestriæ Robertus, venit nuncius de Anglia, dicens Stephanum fratrem suum iam esse Regem. His auditis Comes Gloecestriæ reddidit castrum Falesiæ quod habebat, asportatâ priùs magnâ parte thesauri Regis Henrici, quod nuper allatum fuerat de Anglia.

			STEPHANVS.
MCXXXVI.	XI.	XXVI.	I.

STephanus Rex duxit magnum exercitum in Scotiam, & Rex *Dauid* pacificatus est cum eo: hominium tamen non fecit ei, quia primus Laicorum Sacramentum fecerat Imperatrici: sed *Henricus* filius ipsius Dauid hominium fecit Regi Stephano. Ad Rogationes cùm esset diuulgatum Regem esse mortuum, cœpit *Hugo Bigog* castellum Noruuit, quod tamen reddidit Regi. Item Rex cepit castellum Bachentum, quia *Robertus* dominus eius à Rege discesserat. Inde obsedit Excecestre, quam tenebat *Balduinus de Reuers*. Reddito castello abstulit Rex Vectam insulam eidem Balduino, & exulauit eum ab Anglia.

Mense Augusto apud Argentomagum natus est *Guillielmus* III. filius Comitis Gaufridi.

Vigilia Epiphaniæ factus est ventus maximus.

Obiit Guillielmus Cantuariensis Archiepiscopus. Et cessauit Archiepiscopatus Cantuariensis per aliquantum tempus. Interim mala multa multiplicata sunt, non solùm in Anglia, sed etiam in Normannia, & multis aliis locis.

Obiit piæ memoriæ domnus *Boso* quartus Abbas Beccensis Monasterij, vir magnæ auctoritatis, Orbi clarus, sapientiâ, prudentiâ, præcipuéque spiritu consilij pollens. Hic anno ætatis suæ circiter XXIII. factus est Monachus Becci sub sancto Anselmo eius loci Abbate. Annis XXVI. Monachus sine Prælatione fuit. Deinde Prior sub Domno Guillielmo Abbate prædicti Anselmi successore, IX. annis. Post quem electione totius congregationis Abbas constitutus. Rexit eandem Abbatiam annis XII. diebus XII. Transiit autem nocte Natiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, hoc est VIII. Calend. Iulij, anno ætatis suæ LXXI. Monachatus verò XLVII. Paucísque interpositis diebus electus est Abbas domnus Thebaldus vir nobilis & probus, qui tunc erat Prior.

EPITAPHIVM.

LVctâ finitâ cum carne vir Israelita,
Abbas Boso die requieuit quâ Zacharia
Filius exoritur, quo maior non reperitur
Surgere cunctarum natos inter mulieres.
Hæc pietate Dei tam lætæ festa diei,
Sint ingressus ei paradisiacæ requiei.

Comes *Tebaldus* nepos Regis Henrici, conductus à *Roberto* Comite Leicestriæ, obsedit pontem Sancti Petri, & cepit eum super *Rogerium de Toeneio*.

Eodem anno abierunt plures ex principibus Angliæ: *Guillielmus* Cantuariæ Archiepiscopus: *Ioannes* Episcopus Roucecestriæ: *Guillielmus* Episcopus Oxeniæ: *Ricardus* filius Gisleberti: *Robertus* filius Ricardi patruus eius: *Ricardus* filius Balduini consobrinus eius: Secundus *Guillielmus de Vuarenna* Comes Surreïæ.

Mense Septembris Gaufridus Comes Andegauensis adduxit maximum exercitum in Normanniam vsque Lexouias, quando combusta est eadem ciuitas. In redeundo cepit Sapum.

Eadem Septimana *Galerius* Comes Mellenti cepit apud Achinnum *Rogerium de Toeneio* rapinæ & incendio vacantem.

MXXXVII. XII. XXVII. II.

STephanus Rex Anglorum in Quadragesima transiit in Normanniam, & obsedit Lisleboriam, & cepit, quam tenebat *Rabellus* Camerarius. Inde obsedit Grantsyluam. Locutus est etiam apud Ebroicas cum fratre suo Comite Theobaldo, & pepigit ei duo millia marcas argenti per annum; quia Comes *Tebaldus* indignabatur, quòd idem *Stephanus*, qui iunior erat, acceperat coronam, quæ sibi, vt dicebat, debebatur. Redditâ igitur firmitate Grantsyluæ, concordatus est Rex Stephanus cum Rege Francorum. Et *Eustachius* filius eius fecit ei hominium de Normannia, quæ adiacet regno Francorum.

Exinde cùm Rex *Stephanus* vellet ire in terram Comitis Andegauensis, facta est discordia magna in exercitu eius apud Liuarrou propter vnam hosam vini, quam abstulerat quidam Flandrensis cuidam armigero *Hugonis de Gornay*. Facta est itaque magna dissentio inter Normannos & Flandrenses.

Rediit ergo Rex infecto negotio. Nec mora exinde, quòd Comes Andegauensis adduxit exercitum multo maiorem illo, quem anno præterito adduxerat. Intercurrentibus tamen nuntiis inter ipsum & Regem Stephanum, idem dux dedit treuas vsque ad tres annos, hac conditione, vt Rex singulis annis daret ei duo millia marcas argenti, & de primo anno statim debitam summam accepit. Istæ treuiæ vno anno vtrinque durauerunt, id est vsque ad festum sancti Ioannis anni futuri. His itaque gestis Rex *Stephanus* in Aduentu rediit in Angliam.

Obiit *Ludouicus* senior Rex Francorum, & successit ei filius eius Ludouicus, qui accepit filiam ducis Aquitanorum *Alienor* nomine, ex qua genuit duas filias.

Eodem anno mortuus est *Lotharius* Imperator Romanorum, cui successit *Conradus* nepos Henrici quarti, mariti Imperatricis, qui ante Lotharium imperauerat.

Calend. Aug. quando Rex *Ludouicus* decesserat, combustum est ipsa nocte Corbeïæ Monasterium.

Ipso anno tanta siccitas fuit, vt etiam stagna & flumina multa siccarentur, terra in multis locis diutissimè arderet, arbores plurimæ in syluis & virgultis arescentes morerentur, & arderent, nullo incendente.

Tebaldus electus Beccensis Ecclesiæ, vir magnæ bonitatis & scientiæ, benedictus est Abbas eiusdem Ecclesiæ, omni Conuentu animo libenti concedente, apud Rothomagum à Domino *Hugone* Archiepiscopo.

MCXXXVIII. Conradvs. I. Lvdovicvs. I. III.

STephanus Rex Anglorum in Natali obsedit Bedefort, quâ redditâ, exercitum promouit in Scotiam. Rex namque Scotorum *Dauid*, qui Sacramentum fecerat filiæ Regis Henrici, quia sub velamento sanctitatis per suos execrabiliter egit. Mulieres enim grauidas findebant, & fœtus anticipatos abstrahebant; Presbyteros super altaria detruncabant; & alia multa mala perpetrabant. Quæcunque enim Scothi attingebant, omnia erant plena horroris. Aderat clamor mulierum, eiulatus senum, morientium gemitus, viuentium desperatio.

Rex igitur *Stephanus* insurgens combussit & destruxit Australes partes Regni Regis Dauid, ipso quidem non audente ei congredi.

Post Pascha verò exarsit rabies proditorum nefanda. Quidam namque *Talebot* nomine tenuit contra Regem castellum Hereford in Vvales: quod Rex per obsidionem in sua recepit. *Robertus* Consul de Glocestre tenuit contra eum Bristoud, & Slede. *Radulphus Luuet* castellum de Cari. *Paganellus* castrum de Ludelaue. *Guillielmus de Mouim* castellum de Dunestor. *Robertus de Nicole* castellum de Vvarhan. *Eustachius* filius Ioannis Mealtune. *Guillielmus* filius Alani Salopesbiri, quod Rex quidem cepit armis, captorúmque nonnullos suspendit. *Vvalchelinus de Droue* hoc audiens, reddidit castrum Doure, Reginæ se obsidenti. Occupato igitur Rege circa partes Australes Angliæ; Dauid Scotorũ Rex innumerabilem exer-

citum promouit in Angliam. Contra quem Proceres borealis Angliæ, ammonitione, & iussu *Turstani* Eboracencis Archipiscopi restiterunt viriliter, fixo *Standart*, id est, regio insigni, apud Aluertune. Vbi duodecim millia Scotorum, fama refert, occisa, extra eos qui in segetibus & syluis inuenti sunt perempti. Cæteri verò minimo sanguine fuso fœliciter triumpharunt. Huius pugnæ Dux fuit Consul de *Albemarle*, & *Guillielmus Piperellus* de Notingehan, & *Vvalterius Espec*, & *Ilbertus de Laci*, cuius frater ibi solus ex omnibus equitibus occisus est. Cuius euentus belli cùm Regi Stephano nuntiatus esset, ipse & omnes qui aderant, summas Deo gratias exoluerunt. Hoc bellum Augusti Mense factum est.

In Aduentu Domini Concilium apud Londoniam *Albericus* Romanæ Ecclesiæ Legatus & Ostiensis Episcopus tenuit: & ibidem, adnitente Rege Stephano, & Regina, Tebaldus Abbas Beccensis Ecclesiæ, vir admodum venerandus, Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus effectus est, transactis duobus annis & dimidio postquam Abbas constitutus fuerat. Consilióque eius fuit Abbatia Becci sine Abbate sub *Ricardo* Priore de Belfou, à Natiuitate Domini, vel paulò ante, vsque ad Pentecosten, quousque videlicet ipse Roma rediret.

Hoc eodem anno mense Octobri *Gaufridus* Comes Andegauensis obsederat Falesiam per xv. dies, cum magno exercitu, & *Robertus* Comes Gloecestriæ cum eo, quo circa præteritum Pascha concordiam fecerat cum eo.

Hoc etiam anno Oximenses & Baiocenses subditi ei.

MCXXXIX. | II. | II. | IIII.

REx Anglorum *Stephanus* post Natale castellum de Flede cepit obsidione. Post hæc perrexit in Scotiam: vbi cùm rem Marte & Vulcano ducibus ageret; Rex Scotiæ cum eo concordari coactus est. *Henricum* igitur filium Regis Scotorum secum ducens in Angliam, cepit Ludelavve, vbi idem Henricus vnco ferreo equo abstractus pene captus est, sed ipse Rex ab hostibus eum splendidè retraxit. Inde re perfectâ Oxinefordiam petijt. Vt res infamiâ notabilis, & ab omni consuetudine remota comparuit. Rex namque *Rogerium* Episcopum Salesbirensem, & *Alexandrum* Lincoliensem ipsius nepotem violenter in curia sua cepit, nihil recti recusantes. Ponens igitur ibidem Alexandrum Episcopum in carcere, Episcopum Salesbirensem secum duxit ad castellum eiusdem, quod vocatur Diuise, quo non erat splendidius inter fines Europæ. Angarians igitur eum fame, & filij eius, qui Cancellarius fuerat, collo laqueum innectens, vt suspenderetur, sibi tali modo castellum extorsit, non satis recordans bonorum, quæ in introitu Regni ille sibi præ aliis congesserat. Similiter cepit Syreburnam, quòd parum diuisis decore cedebat. Accipiénsque thesauros Episcopi, comparauit inde *Constantiam* Sororem Ludouici Regis Francorum filio suo *Eustachio*. Inde Rex rediens, similiter egit de Alexandro Episcopo, donec reciperet castellum de Neuverthan amœnissimum. Similiter redditum est ei Eslaford castellum. Tunc satis proximè filia Regis Henrici, quæ fuerat Imperatrix Alemanniæ, cui Anglia iuramento addicta fuerat; & *Robertus* Comes Gloecestriæ, frater eius mense Augusto transierunt in Angliam. Inuitauerat enim eos *Guillielmus de Albinneio*, qui duxerat *Æliz* quondam Reginam, quæ habebat castellum & comitatum Harundel, quod Rex Henricus dederat ei in dote. Appulerunt itaque apud Harundel, quia tunc alium portum non habebant. Exinde Comes *Robertus* cum decem militibus, & decem equestribus sagittariis, per mediam terram Stephani Regis perniciter venit Vvarengeford, & inde Gloecestrie, & nunciauit aduentum Imperatricis *Brientio* filio Comitis, & *Miloni de Gloecestrie* quam reliquerat cum vxore sua, & aliis impedimentis in castello Harundel, vbi Rex Stephanus obsedit eam, sed postea abire permisit pacto quodam Abristout.

Obiit Rogerius prædictus Episcopous Salesberiensis, tam mœrore, quàm senio confectus.

Innocentius Papa tenuit Concilium Romæ, cui interfuit *Tebaldus* Cantuariensis Archiepiscopus.

Electus est & constitutus Abbas Beccensis Ecclesiæ, ab omni æqualiter congregatione, vir magnæ sanctitatis & scientiæ, domnus *Letardus*, de Beccensi prosapia natus, in vtroque Testamento apprimè eruditus, pollens consilio, affabilis eloquio, moderatus in verbis, discretus in disciplinis, tardè lætus in terrenis, semper gaudens in æternis, diligens bonos, corrigens malos: qui pro qualitate temporis, gregem sibi commissum optimè rexit, licet in suo tempore assidua tempestate patria turbaretur. *

Stephanus Rex fugauit *Nigellum* Episcopum Heliensem de Episcopatu suo, quia nepos Episcopi Salesberiensis erat, à quo incentiuum in progeniem eius traxerat. Vbi autem ad Natale vel ad Pascha fuerit, dicere non attinet: iam quippe Curiæ solemnes, & ornatus Regij Schematis, ab antiqua serie descendens, prorsus euanuerant: ingens thesauri copia deper-

* Hic in cod. Gemet. ponitur an. 1140. & anni augentur Imperat. & Regum.

rierat: pax in terra nulla, cædibus, incendiis, rapinis omnia exterminabantur; clamor, & luctus, & horror vbique.

Obiit Comes Ebroicensis *Amauricus*, & successit fratrer eius *Simon*.

Obiit *Rabellus* Camerarius, & successit filius eius *Guillielmus*.

Obiit Henricus Comes de Ov, & successit *Ioannes* filius eius.

Obiit *Tustanus* Archiepiscopus Eboracensis, & successit *Guillielmus* thesaurarius eiusdem Ecclesiæ.

Obiit *Audoenus* Episcopus Ebroicensis in Anglia, & successit *Rotrodus* vir religiosus, bonis ornatus moribus, & dilectus ab omnibus, filius Henrici Comitis de Vvaruic.

Gaufridus Comes andegauẽsis obsedit, & posteà destruxit in Oximensi pago castellum Fontanetum, munitissimum, & arte & natura, quia *Robertus Marmium*, Dominus ipsius castelli, tenebat contra eum Falesiam.

Henricus fit Abbas Fiscanensis nepos Regis Stephani.

MCXL. III. III. V.

Et hic 1141. & sic deinceps.

REx *Stephanus* Lincoliæ Vrbem infra Natale obsedit, cuius munitiones ingenio ceperat *Ranulphus* Comes Cestrensis. Seditque ibi Rex vsque ad Purificationem sanctæ *Mariæ*. Tunc namque Ranulphus prædictus adduxit secum Robertum filium Regis Henrici socium suum, & proceres multos, & milites validissimos ad obsidionem Regis dissoluendam. Cùm autem Consul validissimus, & audacissimus, paludem penè intransibilem vix transisset, in ipsa die aciebus dispositis Regem bello aggressus est. Ipse cum suis, vt vir admirandæ probitatis, aciem primam construxerat: Secundam illi, quos Stephanus Rex dehæreditauerat: tertiam, Robertus Dux magnus cum suis.

Rex interea *Stephanus* curarum exæstuans fluctibus Missam in tanta solemnitate audierat. Cùm autem de more cereum, Rege dignum, Deo offerens manibus Alexandri Episcopi, imponeret, confractus est, hoc fuit Regi signum contritionis: Cecidit etiam super altare pyxis, cui Corpus Domini inerat, abrupto vinculo, præsente Episcopo; hoc etiam fuit Regi signum ruinæ. Proinde Rex strenuissimus progreditur, aciésque cum summa securitate bello disponit. Ipse pedes omnem circa se multitudinem loricatorum, equis abductis, strictissimè collocauit. Consules cum suis in duabus aciebus equis pugnaturos instituit. Sed admodum paruæ equestres acies illæ apparuerant: paucos enim secum ficti, & factiosi Consules adduxerant: acies autem Regalis maxima erat, vno tantùm scilicet ipsius Regis insignita vexillo.

Principium pugnæ. Acies exhæredatorum, quæ præibat, percussit aciem Regalem, in qua Consul *Alanus*, & ille *de Mellent*, & *Hugo* Consul de Estangle, & *Simon* Comes, & ille *de Vvarenna* inerant, tanto impetu, quòd statim quasi in ictu oculi dissipata est, & diuisio eorum interea deuenit. Alij namque eorum occisi sunt, alij capti, alij aufugerunt. Acies cui principabatur Consul de Albem. Percussit Valenses, qui à latere procedebant, & in fugam coegit: sed acies Consulis Cestrensis percussit cohortem prædictam, & dissipata est in momento, sicut acies prior: fugerunt igitur omnes equites Regis, & *Guillelmus* Iprensis, vir exconsularis, & magnæ probitatis. Alij verò capti sunt, qui fugæ non paruerunt.

Res mira nimis à multis miranda: cum Rex Stephanus, rugiens vt leo, solus in campo persisteret, nullus ad eum accedere auderet, stridens dentibus, spumans ore, apri more, bipenni quadam crebris pulsans ictibus hostium præcipuos, nimis ab omnibus admirabatur. O si centum similes essent, campum diutius defenderent! Cùm solus ipse, vix patuit prædæ.

Capitur igitur Rex Anglorum *Stephanus* in die Purificationis sanctæ *Mariæ*, & in Lincoliam ab hostibus diruptam, miserabiliter introductus est. Dei igitur iudicio circa Regem peracto, ducitur ad Imperatricem, & in turri de Bristoud in custodia ponitur. Tunc Imperatrix ab omni gente Anglorum suscipitur in dominam, exceptis Khentensibus vbi Regina, & *Guillielmus* Iprensis, contra eam pro viribus repugnabant. Suscepta priùs est Imperatrix à Legato Romano Vvintoniensi Episcopo, & mox à Londoniensibus: & Regem tunc in compedibus poni iussit. Post dies autem aliquantos, cum auunculo suo Rege Scotorum, & fratre suo *Roberto*, viribus coactis, veniens, obsedit turrim Vvintoniensem Episcopi; Episcopus autem misit pro Regina, & *Guillielmo* Iprensi, & cæteris proceribus Angliæ.

Factus est igitur vtrinque exercitus magnus. Venit tandem exercitus Londoniensis, & acies numerosæ; qui contra Imperatricem contendebant, eam recedere compulerunt. Capti sunt igitur multi. Captus est & *Robertus* frater Imperatricis, in cuius turri Rex erat, cuius sola captione Rex euadere poterat. Absolutus est vterque. Sic Rex Dei iustitiâ miserabiliter captus, Dei misericordiâ miserabiliter liberatus est, fuerat autem *Robertus* captus in die Exaltationis sanctæ Crucis.

Eodem anno in octaua paschæ Episcopus Lexouiensis *Ioannes* subdidit se *Gaufrido* Comiti Andegauensi, & reddidit ei ciuitatem, quam aliquandiu contra eum tenuerat. Subditi sunt ei etiam omnes potentes Lexouiensis Comitatus.

Circa Pentecosten obiit prædictus *Ioannes* Episcopus. Hic multùm episcopalem sedem ædificiis, & ornamentis accreuit. Vrbem quoque, cuius muros *Humbertus* Episcopus propter Ecclesiam ædificandam destruxerat, mœnibus ambiuit. Successit ei *Arnulphus* nepos eius, Sagiensis Archidiaconus, vir admodum callidus, eloquens, literatus.

Vualeranus Comes *Mellent*, qui omnibus Normaniæ primatibus, & firmitatibus, & redditibus, & affinibus præstabat, concordiam fecit cum Comite *Gaufrido* Andegauensi, & concessum est ei castellum Montifortis, quod ex tempore mortis *Henrici* Regis possederat. Subdiderunt itaque se nobili Principi, & omnes Rothomagi, non ciues vrbis, sed videlicet ij qui commanent circa fluuium Sequanæ, vsque ad flumen Risle. Reddita est Falesia Comiti *Gaufrido* Andegauensi.

Inceptum est Capitulum Becci, tam consilio, quàm auxilio *Roberti Nouiburgensis*.

MCXLI. IV. IV. VI.

ROBERTUS Comes Gloecestrie in æstate transfretauit in Normaniam, ducens secum obsides filios scilicet Comitum & Magnatum Angliæ, qui Imperatrici fauebant, petentium quatenus illos Comites Gaufridus retineret, & ad regnum Angliæ subiugandum transfretans se prępararet: quod Comes ad tempus renuit, quia rebellionem Andegauensium, & aliorum hominum suorum timebat. Tradidit tamen illi *Henricum* primogenitum filium suum, vt eum secum duceret. Nec mora præsente Comite *Roberto*, obsedit castellum Alnei, & cepit. Et maiori exercitu congregato, pergens ad Moritolium, redditum est ei & Tenec, Hebrai, Cereces, Tiliolum, scilicet quatuor castella propria Comitis Moritoliensis. Inde Abrincatenses subdiderunt se eidem Duci, & Constantinienses.

Rex Francorum *Ludouicus* afflixit Comitem *Tebaldum*, & vastauit terram suam, maximè in Campania, vbi combussit castellum optimum, Vitreuium scilicet: vbi multitudo maxima diuersi sexus hominum & ætatis concremati sunt.

Innocentius Papa interdixit tunc terram dominicam ipsius Regis, quia nolebat recipere Archiepiscopum Bituricensem, quem tamen postea recepit; & Papa absoluit eum de Sacramento, quod irrationabiliter fecerat.

Ecclesia de Bellomonte datur Ecclesiæ Beccensi.

Rex Anglorum *Stephanus* construxit castrum apud Vvintoniam. Tunc superueniens nimia multitudo hostium ex insperato, cùm Regij milites circuitionibus bellicis incepissent, & non potuissent resistere, Regem in fugam compulerunt: multi autem de suis capti sunt. Captus est etiam *Guillielmus Martel* Dapifer Regis, qui pro redemptione sua dedit insigne castellum de Syreburna.

Eodem anno Rex obsedit Imperatricem apud Oxineford, post festum sancti Michaëlis, vsque ad Aduentum Domini. In eo quippe termino haud procul à Natali recessit inde Imperatrix nocte per Tamasim glaciatam, circumamicta vestibus albis, reuerberatione niuis, & similitudine, fallentibus oculos obsidentium. Abiit autem ab Vvareng. & sic Oxineford tandem Regi reddita est.

Obiit *Ioannes* Imperator Constantinopolitanus, cùm nimis intenderet arcum cum sagitta toxicata, adeò vt in manu lethaliter vulneraretur. Cui successit *Emanuel* filius eius.

MCXLII. V. V. VII.

OBIIT *Ricardus* Baiocensis Episcopus; cui successit *Philippus de Haricuria*.

Obiit etiam *Ricardus* Episcopus Abrincensis, & successit *Ricardus* eiusdem Ecclesiæ decanus.

Eodem anno Comes Andegauensis obsedit Cæsaris-burgum, donec ei redderetur. Redditum est ei etiam Vernolium, & vallis Rodoli. *Gauterius* etiam *Gifardus* Comes, & alij Caletenses, pacem eius adepti sunt.

Mense Septembri eodem anno obiit *Innocentius* Papa, & successit *Guido de Caste*, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, vocatúsque est *Cœlestinus*, Papa CLXIX. Sedit autem V. Menses & V. dies.

Rex *Stephanus* interfuit Concilio Londoniæ in medio Quadragesimæ; quod, quia nullus honor vel Clericis vel Ecclesiæ Dei à raptoribus deferebatur, & æquè capiebantur, & redimebantur Clerici, & Laici, tenuit Vintoniensis Episcopus, Vrbis Romæ Legatus, apud Londoniam, Clericis pro tempore necessarium: in quo sancitum est, Ne aliquis, qui Clerico violenter manus ingesserit, ab alio possit absolui, quam ab ipso Papa, & in præsentia ipsius

vnde Clericis aliquantulum serenitatis vix illuxit.

Stephanus Rex eodem anno *Gaufridum de magna villa* in curia sua cepit apud sanctum Albanum. Igitur Rex vt liberaret eum, reddidit ei turrim Londoniæ, & castellum de Vvalendene, & illud de Plaiseith: qui carens possessionibus, inuasit Abbatiam Ramesensem, & Monachis expulsis, raptores immisit. Erat autem summæ probitatis, sed maioris in Dominum obstinationis. Vvintoniensis Episcopus, & posteà Cantuariensis Archiepiscopus, Romam petierunt de Legatione acturi, mortuo iam Innocentio Papa.

* *Emmanuel Imperator Constantinopolitanus duxit neptem Conradi Imperatoris Romanorum, sororem videlicet Friderici, qui eidem Conrado successit.*

Decessit piæ memoriæ Hugo Canonicus S. Victoris Parisius, vir religiosus, & admodum tam secularibus quàm diuinis literis eruditus; relinquens multos libros in monumento suæ scientiæ.

MCXLIII VI. VI. VIII.

STephanus Rex Lincoliam obsedit, vbi cùm munitionem contra castellum, quod vi obtinebat, Consul Cestrensis construeret, operatores sui ab hostibus præfocati sunt ferè octoginta. Re igitur imperfecta, Rex confusus abscessit.

G*aufridus* Consul *de Magnavilla* Regem validissimè vexauit, & in omnibus valde gloriosus effulsit.

Mense autem Augusti miraculum, tristitiâ suâ dignum, Dei splendor exhibuit. Duos namque, qui, Monachis auulsis, Ecclesias conuerterant in castella, similiter peccantes simili pœna mulctauit. *Robertus* namque *Marmium* vir bellicosus, hoc in Ecclesia de Covvintri peruersus exegerat. Porrò G*aufridus* in Ecclesia Rameses, vt diximus, scelus idem patrauerat. Insurgens igitur *Robertus Marmium* in hostes inter suorum cuneos, coram ipso Monasterio solus interfectus est, & excommunicatus morte depascitur æterna. Similiter G*aufridus* Consul inter suorum acies confertas à quodam pedite vilissimo solus sagitta percussus est, & ipse vulnus ridens, post dies tamen ex ipso vulnere excommunicatus occubuit. Ecce Dei laudabilis omnibus sanctis prædicanda eiusdem sceleris eadem vindicta. Dum autem Ecclesia illa pro castello teneretur, ebulliuit sanguis à parietibus Ecclesiæ, & Claustri, indignationem diuinam manifestans, sceleratorum vero exterminationem denuncians.

Arnulphus verò filius Consulis, qui post mortem patris Ecclesiam in castella retinebat, captus est & exulatus. Princeps autem militum ab equo corruens effuso cerebro expirauit. Princeps peditum Rainerius solitus Ecclesias frangere & incendere, demùm mare transiens, nauis immobilis facta est, & tertiò sorte data, & sibi sortita, missus est in Scapha cum vxore & pecunia, qui statim deperierunt. Nauis autem vt antea pacata sulcauit æquora.

G*aufridus* Comes Andegauensis, congregato magno exercitu, post festum sancti Hilarij transiit Sequanam apud Vernum; & metatis castris apud sanctam Trinitatem de Monte Rothomagi, sequenti die, videlicet in festo SS. Fabiani & Sebastiani, receptus est à ciuibus Rothomagi solemniter. In ipso tamen introitu, & per totum diem vsque post Nonam, fuit ventus vehementissimus, syluas eradicans, & domos prosternens. Reddita vrbe, homines Comitis Vvarennæ, qui Regi Stephano fauebant, noluerunt turrem reddere. Obsedit ergo eam Comes G*aufridus*, *Galeranus* Comes Mellent, & cæteri principes Normani, qui iam cum Duce concordati erant. Factis igitur machinis multis non potuerunt eam expugnare, propter situm loci, & ipsius arcis fortitudinem. In ipsa obsiditione mortuus est Comes Perticensis *Rotrodus*, relinquens duos filios paruulos, *Gaufridum* & *Rotrodum*. Vxorem verò suam postea *Ludouicus* Rex Francorum dedit *Roberto* fratri suo. Tandem deficiente alimonia intra arcem Rothomagi obsessis, reddiderunt se & turrem, videlicet Gaufrido Comiti Andegauensi, iam exinde Normanorum Duci.

Anno præterito quædam pars eiusdem turris corruerat, ex ea parte videlicet, per quam Dux *Gaufridus* intrauerat vrbem, cùm ei reddita est, & in qua machinas suas posuit ad eandem turrim expugnandam. Ordinatis igitur in turre, & in vrbe, quæ necessaria fuerunt, Dux impiger ad anteriora se extendens, congregato magno equestri exercitu, non solùm suorum, sed etiam amicorum, & dominorum, venerat enim Comes Flandrensis sororius eius cum mille quadringentis equitibus: Venerat & *Ludouicus* Rex Francorum cum copiis suis, agressus est expugnare Castellum Drincurtis, quod adhuc tenebant ei resistendo stipendiarij Comitis Vvarennæ, qui videntes se non posse ei resistere, reddiderunt prædictum castellum licet inuiti.

Hugo etiam *de Gornaco* reddidit castellum de Leons, timens ne Comes omnem terram suam exterminaret. Pacificatis itaque omnibus in Normania, excepto castello de Archis,

quod Guillielmus Monachus Flandrensis adhuc tenebat, propter fidelitatem Regis Stephani, licet homines Ducis Gaufridi illud sine intermissione obsiderent; redierunt quique in sua

Obiit *Ioannes* Sagiensis Episcopus; cui successit *Girardus* Canonicus eiusdem Ecclesiæ, vir iucundus, & admodum literatus. Iste *Ioannes* rem dignam memoriâ, tempore Henrici Regis effecit: Canonicos enim seculares suæ Ecclesiæ regulariter, & secundum sancti Augustini Institutionem, viuere fecit: additis officinis congruentibus, & Claustro. Hoc idem *Ioannes* Luxouiensis auunculus eius, & *Gaufridus* Carnotensis Episcopi, tentare in suis Ecclesiis voluerunt; sed in ipso conatu defecerunt.

Mense Martio obiit *Cælestinus* Papa; cui successit *Girardus* ciuis Bononiensis, Canonicus regularis, & Cancellarius Romanæ Ecclesiæ, & Cardinalis tituli Ecclesiæ sanctæ Crucis, vel Ierusalem (quod idem est) vocatus postea Lucius II. Papa CLXX. qui sedit vno anno.

MCXLIV. VII. VII. IX.

STephanus Rex Anglorum priùs in agendis circa discursus *Hugonis Bigot* occupatus fuit; sed in æstate *Robertus* Consul, & omnis inimicorum Regalium cœtus castellum construxerunt apud Ferendunum: sed Rex non segniter, viribus coactis, aduolat, & Ludoniensium terribilem & numerosum adduxit exercitum. Assilientes igitur totis diebus castrum, dum Robertus Consul, & fautores sui, copias maiores non procul ab exercitu Regis expectarent; gloriosissima probitate, non sine magna sanguinis effusione, ceperunt. Tunc demum Regis fortuna cepit in melius permutari, & in sublime protelari.

Lincoliensis Episcopus iterum Romam pergit, Alexander videlicet, qui cum Papæ gratia, sequenti anno, rediens, à suis cum gaudio susceptus est.

In æstate redditum est castellum Arcense Duci Gaufrido, occiso *Guillielmo* Monacho fortuitu in turre sagittâ, qui illi præerat.

Eodem anno per proditionem perdiderunt Christiani in principatu Antiochiæ, ciuitatem Edessam, quæ antiquitùs dicebatur Rages, à modernis verò Rohaies, & venit in potestatem Saracenorum, occisis Christianis, quos ibi inuenerunt. *Gocelinus* enim iunior *de Toruaisel*, Comes ipsius ciuitatis, tunc aberat.

Hoc eodem anno ceperunt homines priùs apud Carnotum carros lapidibus onustos & lignis, annonâ, & rebus aliis suis humeris trahere ad opus Ecclesiæ, cuius turres tunc fiebant, quæ qui non vidit, iam similia non videbit: non solùm ibi, sed etiam in tota penè Francia, & Normania, & aliis multis locis. Vbique humilitas & afflictio, vbique pœnitentiæ & malorum remissio, vbique luctus & contritio. Videres fœminas & homines per profundas paludes genibus trahere, verberibus cædi, crebra vbique miracula fieri, Deo cantus & iubilos reddi. Extat enim de hac re prius inaudita, *Hugonis* epistola Rothomagensis Archiepiscopi, ad *Theodoricum* Episcopum Ambianensem, super hac re sciscitantem. Diceres prophetiam impleri, Spiritus vitæ erat in rotis.

Gaufridus Dux pontem Rothomagensem reficit firmissimum. Obiit *Lucius* Papa mense Martio; cui successit *Bernardus* Abbas Monasterij sancti Anastasij, quod est extra muros Romæ, vbi *Innocentius* Papa, qui quartus ante istum fuerat, Abbatiam nouiter fecerat de Ordine Monachorum de Cistelth; & *Bernardus* Abbas de Claraualle, quando illuc misit Conuentum, hunc præfecerat; maximè quia Papa Romanus aliquando antequam ad Monachatum iste veniret, ad sacrum ordinem illum promouerat. Erat enim transmontanus, vt pote ciuis Pisensis, fuit autem ordinatus primâ hebdomadâ mensis Martij, & vocatus est Eugenius, Papa CLXXI.

Inceptum est caput Monasterij Beccensis Ecclesiæ pridie idus Augusti, præsente piæ memoriæ Domno *Letardo* Abbate.

MCXLV. VIII. VIII. X.

REx *Stephanus* magnum congregans exercitum, castellum construxit inexpugnabile, situm contra Vvalingefort, vbi *Rannulfus* Comes Cestrensis, iam Regi concordiâ coniunctus, cum magnis interfuit copiis. Dehinc verò Consul ipse ad Regis Curiam cùm pacificè venisset, apud Norhantone, Rex nihil tale metuentem, cepit, & in carcerem intrusit, donec redderet ei clarissimum castellum Lincoliæ, quod ab eo dolosè ceperat, & cætera quæcunque fuerant ditionis suæ castella. Sic ergo Consul eiectus carcere in liberum constitutus est arbitrium.

Visis miraculis quæ fiebant in locis religiosis, & afflictione cum humilitate multimoda, carris venientibus. Audita etiam conquæstione Christianorum de sanctis locis venientium super irruptione paganorum, prædicatione etiam *Bernardi* Abbatis de Claraualle, viri non contemnendæ

nendæ authoritatis, cui Papa *Eugenius* iniunxerat hoc officium; commoti *Ludouicus* Rex Francorum, *Conradus* Imperator Alemannorum, *Fredericus* etiam nepos eius Dux Sueuorum, *Galerannus* Comes *Mellenti*, *Guillielmus de Vuarenna* Comes frater eius, *Theodoricus* etiam *de Auseis* Comes Flandrensis, & alij multi magnæ authoritatis & dignitatis viri, Franci, Normanni, Angli, & de aliis regionibus innumerabiles, non solùm Milites & laici, sed etiam Episcopi, Clerici, Monachi Crucem in humeris assumentes, ad Iter Ierosolymitanum se præparauerunt. Rex autem Francorum, & *Robertus* frater eius, & *Gaufridus* Comes *Mellenti*, & alij multi iuxta Vigiliacum, die Dominica in Ramis Palmarum crucem assumpserunt.

Tornacensis Ecclesia cepit habere proprium Pontificem, cùm à tempore sancti Eligij sub Nouiomagensi Episcopo egisset.

Dux Gaufridus sarta tecta turris Rothomagensis, & castelli, quæ per obsidionem corrupta fuerant, decenter restaurat.

*Codex Gemet.

Rex Rogerius * Siciliæ Tripolitanam prouinciam in Africa super Paganos cepit.

In hac expeditione fuit, & multùm profuit, Ricardus de Linghenc, *Miles optimus, qui nuper de Baiocensi Comitatu illuc perrexerat, & à Rege Rogerio Comitatum Andri insulæ, quam nuper idem Rex super Imperatorem Constantinopolitanum ceperat, dono acceperat.*

Inuentus est Buffo vnus inclusus in concauo lapide, in muro ciuitatis Cænomannis: quo occiso, Bufones infra mœnia exinde fuerunt, cùm antea ibi nunquam visi fuissent.

Facta est eclipsis solis quinto Kalendas Nouembris.

MCXLVI IX. IX. X.

REx *Stephanus* ad Natale Domini in vrbe Lincoliensi diademate regaliter insignitus est, quo Regum nullus introire, prohibentibus quibusdam superstitiosis, ausus fuerat. Vnde comparet quantæ Rex Stephanus audaciæ, & animi pericula non formidantis, fuerit.

Henricus filius Ducis Gaufridi, & Imperatricis, de Anglia in Normaniam veniens susceptus est à Conuentu Becci solemni processione die Ascensionis Domini. Controuersia inter Monachos Becci & Canonicos de Oxineford pro Ecclesia de Bello-monte, Parisius in præsentia Papæ *Eugenij* terminata est.

Eodem anno Canonici Regulares authoritate Papæ Eugenij positi fuerunt in Ecclesia sanctæ Genouefæ Parisius, quoniam seculares Canonici iniuriam fecerant hominibus Papæ in quadam processione, & habuerunt idem Canonici primum Abbatem Henricum Priorem Ecclesiæ sancti Victoris, de qua Ecclesia ordinem susceperunt.

Ludouicus Rex Francorum & Regina Alienor, & socij sui, quos super memorauimus, præsente Papa Eugenio in expeditionem Ierosolymitanam ituri à Parisius recesserunt. Quas tribulationes & miserias in ipso itinere, dum per terram Imperatoris Constantinopolitani transierunt, à fame, pestilentia, incursione paganorum, perpessi sunt, non est nostri studij enarrare. Quia enim de rapina pauperum & Ecclesiarum spoliatione illud iter ex maiori parte inceptū est, nec in eos qui se inhonestè habebant, vindicatum est; ferè nihil prosperum, nihil memoriâ dignum in illa peregrinatione actitatum est.

Occiso à Sarracenis Raun. Principe Antiochiæ, remansit vxor eius cum filio paruulo Boemundo III. cum filia Constantia.

MCXLVII. X. X. XII.

PEruenerunt Christiani quocunque labore ad sancta loca in Ierusalem, & circa Augustum mensem, Damascum obsidentes, & dolo Ierosolymitanorum parum proficientes, repedare citiùs studuerunt.

Meliùs acciderat anno præterito Christianis principibus in Hispania: nam Imperator, cuius Imperij caput est Toletum ciuitas, adiutus à Pisanis & Genuensibus, Almariam nobilissimam vrbem super paganos cepit.

Rex Galliciæ fretus auxilio Normanorum, & Anglorum, & aliorum multorum, qui nauali exercitu Ierusalem petebant, Lixebonam vrbem à Garenis abstulit, sicut aliam ciuitatem Samtarein, scilicet anno præterito, super eosdem ceperat.

Comes etiam Barcinonensis Tortosam vrbem eodem anno cepit.

Eodem anno mortuo *Ascelino* Rofensi Episcopo, *Tebaldus* Archiepiscopus Cantuariensis fratrem suum *Gauterium* Archidiaconum Cantuariensem eidem Ecclesiæ subrogauit.

Mortuo etiam Rogerio Cestrensi Episcopo in itinere Ierusalem, successit ei *Vualterius* Prior Ecclesiæ Christi Cantuariæ.

Henricus etiam Murdarch Monachus Cistellensis, fit Archiepiscopus Eboracensis.

Eugenius Papa in Quadragesima Concilium congregauit Remis, ad quod venit latenter & contra prohibitionem Regis Stephani, *Tebaldus* Archiepiscopus Cantuariensis, vnde & fauorabiliter susceptus est à Papa.

Mortuo Roberto Episcopo Herefordensi, successit *Guillielmus* Abbas Gloecestriæ.

Guillielmus etiam de sancta Barbara, Decanus Eboracensis, anno præterito factus fuerat Archiepiscopus Dunelmensis.

MCXLVIII. XI. XI. XIII.

Circa Aduentum Domini Dux *Gaufridus* obsedit in Comitatu Lexouiensi castellum Roberti Bertranni Fag. & destruxit.

Mira miranda *Eudonis* pseudoprophetæ & hæretici patrata sunt; qui in Concilio Remis damnatus, & in turre Archiepiscopi retrusus, vt malè cepit, ita deperiit: de cuius incantationibus, & phantasiis, & factis, & dictis, meliùs est silere, quàm loqui.

MCXLIX. XII. XII. XIV.

Obiit sanctæ recordationis Domnus *Letardus* VI. Abbas Beccensis Ecclesiæ: vir quidem iste venerabilis Beccensis indigena, monachatum suscepit sub Domno Guillielmo Abbate venerando, strenuéque in eo viuens, laudabilis vitæ senex virgo cursum finiuit VI. Nonas Iulij, Sabbato infra Octauas Apostolorum Petri & Pauli, circa decimam horam diei, anno ætatis LXV. Monachatus vero L. Rexit autem Abbatiam sibi commissam prudenter, vtpote filius religionis, & postea pater, & pius amator, annis decem & diebus viginti tribus.

EPITAPHIVM.

Ad patriam, pro qua suspiria tanta dedisti,
Hinc Letarde Pater carne solutus abis.
In Patribus Sextus, quoniam perfectus & ipse,
Præmia cum Patribus percipis ampla tuis.
Iulius à sexto Nonas properabat ad Idus,
Túque datis septem partibus octo metis.

Huic sancto viro successit Domnus *Rogerius* Prior secundus, in vtroque Testamento apprimè eruditus, nec-non Clericali ac sæculari scientiâ decenter ornatus, & ab omni communiter Congregatione electus, in ipsis videlicet Octauis Apostolorum Petri & Pauli, qui benedictus apud sanctum Vvandregesilum in die festiuitatis sancti Iacobi Apostoli, à venerabili *Hugone* Rothomagensi Archiepiscopo, ab eodem coram Conuentu Beccensi in sede sua collocatus est; extunc supra gregem sibi commissum pro posse suo die ac nocte decenter inuigilans.

Magister Vacarius gente Longobardus, vir honestus, & iuris peritus, cùm leges Romanas anno ab Incarnatione Domini MCXLIX. in Anglia discipulos doceret, & multi tam nobiless quàm pauperes ad eum causâ discendi confluerent; suggestione pauperum, de Codice, & Digesto excerptos nouem libros composuit, qui sufficiunt ad omnes legum lites, quæ in schola, frequentari solent decidendas, siquis eos perfectè nouerit.

Eodem anno post Pascha obierat Domnus *Bernardus* Abbas montis sancti Michaelis, Monachus Beccensis; qui multùm intus & foris idem Monasterium emendauit.

Dux *Gaufridus* castellum Monasteriolum in pago Pictauensi obsedit, & fecit ibi tria castella lapidea, & durauit illa obsidio per tres annos, vsquequo Berlai Dominus castelli reddidit se Comiti. Tunc etiam Comes turrem & castellum euertit.

Eodem anno turbo factus est horribilis, subuertens domos, nemora & virgulta confringens, in quo etiam dæmones in specie turpium animalium pugnasse asseruntur.

In festiuitate Pentecostes *Dauid* Rex Scotorum accinxit armis militaribus *Henricum* primogenitum filium Ducis *Gaufridi*, & neptis suæ *Maltildis* Imperatricis, qui anno præterito de Normania in Angliam transfretauerat.

Eodem anno circa Augustum rediit *Ludouicus* Rex Francorum de Ierusalem.

Fuit hyems maxima tribus mensibus continua, tam horribilis, vt quidam hominum præ nimio frigoris dolore in membris suis læderentur; qua etiam remansit ex maxima parte vernalis agricultura, & inde subsecuta est magna sterilitas.

Iterum combustum est Monasterium Corbeiæ.

MCL. XIII. XIII. XV.

Tebaldus Comes Blesensis *Gaufridum* filium Ducis Gaufridi armis militaribus decorauit.

Euerso castro Monasteriolo, à Duce Gaufrido obsesso tribus castellis lapideis per tres

annos, quod inauditum est post Iulium Cæsarem, capto etiam *Bellai* Domino castelli, contra voluntatem & prohibitionem etiam Regis Ludouici, facti sunt inimici adinuicem Rex & Dux Normaniæ Gaufridus. Iam anno præterito *Henricus* filius Ducis de Anglia redierat, & pater suus reddiderat ei hæreditatem suam ex parte matris, scilicet Ducatum Normaniæ.

Factâ itaque discordiâ inter Regem & Comitem, venit Rex cum magna militia, & *Eustachius* filius Regis Stephani cum eo in Normaniam ante castellum Archas. Adfuit ibidem *Henricus* è contra Dux Normaniæ cum admirabili exercitu Normanorum, Andegauensium, Britonum: sed Principes exercitus eius, qui maturiores eo erant, & consilio, & ætate, non permiserunt vt cum Rege Domino suo congrederetur, nisi amplius illum in aliquo quàm antea fecerat, opprimeret.

Eodem anno, paulò ante, idem Dux obsederat castellum Toririnense; sed propter aduentum Regis infecto negotio discesserat; combustis tamen domibus infra muros vsque ad turrem, & paruum castellum circa eam.

Gaufridus Comes Andegauensis cepit castellum de Nube super *Robertum* Comitem Perticensem, quod anno præterito perdiderat per traditionem Ioannis filij Guillielmi Taleu. Vnde Rex *Ludouicus* iratus: & *Robertus* frater eius, congregato exercitu, venerunt vsque Sagium ciuitatem Guillielmi Taleu, & eam combusserunt.

Iterum *Ludouicus* congregans exercitũ de omni potestate sua, mense Augusti fecit illum deduci super ripam Sequanæ inter Mellentum, & Medantem. Nec segnius *Gaufridus* Comes Andegauensis, & *Henricus* filius eius Dux Normaniæ, suas cateruas ordinantes in margine Ducatus Normaniæ, sua defensuri consederunt. Interim credo dispositione diuina, quæ videbat negotium illud non posse finiri sine multa effusione humani sanguinis, si vterque exercitus hinc inde conueniret. Rex *Ludouicus* in ciuitate Parisius acuta febre interceptus, lecto prosternitur. Hac de causa sapientibus viris ac religiosis intercurrentibus, ex vtraque parte dantur & accipiuntur induciæ, donec Rex conualesceret. Quo conualescente, Dei misericordiâ serenitas pacis refulsit. Reddito *Girardo Berlai*, pro quo in maxima parte discordia erat, & Rege assumente hominium de ducatu Henrici Ducis Normaniæ.

Cùm igitur à ciuitate Parisius vterque, scilicet pater & filius, læti discessissent, & Dux *Henricus* iussisset congregari omnes Optimates Normaniæ apud Lexouias, in festo Exaltationis S. Crucis proximè venturo, quatenus de itinere suo in Angliam cum eis tractaret apud castrum Ledi; pater eius pluribus diebus graui febre vexatus, viam vniuersæ carnis ingressus est, septimo Idus Septembris, vir magnæ probitatis & industriæ, suis infinitè plangendus. Hic solus omnium mortalium intra muros ciuitatis Cenomanicæ sepultus est: conditus est enim in Ecclesia sancti Iuliani, ante crucifixum.

Huic Deus æternum tribuat conscendere regnum:
Quatinus Angelicis turmis conregnet in æuum.

Hic ante mortem suam *Henrico* Duci Normaniæ, primogenito suo concessit Comitatum Andegauensem: *Gaufrido* verò secundo filio, dedit quatuor castella.

Eodem anno mortuus fuerat *Sugerius* Abbas sancti Dionysij Areopagytæ, qui idem Monasterium ornamentis, possessionibus, & ędificiis plurimùm auxerat. Successit ei *Odo* Monachus eiusdem loci, qui anno præterito fuerat Abbas constitutus in Ecclesia Compendij, quando Rex Monachos sancti Dionisij ibidem posuerat.

Decessit etiam Algarus Episcopus Constantiensis, vir admodum religiosus, qui Canonicos regulares posuit in Ecclesia sancti Laudi de Constantia; & in Ecclesia sancti Laudi Rothomagensis, & in Ecclesia de Cæsaris-burgo. Cui successit *Ricardus* Decanus Baiocensis.

Fames penè inaudita tempore præterito, mortalitas, sacer ignis, humanum genus, & maximè pauperiores, admodùm vexat.

In Aduentu Domini inundauerunt flumina vltra solitum, deijcientes pontes etiam lapideos, & domos vicinas.

Terræmotus factus est in nocte festi sancti Nicolai.

Henricus Dux Normaniæ receptus est in pace ab Andegauensibus, fidelitatem sibi facientibus; & sic factus est Dux Normanorum, & Comes Andegauensium.

MCLI. XIV. XIV. XVI.

OBiit venerabilis Comes *Tebaldus* Blesensis nepos Regis Henrici, & frater Stephani Anglorum Regis, princeps magnæ sanctitatis & largitatis in pauperes. Huic successerunt tres filij sui; *Henricus* primogenitus, habuit Comitatum Tricassinum & Campaniensem, & quidquid pater eius habuit trans Sequanam. *Tebaldus* filius secundus, Comitatum Carnotensem, Blesensem, pagum Dunensem. *Stephanus* tertius filius, honorem Sincerij in pago Bituricensi.

Eodem anno obiit *Conradus* Imperator Romanus (qui successerat Lothario) nepos Henrici IV. mariti Imperatricis. Hic nunquam fuit Romæ coronatus; ideo non rectè vocatus Imperator, sed Rex Alemannorum. Huic successit *Fredericus* nepos eius, Dux Sueuorum.

Orta simultate inter Regem Francorum *Ludouicum*, & vxorem eius, congregatis religiosis personis in quadragesima apud Balgenceium; dato Sacramento coram Archiepiscopis, & Episcopis, quòd consanguinei essent, separati sunt authoritate Christianitatis. Post Clausum Pascha H*enricus* dux Normanorum, & Comes Andegauensis, apud Lexouias Congregatis Comitibus Normaniæ, & aliis Primoribus de itinere suo in Angliam cū illis tractauit. Venerat enim in Quadragesima pro eo *Rainaldus* auunculus eius, Comes Cornubiæ, circa Pentecosten. *Henricus* Dux Normaniæ, siue repentino, siue præmeditato consilio, duxit *Alienor* Comitissam Pictauensem, quam paulò ante Rex *Ludouicus* propter consanguinitatem dimiserat. Quo audito Rex *Ludouicus* commotus est contra eundem Ducem; habebat enim duas filias de ea, & ideò nolebat vt ab aliquo illa filios exciperet, vnde prædictæ filiæ exhæreditarentur.

Post festum sancti Ioannis cùm Dux H*enricus* esset apud Barbe fluuium, & vellet transire in Angliam cum manu armata; conuenerunt in vnum *Ludouicus* Rex Francorum, *Eustachius* filius Stephani Regis Anglorum, *Robertus* Comes Perticensis, *Henricus* Comes Campaniensis filius Tebaldi Comitis, *Gaufridus* etiam frater Ducis Normaniæ, vt ei Normaniæ, & Andegaui Comitatum, & Ducatum Aquitaniæ, quem cum vxore sua acceperat, imò & omnem terram suam auferrent, quam etiam hi quinque diuiserunt inter se. Hac re cognita, audita etiam obsidione Nouimercati, vbi omnes prædicti Principes conuenerant, excepto Gaufrido fratre suo, qui eum in Andegauensi Comitatu pro posse impugnare debebat XVII. Kalend. August. Dux *Henricus* recessit à Barbe fluuio, Castello scilicet, & pro viribus subuenturus obsesso.

In ipsa nocte fulgor nimius, & postea quasi draco ingens visus est in cœlo discurrere ab Occidente in Orientem. Interim dum Dux ingentem exercitum electorum militum & peditum contraheret, redditum est castellum fraude obseruantium, quasi esset in prærreptum. At Dux Henricus quem etiam omnes ferè Normani existimabant omnem terram suam in breui amissurum, sapienter se habens, sua viriliter defendendo ab omnibus, etiam ab inimicis laudatus est. Circa verò finem mensis Augusti collocatis militibus ad custodiam Normaniæ, ipse in Andegauensem Comitatum pergens, tandiu fratrem suam Gaufridum afflixit, donec cum eo concordatus est. Inde datis induciis inter eum & Regem, præparauit se ad transfretandum in Angliam; in qua re potest admirari audacia eius.

Eodem anno cuidam in somnis dictum est, vt manus suas & pedes truncaret, & sic saluus fieret, qui dum hoc faceret, expirauit.

Michael Monachus Becci, factus est Abbas Pratelli in festo sancti Thomæ Apostoli.

Eugenius Papa *Ioannem* Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Presbyterum, cognomento *Paparo*, destinauit Legatum in Hyberniam, cum quatuor palliis, quorum vnum dedit Episcopo Dunelinæ, & tria reliqua tribus aliis Episcopis eiusdem Insulæ. Subijciens vnicuique eorum, qui pallia acceperunt, quinque alios Episcopos. Et factum est hoc contra consuetudinem antiquorum, & dignitatem Cantuariensis Ecclesiæ, à quo solebant Episcopi Hyberniæ expetere, & accipere consecrationis benedictionem.

Eodem anno mortuus est *Mathildis* vxor Stephani Regis Anglorum.

Ioannes Monachus Sagiensis fit secundus Episcopus Insulæ Meram, quæ est inter Angliam & Hyberniam, propinquior tamen Angliæ, quàm Hyberniæ: vnde & Episcopus eius subiacet Archiepiscopo Eboracensi. Primus fuerat ibi Episcopus *Vvimundus* Monachus Sauiniensis; sed propter crudelitatem suam expulsus fuit & priuatus oculis.

Mortuus est *Guillielmus* Episcopus Dunelmi.

Mortuus est etiam *Radulfus de Parrona* Comes Viromandorum, relinquens paruulum filium nomine H*ugonem*, & vnam filiam sub tutela *Galeranni* Comitis Mellenti, nepotis sui. Hos infantes susceperat ex vxore sua iuniore, filia Guillielmi Ducis Aquitanorum. Primogenitam namque Ludouicus Rex Francorum duxerat, ex qua genuit duas filias.

Moritur nihilominus H*enricus* filius Dauid Regis Scotorum.

Moritur & iunior Guillielmus de Romara, superstite adhuc Guillielmo patre suo, relinquens duos filios natos ex sorore Guillielmi Comitis de Albamarla.

Anno superiore fuit vindemia rara & valde sera; vnde & vinum nimis carum, & duri saporis fuit. Hoc autem anno fuit vindemia temporanea; sed vinum carius quàm anno præterito: Idcirco fiebant vulgò etiam in Francia tabernæ ceruisiæ & medonis, quod nostræ memoriæ in retroactis temporibus non fuit auditum.

Gaufridus Artur, qui transtulerat historiam de Regibus Britonum de Britannico in Latinum, fit Episcopus sancti Asaph in Norgualis. Sunt itaque hodie in Gualia IV. Episcopatus: in Anglia XVII. In octo eorum sunt Monachi in Episcopalibus sedibus, hoc in aliis prouinciis, aut nusquam aut rarò inuenies: sed ideo in Anglia reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, scilicet AVGVSTINVS, MELLITVS, IVSTVS, LAVRENTIVS, Monachi fuerunt. In aliis octo Episcopalibus sedibus Canonici Seculares; in vna Canonici Regulares.

Eodem anno *Ioannes Romanus*, qui fuerat Monachus à puero sancti Sabæ, & post Abbas sanctæ MARIÆ in Capitolio, Romano & relictâ eâdem Abbatiâ factus fuerat Monachus Becci, perrexit Romam, & inde rediens caput Beati Fœlicis Martyris, socij sancti Audacti, attulit secum & gratuitò dedit illud Ecclesiæ Becci.

Pullulante perniciosa doctrina *Henrici* hæretici, maximè in Guasconia, suscitauit Dominus spiritum puellæ iunioris in illa prouincia ad hæresim confutandam. Per triduum namque in vnaquaque septimana iacebat absque voce, sensu, & etiam absque flatu; & rediens postmodum ad se, dicebat Beatam MARIAM orare pro populo Christiano, & Beatum Petrum docuisse se Orthodoxam fidem. Exinde de fide nostra sapienter & Catholicè differebat; & præcipuè hæresim *Henrici* conuincens: plurimos ab eo seductos ad sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ reuocabat.

Tradita, vt prædictum est, munitione Noui-mercati *Ludouico* Regi Francorum, idem Rex exercitũ suũ vsque ad Caluum-montem reuocauit. At *Henricus* Dux Normaniæ, collectâ non minimâ manu electorum militum & peditum, castrametatus est iuxta fluuium Andellæ; vbi residens aliquandiu afflixit illam partem Vulcassini, quæ est inter Andellam & Itam flumina, quæ ad Ducatum Normaniæ pertinet. Sed *Gaufridus* Comes Andegauorum post mortem Henrici Regis Anglorum, concessit eam ad tempus Ludouico Regi Francorum, sicut & multa alia de Dominicis terris Ducatûs Normaniæ concesserat quibusdam magnatibus eiusdem prouinciæ, vt eos faceret hoc modo promptiores ad ferendum sibi auxilium in subijciendo suæ ditioni prædictum Comitatum. Quotidie itaque Dux *Henricus* in eam populatores mittebat ad quærendum victualia hominibus, & iumentis sui exercitus: Destruxit etiam ibi, & igni tradidit castellum Bascheruille, & duo alia castella Chitreium, & Strinpegneium combussit. Hoc idem significante fumo Francis, qui ex altera parte Itæ fluminis castra posuerant, nec aliquid suis auxilium ferentibus, munitionem etiam *Hugonis de Gornaco*, quam Feritatem nominant, assultu capiens igni tradidit, excepta turre, quæ in alto monte sita est. Denegat enim idem Hugo prædicto Duci debitum famulatum, & inimicos eius extra castrum Gornaci fouebat.

Mediante autem mense Augusti, *Ludouicus* Rex exercitum suum fecit transire Sequanam apud Mellentum; quod Dux audiens, & ipse copias suas per pontem Vernouis traducens, concito gradu cum aliquantis expeditis militibus ad Vernolium, ad quod Regem festinare ab exploratoribus audierat, tendebat. Cùm subitò *Guillielmus de Paceio* mandauit ei, quatenus Paceium rediret, ad quod Rex cum exercitu maximo veniebat. Ille impiger & nescius moræ in subueniendo suis; retroacto capite equi tanta festinatione cum sociis remeauit, vt antequam Paceium peruenirent, plurimi equorum suorum aut mortui, aut penè mortui in via remanerent. Audito Ducis aduentu Rex maturiore consilio vsus, noluit terram eius intrare; sed ipso die Medantum rediit. Dux verò vocatus à *Gisleberto de Tegulariis*, combussit Brueroles castrum *Hugonis de Nouo castello*, & alteram quandam munitionem, Maculfi-villam cognominatam, sitam in Dorcassino pago. Exinde rediens in Normaniam, & affligens *Richerium de Aquila*, qui hostibus eius subsidium ferebat, coëgit eum de pace tenenda dare obsides, & muitionem Bomoluri vbi raptores & excommunicatos receptabat, igni tradidit. Circa verò finem Augusti collocatis militibus ad custodiam Normaniæ, ipse in Andegauensem Comitatum pergens, obsedit munitionem Montis-Sorelli, vbi iugi obsidione coarctans inclusos, *Guillielmum* Dominum ipsius castri, qui partes fratris sui iuuabat, cum aliis pluribus militibus cepit. Hoc itaque infortunio, & aliis pluribus, *Gaufridus* frater eius coactus est cum illo reconciliari.

Interea Rex Francorum de absentia Ducis nactus opportunitatem, instigante eum maximè *Roberto* fratre suo, qui duxerat relictam *Rotronis* Comitis *Moritoniæ*, & cui idem Rex dederat castrum Dorcassinum, partem Burgi Tegulariensis, & quemdam vicum castri Vernolij, voracibus flammis tradidit. Castrum etiam Nannetis-curtis apparatu bellico cingens, nihil ei nocuit. Paucis exinde diebus euolutis datis induciis inter Regem & Ducem, Dux præparauit se ad transfretandum: sed antequam transiret, Rex fecit reddere Treguas. Nihilominus tamen dux propositum transfretandi deserens, auram ad transeundum aptã iuxta naualia ope-

riebatur, In quo poteſt animaduerti probitas & audacia eius.

In Capitulo Ciſtercienſi ſtatutum eſt ne amplius aliquam nouam Abbatiam conſtruerent, quia numerus Abbatiarum de illo Ordine vſque ad quingentas ferè Abbatias proceſſerat.

Mortuo *Conrado* Imperatore Romanorum, vt prædictum eſt, ſucceſſit *Fredericus* nepos eius.

Eugenius Papa fecit transferri de Græco in Latinum librum Petri Damaſceni.

MCLII. FREDERICVS.

I. XV. XVII.

HEnricus Dux Normanorum infra Octauam Epiphaniæ tranſiit in Angliam cum XXXVI. nauibus.

Facta eſt eclipſis ſolis VII. Kalend. Februarij circa octauam horam, Lunâ XXVII.

Dux Normanorum obſidens caſtrum munitiſſimum Mammeſberij, & homines Regis *Stephani* in eo ad deditionem coëgit: licet idem Rex cum pluribus millibus armatorum in proximo eſſet.

Obiit *Gillebertus* filius Ricardi, & ſepultus eſt apud Claram, in cella quam Gillebertus auus eius dederat Monachis Becci. Succeſſit autem ei *Rogerius* frater ſuus.

Poſt octauam Paſchæ *Ludouicus* Rex Francorum cum magno exercitu, ſummo mane veniens de Medanta ad Vernonem, burgum extra muros poſitum combuſſit, & villam optimam, & vinearum fertilem; quam villam Longuam nominant. Irritauerat enim iram eius *Ricardus* filius Guillielmi de Vernone, non veritus deprædari mercatores in conductu ipſius.

Gondreda Comitiſſa Vvaruicenſis eiecit cuſtodes Regis Stephani de munitione ciuitatis Vvaruiæ, & tradidit eandem munitionem Henrico Duci Normanorum. Mortuo *Rogerio* Comite Vvaruicenſi, ſucceſſit ei *Henricus* filius ſuus, natus ex Gundreda ſorore vterina Gaufridi Comitis Mellenti.

Mortuo etiam Simone Comite Huntedoniæ, ſucceſſit ei *Simon* filius eius, quem genuerat ex filia Roberti Comitis Legeceſtriæ.

Deceſſit etiam Dauid Rex Scotiæ, vir admodum Religioſus, & ſucceſſerunt ei duo nepotes, quos Henricus filius eius qui anno ſuperiore obierat, ex filia *Guillielmi* Comitis *de Vvarenna*, ſorore videlicet vterina *Gaufridi* Comitis *Mellenti*, genuerat. Primogenitus horum, ſcilicet Melcomus, Regnum Scotiæ adeptus eſt; frater eius *Guillielmus* Comitatum Londonienſem.

Menſe Iulio VII. Idus eiuſdem menſis, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt venerabilis memoriæ *Eugenius* III. Papa, vir admodum religioſus, in eleemoſinis largus, in iudiciis iuſtus, omnibus tamen tàm pauperibus, quàm diuitibus affabilis, & iucundus: Ad cuius tumulum, qui ei in Eccleſia Beati Petri venerabiliter factus eſt, miracula poſt tranſitum eius ſtatim apparuerunt. Succeſſit ei *Conradus* Sabinienſis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis, in vrbe duntaxat, in agendis epiſcopalibus, cùm Papa deeſt, ex antiqua conſuetudine, pro dignitate loci ſui Vicarius qui erat natione Romanus, vir grandæuus & apud Romanos auctoritate præclarus. exinde vocatus *Anaſtaſius* IV. Papa videlicet clxxii.

Henricus Dux Normanorum obſedit caſtrum Crauemenſe, quod Rex Stephanus fecerat haud procul à Vvarengefort, quatenus milites Ducis, qui in prædicto caſtro erant, à tranſitu pontis Tamiſiæ prohiberet. Capto pro maiori parte caſtello Crauemenſe, cùm Rex *Stephanus* illò appropinquaret, cum non minimo apparatu bellico, vt ſuis ſecundum condictũ ſubueniret, Dux intrepidus, nec deſerens obſidionem, acies contra Regem pugnaturus ordinauit. Verùm intercurrentibus religioſis perſonis, & ſecretò cum Summatibus, qui in exercitu Ducis erant, tractantibus, ad hunc finem res deducta eſt, vt datis V. dierum induciis, Rex Stephanus propriũ Caſtellum quod obſidebatur, euerteret, eductis tamen lxxx. militũ ſuorum, qui ſupererant: Nam Dux in quadam turre lignea xx. milites iam ceperat, exceptis lx. ſagittariis, quos decapitari fecerat. Hanc conditionem cùm Dux cognouiſſet, licet ſibi magno honori eſſet, grauiter tulit, & in hac duntaxat parte de infidelitate ſuorum, qui eandem conditionem interpoſitione ſuæ fidei firmauerant, conqueſtus, ne fidem illorum irritam faceret, prædictum pactum conceſſit. Soluta eſt itaque obſidio, quæ circa Vvalingefort ordinata fuerat, Rege Stephano Crauemenſe ſubuertente. Nam anno præterito familia Ducis Henrici, quæ Vvalingefort incolebat, non ſolùm caſtrum Breteuelle, quod diu eos impugnauerat, verùm etiam caſtellum, quod Rex etiam *Stephanus* contra ius & fas erexerat apud Abbatiam Radingis, peſſum dederat.

Exinde Dux *Henricus* cum CCC. militibus obuiauit *Guillielmo de Querceio* Præſidi Oxinefordenſi, & *Ricardo de Luceio*, & *Guillielmo Martello*, & ſociis eorum venientibus in terram

ſuam, & fugauit eos vſque Oxinefort, & cepit ex eis xx. milites, prædam autem innumerabilem, quam velites, & leuis armaturæ viri, qui eum proſecuti fuerant, ex circumiacente regione congregauerant, iuſſit reddi quorum fuerat, dicens ſe non ad hoc vt raperet, ſed vt à rapina potentum, populum pauperem liberaret, veniſſe.

Dux Normaniæ cepit caſtrum munitiſſimum, & diuitiis opulentum, & cuiuſdam comitatûs caput, ſcilicet Stanfort.

Circa finem Iulij Menſis *Ludouicus* Rex Francorum congregans maximum exercitum ex omni ſua poteſtate obſedit caſtrum Vernonis, ferè per xv. dies. Cúmque nihil proficeret, nec crebris aſſultibus, nec diuerſi generis machinis: & Comes Morinorum quos moderni Flandros nominant, in cuius multiplici militia Rex maximè confidebat, vellet diſcedere, ne prædictus Rex inglorius recederet, ſi omnino nihil profeciſſet; egit ſecretis conuentionibus & promiſſis cum *Ricardo de Vernone*, vt ſaltem vexillum eius in turre leuaretur, & eadem turris *Goello* filio Baldrici cuſtodienda committeretur, qui vtrique, Regi ſcilicet & Ricardo, beneficio Caſamenti obnoxius erat.

Menſe Septembri Rex Francorum cum paucis veniens, & quaſi latenter, combuſſit quandam partem burgi Vernolij.

Mortuo *Guillielmo de Paceio* abſque liberis, redditum eſt caſtrum Paceij *Roberto* filio Comitis Legeceſtriæ, quia pertinebat ad honorem Britolij, vnde ille erat legitimus hæres ex parte matris ſuæ. Diſcordia facta eſt inter *Simonem* Comitem Ebroicenſem, & filios *Aſceltni Goelli*, ſcilicet *Guillielmum Lupellum*, & *Rogerium Balbum*, quâ inualeſcente, prædictus Comes fere totam terram eorum depopulatus eſt, abſque firmitatibus.

Nonis Auguſti facto tonitruo magno circa occubitum ſolis, fulmen cecidit Becci in ſummitate camini cuiuſdam cameræ, ſitæ ſuper pontem fluentem aquam, & diuidens eundem caminum, mediam partem eius deiecit, reliqua medietate ſtante.

Mulier quædam Religioſa, de prouincia Lotharienſi, habens Spiritum prophetiæ, miſit literas capitulo Ciſtercienſi valde obſcuras, & quaſi per integumentum loquentes; in quibus tamen poterat animaduerti, quòd aliquantulum & teporem Ordinis, & frigus notaret caritatis. Hæc prædixerat *Eugenio* Papæ, quòd circa octauum annum ſui Sacerdotij, & pacem habiturus eſſet, & vitæ finem.

Tertius *Balduinus* Rex Ieroſolymitanus, gratiâ Dei præcurrente, obſidens diu ciuitatem Aſcalonem, tandem cepit eam, & dedit eam Amalrico fratri ſuo Comiti Ioppenſi.

Rogerius Rex Siciliæ per Amiralios ſuos cepit Tonitam, vrbem maximam in Affrica.

Mortuo *Ricardo* Abrincenſi Epiſcopo in itinere Romæ, cùm illuc perrexiſſet causâ altercationis duorum electorum Abbatiæ Montis ſancti Michaëlis; Humbertus Capellanus Ducis Normaniæ factus eſt Epiſcopus prædictæ ſedis.

Menſe Auguſti, circa Octauam ſancti Laurentij, moritur *Euſtachius* filius Stephani Regis Anglorum, quia prædatus fuerat, vt quidam dicunt, terram ſancti Edmundi Regis & Martyris, in ipſa feſtiuitate ſancti Laurentij.

In eiſdem Octauis naſcitur filius primus Henrico Duci Normaniæ ex vxore ſua Alienor Comitiſſa Pictauienſi, vocatus eſt idem puer *Guillielmus*, quod nomen quaſi proprium eſt Comitibus Pictauorum, & Ducibus Aquitanorum.

Venerabilis *Bernardus* primus Abbas Clareuallis, vir admirandæ religionis, & doctrinæ efficacis, humanæ vitæ ſatisfecit moriendo XIV. Kalendas Septembris, relinquens ſapientiæ ſuæ plurima documenta, maximè in commentariis in Canticis Canticorum: cui ſucceſſit *Robertus* Flandrita, qui erat Abbas Dunenſis.

Deceſsit nihilominus *Henricus Murelac* Archiepiſcopus Eboracenſis, Monachus Ciſtercienſis.

Stephanus Rex Anglorum, & *Henricus* Dux Normaniæ cognatus eius VIII. Idus Nouembris, iuſtitiâ de cœlo proſpiciente, concordati ſunt hoc modo: Rex priùs recognouit in Conuentu Epiſcoporum, & Comitum, & reliquorum Optimatum, hæreditarium ius, quod Dux *Henricus* habebat in Regnum Angliæ: & Dux benignè conceſſit, vt Rex totâ ſuâ vitâ, ſi vellet, regnum teneret. Sic tamen, vt in præſentiarum ipſe Rex, & cæteri potentes, & Epiſcopi, Sacramento firmarent; quod Dux poſt mortem Regis, ſi ipſe eum ſuperuiueret, pacificè, & abſque contradictione Regnum haberet. Iuratum eſt etiam quod poſſeſſiones, quæ direptæ erant ab inuaſoribus, ad antiquos & legitimos poſſeſſores reuocarentur, quorum fuerant, tempore Henrici optimi Regis. De caſtellis etiam, quæ poſt mortem prædicti Regis facta fuerant, vt euerterentur quorum multitudo ad CCC. LXXV. ſummam excreuerat.

Ranulfus Comes Ceſtriæ moritur, relinquens ſucceſſorem ſui honoris, *Hugonem* filium,

natum ex filia Roberti Comitis Gloecestriæ.

Robertus de Monte-forti cepit auunculum suum *Gualeranum* Comitem Mellenti, in colloquio conducto haud procul à burgo Bernai.

Obsesso castro Orbec ab hominibus Comitis Gualeranni, in quo idem Comes tenebatur, tandem Comes liber dimissus est, reddità priùs prædicto nepoti suo turre de Monteforti.

MCLIII. II. XVI. XVIII.

LVdouicus Rex Francorum duxit vxorem filiam *Anforsi* Regis Hispaniarum. Caput Regni huius Regis Ciuitas est Toletum; quem, quia principatur Regulis Arragonum & Galliciæ, Imperatorem Hispaniarum appellant.

Gualrannus Comes *Mellenti* obsidens castrum Monti-fortis, fugatus est ignominiosè à nepote suo *Roberto*, euersis duobus castellis, quæ ipse prope Montem-fortem erexerat.

Rogerius Rex Siciliæ moritur quarto Kalendas Martij; huic successit *Guillelmus* filius suus, quem pater ante mortem suam sublimatum in Regem consortem Regni fecerat. Hic duxit filiam Regis Nauarrorum *Garsiæ*, sororem scilicet *Sanctij* iunioris; & suscepit ex ea filium primogenitum nomine *Rogerium*.

Mortuo, vt prædictum est, *Henrico* Archiepiscopo Eboracensi, *Anastasius* Papa restituit in eandem sedem *Guillielmum* donans ei pallium, & consecrans Romæ in præsentia eius *Hugonem de Pinsat* Episcopum Dunelini nepotem Stephani Regis Anglorum. Hunc Guilliel-mum *Eugenius* Papa decessor Anastasij deposuerat.

Circa Pascha *Henricus* Dux Normanorum transfretauit in Normaniam, & cepit reuocare paulatim & prudenter in ius proprium sua Dominica, quæ pater suus, necessitate vrgente, Primoribus Normaniæ ad tempus concesserat. Inde profectus est in Aquitaniam, rebellionem quorundam repressit.

Guillielmus Archiepiscopus Eboracensis reuersus in Angliam, dum diuina mysteria consummat, hausto, vt aiunt, in ipso calice veneno, moritur: cui successit *Rogerius de Ponte-Episcopi*, Archidiaconus Cantuariensis.

MCLIV. III. XVII. XIX.

MEnse Maio VI. Kalendas Iunij, feriâ V. infra Octauam Pentecostes, Monasterium Beati Michaëlis de Periculo maris, post tribulationem quam per quinquennium ferè iugem passum fuerat, Deo miserante, aliquantulum respirauit; electo vnanimiter ab omni Conuentu **Roberto de Torinneio* Priore Claustrali Beccensis Monasterij.

* Auctore huius Operis.

Eodem mense Dux *Henricus* rediens de Aquitania, Rothomagi in die festiuitatis sancti Ioannis Baptistæ, gratanter assensum præbuit prædictæ electioni, quam Archiepiscopus Rothomagensis *Hugo* vir summæ religionis & industriæ, cum Imperatrice matre Ducis, antea vt præsentes libentissimè confirmauerant. Sequenti vero mense in festiuitate sanctæ Mariæ Magdalenæ, prædictus electus, benedictus est in Abbatem apud sanctum Philibertum de Monte forti, ab *Herberto* Episcopo Abrincensi, & *Girardo* Sagiensi, præsentibus Abbatibus *Rogerio* Beccensi, *Michaële* Pratellensi, *Hugone* de sancto Saluatore Constantini.

Mense Augusti concordati sunt *Ludouicus* Rex Francorum, & Dux Normanorum *Henricus*, hoc modo: Rex reddidit duo castella, Vernum, & Nouum-Mercatum; & Dux dedit ei duo millia marcarum argenti, pro resarciendo damno quod Rex passus fuerat in capiendo, muniendo, tenendo easdem firmitates.

Reinaldus de Castelliolo factus princeps Antiochiæ, ductâ *Constantiâ* relictâ Raimundi Principis, quem Turci eodem anno, quo Rex Francorum *Ludouicus* de Ierusalem rediit, occiderant: contra eosdem Turcos viriliter agens tria castella illis abstulit, quæ fuerant Christianorum.

Circa Kalendas Octobris *Henricus* Dux Normanorum sopita aduersa veletudine, Deo miserante, qua periculosè laborauerat, accitus à Rege Francorum cum exercitu perrexit in Vvilcassinum, & pacificauit cum Rege *Goscelinum Crispinum*. Inde rediens, obsedit Torinneium ferè per XV. dies, incipiens ibi tria castella. Reddito castello, & pacificato *Ricardo* filio Comitis, qui illud municipium tenuerat, audito veridico nuncio de morte *Stephani* Regis Anglorum, locutus cum matre sua Imperatrice, conuocatisque fratribus suis, *Gaufrido*, & *Guillelmo*, & Episcopis, & Optimatibus Normaniæ, venit Barbefluuium, & ibi per vnum mensem expectauit ventum opportunum ad transfretandum. Obierat enim VIII. Kalendas Nouembris *Stephanus* Rex Anglorum: cuius corpus tumulatum est in Monasterio Fassehan, quod *Mathildis* vxor eius ædificauerat, vbi ipsa, & filius eius primogenitus *Eustachius* sepulti sunt. Interim pax summa erat in Anglia timore & amore Henriri Ducis, quem omnes venturum, & Regem futurum non dubitabant.

Obiit VI. Calendas Decembris *Anastasius* Papa Romanus; & successit ei *Nicolaus* Episcopus Albanensis, vocatus Adrianus IV. Papa videlicet CLXXIII. vir quidem religiosus, & natione Anglicus, qui priùs fuerat Abbas Canonicorum Regularium sancti Rufi in Prouincia, sed ab Eugenio predecessore suo factus fuerat Episcopus Albanensis.

* *Hucusque inedita. Quæ sequuntur maxima ex parte edita sunt, præter scripta Italico carathere.*

* Moritur etiam *Gillebertus* Episcopus Pictauiensis, vir religiosus & multiplicis doctrinæ, qui Psalmos & epistolas Pauli luculenter exposuit.

Ludouicus Rex Francorum gratia orationis perrexit ad sanctum Iacobum de Gallicia, & ab Imperatore Hispaniarum socero suo fauorabiliter susceptus est in Hispania.

Henricus Dux Normanorum VII. Idus Decembris in Angliam transfretans cum magno tripudio Clericorum & Laicorum exceptus, XIII. kalendas Ianuarij, die Dominica ante Natiuitatem Domini, apud Vvesmonasterium ab omnibus electus, & in Regem vnctus est à *Theobaldo* Archiepiscopo Cantuariensi. Adfuerunt etiam Episcopi omnes Anglici Regni, *Rogerius* Archiepiscopus Eboracensis, *Ricardus* Episcopus Londoniensis, *Henricus* Vvintoniensis, *Robertus* Lincoliensis, *Gualterius* Cestrensis, *Gillebertus* Herefordensis, *Robertus* Batensis, *Ioannes* Vvigorniensis, *Robertus* Oxoniensis, *Hilarius* Cestrensis, *Goscelinus* Salebériensis, *Galterius* Roffensis, *Nigellus* Heliensis, *Guillielmus* Norvvicensis, *Hugo* Dunelmensis, *Adalulfus* Carliuensis. Adfuerunt & de Normania vir religiosus ac timens Dominum *Hugo* Archiepiscopus Rothomagensis, *Philippus* Baiocensis, *Arnulfus* Lexouiensis, & *Herbertus* Abrincensis Episcopi. Adfuerunt Comites regni illius, & de Regno Francorum, Theodoricus Comes Flandrensis, & alij plures.

Facta est eclipsis lunæ Dominicâ ante Natalem Domini.

HENRICVS II.

MCLV. | IV. | XVIII. | I.

REx Henricus cepit reuocare in ius proprium vrbes, castella, villas, quæ ad coronam Regni pertinebant, Castella nouiter facta destruendo, & expellendo de regno maximè Flandrenses; & deponendo quosdam imaginarios & pseudo-Comites, quibus Rex *Stephanus* omnia penè ad fiscum pertinentia minùs cautè distribuerat.

Factus est terræ motus XV. Calendas Martij, maximè in Burgundia, adeò vt ter in nocte festiuitatis sanctæ Priscæ virginis sentiretur apud Cluniacum; & quoddam castellum, quod erat desertum, haud procul à Cluniaco situm, absorptum iret in abyssum; & spatium, in quo castellum fuerat, repleretur aqua inæstimabilis profunditatis.

Natus est Londoniæ pridie Calendas Martij feria II. filius II. *Henrico* Regi Anglorum, ex vxore suo Regina *Alienor*, & vocatus est *Henricus*.

Henricus Rex Anglorum exhæreditauit *Guillielmum Peurel* de Notinguehan, causâ veneficij, quod fuerat propinatum *Ranulfo* Comiti Cestriæ. In consortio huius pestis plures participes, & conscij esse dicuntur.

Hoc anno frequenter terræmotus per Totam Quadragesimam accidit in Burgundia, & Longobardia XVIII. Calendas Maij feriâ V. etiam apud Montem sancti Michaëlis terræ-motum sensimus ante solis ortum.

Mortuo *Roberto* Exoniensi Episcopo, successit *Robertus* decanus Salesberiensis.

Mortus est *Balduinus de Rediuers*, & successit *Ricardus* filius eius.

Dominicâ post octauam Paschæ, videlicet IV. Idus Aprilis *Henricus* Rex apud Vvarengefort, fecit Optimates Anglici Regni iurare fidelitatem *Guillielmo* primogenito suo, de regno Angliæ: & si idem puer immatura morte occumberet, Henrico fratri suo.

Sopita discordiâ, quæ erat inter Regem Anglorum *Henricum*, & *Rogerium* filium *Milonis de Gloecestria*, propter turrem Gloecestriæ.

Hugo de Mortuo-mari vir arrogantissimus & de se præsumens, muniuit castella sua contra Regem. Ilicò Rex Henricus obsedit omnia castella ipsius, id est, Bruge, & Vuigemore, Cleoberi, quorum vltimum post aliquantulum temporis cepit, & destruxit.

Quinto decimo Calendas Iulij, primâ horâ noctis, eclipsis lunæ accidit.

Mense Iulio Nonis eiusdem, *Hugo de Mortuo-mari* pacificatus est cum Rege Henrico, redditis castellis de Bruge & Vvigemore.

Garnerius Abbas Maioris-monasterij moritur, & successit *Robertus* natione Brito.

Mortuo *Rogerio* filio Milonis de Gloecestria, Comite de Herefondensi, successit ei *Galterius* frater eius in paternam hæreditatem tantùm: nam Comitatus Herefort, & ciuitatem Gloecestriæ Rex Henricus retinuit in manu sua.

Fredericus Rex Alemanorum Romam perrexit, & ab *Adriano* Papa contra voluntatem Romanorum receptus; & in Ecclesia Beati Petri in Imperatorem ab eo consecratus est. Volens

autem vltra progredi, scilicet in Apuliam. Condixerant enim sibi per legatos suos ipse & Emanuel Imperator Constantinopolitanus, qui duxerat sororem eius, vt venientes ex diuersis partibus pessundarent regnum Apuliæ, & Regem eius *Guillielmum*: mutatâ protinus voluntate in patriam suam recepit se. Nec tamen G*uillielmo* Regi Apuliæ bellum defuit: Nam *Robertus* Comes de Basuilla, qui erat cognatus eius, & *Ricardus de Linges* Comes Andriæ, putantes Regem mortuum, cùm non esset, ægrotauerat enim, sed tamen postea conualuit: par regnum Apuliæ grauiter debacchati sunt.

Circa festum sancti Michaëlis H*enricus* Rex Anglorum habito Concilio apud Vvincestre de conquirendo regno Hyberniæ, & G*uillielmo* fratri suo dando, cum Optimatibus suis tractauit: quod quia matri eius Imperatrici non placuit, intermissa est ad tempus illa expeditio.

H*enricus* Episcopus Vvintoniæ, clàm præmisso thesauro suo per Abbatem Cluniacum, absque licentia Regis, & quasi latenter recessit ab Anglia. Ilicò Rex Henricus omnia castella eius pessundedit.

MCLVI. V. XIX. II.

REx H*enricus* transfretaturus apud Douram mare intrauit, & appulit Vvisant. In Purificatione Sanctæ MARIÆ fuit Rothomagi; & in sequenti Dominica locutus est cum Rege Francorum *Ludouico* in confinio Normaniæ & Franciæ. Inde rediens Rothomagum, venerunt ad eum *Terricus* Flandrensium Comes, & vxor eius, amita ipsius Regis, G*aufridus* frater eius. Sed Gaufrido non suscipiente ea quæ illi à Rege offerebantur, recessit in Andegauensem pagum, & Rex Henricus è vestigio eum subsecutus est.

Regi Anglorum nata est filia nomine Mathildis.

Circa hoc tempus inundatione Tyberis factâ non modicâ, Romæ in quadam insula eiusdem fluminis, in Ecclesia antiqua, inuentum est in quodam sarcophago corpus beati *Bartholomæi* Apostoli totum integrum, excepto corio, quod remansit Beneuenti, quando *Otho* Imperator capta eadem ciuitate corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicut duæ tabulæ æreæ demonstrant, scriptæ literis Græcis & Latinis, quę repertę fuerunt cum corpore Apostoli. Repertum est etiam in eadem Ecclesia corpus sancti *Paulini* Nolani Episcopi.

G*aufridus* frater Henrici Regis Anglorum, expulso H*oello* Comite Britannię, cepit Nanneticam ciuitatem, consentientibus ciuibus.

Guillielmus Sicilię Rex ciuitatem Bar funditus euertit præter Ecclesiam sancti Nicolai; quia ciues illius Gręcis fauentes, nequissimè contra ipsum conspirauerant. Gręcos etiam terrâ & mari idem Rex superauit, & de spoliis eorum locupletatus est, & ea quę perdiderat castella & ciuitates in ius proprium reuocauit. Exhęreditauit etiam Comitem *Robertum de Basuilla* cognatum suum, quia ab ipso discesserat. Nihilominus cum Papa *Adrianus* pacem fecit, concedendo ei consecrationes Episcoporum regni sui, & Ducatus, sicut antiquitùs habuit Ecclesia Romana; vnde discordia fuerat inter patrem suum *Rogerium* Regem, & *Innocentium*, & *Eugenium* ROMANOS Pontifices. Idem verò Apostolicus concessit ei regnum Sicilię, & Ducatum Apulię, & Principatum Capuę.

In octaua Pentecostes H*ugo* ROTHOMAGENSIS Archiepiscopus, & *Rotrodus Ebroicus*, & *Ricardus* Constantiensis, & H*umbertus* Abrincatensis Episcopi, apud Moretonium leuauerunt corpus beati *Firmati*.

Cùm autem Archiepiscopus inde ad Montem sancti Michaelis orationis ac nos visitandi gratia venisset, & nos sua iucunda exhortatione, & collocutione, quatuor dies exhilarasset; altare Crucifixi fecit consecrari ab H*umberto Abrincensi Episcopo* VI. *feria: ipse verò in sequenti Sabbatho altare Beatæ* MARIÆ *in Crypta Aquilonis nouiter reædificatum, consecrauit. In quo altari reposuimus reliquiam vestimentorum, vt putamus, ipsius Dominæ nostræ, quas in pyxide plumbea, in veteri ara ibidem repereramus.*

In pago Parisiacensi cappa Saluatoris nostri Monasterio Argentoilo, diuina reuelatione reperta est inconsutilis, & subrufi coloris: quam, sicut literæ cum ea repertæ indicabant, gloriosa Mater illius fecit ei cùm adhuc esset puer.

Tertio Kalendas Iunij, feriâ quartâ, vigiliâ Ascensionis Domini, circa meridiem, per dimidiam fere horam circulus maximæ latitudinis apparuit in circuitu solis, ignei, & cerulei coloris.

Obiit G*uillielmus* primogenitus filius Henrici Regis Anglorum, & sepultus est Radingis ad pedes Henrici Regis proaui sui.

Obiit nihilominus *Adalulfus* primus Episcopus de Carloil.

Obiit etiam G*illebertus de Guant*.

Simon iuuenis, filius Simonis Comitis, cùm careret terra, dono Regis Henrici accepit filiam eius vnicam cum honore eius.

Henricus Rex Anglorum cepit castrum Mirebellum, & Chinonem longa obsidione. Lodunum verò est ei redditum; quando pacificatus est cum eo *Gaufridus* frater suus, hac conditione interposita; quòd Rex daret ei singulis annis M. lib. Anglicæ monetæ, & duo millia Andegauens. & ita, Deo fauente, discordia, quæ diu durauerat inter eos, Mense Iulio sopita est.

Mortuo *Alano* Episcopo Rodonensi, successit ei *Stephanus* Abbas sancti Florentij vir religiosus, & literatus, & eloquens.

Obiit etiam *Ingelbaudus* Archiepiscopus Turonensis, & successit *Gotho* Brito Episcopus sancti Briocci.

Conanus Comes *de Richemont* veniens de Anglia in minorem Britanniam, obsedit vrbem Redonensem, & cepit, fugato *Eudone* Vicecomite vitrico suo.

Hoc anno fulgura & tempestates mense Iulio frequenter in Normania acciderunt. Vnde in pluribus locis messis periit, & homines fulgurati interierunt. Subsecuta est abundantia pluuiæ, quæ cœpit medio mense Augusti, quæ impediuit & collectionem messium, & subsequenter seminum sparsionem: ex qua iugi inundatione pluuiarum, quæ diu durauit, multæ turres & Ecclesiæ, & antiquæ maceriæ in Normania, & Anglia, corruerunt.

Radulfus de Fulgeriis cepit in quodam conflictu *Eudonem* Vicecomitem de Lerchoit: & hac de causa maiorum pars Britannorum receperunt Comitem *Conanum* in Ducem Britanniæ, excepto *Ioanne* Dolensi, qui adhuc pro viribus Conano & coadiutoribus eius resistit.

Fredericus Imperator Alemannorum duxit filiam *Guillelmi* Comitis Matisconensis, & cepit cum ea ciuitatem Vesontionem, & alias multas, quas pater eius tenuerat de Duce Burgundiæ. Pars tamen illius honoris quædam remansit Rainaldo Comiti, patruo eiusdem puellæ.

MCLVII | VI. | XX. | III.

VEnerabilis *Petrus* Cluniacensis Abbas, VIII. Calendas Ianuarij ingressus est viam vniuersæ carnis.

Guillielmus Rex Siciliæ nauali expeditione per Admiralios suos cepit Sibillam ciuitatem metropolim, sitam inter Affricam & Babilonem. Est autem eadem ciuitas caput regni, in qua idem Rex habitatores Christianos misit, & eis Archiepiscopum præfecit.

Sabbatho infra Octauas Paschæ in Abrincatino villa, quæ vocatur Landa aronis, circa meridiem quasi de terra emergens turbo maximus, quæque proxima inuoluit, & rapuit: ad vltimum quasi quædam columna rubei & cærulei coloris, sub turbine ascendente in sublime, stetit, & videbantur, & audiebantur quasi sagittæ & lanceæ in ipsa columna defigi, licet non appareret intuentibus qui eas agitaret. In turbine qui stabat super columnam, apparebant quasi diuersæ species volucrum in eodem volitantium. Subsecuta est illicò in eadem villa mortalitas hominum, inter quos & dominus villæ occubuit. Nec solum in illa villa, sed etiam in multis locis Normaniæ, & finitimarum regionum, mortalitas hoc anno grassata est.

Monachi claustrales Cluniaci tumultuaria electione, imo intrusione, quemdam nomine *Robertum* Grossum, cognatum Comitis Flandriæ, pro parentela sua elegerunt, reclamantibus maturionibus viris, & honestis personis, quæ de eodem Monasterio ad pastoralem curam assumpti fuerant.

Obiit *Giraldus* Sagiensis Episcopus

Henricus Rex Anglorum post Octauam Paschæ apud Barbe-fluuium transiuit in Angliam: & Malchomus Rex Scotorum reddidit ei quidquid habebat de dominio suo, id est, ciuitatem Carluith, castellum puellarum, Baenburc, nouum castellum super Tynam, & Comitatum Lodonensem. Et Rex reddidit ei Comitatum Huntedoniæ.

Similiter *Guillielmus* filius Stephani Regis, qui erat Comes ciuitatis Constantiarum, id est, Moritonij, & in Anglia Comes Surreiæ, id est, de Vvarenna, propter filiam tertij Guillielmi de Vvarenna, quam duxerat: reddidit ei Peneuesel, & Norrich, & quicquid tenebat de corona sua, & omnes proprias munitiones tam in Normania, quàm in Anglia, & Rex fecit eum habere quidquid Stephanus pater eius habuit in anno, & die, quo Rex *Henricus* auus eius fuit viuus, & mortuus.

Hugo Bigotus castella sua Regi reddidit.

Mortuo Ludouico *primo Abbate sancti Georgij Baucheri-villæ, successit ei* Victor *Monachus sancti Victoris.*

Rogerius Aquila, *vir religiosus, ac timens Dominum, Monachus Cluniacensis, factus est Abbas sancti Audoeni Rothomagensis*, Freherio *se dimittente propter infirmitatem.*

Terricus Comes Flandrensis, & vxor eius, amitta Henrici Regis Anglorum, perrexit Ie-

rusalem, & dimiserunt Philippum filium suum, & totam terram suam in manu Henrici Regis Anglorum.

Circa festum sancti Ioannis Baptistæ Rex *Henricus* præparauit maximam expeditionem, ita vt duo milites de tota Anglia tertium perarent ad opprimendum Gualenses, terrâ & mari.

Agareni ciuitatem Almariam in Hispania super Christianos, quam amiserant obsidione cum nonnullis castellis, iterum ceperunt, fugato *Anforsio* Imperatore Hispaniarum: mors ipsius subsecuta est præ dolore & pudore eiusdem fugæ: & discordia inter filios suos facta est.

Deposito *Roberto* Abbate Cluniacensi, & mortuo, & sociis suis in reditu à Roma; *Hugo* Prior Claustrensis factus est Abbas Cluniacensis.

Ruptis induciis quæ erant inter *Balduinum* Regem Ierusalem, & *Loradum* filium Sanguin Regem Halapriæ, propter prædam Sarracenorum, quam Balduinus inconsultè ceperat: Pagani obsiderunt ciuitatem Abilinam, quæ antiquitùs dicta fuerat Cæsarea Philippi, & omnes vicos destruxerunt præter principalem munitionem. Sed tandem aduentu viuificæ Crucis & exercitu Christianorum, recedentibus Paganis ad tempus, iterum venerunt, & Regem Balduinum, qui iam copias sui exercitus dimiserat, nihil minus quàm insidias sperantem, imparatum inuenerunt: & trucidatis multis Militibus Templi, qui soli cum eo remanserant, idem Rex vix cogi potuit vt recederet. Hunc casum Christianorum terræ-motus subsecutus est; maximè in transmarinis partibus. *Stolus* etiam Amiralij Babiloniæ per mensem vnum obsedit Acharon, cùm anno præterito & de Babylone, & de Damasco Rex Ierusalem habuisset tributum.

Almaricus Comes Ioppæ, frater Regis Balduini, duxit filiam *Goscelini de Tornaissel*, qui quondam fuerat antequam eam Agareni cepissent, Comes Rages, quam Moderni nunc Rohais vocant.

Henricus Rex Angliæ subiectis ad libitum Vvalensibus, & restitutis terris & munitionibus Baronibus suis, quas tempore Stephani Regis Vvalenses super eos ceperant; extirpatis nemoribus, & viis patefactis, castrum Rouelent firmauit, & dedit illud *Hugoni de Bello Campo*; & aliud castrum scilicet Hasinguuerche fecit, & inter duo hæc castra, vnam domum Militibus Templi.

Mense Septembri natus est Henrico Regi Anglorum filius tertius, & vocatus est *Ricardus*.

MCLVIII VII. XX. IV.

F*Redericus* Imperator Alemanorum, post Pascha transiens Alpes, obsedit Vrbem nobilissimam Mediolanensem, & post longam obsidionem redditâ vrbe, & obsidibus datis, processit vlterius ad oppressionem, si posset *Vvillelmi* Regis Siciliæ.

Mortuo *Senche* Rege Hispaniarum, successit ei filius suus natus ex filia Garsiæ Regis Nauarræ.

Moritur etiam *Gaufridus* Archiepiscopus Burdigalensis, vir religiosus, & Verbi Dei seminator egregius.

Decessit nihilominus *Tedbaldus* Episcopus Parisiacensis.

In festiuitate sancti Ioannis Baptistæ *Henricus* Rex Anglorum militaribus armis accinxit apud Carliud *Vvillelmum*, filium Regis *Stephani* Comitem Moritonij, & de Vvarenna, quem Comitatum habet propter filiam Vvillelmi Comitis de Varenna, quam duxerat. Qui Vvillelmus mortuus fuerat in expeditione Ierosolymitana.

Mortuo *Gaufrido* Comite Nannetense, fratre Henrici Regis Anglorum mense Iulio; Henricus Rex mense Augusto transfretauit in Normaniam, & locutus cum Rege Francorum *Ludouico*, super Ettam fluuium, de pace, & de matrimonio contrahendo inter filium suum *Henricum*, & filiam Regis Francorum *Margaritam*, & præstitis hinc inde Sacramentis, Rex Angliæ venit Argentomagum, & in festo Natiuitatis beatæ MARIÆ ibidem iussit submoueri exercitum totius Normaniæ, vt essent apud Abrincas in festiuitate sancti Michaëlis, ituri super Conanum Ducem Britanniæ, nisi redderet Regi Ciuitatem Nanneticam, quam inuaserat. Exinde Rex euocatus à Rege Francorum cum paucis venit Parisius, & inæstimabili honore à Rege *Ludouico*, & à *Constantia* Regina, & à Proceribus Regni exceptus est, gaudentibus Francis & de pace duorum Regum, & de aduentu tanti hospitis tripudiantibus. Ipse autem magnificè & dapsiliter se agens circa omnes, & maximè circa Ecclesias, & pauperes Christi; nusquam in aliqua Ecclesia cum processione voluit suscipi, licet à Rege Francorum, immò penè ab omnibus, & precibus, & obsecrationibus, vt id ageret, vrgeretur: inde rediens filiam Regis Franciæ secum adduxit, & eam ad custodiendum & nutriendum *Roberto de Nouo Burgo* fideli suo tradidit.

Mense

Mense Septembri Nono Kalend. Octobris natus est filius Henrico Regi Anglorum, & vocatus est *Gaufredus*.

In festiuitate sancti Michaelis venit *Conanus* Comes Redonensis & sui Britanni cum eo Abrincas, & reddidit Regi vrbem Nannetis cum toto Comitatu Mediæ, valente, vt fertur, LX. millia solidorum Andegauensis monetæ. Inde venit Rex ad Montem sancti Michaelis, auditâ Missâ ad maius Altare, comedit in Refectorio Monachorum, cum Baronibus suis.

Quod vt faceret vix Abbas *Robertus* multis precibus extorsit ab eo. Posteà in noua camera Abbatis concessit Ecclesias Pontis-Vrsonis sancto Michaeli, & Abbati, & Monachis eiusdem loci, præsente Roberto Abbate, & *Ranulfo* Priore, & *Manerio* Monacho, & *Geruasio* Clerico *Thomæ* Cancellarij, & *Adam* Scriba Roberti Abbatis. Ipsa die perrexit ad Pontē Vrsonis & diuisit ibi Ministris suis, & ordinauit quomodo castrum illud reædificaretur. Inde discedens cum manu armata perrexit ad suscipiendum vrbem Nannetis. Quâ acceptâ, & dispositâ ad libitum, paucis interpositis diebus, cum innumerabili exercitu 3. Feriâ obsedit castrum Toarci, & 6. Feriâ eiusdem septimanæ cepit.

Post aliquantulum temporis perrexit obuiam *Ludouico* Regi Francorum venienti gratiâ orationis ad Montem sancti Michaelis de periculo maris. Quem ex quo intrauit in Ducatum Normaniæ deduxit, & suis impensis decentissimè procurauit.

Robertus de sancto Pancratio Monachus S. Michaelis de Monte, factus est Abbas Cernelensis.

In festiuitate verò Beati Clementis die Dominica venerunt vterque ad Montem Beati Archangeli, & cum magno tripudio tam Clerici, quàm populi, itum est Regi Francorum obuiam, in ipsa autem processione, excepto Conuentu Monachorum, & Clericorum, & plebe innumera, fuerunt duo summi Pontifices, vnus Archiepiscopus, & alter Episcopus, & quinque Abbates. Auditâ Missâ redierunt Abrincas, deducente illum Rege, & innumeris Regiis muneribus, tam illum, quàm suos, vsque ad fines sui Ducatus prosequente.

Mense Decembri concordati sunt Rex *Henricus*, & Comes Blesensis *Theobaldus*, cognatus eius, hoc modo: Comes *Theobaldus* reddidit Regi duo castra, Ambazium, & Fractam-Vallem, & *Rotrodus* Comes Moritoniæ sororius eius (Si quidem vnam sororum eius Odo Dux Burgundiæ, aliam prædictus Comes *Rotrodus*, qui vsitatiùs dicitur Comes Perticensis, tertiam *Vvillielmus Goïet*.) Hic, inquam, Rodrocus reddidit Henrico Regi duo castra Molinas, & Bonum-Molinum, quæ erant dominica Ducis Normaniæ. Sed post mortem Regis Henrici Rotrocus Comes, pater huius Rotroci, occupauerat ea. Rex autem Henricus concessit eidem Rotroco Bellisimum castrum, & ille fecit Regi propter hoc hommagium.

Eodem anno Robertus Abbas sancti Michaelis melioràns auro & argento quædam antiquata in capsa sancti *Auberti* Episcopi, inuenit in ea ossa ipsius sancti, excepto capite, quod per se reseruatur in eadem Ecclesia, in vase argenteo. Inuenit etiam cum eodem corpore litteras testificantes idipsum, & quandam tabulam viridi marmoris. Repositum est iterum corpus beati Confessoris & Episcopi Auberti in eadem capsa in tribus ligamentis, & marmor, & vetus breue cum nouo, in quo indicatur sub quo anno Dominicæ Incarnationis, & à quo Abbate repositum fuit tunc idem corpus.

Eodem anno inuenta sunt corpora trium Magorum, qui Saluatorem nostrum Infantem adorauerunt in Bethleem, in quadam veteri Capella iuxta vrbem Mediolanum, & pro timore Frederici Imperatoris Allemannorum, qui eandem vrbem obsidere veniebat, leuata, & in ciuitate posita.

Balduinus Rex Ierosolymitanus cepit super Paganos Cæsaream magnam Palestinæ, haud procul sitam ab Antiochia. Cepit etiam castrum Harenc quod commendauit Rainaldo de Sancto Valerico.

MCLIX. VII. XXI. V.

REx *Henricus* egit solemnitatem natalis Domini cum Regina *Alienor* apud Cæsaris Burgum, quæ paulo antè transfretauerat in Normaniam.

Henricus Rex Anglorum, & *Raimundus* Comes Barcinonensis, apud castrum Blauiam amicitiæ fœdus, datis Sacramentis, hoc pacto inierunt: quod *Ricardus* filius Regis filiam Comitis tempore opportuno esset ducturus: & Rex Ducatum Aquitaniæ illis exactis nuptiis concessurus. Siquidem hic *Raimundus* est vir præpotens & diues, vtpote qui Re-

gnum Arragonum habeat ex hæreditate coniugis suæ; ex paterna autem hæreditate Comitatum ciuitatis Barcinonæ. Vt enim aliquantulum ad transacta redeamus.

Santio Rex Arragonum genuit tres filios, qui sibi vicissim successerunt, *Santionem*, *Anfortium*, *Remelium*: duobus verò primogenitis sibi inuicem succedentibus absque filiis decedentibus, ne Regnum illud ab extraneis occuparetur, *Remelium* Monachum etiam iam senem, licentiâ Romani Pontificis, à Monasterio abstractum Regem fecerunt; & vt hæredem haberet Mathildem matrem Vuillelmi Vicecomitis Toarci illi associauerunt, ex qua genuit vnam filiam, quam Raimundus Prædictus Comes duxit, de qua nata est ista puella, quam filio Regis diximus copulandam, & filius eius primogenitus Arragonum Rex futurus. Siquidem ipse Comes, quamuis haberet Regnum Arragonum, & posset Rex fieri si vellet, omnino recusauit Regnum, reseruans filio suo, quod accidebat ei ex materna genealogia.

Hoc etiam anno, sicut & præcedenti, *Fredericus* Imperator Allemanorum vrbem Mediolanensem obsidet, quia rebellauerant aduersus eumiidem Mediolanenses. Papiæ & Placentiæ turres deiecit, & fere omnem Longobardiam ad libitum sibi subiecit.

Mediante autem quadragesima Rex fecit summoueri exercitum totius Normaniæ, Angliæ, Aquitaniæ, & cæterarum Prouinciarum, quæ sibi subditæ sunt, quia *Raimundus* Comes sancti Ægidij nollet ei reddere ciuitatem Tolosæ, quam Rex requirebat sicut hæreditatem vxoris suæ Alienor Reginæ. Siquidem *Robertus* Comes Moritonij vterinus frater Vuilhelmi Regis, qui Regnum Angliæ subiugauit, habuit vnum filium Guillelmum, qui ei successit, & apud Tenechebrai à Rege Anglorum primo Henrico in bello captus est; & tres filias, quarum vnam duxit *Andræas de Vitreio*; aliam *Guido de Laual*; tertiam Comes Tolosanus frater Raimundi Comitis sancti Ægidij, qui in expeditione Ierosolymitana viriliter se habuit. Genuit autem ex ea Comes Tolosanus vnam solummodò filiam, quam *Guillielmus* Comes Pictauensis & Dux Aquitanorum, mortuo patre prædictæ puellæ, cum hæreditate propria (scilicet vrbe Tolosa & Comitatu Tolosano) duxit vxorem, ex qua genuit idem *Guillielmus* filium *Guillielmum* nomine, qui ei successit, qui pater fuit *Alienor* Reginæ Anglorum.

Si quis autem requirit quomodo postea Comes sancti Ægidij habuit ciuitatem Tolosam, nouerit, quòd prædictus *Vuillelmus* Comes Pictauensis inuadiauit eandem ciuitatem Raimundo Comiti sancti Ægidij, patruo vxoris suæ, propter pecuniam quam idem Guillelmus in expeditione Ierosolymitana expendit. Vnde idem Raimundus in libro eiusdem expeditionis, nunc Comes sancti Ægidij, nunc Comes Tolosanus vocatur: Quo mortuo habuit eandem vrbem *Anforsius* filius eius, qui apud Ierosolymam mortuus est eodem tempore, quo Ludouicus Rex Francorum gratiâ orationis illuc perrexerat. Similiter etiam *Raimundus* filius eius, qui ei successit, qui habuit in coniugio *Constantiam* sororem Ludouici prædicti Regis Francorum, relictam scilicet *Eustachij* Comitis filij *Stephani* Regis Anglorum.

Rex igitur *Henricus* iturus in expeditionem prædictam, & considerans longitudinem & difficultatem viæ, nolens vexare Agrarios milites, nec Burgensium, nec rusticorum multitudinem sumptis lx. solidis Andegauensibus in Normania de feudo vniuscuiusque loricæ, & de reliquis omnibus tam in Normania, quàm in Anglia, siue etiam aliis terris suis, secundum hoc quod ei visum fuit; Capitales Barones suos cum paucis secum duxit, solidarios verò milites innumeros. Ad illam verò expeditionem cum reliquis transmarinis venit *Macomus* Rex Scotiæ, & à Rege Henrico cingulo militiæ ibidem accinctus est. Durauit autem expeditio illa ferè per tres menses.

Et quamuis Rex *Henricus* cepisset vrbem Cadurci & maior pars Ducatus Tolosani sibi esset subdita, vi vel timore, vrbem tamen Tolosam noluit obsidere, deferens *Ludouico* Regi Francorum, qui eandem vrbem contra Regem Henricum Angliæ muniuerat, & die ac nocte volens ferre auxilium Raimundo sororio suo custodiebat; vnde graues inimicitiæ inter ipsum & Regem Anglorum ortæ sunt, cùm videret sibi Regem Franciæ nocere, de cuius auxilio plurimùm confidebat. Remisit itaque Rex *Henricus* Comitem *Theobaldum*, qui ei fauebat, vt inquietaret Regnum Franciæ. Sed *Henricus* Episcopus Beluacensis, & Comes Robertus dominus Dorcasini castri, fratres Regis Francorum, ei restiterunt, & in margine Ducatûs Normaniæ aliquos flammâ & rapinâ vexauerunt, Normanis sibi talionem reddentibus.

Robertus de Blangeio Monachus Becci factus est Abbas sancti Ebrulfi.

Mense Iulio *Robertus de Nouo-Burgo* Dapifer, & * iustitia totius Normaniæ, aduer-

* Iusticiarius.

ſa valetudine tactus, gibbum cameli depoſuit, videlicet innumeras diuitias Eccleſiis, & Monaſteriis, & pauperibus diuidens; & ad vltimum in Monaſterio Becci, quod præ omnibus diligebat, habitum Monachi ſumens, per vnum menſem ibi pœnitentiam fructuoſam egit; & tertio Kalend. Septembris hominem exiit, ſepultus in Capitulo Becci, quod ipſe propriis ſumptibus mirificè ædificauerat.

Mortuo venerabili *Milone* Epiſcopo Tarwennenſi, electus eſt *Milo* Archidiaconus eiuſdem Eccleſiæ, Canonicus Regularis, ſicut deceſſor eius fuerat; quem cùm *Samſon* Archiepiſcopus Remenſis vellet ſacrare, Clerici ciuitatis Boloniæ, qui diu ſub Epiſcopo Taruennenſi fuerant, volentes amodo ſuum proprium Epiſcopum habere, ſicut antiquitùs habuerant, prohibuerunt Archiepiſcopum ſub appellatione Apoſtolica, ne eum ſacraret, niſi tantummodò ad titulum Taruennenſis Eccleſiæ: quod prædictus electus refutans, inſacratus contra illos Clericos Romam perrexit, & ibi ſacratus eſt.

Magiſter *Bernardus* Brito, Cancellarius Eccleſiæ Carnotenſis, factus eſt Epiſcopus Cornubiæ in minori Britannia.

Magiſter etiam *Petrus* Lombardus Pariſienſem Epiſcopatum adeptus eſt, conniuente *Philippo* eiuſdem Eccleſiæ Decano, fratre Regis Francorum; qui, vt dicunt, electionem ſuam conceſſit eidem Petro.

Kalendis Septembris mortuo *Adriano* Pontifice, electi ſunt duo & conſecrati, *Rolandus* Cancellarius Preſbyter Cardinalis ſancti Marci, vir Religioſus, vocatus *Alexander* tertius, Papa videlicet centeſimus ſeptuageſimus quartus: & *Octauianus* Preſbyter Cardinalis tituli ſanctæ MARIÆ in Coſmidum dictus *Victorinus*: hic per potentatum & parentes ſuos nobiles Papatum inuaſit.

Frogerius Regis Eleemoſynarius factus eſt Epiſcopus Sagienſis.

Galterius Epiſcopus Caſtrenſis obiit.

Obiit etiam *Robertus* Epiſcopus Exonienſis, vir religioſus & timens Deum.

Terricus Comes Flandrenſis rediit Ieroſolymâ, & vxor eius Mabiria remanſit cum Abbatiſſa ſancti Lazari de Bethania, inuito coniuge ſuo.

Menſe Octobris *Henricus* Rex Anglorum, munitâ ciuitate Cadurcorum, & commendatâ *Thomæ* Cancellario ſuo, & diſpoſitis cuſtodibus & auxiliariis in locis oportunis, confidens de auxilio *Raimundi Berengarij* Comitis Barcinonæ, & *Trechuel* Comitis Nenmauſi, *Vuillielmi de Montepeſſulano*, & aliorum ſuorum fidelium, rediit in Normaniam. Inde perrexit cum valida manu in pagum Beluacenſem, & deſtruxit munitiſſimum caſtellum Guerberræ, exceptâ quadam firmitate; quam ne caperent, hominibus Regiis ignis & fumus prohibuit. Villas multas combuſſit & deſtruxit.

Simon Comes Ebroicus tradidit Henrico Regi Anglorum firmitates ſuas, quas habebat in Francia, ſcilicet Rupem-fortem, Montem-fortem, Eſparlonem, & reliquas. Quod magno detrimento fuit Regi Francorum, cùm non poſſet liberè procedere de Pariſius Aurelianis, vel Stampis, propter Normanos quos Rex Henricus poſuerat in Caſtris Comitis Ebroicenſis. Hac de cauſa treuiæ captæ fuerunt inter duos Reges, à menſe Decembri vſque ad Octauam Pentecoſtes.

In reditu expeditionis Toloſæ menſe Octobris obiit *Guillelmus* Comes Moritonij; deceſſit autem abſque liberis, & retinuit *Henricus* Rex Comitatum in manu ſua.

MCLX. VIII. XXII. VI.

REx *Henricus* egit Natiuitatem Domini cum Regina Alienor apud Faleſiam; exinde eadem Regina transfretauit in Angliam.

kalendis Ianuarij terræ motus accidit in pago Conſtantino, caſtro ſancti Laudi, circa horam primam.

Hardoinus Decanus Cenomanenſis factus eſt Archiepiſcopus Burdigalenſis, cùm deceſſor eius vix anno & dimidio vixiſſet.

Mathilde Imperatrice aduerſa valetudine percuſsâ, dapſiliter, præeunte conſilio filij ſui Henrici Regis Anglorum, diuitias ſuas Eccleſiis, Monaſteriis, & pauperibus diſtribuit. Monaſterium Beccenſe, ſicut & in alia infirmitate ſua fecerat, cæteris præponens.

Eccleſia Baiocenſi igne combuſtâ, Philippus Epiſcopus in eius reſtauratione iterum viriliter laborat.

Maio mense pax facta est inter Reges *Henricum* Angliæ, & *Ludouicum* Franciæ, reuolutis prioribus pactis, & confirmatis, & pacificatis, qui partes vtrorumque adiuerunt.

Matthæus filius Comitis Flandriæ, inaudito exemplo, duxit Abbatissam Rummesiæ, quæ fuerat filia Stephani Regis, & cœpit cum ea Comitatum Bolonienfem.

Mense Maio *Henricus* Rex Anglorum congregauit omnes Episcopos Normaniæ, Abbates, & Barones apud Nouum Mercatum; & *Ludouicus* Rex Francorum adunauit suos Beluaci, ibi tractatum est de receptione Papæ *Alexandri*, & refutatione *Victoris*, & consenserunt Alexandrum, repudiato Victore.

Mense Septembri obiit *Heribertus* Episcopus Abrincensis, & sepultus est in Ecclesia beatæ Mariæ Becci, sicut prædecessor eius *Ricardus de Bello-fago*.

Prædicto mense Regina Angliæ *Alienor* transfretauit in Normaniam iussu Regis, adducens secum *Henricum* filium suum, & filiam *Mathildem*.

Mortuus est Philippus frater Ludouici Regis Francorum, Decanus S. Martini Turonensis.

Mortua est *Constantia* Regina Franciæ labore partûs, superstite filiâ, cuius causâ mors sibi acciderat.

Mense Octobri Rex Angliæ, & Rex Francorum, collocuti pactum pacis mutuæ confirmauerunt; & *Henricus* filius Henrici Regis Anglorum, fecit hommagium Regi Francorum de Ducatu Normaniæ, qui est de Regno Franciæ.

Paucis interpositis diebus *Ludouicus* Rex Francorum duxit filiam Comitis Theobaldi Senioris. Nec mora Henrico filio Henrici Regis Angliæ desponsata est apud Nouum Burgum, *Margarita* filia Ludouici Regis Francorum, & Henricus Dux Angliæ cœpit tria castella munitissima, scilicet Gisorz, Neafliam, Nouum Castellum, sita super fluuium Epte, in confinio Normaniæ & Franciæ; quia pepigerant inter se ipse & Rex Franciæ, quatenus inito matrimonio filiorum suorum, Rex *Henricus* haberet illas munitiones, quæ ad Ducatum Normaniæ pertinent. Quo audito Rex Franciæ grauiter tulit ipse, & sororij sui scilicet *Henricus*, *Theobaldus*, *Stephanus*. Exinde hi tres Comites coadunatis viribus suis cœperunt firmare munitionem Caluimontis, quæ erat de feudo castri Blesensis, vt exinde pagum Turonicum infestarent. Rex verò *Henricus*, quia illud castrum erat de Casamento *Hugonis* filij *Sulpicij de Ambazia*, quod tenebat de Comite Theobaldo; caput autem sui honoris, scilicet Ambaziam, tenebat de Rege Henrico. Rex inquam, *Henricus* percepto exinde Nuncio, non expectatis sociis suis, illuc properauit, volens impedire opus illius castelli, per quod licentiùs, si perfectum esset, discurrerent per terram suam. Audito autem aduentu Regis Angliæ Comes *Theobaldus* discessit à Caluo-Monte, munita firmitate, & custodibus dispositis. Rex verò *Henricus* obsedit prædictum castrum, & ilicò cepit, in quo erant triginta quinque Milites, & quater viginti seruientes, & reddidit eandem munitionem *Hugoni de Ambazia*, qui auersabatur pro posse suo Comiti Theobaldo, quia in carcere prædicti Comitis Sulpicius, ipsius Hugonis pater, nequiter extinctus fuerat. Exinde Rex Henricus munitis turribus Ambasiæ, & Fractæ-vallis, & dispositis custodibus, egit festum Natalis Domini cum Alienore Regina Cenomannis.

MCLXI. IX. XXIII. VII.

Henricus Rex Munitiones Comitis Mellenti, & aliorum Baronum suorum in Normania, in manu sua cepit, & fidelibus suis commendauit. In margine etiam Ducatus Normaniæ, ferè omnia sua castella, & maximè Gisorz, meliorauit, vel renouauit, & mansionem Regiam fecit circa fustes plantatos: apud Chiuileium, iuxta Rothomagum, domum Leprosorum. Iuxta Cadomum mirabilem ædificauit aulam, & cameras; antè turrem Rothomagensem nihilominus renouauit: & non solùm in Normania, sed & in Regno Angliæ, Ducatu Aquitaniæ, Comitatu Andegauiæ, Cenomaniç, Turonensi, Castella, Mansiones Regias, vel noua çdificauit, vel vetera emendauit. Castellum etiam in villa, quæ dicitur Amandiuilla, super Viræ fluuium ædificauit.

Achardus Abbas sancti Victoris Parisiensis factus est Episcopus Abrincensis.

Vuillelmus Anglus Prior sancti Martini de Campis, fuit Abbas Ecclesiæ Rames in Anglia.

In capite Ieiunij apud Cenomannos *Hugo* Archiepiscopus Dolensis cæcitate debilitatus, præsentibus Henrico Rege Anglorum, & duobus Legatis Romanæ Ecclesiæ *Henrico de Pisis*, & *Guillielmo de Papia*, reddidit Archiepiscopatum, quem ferè per sex annos tenuerat, &

in eius reparatione plurimùm laborauerat. In eius loco ibidem electus fuit *Rogerius d'Humez*, Archidiaconus Baiocensis.

Bartholomæus Archidiaconus Exoniensis factus est Episcopus Exoniæ.

Richardus Pecchin Archidiaconus Cestrensis fit Episcopus eiusdem Ecclesiæ.

Theobaldus Archiepiscopus Cantuariæ secunda feria Paschæ obiit.

Post Pascha Rex Anglorum *Henricus*, & *Ludouicus* Francorum, primò in Vilcasino, posteà in Dunensi pago, instigante eos ad discordiam Comite Theobaldo, congregatis exercitibus suis alterutrum terras suas defendendo, ferè in cominùs venerunt. Inde datis induciis post festum sancti Ioannis, *Henricus* Rex Anglorum perrexit in Aquitaniam, & inter alia quæ strenuè gessit, Castellionem supra vrbem Agennum, castrum scilicet naturâ & artificio munitum, obsedit, & infra vnam septimanam, in festiuitate sancti Laurentij, admirantibus & perterritis Vvasconibus cepit.

Regina *Alienor* apud Domnifrontem filiam peperit, quam *Henricus* Presbyter Cardinalis, & Legatus Romanæ Ecclesiæ, baptizauit; & *Achardus* Episcopus Abrincensis, & *Robertus* Abbas sancti Michaelis de periculo maris, cum aliis multis, de fonte susceperunt, & vocata est *Alienor* de nomine matris suæ.

Mauricius Archidiaconus Parisiensis fuit eiusdem Ecclesiæ Episcopus.

Mortuo *Iubello de Meduana*, successit *Gaufridus* filius eius; hic duxit filiam Comitis Mellenti.

MCLXII X. XXV. VIII.

Rex *Henricus* egit Natiuitatem Domini apud Baiocas.

Mense Ianuario *Gaufridus de Meduana* reddidit Henrico Regi Anglorum tria castella, quæ pater eius tenuerat post mortem Henrici Regis senioris, scilicet Gorran, Ambrerias, nouum castrum super fluuium Colmiæ.

Eodem mense remoto *Aquilino de Furnis* de castello Pontis Vrsonis, quia Abrincantini conquerebantur de eo quod terras eorum nimiis exactionibus & iniuriis grauaret: *Henricus* Rex idem castrum ad tempus commodauit *Roberto* Abbati de Monte.

Mortuo *Sanctione* Archiepiscopo Remensi, *Henricus* frater Regis Francorum, Episcopus Beluacensis, successit. *Bartholomæus* verò Archidiaconus Remensis factus est Episcopus Beluacensis.

Primâ Dominicâ Quadragesimæ Rex *Henricus* aggregauit Episcopos, Abbates, Barones totius Normaniæ, apud Rothomagum, querimoniam faciens de Episcopis & eorum Ministris, & Vicecomitibus suis; iussit Concilium vt Iuliæ-Bonæ teneretur. *Iulia Bona* in Caletensi pago iuxta Sequanam est, sedes Regia, à Dominis Normanorum multùm amata & frequentata. Hanc Iulius Cæsar (ex cuius nomine Iulia vocatur) condidit, destructâ vrbe Caleto, ex cuius veteri vocabulo, tota Regio sita inter Sequanam & mare adhuc vocatur.

Primus *Ricardus* Dux Normanorum & secundus *Ricardus* filius eius, apud Fiscannum leuati de tumulis suis, in quibus separatim iacebant, post altare sanctæ Trinitatis honestiùs ponuntur: huic translationi *Henricus* Rex Anglorum interfuit, & Episcopi Normaniæ, & dedit illi Ecclesiæ Syluam de Hogis

Comes *Robertus de Basenuilla*, aduersus Vvillie[illegible]um cognatum suum Regem Siciliæ rebellat in Apulia; & multis Coadiutoribus secum adunatis, maiorem partem maritimarum ciuitatum sibi conciliauit.

Fredericus Imperator Allemanorum vrbem Mediolanum quam per tres annos obsederat, necessitate famis afflictam capit & destruit, reseruatis tantummodò Matre Ecclesia, & quibusdam aliis.

Discordiâ inter Regnum & Sacerdotium adhuc perdurante propter schisma Octauiani, quem Rex Romanorum *Fredericus* secum in Italia habebat; *Alexander* Papa Romanus confidens de Regibus Francorum, *Ludouico*, & Anglorum *Henrico*, qui deuotè semper Romanam Ecclesiam fouent & venerantur; ad Cismontanos magnâ expeditione, circa Pascha venit, & apud Montempessulanum in Prouincia debitâ honorificentiâ susceptus est.

Ricardus de Reuers Dominus insulæ Vectæ, in Anglia moritur; relinquens ex filia Rainaldi Comitis Cornubiæ paruulum filium nomine *Balduinum*.

Stephanus cognomento *Burgensis*, Abbas sancti Michaëlis de Clusa, & Monachus Cluniacensis fit Abbas Cluniaci, Abbate Hugone se conferente ad partes Imperatoris & Octauiani.

Mortuo *Harduino* Archiepiscopo Burdigalensi apud Montempessulanum, dum ibidem in Curia Domini Papæ moraretur Episcopus Lactorensis ei successit.

Fame, mortalitate, Cismontani, maximè in Aquitania, laborant.

Rainaldus de Castellione Princeps Antiochiæ dum incautè in terram Agarenorum intrat

multis suorum occisis vel captis ipsemet capitur.

Thomas Cancellarius Regis Anglorum fit Archiepiscopus Cantuariensis.

Radulfus de Toëne moritur, relicto paruulo filio ex filia Roberti Comitis Lecestriæ.

Mense Iulio in Britannia minori, scilicet in Retello sanguis pluit, & de ripis cuiusdam fontis ibidem effluxit, nec-non etiam de pane.

Eodem mense *Ioannes de Dol* mortuus est, & dimisit terram, & filiam suam in protectione *Radulfi de Fulgeriis*. Sed Rex Anglorum accepit terram de manu eius.

Guillielmus Rex Siciliæ transiens de Sicilia in Apuliam cum magno exercitu, *Roberto de Basenuilla* fugato cum complicibus suis, ciuitates & castella, quæ à se defecerant, recuperat.

Ioannes Thesaurarius Eboracensis, vir iocundus & largus, & apprimè literatus, fit Episcopus Pictauensis.

Matthæo Episcopo Andegauensi defuncto, successit *Gaufridus* Sagiensis Decanus eiusdem Ecclesiæ, & Clericus Regis Anglorum.

Lupus Rex Valenciæ & Murciæ, licet Gentilis & Agarenus, munera ingentia in auro & serico, & in aliis speciebus, & in equis, & camelis, mittit Henrico Regi Anglorum, grandia & ipse ab eodem recepturus.

Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis, vir omnibus bonis plangendus moritur, relicto filio *Anforsio*, qui factus est Rex Aragonum; quod regnum ei acciderat ex materno genere.

Fredericus Allemanorum Imperator; & *Ludouicus* Rex Francorum cùm super fluuium Sagonam, quod antiquitus Arar vocabatur, de pace tractaturi conuenire debuissent, repente mutato animo propter Schisma *Octauiani*, cuius partes Imperator adiuuabat, infecto negotio ad propria redierunt. Exinde paruo spatio temporis interiecto *Ludouicus* Rex Francorum, & *Henricus* Rex Anglorum super Ligerim apud Cociacum conuenientes, *Alexandrum* Papam Romanum honore congruo susceperunt, & vsi officio stratoris, pedites dextrâ læuâque frænum equi ipsius tenentes, eum vsque ad præparatum papilionem perduxerunt. Quo mediante, Deo fauente, pax inter eos firma restituta est.

Ricardus Episcopus Londoniæ moritur.

Henricus Rex ordinatis & compositis rebus, & castellis suis in Normania, Aquitania, Andegauia, & etiam in Vvasconia, in Aduentu Domini venit Barbe fluuium, volens si posset transfretare ante Natalem Domini, sed vento prohibente egit Natalem Domini cum Regina *Alienor* apud Cæsaris-Burgum.

Manuel Imperator Constantinopolitanus duxit *Constantiam* filiam secundi *Boamundi* vxorem. *Boamundus* tertius, frater prædictæ puellæ, factus est princeps, vitrico suo in captiuitate remanente *Rainaldo*.

MCLXIII | XI. | XXVI. | IX.

MEnse Ianuario Rex *Henricus* transiuit in Angliam, ipse & Regina, & cum magno gaudio susceptus est ab omnibus ferè Principibus patriæ, qui eum in littore expectabant. Iam enim *Henricus* filius eius præcesserat, & sicut in Normania, sic in Anglia hommagia, & fidelitates Baronum & militum suscepi[illegible]rchiepiscopo Lugdunensi deficiente. Clerus & populus conniuentiâ Frederici Imperatoris, elegerunt *Guillielmum* filium Comitis Theobaldi senioris, quod etiam Papa *Alexander* concessit. Illa autem vrbs, quæ cis Rodanum est, ad regnum Franciæ pertinet; sed quòd G. Dalfinus, & Foroiulensis Comites, anno præterito fraude eam prædicto Archiepiscopo abstulerunt, nec per Regem Franciæ eam rehabere potuit; ideo idem Archiepiscopus transtulit se ad Imperatorem; qui prædictam ciuitatem eidem restituit, & extunc ab eo illam tenuit.

Rotrocus Episcopus Ebroicensis, & *Rainaldus de sancto Vvalerio* fecerunt in Normania recognoscere iussu Regis per Episcopatus, legales redditus, & consuetudines ad Regem, & Barones pertinentes.

Philippus Episcopus Baiocensis mense Februario moritur, qui fuit vir prudens & astutus in augmentandis & reuocandis rebus illius Ecclesiæ, & multùm ibi profecit: sed sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Hic se dederat Monasterio Beccensi ad Monachatum, sed non est in homine via eius, præuentus enim fuit morte, nec quod proposuerat implere potuit, librorum tamen septies viginti volumina illi iam dederat.

Bellum *Robertus de Monte-forti* cum *Henrico de Essessa* pro fuga prælij contra Gualenses, in quo isdem Henricus defecit, & exhæredatus, factus est Monachus Radingis. Vvalenses subditi sunt Regi Henrico ad libitum.

Malcomus Rex Scotiæ fecit hommagium Henrico, Regis Anglorum filio, & dedit Regi

obsides, scilicet dedit frarrem suum minorem, & quosdam de filiis Baronum suorum de pace tenenda, & pro castellis suis, quæ Rex volebat habere.

Quidam Garcio conniuentiâ Monachorum, vt creditur, occidit Abbatem sancti Maximini Aurelianensis, & Papa *Alexander*, & *Ludouicus* Rex Francorum, expulerunt inde omnes ferè Monachos, & per diuersas Abbatias disperserunt, & fecerunt ibi Abbatem de maiori Monasterio.

Similiter anno præterito cùm Abbas Latiniacensis equitans inuenisset quendam, qui ei forefecerat, & minaretur ne eum caperet & destrueret; ille emissâ sagittâ percussit Abbatem in oculo vsque in cerebrum, & occidit. Cui successit *Hugo* naturalis filius Comitis Theobaldi senioris. Iste fuit priùs Monachus Tyronis; & tempore Stephani Regis patrui sui, per aliquantulum temporis fuit Abbas Homensis in Anglia; quâ Abbatia relictâ fuit Abbas Cercesiensis. Iterum illâ relictâ venit in Franciam ad nepotes suos *Henricum* & *Theobaldum*; & sic, vt diximus, factus est Abbas Latiniacensis.

Gisslebertus Episcopus Herefordi, mortuo *Ricardo* Londoniensi Episcopo, translatus est ad eandem sedem, & Magister *Robertus de Mileduno*, genere Anglicus, & grandæuus, factus est Episcopus Herefordi.

Rogerius filius Roberti Comitis Gloecestriæ, electus est ad Episcopatum Vvigorniensem.

Mense Martio obiit III. *Balduinus* Rex Ierusalem, vir per omnia plangendus; & successit ei *Amalricus* frater eius. Huic Balduino à superna clementia concessum est, vt Ascalonem caperet, & Agarenos expelleret, & diuino seruitio manciparet; quod nec dedit propter sanctitatem suam, nec Salomoni propter sapientiam & diuitias suas, nec Ezechiæ propter iustitiam suam; nec alicui antea Regum permissum fuerat.

In octauis Pentecostes *Alexander* Papa tenuit Concilium Turonis, in quo excommunicauit *Octauianum* cum aliis Schismaticis & complicibus suis. In illo Concilio duo Episcopi, quorum vnus sacratus fuerat per manum Terraconensis Archiepiscopi Metropolitani sui, alter per Toletanum Archiepiscopum totius Hispaniæ Primatem, expulsi sunt de Ecclesia Pampulonensi, ad cuius titulum ambo sacrati erant, & tertius subrogatus est. Illis tamen duobus Ordo Episcopi mansit, & concessum est, vt si vacantes Ecclesiæ eos vocarent, fierent earum Præsules.

MCLXIV. XII. XXVII. X.

TErricus Comes Flandrensis vadit Ierosolymam, & filius eius primogenitus *Philippus* ei succedens ductâ alterâ filiarum Radulphi senioris Comitis Viromandensis, & fratre vxoris suæ iuniore Radulfo Comite elephantia percusso, per vxorem fit dominus duorum Comitatuum, scilicet Viromandensis, & Montis-Disderij.

Rainaldus Colononiensis electus Cancellarius Frederici Imperatoris Allemanorum, transtulit trium Magorum corpora de Mediolano Coloniam; quorum corpora quia balsamo & aliis pigmentis condita fuerant integra exteriùs, quantum ad cutem & capillos, durabant; eorum primus sicut mihi retulit, qui eos se vidisse affirmabat, quantum ex facie & capillis eorum comprehendi poterat, quindecim annorum, secundus triginta, tertius quadraginta videbatur. Beatus autem Eustorgius dono cuiusdam Imperatoris transtulit illos Mediolanum de Constantinopoli, cum quadam mensa cui superpositi erant, in quodam vehiculo paruo, quod duæ vaccæ diuina virtute & voluntate trahebant. Transtulit etiam idem Rainaldus exinde corpus beatæ *Valeriæ*, matris Sanctorum Martyrum Geruasij & Protasij, & caput *Naboris* Martyris.

Apud Rothomagum tertio Kalendas Februarij, *Vvillelmus* frater Henrici Regis sepultus est in Ecclesia sanctæ MARIÆ.

Circa octauas Paschæ Rex *Henricus* fecit dedicari Ecclesiam beatæ Mariæ de Radingis, & per tres dies regaliter procurauit Conuentum Monachorum & hospites, datâ etiam dote non minima eidem Ecclesiæ.

Hamelinus naturalis frater Henrici, duxit Comitissam de Guarenna, relictam *Guillelmi* Comitis Moritonij, filij Stephani Regis Henrici fuit filia tertij *Vvillelmi* Comitis de Guarenna, qui cum Rege Franciæ Ludouico perrexit Ierosolymam, vbi obiit, superstite sola prædicta Comitissa.

In pago Beluacensi cuidam plebeio apparuit in visu noctis sanctus *Ægidius*, & quædam honesta persona cum eo, cui prædixit, vt cùm die crastina primum sulcum Aratri duceret inueniret paruam crucem ferream, & iussit vt ferret eam ad suam Ecclesiam. Tunc Rusticus quæsiuit ab eo vtrum ad sanctum Ægidium de Prouincia deberet eam portare; cui sanctus Ægidius respondit: Non; sed ad sanctum Ægidium de Constantino, vbi est corpus meum.

Quod cùm factum fuisset, multæ ibi virtutes factæ sunt.

Apud Lucam ciuitatem obiit *Octauianus* Schismaticus, per antiphrasim vocatus Victor; & successit ei in eodem errore permanens, *Vvido* Cremensis, dictus *Paschalis* IV.

Comes Carnotensis *Tedbaudus* despondit filiam Ludouici Regis Franciæ, & Rex ei concessit dapiferatum Franciæ, quem Comes Andegauensis antiquitùs habebat, vnde etiam nostris temporibus *Radulfus de Parrona* pro eo seruiebat; vnde ei hommagium faciens vt dominum honorabat. *Henricus* autem frater eius primogenitus Comes Trecensis iterum assumpsit filiam Ludouici Regis quam priùs dimiserat.

Fredericus Imperator cùm ad libitum subdidisset sibi Longobardiam, in qua sunt viginti quinque ciuitates, inter quas sunt tres Archiepiscopatus, scilicet Mediolanensis; Rauenna; Ienua; & fiscum Regium ad quinquaginta millia marcharum summam in eodem Regno reparasset, & pacem ibidem tam indigenis, quàm peregrinis reformasset; iterum Verona, & quædam aliæ ciuitates aduersus eum rebellant. Vvalenses fidem Henrico Regi non seruantes, terras proximas latrocinando infestant, agente quodam regulo eorum, vocato *Ris*, & alio eiusdem peruersitatis homine, nomine *Oeno*, prædicti Ris auunculo.

Vvalterius Giffar Comes de Bochingham moritur absque hærede, & Comitatus eius in Anglia, terra eius in Normania, rediit ad Dominium Regis.

Richardus Comes de Humiere, Conestalus Henrici Regis, conuocatis Baronibus Normaniæ, & Britanniæ, mense Augusto cepit Castrum Combore in Britannia in manu Regis, quod *Radulfus de Fulgeriis* habuerat post mortem *Ioannis de Dol.*

Eodem mense sanguis pluit in Rethel in Episcopatu Dolensi.

Robertus Episcopus Carnotensis, vir religiosus moritur.

Obiit *Hugo* venerabilis Archiepiscopus Rothomagensis IV. Octobris, hic vir magnæ literaturæ multa iocundè edidit. Viduis & Orphanis & aliis pauperibus largus extitit Rexit autem Ecclesiam Rothomagensem honestè & viriliter annis ferè triginta.

Almaricus Rex Ierusalem, conductus ab *Amiralio* Babilonico, cum exercitu perrexit in adiutorium illius, liberare quandam ciuitatem, ipsius nomine Barbastam, quam Salegon Senescallus Noradin fraude occupatam contra ipsum tenebat. Obsessa igitur per aliquantulum temporis, tandem capta est, & Amiralio restituta ciuitas; firmatis autem inter eos amicitiis, & redditis multis captiuis, duplicato etiam tributo (nam antea dabat Amiralius Regi singulis annis triginta millia aureorum) Rex ad prima rediit. Sed interea Noradin intulerat Christianis magnum damnum; nam capto Castello eorum, nomine Harent: capto etiam Boamundo iuniore Principe Antiochiæ, & multis interfectis, Babilonia postmodum à Sarracenis peruasa est.

MCLXV. XIII. XXVIII. XI.

HEnricus Rex Angliæ in Quadragesima in Normaniam transiens, in octaua Paschæ apud Gizorz cum Rege Francorum locutus est. Inde rediens Rothomagum, Philippum Comitem Flandrensem consobrinum suum regaliter excepit.

Venerunt similiter ad eum Legati *Frederici* Imperatoris Allemanorum, *Rainaldus* scilicet Archiepiscopus Colionensis Cancellarius ipsius, & multi alij magni potentatûs viri, requirentes eum ex parte Imperatoris, vt daret vnam filiarum suarum Henrico Duci Baioariæ, & aliam filio suo, licet adhuc puerulo. Exactis itaque Sacramentis & datis, Rex postea misit suos Legatos in Allemaniam, qui ab Imperatore; & Satrapis suis, eadem Sacramenta de conuentionibus, quæ inter eos conuenerant, acciperent.

Rotrodus Episcopus Ebroicensis fit Archiepiscopus Rothomagensis.

Henricus Decanus Salesberiensis eligitur ad Episcopatum Baiocensem.

Mortuo *Rogerio* Abbate sancti Vvandregisili, viro religioso, Aufredus Sacrista eiusdem Monasterij ei successit.

Regina Angliæ *Alienor* euocata à Rege, venit in Normaniam, adducens secum filium suum *Ricardum*, & filiam *Mathildem*. Redeunte verò Rege in Angliam, & cum multo apparatu bellico, super Valenses eunte, Regina remansit in partibus cismarinis.

Alexander Papa Romanus relinquens Senonem, in qua ferè duos annos moratus fuerat, veniens ad Montempessulanum nauali subuectione, perrexit ad terram Vvillelmi Regis Siciliæ, licet insidiæ piratarum Imperatoris Allemaniæ ei in mari non deessent.

Vvillelmus frater Comitis Tebaldi eligitur ad Regimen Ecclesiæ Carnotensis, data ei remissione à Papa propter iuuenilem ætatem, vt vsque ad quinquennium differretur sacratio eius.

Mense Augusto, Ludouico Regi Francorum ex vxore sua nascitur filius, & vocatus est *Philippus*.

Regina *Alienor* mense Octobris Andegauis peperit filiam, & vocata est in baptismate *Ioanna*.

Robertus Abbas Montis in quodam brachio auro & argento optimè parato, iussit reponi Reliquias sancti *Laurentij*, scilicet os brachij quod eschium vocant, & alia quatuor minora ossa eiusdem Martyris; sicuti antea reposuerat in quadam cuppa intus & extra deaurata, caput *Innocentij* socij sancti Mauricij, prædictas Reliquias; & partem corporis sancti *Agapiti* Martyris, scilicet carnem cum costis quatuor; *Suppo* Abbas Montis à Monasterio sancti Benigni Fructuariensis, vbi priùs fuerat Abbas, & prece & precio ad Monasterium sancti Michaëlis adportauit. Est autem Fructuarense Monasterium in Longobardia in Episcopatu Vercellensi.

Malcomus Rex Scotiæ, religiosus iuuenis, moritur. Succedit ei frater eius *Vuillelmus*.

Fulmen cecidit in Ecclesia sancti Michaëlis in turre, & in aliis locis, & tamen Deo miserante nihil nocuit.

Obiit *Robertus* Abbas maioris Monasterij, & successit ei *Robertus* Blesensis.

MCLXVI | XIV. | XXIX. | XII.

HEnricus Rex, munitis confiniis inter Anglos & Vualenses, & Castellis militibus dispositis, in Quadragesima transfretauit in Normaniam: Deinde locutus cum Rege Francorum ea quæ ad pacem sunt: audito etiam quòd Rex Francorum statuisset de thesauris & redditibus suis: Similiter & omnium hominum tam Clericorum, quàm Laïcorum, qui in sua ditione erant, singulis annis vsque ad quinquennium de singulis viginti solidis singulos denarios mittere Ierusalem ad defensionem Christianitatis. Idem rex magnanimus fecit duplicare in omni potestate sua redditum primi anni, reliquis annis permanentibus ad solutionem vnius denarij per singulos viginti solidos.

Vualeranus Comes Mellenti factus Monachus Pratelli obiit; & successit ei filius eius *Robertus*, natus ex sorore Simonis Comitis Ebroicensis. Duxit autem idem *Robertus* filiam Rainaldi Comitis Cornubensis.

Obiit etiam *Guillelmus* Rex Siciliæ & successit ei Guillelmus filius eius.

Vuillelmus Talauacius Comes Sagiensis, & filius eius, & iterum Ioannes nepos eius, filius Guidonis primogeniti sui, Comitis Pontiui, concesserunt Regi Henrico Castrum Alenceium, & Rocam Maberiæ, cum eis quæ ad ipsa Castella pertinent: & forsitan ideò prædictas munitiones perdiderunt, quia malas consuetudines ipsi, & eorum antecessores, diu ibi tenuerant: quas Rex Henricus statim meliorari præcepit.

Mense Septembri moritur Stephanus Episcopus Redonensis. Moritur etiam in Anglia *Robertus* Batensis Episcopus.

Quia verò Optimates Cenomanici Comitatus, & Britanniæ Regionis, antequam Rex transfretaret minus obtemperauerant præceptis Reginæ, &, vt dicitur, Sacramento se obligauerant, vt se communiter deffenderent, si aliquis eorum grauaretur. Rex ad libitum suum eos & Castella eorum tractauit, & congregatis exercitibus ferè de omni potestate sua citra mare, Castrum Felgeriarum obsedit, cepit, funditus deleuit. Inde facto connubio de Gaufrido filio suo, & Constantia filia Comitis Conani Britanniæ, & de Richemont; Comes Conanus concessit Regi, quasi ad opus filij sui, totum Ducatum Britanniæ, excepto Comitatu de Guingamp, qui ei acciderat per auum suum Comitem Stephanum. Rex verò accepit hominium ferè ab omnibus Baronibus Britanniæ apud Toas. Inde venit Redonis, & per ciuitatem illam, quæ caput est Britanniæ, totum illum Ducatum saisiuit. Et quia nunquam viderat Comborcht, neque Dol, postquam in manus eius venerant, illa in transitu vidit.

Causâ verò orationis ad Montem sancti Michaëlis veniens, apud Genecium illa nocte hospitatus est. Illuc venerunt ad eum *Guillelmus* Rex Scotiæ, & Episcopus Insularum Man, & aliarum triginta vnius, quæ sunt inter Scotiam, & Hiberniam, & Angliam. Illas triginta duas Insulas tenet Rex Insularum tali tributo de Rege Noruvegiæ, quòd quando rex innouatur, rex Insularum dat ei decem Marcas auri, nec aliquid facit ei in tota vita sua, nisi iterum alius rex ordinetur in Noruvegia. Huius regis Insularum venit Legatus ad regem Angliæ prædictus Episcopus. Est enim prædictus rex consanguineus regis Angliæ ex parte Mathildis Imperatricis matris suæ.

MCLXVII. | XV. | XXX. | XIII.

IN Natali Domini fuit rex *Henricus* Pictauis, & venit ad eum *Henricus* filius suus de Anglia. Ante Quadragesimam venit Rex Rothomagum, & mortuo *Rogerio* Abbate sancti Audoeni, viro summæ religionis, eandem Abbatiam dedit Haimerico Cellerario Becci.

Paulò ante obierant in Anglia *Robertus* Herefordensis, & *Robertus* Linconiensis Episcopi,

In Quadragesima locutus fuit Rex Anglorum cum Comite sancti Ægidij apud Magnum-montem.

Post Pascha duxit exercitum militum in Aruernicum pagum, & vastauit terram *Guillelmi* Comitis, quia datâ fide pepigerat stare in acie, in præsentia Domini Regis, nepoti suo, quem exhæredauerat, iuniori videlicet Comiti Aruernensi; sed inueteratus ille dierum malorum, ruptâ fide transtulit se ad Regem Francorum, & seminauit discordias inter eos. Sed & de collectione pecuniæ deferendæ Ierusalem, quæ adunata fuerat Turonis, quam Rex Anglorum nolebat mittere per suos nuncios, vt pote sumptam in suo Comitatu, Rex autem Francorum per suos, quia Ecclesia Turonensis sua est, suggestione Iocij Archiepiscopi Turonensis, magna discordia inter *Henricum* Regem Anglorum, & *Ludouicum* Regem Francorum mota est.

Combusta est ciuitas Turonensis cum principali Ecclesia.

Almaricus Rex Ierusalem euocatus ab Amiralio Babiloniæ, cui confœderatus erat, obsedit Alexandriam, quæ caput est Ægypti, & cepit, & reddidit eam Amiralio, qui pepigit ei singulis annis tributum de eadem ciuitate quinquaginta millia Bizantiorum, exceptis quinquaginta septem, quos habet de Babylone.

Idem etiam Rex duxit vxorem neptem Manuel Imperatoris Constantinopolitani cum infinitis thesauris.

Circa Pentecostem *Fridericus* Imperator Allemanorum, missis exercitibus suis, multos Romanorum occidit, ipse ab eisdem similia recepturus.

Circa mensem Iulium per semetipsum Leoninam Romam obsedit, & cepit, & quædam iuxta Ecclesiam beati Petri destruxit, scilicet porticum, & alia nonnulla. Antipapam & Vvidonem de Creme Romam adduxit, & per manum ipsius vxorem suam Imperatricem fecit coronari, subsecuta est è vestigio vltio diuina. Nam *Carolus* filius Corandi, qui ante Fredericum imperauerat, consobrinus eius mortuus est, & *Rainaldus* Archiepiscopus Coloniensis Cancellarius eius, cuius consilio infinita mala faciebat, & Episcopus Leodicensis, & multi alij tam Episcopi, quàm Consules, similiter perierunt. Dicitur enim quòd grassante mortalitate, viginti quinque millia hominum de exercitu suo mortui sunt. Longobardiæ ciuitates, quæ sunt numero viginti quinque, Mediolanum reædificant, & ab Imperatore decidunt præter Papiam, & Vercellas.

In octauis Pentecostes Rex Anglorum, & Rex Francorum, in Vilcasino locuturi de pace conuenerunt: sed, primoribus Regni Francorum exacerbantibus lenitatem Regis Ludouici, nihil profuerunt. Congregauerunt itaque vterque infinitum exercitum de omni potestate sua, & alteruter Castella sua muniuerunt. Cùm autem Rex Francorum aliquantas villulas in Marca, inter Medantam & Pascheium combussisset, Rex *Henricus* irritatus, licet multùm deferret Regi Ludouico, Caluum-montem, castrum munitissimum & ditissimum, in quo Rex Francorum congregauerat expensas, & victualia ad opus belli, & plurimas villas in circuitu illius combussit. Quo audito Rex Francorum grauiter tulit, & collectis viribus suis, latos fundos, quos sanctus Audoenus habebat in Vilcasino, scilicet Vadum Nigasij, & alias villas combussit; Andeliacum etiam Burgum optimum, qui erat proprius beatæ MARIÆ, & Archiepiscoporum Rothomagensium. Nonnulla etiam quæ pertinebant ad Ecclesiam sanctæ Trinitatis Rothomagensis vastauit.

Sed non defuit festinata vindicta: eadem namque die multi de exercitu eius cùm redirent ad castra, siti, solis feruore, puluere, formidine deficientes expirauerunt: sic etiam patri ipsius pridem acciderat: nam initurus certamen cum *Henrico* seniore Rege Anglorum, in quo inferior fuit, præcedenti nocte in eodem vico hospitatus fuerat, & Franci, qui ferocitate, teste Valentiniano Romanorum Imperatore, vocati sunt, Ecclesiam beatæ MARIÆ Andeliaci stabulum equorum suorum fecerant. vnde alij eorum capti, alij verò in fugam elapsi sunt.

Mense Augusto treguæ sumptæ & iuratæ sunt, inter Reges *Henricum*, & *Ludouicum*, vsque ad Pascha. Inde perrexit Rex Henricus in Britanniam, & subdidit sibi omnes Britannos, & Leonenses: nã *Guihunmarus*, filius *Heruei* Vicecomitis Leonensis, cuius filiam Comes *Guido* habebat in coniugium, datis obsidibus submisit se Regi, terrore exanimatus, cùm videret castrum suum munitissimum combustum & captum, & alia nonnulla vel capta, vel reddita.

Cùm adhuc moraretur Rex in Britannia audiuit nuncium de morte matris suæ *Mathildis* Imperatricis: Decessit enim IV. Idus Septembris Rothomagi, & sepulta est Becci. Thesauros infinitos pius filius distribuit Ecclesiis, Monasteriis, Leprosis, & aliis pauperibus, pro anima illius.

Fecit autem prædicta Imperatrix Monasterium de Voto in Caletensi pago, iuxta Iuliam-Bonam, & posuit ibi Monachos Cistertienses. Fecit & Monasteria Cnonicorum, vnum iuxta Cæsaris Burgum, & aliud in sylua de Goffer. Ad montem etiam lapideum super Sequanam apud Rothomagum, à se inchoatum, multam summam pecuniæ dimisit.

Ricardus Abbas sancti Petri super Diuam obiit, & successit Rannerus Monachus Cadomi pro eo.

Decessit etiam *Michaël* Abbas Pratelli, Monachus Becci, & substitutus est pro eo *Henricus* Monachus Becci, Procurator hospitum.

Iocio Archiepiscopus Turonensis concordatus est cum Rege Anglorum.

Venerabilis *Hugo* Abbas Cerasij humanæ vitæ moriendo satisfecit; qui quinquaginta ferè annis rexit idem Monasterium. Huic successit *Martinus* Monachus eiusdem loci.

Regina *Alienor* transfretauit in Angliam ducens secum filiam suam *Mathildem*.

In Vigilia Natalis Domini duæ stellæ ignei coloris, quarum vna erat magna, altera parua, apparuerunt in Occidente, & erant quasi coniunctæ, postea disiunctæ sunt longo spatio, & apparere desiuerunt.

Natus est *Ioannes* filius Regis Anglorum.

MCLXVIII. XVI. XXXI. XIV.

AD Natale fuit Rex *Henricus* Argentomagi, & tenuit ibi magnam Curiam in noua aula sua.

Mathildis filia Regis Henrici pecuniâ & apparatu maximo ducta est in Allemaniam ad sponsum suum Henricum Ducem Sansoniæ, & Baioariæ: Quorum ducatuum vnum habebat ex patre suo, alterum ex matre. Pater ipsius fuit *Henricus* Dux, qui fuit natus ex filia *Lotharij* Imperatoris, qui ante Coradum imperauerat. Hic *Henricus*, scilicet iunior, qui filiam Regis Anglorum duxit, super paganos, scilicet Sclauos, & Vindelicos tantum adquisiuit, quòd fecit ibi tres Episcopatus.

Obiit *Terricus* Comes Flandrensis, cui successit *Philippus* filius, qui iamdiu Comitatum illum rexerat, cùm pater illius iter Ierusalem frequentabat.

Stephanus de Filgeriis Capellanus Regis Henrici, factus est Episcopus Redonensis.

Fiscanense Monasterium combustum est.

Mense Februario accidit quoddam mirabile in Cenomanensi pago, castro Freernai, quod castrum est *Roscelini* Vicecomitis Cenomanorum, qui habet in coniugio *Mathildem* filiam notham primi Henrici Regis Anglorum, materteram secundi Henrici Regis Anglorum, ex qua genuit *Ricardum*, qui ei successit, & *Guillelmum* cui secundus *Henricus* Rex Anglorum dedit in Britannia filiam *Rolandi de Rieux* cum terra ipsius. In hac itaque munitione fluuius Sarte, qui præterfluit, ferè per horam & dimidiam siccatus est, ita vt calceati siccis vestigiis possent transire, cùm antea vix equi absque natatu possent transuadare. Hoc etiam accidit Londoniæ de Tamensi flumine, tempore primi Henrici Regis Anglorum.

Pictaui, & Aquitani ex maiori parte, id est Comes de Marcha, Comes Engolismensium, *Haimericus de Lizenneio*, *Robertus*, & *Hugo* frater eius de Silleio, & alij multi voluerunt rebellare contra Regem, & incendiis, & rapinis pauperum incumbentes, circumquaque grassabantur. Quod Rex audiens impiger aduolat, & eorum insaniæ obsistens, Lizennoium castrum munitissimum cepit, captum muniuit, villas eorum & municipia destruxit.

Munitis castellis suis militibus, & victui necessariis, relictâ ibi Reginâ cum Comite Patricio Salesberiensi, auunculo Rotrodi Comitis Perticensis: in octauis Paschæ, inter Paceium & Medantum, in Normania locuturus cum Rege Francorum, & iniurias suas ab eo expostulaturus, accessit. Siquidem Pictaui ad Regem Francorum venerant, & obsides suos contra Regem Anglorum, cuius proprij erant, ei dederant. Vnde cùm hinc inde grandis altercatio fieret, nec Rex Francorum obsides, quos contra iustitiam ceperat, reddere vellet, induciæ datæ sunt vsque ad Octauas sancti Ioannis.

Circa verò Octauas Paschæ, dolo Pictauensium occisus est Comes *Patricius*, & sepultus est apud sanctum Hilarium. Successit ei filius, natus ex filia Guillelmi Comitis Pontiui, matre Comitissa de Varenna.

Antequam treguæ datæ essent, Rex Anglorum submonuerat *Eudonem* Vicecomitem de Porrohoit, qui eatenus vmbratico nomine Comes vocabatur, & cui tanta bona contulerat, vt ad seruitium, & adiutorium suum veniret, quod ipse renuit, & quidam alij de Britannis ei confœderatis; scilicet *Oliuerius* filius *Oliuerij de Dinam*; & *Rollandus* Consobrinus eius.

Rex itaque non immeritò aduersus eos iratus, à capite, scilicet ab Eudone incipiens, vastauit & combussit eius terram, destructo imprimis castello Ioscelini; quod habebat præci-

puum. Comitatum etiam de Broherec abstulit ei, cuius caput est ciuitas Venetensium, quam Rex in manu sua cepit; cuius portum Iulius Cæsar mirificè extollendo collaudat in libro quem scripsit de Bello Gallico, dimidium etiam Cornubiæ ei abstulit. Obsedit etiam castellum Abrai, captum muniuit.

Vastatâ igitur Eudonis terrâ, & ad libitum suum redactâ, ad terram Dinannensium appropinquans, castrum Hedde à Gaufrido de Monteforti sibi redditum muniuit, & Tintiniacum euertit. Inde Becherel munitionem Rollandi de Dinam firmissimam per aliquot dies obsidens, adhibitis machinis, cepit, & muniuit. Lehun verò castrum, in quo Rollandus maximè confidebat, quia erat naturâ & arte munitissimum, obsedisset, nisi breuitas termini eundi ad colloquium Regis Francorum eum vrgeret. Traditâ itaque terrâ Rollandi rapinis & incendiis, citra Ricem flumen eadem egit in vlterioribus: Nam transito amne per Lehun descendens, & aliquas perfundens, Monachis Lehunnensibus pepercit. Dinam verò circuiens quædam destruxit, quædam intacta reliquit. In pago Aletensi eadem gessit.

In Octaua sancti Ioannis ventum est ad feritatem Bernardi, vbi de pace inter Reges tractatum est, & infecto negotio discessum est. Nam Britonnes, sicut & Pictaui, obsides Regi Francorum dederant, & fide interpositâ pactionem acceperant, quòd Rex Francorum sine ipsis Regi Anglorum non concordaretur. Vnde & ipsi Britanni, conniuentibus quibusdam Cenomanensium, per quorum terram latenter transierunt, colloquio interfuerunt.

Munitis autem Marchis ex vtraque parte, continuata est decertatio vsque ad Aduentum Domini. Rex verò Henricus cautè agens, cognatum suum *Mathæum* Comitem Boloniæ sibi pacificauit, spondens ei se daturum per annum maximam partem pecuniæ, pro pecunia relaxanda Comitatûs Moritonij. Habebat enim filiam Regis Stephani, qui fuerat Comes Moritonij. Cùm autem idem *Mathæus* ad auxilium Regis Anglorum Domini & cognati sui veniret, *Ioannes* Comes Pontiui non permisit eum transire per terram suam, vnde necessitate cogente nauali subuectione ad Regem cum multis militibus expeditis accessit. Quod Rex audiens, rogatu eiusdem Mathæi, cum bellico apparatu in terram Ioannis perrexit, & Vimacensem pagum Vulcano tradens, quadraginta & eo amplius comburens villas, voluntati suæ satisfecit.

Rex Francorum veniens latenter ad quoddam Municipium Normaniæ, cognominatum Chesnebrut, illicò combussit, & quatuor milites in eo cepit. Quo comperto Rex Anglorum, illum insecutus est, multos milites cepit; inter quos etiam Senescallum Philippi Flandrensium Comitis aduncatus est. Tradidit etiam castellum *Hugonis de nouo castello* flammis & incendiis, vocatum Brueroles, vt combustum ex re nomen haberet. Hoc etiam fecit Nouo castello per milites suos, ipso tamen absente. Vastata est similiter terra Comitis Perticensis ex maiori parte; ipso agente. Multa etiam fecit Rex Angliæ in hac guerra, quæ non audiuimus, vel si audiuimus non occurrunt memoriæ.

Obiit *Robertus* Comes Leecestriæ relinquens filium *Robertum*, qui accepit cum vxore sua hæreditatem de Gentemesnil.

Mortuus est autem in Britannia *Heruæus de Lehun*, cui successit *Guihomar* filius eius.

Nihilominus obiit Romæ *Guido de Creme* Antipapa, & successit in schismate quidam Pseudoclericus cognominatus *Calixtus*.

Archiepiscopo quoque Senonensi in fata secedente, *Vuillielmus* electus Carnotensis ei successit, concesso tamen ei Episcopatu Carnotensi per biennium à Papa Alexandro.

Venit ad Curiam Regis Henrici Anglorum Saxonum, & Baiocorum, Dux *Henricus* gener eius, & magnis ab eo honoratus muneribus in sua rediit.

Longobardi ædificant ciuitatem haud longè à Vercellis, vocantes eam Alexandriam ad honorem Alexandri Papæ, sumptis habitatoribus ex singulis ciuitatibus Longobardiæ.

MCLXIX | XVII. | XXXII. | XV.

REx *Henricus* egit Natale Domini apud Argentomagum.

Obiit *Bernardus* Episcopus Nannetensis.

In Epiphania Domini concordati sunt Rex Francorum & Rex Angliæ. *Henricus* filius Henrici Regis Anglorum, fecit hommagium Regi Francorum socero suo de Andegauensi Comitatu, & de Ducatu Britanniæ, quem Rex concessit eidem genero suo. Nam de Normania fecerat ei antea hommagium, & concessit ei Rex Franciæ, vt esset Senescallus Franciæ, quod pertinet ad feudum Andegauense. *Ricardus* filius Henrici Regis Anglorum fecit hommagium Regi Francorum de Ducatu Aquitaniæ.

Vuillielmus Malet cepit *Robertum de Silleio*.

In Purificatione beatæ MARIÆ fuit *Henricus* filius Regis Anglorum Parisius, & seruiuit Regi

Regi Francorum ad mensam, vt Senescallus Franciæ: hanc Senescaltiam, vel, vt antiquitus, dicebatur, maioratum domûs Regiæ, *Robertus* Rex Franciæ dedit *Gaufrido Grisagonella* Comiti Andegauorum, propter adiutorium quod ei impendit contra *Othonem* Imperatorem Alemaniæ. Dedit etiam ei quidquid habebat in Episcopatu Andegauensi. Postea verò cùm *Gaufridus* Comes Perticensis, & *Dauid* Comes Cenomanensis essent rebelles eidem Roberto Regi Francorum, prædictus Rex Francorum, Gaufrido Grisagonella ferente sibi auxilium, obsedit munitionem Moritoniæ, & cepit. Et quia *Dauid* Comes Cenomanorum euocatus à Rege ad eum venire contempsit, dedit Rex *Gaufrido Grisagonella* homagium illius, & ipsam ciuitatem, & quidquid habebat in Episcopatu Cenomanensi.

Henricus filius Henrici Regis Anglorum fecit homagium Philippo filio Ludouici Regis Francorum.

Henricus Rex Angliæ locutus est cum Ludouico Rege Frãciæ, apud S. Germanum in Leïa.

Gaufridus filius Regis Anglorum fecit homagium *Henrico* fratri suo, de Ducatu Britanniæ, iubente patre eorum.

Mortuo *Hasculfo de Soluineio*, successit ei filius suus *Gislebertus*. Mortuus est etiam *Richardus de Haïa* relinquens filias tres.

Rex *Henricus* perrexit in Quadragesima Vvasconiam, & destructis multis castellis, quæ contra eum erant, vel munitis, Comites Engolismensium, & illum de Marchia, sibi pacificauit, & multos alios qui non erant tanti nominis.

Gaufridus filius Regis Anglorum mense Maio venit Redonis, & *Stephanus* Redonensis, & Autbertus Aletensis Episcopi, & Robertus Abbas de Monte S. Michaëlis & aliæ religiosæ personæ receperunt eum cum summa veneratione in Ecclesia sancti Petri. Ibi accepit hominia Baronum Britanniæ.

Rex *Henricus* fecit fossata alta, & lata, inter Franciam, & Normaniam, ad prædones arcendos: similiter fecerat in Andegauensi pago super Ligerim, ad aquam arcendam, quæ messes & prata prædabat, quædam retinacula, quæ torsias vocant per triginta ferè milliaria, faciens ibi ædificare mansiones hominum, qui torsias tenerent. Quos etiam fecit liberos de exercitu, & multis aliis ad fiscum pertinentibus.

Obiit *Hilarius* Cestrensis, & *Nigellus* Heliensis Episcopi; *Petrus* Gemmeticensis, *Richardus* Bernaicensis, *Syluester* Rotonensis Abbates.

Mense Augusto, pacificatis ferè omnibus in Pictauensi Pago; Vvasconiâ *Henricus* Rex venit in Normaniam, & vocati Britanni properauerunt ad eum.

Catina ciuitas Siciliæ terræ motu concussa & prostrata est, & multi in ea perierunt.

Rex *Henricus* fecit castrum munitissimum, & Burgum pergrande iuxta haïam de Malaffre, quod vocatum est Bealueer.

Cùm *Rogerius Malabranchia* dolo cepisset vrbem Biteriensem, quam ciues ipsius contra eum tenebant, omnes tam viros, quàm mulieres, vel suspendio, vel alio tormento morti tradidit, & nouis habitatoribus illam inhabitandam tradidit. Siquidem prædicti ciues dominum suum *Guillielmum Tencheuel*, patrem Rogerij Malbranche, in quadam Ecclesia cum filio suo paruo crudeliter occiderant.

Rex *Henricus* fecit molendina, & piscatorias Andegauis in flumine Meduanæ.

Cùm Guillelmus Goeth obiisset in itinere Ierusalem, & Comes *Theobaldus* vellet habere in manu sua Montem mirabilem, & alias firmitates, quæ fuerant Guillelmi Goeth, de quibus saisitus erat *Heruæus de Iuen*, qui habebat in coniugio primogenitam filiam Guillelmi Goeth, natam ex vna sororum Comitis Theobaldi: videns prædictus *Heruæus* se non posse resistere Comiti Theobaldo, cùm Rex etiam Francorum adiuuaret partes Comitis Theobaldi, vt pote sororius eius; idem Heruæus, intercurrente magnâ pecuniâ, & quibusdam pactionibus, tradidit Henrico Regi Anglorum Montem-mirabilem, & aliud castrum, scilicet sanctum Anianũ in Biturico, vnde discordia redintegrata est inter Regẽ & Comitem.

MCLXX. XVIII. XXXIII. XVI.

AD Natale fuit Rex *Henricus* in Britannia apud Nannetes. *Robertus* Arhidiaconus Nannetensis consensu Regis factus est Episcopus Nannetensis, post *Bernardũ* auunculũ suũ.

In Quadragesima excessit mare limites suos, vnde messes quæ prope illud seminatæ erant in multis locis perierunt à fluctibus absorptæ. Ossa cuiusdam Gigantis in Anglia per alluuionem detecta sunt, cuius corporis longitudo, vt ferunt, quinquaginta pedum erat.

In eadem Quadragesima transfretauit Rex *Henricus* in Angliã, non tamen sine discrimine.

Submerso in mari *Gisleberto de Abrincensi*, *Fulco Painel*, qui habebat primogenitam sororem eius, successit ei.

Vicecomites per Angliã qui exactionibus & rapinis populũ afflixerãt, à Rege correpti sunt.

Post Pentecosten Rex *Henricus* euocato filio suo Henrico in Angliam, fecit eum coronari in Regem, cum magna Cleri, populíque lætitia, Londoniæ apud Vvestmonasterium; hunc inunxit *Rogerius* Archiepiscopus Eboracensis: nam *Thomas* Cantuariensis citra mare per continuum fere sexennium in Galliis morabatur. Huic consecrationi interfuerunt *Gislebertus* Londonensis, *Goscelinus* Salesberiensis, *Vvalterus* Rofensis, *Ricardus* Cestrensis, *Bartholomæus* Lexouiensis, *Hugo* Dunelmensis Episcopi: *Rogerius* Vvigorniensis in Normania morabatur, *Henricus* Vvintonensis, & *Vvillelmus* Noruicensis infirmitate præpediti non affuerunt. Nam *Adelufus* Carluiensis, & *Robertus* Herfordensis, & *Robertus* Batensis, & *Robertus* Lincolnensis, & *Hilarius* Cicestrensis, & *Nigellus* Heliensis Episcopi dormierant in Domino, & adhuc cathedræ eorum vacabant. Interfuerunt verò de Normania, Henricus Baiocensis, & Frogerius Sagiensis Episcopi, qui cum eo venerant in Angliam. Quidam molestè ferunt, quòd Archiepiscopus Eboracensis vnxerit in Regem Henricum iuniorem. Sed nouerint quòd primus Guillelmus, qui Angliam armis subegit, ab Alueredo religiosissimo viro Eboracensi Archiepiscopo inunctus & sacratus est, Cantuariensi Archiepiscopo intra insulam Britanniæ manente, Stigando scilicet à Papa excommunicato.

Margarita filia Regis Franciæ, vxor Henrici iunioris Regis, in Angliam transiit, nec tunc tamen fuit coronata, quia iam Rex coronatus erat, & Episcopi discesserant.

Ioannes Comes Aucensis moritur, & successit ei filius eius *Henricus*, quem genuerat ex filia Vvillelmi de Albineio; quem vocant Comitem de Arundel. Hic duxit, Aelizam Reginam, relictam Henrici Senioris Regis Anglorum, ex qua genuit *Guillelmum* primogenitum suum, & *Godefridum*, & istam Comitissam vxorem Ioannis Comitis Aucensis, de quo sermo est.

In die Apostolorum Petri & Pauli, terræ motus horribilis factus est in transmarinis partibus, quo corruit ciuitas Tripolis, pars Damasci, Antiochiæ plurimum. Agareni etiam non fuerunt expertes huius tribulationis: nam Halapre, quæ caput est Regni Loradin, & quædam aliæ ciuitates Sarracenorum, non euaserunt hanc pestem.

Mortuo *Vvillelmo* Comite Niuernensi vltra mare, *Matthæus* frater Philippi Comitis Flandrensium, Comes Boloniæ, duxit vxorem eius sororem, scilicet Comitissæ Flandrensis. Hi itaque duo fratres duas duxerunt sorores, filias Rodulfi Comitis Viromandorum, neptes Alienor Reginæ Anglorum ex sorore, callidè agentes in retinendo terram Radulfi de Paronna per quemlibet fratrum. Hic *Matthæus* priùs habuerat filiam Regis Stephani, & susceptis ab ea duabus filiabus, rediit ad Religionem vnde inuita recesserat.

Circa Augustum Rex *Henricus* rediit in Normaniam, relicto iuniore Henrico in Anglia.

Rex *Henricus* fecit pacem inter Comitem *Tedbaldum* & *Heruæum de Iuen.*

Mense Septembri Rex *Henricus* infirmatus est pene vsque ad mortem apud motam de Ger, sed miseratione diuina, & supplicatione seruorum Dei, quibus se humiliter commendabat, sopitâ aduersâ valetudine, sanitatem refouet.

Ægidius Rothomagensis Archidiaconus electus est ad Episcopatum Ebroicensem. *Ricardus* Archidiaconus Constantiensis ad Abrincatensem.

Alienor filia Regis Henrici Anglorum ad Hispaniam ducta est, & ab *Anfurso* Imperatore solemniter desponsata. Huius Imperatoris illa pars Hispaniæ, quæ Castella vocatur, Regnum est. Huius Imperij caput ciuitas Toletum est. Prædicto Regi propter infirmam ætatem, nondum enim adimpleuerat quindecim annos, aduersantur duo Reges, *Fernandus* Galliciæ patruus eius, & *Amfonsus* Nauarræ auunculus eius.

Mortuo *Roberto* filio Roberti Comitis Gloecestriæ, *Amauricus* primogenitus filius Simonis Comitis Ebroicensis, iussu & voluntate Henrici Regis Angliæ, duxit primogenitam filiam Roberti Comitis Gloecestriæ. Dederat etiam ante idem Rex *Hugoni* Comiti Cestriæ cognato suo, filiam Comitis Ebroicensis, cognatam suam ex parte patris sui.

Vrbs Cenomanorum flagrauit incendio. Cella etiam sancti Victurij combusta est, sed Deo adiuuante, in melius est restaurata.

Henricus Rex Anglorum perrexit causâ orationis ad *Rocam Amatoris*, qui locus in Cadurcensi pago, montanis, & horribili solitudine circumdatur. Dicunt quidam quod beatus Amator famulus beatæ MARIÆ, aliquando baiulus & nutricius Domini fuit, & assumpta piissima matre Domini ad æthereas mansiones ipse *Amator* præmonitus ab ea ad Gallias transfretauit, & in prædicto loco eremiticam vitam diu transegit. Quo transeunte, & in introitu Oratorij beatæ MARIÆ sepulto, locus ille diu ignobilis fuit, excepto quòd vulgò dicebatur ibi beati Amatoris corpus requiescere, licet ignoraretur vbi esset. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo sexto, quidam indigena illius regionis, ad extrema veniens, præcepit familiæ suæ, diuina forsitan inspiratione, vt in introitu Oratorij corporis sui glebam

sepelirent. Effossâ itaque terrâ corpus beati *Amatoris* integrum reperitur, & in Ecclesia iuxta Altare positum integrum peregrinis illud ostenditur, & ibi fiunt miracula multa, & antea inaudita, per beatam MARIAM. Ad hunc ergo locum, vt diximus, Rex H*enricus* causâ orationis veniens, quia appropinquabat terræ inimicorum suorum, congregatâ multitudine armatorum, tam equitum, quàm peditum, ad orationem perrexit munitus sicut ad prælium, nulli malum inferens, omnibus, maximè pauperibus in eleemosynis largiter prouidens.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus transfretauit in Angliam.

Stephanus Comes de Sanceore, frater Comitis Tebaldi, perrexit Ierusalem, ferens secum pecuniam; quam Rex Francorum *Ludouicus* fecerat colligere in adiutorium Ierosolymitanæ Ecclesiæ. *Odo* Dux Burgundiæ nepos eius perrexit cum eo.

MCLXXI. XIX. XXXIV. XVII.

AD natale fuit Rex H*enricus* ad Bur iuxta Baiocum.

Annus millenus centenus septuagenus
Primus erat, Primas quo ruit ense Thomas.
Quinta dies natalis erat, flos orbis ab orbe
Vellitur, & fructus incipit esse Poli.

Agareni cum multis millibus armatorum venerunt ab Affrica in Hispaniam.

H*amo* Episcopus Leonensis crudeliter per consilium, vt dicunt Guihomari fratris sui Vicecomitis Leonensis, & iunioris Guihomari nepotis sui, occisus est.

Conanus Dux Britanniæ moritur, & tota Britannia, & Comitatus de Gippewis, & honor Richemundiæ, per filiam Comitis Conani, quæ desponsata erat Gaufrido filio Regis Henrici transierunt.

H*aimericus* Abbas sancti Audoeni moritur.

H*enricus* Rex venit in Quadragesima ad Pontem-Vrsonem, & ibi per quindecim ferè dies demoratus est. Hoc etiam fecit in Rogationibus & Pentecoste, cùm Guihomarus venit ad eum, & reddidit se ei, & sua castella, perterritus multitudine militum, & aliorum armatorum, quos Rex illò direxerat ad eum comprimendum, nisi Regis voluntati obediret.

Sequenti anno canonizatus est S. *Thomas* à Papa Alexandro: & præceptum fuit vt natalis dies festiuus ab omnibus celebraretur, maximè ab Anglis.

Castrum Pontis-Vrsonis combustum est. Vrbs Norwicensis similiter combusta est, cum Episcopali Ecclesia, & Officinis Monachorum.

H*umbertus* Comes Moriennæ misit Abbatem sancti Michaelis de Clusa, ad Henricum Regem Angliæ, pro componendo matrimonio inter *Ioannem* filium Regis, & filiam suam, offerens ei totam terram suam, fuit enim idem Comes filius Amati Comitis, & ditissimus in possessione vrbium, & castellorum; nec aliquis potest adire Italiam, nisi per terram ipsius.

Teobaldus Comes Carnotensis plures Iudæorum, qui Blesis habitabant, igni tradidit. Siquidem cùm infantem quendam in solemnitate Paschali crucifixissent ad opprobrium Christianorum, postea in sacco positum in fluuium Ligeris proiecerunt. Quo inuento eos conuictos de scelere, vt supradiximus, igni tradidit, exceptis illis, qui fidem Christianam receperunt. Hoc etiam fecerunt de sancto *Vuillelmo* in Anglia apud Norwic, tempore Stephani Regis, quo sepulto in Ecclesia Episcopali, multa miracula fiunt ad sepulchrum eius. Similiter factum est de alio apud Gloueceſtriam tempore Henrici secundi Regis: sed & in Francia, castello, quod dicitur Pons-Isaræ, de sancto Ricardo impij Iudæi similiter fecerunt: qui delatus Parisius in Ecclesia sepultus, multis miraculis coruscat. Et frequenter, vt dicitur, faciunt hoc in tempore Paschali, si oportunitatem inuenerint.

Obiit *Guillelmus Taluacius* Comes Pontiui, & successit ei Ioannes nepos suus in Comitatu Pontiui, ex Guidone primogenito suo. In terra verò, quam tenebat de Rege Anglorum in Normania & in Cenomanensi pago, successit ei Ioannes Comes filius eius. Iste duxit filiam Comitis Heliæ fratris Comitis Gaufridi Andegauensis, & Ducis Normanorum.

Rex H*enricus* senior fecit inuestigari per Normaniam terras, de quibus Rex Henricus auus eius fuerat saisitus die qua obiit, fecit etiam inquiri quas terras, & quas syluas; & quæ alia dominia Barones, & alij homines occupauerant post mortem Regis Henrici aui sui, & hoc modo ferè duplicauit redditus Ducatûs Normaniæ.

Ris Rex Vualensium pacificatus est cum Rege Anglorum H*enrico*: Rex *Oenus* auunculus eius, præterito anno obierat, & filij eius Regi Henrico subditi sunt.

Margarita vxor iunioris Regis Henrici transfretauit in Normaniam.

Mense Iulio Rex congregauit Barones suos apud Argentonium, & cùm ibi tractaretur de profectione sua in Hiberniam, Legati Comitis *Ricardi* venerunt ad eum, dicentes ex parte Comitis, quòd traderet ei ciuitatem Duaelinæ, & Vvatreford, & alias firmitates suas, quas habebat causâ vxoris suæ, quæ fuerat filia Regis Duuelini, qui iam obierat. Rex itaque audito hoc nuntio, mandauit Comiti quòd redderet ei terram suam in Anglia, & in Normania, & planam terram in Hibernia, quam acceperat cum vxore sua, & concessit ei, vt esset Connestabilis, vel Senescallus totius Hiberniæ.

Venerabilis *Henricus* Episcopus Vvintoniensis, & Abbas Glastoni, decessit in fata. Iste bonus Episcopus multa bona fecit Ecclesiæ Vvintoniensi, in ornamentis auri & argenti, & sericarum vestium. Diuitias etiam suas Ecclesiis, & pauperibus larga manu distribuit. Ad augmentum virtutum etiam suarum, per aliquantulum temporis ante mortem suam lumine corporali priuatus fuerat.

Mense Augusto Rex transiuit in Angliam, & aggregatis tam militibus, quàm sumptibus, quæ ad tantam expeditionem erant necessaria, vigiliâ beati Lucæ Euangelistæ transiuit in Hiberniam: quàm autem prosperè transfretauit, applicuit, receptus fuit, literæ quas ad Regem *Henricum* filium suum misit, indicant.

MCLXXII. XX. XXXV. XVIII.

HEnricus Rex iunior ad natale fuit ad Bur iuxta Baiocum; & quia tunc primùm tenebat Curiam in Normania, voluit vt magnificè festiuitas celebraretur. Interfuerunt Episcopi, Abbates, Comites, Barones, & multa multis largitus est. Et vt appareat multitudo eorum qui interfuerunt, cùm Vvillelmus de sancto Ioanne Normaniæ Procurator, & Vvillelmus filius Hamonis Senescallus Britanniæ, qui venerat cum Gaufrido Duce Britanniæ domino suo, comederent in quadam camera, prohibuerunt ne quis miles comederet in eadem camera, qui non vocaretur Vvillelmus: & eiectis aliis de camera, remanserunt centum & decem milites, qui omnes vocabantur Vvillelmi, exceptis plurimis aliis eiusdem nominis, qui comederunt in Aula cum Rege.

Henricus Dux Saxonum & Baiacorum, gener Henrici Regis Anglorum, perrexit Ierusalem cum magno Comitatu militum, & magna ibi incepisset, & forsitan perfecisset incepta, nisi Rex & Templarij obstitissent. Thesauros tamen, quos secum portauerat, larga manu distribuit pauperibus, & Ecclesiis sanctæ terræ.

Post Pascha Rex audiens duos Legatos, *Albertum*, & *Theodbertum* ex parte Domini Papæ *Alexandri* ad se missos, pro causa piæ memoriæ Thomæ quondam Cantuariensis Archiepiscopi, cùm esset in Hibernia citissimè venit de Hibernia in Angliam, de Anglia in Normaniam; & præmissis ad eos honorabilibus personis, locutus est cum eis. Primò Sauignei, postea Abrincis, tertio Cadomi, vbi causa illa finita est, sicut literæ publicę testantur, quæ inde factæ sunt, & à multis personis quæ illuc conuenerant, retinentur.

Rex *Henricus* locutus est cum Rege Francorum, & misit filium suum Regem iuniorem in Angliam, vt Margarita filia Regis Franciæ vxor eius consecraretur in Reginam. Hanc inunxerunt ex consilio Regis Franciæ Rotrodus Archiepiscopus Rothomagensis, & Ægidius Episcopus Ebroicensis, & coronauerunt Regem, & vxorem eius.

Circa festum sancti Michaelis congregauit Rex Episcopos Normaniæ, & Britanniæ, & venit ipse & Legati Abrincis, tractaturi de Ecclesiasticis negotiis; sed obsistente Regis infirmitate parum profecerunt. Huius Conuentus causâ venerunt vsque ad Montem ad nos honorabiles personæ multæ, inter quas fuerunt religiosissimi viri Dominus *Stephanus* Cluniacensis, & Dominus *Benedictus* Clusinus Abbates; & mutua vice societatem suam nobis, & sibi nostram impendimus sicut literæ eorum, quæ à nobis habentur, & nostræ quæ ab ipsis asportatæ sunt, testificantur. Hoc etiam fecerat nobis piæ memoriæ *Vvillielmus* Vizeliacensis Abbas in Capitulo Vizeliacensi, & cum his tribus Ecclesiis, scilicet Cluniacensi, Clusensi, Vizeliacensi habemus specialem societatem, & multùm nobis & illis placentem.

Circa festum sancti Martini venit iunior Rex cum vxore sua de Anglia, & locuti sunt cum Rege Francorum; ipse apud Gisors, ipsa verò apud Caluum-Montem, quos Rex lætissimè suscepit sicut filios suos.

MCLXXIII. XXI. XXXVI. XIX.

REx *Henricus* cum Regina *Alienor* egit Natalem Domini apud Chinum regaliter. Iunior verò Rex cum vxore sua *Margarita* eandem festiuitatem apud Bonam-villam celebrauit. Exinde secutus est patrem suum in Andegauensem pagum; moraturum in illis partibus vsque ad Purificationem Beatæ MARIÆ, quando Rex debebat loqui cum Rege

Arragoniæ, & cum Comite de Morienne, & cum Comite de sancto Ægidio, pro causa Tolosæ.

Guillielmus Abbas Radingensis factus est Archiepiscopus Burdegalensis.

Comes de sancto Ægidio pacificat cum Rege Angliæ, de Tolosa facto sibi hommagio; & Ricardo filio suo Duci Aquitanorum. Promisit ei se daturum equos magni pretij, quotannis quadraginta; Et si necesse habuerit, inueniet ei vno quoque anno ad seruitium suum per quadraginta dies centum milites.

In Quadragesima quia Rex *Henricus* Senior remouerat à consilio, & famulatu filij sui, *Asculfum de sancto* Hilario, & alios Equites iuniores, ideò ille iratus recessit à patre, & venit Argentonium, & recessit inde noctu, pergens ad Regem Francorum, nescientibus Ministris suis, quos pater suus seruitio suo deputauerat. Quem secutus est Comes R*obertus* Bellenti relinquens castella sua sine custodibus; quæ Rex H*enricus* occupauit. Comes etiam Cestriæ H*ugo* à sancto Iacobo Gallicienssi rediens, secutus est eum; & Vvillelmus Patriæ Senior, & tres filij eius, & multi alij minoris nominis; quorum omnium domos, & virgulta, & syluas Rex euertit. Similiter Regina Alienor & filij sui, *Ricardus* Comes Pictauensis, & Gauterus Comes Britanniæ alienati sunt ab eo.

Feriâ quartâ ante Cœnam Domini Prior Cantuariensis, & aliæ personæ honestæ, venerunt ad sanctam Barbaram in Episcopatu Lexouiensi, ad Regem H*enricum*, & ad Legatos Romanos, *Albertum* & *Theodinum*; & elegerunt *Rogerium* Abbatem Becci ad Archiepiscopatum Cantuariensem. Ille verò prætendens infirmitatem suam noluit acquiescere electioni eorum. Qui interea redeuntes in Angliam, conuocatis Episcopis, & aliis religiosis personis, elegerunt in Archiepiscopum Ricardum Priorem de Duuira Monachum suum.

Ricardus etiam Archidiaconus Pictauensis electus est ad Episcopatum Vvintonensem. *Gaufridus* filius Regis Henrici naturalis, Archidiaconus Lincoliensis, ad Lincoliensem. *Gaufridus* R*idel* Archidiaconus Cantuariensis, ad Eliensem. R*obertus Foliot* Archidiaconus Lincoliensis, ad Herfordensem. R*agerius* Lombardus Archidiaconus Salesberensis, ad Batensem. *Goscelinus* Decanus Cistrensis, ad Cistrensem. Postea autem die qua consecraretur electus Cantuariensis, & consecraret æquè alios electos in generali Conuentu Episcoporum, & aliorum qui conuenerant; Prior Cantuariensis qui protulit literas Henrici Regis iunioris, in quibus dicebat eos non esse sacrandos: & si quis imponeret eis manus, inuitabat eum ad audientiam domini Papæ; & ita infecto negotio, recesserunt vnusquisque ad propria.

Prior Vvintonensis factus est Abbas Glastoniæ.

Post Pascha *Bernardus de Feritate*, vertit se, & castellum suum Regi iuniori. Similiter *Galerandus de Ibera*, *Goscelinus Crispinus*, *Gillebertus de Tegulariis*, R*obertus de Monteforti*, R*aderus de Faie*, *Gaufridus de Lizenore*, H*ugo de sancta Maura*, & ipsius filius, & *Vvillelmus* Camerarius *de Tancharuilla* veniens de Anglia.

Philippus Comes Flandrensis cepit castrum de Aubimare, & in eodem Comitem *Vvillelmum* Dominum ipsius castri, & Comitem *Simonem*. Interea Comes Aucensis H*enricus* subdidit se, & castella sua, Regi iuniori, & Comiti Flandrensi

Post festum sancti Ioannis Rex Francorum *Ludouicus*, coadunatis Baronibus suis ex omni regno suo, obsedit castrum Vernolense, ferè per vnum mensem. In quo exercitu, vt dictum est à nonnullis, fuerunt septem millia militum, excepta reliqua multitudine. Quibus restiterunt viriliter H*ugo de Laci*, & H*ugo de Bello-campo* Constabulis ipsius castri, & milites eis subditi cum Burgensibus.

Iunior Rex H*enricus*, & *Philippus* Comes Flandrensis & *Matthæus* frater eius Comes Boloniæ, obsederunt nouum castrum, quod dicitur Drincgurt, cum magno exercitu. Cui castro præerant Doun *Bardulfus* & *Thomas* eius frater. Qui cùm vidissent se non posse resistere crebris assultibus eorum, & suffossioni murorum, acceptis induciis, perrexerunt ad Regem Angliæ dominum suum, nunciantes ei quòd non poterant resistere viribus inimicorum. Quare concessit eis Rex, vt castrum redderent Comiti Flandrensi.

Matthæus Comes Boloniæ, frater Philippi Comitis Flandrensis, ex vulnere quod accepit in obsidione castri Dringcurt, mortuus est. Vnde Comes Flandrensis frater eius dolens, accinxit militaribus armis *Petrum* fratrem suum, qui electus erat ad Episcopatum Cameracensem.

Tertio Idus Augusti, vir religiosissimus Domnus *Stephanus* Abbas Cluniacensis viam vniuersæ carnis ingressus est; & successit ei *Raderus* Prior de Charitate, consobrinus Comitis Theobaldi.

Obiit etiam *Rogerus* Comes de Clara; cui successit *Gilbertus* filius eius, qui duxit filiam G. Comitis Gloecestriæ.

Rex *Henricus*, contracto magno exercitu tam equitum, quàm peditum, venit Britolium, volens hominibus suis in Vernolio à Rege Francorum *Ludouico* ferre auxilium. Quod cùm Rex Francorum audisset, vsus consilio sapientum, à castro recessit, relictâ multâ parte impedimentorum & victualium.

Rex H*enricus*, conuocatis Baronibus Britanniæ, exegit ab eis Sacramentum suæ fidelitatis. Quòd cùm alij vtcunque obseruarent, *Raderus de Fulgeriis* infideliter agens, vocatus à Rege parere noluit; sed castellum de Fulgeriis, quod Rex priùs destruxerat cepit reædificare. Quod audiens *Asculfus de sancto* Hilario, & *Vvillielmus Patric*, & tres filij sui, læti effecti per diuerticula venerunt ad eum; Comes etiam Cestriæ, & Comes *Eudo* secuti sunt eos.

Cùm Rex Anglorum H*enricus* misisset Brebenzones suos ad deuastandam terram Raderij de Fulgeriis, & hoc ex magna parte fecissent, magna pars eorum, qui victualia ad exercitum deferebant, cùm non haberent Ducem, neque protectorem, occisa est inter sanctum Iacobum, & Fulgerium, à militibus Raderij de Fulgeriis. R*aderus de Fulgeriis* castrum sancti Iacobi tradidit incendio. Similiter castrum Tilioti.

Rex H*enricus* latenter veniens Fulgerium, vt interciperet Raderium; audito eius aduentu fugæ petiit remedium. Prædam tamen tantam, quantam aliquis in nostro vix viderat Regis homines ceperunt. Siquidem R*aderus de Fulgeriis* præceperat hominibus de omni terra sua, quòd equos, & armenta, & pecudes, & omnem substantiam suam ducerent in suam forestam: sed antequam intrarent nemoris latibula, ab inimicis intercepta sunt, & omnia sua amiserunt.

R*aderus de Fulgeriis*, delinitis custodibus, pretio & precibus, qui custodire debebant castrum de Cumburc, & ciuitatem Dolensem ad opus Regis Angliæ, cepit illas munitiones: Quod Rex audiens misit Brebenzones suos, & quosdam de militibus suis ad eorum auxilium, si necesse haberent. Quibus obuiauerunt Comes Cestriæ, R*adulfus de Fulgeriis*, *Asculfus de sancto* H*ilario*, *Vvillielmus Patric*, & vniuersi milites de terra Radulfi de Fulgeriis, cum magna multitudine peditum, qui quasi in momento dispersi milites se fugæ tradiderunt, & multi de plebe occisi sunt. Comes vero Cestriæ, & R*aderus de Fulgeriis*, & quadraginta milites cum eis, cùm non possent effugere, quia inimici eorum obstruxerant viam fugiendi, incluserunt se in terram, excepto Asculfo de sancto Hilario, & Vvillielmo Patric, & quibusdam aliis, qui capti ducti sunt ad Pontem-Vrsonis. Itaque obsessa est Turris Dol, à Brebenzonibus, & militibus Regis, & plebe Abrincantina. Comes verò *Eudo* cùm venisset de Francia noluit morari cum Radero de Fulgeriis, sed abiit in Porroet, & firmauit castellum *Goscelini*, & cepit castellum Ploasmel.

In sequenti opere potest videri probitas, industria & agilitas Regis Angliæ H*enrici*. Audiuit nuntium de obsessione Turris Doli cùm esset Rothomagi, nocte præcedente diem nuntij, ipso verò die Mercurij, cùm iam lux esset, recessit à Rothomago, & venit Dolum sequenti die circa tertiam, & obsedit turrim. Et cùm præparasset machinas ad turrem capiendam, inclusi sibi prouidentes reddiderunt turrim, & se, ad voluntatem Regis. Inde Rex misit eosdem per firmitates suas, vt ibi custodirentur. Quosdam verò, acceptis obsidibus, secum retinuit sub libera custodia.

Comes R*obertus de Leecestria* volens turbare regnum Angliæ, ipse & vxor eius, & H*ugo de nouo Castello* consobrinus eius, cum multis militibus, transfretauit in Angliam. Sed interceptus ipse, & vxor eius, & Hugo de Nouo Castello, capti sunt à fidelibus Regis iuxta S. Edmundum, & custodiæ traditi; & multi Flandrensium ibi occisi sunt, & multi alij capti, occisi, & forsitan ideò quia rapinam exercuerant in terra sancti Edmundi Regis & Martyris, quod non licuit alicui impunè.

R*aderus de Fulgeriis* dedit obsides Regi Angliæ pro se filios suos, *Iuellum* & *Vvillielmum*: Ipse verò nullatenus acquieuit, vt se potestati Regis traderet, sed fugiendo per nemora delitescit.

Gaufridus de Poentio, & *Bonus* Abbas de Rugeïo, & alij exhæredati de Media, & de Andegauensi pago, & R*aderus de* H*aïa* Normanus, de nemoribus infestant terram Regis, carentes munitionibus castellorum. Siquidem Brebenzones Regis destruxerant castrum Quircę (sicut antea pessumdederant Fulgerium) & cæteras munitiones Raderij.

R*obertus de Vitreïo* obiit, & successit ei filius suus *Andreas*, natus ex sorore R*ollandi de Dinam*. Idem verò R*ollandus*, qui carebat alio hærede, fecit hæredem alium nepotem suum *Alanum*, de omni terra sua in præsentia Regis.

A.D.	ROMANORVM.	FRANCORVM.	ANGLORVM.
MCLXXIV.	XXII.	XXXVII.	XX.

REx *Henricus* egit Natale Domini in Baioco pago apud Burum.

Vuillielmus Episcopus de Trigel humanæ vitæ finem fecit, cui successit *Iuo* Brito, Archipresbyter Turonensis.

In loco etiam *Haimonis* Episcopi Leonensis, electus est quidam Archidiaconus eiusdem Ecclesiæ, non canonicè, sed Simoniacè, & cùm haberet gratiam tam cleri, quàm populi, non promeruit consecrationem, impediente morte *Iocij* Archiepiscopi Turonensis: in cuius loco elegerunt Turonenses Clerici Decanum ipsius Ecclesiæ *Bartholomæum*, iuuenem strenuum, & genere nobilem.

Guillielmus Patric iunior moritur Parisius, & *Guillielmus* Patric pater eius, cui successit *Ingerannus* Patric filius eius, qui duxit filiam Ricardi filij Comitis.

Obiit Abbas sancti Florentij, & successit ei *Raderus* Normanus.

Similiter satisfecit vitæ humanæ *Nutritus* reclusus, vir honestus, & magnæ religionis, ad cuius tumulum (vt quidam dicunt) qui est iuxta Ecclesiam sanctæ MARIÆ Ardeuonensis, Deus magnificatur in curatione Infirmorum.

Obiit etiam anno superiore *Hamo de Landecop* Monachus Sauiniensis, qui propter religionem, & bona opera in pauperes, charus erat Deo & hominibus.

Archiepiscopus Tarentasiæ, qui fuerat Monachus de Ordine Cisterciensi, per quem in nostris temporibus in exhibitione Miraculorum Deus benedicitur, cum Abbate Cisterciensi *Alexandro*, missus à Domino Papa venit ad Regem Francorum, pro reformanda pace inter Regem Angliæ *Henricum*, & filium eius Regem iuniorem; sed, impedientibus hominum peccatis, parum profecit.

Circa Pascha *Ricardus* electus Cantuariensis, qui anno superiori perrexerat Romam, à Papa Alexandro sacratus est Anagniæ. *Ragerium* Electum Batensem, socium eius, sacrauit Archiepiscopus Tarentasiæ.

Duæ Reginæ ducuntur in Angliam.

Circa idem tempus *Ludouicus* Rex Francorum congregauit Parisius omnes Barones regni sui, qui ei parebant, & cum eis habuit secretum Ministerij sui. Iurauerunt ergo Comes Flandrensis, Comes *Theobaldus*; Comes de Claromonte, & multi alij, quòd transfretarent cum iuniore Rege in Angliam, circa festum sancti Ioannis, & pro posse suo subiugarent ei idem regnum. Alii verò qui remanebant, iurauerunt quòd cum exercitu per Normaniam pergerent, & quæcumque castella possent, caperent, & patriam vastarent, aut vrbem Rothomagum obsidione cingerent; quod & fecerunt pariter proficientes. Rex autem *Henricus* senior, qui multos de Baronibus Franciæ obæratos habæbat, & magnis obsequiis, & donis eos sibi familiares fecerat, hoc cognito, per eos castella sua, quæ erant in finibus Normaniæ iuxta Franciam, armis, militibus, & victualibus muniuit. Remouit etiam quosdam custodes castellorum, ne aliquam sibi fraudem facerent per receptionem inimicorum suorum, & longam moram. Inde locutus cum Baronibus Normaniæ eos admonuit, obsecrauit, vt viriliter agerent, & rememorarentur quòd parentes eorum multotiens Francos à finibus suis turpiter eliminassent. Inde assumptis paucis, immò ferè nullis de Baronibus Normaniæ cum Brebenzonibus suis transiuit in Angliam. Quâ autem humilitate sepulchrum beati Martyris *Thomæ* visitauerit, notandum est.

Vt autem vidit Ecclesiam Cantuariensem, desiliens equo in veste lanea, & nudis pedibus, pedes vsque ad illam per paludes, & acuta saxa, cum summa deuotione perrexit. In oratione ad sepulchrum gloriosi Martyris in lachrymis tam deuotus extitit, vt videntes ad lachrymas cogeret. Feriâ sextâ illuc venerat, & impransus tota nocte ibi vigilauit. Mane autem facto, in Capitulum Monachorum pergens, subdit se verberibus eorum, imitatus Redemptorem; qui dorsum suum dedit ad flagella, sed ille fecit propter peccata nostra, iste propter propria. Eadem autem die quâ recessit à sancto loco, captus est Guillelmus Rex Scotiæ apud Anuich. à Baronibus Eboracensibus: qui Rex tota æstate cum *Regerio de Moubrai*, & aliis complicibus suis, vastauerat septentrionales partes Angliæ, pertingentes ad Scotiam. Quartâ feriâ sequenti audiuit Rex nuntium tanti gaudij.

Rex *Henricus* exhilaratus tanto nuntio, facta pace cum Comite *Hugone Bigoth*, & positis in firma custodia, *Guillelmo* Rege Scotiæ, & *Rogerio* Comite Leecestriæ, cum Comitibus suis, transfretauit in Normaniam, relinquens Angliam in pace, quam ferè perditam in triginta diebus recuperauerat. Veniens itaque Rothomagum misit Marchisos suos Vualenses trans Sequanam, vt victualia, quæ veniebant ad exercitum Francorum, in nemoribus diriperent. Franci igitur ex vna parte timentes Regem, ex alia Vualenses, de pace locuturi ad

Regem conueniunt. Vnde Rex exhilaratus terminum de pace inter eos reformanda posuit ad Natiuitatem sanctæ Mariæ apud Gisors. Quo termino elapso, ex vtraque parte conuenerunt; sed nihil profecerunt, nisi quòd alium terminum circa festum sancti Michaëlis posuerunt inter Turonum & Ambasium. Quo loco, Deo fauente, pax prouenit, & filij Regis tres se patri suo humiliter subdiderunt; & Rex Francorum, & Comes Flandrensis, firmitates quas ceperant in Normania, Regi Angliæ reddiderunt. Ego verò pacem istam ascribo Dominæ nostræ Iesv Christi Genitrici, quia in vigilia Assumptionis eius vniuersus exercitus ab obsidione recessit, & ciues Rothomagenses lætum diem egerunt in Ecclesia ipsius, sicut debebant, ab obsidione liberati.

Post festum sancti Ioannis moritur *Ammaricus* Rex Ierosolymitanus, & successit ei *Balduinus* quartus filius eius.

Obiit etiam *Loradin* Rex Alapriæ, & successit ei filius natus ex sorore Comitis sancti Ægidij, quam acceperat captiuam in itinere Ierosolymitano. Ipsa verò & filius, assumptis induciis vsque ad septem annos, promiserunt se daturos plurimam summam auri Regi Ierosolymitano. *Saraguntat* nepos ipsius Loradin occidit Amulanium Babyloniæ, & factus est Princeps Babyloniæ, & Alexandriæ.

Mortuo *Drogone* Abbate sanctæ Trinitatis, successit ei *Guillelmus de Esperuilla*, Monachus Becci, Prior de Euuremodio. Mortuo etiam *Roberto* Abbate Cormeliensi, successit ei *Harduinus* Monachus Becci, Prior sancti Theodemiri, vel Himerij.

MCLXXV. XXIII. XXXVIII. XXI.

Rex *Henricus* egit Natale Domini apud Argentomagum.

Fridericus Imperator Alemanorum, cum vxore & liberis, & cum maximo exercitu veniens in Italiam, obsedit Alexandriam vsque ad Pascha, nihil proficiens, sed multa detrimenta sustinens.

Guarinus de Gelardun Abbas Pontiniacensis, factus est Archiepiscopus Bituricensis, sicut Abbas qui idem Monasterium ante illum rexerat, factus fuerat Archiepiscopus Lugdunensis.

Circa pascha iunior Rex Pacificatus est cum patre suo, accepto ab eo & fratribus suis Sacramento, quod voluit. Inde Rex misit Ducem *Ricardum* filium suum in Aquitaniam; & *Gaufridum* filium suum Comitem Britanniæ in Britanniam, assignans ei *Rollandum de Dinam*, vt esset Procurator terræ suæ.

Fredericus Imperator Alemanorum recessit ab Alexandria, & tractatum fuit de reformanda pace inter Dominum Papam & ipsum: sed Imperator noluit adquiescere paci, stante Alexandria, quam Longobardi noluerunt subuertere, & ita pax remansit. Ipse verò adhuc moratur Papiæ non valens procedere, nec reuerti.

Gaufridus Dux Britanniæ, ea quæ Comes *Eudo* habebat de dominio, scilicet Venetum, Ploasmel, Auroi, medietatem Cornubiæ, reuocauit in ditionem suam.

Post Pascha Rex *Henricus*, & filius suus Rex Iunior, transfretauit in Angliam. Quia verò Clerici & Laïci, Barones & Milite, ceperant de ceruis suis sine ipsius licentia, emunxit eos multo argento.

Rex Scotiæ pacificatus est cum Rege Angliæ, hoc modo. Fecit ei hommagium & ligantiam de omni terra sua, vt proprio Domino; & concessit ei, vt omnes Episcopi terræ illius, qui sunt numero decem, & Abbates, & Comites, & Barones hoc idem facerent. Episcopi verò & Abbates hommagium non fecerunt; sed Sacramento se constrinxerunt se hoc obseruaturos; & quòd forent subditi Ecclesiæ Eboracensi, & Archiepiscopo, & illò irent causâ sacrandi, quotiens necesse esset. Insuper Rex *Guillelmus* tradidit munitiones suas, scilicet Rocheburc, & castrum puellarum, & Tercium Regi Angliæ, qui posuit in eis custodes suos: quibus etiam Rex Scotiæ inueniet necessaria. Præterea Rex Angliæ dabit honores, Episcopatus, Abbatias, & alios honores in Scotia,, vel, vt minus dicam, consilio eius dabuntur.

Prior Cantuariensis factus est Abbas de Bello.

Petrus Prior Montis acuti, Hydæ. Prior Bermendesiæ, Abendoniæ. Prior Vvintoniæ, Vvestmonasterij. De quibusdam *minutaribus Abbatibus tacemus.

* minutionibus.

Ioannes Oxenefordiæ Decanus Salesberiensis, electus est ad Episcopatum Norvvicensem.

Obiit *Ragerius* Comes Cornubiæ, prioris Henrici Regis filius naturalis, & sepultus est Radingiæ. Comitatum Cornubensem, & totam terram quam habebat, tam in Anglia, quàm in Normania, & in Vvalis, retinuit Rex in manu sua, ad opus *Ioannis* filij sui iunioris, exceptâ paruâ portione, quam dedit filiabus ipsius Comitis.

Robertus Abbas Montis, scriptor horum temporum, pergens in Angliam, promeruit à

Domino Rege Chartam, & Sigillum omnium Eleemosynarum Ecclesiæ Montis, quæ datæ fuerant prædictæ Ecclesiæ vsque ad præsens tempus, & dabuntur in futurum.

Richardus filius Comitis Gloecestriæ obiit, & successit ei filius eius natus ex sorore Roberti de Monte-forti.

Obiit etiam *Henricus*, frater Ludouici Regis Francorum, Archiepiscopus Remensis.

Similiter Comes Niuernensis.

Et quod dolendum est, & tacendum, nisi ob memoriam iusti viri, Abbas Clareuallensis *Girardus*, à quodam Pseudomonacho eiusdem Ordinis, nocte, cultro ter appetitus, lethaliter vulneratus est; per triduum tamen quod superuixit, confessionem, pœnitentiam, & Sacramenta Corporis Christi suscipere promeruit.

Ricardus Archiepiscopus Cantuariensis congregauit magnum Concilium in Anglia, ciuitate Lundonensi. Et adhuc vetus querela de primatu Britanniæ inter ipsum & Rogerium Archiepiscopum Eboracensem perseuerat.

Similiter *Bartholomæus* Archiepiscopus Turonensis, Concilium habuit cum Episcopis Britanniæ, Redonis.

Hugo *Petri Leonis* Legatus sedis Romanæ transit in Angliam.

MCLXXVI. XXIV. XXXIX. XXII.

Nix & gelu durauerunt à Natiuitate Domini vsque ad Purificationem beatæ MARIÆ.

Obiit *Richerius de Aquila*, & successit ei *Richerius* filius eius.

Obiit *Ricardus* Comes de Streguel, filius Comitis Gisleberti, relinquens paruulum filium ex filia Regis Duuelinæ. Iste acquisiuit quasdam Ciuitates in Hibernia, scilicet Duuelinam, & Vvatretelth, & alias, quas *Henricus* Rex Anglorum cùm in eandem insulam pergeret, accepit in manu sua. Hibernenses promiserunt Regi Henrico tributum de omni insula, scilicet de vnaquaque domo corium bouis, vel duodecim argenteos.

In vigilia Paschæ circa meridiem, factus est ventus vehemens dissipans domos, & syluas eradicans.

MCLXXVII. XXV. XL. XXIII.

In septimana Pentecostes Longobardi, maximè Mediolanenses, debellauerunt exercitum *Friderici* Imperatoris Allemanorum, qui tunc morabatur in Papiensi vrbe. Ipse verò vix fugiendo euasit.

Guillelmus frater Comitis *Thebaldi* Archiepiscopi Senonensis, & Episcopus Carnotensis, translatus est ad Remensem Archiepiscopatum; & successit ei Senonæ Præpositus Antissiodorensis, & Archidiaconus Senonensis, *Guido* nomine. In Carnotensi vrbe *Ioannes* Salesberiensis, vir honestus & sapiens, qui priùs fuerat Clericus *Theobaldi* Cantuariensis Archiepiscopi, & postea sancti *Thomæ* Martyris, successoris eiusdem Theobaldi.

Mortuo Episcopo Beluacensi, successit ei *Philippus*, filius Comitis Roberti, fratris Regis Francorum.

Guillelmus Rex Siciliæ, Ducatûs Apuliæ, Principatûs Capuæ, per honorabiles legatos requisiuit Ioannam filiam *Henrici* Regis Anglorum in vxorem, & accepit.

Obiit *Rogerius* Abbas Gemmeticensis, Monachus Becci.

Obiit etiam *Radulphus* Abbas Salmuriensis, cui successit *Manerius* Sacrista eiusdem loci.

Obiit etiam *Guillelmus de Curceio*, relinquens paruulum filium ex filia *Richerij de Aquila*.

Cessit etiam in fata *Vvillelmus de Albineio*, quem vocabant Comitē d'Araundel, relinquens filios quatuor, scilicet Guillelmum de Albineïo primogenitum, & alios tres natos ex *Aeliza* Regina, vxore primi Henrici Regis Anglorum. Qui *Guillelmus* duxit relictam *Rogerij* Comitis de Clara, filiam *Iacobi de sancto Hilario*, cum omni terra, quam idem Iacobus habuerat in Anglia.

Philippus Comes Flandrensis, acceptâ cruce Domini, cum magna manu militum perrexit Ierosolymam.

Hasculfus de sancto Hilario perrexit Ierosolymam, & peregrè mortuus est.

Petrus frater Philippi Comitis Fandrensium, acceptâ Comitissâ Niuernensi, quæ fuerat vxor Domini Issoldunensis castri, mortuus est, & ideò forsitan; quia militiam spiritualem, id est, Clericatum, dimiserat, vtpote qui fuerat electus ad Episcopatum Cameracensem, relictâ spirituali militiâ miles sæculi factus fuerat. Hic ex eadem Comitissa genuit vnam filiam, quam Comitissam cum eodem Comitatu accepit Comes *Robertus*, filius Comitis Roberti Ludouici Regis Francorum; & ita facta est quadrigama.

Obiit venerabilis vir *Robertus* Abbas maioris Monasterij, & successit ei *Petrus* Monachus eiusdem loci.

Deposito *Radulfo* Abbate Cluniacensi, consobrino Comitis Thebaudi, G*auterus* Prior sancti Martini de Campis successit ei; & ille Exabbas factus est iterum Prior charitatis.

Cessit etiam in fata *Robertus de Blangeio*, vir honestis & Religiosus, Monachus Becci, & Abbas sancti Ebrulfi. Nihilominis etiam satisfecit humanæ vitæ *Osbertus* Abbas Lyræ, cui successit frater eius G*auterius* iunior; sicut & ipse successerat seniori fratri suo Guillelmo; quod vix, aut nunquam inuenies, vt tres fratres sibi inuicem succedant in regimine alicuius Ecclesiæ.

Obiit H*ugo Bigot* Comes, & successit *Rogerius* filius eius.

Rogerius de Cripta Monachus sanctæ Trinitatis Cantuariensis, factus est Abbas sancti Augustini, eiecto *Clarembaudo* electo illius Monasterij, qui noluit accipere benedictionem à sancto Thoma, & ideò elongata est ab eo.

Quintâ feriâ in Cœna Domini occisus est sanctus *Guillelmus* à Iudæis Parisius, qui concremati sunt igne.

Benedictus Prior Cantuariensis, factus est Abbas de Burc.

In Æstate & Autumno fuit maxima siccitas, vnde satio terræ, messis, & fœnum ex maiori parte periit; & collectio messium; & vindimiarum, solito citius euenit.

Nono Kalendas Augusti concordati sunt Dominus Papa *Alexander* & *Fredericus* Imperator Romanus in ciuitate Venetiæ, in domo Patriarchæ ipsius ciuitatis.

Mense Augusto H*enricus* Rex Anglorum senior, & G*aufridus* Dux Britannorum filius eius, cum maximo apparatu transfretauerunt in Normaniam, quibus obuiauerunt iunior Rex H*enricus*, & R*ichardus* Dux Aquitanorum filius eius, cum multis Baronibus, cum gaudio magno & honore.

Rex H*enricus* assumptis filiis suis *Henrico* iuniore, & R*ichardo* Duce Aquitanorum, & congregatis Baronibus suis apud vadum sancti Remigij, cum Rege Francorum loquutus est ea quæ ad pacem tendunt, & de susceptione Crucis ad seruitium Dei. Inde Dominus Rex misit filium suum Comitem Britanniæ, cum cæteris Britonibus, ad expugnandam superbiam *Guihomari de Leons*.

Mauricius Episcopus Parisiensis iam diu est, quòd multùm laborat & proficit in ædificatione Ecclesiæ prædictæ ciuitatis, cuius caput iam perfectum est, excepto maiori tectorio; quod opus si perfectum fuerit, non erit opus citra montes cui aptè debeat comparari.

Mortuo *Vvaleranno* filio G*uillelmi Lupelli*, turris Ibreij venit in manum Domini Regis, quam multùm cupierat, quam nec pater eius, nec auus habuerunt.

Rex *Henricus* perrexit in Bituricensem pagum, & accepit in manu sua castrum R*aderi de Dol*, quia erat de feudo eius, & filiam vnicam Domini eiusdem castri, cum tota hæreditate ipsius, quam dicunt quidam tantum valere, quantum valet redditus totius Normaniæ. Isoldunense etiam castrum cum omnibus pertinentiis suis, quia *Odo* Dominus eiusdem castri nuper decesserat, & paruulum filium reliquerat, & ad comitatum Andegauensem pertinebat. Barones, qui illud custodiebant, obtulerunt ei, quod noluit recipere, quia non habebat hæredem, quem Dux Burgundiæ, quia cognatus eius erat, furtim abstulerat. Castrum etiam munitissimum & arte, & natura Turonium Vicecomes eiusdem castri reddidit ei. Totam etiam terram Comitis de Marcha Rex Henricus sex millibus marcis argenti emit, valentem, vt idem Rex dixit, viginti millia Marcis argenti.

Episcopus Lemouicensis, qui erat Comes eiusdem ciuitatis, cùm per decennium vixisset in cæcitate, mortuus est.

Castrum etiam iuxta prædictam ciuitatem situm, in quo requiescit sanctus *Martialis* in Monasterio suo, R*ichardus* Dux Aquitanorum abstulit Vicecomiti eiusdem castri; & meritò, quia adiuuabat partes Comitis Engolismensium, qui infestabat ipsum Ducem.

Obiit R*uaudus* Venetensis Episcopus, vir religiosus, Monachus Cistertiensis.

G*uihomarus de Leons* venit ad Dominum Regem, promittens se de omni terra sua facere voluntatem eius.

Iarnagen de R*oca* reddidit idem castrum Domino Regi & Comiti Gaufrido filio eius.

Sicut fuerat in æstate maxima siccitas, ita fuit hyeme maxima inundatio aquarum.

Hoc anno circa festiuitatem sancti Ioannis multi summersi sunt in fluminibus. In mari etiam multæ naues perierunt, inter quas vna, quæ portabat G*aufridum* Præpositum de Beuerle, nepotem R*ogerij* Archiepiscopi Eboracensis, Cancellarium Regis iunioris, & alios multos nobiles, apud sanctum Valericum periit. Perierunt præterea naues multæ, quæ afferebant vinum de Pictauensi pago, vt quidam dicunt, ferè triginta vel eo amplius.

In festiuitate sancti Martini Canonici Dolenses elegerunt in Archiepiscopum, R*ollandum*

Decanum Abrincensem, virum religiosum, & literatum; cui electioni interfuerunt *Henricus* Baiocensis, & *Richardus* Abrincensis Episcopi, & *Robertus* Abbas de Monte, & multi viri Religiosi.

In nocte sancti Andraæ factus est ventus vehemens, & in ipsa festiuitate, & in prædicta vigilia, apparuit lux maxima mane, veniens ab Oriente vsque in Occidentem: qua die pugnauerunt Christiani cum Paganis, apud sanctũ Georgium de Ramula. Putabat enim *Saaladin*, qui duxerat vxorem Noradin iam defuncti, quòd posset capere vrbem Ierosolymam defensoribus destitutam; quia Comes Flandrensis duxerat ferè omnes Christianos milites ad obsidionem Harenc, sed tamen Rex Ierosolymitanus, & Patriarcha, & alij religiosi viri, habentes paucos milites & seruientes, per virtutem sanctæ Crucis vicerunt innumerabilem exercitum Paganorum; cuius crucis longitudo à terra vsque ad cœlum Paganis apparuit, sicut ipsi dixerunt. In hac victoria Christiani auro & argento, equis & armis, & victualibus locupletati sunt.

MCLXXVIII. XXVI. XLI. XXV.

REX *Henricus* senior tenuit curiam suam ad natale Andegauis; & ibi cum illo fuerunt iunior Rex *Henricus*, & *Richardus* Dux Aquitaniæ, & *Gaufridus* Dux Britanniæ filij eius, & vix in aliqua festiuitate tot milites secum habuit, nisi in Coronatione sua, siue in Coronatione filij sui iunioris.

Obiit *Stephanus* vir honestus, & literatus, Episcopus Redonensis. Huic accidit quædam visio mirabilis quam ipse Episcopus cuidam Monacho familiari nostro ante mortem suam manifestauit. Quædam enim persona ei apparens, leui sibilo hos versus ei dixit. *Desine ludere temerè, nitere surgere properè de puluere.* Ipse enim multa rythmico carmine, & prosa, iocundè, & ad plausus hominum scripserat; & quia miserator hominum eum in proximo moriturum sciebat, monuit eum, vt à talibus abstineret, & pœnitentiam ageret. Scripsit etiam vitam sancti Firmati Episcopi, & vitam sancti Vitalis primi Abbatis Sauigneij. Scripsit etiam mihi quinquaginta versus de Senectute in quorum vltimo prædictorum versuum, vnam clausulam posuit. Cui etiam Mater misericordiæ apparuit in obitu suo, cui deuotè semper seruierat.

Obiit *Gaufridus* Episcopus Andegauensis.

In media Quadragesima, quarto Kal. Aprilis, dedicata est Ecclesia Becci à *Rotrodo* Archiepiscopo Rothomagensi, & *Henrico* Baiocensi, & *Richardo* Abrincensi, & Ægidio Ebroicensi Episcopis. Huic dedicationi interfuerunt Reges Anglorum pater & filius, & Ioannes minor filius Regis. Dedit autem Rex senior in dotem Ecclesiæ centum libras Andegauenses annuatim, in molendinis suis de Boobec.

Robertus de Arguntiis Cellerarius Gemmeticensis, factus est Abbas eiusdem Ecclesiæ.

Galterius Subcellerarius sancti Vvandregisilij, factus est Abbas eiusdem Monasterij.

Radulfus de sancta Columba factus est Abbas sancti Ebrulfi, Monachus eiusdem loci.

Obiit *Iordanus Tessun*, & successit ei *Radulfus* filius eius, qui fecit hominium Abbati Montis, apud Montem de Castello de Rocha, & de Columba.

Guillelmus Rex Siciliæ fecit chartam fieri *Ioannæ* Reginæ, suæ vxori, de dotalitio suo; cuius partem hîc posuimus.

Guillelmus Rex Siciliæ diuina fauente clementiâ Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, per hoc præsens scriptum damus, & in dotalitium concedimus Ioannæ Reginæ charissimæ vxori nostræ, Henrici magnifici Regis Anglorum filiæ, Ciuitatem Montis sancti Angeli, Ciuitatem Siponti, & Ciuitatem Vestæ, cum omnibus iustis tenementis suis, & pertinentiis earum. In seruitio autem concedimus ei de tenementis Comitis Gaufridi, Alezine, Peschizan, Bizum, Caprile, Baranum, & Silizum, & omnia alia quæ idem Comes de honore eiusdem Comitatus montis sancti Angeli tenere dinoscitur. Concedimus etiam ei similiter in seruitio Caudelarium, sanctum Clericum, castellum paganum, Biscentinum, & Cognanum. Insuper concedimus vt sint de tenemento ipsius dotarij, Monastenum sancti Ioannis de Lama, & Monasterium sanctæ MARIÆ de Pulsano, cum omnibus tenementis, quæ ipsa Monasteria tenent, de honore prædicti Comitatus montis sancti Angeli. Ad huius autem Donationis & concessionis nostræ memoriam, & inuiolabile firmamentum, præsens Priuilegium per manus Alexandri Notarij nostri scribi, & bullâ aureâ tipariò impressâ roboratum, nostro sigillo iussimus decorari.

Huius Chartæ & testes & Regis sigillum, inuenies in principio libri Origenis super numerum.

Ludouicus Rex Franciæ, & *Henricus* Rex Angliæ, conueniunt ad colloquium haud procul à Nonantiscurte; & ibi tractauerunt de pace & firma concordia inter eos, & de susceptione crucis, & de itinere eorum in Ierusalem; & si aliquis Regum illorum cedat in fata in

ipso itinere (quod Deus auertat) superstes omnem thesaurum, & omnes homines suos, & omnia mobilia sua, habebit sicut propria, & iter perficiet pro se & pro defuncto.

Hæretici, quos Agenenses vocant, & alij multi conuenerunt circa Tholosam, malè sentientes de Sacramento Altaris, & de coniugio, & aliis Sacramentis, ad quorum confutationem Petrus Legatus Romanus, & multæ aliæ religiosæ personæ, cum prædictis Regibus conuenerunt, & parum profecerunt.

Obiit *Robertus de Monte-forti*, & successit ei *Hugo* filius eius, natus ex sorore Radulfi de Fulgerijs.

Ciuitas Carnotum combusta est, & Monasterium beati Petri de Valle: remansit tamen Dei misericordiâ Ecclesia sanctæ MARIÆ, & Claustrum Clericorum.

MCLXXIX. XXVII. XLII. XXV.

PHilippus Comes Flandrensis rediit à Ierusalem.

Manuel Imperator Constantinopolitanus misit ad Regem Francorum honorabiles legatos, vt daret filiam suam filio eius: quod Rex concessit.

Alexander Papa misit *Octauianum* Subdiaconum Romanæ Ecclesiæ ad Rothomagensem Prouinciam, vt conuocaret Archiepiscopum, & suffraganeos eius, & Abbates illius Prouinciæ. Et misit similiter alios Subdiaconos ad Orientem & Occidentem, Meridiem & Septentrionem, vt conuenirent ad Concilium generale, quod erat futurum proximâ Quadragesimâ in ciuitate Romæ.

Episcopus de Trigel, cùm pergeret Romam, ablatis rebus omnibus suis, & equis, verberatus est, ita vt deficeret intra octo dies. In loco eius electus est *Gofredus Lois*, filius cuiusdam Burgensis, eiusdem nominis de Guingamp.

Henricus Rex Anglorum senior circa nundinas Montis-Martini transfretauit in Angliam.

Radulfus frater Vicecomitis de Bellomonte, cognatus germanus Henrici Regis Anglorum, electus est ad Episcopatum Andegauensem.

Ecclypsis solis facta est Idibus Septembris.

Abbas Gresteni mortuus est, cui successit *Guillelmus de Exonia*, Monachus Becci.

Obiit *Richardus* Constantiensis Episcopus.

Eodem anno obiit *Robertus* Abbas maioris Monasterij, & successit ei Petrus Monachus eiusdem loci, qui mortuus est cùm vixisset in Regimine Abbatiæ ferè per vnum annum: cui successit *Heruæus de Villa Pirosa*; Monachus eiusdem loci.

Hyems facta est maxima, & durauit nix ferè vsque ad Purificationem sanctæ MARIÆ, quæ incepit infra octo dies post Natale Domini. Inundatio aquarum maxima fuit, & maximè apud vrbem Cenomanensem, pontes, & domos, & molendina subuertens, & homines multos perimens: hoc etiam accidit Andegauis, & in multis aliis locis.

Gaufridus filius Regis Henrici, Dux Britanniæ viriliter egit, nam *Guihomarum* Vicecomitem Leonensem, (qui nec Deum timebat, nec hominem verebatur) & filios eius ita subegit, quòd omnia castella eorum & terram in manu sua cepit, & duas tantummodò Parrochias Guihomaro seniori permisit, vsque ad proximum Natale Domini, quo erant Ierosolymam ituri, ipse & vxor sua, & forsitan non redituri. *Guihomaro* Iuniori vndecim Parrochias de terra patris sui concessit, retento secum de familia sua *Heruæo* fratre eius.

Similiter fecit *Richardus* Dux Aquitaniæ frater ipsius Gaufridi, de *Gaufredo de Rancun*: nam castrum Talleborc, quod videbatur inexpugnabile, munitum arte & naturâ, obsedit, cepit, diruit; & similiter quatuor alia castella ipsius. Similiter fecit Domino de Ponz; destruendo scilicet castellum suum Ponz, qui erat confederatus ipsi Gaufredo.

Comes *Richardus* filius Regis Henrici, post destructionem Tailleborc, cùm perrexisset in Angliam ad sanctum *Thomam*, & ad videndum patrem suum, quidam Bascli, & Nauarrenses, & Brebenzones venerunt ad vrbem Burdegalensem, & ipsam vrbem vastauerunt in suburbiis, flammis, & rapina.

Guillelmus Comes de Magna-villa, ductâ filiâ Guillelmi Comitis Albemarle, factus est Comes Albemarle.

Richardus de Luce renunciauit sæculo, & regiis negotiis, & successit ei *Richardus* nepos ex Gaufredo filio suo.

Cùm filia Regis Francorum duceretur ad coniugium filij Imperatoris Constantinopolitani, hospitata est apud sanctum Benedictum super Ligerim, cúmque quidam ex famulis eius vellet accelerare ignem, iniecto oleo flamma exiuit per foramina camini, & cecidit super tectum camini, & hoc casu tota Abbatia combusta est.

Cùm

Cùm Rex Francorum vellet coronare filium suum *Philippum*, posuit locum Remis, terminum Assumptionem beatæ MARIÆ; & congregatis quæ ad tantum negotium necessaria erant & conuocatis omnibus Baronibus totius Regni Franciæ, vt ad eundem locum conuenirent, iuuenis coronandus obiter cum suis similibus in syluam venatum diuertit, & amissis omnibus sociis, per vnam noctem in sylua vagabundus permansit: Tandem inuento quodam homine qui ad opus fabrorum carbones parabat, per eum ad socios suos reductus est. Ex solitudine tamen & pauore tantam infirmitatem incurrit, quòd coronatio eius tunc remansit. Pater autem eius iratus & pro se & pro filio rogaturus ad memoriam beati *Thomæ* in Angliam perrexit. Cui multam humanitatem exhibuit cum in Galliis exularet. Dedit autem idem Rex ob amorem & honorem Dei, & beati Thomæ, Monachis in Cantuariensi Ecclesia iugiter Deo famulantibus, centum modios vini singulis annis, præfatis Monachis accipiendos. Quo autem honore, quo gaudio, & quam multiplici donorum largitate, Rex Henricus eum susceperit, non est nostrum edicere.

Manuel Imperator Constantinopolitanus vindicauit se hoc anno de *Solimano* Iconij, qui anno superiori illum fugauerat, & multos de militibus suis ceperat. Insuper & crucem Dominicam ei abstulerat: Manuel enim Imperator fugauit eum, & multos de militibus eius cepit, & ipse Solimanus vrbem Iconij vacuam reliquit.

SENTENTIA CVIVSDAM ASTROLOGI DE PLAGIS FVTVRIS.

AB anno præsenti Incarnationis Domini nostri Iesu Christi 1179. in septem annis, mense Septembri, XII. Indictione, sole existente in libra, erit, si Dominus voluerit, coniunctio omnium planetarum in libra, & cauda scorpionis. Ibi est admirabilis rerum mutabilium mutationis significantia: sequetur enim terræ motus mirabilis, & destruentur loca consueta perditioni, per Saturnum & Martem manentes in signis aeris; & erit mortalitas, & infirmitas. Ostendit etiam eadem coniunctio ventum validum denigrantem aerem & obscurum reddentem, & venenis infectum; & in vento vox terribilis audietur, & terrebit corda hominum, & à regionibus arenosis sabulonem accipiet; arenis ciuitates proximas in planicie cooperiet, & primò ciuitates Orientales, Mecam, Baldas, & Babiloniam, & omnes ciuitates proximas arenosis locis; nulla quidem euadet quæ arenis & terra non operiatur. Signa autem huius rei sunt hæc, & præcedent. Erit in eodem anno antequam planetæ conueniant in libra, Ecclypsis Solis, qua totum corpus eius obscurabitur, & oppositione præcedente, Luna tota patietur Ecclypsim; & erit Ecclypsis Solis ignei coloris, & deformis, ostendens magnum bellum futurum cum effusione sanguinis, prope fluuium, in terra Orientis, similiter & Occidentis. Tunc cadet dubietas inter Iudæos & Sarracenos, donec derelinquant penitus synagogas, & Mahummerias suas; & eorum secta iussu Dei adnihilabitur: vnde vobis notum sit vt cum Ecclypsim videritis à terra, exeatis cum omnibus vestris.

XXVIII.	XLIII.	XXVI.

MCLXXX. ALexander Papa III. tenuit generale Concilium Romæ mediâ Quadragesimâ. Cuius decreta quæ ab eo, & aliis Coepiscopis ibi constituta sunt, apud nos habentur.

Manuel Imperator Constantinopolitanus dedit *Rainero* filio *Vuillelmi* Principis Montisferrati filiam suam, natam ex priore vxore sua. Quæ cùm diceret se nunquam alicui nupturam, nisi esset Rex; Imperator exhilaratus, fecit se coronari, & vxorem suam, & *Alexium* filium suum iuniorem Imperatorem cum vxore sua filia Regis Francorum. Similiter fecit Coronari *Rainerium* filium Marchisi Montis-ferrati cum filia sua, quam ei dederat; & dedit honorem Thessalonicensium, qui est maxima potestas Regni sui post ciuitatem Constantinopolitanam.

Conradus frater eiusdem Rainerij cepit, & incarcerauit *Christianum* Archiepiscopum Maguntiensem, & Cancellarium Imperatoris Alemanorum.

Rex Marroc, in cuius potestate est tota Affrica, & etiam Sarraceni, qui sunt in Hispania, mittebat filiam suam, vt quidam Rex Sarracenorum duceret eam in vxorem, quam Stolus & Galeæ Regis Siciliæ inuenerunt, & adduxerunt ad Dominum suum: vnde Rex lætus pacificatus est cum patre eius, illâ redditâ; & pater eius reddidit Regi Siciliæ duas ciuitates, scilicet Affricam, & Sibiliam, quam Sarraceni abstulerant *Vuillelmo* Regi Siciliæ patri eius Regis.

Rex Ierusalem Princeps sanctus & honestus, à Deo flagellatus (quia flagellat Deus omnem filium quem recipit) adiutus à Christianitate transmarina fecit castrum munitissimum & arte & natura, super fluuium Iordanem, quod vocatur vadum Iacob, vbi luctatus est Iacob cum Angelo; iocundum amœnitate nemorum, & pratorum, & piscium, & molendinorum, & proximum ciuitatibus Belinas, & Damas. Et quia Agarenis per hoc vadum transitus est in terra Christianorum, illud quam plurimo odio habent.

Obiit *Rogerius* Vvigornensis Episcopus Turonis, vir genere & moribus honestus: si quidem pater eius *Robertus* Comes Gloecestrensis fuit filius primi *Henrici*, Regis Anglorum, mater eius filia *Roberti Belismensis*, & *Robertus* filius *Haimonis*; Dominus de Torignei fuit auus eius.

Obiit *Ægidius* Ebroicensis Episcopus.

Obiit *Rogerius* Abbas Becci, vir Religiosus & honestus, & literatus, & timens Deum. Nullus prædecessorum suorum, excepto S. Herluino primo Abbate, tanta fecit in Becco Monasterio, quanta ipse: Ecclesia siquidem ferè tota ædificata est in tempore suo, & dedicata. Cuius pulchritudini nulla æquatur in tota Normania: fecit cameras cum caminis, vnam super alteram ad susceptionem hospitum & personarum: fecit etiam domum infirmorum ingentis pulchritudinis & magnitudinis. Meliorauit dormitorium in maceriis, in vitreis, & coopertura: fecit & aquæ ductum per quem adduxit fontem pulcherrimum de longinquo, qui diuiditur per officinas Monasterij: fecit & concham pulcherrimam ad recipiendam aquam, & tectum desuper ædificauit. Maximam summam pecuniæ dedit Roberto Comiti Mellenti pro mercato quòd fecit in villa Becci. Tempore ipsius assumpti sunt de Beccensi Ecclesia duodecim Abbates ad Regimen Ecclesiarum, quorum ego, qui hoc scribo, secundus fui. Rexit autem Monasterium Beccense triginta & vno anno, decem diebus minus: cui successit *Osbernus* Prior Bellimontis, Monachus eiusdem loci. Isti tres supradicti scilicet Episcopus Vigornensis, & Episcopus Ebroicensis, & Abbas Becci catartico impediente in fata cesserunt.

Philippus filius Ludouici Regis Francorum fuit coronatus in Regem Remis à Vuillelmo Remensi Archiepiscopo auunculo suo, & suffraganeis eius in Festiuitate omnium Sanctorum; & Rex Anglorum senior misit ei magna xenia in auro & argento, & de venatione Anglicana. Huic solemnitati interfuit iunior Rex Anglorum cum magno comitatu Equitum, qui tanta secum ex iussu patris sui tulit, vt nullius nec in ipsa festiuitate, nec in ipso itinere susciperet procurationem.

Decedente venerabili viro *Guiberto* Abbate Troarcensi, successit ei *Durandus de Cuueruilla*, Monachus eiusdem loci. Et R*oberto* Fontanetensi Abbati successit R*obertus* Prior sancti Petri super Diuam.

Obiit *Vualterius* Cluniacensis Abbas, qui quamuis in Ecclesiæ illius regimine parum vixerit, anno scilicet & dimidio, tamen Ecclesiam illam maximis debitis oneratam, de debito quatuor millium marcarum exonerauit. Huic successit *Vuillelmus* Monachus eiusdem loci, qui fuerat Abbas Ramesiensis in Anglia. Hic fecit quoddam mirabile: Nam residuum debiti Ecclesiæ Cluniacensis, quod erat quatuor millium marcarum ex propriis thesauris, quos adunauerat, & de mille marcis quas *Henricus* Rex Anglorum ei dederat, ex maiori parte deleuit. Fecit & aliud mirabile: Priorem de Stallo deposuit, qui solebat ducere in comitatu suo quadraginta equos, & iussit vt esset contentus tribus equitaturis. Fecit & aliud mirabile, quia septies viginti procurationes, quas Burgenses ex consuetudine habere solebant ex donis Abbatum, penitus deleuit.

Inito conflictu Christianorum contra *Saladin*, ex vtraque parte multi mortui sunt; plures tamen de Christianis, & Magister Templi captus est. Quem cùm Saladin vellet reddere pro nepote suo, quem Christiani captiuum tenebant, Magister Templi noluit, dicens, non esse consuetudinis militum Templi, vt aliqua redemptio daretur pro eis præter cingulum & cultellum, & ita in captione mortuus est. Aliud infortunium accidit nostris, nam Saladin cùm innumero exercitu obsedit castrum de Vado Iacob, quod machinis & vi cepit, & milites Templi, qui intus erant per medium serris per latera scidit: Alios qui erant inferioris ordinis decapitauit. Ipsum tamen castrum obtulit Saladin quod reficeret, & munitum Christianis redderet, si vellent Christiani reddere ei nepotem suum, de quo supra diximus, quod vtrum factum sit nondum scimus.

REx *Henricus* Anglorum tenuit curiam suam in Anglia ad Natale apud Notinguehan.

Guillelmus Abbas Cluniacensis in crastino Epiphaniæ obiit apud Charitatem, vir plangendus de bonis quæ fecit in Ecclesia sua, sed parum vixit, duobus ferè annis.

Obiit *Richardus* Abbas sancti Audoeni; cui successit *Sanson* vir venerabilis, Prior sancti Stephani Cadomi.

Richardus de Humet Constabularius Regis, cùm religiosè vixisset anno vno & dimidio in Abbatia de Alneto, quam ipse ædificauerat, obiit; relinquens filios suos suæ terræ, scilicet *Guillelmum*, *Emorannum*, *Iordanum*.

Ludouicus Rex Franciæ cùm incidisset in grauissimam ægritudinem, *Philippus* iunior Rex filius eius nescio quo consilio ductus Sacramento se obligauit, quòd duceret loco & tempore filiam *Balduini* Comitis Haenacensium in vxorem, natam ex sorore Comitis Flandrensium; & ipse Comes concessit ei, quòd post mortem suam haberet in hæreditatem Comitatum Flandrensem, quamuis idem Comes haberet masculos hæredes de prædicta sorore Comitissa Haenacensi, & hoc fecit idem Rex sine consilio Reginæ matris suæ, & auunculorum suorum, *VVillelmi* Remensis Archiepiscopi, *Henrici* Comitis Trecensis, *Theobaldi* Carnotensis, *Stephani* Sancerriensis, & aliorum amicorum suorum. Vnde illi commoti requisierunt auxilium Henrici Regis Anglorum senioris, contra nepotem suum iuniorem Regem Francorum *Philippum*.

Balduinus Abbas Fordiensis, Cisterciensis ordinis Monachus, magnæ religionis & literaturæ homo, electus est ad Episcopatum Vigorniensem.

Obiit *Robertus* Abbas Glastoniæ.

Obiit etiam *Ioannes* Episcopus Cicestrensis, cui successit *Sefridus* Canonicus eiusdem Ecclesiæ.

Ante Pascha transfretauit Rex *Henricus* senior in Normaniam, & tenuit Curiam suam in festiuitate Paschæ Cenomanis.

Obiit *VVillelmus* Abbas Cadomi, & successit ei *Petrus* Sacrista, Monachus eiusdem loci.

In die Ascensionis Dominicæ *Philippus* iunior Rex Francorum fecit consecrari in Reginam vxorem suam, & coronati sunt ipse, & ipsa, ab Archiepiscopo Senonensi, vnde magis iratus est Archiepiscopus Remensis, qui coronauit eum in Regem.

Obiit *Guarinus de Girardo* Archiepiscopus Bituricensis, qui prius fuerat Abbas Pontiniacensis.

Obiit *Ioannes* Episcopus Carnotensis, qui descripsit passionem beati Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi & Martyris; fuerat enim cum eo conuersatus in exilio.

Teobaldus Prior Crispeij, Monachus Cluniacensis, successit Guillelmo Abbati Cluniacensi.

Obijt *Ingerrannus de Humet*, filius Richardi de Humet; cui successit filius eius *Ricardus*, natus ex filia *Guillelmi de Similleio*.

Obijt vir plangendus charissimus meus *Gaufredus de Monte-forti*, in Britannia, cui successit filius eius, natus ex filia *Rualendi de Saie*.

Rex Ierosolymitanus *Balduinus* dedit sororem suam cuidam optimo Militi; fratri *Gaufredi de Lizenum*, quam prius habuerat *VVillelmus* filius Marchisi de Monte-ferrato; ex quo suscepit filium, qui seruatur & nutritur ad suscipiendum Regnum Ierosolymitanum, si vixerit.

Obijt *Ludouicus* Rex Francorum vir religiosus & timens Deum, & sepultus est in quodam Monasterio Cisterciensis Ordinis quod ipse ædificauerat. Cui successit filius eius *Philippus*, sicut iam supra diximus.

Gaufredus filius naturalis Henrici Regis Anglorum senioris, relictâ Ecclesiâ Lincoliensi, ad quam electus fuerat, factus est Cancellarius Regis patris sui.

Obijt *Manuel* Imperator Constantinopolitanus, & successit ei *Alexius* filius eius, natus ex sorore *Raimundi* Principis Antiochiæ. Hic duxit filiam Ludouici Regis Francorum.

Mansamuz Rex Malsamitorum (qui ferè dominatur toti Affricæ) reædificare cepit Carthaginem antiquam, adiutus ab omnibus Agarenis, qui terram illam incolunt.

Obijt Solimanus Iconii, qui multum Christianos diligebat, & multa bona eis faciebat, & successit ei frater eius.

Erat quidã prædiues Burgensis in loco qui dicitur *Roca Amatoris*. A quo Monachi Ecclesiæ

sanctæ MARIÆ, & sancti Amatoris, mutuo acceperant pecuniam, tradentes illi in loco pignoris cortinas ipsius Ecclesiæ. Imminente autem Festo genitricis Dei & Virginis MARIÆ, rogauerunt prædicti Monachi Burgensem, vt quas apud se habebat cortinas, ad ornandam Ecclesiam, tantæ solemnitatis expleto tripudio ei restituendas, accommodaret. Ille verò aurem cordis habens obturatam; nulla quidem prece flexus est: sed responsum eis cum tumore animi dedit, dicens quòd essent cortinæ illæ circa lectum coniugis suæ, quæ nuper ei puerum pepererat, nec aliquatenus inde possent amoueri. Quid multa? Transijt Festus dies, & Ecclesia præfata ornatum suum Festiualem non habuit. Sequenti verò nocte Beata MARIA Mater Domini nostri apparuit in somnis vxori dicti Burgensis, & dixit ei: Vir tuus grande peccatum commisit, nec poterit impietatis excessus derelinqui impunitus, tertia enim die infans tuus spiritum exhalabit, & vir tuus debitum morti soluens in die octaua mutabit hanc temporalem fœlicitatem, suppliciis æternis: Tu autem proficisceris ad Ecclesiam meam quæ est in Bethleem, & conspectis ibi tribus sepulchris, quorum quidem duo extrema vacua non sunt, medium tibi eliges in sepulchrum. Interim omni quarta feria circa horam nonam deficiet in te spiritus tuus, & decurret ab ore tuo & naribus sanguis multus, & vsque ad horam nonam Sabbati veluti mortua permanebis: Sabbato horâ nonâ spiritu redeunte duces vtrasque manus tuas per faciem tuam, & continuò pristinus color & fortitudo in te remanebunt. Hæc locuta est Beata MARIA, & abscessit. Mulier verò præ timore turbata euigilauit, & ruminans somnium suum cum magna sollicitudine illud memoriæ commandauit. Crastinâ autem illucescente die, cœpit somnium suum coniugi suo per ordinem narrare. Miser sermonibus eius non adhibuit fidem, nec etiam cùm videret spiritum deficere in puero, de agenda pœnitẽtia cogitatum habuit, sed morte præuentus in die octaua, iuxta præostensam visionem, in supplicium lapsus est gehennale. Perturbatur mulier in alterutrius nece, & omnia sicut per somnium monstrata fuerant, in se nihilominus intelligens accidisse, Romam sub festinatione proficiscitur, & rem summo reuelat Pontifici. Præterea constanter asseruit quòd in quinto anno ab illo maxima fames ingrueret, quòd ex corruptione aëris innumerabilis hominum multitudo moritura esset, & quòd Clerum Romanum grauis animaduersio feriret, nisi ab exercitio doli resipiscerent, sub quo à multis retro temporibus, vsque ad hodiernum diem laborauerunt. At Dominus Papa volens manifestiùs scire si sermones mulieris veritati inniterentur, commendat eam duodecim nobilibus matronis, dans illis præceptum, vt cùm illa in mortem obdormiret, plantis eius calentes subulas infigerent, & de sanguine ab illius ore manante vestes suas inficerent. O rem mirabilem! quartâ feriâ, sicut prædixerat, horâ nonâ, mulier expaluit, & mortua est, ita vt nullus in ea remaneret vitalis spiritus, & ab eius naribus cœpit defluere sanguis copiosus; sed Matronæ præceptorum Domini Papæ non immemores, pedibus mulieris calentes subulas infigunt, nec ob id illa mouetur. Insuper de sanguine eius vestimenta sua tingunt, sed omnis infectio facta per sanguinem, in Sabbato nusquam comparuit, cùm spiritus vitæ in mulierem remearet.

MCLXXXII. | XXX. | PHILIPPVS I. | XXVIII.

HEnricus senior Rex Anglorum tenuit Curiam suam in natali Domini Andegauis.

Radulfus de Venneuilla Archidiaconus Rothomagensis, renunciauit Cancellariæ Regis, & Rex dedit ei terras magnorum reddituum.

Gaufredus filius Regis electus Linconiensis, factus est Cancellarius Regis, & renuntiauit electioni Linconiensi; & Rex dedit ei magnos redditus in Anglia & Normania, & Andegauia.

Ioannes filius Lucæ, Clericus Regis, electus est in Episcopum Ebroicensem.

Guihenoc Archidiaconus Redonensis electus est ad Episcopatum Venetensem.

Abbas sancti Remigij Remensis nihilominus electus est ad Episcopatum Carnotensem.

Obijt *Henricus* Comes Trecensis, & successit ei *Henricus* filius eius, natus ex filia Ludouici Regis Francorum.

Obijt *Simon* Comes Ebroicensis, & successit ei in Comitatu Ebroicensi in Normania *Amalricus* filius eius.

Circa Pascha *Alienor* filia Regis Anglorum, vxor Arnulfi Regis de Castella, peperit filium & vocatus est *Senthius*; pepererat etiam ante filiam vnam.

Priorissa de Fonte sancti Martini, mulier Religiosa, & magni generis, vt pote soror Abbatis Sauignei, qui fuit nepos *Simonis* Comitis Ebroicensis, facta est Abbatissa sanctæ Trinitatis Cadomi.

Circa finem mensis Iulij *Henricus* Rex senior transfretauit in Angliam.

Gaufredus Dux Britanniæ, filius Regis Henrici, desponsauit vxorem suam, filiam *Conani* Comitis Britanniæ.

In solemnitate Paschæ apud castrum, quod dicitur Mons-aureus, quædam mulier infamis cùm acciperet corpus Domini & Saluatoris in ore suo, non glutiuit illud, immò tulit, & posuit in archa sua inuolutum panno lineo. Cùm autem quidam iuuenis amasius eius aperiret eandem archam, inuenit hostiam Dominici corporis transmutatam in effigie carnis & sanguinis. Hoc etiam accidit in quadam villa Abbatis sancti Petri Carnotensis, cuidam Sacerdoti, dum teneret corpus Domini in manibus suis ad Missam. Simile miraculum accidit iterum in Carnotensi Episcopio tempore Roberti Episcopi Britanni, quòd quidam rusticus posuit corpus Domini in ora cappæ suæ, & ibi seruauit illud vsque ad mortem suam, & tunc ibi inuentum est in specie carnis. Idem miraculum accidit cuidam muliercula in Flandria, quod cùm posuisset in cista sua, postea inuenit in effigie carnis. Similiter euenit in Andegauensi ciuitate, cùm quidam sacerdos cantaret Missam, puer paruulus intererat Missæ, & vidit idem puer puerum paruum pulcherrimum in manus Sacerdotis sacrantis corpus Domini: qui protinus exiuit foras Ecclesiam clamans omnibus quos inuenit, & dicens: *Venite & videte mirabilia Dei*: & intrantes in Ecclesiam nihil viderunt præter speciem panis. Hoc etiam accidit cuidam sanctissimo Presbytero iuxta Fiscannum, dum cantaret Missam in die Dedicationis Ecclesiæ sanctæ Trinitatis Fiscanni; qui mittens Diaconem suum, vocauit Episcopos qui ad Dedicationem conuenerunt, & venerunt, & Presbyter tulit in manibus suis in calice ita vt erat reuestitus & posuerunt illud in altari. Hæc facit pietas Domini ad confirmandam fidem Sacramentorum suorum in nobis, in quos fines sæculorum deuenerunt.

Mater Solidani de Iconio veniens ad extrema reuelauit filio suo quod semper celauerat, scilicet quòd esset Christiana, & rogauit eum vt crederet in Christum, qui est Dominus & Rex omnium sæculorum, & quòd amaret Christianos, quod ipse spopondit se facturum; sed dixit quòd non auderet apertè credere in saluatorem propter Paganos. Dixit ei mater sua; Fili cùm mortua fuero, fac mihi excelsam sepulturam, & pulchram sicut pyramidem; & pone super, signum Crucis Christi. Cui ille de luce se hoc facere non posse respondit. Tu fac, inquit mater eius, de nocte. Quod & factum est. In crastino cùm Agareni vidissent signum illud indignati sunt contra Principem, & volebant eum occidere. Tunc quidam ex ipsis subleuatus per machinas, conabatur deponere crucem, qui voluntate Dei corruit & mortuus est. Similiter & alius interemptus est alia vice. Tertia die cùm conuenissent multa millia hominum ad deponendum ædificium illud inter quos erat vnus promptior ad deponendum illud, venerunt fulgura & corruscationes, & illo primitùs perempto, multa millia perierunt igne diuino, tunc apparuit Angelus Domini, & clarissimum signum Crucis posuit super pyramidem illam, ex quo multi crediderunt in Christum, & adhuc Crucem illam venerantur & adorant.

Arnulfus Lexouiensis Episcopus cùm per Quadraginta annos eandem Ecclesiam rexisset, & in ædificando Ecclesiam, & pulcherrimas domos laborasset, renuntiauit Episcopatui, & perrexit Parisius suos dies dimidiaturus apud sanctum Victorem in domibus pulcherrimis, quas ibi ad opus suum construxerat. *Adulfus de Venneuilla* Archidiaconus Rothomagensis, qui fuerat Cancellarius Regis, electus est ad prædictum Episcopatum.

1181. Anno superiori 1181. obiit *Alexander* Papa tertius; ad cuius literaturam pauci de predecessoribus eius infra centum annos attigerunt, fuit enim in diuina pagina præceptor maximus, & in Decretis, & Canonibus, & in Romanis legibus præcipiuus. Nam multas quæstiones difficillimas & graues in Decretis & legibus absoluit, & enucleauit. Dedit etiam ei Deus hanc gratiam, quòd cùm à beato Petro vsque ad ipsum fuerint centum septuaginta quatuor Pontifices Romani, tres tantùm præcesserunt eum in numero annorum, quo Romanæ Ecclesiæ præfuerunt. Beatus *Petrus* sedit viginti quinque annis; *Siluester* primus viginti tribus; *Adrianus* primus *totidem*; Ipse Alexander viginti duo: hic etiam tenuit Concilium Turonis anno Dominicæ Incarnationis 1163. in quo *Octauianum* cum complicibus suis anathematizauit: cui Concilio nos interfuimus.

Item aliud Concilium tenuit Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1180. ad hoc multæ conuenerunt tam Ecclesiasticæ, quàm sæculares personæ, inter quos venit quidam ciuis Pisanus, nomine Burgundio, peritus tam græcæ quàm Latinæ eloquentiæ. Hic attulit Euangelium sancti Ioannis translatum ab ipso de Græco in Latinum, quod Ioannes Chrysostomus sermone homeliaco exposuerat. Hic etiam fatebatur magnam partem libri Geneseos à se iam translatam. Dixit etiam quòd Ioannes Chrysostomus totum vetus & nouum Testamentum Græcè exposuit.

Papa *Alexander* præfatus, tres Schismaticos qui sibi in Schismate inuicem successerant, ferè per viginti annos sustinuit, scilicet *Octauianum*, *Guidonem* & *Calixtum*. Illis verò deficien-

tibus, in pace Ecclesiæ vitam finiuit. Cui successit *Hubaudus* Ostiensis Episcopus, dictus *Lucius*, centesimus septuagesimus quintus Episcopus Romanus. Hic videlicet Ostiensis Episcopus, ex antiqua consuetudine ordinat & sacrat Pontificem Romanum, quæ consuetudo exinde accidit, quòd martyrizato beato *Sixto*, & sancto *Laurentio* eius Diacono, beatus *Iustinus* Presbyter cum Clero Romano elegit Dionysium in Pontificem Romanum, quem sacrauit Maximus Ostiensis Episcopus. Ex hac consuetudine exinde Ostiensis Episcopus ordinat, & sacrat Romanum Pontificem, & habet pallium solummodò ad ea quæ pertinent in ordinatione & consecratione Romani Pontificis.

Eugenius Papa coniunxit Episcopatui Ostiensi Belicensem, & sic fecit de duobus vnum. similiter fecit de Episcopatu Portuensi, cui iunxit Episcopatum sanctæ Rufinæ, faciens de duobus vnum.

Obiit *Rogerius* Episcopus, vir Literatus, & industrius in augendas possessiones terrenas; Ecclesiam principalem & domos Episcopales non solùm Eboraci, verum in omnibus Maneriis suis cum redditibus multùm auxit, ac reædificando decorauit, in tantum vt Archiepiscopatus Eboracensis Archiepiscopatui Cantuariensi ferè coæquaretur. Multas diuitias & non sibi proficuas reliquit.

Obiit *Philippus* Episcopus Redonensis, qui fuit primus Abbas Claromontis. Hic per reuelationem caput Ecclesiæ Redonensis solo diruit, & in ea diruptione multas pecunias inuenit, de quibus cœpit reædificare caput præfatæ Ecclesiæ meliori schemate.

Obiit *Hunfredus de Bohun* præpositus in exercitu cum Rege Henrico iuniore; quem exercitum præfatus Rex in Franciam duxerat, coadiuuando partes Philippi Regis Franciæ contra Comitem Flandrensem.

Obiit *Henricus* Abbas Pratelli; & *Guillelmus* Abbas sancti Michaëlis vlterioris-portus, Monachi Becci.

1181. Anno Domini 1181. tertio Idus, horâ nonâ diei ecclypsis solis, & erat penè tertia pars solis obscurata, & ab initio ecclypsis ad finem spatium vnius horæ æquale; & triginta octo minutorum. Eodem anno ecclypsis Lunæ xi. Kalendas Ianuarij, scilicet feriâ tertiâ, nocte sequente, horâ tertiâ noctis, & paulò minus quàm medietas obscurata, & durauit obscuritas ferè per duas horas.

1175. Anno Domini 1175. bis visa est ecclypsis in Luna, primò Litania maiore, horâ primâ noctis, post diem ipsam Marci Euangelistæ: secundò xiv. Kal. Nouembris nocte, sequente feriâ, tertia horâ noctis.

1168. Anno Domini 1168. vidimus ecclypsim in Luna, tertio Nonas Martij, nocte sequente, horâ primâ noctis.

Eodem anno fuit ecclypsis in Luna, quarto Kalendas Septembris: & eodem anno, & mense, in sole, Idus Septembris, circa meridiem, toto ferè obscurato.

1179. Anno etiam 1179. visa est Luna Ecclypsi mari xv. Kalendas Septembris, post octauam horam noctis Dominicæ.

Anno 1180. fuit ecclypsis in Sole v. Kalendas Februarij, feriâ tertiâ.

Rex *Henricus* senior mense Martio transfretauit in Normaniam cum magna auri & argenti copia paratus in adiutorium Regis Franciæ, ad componendam pacem inter ipsum & Comitem Flandriæ, sicut & fecit.

Obiit *Mabilia* Comitissa Flandrensis absque liberis.

Andronius Patruus Imperatoris Constantinopolitani Alexij indignatus, quòd ipse duxisset filiam Regis Francorum in vxorem, & multos Latinorum secum haberet sibi familiares, quia ipse erat Græcus, volebat eos ab Imperio eius exterminare. Conducens ergo Soldanum Iconij, & multos Sarracenorum, fraudulenter introierunt ciuitatem, & multos Latinos interfecit, & à Latinis multi Sarraceni interfecti sunt. Deo tamen volente, pax inter eos firmata est.

Ioannes Episcopus Pictauensis, vir magnæ literaturæ & eloquentiæ, electus ad Episcopatum Narbonensem; cùm Romam perrexisset, propter prædictam benedictionem, annuente Papa Lucio Clerici primæ Lugdunensis elegerunt eum in Archiepiscopum Lugdunensem; quæ sedes habet primatum super tres Archiepiscopatus: prima enim Lugdunensis, id est Lugdunum est super Rodanum: secunda Lugdunensis super Sequanam, id est Rothomagus: Tertia Lugdunensis super Ligerim, id est Turonis: Quarta Lugdunensis, id est Senonis super Icaunam.

In hoc anno euenit bis vel ter terræ motus circa festum sancti Michaëlis.

Hoc etiam anno magna discordia facta est inter Regem, & filios suos, propter castellum

Clareuallis, quod erat de feudo Andegauensi; & *Richardus* Comes Pictauensis latenter firmauerat illud, & adhuc discordia perseuerat inter patrem & filios, propter eandem causam.

Rex *Henricus* senior misit exercitum in Britanniam, & obsederunt turrem Redonensem, & ceperunt, & combustam reædificauerunt, & muniuerunt. Postea Comes Britanniæ magnam partem ipsius ciuitatis, & Abbatiam sancti Georgij combussit, & Becherel castrum Rollandi de Dinam.

Audiuimus à quibusdam, quòd *Ioanna* vxor Guillelmi Regis Siciliæ, filia Henrici Regis Anglorum, peperit ei filium primogenitum, quem vocauerunt Boamundum, qui cùm à baptismate reuerteretur pater inuestiuit eum Ducatu Apuliæ, per aureum sceptrum quod in manu gerebat.

Et quia de filiabus Domini mei Regis Anglorum cœpi loqui, non debeo prætermittere Regem de Castella, quem vocant *Anforsum* paruum Regem, quia adhuc Feirant Patruus eius viuit, qui si moreretur, Anforsus prædictus esset Rex vniuersarum Hispaniarum. Hic *Anforsus* gratia Dei & virtute sua duxit charissimam dominam meam, & filiolam in baptismate, in vxorem, *Alienor* filiam Regis Anglorum, cuius consilio & auxilio multa bona ei acciderunt. Nam primùm vrbem Conchas cepit, magnarum terrarum matricem; &, vt quidam dicunt, cepit Cordubam ex parte & muniuit; & duas ciuitates Regis *Lupi*, Valentiam & Muciam, & multa alia bona fecit, quæ ad notitiam nostram non peruenerunt.

Tertia verò filiarum Regis, id est, *Matildis* primogenita, nupsit *Henrico* Duci Saxonum, & Baioriarum, & Sueuorum. Nec est aliquis homo, qui tantas habeat possessiones, sicut iste, nisi fuerit Imperator aut Rex. Nam quadraginta vrbes habet, & sexaginta septem castella, exceptis pluribus villis. Sed cùm esset proximus carne Frederici Imperatoris Romanorum, ortis inter eos quibusdam simultatibus Consilio Archiepiscoporum, & Episcoporum Regni Alemaniæ, qui habent ferè omnes ciuitates in ditione sua, illius Regni Imperator exulauit eum; quare venit in Normaniam ad Regem Henricum socerum suum, cum vxore & liberis, & Rex maximas expensas fecit pro eo quotidie, scilicet quinquaginta libras Andegauensium, qui, Deo auxiliante, adhuc terram suam recuperabit per industriam, & fortitudinem, & diuitias Regis Angliæ.

Hactenus Robertus de Monte, velut ipse indicauit in Prologo.

CONTINVATIO.

MCLXXXII. | XXX. | Philippvs I. | XXVII.

Repetuntur anni.

Rex *Henricus* tenuit Curiam suam apud Cadomum, & prohibuit ne aliquis Baronum teneret Curiam; sed venirent ad suam. prædictus Dux Saxonum illò venit, & ibi conuenerunt mille milites & eo amplius.

Obiit *Ioannes* Carnotensis Episcopus, & successit ei *Petrus*, qui fuerat Abbas sancti Remigij Remensis.

Obiit *Galterus* Episcopus Ronfensis, qui fuit frater *Theobaldi* Archiepiscopi Cantuariensis; & successit ei *Vvalerannus* Baïocensis Archidiaconus.

Obiit Pater noster *Richardus* Abrincensis Episcopus, vir magnæ literaturæ tam sæcularis, quàm diuinæ, morum honestate, virgo ab vtero laudandus.

Obiit *Fulco Paganellus*, & successit ei *Guillelmus* filius eius.

Obiit *Richardus* Abbas Montisburgi, & successit ei *Robertus* Prior, & Monachus eiusdem loci. Ioannes Commin Clericus Regis Anglorum, factus est Archiepiscopus Duuelinæ in Hibernia.

Obiit *Petrus* Carnotensis Episcopus; cuius loco electus est *Rainaldus de Mocon* Thesaurarius sancti Martini Turonensis, nepos Comitis Theobaldi.

Galterius de Constantiis factus Episcopus Linconiensis, sacratus fuit à *Richardo* Cantuariensi Archiepiscopo Andegauis, in Capella Domini Regis, & in præsentia eius.

Obiit *Henricus* tertius charissimus Dominus noster, Iuuenis Rex, filius Henrici secundi excellentissimi, & illustrissimi Regis Anglorum, apud castrum Martel, tertio Idus Iunij, in festiuitate beati Barnabæ Apostoli, vir per omnia plangendus, non solùm quia erat filius charissimi Domini nostri Henrici excellentissimi Regis Anglorum secundi, verum etiam quia erat pulcherrimus facie, honestus in moribus, dapsilis in muneribus super omnes quos in nostra ætate vidimus, qui quamuis terram nondum haberet assignatam, pater eius quindecim millia librarum Andegauensium monetæ & eo amplius quot annis daret. Sed hoc parum erat ad explendam latitudinem cordis eius. In officio militari tantus erat, vt non haberet

parem; sed Principes, & Comites, & etiam Reges eum timerent. Veniens ad extrema, quia consilio prauorum hominum per guerram ferè per annum Deum, & sanctam Ecclesiam, & patrem suum offenderat, pœnitentiam recepit à quodam sanctissimo Episcopo, & multis aliis, & patri suo in extremis per literas mandauit, vt quod offenderat in Deum & sanctam Ecclesiam, pro eo emendaret, & matris suæ Reginæ Anglorum, & vxoris suæ sororis Philippi Regis Francorum, & militum suorum, & seruientium misereretur, quibus multa promiserat, nec eis aliquid præuentu mortis dare poterat. Disposuerat ante mortem suam vt corpus eius in Ecclesia Beatæ MARIÆ, Rothomagensis sepeliretur, vbi iacent primi antecessores eius, id est *Rollo*, & *Vuillelmus Longa Spata* filius eius, Duces Normanorum. *Guillelmus* etiam Comes patruus eius, vir per omnia plangendus. Sed cum ducerent funus eius *Richardus* Cantuariensis Archiepiscopus, & multæ aliæ Ecclesiasticæ personæ, & multi Consulares, & excellentissimi nominis viri, venerunt Cenomanum, & in Ecclesia beati *Iuliani* corpus eius posuerunt. In crastino Cenomanenses, maximè ciues, sepelierunt eum in eodem loco contra voluntatem, & appellationem eorum, qui corpus eius deducebant. Quo audito pater eius iratus, non solùm pro eo quòd corpus filij sui contra voluntatem eius ibi sepelierant, sed eo multo amplius, quòd ab obsidione castri Lemouicensis recesserant sine licentia eius, ne dicam voluntate, iussit corpus effodi, & in Ecclesiam Rothomagensem deferri, vbi ab Archiepiscopis Rothomagensi, & Cantuariensi, & Episcopis Normaniæ, & Abbatibus, & aliis Religiosis personis, ad sinistram partem Altaris beatæ MARIÆ honorificè, sicut tantum virum decebat, tumulatus est.

Obiit venerabilis vir *Albertus* Aletensis Episcopus, quem moderni *de sancto Maclouio* vocant, cuius Episcopatus antiquitus ciuitas Aleta vocabatur.

Magister *Girardus*, cognomento *Puella*, vir magnæ literaturæ & honestatis, electus est in Episcopatum Cestrensem, Coueitrensem, Licifellensem.

Henricus frater *Ægidij de Solercio*, nepos Abbatis Fiscanni, electus ad Archiepiscopatum Bituricensem.

Iterum *Andronicus* expulit nepotem suum *Alexium* iuuenem Imperatorem de Vrbe Constantinopolitana, & captum tandem demersit in mare, ipsum & matrem, & sororem eius: quibus de medio moriendo sublatis *Andronicus*, qui tyrannicè arripuerat Imperium, præcepit primogenito filio suo *Manuel*, vt acciperet vxorem Alexij Imperatoris defuncti, sororem *Philippi* Regis Francorum, & haberet cum eo dignitatem Imperij. Quòd cùm vir honestus renueret, proiecit eum in vincula, & accepit illam, & contraxit incestum coniugium (si coniugium vocandum est) & fecit coronari secum filium suum minorem Calo-joannem. Cùm autem Latini occiderentur per crudelitatem istius Andronici, quidam Cardinalis Romanæ Ecclesiæ, *Ioannes* nomine, quem Romanus Pontifex miserat Constantinopolim ad petitionem *Manuel* Imperatoris, qui erat vir religiosus, & volebat per prædicationem illius Cardinalis reuocare Ecclesiam Græcorum ad instituta, & subiectionem Romanæ Ecclesiæ. Hic, inquam, *Ioannes* cùm Latini occiderentur, erat in hospitio suo; veneruntque ad eum quidam religiosi viri suadere ei, vt discederet, ne occideretur. Quod cùm audiret, dixit: *Absit hoc ne fiat. Ego hic sto pro vnitate Ecclesiæ, & præcepto Domini mei Alexandri Papæ.* Tunc irruentes in eum Græci perfidi occiderunt eum, & ligantes canem cum eo, ita quòd cauda canis esset in os eius, traxerunt per vicos ciuitatis, & factâ foueâ, ibi combusserunt eum, & postea viri religiosi de fouea tulerunt corpus eius, & optimè sepelierunt illud, vbi fiunt crebrò miracula.

Christianus Maguncienſis Archiepiscopus obiit, qui se non habebat secundum morem Clericorum, sed more tyranni, exercitus ducendo & Braibensones, & multa mala fecit Romanæ Ecclesiæ, & hominibus sancti Petri, & quibusdam ciuitatibus Longobardiæ, quæ erant contrariæ Imperatori Alemaniæ Domino suo.

Obiit charissimus Dominus noster *Rotrodus* Archiepiscopus Rothomagensis.

Obiit *Guillelmus* Gloecestriæ sine hæredibus, absque tribus filiabus, quarum vna Comitissa Ebroicensis; altera vxor *Guillelmi* Comitis de Clara; tertia est in manu Dei & Domini Regis, & cui voluerit dabit eam.

Guillielmus Decanus Baiocensis, electus est ad Episcopatum Constantiensem.

Guillelmus Decanus Canonicorum sancti Petri de Curte, quæ est Capella Regis apud Cenomanensem vrbem, electus est ad Episcopatum Abrincensem.

MCLXXXIII. | XXXI. | II. | * XXIX. | * vel 28.

REx *Henricus*, tenuit curiam suam apud Cadomum.
Obiit *Richardus* Cantuariensis Archiepiscopus.

Obiit etiam *Girardus* magnæ religionis & litaraturæ vir, Cestrensis Episcopus.

Anno superiori aparuit domina nostra, Mater misericordiæ sancta MARIA, cuidam fabro lignario opus facienti in quadam sylua, & obtulit ei sigillum Iconis suæ, & filij sui Saluatoris nostri, cuius sic conscriptio erat: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem*, & iussit ei, vt ferret illud ad Episcopum Podiensem, vt prædicaret in prouincia sua, & aliis circumquaque, vt omnes qui vellent pacem tenere sanctæ Ecclesiæ, & filiis suis facerent huiusmodi sigilla, & portarent in signum pacis, & facerent alba parua capucia ad ostentationem pacis & innocentiæ, & dato sacramento, pacem tenerent, & inimicos pacis destruerent, quod & factum est. Nam & multi Episcopi, & Consules, & viri Consulares, & mediocres, & pauperes, hanc sectam tenentes, pacem tenent, & inimicos pacis persecuntur.

Obiit *Guillelmus de Vecie*.

Obiit *Guillelmus de Lancastre*, magnæ honestatis & possessionis vir.

MCLXXXIV. XXXII. III. XXX.

REx *Henricus* tenuit Curiam suam apud Cenomanos.

Dominus noster *Galterus* Linconiensis Episcopus, factus est Archiepiscopus Rothomagensis.

Lucius Papa in capite ieiunij, id est feriâ quartâ Cinerum, ordinauit plures Cardinales, inter quos Magistrum *Meliorem* Presbyterum Cardinalem, quem etiam fecit Camerarium suum; & Electum Dolensem diaconum, & Magistrum *Radulphum Nigellum*, charissimum amicum nostrum, magnæ honestatis & literaturæ, & religionis virum.

Fredericus Imperator Romanorum fecit ordinari vnum filiorum suorum, non primogenitum, sed secundum in Regem Germaniæ.

Rex Anglorum *Henricus* sapientiâ & diuitiis suis, adquisiuit sororem Regis Portigalensis Hispaniæ, ad hoc vt fieret vxor Philippi Comitis Flandrensis cognati sui. Venit ergo ad Comitem Flandrensem in abundantia auri & argenti. Huius pater licet grandæuus adhuc viuit, qui in iuuentute sua super Agarenos, adiutus ab Anglis & Normanis, cepit Ciuitatem Vlixiponam, quam vulgariter vocant Lislebonam; ad quam transtulit de Valentia corpus beati *Vincentij* Leuitæ & Martyris, vt quidam dicunt, sed Amoinus Monachus de transitione corporis eiusdem sancti Martyris, tempore Caroli Imperatoris facta aliter loquitur. Fecit eandem Ciuitatem permissione Papæ Archiepiscopatum, cui subdidit sex alias Ciuitates quas adquisierat.

Balduinus Vvigorniensis Episcopus consecratus est in Archiepiscopum Cantuariensem.

Obiit *Gualerannus* Rofensis Episcopus, & Capellanus Archiepiscopi Cantuariensis: cui successit *Gislebertus* Archidiaconus Lexouiensis.

Ioannes de Neelfa Archidiaconus Lexouiensis, electus est in Episcopum Cistrensem.

Petrus Giraldi factus est Episcopus Maclouiensis.

Magna discordia facta est inter *Philippum* Regem Francorum, & *Philippum* Comitem Flandrensium, propter Comitatum Viromandensem. Sed Rex Francorum ex omni potentatu suo congregauit infinitum exercitum, & coegit Comitem ad faciendam voluntatem suam.

Obiit *Frogerius* Episcopus Sagiensis, qui multùm emendauit Matrem Ecclesiam, & totum dominium suum. Reliquit etiam immensas diuitias in auro & argento, sibi non profuturas.

Obiit *Robertus* electus Montisburgi, & successit ei *Guillelmus* Monachus eiusdem loci.

Ioannes minor filius Regis Anglorum, quem vocant *Sine terra*, quamuis multas & latas habeat possessiones, & multos Comitatus, transiuit in Hiberniam, gratia Dei permittente; Rex futurus in illa patria.

Obiit *Robertus* Episcopus Nannetensis, vir magnæ honestatis, & amicus noster, cùm rediret de Ierosolyma.

Obiit *Gaufridus* Cornubiensis Episcopus.

Abbas Pontiniacensis factus est Episcopus Atrebatensis.

Theobaldus Abbas Cluniacensis factus est Episcopus Cardinalis Ostiensis, cui successit filius Comitis de Claromonte. Hic priùs fuit Abbas cuiusdam Abbatiæ Ordinis Cisterciensis. Inde translatus est ad Abbatiam Flauiacensem. Inde exortis quibusdam causis factus est Abbas sancti Luciani Martyris, primi Episcopi Beluacensis Ciuitatis. Exinde, vt diximus, factus est Abbas Cluniacensis.

Iterum facta est magna commotio, & disceptatio, inter Philippum Regem Francorum, & Philippum Comitem Flandrensium. Comes enim Flandrensis confusus pudore, quia fe-

cerat voluntatem Regis de Comitatu Viromandensi, repletus ira & indignatione, vertit se ad Regem Germaniæ filium Frederici Romani Imperatoris, vt iuuaret eum, & fecit ei hominium de Flandrensi Comitatu, vnde magna tribulatio exorta est in toto Regno Francorum.

Anno præterito obiit *Balduinus* Rex Ierosolymitanus; vir honestus & religiosus, & potens contra Sarracenos, licet elephantiosus. Nec hoc mirum est, quia *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.* Huic successit nepos eius *Henricus*, natus ex sorore sua, cuius pater fuit *Vuillelmus* filius Comitis Montis-ferrati, qui fuerat natus ex nepte Frederici Imperatoris Romanorum; & postea Comes Iopensis duxit matrem prædicti Henrici Regis, qui seruat prædictum iuuenem Regem, & Regnum eius vsquequo perueniat ad perfectam ætatem.

Obiit *Bartholomeus* vir Venerabilis Episcopus Exoniensis.

Obiit *Iocelinus* Saresberiensis Episcopus.

Obiit *Lucius* Papa Romanus, cui successit *Imbertus* Mediolanensis Archiepiscopus, vocatus *Vrbanus* tertius.

Dominus *Vualterus* Rothomagensis Archiepiscopus impetrauit à Domino nostro Henrico Rege Anglorum, vt Abbatia S.Elerij (quæ est in insula Gersosij quam *Vuillelmus* filius *Hamerici* fecerat in eadem insula, consilio & auxilio Domini Regis) iungeretur Abbatiæ de Voto, quæ est iuxta Cæsarisburgum, quam Imperatrix mater Henrici Regis ædificauerat. Erat autem tripliciter ditior tam in Normania, quàm in Anglia, quàm Abbatia de Voto. Erat verò vtraque de ordine Canonicorum Regularium. Facta est itaque Abbatia de Voto mater & caput, habens & perenniter possidens Abbatiam de Insula, & omnia sibi pertinentia. Prædictus verò Archiepiscopus Rothomagensis fecit in eadem Abbatia Abbatem, suum Capellanum, qui erat Canonicus eiusdem ordinis. Quidam enim Constablarius Domini Regis Henrici, *Osbernus de Hosa* nomine, qui castrum Cæsarisburgi cum patria quæ ad illud pertinet, custodiebat, iussu Domini Regis Henrici ædificauit in eadem Abatia de Voto domum pulcherrimam, officinas idoneas in se continentem, ad opus suum; in qua post administrationem Domini Regis quandiu vixit satis honestè conuersatus est. Ipse vero ante octo dies mortis suæ factus......

Hic desinit MS. codex S. Michaëlis de Monte, ex quo vnum aut alterum folium videtur auulsum.

ROBERTI DE MONTE TRACTATVS.

DE IMMVTATIONE ORDINIS MONACHORVM.

DE ABBATIBVS ET ABBATIIS NORMANORVM, & ædificatoribus earum.

CAPVT PRIMVM.

LIBET in præsenti demonstrare qualiter, & à quibus, antiqua consuetudo, victus, & habitus Monachorum immutata sit.

Molesme. In Burgundia est locus qui dicitur *Molismus*. Ibi tempore *Philippi* Regis Francorum, *Robertus* Abbas Cœnobium condidit, & magnæ religionis Discipulos aggregauit: post aliquot annos Regulam sancti Benedicti perscrutatus ad litteram, voluit persuadere Discipulis suis, vt labore manuum viuerent, decimas, & oblationes Clericis qui Diœcesi deseruirent, relinquerent; femoralibus, staminiis, pellicissque abstinerent. At illi è contra nitentes consuetudinibus quæ in Occidui Orbis Monasteriis obseruabantur, quas constat esse institutas à beato *Mauro* Discipulo sancti Benedicti, & à beato *Columbano*, &, vt ad modernos veniam, à sancto *Odone* Abbate Cluniacensi, dicebant se ab eis non recedere.

Hæc *Robertus* audiens, & in sua sententia permanens, recessit ab eis cum viginti & vno sibi assentientibus, diúque locum quæsiuit idoneum sibi suísque sodalibus, qui decreuerant Regulam sancti Benedicti, sicut Iudæi legem Moysi, ad litteram penitùs obseruare.

Cisteaux. 2. Tandem *Odo* filius Henrici, Burgundiæ Dux, illis compassus prædium eis in loco, qui dicitur Cistercius, in Episcopatu Cabillonensi, largitus est: ibi *Robertus* Abbas cum electis fratribus aliquandiu habitauit, Deóque donante in breui pleróſque æmulatores districtæ Religionis, quam in illo Eremo arripuerat, & suæ sanctitatis habere promeruit.

Cúmque Molismenses per aliquot tempus pastore carerent, viróque Dei virtutibus famoso discedente, despicabiliores erga vicinos & notos fierent, Vrbanum Papam supplices adierunt, eique prorsus enodata serie rerum, quas superius retuli, consilium, & auxilium ab eo postulauerunt. Ille verò paterno affectu vtrisque consuluit; Abbati enim Apostolica iussit auctoritate, vt prius Monasterium repeteret, & ne laberetur Regularitas, regeret; ac in alio quod postmodum inceperat, quemlibet de suis idoneum substitueret.

Redeunte itaque Roberto Abbate ad Molismense Cœnobium iussu Vrbani Papæ, primus *Albericus* factus est Abbas Cisterciensis post ipsum; cui successit *Stephanus* Anglicus; qui vterque magnæ religionis fuerunt.

Ipso viuente & iubente *Guido* Abbas Trium-fontium electus est, & per duos annos idem Monasterium regens, vtcunque tandem insipienter reliquit. Deinde *Reinaldus* filius Milonis Comitis de Bar super Sequanam ei successit. Quo mortuo, anno ab incarnatione millesimo centesimo quinquagesimo primo, *Gotsuinus* qui erat Abbas cuiusdã Monasterij in Viennẽsi prouincia, natione Lotharienfis, factus est quintus Abbas Cisterciensis, excepto Roberto Abbate Molismensi, qui illum Ordinem inchoauerat; sed querimoniâ Molismensium, & iussu Vrbani Papæ, vt prædictum est, ad prius Monasterium redire compulsus fuerat. *MCL.*

Iam ferè quinquaginta quinque anni sunt, ex quo Robertus Abbas, vt dictum est, Cistercium incoluit, & tanta Virorum copia illuc confluxit, vt inde ferè Abbatiæ quingentæ à millesimo nonagesimo octauo anno Incarnationis Dominicæ, vsque ad annum eiusdem diuinæ Incarnationis M. C. LII. consurgerent. Et hac de causa in generali Capitulo, vbi annuatim, mediante mense Septembris, apud Cistercium abbates, & etiam Episcopi, qui assumpti sunt de illo Ordine conueniunt, quatenus negligentiæ, quæ omnino in tot, & tantis

Conuentibus nequeunt euitari, emendentur. Hac de causa, inquam, quia tantùm multiplicabantur Abbatiæ eiusdem Ordinis, statutum est, vt amplius nullam nouam Abbatiam instituerent in desertis atque siluestribus locis, Monasteria proprio labore condiderunt, & sacra illis nomina solerti prouisione imposuerunt, vt est, Domus Dei, Claraualllis, Eleemosyna, Curia Dei, & alia plura huiusmodi, quibus auditores solo nominis nectare inuitantur festinanter experiri quanta sit ibi beatitudo, quæ tam speciali denotatur vocabulo. Multi nobiles & diuites, & profundi sophistæ pro nouitate singularitatis ad eos concurrerunt, & inusitatam districtionem spontè amplexati sunt.

CAPVT II.

DE ORIGINE CARTHVSIENSIVM.

EOdem ferè tempore, quo Ordo Cisterciensis in Cabillonensi Parrochia exortus est, Carthusiensis etiam in Episcopatu Grannopolitano adinuentus est. Genus hoc Eremicarum sub Priore agit; nec numerum tertiumdecimum multitudo transcendit: vnusquisque in cella sua priuatis diebus separatus ab aliis orat, dormit, & manducat; quæ tamen cellæ contiguæ & loco coniunctæ sunt. Festis diebus ad Ecclesiam, & ad mensam conueniunt, & de spiritualibus inter se conferunt. Instituta verò & nocturni & diurni officij, secundum Regulam sancti Benedicti persoluunt.

CAPVT III.

MONASTERIVM CASALIS BENEDICTI.

Chezal-benoist.

EXacto aliquo tempore exinde ex quo Cisterciensis Ordo inceptus; *Andreas* genere Italus de Valle Brutiarum, Monachus effloruit, & in Bituricensi Pago Monasterium, quod *Casale-Benedicti* nuncupatur, construxit.

CAPVT IV.

MONASTERIVM FONTIS-EBRALDI.

Fonte-vrault.

IIsdem temporibus tres socij in Religione fuerunt: vnus *Bernardus*, qui priùs fuerat Abbas Quinciaci in Pictauensi solo; & *Robertus de Arbrexo*; & *Vitalis* Eremita, qui fuerat Capellanus Comitis Moritolij: Hi singuli singula Monasteria ædificauerunt.

Bernardus, quia nolebat Monasterium Quinciaci, quod hactenus fuerat liberum, Monachis Cluniaci subijci, cùm Paschalis Papa ei exinde vim inferret, illud relinquere adductus à Venerabili *Iuone* Carnotensi Episcopo, & Rotrone Comite Moritaniæ, in loco siluestri, qui *Tiron* dicitur, Cœnobium in honorem sancti Saluatoris construxit. Hic omnes ad se venientes suscipiebat, & artes quas nouerant legitimas infra Monasterium exercere præcipiebat. Cui successit *Vuillelmus* Pictauiensis, vir litteratus, & admodum Religiosus.

Robertus de Arbrexo, vir aptus ad lucrandas animas, & prædicandum verbum Dei, Cœnobium quod *Fons-Ebraldi* dicitur in confinio Andegauensis & Pictauensis soli ædificauit, & sanctimoniales fœminas ibidem congregans, eis *Petronillam* Abbatissam præfecit, quâ mortuâ successit ei in Regimine eiusdem Monasterij, *Matildis* soror Andegauensis Comitis.

Sauigni.

Vitalis Eremita optimus seminiuerbius, in confinio Normaniæ & Minoris Britanniæ, in vico *Sauinncio* Monasterium ædificans, modernas institutiones in aliquibus Cisterciensibus similes, Monachis suis imposuit. Huic successit Baiocensis *Gaufridus* Cerasiensis Monachus, vir admodum litteratus, & in religione feruens. Hic multa Monasteria ædificauit, & consuetudines prioribus arctiores Sauiniensibus imposuit. Cui post *Euanum* Anglicum, qui paruo tempore eidem Monasterio præfuit, successit Venerabilis *Serlo* de Vallebadonis iuxta Baiocas, qui fuerat prædicti Gaufridi in sæculo Discipulus, & Monachatum susceperat priùs cum eo in Monasterio Cerasiensi: sed relicto illo Monasterio, pro maiori religione expetierat Sauinneium. Hic quia pro velle suo ei non obtemperabant Monasteria sibi subdita, authoritate Eugenij Romani Pontificis, subdidit se, & omnia Monasteria sua Cisterciensi Ordini, & exinde post paucos annos, vt Deo liberiùs posset vacare, relictâ curâ Monasteriorum, in Monasterio Claræuallis Deo & sibi vacans delituit. Cui successit in Regimine Sauinneij *Ricardus de Curseio* Prior eiusdem loci.

CAPVT

CAPVT V.

DE MONASTERIO S. VICTORIS PARISIENSIS.

EOdem tempore Magister *Vuillelmus de Campellis*, qui fuerat Archidiaconus Parisiensis, vir admodum litteratus & religiosus, habitum Canonici Regularis assumens cum aliquibus Discipulis suis, extra Vrbem Parisiensem in loco, vbi erat quædam Capella sancti Victoris Martyris, cœpit Monasterium ædificare Clericorum. Assumpto autem illo ad Episcopatum Cathalaunensium, Venerabilis *Geldoinus* Discipulus eius, primus Abbas ibi factus est. Sub cuius Regimine multi Clerici nobiles sæcularibus & diuinis litteris instructi, ad illum locum habitaturi conuenerunt; inter quos Magister *Hugo* Lothariensis, & scientia litterarum & humili religione maximè effloruit. Hic multos libros edidit, quos, quia vulgò habentur, non oportet enumerare.

CAPVT VI.

DE CANONICIS REGVLARIBVS ARONASIÆ, *& Præmonstrati.*

EOdem etiam tempore noui Canonici Regulares, apud Truncum Berengarij, & apud Præmonstratum adunati sunt, labore manuum viuentes, & laneis vestibus, & his rusticanis & vilibus vtentes.

CAPVT VII.

DE REFORMATIONE QVORVMDAM MONASTERIORVM.

VIdentes itaque Abbates nominatissimorum Monasteriorum, quæ Reges Francorum, & alij Consulares & potentes in prædiis suis ædificauerant, sed propter abundantiam diuitiarum nimium dissoluta erant, Monachos noui Ordinis Cisterciensis scilicet, & Carthusiensis, necnon etiam Canonicos, quos supra diximus, vitam suam sub districta religione agere; rubore suffusi, vel sponte, vel inuiti, coacti videlicet à Regibus & Pontificibus, Monachos ordinatissimorum Monasteriorum, scilicet Cluniaci, Maioris Monasterij, Becci, & aliorum æquè in religione viuere studentium, ad se euocant, & ad eorum exemplum vitam suorum subditorum conformare satagunt.

Ad Regimen etiam Abbatiarum minùs Religiosarum, assumuntur plurimi Abbates de illis Monasteriis, quæ in Religione aliis præcellere videbantur.

CAPVT VIII.

DE ANTIQVORVM NORMANIÆ MONASTERIORVM *instauratione & fundatione.*

QVoniam de Monasteriis nouiter factis aliqua diximus, libet de Ducum Normaniæ piis operibus in ædificatione, siue reædificatione Monasteriorum, aliqua vel breuiter commemorare. *Rollo* igitur qui & *Robertus* angustia temporis post baptismum præuentus, nullum Monasterium vel instituit, vel renouauit, sed sicut superiùs iam diximus, multas possessiones pluribus Ecclesiis & Monasterijs donauit.

CAPVT IX.

DE GEMETICENSI MONASTERIO.

Iumieges.

VVillelmus filius eius *Longa-Spata* Monasterium Gemeticense, quod sanctus *Philibertus* construxerat, sed *Hastingus* Paganus destruxerat, restaurauit: in quo fuerunt Abbates à sancto Philiberto vsque ad exterminium eiusdem Monasterij viginti: A restauratione vero quæ sub *Martino* Abbate facta est, quem *Gerloc* Comitissa Pictauiensis, cum duodecim Monachis, à Monasterio sancti Cypriani Pictauis misit Vuillelmo fratri suo Duci Normaniæ, vsquead annum M. C. LIV. Dominicæ Incarnationis, quo iste Catalogus Abbatiarum Normaniæ factus est à nobis, fuerunt Abbates quatuordecim, quorum vltimus fuit Eustachius eiusdem loci Monachus.

CAPVT X.

Fescan. S. Oüin. Le Mont S. Michel

DE MONASTERIIS, FISCANNI, SANCTI AVDOENI, & S. Michaëlis in Monte Tumba.

PRimus *Ricardus* filius Vuillelmi Ducis, tria Monasteria, vnum Fiscanni in honorem sanctissimæ Trinitatis; aliud in Monte Tumba in honorem sancti Michaëlis; tertium verò Rothomagi in veneratione sancti Petri, sanctique Audoeni, multas possessiones, quæ eis à Paganis ablatæ fuerant restituendo restaurauit; licet *Ricardus* filius eius plurima prædia addendo, & Ordinem Monasticum in eis ponendo, ipse consummauerit.

Monasterio Fiscannensi primus Abbas prefuit *Vuillelmus* Cluniacensis Monachus; & habuit sub regimine suo Monasterium S. Benigni Diuionis, S. Trinitatis Fiscannensis, S. Germani Parisiensis, S. Faronis Meldis, S. Michaëlis de Monte Tumba, & alia Monasteria ferè Triginta. Secundus Abbas Fiscannij *Ioannes* Longobardus; tertius *Vuillelmus* Monachus S. Stephani Cadomi; quartus *Rogerius* eiusdem loci Monachus; quintus *Henricus* Monachus Cluniacensis.

In Monasterio S. Michaëlis iam fuerunt Abbates ferè quatuordecim, quorum decem habuerunt de extraneis Monasteriis.

Hildebertus primus factus est Abbas sancti Audoeni in monasterio post restaurationem; secundus *Herfastus*; tertius *Nicolaus* filius tertij Ricardi Ducis Normanorum; quartus *Hisgotus* Prior Cadomi: hic ordinem emendauit; quintus *Vuillelmus*; sextus *Reinfridus* eiusdem loci Monachi; septimus *Freherius* Monachus Cluniacensis.

CAPVT XI.

S. Vandrille.

DE MONASTERIO SANCTI VANDREGESILI, ALIAS Fontanellæ.

SEcundus Richardus Dux Normanorum ex integro Abbatiam S. Vvandregisili, quam Fontinellam antiquitùs vocauerunt, ædificauit: à sancto *Vvandregisilo* vsque ad *Mainardum*, qui tempore primi Ricardi ceperat eundum locum pro posse suo emendare, fuerunt Abbates vigintiquatuor: à *Mainardo* vsque ad præsens tempus duodecim, quorum vltimus fuit *Rogerus* monachus eiusdem loci, qui adhuc superest.

CAPVT XII.

Bernay.

MONASTERIVM BERNAII.

IVdith Comitissa vxor secundi Ricardi fecit Monasterium Bernaij. Huius custodes fuerunt *Radulphus* Abbas sancti Michaëlis, & post ipsum *Theodoricus* Gemmetici, quorum prior dedit Vticum, & Bellum-montellum *Hunfrido de Vetulis*, sequens verò medietatem Burgi Bernaij patri Rogerij de monte Gommerici, qui erat propinquus eius, vt inde se procuraret, quando Bernaium venisset.

Primus ibi factus est Abbas *Vitalis* Monachus Fiscanni: cui cum postmodum *Vuillelmus* Rex Anglorum Abbatiam S. Petri Vvestimonasterij dedisset, Osbernus frater eius, Monachus Troarnensis, secundus præfuit Monasterio Bernaij; tertius *Nicolaus* Monachus Fiscanni; quartus *Ricardus* Monachus eiusdem loci.

CAPVT XIII.

S. Taurin. Villiers.

MONASTERIA S. TAVRINI, ET VILLARIENSE.

MOnasterium sancti Taurini Ebriocensis, prædictus *Ricardus* secundus Dux Normanorum, ex parte restaurauit. Cui Monasterio nostris temporibus præfuerunt Abbates *Radulphus*, *Vuillelmus*, *Paulus*, *Philippus*, Monachi Fiscanni.

Item Villare Monasterium, quod sanctus Philibertus olim construxerat, prædicti Principis vxor, scilicet *Iudith*, ad opus Sanctimonialium reparauit.

CAPVT XIV.

Le Bec.

DE BECCENSI MONASTERIO.

VEnerabilis *Herluinus* in proprio solo Monasterium Becci ædificans, primus eidem Monasterio præfuit, cui successerunt *Anselmus*, *Vuillelmus*, *Boso*, *Theobaldus*, *Letardus*, *Rogerus*, eiusdem Monasterij Monachi.

CAPVT XV.

Cerisy.

MONASTERIVM CERASIENSE.

ROBERTUS Dux Normanorum, filius ſecundi Ricardi, ædificauit Monaſterium Cerasiacenſe. Primus Abbas ibi præfuit *Durandus* Monachus ſancti Audoeni; ſecundus *Almodus* Exabbas ſancti Michaëlis de Monte; tertius *Garinus* monachus ſancti Michaëlis; quartus *Hugo* Monachus Toarnenſis; quintus *Hugo* monachus eiuſdem loci.

CAPVT XVI.

S. Estienne, & la Trinité de Caen.

MONASTERIA DVO CADOMI.

VVillelmus Dux, filius prædicti Roberti duo Cœnobia Cadomi ædificauit, vnum virorum, & alterum fœminarum. monaſterio monachorum primus Abbas præfuit *Lanfrancus* Prior Becci; ſecundus *Vuillelmus*; tertius G*iſlebertus*; quartus R*obertus*; quintus *Eudo*; ſextus *Alanus*; ſeptimus *Petrus* eiuſdem loci monachi.

CAPVT XVII.

S. Evroult

DE MONASTERIO VTICENSI SIVE S. EBRVLFI.

VVillelmus filius Heroij, Monachus Becci, & Nepotes eius *Robertus*, & *Hugo de Grentemaiſnil*, reſtaurauerunt monaſterium ſancti Ebrulfi apud Vticum. Sed quia idem *Vuillelmus* cùm ſuſcepiſſet habitum monachi apud Beccum, dederat eumdem locum Beccenſi monaſterio; vnde etiam *Lanfrancus*, qui poſtea fuit Abbas Cadomi, cum tribus monachis illò directus eſt ad habitandum; ideò dedit villam Ruſſeriæ Eccleſiæ Becci, pro commutatione Eccleſiæ ſancti Ebrulfi. Primus Abbas præfuit huic monaſterio *Theodoricus* Gemeticenſis; ſecundus *Robertus* Prior eiuſdem loci; tertius *Osbernus* monachus ſanctæ Trinitatis Rothomagenſis, quartus *Manerius*, quintus *Rogerius*, ſextus G*arinus*, ſeptimus *Ricardus*, octauus *Ranulfus*, vndecimus *Bernardus*, monachi eiuſdem loci.

CAPVT XVIII.

MONASTERIA SS. TRINITATIS SIVE S. CATHARINÆ & S. Amandi Rothomagi.

GOſcelinus Vicecomes Arcacenſis, patrinus G*odefridi* patris *Matildis* Vxoris *Vuillelmi* Camerarij, fecit monaſterium ſanctæ Trinitatis in monte Rothomagenſi: & monaſterium inſtituit ſancti Amandi inter muros eiuſdem ciuitatis, ad opus Sanctimonialium. monaſterio ſanctæ Trinitatis de monte primus præfuit *Iſembertus* Teutonicus, vir religioſus, monachus ſancti Audoeni: ſecundus Reinerius, tertius *Vualterius*, quartus *Helias*, quintus *Vualterius*, eiuſdem loci monachi.

CAPVT XIX.

La Croix S. Leufroy

DE S. LEVFREDI MONASTERIO.

EOdem tempore, ſcilicet Duce Vuillelmo, reſtauratum eſt monaſterium ſanctæ Crucis, ſanctíque Leufredi, de terra quæ fuerat *Helthonis de Cruce*. Primus Abbas factus eſt huius monaſterij poſt reſtaurationem *Albericus*, ſecundus H*enricus*, tertius *Vuillelmus*, monachi ſancti Audoeni; quartus, & quintus, *Garnerius* & *Rodericus*, monachi eiuſdem loci.

CAPVT XX.

Conches.

DE CONCHENSI MONASTERIO.

ROgerius de Toenio conſtruxit monaſterium Caſtellionis. Cui monaſterio, primus & ſecundus Abbates præfuerunt *Gillius* & *Vuillelmus*, monachi Fiſcanni, tertius & quartus, *Vuillelmus* & *Lotardus*, Monachi Bleſis, quintus Giſlebertus monachus Becci, ſextus, & ſeptimus *Simplicius* & *Vincentius* monachi Columbæ, octauus *Bernerius* monachus eiuſdem loci, nonus item prædictus V*incentius*, decimus S*iluester* monachus Lyræ.

CAPVT XXI.

Lyre, Cormel.

LYRÆ MONASTERIVM, ET CORMELIENSE.

VVillelmus filius Oſberni, Normaniæ Dapifer, & cognatus Vuillelmi Ducis, duo Monaſteria in honorem beatæ Dei genitricis MARIÆ ædificauit, vnum apud Lyram,

in quo *Aelisam* vxorem suam, filiam Rogerij de Toeneio, postmodum sepeliuit. Alterum apud Cormelias, in quo ipse mortuus conditus est.

Primus autem Abbas Lyræ fuit *Robertus* eiusdem loci Monachus; secundus *Ersastus*; tertius *Barno*; quartus *Ernaldus*; quintus *Hildebertus*; sextus *Gislebertus* Monachi sancti Ebrulfi; septimus *Vuillelmus* eiusdem loci Monachus; octauus *Radulphus* Monachus Becci, hic ordinem reparauit; nonus *Hildericus* Monachus sancti Ebrulfi; decimus *Vuillielmus* Monachus eiusdem loci.

Cormeliis primus præfuit *Robertus* Monachus sanctæ Trinitatis Rothomagi, qui in maris naufragio periit; cui successit *Gaufridus* eiusdem loci Monachus; & illi *Vuillelmus* Becci; & illi *Benedictus* Monachus eiusdem loci.

CAPVT XXII.

Preaux. S.Vigor.

PRATELLENSE, ET S. VIGORIS BAIOCENSIS *Monasteria.*

HVnfridus de Vetulis Pratellis duo Monasteria ædificauit, vnum Monachorum, & alterum sanctimonialium.

Monachis primus Abbas præfuit *Aufridus* Monachus sancti Vandregesilij; cui successit *Gaufridus* Monachus eiusdem loci; cui *Ricardus de Dumellis*, vir religiosus, & valde litteratus, qui fuerat Monachus sancti Vigoris Baiocensis sub *Roberto de Tumbahelene*, qui fuit illius loci primus Abbas & vltimus: Ricardo successit alter *Richardus*; & illi *Reinaldus* eiusdem loci Monachus; & illi Michaël Monachus Becci.

CAPVT XXIII.

Sais. Tourne.

SAGIENSE MONASTERIVM, ET TROARNENSE.

ROgerus de Monte Gommerici, filius Rogerij Vicecomitis Oximensis, in honorem sancti Martini duo Monasteria ædificauit, vnum in suburbio vrbis Sagiensis, alterum in vico suo Troarno super Diuam.

Monasterio Sagiensi primus præfuit *Robertus* Monachus sancti Martini Troarni; secundus *Rodulphus* Monachus eiusdem loci, cui successit *Hugo*, & illi *Gislebertus*. Item *Gislebertus* & *Ioannes* Monachi eiusdem loci.

At Monasterio Troarnensi primus præfuit *Durandus* Monachus Fiscanni; cui successit *Arnulfus* Prior Fiscanni, & illi *Andreas* Monachus eiusdem loci; & illi *Ricardus* Monachus Cluniaci, & illi *Gislebertus* Monachus ipsius loci.

CAPVT XXIIII.

Almeneche.

ALMENISCARVM SIVE ALMONACHARVM *Monasterium.*

FEcit etiam, imò restaurauit prædictus Comes *Rogerus* Monasterium Fœminarum apud Almanechias, vbi olim sancta Opportuna fuerat Abbatissa, antequam Normani in Regnum Francorum venirent.

CAPVT XXIV.

S. Pierre sur Diue. S. Pierre de Lysieux

DE MONASTERIIS S. PETRI SIVE S. MARIÆ DIVENSIS, & S. Petri Lexouiensis.

LEzelina Comitissa Aucensis, relicta Vuillelmi Comitis, qui fuerat naturalis frater Ricardi secundi Normanorum Ducis, adiuta à filiis suis *Roberto* Comite Aucensi, & *Hugone* Episcopo Lexouiensi, Monasterium sancti Petri super diuam Virorum, & Monasterium Fœminarum ante Vrbem Lexouiensem, virili animo construxit.

Monasterio sanctæ MARIÆ Diuæ primus Abbas factus est *Ainardus* monachus sanctæ Trinitatis de Rothomago: Cui successit *Fulco* sancti Ebrulfi, & Fulconi *Benedictus* Prior sancti Audoeni: quartus *Gauterius* monachus Gemmetici: quintus *Robertus* monachus sancti Dionysij: sextus, septimus, & octauus *Rodulphus*, *Ricardus* & *Haimo* monachi eiusdem loci: nonus *Vvarinus* monachus Cluniaci.

Treport.

CAPVT XXV.

MONASTERIVM VLTERIORIS-PORTVS.

Filius verò prædictæ Lezelinæ *Robertus* Comes Aucensis, Monasterium sancti Michaëlis Vlterioris-portus ædificauit. In quo primus Abbas fuit *Herbertus* Monachus sanctæ Trinitatis de monte Rothomagensi; secundus *Alueredus*; tertius Osbernus Monachus eiusdem loci; quartus *Fulcherius* Monachus Cluniaci.

CAPVT XXVI.

S. Victor en Caux. S. Sauveur d'Evreux.

DE S. VICTORE CALETENSI, ET S. SALVATORE Ebroicensi.

At *Rogerius de Mortuo Mari*, filius Vualterij de sancto Martino, frater verò primi Vuilelmi de Vvarenna, Monasterium sancti Victoris in proprio solo fundauit. Cui præfuerunt Abbates, Ricardus, Robertus, Mainardus, Hugo, Monachi sancti Audoeni.

Ricardus Comes Ebroicensis in eadem vrbe ad opus sanctimonialium Monasterium sancti Saluatoris extruxit.

CAPVT XXVII.

Grestain.

GRESTENENSE MONASTERIVM.

Monasterium sanctæ Mariæ Gresteni *Herluinus de Conteuilla* condidit; in quo ipse requiescit corpore, & Helena vxor eius. Horum filij fuerunt *Robertus* Comes Moritolij, qui idem Monasterium auxit, & *Odo* Episcopus Baiocensis. Primus Abbas eiusdem Monasterij *Gaufridus* Monachus sancti Sergij Andegauensis; secundus *Fulchrius* Monachus Sagij; tertius *Herbertus* Monachus eiusdem loci. Consuetudines, & Monachos in initio habuerunt partim de sancto Vvandregesilo, partim de Pratellis.

CAPVT XXVIII.

MONASTERIVM S. SEVERI CONSTANTIENSIS.

Hvgo Vicecomes Abrincatensis, postea verò Comes Cestrensis, Abbatiam sancti Seueri in Constantinensi Episcopatu fecit. Primus Abbas eiusdem fuit *Anselmus* Monachus Gemmetici; secundus *Arnulfus* Ebroicensis; tertius *Petrus* Monachus sancti Benedicti Floriaci; quartus *Robertus* eiusdem loci Monachus; quintus *Guido* Cestrensis.

CAPVT XXIX.

L'Essay.

S. TRINITATIS EXAQVII.

Monasterium sanctæ Trinitatis Exaquij *Eudo* cum *Capello* fecit: Primus eius Abbas *Rogerus* Monachus Becci: secundus & tertius *Gaufridus*, & *Garinus* Monachi eiusdem loci: quartus *Robertus* Monachus Cadomi: quintus & sextus *Radulfus* & *Rogerus* Monachi eiusdem loci.

CAPVT XXX.

S. SALVATORIS CONSTANTINIENSIS.

Nigellus Vicecomes Constantiniensis Cœnobium sancti Saluatoris construxit: primus Abbas ibi *Benignus* Monachus Fiscanni: secundus *Hamelinus*: tertius *Anfridus*: quartus *Vuillelmus*; quintus *Hugo* Monachus sancti Michaëlis de Monte.

CAPVT XXXI.

FVNTANETVM MONASTERIVM.

Monasterium sancti Stephani Fontaneti, primus *Radulfus Taison*, qui fuit auus tertij Radulfi, patris scilicet Iordani Taison adiutus ab *Herneisio* fratre suo, condidit. Primus Abbas ibi constitutus est *Gaufridus* Monachus sancti Vvandregesili: secundus *Hugo* Monachus Troarni: tertius *Herbertus* Monachus Cadomi: quartus *Vuillelmus* Monachus eiusdem loci, quintus *Robertus* Monachus Cadomi.

CAPVT XXXII.

Monte-bourg.

DE MONTE-BVRGENSI MONASTERIO.

MOnasterium Montis-Burgi ædificatum est à R*ogerio* Monacho sanctæ Crucis, in dominio Ducis Normaniæ. Cuius primus Abbas effectus est idem R*ogerius* vir religiosus, & socius *Vvimondi*, qui postea fuit Episcopus Auersanus. Huic Rogerio prædictus Vvimondus scribit librum de Corpore Domini. Secundus Abbas fuit *Vrsus* Subprior Gemmetici; qui ordine, & ædificiis eumdem locum nobilitauit: tertius *Petrus*: quartus V*valterius* eiusdem loci Monachi.

Hanc Abbatiam dedit Henricus Rex Anglorum *Ricardo de* R*euiers*, vt eam custodiret, & augmentaret sicut propriam: quod & idem facere curauit.

CAPVT XXXIII.

Tury.

MONASTERIVM DE IBREIO.

ROgerius de Ibreïo condidit Monasterium de Ibreïo. Primus Abbas fuit *Petrus* Monachus Columbensis; secundus *Durandus* Monachus Becci, tertius Osbernus Monachus Fiscanni, quartus H*ubertus* Monachus Columbensis, quintus *Normanus* Monachus Becci, sextus H*ubertus* Monachus sancti Petri Carnoti: Nullus autem eorum adhuc potuit reperire ibi sepulturam.

CAPVT XXXIV.

Lonlay.

DE LONLEIENSI MONASTERIO.

MOnasterium sanctæ MARIÆ Lonlei primus *Vvillelmus Taleuatius*, qui castrum Domni Frontonis in monte, exciso nemore, erexit, ædificauit: qui locus licet sit in Episcopatu Cœnomanensi, ad Ducatum tamen Normaniæ pertinet. Primus Abbas ibi fuit V*villelmus* Monachus sancti Benedicti Floriaci; secundus H*ugo* Monachus ipsius Monasterij: tertius *Garinus* Monachus Ebronis: quartus R*anulfus* Monachus Cadomi: quintus *Lamfredus* Monachus eiusdem Monasterij: sextus *Ioannes* Monachus sancti Launomari Blesis; quo deposito, successit septimus *Bermo* Monachus sancti Martini Maioris monasterij.

Addenda pag. 645. lin. vlt. post, lib. 3.

DECANORVM LAVDVNENSIS ECCLESIÆ
CATALOGVS.

QVANDOQVIDEM de ANSELMO Decano Laudunensi attigimus nonnulla, & Guibertus ipse atque Hermanus plerisque in locis eundem mirè laudant, & de Ecclesia Laudunensi multa attexunt, haud erit otiosum Catalogum eiusdem Ecclesiæ Decanorum maxima parte ab Docto Anthonio Bellotte, qui nunc dierum Decanatûs præclarè gerit onus, ex antiquis Schedis collectum, ex Chartulario potissimùm quod Iacobus de Trecis Canonicus & Archidiaconus Laudunens. postmodum ad summam Ecclesiæ Præfecturam, sortitus Vrbani IV. nomen, est euectus, confici curauit, nostris obseruationibus more nostro concinnatum accensere.

Sed verò cùm nulla prorsus vetustiorum monumentorum Ecclesiæ Laudunensis vestigia reliquêre ciues, dum more duellium, cæde, sanguine, atque igne vniuersam prope ciuitatem destruxêre, vastauêre, quemadmodum posteritati, Guibertus de vita sua lib. 3. & Hermanus lib. 6. de miraculis S. Mariæ Laudun. vbi supra, tradidêre: non hîc moramur antiquiora, sed mediæ ætatis duntaxat scripta in texendo Decanorum præfatæ Ecclesiæ Catalogo vestigare, nempe exordium ab celebri illo Magistro Anselmo capiemus.

I. ANSELMVS Decanus & Archidiaconus: quem sic commendat Guibertus Abbas, Bartholomæum Episcopum Laudun. alloquens prooemio ad Geneseos moralitates: *Indidit tanto Deus capiti duos oculos sideribus clariores, dum à dextris habes* ANSELMVM *totius Latini orbis Magisterio prædicatum, cuius tam sincera est in scripturarum ac fidei assertione securitas, vt plures veros suis probetur documentis fuisse Catholicos, quàm instituisse potuerit erroneus quispiam temporis huius hæreticos: altrinsecus* RADVLPHVM, &c. Et lib. 3. de vita sua pag. 498. *Magister Ansellus*

vir totius Franciæ, immò Latini Orbis lumen in liberalibus diſciplinis, & tranquillis moribus. Plura in hunc modum idem Auctor loci citati pag. 505. & alibi. Item Hermannus lib. 1. pag. 528. & lib. 3. pag. 558. multis laudibus Anſelmum cumulat. Anſelmi doctrinam magnificat Rupertus Tuitienſis libro de Omnipotentia Dei, cap. 1. de Anſelmo loquens his verbis: *Anſelmus Laudunenſis Lucifer*, &c. Et cap. 26. *Ille cuius fides & ſcientia præ cæteris bono hactenus cum odore in Eccleſia Chriſti fructificat, Laudunenſis Anſelmus ſua illos, vt veraciter comperimus, auctoritate corroborat*, &c. Denique lib. 1. in Regulam ſancti Benedicti, ante medium; in Galliam veniſſe, quò ſeſe inter atque Guillelmum Catalaunenſem Epiſcop. de libera Dei voluntate conferrent; ſed Anſelmum *(quouis Epiſcopo,* inquit, *famoſiorem, quamuis ipſe non eſſet Epiſcopus)* vbi pedem in Laudunenſem ciuitatem intuliſſet, *vltimum trahentem ſpiritum* reperiſſe, innuit.

Denique Anſelmum ferunt ſummâ animi demiſſione Epiſcopatum Laudunenſem ſtrenuè recuſaſſe.

Subſcripſit Chartæ Bartholomæi Laudunenſis datæ anno M.C.XV. apud Hemeræum Auguſtæ Viromand. Illuſtr. pag. 140. *Ego Anſellus S. Mariæ Laudunenſis Cancellarius relegi & ſubſcripſi.*

E Scholis Laudunenſ. Rectore Anſelmo, permulti eximiâ doctrinâ, ſapientiâ, qui Galliam illuſtrarunt, prodiêre: quos inter Petrus Abaëlardus, Guillelmus de Campellis Archidiac. Pariſ. pòſt Epiſcopus Catalaunenſ. Albericus Bituricenſis Archiepiſcopus, Guillelmus Cantuarienſ. Archiepiſcopus, Gilbertus Porretanus Pictauenſis Epiſcopus; Algarus ſiue Algardus Conſtant. Epiſcopus.

In præfectura Scholarum ſucceſſit Radulphus Anſelmi germanus, vt teſtis eſt Hermanus lib. 3. cap. 4. *Poſt paucos dies* (habet) *Vir Dei Norbertus Laudunum veniens Scholam Magiſtri Radulphi, qui germano Anſelmo defuncto ſucceſſerat, ingreditur, &c.*

II. GVIDO ſeu VVIDO de Anco, in Anſelmi locum ſuffectus eſt; *Ætate quidem iuuenis, ſed moribus ſenex,* refert hiſtoria Manuſcripta. Item; *dum eſſet Decanus caſtitatis amator, & Eccleſiaſtici officij aſſiduus frequentator*: Decanus pariter & Archidiaconus fuit. Ipſe (vt ferunt Chartæ Laudunenſis Eccleſiæ) *fecit vt ſupprimeretur munus quoddam Præpoſiti, quod magno oneri eſſet ipſi Eccleſiæ.*

Abbatiæ ſancti Vincentij Laudunenſi quædam contulit ad hunc modum.

Ego VVido ſanctæ Laudunenſis Eccleſiæ Decanus, & totus Conuentus, &c. Notum facimus, &c. quòd cùm in territorio Villæ noſtræ, quam Briſſeium vocant, verſus Mechaniam, in loco vbi dicitur Report, terram incultam haberemus, Anſelmo Abbati & Monachis S. Vincentij qui in ipſa Mechania curtem vnam habent, de terra illa duas carucatas ad omnes rigas ad terragium nonæ gerbæ, ita liberè, ſicut & ipſi obtinebamus, perpetuo iure conceſſimus: & quoniam præfata B. Martyris Eccleſia ſpecialiter Eccleſiæ noſtræ filia eſſe dignoſcitur, & nos ipſi in ipſa ſepeliri tenemur, conceſſimus eiuſdem Eccleſiæ fratribus quidquid in Eccleſijs noſtris hactenus acquiſierunt, & deinceps acquirent, & quidquid Epiſcopi Laudunenſes eis contulerunt, vel in poſterum conferent, liberè poſſidendum. Actum in Capitulo noſtro, anno Domini M. C. XXXIX. Ita Chartularium.

Verùm cùm ſanctitatis eius & Doctrinæ fama vbique perſonaret, ad Epiſcopatum Catalaunenſem. Anno M. C. XL. aut XLII. aſſumitur. Hermannus qui ſupra lib. 3. cap. 25.

III. GALTERVS *de Mauritania* anno M. C. LII. hic, exemplo Ludouici VII. Regis Francorum, qui ius omne quod in Molendinum d'Argentré habebat, Eccleſiæ Præmonſtratenſi dederat, cum Capitulo ſuo ius quoque ſuum in prædictum Molendinum contulit, ea potiſſimùm de cauſa, *Quòd dicta Eccleſia Præmonſtratenſis ab ipſis Decano & Capitulo procreata eſſet, & in medio ſuæ domus vt filia maneret*, Verba donationis anno M. C. XLIX. factæ.

Ipſe etiam Capitulúmque ea bona conceſſit, quæ Præmonſtratenſis Abbatia poſſidet in Valiſcurto; quod patet ex hiſce literis anni M. C. LIII.

IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Quia naturæ mutabilis exigente defectu generatio præterit & generatio aduenit, fitque vt vetuſtas obliuionem, obliuio confuſionem pariat & contentionem, neceſſariè mos inoleuit vt beneficia vel poſſeſſiones Eccleſiarum ſcripto tradantur, & tranſmittantur ad notitiam poſterorum. Ea propter ego Galterus Dei gratia ſanctæ Mariæ Laudunenſis Eccleſiæ Decanus, totuſque Capituli noſtri Conuentus, notum fieri volumus, tam futuris quàm præſentibus, quòd contulimus Eccleſiæ Præmonſtratenſi ſub annuali cenſu Alodia de Valeſcurt cum appenditijs ſuis, ſcilicet Silua de Meſloi, & cultura quæ eſt in confinio de Landerſai, & cæteris omnibus pertinentijs, & Altaria cum dotibus ſuis, & decimis, tam in territorio de Moncels quàm de Murci & de Valeſcurt, & in eiſdem locis impoſitionem Sacerdotum idoneorum, quos videlicet in præſentia noſtra adducent ipſique fidelitatem nobis facient, quòd iuſtitias noſtras, tam proprias, quam communes pro poſſe ſuo tenebunt: ea ſi quidem conditione, quòd eadem Præmonſtratenſis Eccleſia perſoluet nobis ſingulis annis circatas in Synodo de Murci & de Valeſcurt, & ſeptem modios, & quatuor galetos frumenti, & modiū vnum piſorum ad menſuram in ciuitate Laudunenſi eo tempore

quo hæc acta ſunt currentem; quod vtrumque ſine diminutione vel augmentatione ſeruabitur. Hoc autem frumentum tale ſoluitur, quale in duobus, vel tribus, aut pluribus mercatis, vno nummo minus valeat cariore, reperitur; Piſa quoque denario vno minus valentia carioribus perſoluuntur: Terminus verò perſoluendi eſt à feſto ſancti Remigij vſque ad mediam quadrageſimam, infra quem terminum, quocumque die, vel tempore voluerint aut potuerint, ſoluent, & apud Laudunum ad cellarium noſtrum cum propria vectura conducent, ipſique conductores duo ad currum, vnus ad rhedam, ea die ſi in refectorio comederimus victum à nobis accipient. Perſoluuntur etiam nobis annuatim à præfata Præmonſtratenſi Eccleſia quinque ſolidi bonæ monetæ, pro quadam portione terræ illius quæ præſcripta eſt, de qua inter nos & Monachos ſancti Vincentij querela aliquandiu habita, & ſub annotatione eiuſdem cenſus fuerat terminata. Sciendum præterea inter nos conueniſſe, quòd ſi Monachi ſancti Nicolai de Pratis terram de Tuſcis, quam à nobis cenſualiter tenent, renunciauerint, Præmonſtratenſes ſub eodem cenſu quo & illi, viginti ſcilicet galetis frumenti ad menſuram Laudunenſem, eam accipient. Si quis igitur eos ſuper his inquietauerit, qui iuſtitiam ſubterfugerit, nos pro eorum liberatione, etiam vſque ad Remenſem Curiam cum eorum expenſis laborabimus, & ſi longius ire neceſſe fuerit, conſilium & auxilium ſine expenſis noſtris exhibebimus. Si verò malefactorum audientiam ſubterfugerit, nos cum eis eandem iuſtitiam quam de proprijs noſtris redditibus facere conſueuimus, exequemur. Quod vt ratum & inconuulſum permaneat, & priùs quidem per nos prædicta alodia ſub præſentia & teſtimonio circummanentium terminauimus, & Eccleſiæ Præmonſtratenſi aſſignauimus. Quorum nomina hæc ſunt: Bernardus Villicus de Monceles, Vvibertus filius Conſtantij Stuart Paganus de Derci, Odo Aldent, Herbertus de Boiſnero & de Parem, Odo Miles, Robertus Villicus, Richardus & filius eius, Terricus Vvaſcelinus: ac poſtmodum chyrographi conſcriptione, & legitimarum teſtium vtriuſque Capituli adnotatione, necnon etiam vtriuſque ſigilli impreſſione, præſentem paginam communiri fecimus. Signum Vvalteri Laudunen. Epiſcopi. S. Richardi, &c. Et actum Lauduni, anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio, Indictione prima. Epacta XXIII. concurrente tertio.

Dediſſe & alia quædam Monaſterio ſancti Nicolai de Sylua, eodem Decanum agente, Capitulum Laudunenſe, notant veteres membranæ ann. Domini M. C. LI. LV. LVI. LVII. & LIX. exaratæ.

Vita functo Galtero de ſancto Mauricio Epiſcopus Laudunenſis electus Romam proficiſcitur, atque ibidem Epiſcopatu 1155. inauguratur: Ioannes à Guiſia lib. 24. cap. 3. Sigibertus, & Martyrologium Eccleſiæ Laudunenſis.

Ne in poſterum pro more nefando, quæ Epiſcopatui acquiſierat bona permulta, Regia poteſtas vſurparet, à Rege Francorum Ludouico VII. hocce præceptum obtinet hac forma.

Ego Ludouicus Francorum Rex, Galtero Laudunenſi Epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus in perpetuum; ſollicitudinem quam videntes gerimus pro Eccleſiis Regni, poſt vitæ præſentis decurſum apparere volumus poſteris, in Laudunenſi Eccleſia Præſul erat Magiſter GALTERVS, *qui longo tempore Decanus illius extiterat, & Epiſcopis ſui temporis quamplurima viderat defeciſſe; exemplo deceſſorum ſuorum territus, & ſibi præcauens, Pontificalem inſidens Cathedram, dedit operam agriculturæ, &c. Actum publicè Pariſiis anno Incarnationis Domini M. C. LVIII. Regni verò noſtri XXII.*

Intereſt Epiſcopus Concilio Turonenſi anno M. C. LXIII. celebrato ab Alexandro tertio ſummo Pontifice, vnà cum Henrico ſuo Metropolitano, minimè verò cum Guillelmo, vt vult Robertus in Gallia Chriſtiana; Guillelmus ſiquidem anno tantùm M. C. LXXVII. ex Senonenſi ad Remenſem tranſlatus eſt ſedem, at Concilium illud coactum anno M. C. LXXIII.

GVALTERVS anno M. C. LXXIII. naturæ conceſſit.

IV. LIZIARDVS præficitur M. C. LIII. vt ex diuerſis chartis colligo, quibus ſubſcripſit ipſe Decanus ad annum vſque M. C. LXVIII.

Inter alia iſthæc inſtituta viſere eſt: *Sancitum eſt etiam quòd nullus niſi perſonatum habuerit, aut viginti quinque annorum fuerit, antequam Subdiaconus ſit, ad ſedem Subdiaconorum aſcenſum habebit. Ne autem huiuſmodi inſtitutio ab aliquo mutari, vel infringi poſſit, ſigilli noſtri impreſſione, & approbantium ſubſcriptione muniri fecimus. Signum Domini* Galteri *Epiſcopi, & Liziardi Decani, &c. Actum Lauduni in Capitulo anno Incarnationis Verbi M. C. LIX.*

Illius Opus eſt liber *Stallis* incathenatus in inferiori parte Chori, vulgò Ordinarius liber vocatus, in quo ritè ordinantur quæ antiquitus ad cæremonias & officium diuinum eiuſdem Eccleſiæ ſpectabant. Synodus Andegauenſis ann. 1261. his verbis: *Statuimus quòd in ſingulis Eccleſijs liber, qui dicitur Ordinarius, habeatur, in quo reſpiciunt Sacerdotes ſingulis diebus ante Veſperarum inceptionem, vt ipſas* V*eſperas, Matutinas, & officium diei ſequentis faciant, & exequantur iuxta ordinariam inſtructionem.* Vt eſt in libro Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ,

collectore Laurentio Bochello lib. 1. tit. 19. cap. 1. Quæ autem ab hoc Lizardo redacta ſunt in hoc Ordinario ad ſolum feriarum & Dominicarum Officium pertinent: Quæ porrò ad dies feſtos ſpectant (de quibus infra) ab alio Decano ſunt concinnata. Commutatio quædam Liziardo Decano facta eſt hac forma:

IN NOMINE ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ad nos pertinet quæ in præſentia noſtra fiunt atteſtari, & ne obliuioni tradantur, ſcripto commendare: Eapropter ego LIZIARDVS *Dei gratiâ Decanus Laudunenſis, notum fecimus quàm futuris, tam præſentibus; quòd communi Capituli noſtri aſſenſu terram, quam terræ Eccleſiæ S. Martini de ſuburbio Laudunenſi contiguam habuimus, quæ muro eiuſdem Eccleſiæ incluſa eſt, quæ & de dote Altaris ſancti Cirici erat, & duos nummos cenſuales nobis annuatim ſoluebat, cum iuſtitia, diſtricto, & venditionibus eiuſdem terræ, Eccleſiæ Beati* MARTINI *liberè poſſidendam in concambium dedimus, pro medietate campi ſubtus montem Clericorum ſiti, ſex nummos cenſuales annuatim perſoluentes. Quam cum iuſtitia, diſtricto, & venditionibus eiuſdem medietatis prædicti campi,* GARINVS *Abbas præfatæ Eccleſiæ aſſenſu Capituli ſui nobis viciſſim in concambitionem dedit: quam cambitionem, vt amodo rata permaneat, ſigilli noſtri, & ſigilli ſancti Martini impreſſione, & chyrographo, ac teſtium ſubſcriptione muniri fecimus. Signum* Galteri *Theſaurarij Laudunenſis. Signum* Roberti, *&c. Actum Laudunenſ. in Capitulo noſtro anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo ſexageſimo quinto.*

Agotus *Cancell. relegit, ſcripsit, & ſubſcripsit.*

V. ANSELMVS ſignum appoſuit chartæ Galteri Epiſcopi Laudunenſ. quâ donationem San-Vincentiano Monaſterio factam confirmat anno M. C LXVIII.

VI. ROBERTVS ſedit ab anno M. C. LXXII. ad annum M. C. LXXVIII. Chartularium Laudunenſ. Eccleſiæ.

VII. RAYNERVS Decanus; cuius nomen exaratum in antiquis ſchedis, anno videlicet M C. LXXVIII. reperitur.

VIII. ROBERTVS II. San-Vincentianum Monaſterium ius ad illa tempora firmum ſtabiléque ſeruauerat, vt Eccleſia S. Vincentij *inuiolabilis ſepultura Epiſcoporum, Canonicorum, & Caſatorum Eccleſiæ Laudunenſis* appellaretur: (quod & non ita pridem Eccleſia S. Ioannis Laudun. obtinuerat) Canonici nihilominus, Decani dum munia obiret Robertus, ſibi Cemeterium erigere tentarunt: hinc lites, contentionéſque multiplices exortæ. Qua de cauſa arbitri communi partium aſſenſu electi ſunt. Horum Hugo Abbas ſancti Vincentij ſuis literis arbitrium patefacit in hunc modum.

VENERRBILIBVS *fratribus & amicis,* ROBERTO *Decano, & Capitulo Laudunenſi,* HVGO *humilis Abbas B. Vincentij Laudun. & totus eiuſdem Eccleſiæ Conuentus in Domino ſalutem. Nouerint vniuerſi quòd ortâ inter nos, & vos diſſenſione ſuper Cimiterio noſtro, quod contra ius noſtrum, & antiquam conſuetudinem de nouo conſtruxiſſe videbamini: Tandem in Dominum* WILLELMVM *Remenſem Archiepiſcopum, tit. ſanctæ Sabinæ Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum;* SIMONEM *Beati Remigij Remenſis Abbatem; & Magiſtrum* MELIOREM *Remenſis Eccleſiæ Vicedominum; hinc inde fide interpoſitâ compromiſimus. Ipſi verò deliberato inter ſe, debitâ maturitate, conſilio, pro bono pacis inter nos & vos, taliter tranſegerunt. Veſtrum ſiquidem Cimiterium vobis in perpetuum liberum remanebit: ita quòd tam Epiſcopis, quàm Canonicis, & Caſatis Eccleſiæ veſtræ, & alijs quibuſlibet perſonis tam Clericis quàm Laicis, liberum ſit ibidem eligere ſepulturam. Quòd ſi quis eorum Caſatorum alibi quam apud vos & nos ſepultus fuerit, ius noſtrum & veſtrum communibus expenſis & laboribus proſequemur; & emolumentum æqualiter patiemur bona fide, Canonicis verò veſtris, & apud vos & apud nos; & vbicumque voluerint erit liberum ſepeliri: Vos igitur in recognitione antiquæ conſuetudinis noſtræ duodecim denarios Laudunenſis monetæ nobis in feſto ſancti Vincentij annuatim perſoluetis. Quod vt ratum permaneat, chartam iſtam ſigilli noſtri impreſſione muniri curauimus. Actum anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo octuageſimo tertio.*

Priuilegium Decano Laudunenſi ab Innocentio II. conceſſum, Guillelmus ille Archiepiſcopus vice Summi Pontificis repetitis verbis declarat: *Præterea concedimus vobis, quod & piæ recordatioins Innocentius Papa vobis indulſit, vt ſiue præſente, ſiue abſente Epiſcopo veſtro, malefactores veſtros excommunicare, vel abſoluere poſitis, & cùm aliquis à vobis excommunicatus fuerit, nemini liceat abſoluere, nisi priùs præſtita ſatisfactione, &c. Actum anno Incarnationis M. C. LXXIX.*

Robertum ad annum M. C. XC. egiſſe Decanum notant antiquæ membranæ.

IX. GISLEBERTVS M. C. XC. vix annuo Decanatus officio functus.

X. MICHAEL *de Corbolio* frater Reginaldi de Corbolio 77. Archiepiſcopi Pariſienſis: primùm Canonicus Pariſienſis: deinde Decanus Meldenſis, ac tandem Laudunenſis M. C. XCI. At cùm poſthac Michaelem ſibi in Decanum Pariſienſes cooptaſſent, obſtitêre Laudunenſes; quibus vt illum cederent, ſcripſit Epiſtolam Stephanus Tornacenſis. Demum doctrinæ,

pietatiſque famâ longè, latéque perſonante, Patriarcha ex Decano Pariſienſi eligitur: Verùm in itinere poſitus ad ſedem Senonenſem inuitus rapitur. Michaëlem inter Archiepiſcopos Senonenſes annumerant Iacobus à Guiſia, & Demochares.

XI. L....... Decanus reperitur M. C. LXXXXIII.

XII. G...... paciſcitur cum Monachis ſancti Ioannis Laudunenſis M. C. LXXXXIII.

XIII. ADAM *de Cortlandon* vir nobilis in vico Comitatûs Rouſſiaci, Fiſmenſi vrbi contermino natus. In eo ſeptem præbendas fundauit, ea lege, vt ſiquando Canonici perſiſtere non poſſent, earum reditus Eccleſia Laudunenſis poſſideret. Hoſtem infenſiſſimum habuit hac tempeſtate eadem Eccleſia Ingelrannum de Couciaco, qui omnia ditionis Eccleſiæ bona, agros, vicos, &c. more immaniſſimi tyranni diripuit, expilauit; Decanum carceri mancipauit, & ad ſummam calamitatem Canonicos redegit. Quam ob rem à diuinis laudibus ſiluêre; præfatumque Ingelrannum anathemate percuſsêre & Laudunenſis & Remenſis Prouinciæ Antiſtites vniuerſi, qui opem omnes & ſolamen Laudunenſibus offerunt. Locuples huiuſce rei teſtimonium proferunt inter alia literæ Canonicorum Remenſis Eccleſiæ; habent ita:

VIRIS *venerandis, & amicis Reuerendiſsimis, Adamo Decano, totique Laudunenſis Eccleſiæ Capitulo, M. Præpoſitus, H. Cantor, cæterique Remenſis Eccleſiæ fratres ſalutem, & verum & conſtantem ſinceræ dilectionis affectum. Nouit cogitationum & operum ſcrutator & cognitor Deus, quòd iniuriam quæ illata eſt vobis &c. Scimus enim quòd negotium iſtud vniuerſas Eccleſias communiter tangit, & per impunitatem tanti flagitij commune imminet periculum Eccleſiaſticæ libertatis. Sed ne vobis parum quòd hactenus fecimus videatur, ad præſtandum vobis aliquod conſolationis remedium, & tollendam de cordibus veſtris ſuſpicionem, corpora ſanctorum, quæ in Eccleſia noſtra requieſcunt, cum feretris ſuper pauimentum deponenda, & ſpinis decreuimus circumdanda, & ante ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti contra prædictos perſecutores veſtros ſingulis diebus humiles proclamabimus, & proſtrati. Et ſi iam dictum Ingelrannum in Eccleſia, vel Ciuitate Remenſi nouerimus eſſe præſentem, ceſſabimus à diuinis.*

Quibus adde litteras Epiſcopi & Canonicorum Eccleſiæ Sueſſionenſis relatu haud indignas.

HVGO *Dei gratiâ Epiſcopus, S. Præpoſitus, G. Decanus, totùmque matris Eccleſiæ Sueſſionenſis Capitulum. Veris venerabilibus, & in Chriſto chariſsimis, Decano, & Capitulo Laudunenſi ſalutem; & pro libertate Eccleſiæ ſtare viriliter, nec deficere in aduerſis. Cùm in huiuſmodi volutabro nullam certam habuerimus manſionem, nec adhuc etiam habeamus, &c. Turbati ſumus ſiquidem & dolemus, quòd Eccleſia tanti nominis, tantæ dignitatis, quæ alijs Eccleſijs in Conſilio & auxilio conſueuerat ſubuenire, & conſolationis vbera porrigere deſolatis, noſtris temporibus iam præſentit præambulos Anti-Chriſti. Vnde ad ſupportandum onus veſtrum, & deſolationem veſtram, immò noſtram, ardenti animo, & feruenti deſiderio, corda & corpora noſtra, vobis vniuerſis & ſingulis exponimus, & res noſtras; rogantes vos cum quanta poſſumus affectione, & ſub fœdere dilectionis & firmitatis inter nos & vos in poſterum conſeruandæ, attentiſsimè requirimus, quatenus intuitu dilectionis mutuæ, & quia ſumus ad inuicem debitores, bona noſtra quæ vobis exponimus tamquam veſtra propria accipiatis confidenter & ſecurè, & eis vti velitis in omnibus tanquam veſtris, & ſi vobis placuerit ad nos diuertere, vobis parati ſumus occurrere, & cum omni honore debito & deuoto in domibus noſtris vos honorificè recipere & liberaliter pertractare.*

Solitos autem fuiſſe Eccleſiaſticos viros à precibus horariis, & à diuino ſacrificio feriari, donec bona dirempta reſtituerentur indigitat Iuo Carnot. Epiſtolâ 121.

Tandem mentis compotem factum Ingelrannum, & ſcelerum pœnitentem, Stephanus Nouiomenſis, & Anſelmus Laudunenſis Epiſcopi, à ſummo Pontifice delegati, criminibus ſoluunt.

Cæterum Adam ſocietatem iniit cum S. Vincentij Cœnobitis anno M. C. LXXXXVI. Librum, cui titulus Ordinarium Eccleſiæ, ſiue Ordo diuini Officii, in quo præſcribuntur quæ ſunt diebus feſtis obſeruanda, conſcripſit.

Ad annum vſque M. CC. XXIII. Decanum egiſſe conſtat ex Cartulario eiuſdem Eccleſiæ.

XIV. GALTERVS *de Chambli*, cuius familia in Epiſcopatu Laudunenſi clariſſima eſt hodiéque. Romam perrexit Reſcriptum inquiſitionis, vt vocant, petiturus aduerſus Epiſcopum Laudunenſem, quod ſucceſſor obtinuit. E vita migrat M. CC. XXIX.

XV. STEPHANVS *de Bria*, Præfatum inquiſitionis Reſcriptum ipſi conceſſit Romanus Pontifex, quo ſententiam Excommunicationis in Decanum & Capitulum prolatam coëgit Epiſcopum reuocare.

De Stephano mentionem facit Carthularium Laudunenſe ab anno M. CC. XXX. vſque ad M. CC. XXXIII. additque: Stephani teſtamenti executor extitit Iacobus de Trecis, dictus

Pentaleon, ſeu de Curtopalatio, Canonicus Laudunenſis, poſtmodum ſummus Pontifex Vrbani IV. nomine.

XVI. GVIDO *de Caſtro Portuenſi. Qui* (verba ſunt Chartularij) *ferè per annum & amplius pro Decano ſe gerere noluit, ideóque ſedebat Capitulum ſuppreſſo nomine Decani.* Sed vbi Decanatum abdicaſſet, in Epiſcopum Sueſſionenſem euȩctus eſt.

XVII. GVIDO *de Triangulo* ex Archidiacono huius Eccleſiæ Decanus, anno M.CC.XXXIV. menſe Maïo, *Sic enim eo tempore prædictus Guido de Caſtro Portuenſi renunciauit Decanatui, & fuit in Decanum electus Dominus Guido de Triangulo*: Chartularium ſæpe productum. Is autem deceſſoris ſecutus exemplum, cùm per annum Decanus ſediſſet, medio in Capitulo ea ſe dignitate depoſuit anno videlicet M. CC. XXXV. Idem Chartularium.

XVIII. ITERVS de Malonido, frater Anſelmi Laudunenſis Antiſtitis, Archidiaconus, communi Canonicorum ſuffragio Decanus eligitur. Iniit ann. M. CC. XXXVI. ad M. CC. XXXVIII. Prodit hæc Chartularium, velut & Itero munia Decanatus obeunte, Iacobus de Trecis (cuius ſupra meminimus) literis, iure potiſſimum Canonico & Theologia apprimè eruditus, Canonicus & Archidiaconus Laudunenſis, Capellaniam in æde ſua Clauſtrali ædificauit & fundauit; cuius conferendæ ius ad Decanum, ſiue ad eum qui diuina officia celebrat, hebdomadarium vulgo vocitatum, attinet. En literarum pericope fundationis.

Vniuerſis præſentes literas inſpecturis, Iterus Decanus, & Capitulum Laudunenſe, in ſalutis auctore ſalutem. Nouerit vniuerſitas veſtra, quòd cùm dilectus Canonicus noſter Dominus Iacobus de Trecis in domo ſua in Clauſtro Laudunenſi, quam à nobis ad vitam ſuam emerat, ædificaſſet de nouo, non modicum ſumptuoſam, nos attendentes, &c. Actum anno Domini M. CC. XXXVII. *menſe Iulio feriâ tertiâ poſt Pentecoſten.*

XIX. GARNERVS Decanus ex Archidiacono Laudunenſi, deinde Epiſcopus eiuſdem Eccleſiæ in locum Anſelmi ſuffectus eſt. Rebus humanis exemptus anno M. CC. XLIX. Primus omnium ſepulturam medio in Choro Cathedralis Eccleſiæ ſortitur; ſiquidem ante hac Epiſcopi in San-Vincentiana Eccleſia (quòd ſupra notatum eſt) funerabantur.

XX. GVILLELMVS Remenſis Archidiaconus Garnero in Epiſcopum allecto, Decanus eſt deſignatus. Subſcripſit literis, an. 1244. Ac demum purpureo galero ab Vrbano Papa IV. donatur 1263.

XXI. HELIAS *de Caturco* vir morum probitate iuxta atque ſcientiis clarus: primùm Canonicus Pariſ. deinde à ſummo Eccleſiæ Hierarcha Decanus Laudunenſis aſſeritur M.CC.LXI. vel M. CC. LXII. Is nihilominus pauco pòſt tempore id muneris Papæ reddidit alteri conferendum, quòd his ex literis bullatis eiuſdem Pontificis perſpectum habetur.

Tu huiuſmodi gratioſè tibi factam à nobis gratiam gratanter recipiens, & paternam quam ad te gerimus beneuolentiam ex hoc pleniùs recognoſcens, prouiſionem huiuſmodi receptaſti, & tandem per tuas literas, expoſitis quibuſdam tuis rationabilibus excuſationibus, ſupplicaſti nobis humiliter, vt excuſationes ipſas admittere, téque à prouiſione exonerare prædicta, & decanatum eumdem conferre alij perſonæ idoneæ curaremus. Nos igitur, &c.

XXII. IOANNES ex Præpoſito Torlatenſi anno M. CC. LXIII. ab Vrbano Papa ſufficitur. Fuit inſignis literaturæ & pietatis in Pariſienſi Academia Theologiæ Profeſſor: quemadmodum Pontifex ille ſignificat:

Perſonam, inquit, *inſignem cum magna ſollicitudine quærentes, quæ virtutum inſignijs decorata, in eadem Eccleſia Laudunenſi per multæ diligentiæ ſtudium multiplicet ornamenta decoris, ad dilectum filium Magiſtrum Ioannem Præpoſitum Torlatenſem Morinenſis Diœceſis, Capellanum noſtrum, tanquam ad virum fama præclarum, & virum, ſicut à fide dignis habemus, probatæ virtutis, & probitatis expertæ, ac Regentem Pariſijs in Theologiæ Facultate, Apoſtolicum conuertimus intuitum, &c.*

Ioanne ex mortali vita ſublato M. CC. LXVIII. ſiue M. CC. LXIX

XXIII. GVILLELMVS *de Matiſcone* locum ipſius ſortitur ad annum circiter M. CC. LXXI. Deinde ad Epiſcopalem Ambianenſis Eccleſiæ ſedem euocatus, in gratiam Laudunenſium anno M. CC. LXXIX. tulit ſententiam: inter cætera habet iſta: *Nos Guillelmus Ambianenſis Epiſcopus, &c. attendentes etiam qualiter eo tempore quo in officio fuimus Decanatus nos vſi pacificè fuimus in prædictis, &c.*

XXIV. IOANNES *Raynaldus* Canonicus Laudunenſis, quem Decanum Gregorius Papa X. declarat ad hunc modum:

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio Magiſtro Ioanni Raynaldo, Capellano noſtro, &c. Hinc eſt quod nos perſonam tuam ob tuorum meritorum prærogatiuam fauore ſpecialis gratiæ proſequentes, Decanatum Eccleſiæ Laudunenſis cum ſuis iuribus, libertatibus, & pertinentijs, per liberam reſignationem dilecti filij Magiſtri Guillelmi de Matiſcone; tunc ipſius Eccleſiæ Decani, in manibus noſtris factam; tibi ipſius Eccleſiæ Canonico de gratia ſpeciali concedimus,*

prouidemus tibi de illo, & te per annulum noſtrum inueſtimus, &c. Datum apud Vrbem veterem, ſecundo Idus Ianua. Pontificatus noſtri anno primo; qui in annum incidit. M. CC LXXI

XXV. STEPHANVS *de Villa Mauri* ſubſcripſit quibuſdam ſchedis M. CC. LXXXX.

XXVI. MILO. De quo hæc habent literæ : *Vniuerſis præſentes literas inſpecturis : Milo Decanus & Capitulum Laudunenſe, ſalutem in Domino : Noueritis quòd cùm nos anno* M CC. LXXXXV. *die Iouis ante Natiuitatem Beati Ioannis Baptiſtæ, horâ Capituli, pulſatâ campanâ, prout moris eſt, eſſemus in noſtro Capitulo generali conſtituti de ſtatûs reformatione noſtræ Laudunenſis Eccleſiæ, &c.*

XXVII. HVGO *de Caſtellione.* Huic Clemens V. Papa tum Pictauij degens priuilegium conceſſit ſui Pontificatus anno ſecundo, quatenus à Laudunenſi Eccleſia ob quædam priuata negotia poſſet abeſſe. Ab anno M. CC. LXXXXVIII. Decanatum geſſit ad annum M. CCC. X.

XXVIII. GARNERIVS ex familia de *Thoulis*, vt conſtat ex inſtrumenti huiuſce verbis: *Anno Domini M. CCC. XII. quarta die menſis Decembris, vir diſcretus Dominus Garnerius de Thoulis Decanus Eccleſiæ Laudunenſis, &c.* A Garnerio obtinet Robertus de Martigniaco, vt ipſa die Paraſceues (quod antea inſolens fuerat) poſſeſſionem iniret, atque in Capitulo admitteretur, anno M. CCC. XIII. exceſsit anno M. CCC. XXII.

XXIX. IOANNES Decanus ad annum M. CCC. XXVI.

XXX. ADAM *de Bugniuilla*, Præfecturam egit ad annum plus minus M. CCC. XXIX.

XXXI. GVIDO. Cùm Decani ipſe munus expleret multæ ſunt lites exortæ, quod Iuriſdictionem in Canonicos, cæteróſque Clericos Laudunenſ. Eccleſiæ, & eorum Miniſtros Albertus de Roya Epiſcopus prætenderet, ſed profuit nihil; quippe ita ius ſuum perpetuò Canonici conſeruarunt, vt prorſus ab Epiſcopi poteſtate hactenus eximantur.

XXXII. DIONYSIVS *de Quadrollis* anno M. CCC. L. Robertum Laudunenſem Epiſcopum inauguratum in ſedem, quò poſſeſsionem adipiſceretur, induxit : habet vetus codex cæremoniarum, *Liber albus* vocitatus.

XXXIII. ADAM *Decola.* In Chorum pariter Gaufridum le Maingre ex Decano Turonenſi Epiſcopum Laudunenſ. deduxit. Vacaſſe Decani ſedem ann. M. CCC. LXX. indicat Chartularium.

XXXIV. STEPHANVS *Leſcaillart.* Ex literis Clementis Papæ VII. Auenione ſcriptis M. CCC. LXXXIX. ſedem occupaſſe apparet. Summus Pontifex iſdem Marcheienſis Parrochiæ redditus, ad inſtaurandam ventis, pluuiiſque infeſtatatam ſacram Baſilicam, Eccleſiæ Laudunenſi conceſſit. Vixit circiter ad an. M. CCC. LXXXXVI.

XXXV. BALDVINVS *de Mepa* M. CCC. LXXXXVII. Regiſtrum Eccleſiæ.

XXXVI. IOANNES *de Choiſiaco* Decanus, necdum ſacris initiatus à Benedicto Papa XIII. creatur. *Quamobrem Capitulum* (vt eſt ſcriptum in eodem Regiſtro) *tertio & pridie Idus Iunij anno Domini M. CCC. LXXXXVIII. ea conditione inueſtiendum cenſuit, vt dum inſtallaretur, & fidem iuramento præſtaret, almutium ſeu armilanſam ipſe non haberet, ſed in manus Buticularij ſiue Syndici dictæ Eccleſiæ deponeret, quo facto eam gratiam à Capitulo impetrauit, vt ſibi dehinc liceret vti huiuſmodi armilanſa, ſic tamen vt illam in brachio deferret, non vero illam* (vt tunc moris erat) *geſtaret in capite. Vt autem hoc ei concederet Capitulum, mouit, quòd præſens non eſſet adfuturus : ipſi enim Curiæ Ducis Burgundiæ adhærenti Pontifex aſſiduitatem Eccleſiæ debitam remiſerat.* Poſt menſes XVIII. Capitulo Decanatum reddidit.

XXXVII. PETRVS *de Bieura* die XXI. Iunij ann. M. CCCC. id muneris obibat adhuc M. CCCCXII.

XXXIX. IOANNES Marteguin annis M. CCCC. XXI. & M. CCCC. XXVI. Decanus exhibetur.

XL. PETRVS *Goudeman.* Sententia decretoria ſummi Senatus Pariſienſis, Petro Decano, de lite inter Epiſcopum Laudunenſem eiuſque Vicarium Epiſcopum Appamiarum, lata eſt in gratiam Capituli, die XIX. Nouembris anni M. CCCC. XLII.

XLI. PETRVS *de Longolio* annis M. CCCC. LIII. & M. CCCC. LV.

XLII. IOANNES *Dixme* permutauit Archidiaconatum Terraſeæ (vulgo Thieraſche) cum Petro de Longolio, anno M. CCCC. LVI. Ex Regis mandato interfuit vnà cum Antonio de Creſpin ſiue Greſpy Epiſcopo Laudunenſi generalibus Galliæ Comitiis in oppido Montargienſi.

XLIII. THOMAS *de Poiſſiaco.* M. CCCC. LX. defungitur M. CCCC. LXIII. decimo ſexto Kal. Februarij.

XLIV. CAROLVS *de Luxemburgo* Canonicus Laudunenſ. vnanimi Canonicorum conſenſu Decanus excipitur die XVII. Ianu. M. CCCC. LXIII. Patrem habuit Carolum de Luxemburgo à S. Paulo Comitem, matrem verò Ioannam de Bar filiam MARIÆ de Couciaco.

Carolus

Carolus de Luxemburgo electione vltimus à Capitulo in Epiſcopum Laudun. aſſumptus eſt. M. CCCC. LXXII.

XLV. GVILLELMVS *de Armire* antea Archidiaconus Ebroicenſis, Decanatum anno M. CCCC. LXXII. à ſede Apoſtolica obtinet, ſed ob varias illum inter & Capitulum controuerſias abeſſe, atque dignitatem abdicare cogitur.

XLVI. STEPHANVS *Marque Guillelmo* abdicante Decanus ex conſenſu Capituli factus, anno M. CCCC. LXXIX. Moritur die quinta Iunij M. CCCC. LXXX.

XLVII. POLYENVS ſiue POLLIVS *Claudet* Regi ab Eleemoſynis, arbitris à Capitulo tribus conſtitutis, præficitur die XXX. Octobris M. CCCC. LXXX. vt eſt in ſubiectis literis. *Nos poſt diuerſos tractatus multiplicium perſonarum, finaliter diuina fauente gratia &c. reducentes ad memoriam literas commendatitias Domini noſtri Francorum Regis pro perſona ſcientifici viri Magiſtri Poly Claudet, in eundem Magiſtrum Poly Claudet direximus concorditer vota noſtra, virum vtique prouidum & diſcretum; literarum ſcientiâ, vitâ, & moribus meritò commendandum; in ſacris Ordinibus & ætate legitima conſtitutum; ac de legitimo matrimonio procreatum; Domini noſtri Francorum Regis Eleemoſynarium; in ſpiritualibus & temporalibus multipliciter circumſpectum.* Canonicus autem minimè cùm eſſet Pollyus, Præbendam ipſi contulit Epiſcopus, ac ſic demum Canonicus eſt acceptus.

XLVIII. IOANNES *Godefridi*, quem, licet alterum à Rege commendatum haberent, forti animo elegerunt Canonici; veluti perhibet Epiſtola eorumdem ad Regem directa anno M. CCCC. LXXXIII. in hunc modum: *Quia Decanatûs Beneficium eſt maximi ponderis, habens curam animarum omnium habituatorum dictæ Eccleſiæ, & etiam dirigere & ſupportare omnia & ſingula onera, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus dictæ Eccleſiæ, ipſi Domini capitulantes dicta die, Altiſſimo fauente, taliter intendunt procedere, & huiuſmodi electionem ſecundum eorum conſcientiam adimplere, quòd præfatus Rex meritò debebit contentari.* Humana reliquit Ioannes menſe Aprili M. CCCC. LXXXXIV.

XLIX. IOANNES *de L'Or* ſecretorum ſuffragiorum viâ Decanatum ſortitur XIX. Iulij M. CCCC. LXXXXV. ad diem XII. Maij M. CCCCC. XVI. quo fatis functus eſt.

L. GAVFRIDVS *de Bonaualle*. Crebris in gratiam ipſius datis ad Capitulum literis cùm à Rege, tum à Duce Vindocinenſi; tum etiam à Cardinali Ludouico Borbonio ea tempeſtate Laudunenſi Epiſcopo, qui tandem Arbiter conſtitutus Decanum Gaufridum declarauit M. D. XVII. die XII. Auguſti. At nomine potiùs quàm re geſſit præfecturam.

LI. VALERANVS *de la Haye* Decanus noſcitur ab anno M. D XXII. ad annum M. D. XXX. ceſſiſſe verò ex tabulis Abbatiæ ſancti Ioannis Laudunenſis conſtare videtur; ſiquidem Ioannes Cardinalis à Lotharingia Remenſis Archiepiſcopus, Vallerannum conſtituens Vicarium generalem dicti Monaſterij (cuius erat ille Abbas Commendatarius) Canonicum ac Theſaurarium Laudunenſis Eccleſiæ duntaxat appellat. Adde & Regeſtum eiuſdem Eccleſiæ quod his ipſis eum titulis notat ab anno M. D. XXXVII. ad M. D. XLII.

LII. CLAVDIVS *Carpentier* M. D. XXXVII.

LIII. PHILIPPVS *Eſmery* ab anno M. D. XLVIII. ad M. D. LIV. Quo cedente

LIV. ANTHONIVS *de Herbes*, Doctor Medicus, in Capitulo admittitur die XXIV. Decembris M. D. LIV. & è vita deceſſit M. D. LVI.

LV. CHRISTOPHORVS *de Hericourt* die XXIV. Iunij M. D. LVI. poſſeſſionem iniuit. Vir fuit nobili genere in Diœceſi Laudunenſi ortus, & ſcientia præditus. Compendiariam Hiſtoriam de Ieſu Chriſti triumpho, Lauduni habito aduerſus Dæmonem mulierculæ Nicolaæ Obriæ Veruinenſis corpus agitantem, conſcripſit. Eandem hiſtoriam Carolo IX. Francorum Regi dedicat. Id autem miraculi contigit. M. D. LXV.

Decanatum primo Archidiaconatu mutauit. Ditiſſimam Bibliothecam Laudunenſi Eccleſiæ contulit, ac tandem migrauit è vita M. D. LXX. & ſepultura donatus in ipſo Chori ingreſſu.

LVI. FIRMINVS *le Normand*, aliàs *de Trouuille* Doctor Theologus; permutatione facta Archidiaconatûs cum Decanatu, in poſſeſſionem inductus eſt M. D. LXIX. Eccleſiæ Canonicus Eccleſiaſtes extitit egregius. Obiit die XIX. Octobris M. D. LXXVIII.

LVII. PETRVS *Emotte* Laudunenſis, Doctoris Theologi titulo inſignitus. Animam egit primo Auguſti M. D. LXXX.

LVIII. IOANNES *Bertrand* Electus XX. die Nouembris M. D. LXXX. munere functus vel annos viginti.

LIX. NICOLAVS *Triplot* inter Doctores huius ſæculi facilè princeps, & Here tiorum

expugnator indefeſſus. Ex Archidiacono Canonicorum omnium calculo in Decanum cooptatus die XXXI. Auguſti M. D. C. ac paulò poſt hac ſe dignitate abdicauit.

LX. DIONYSIVS *Hangart* Canonicus Laudunenſis & Doctor Theologus, Decanatum ſede Epiſcopali vacante ex regio Diplomate adeptus eſt XXVI. Octobris M. DC. I.

LXI. IOANNES *Bellotte* communi totius Capituli ſuffragio & applauſu eligitur die XXXI. Auguſti anni Domini M. DC. V. prodeſſe ſategit magis, quàm laudem ſibi comparare. Prædicatur inter alias virtutes imprimis inculpata ipſius Religio, effuſa in pauperes largitas, atque in Decanatus adminiſtratione prudentia, legum inſuper Eccleſiaſticarum inuiolata cuſtodia, & in diuinis Miniſteriis rituum ad amuſſim obſeruatio. Vnde ea diſciplinæ claritas in Eccleſia Laudunenſi effulſit, vt vix in toto Gallicano Orbe Canonicorum Collegium reperias, quod cum Laudunenſi conferendum videatur. Noſocomium Vrbis inſtaurari, & ad Chriſtianam pietatem poſtliminio reuocari curauit. Annum propè agens octuageſimum generosè vt Cleri immunitates ac priuilegia illæſa permanerent, elaborauit, multóſque labores ea de re eſt perpeſſus. Hæc & alia operantem remuneraturus ad ſe Deus euocauit die VIII. Septembris M. DC. L.

LXII. Antonius *Bellotte*, Ioannis nepos, iuris Pontificij Doctor, Canonicus Laudunenſis, antea Vicarius generalis Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini Philiberti de Brichanteau. Decanatûs in eius humeros, priuſquàm ex hac vita patruus migraret, onus depoſuit (abdicatio interim à ſummo Pontifice confirmatur) ac poſtmodum à Capitulo die XVI. Septembris M. DC. L. eligitur. Vir eſt morum integritate & grauitate præditus, ac patrui virtutum proximè inhærens veſtigiis, necnon & rei Eccleſiaſticæ longè peritus.

Addenda pag. 651. poſt lin. 34.

OMNIA propemodum in hoc volumine contenta è prelo emerſerant, cùm mihi R. P. Dominus Maurus Benetot Monaſterij ſancti Ioannis Laudunenſis ex noſtra Congregatione Prior, vir admodum eruditus, linguæ Sanctæ non ignarus, ſtudioſúſque rei antiquæ, Nomenclaturam Abbatiſſarum & Abbatum ſancti Ioannis Laudunenſ. communicauit. Nempe aduerſaria ipſius ex iis quæ ſuperſunt monumentis ad Hiſtoriam eiuſdem Aſceterij contexendam ordinata, quicquid in concinnata infra & Antiſtarum Nomenclatura, & Archimandritarum Tabula Chronologica retuli, ſubminiſtrarunt.

NONNVLLARVM SANCTI IOANNIS LAVDVNENSIS Abbatiſſarum

NOMENCLATVRA.

PRIMA Abbatiſſa & fundatrix fuit S. *Salaberga* cuius vitam nunc primum euentilamus, reperies in Additamentis pag. 679.

Conditum verò fuit iſtud Monaſterium Deiparæ Virgini ſacrum, pòſt ſancti Ioannis nomine inſignitum, anno æræ Chriſtianæ plus minus D. C. XL.

S. ANSTRVDIS B. Salabergæ filia, ab incunabilis Deo à ſanctiſſima genitrice conſecrata, vix duodennis cùm videret ſe ab illuſtriſſimo ſimul & opulentiſſimo iuuene ad nuptias expeti coniugio, immò & ſæculo renuntians, patriámque deſerens, Laudunum venit, & magno Cleri, ac populi concurſu excepta, & ad Monaſterium deducta Monaſticum habitum ſub religioſa ſanctæ matris diſciplina ſuſcepit. Octo pòſt annis, defuncta matre, in Abbatiſſam electa eſt anno ætatis ſuæ vigeſimo; & annuente Clodouæo ſecundo Francorum Rege, acclamantibus Regionis proceribus vniuerſis, à Peregrino Laudunenſi Epiſcopo poſt impertitam benedictionem inſtituitur. Obiit anno Chriſti circiter D. CC. VII. 17. Octobris: virtutibus & miraculis in vita & poſt mortem clariſſima, Ex vita eiuſdem M. S.

ADALSINDA ſucceſſit beatæ Anſtrudi: de qua fit mentio in eadem S. Anſtrudis vita.

ADELIS: cuius obitus notatur in Necrologio veteri M. S. Sancti Vincentij ad VI. Kalend. Auguſti.

ADELIS ſecunda nominatur in vetuſtiſsimo codice literis Gothicis exarato, qui Pſalterium ſanctæ Salabergæ nuncupatur, in quo, recentiore tamen caractere, catalogum ornamentorum Eccleſiæ, coram prædicta Abbatiſſa poſt obitum Walburgis Theſaurariæ recenſitorum, cernere eſt.

OGINA Regina vxor Caroli III. cognomento Simplicis. Et hæc erat sacrilega sæculi huius consuetudo, quæ ab anno DCCC. XLV. in Galliam irrepserat: nempe Reges prout collibebat Aulæ asseclis, immò & suis vxoribus sæpesæpiùs conferebant Abbatiarum possessiones. Videndi Lupus Ferrariensis Epist. 22. & 42. Chopin. lib. 3. cap. 8. de Domanio Franciæ; Vbi de Ogina vxore Caroli III. & Gerberga vxore Ludouici IV. hæc habet: *Legimus corrupti illius sæculi labe profanis tradita Monasteria Carolo simplici Rege, vt vix vmquam Cæsar Commodus incommodiùs, quam simplex iste simpliciùs Reipublicæ statum labefactauit. Qui Caroli filius Ludouicus? Ademit hic Oginæ Augustæ Cœnobium Laudunense Deiparæ virgini sacrum, quòd Carolo marito defuncto superinduxisset Herbertum Viromanduum illius parricidam. Eodem deinde Cœnobio Ludouicus Gerbergam Augustam coniugem donauit.*

Mansit autem Ogina in Cœnobio Laudunensi ad annum D. CCCC. LI.

GERBERGA Regina vxor Ludouici IV. cognomento Transmarini, Monasterium, eodem quo Regina Ogina modo vsurpauit.

Abbatissæ cuiusdam sancti Ioannis Laudunensis, suppresso nomine, meminit Alexander Papa 2. Epistol. 12. his verbis: *Proclamatio delata est, quòd Abbatissa Laudunensis Monasterij sancti Ioannis sine Canonica audientia, & iudicio Episcopi sui à regimine suo eijciatur, &c. Admonuimus confratrem nostrum Elinandum Episcopum Laudunens. vt hanc causam diligenter discutiat atque canonicè definiat: ita tamen vt eadem Abbatissa, priusquam discussio fiat, regimini suo, sicut sacri Canones præcipiunt, restituatur, &c.*

RAINSENDIS Abbatissa tempore Guadrici Episcopi Laudunensis, hoc est anno M. C. XII. de qua Guibertus lib. 3 de vita sua cap. 14. *Solertissimam fœminarum Abbatissam sancti Ioannis, genere clarissimam, Ecclesiæ prouectricem, nomine Rainsendis, Laudunensem indigenam suus seruus occidit: quòdque passa est, pro Ecclesiæ fide consustinuit.*

ADELIS anno circiter M. C. XIII. Huius commeminit Chartularium Monasterij sancti Theodorici prope Remos; in concessione nimirum cuiusdam terræ suo & Capituli nomine præfato Cœnobio factâ.

ADELAIS Regina, Ludouici VI. vxor, non equidem Abbatissæ titulo, sed vxoriæ dotis iure Abbatiam possedit. Quod nefandi commercij genus hac ipsa ætate in more positum erat, vt dotem vxorum Reges in Monasteriis collocarent. Patet id potissimum ex Conuentu illo, de quo infra, Attrebatensi celeberrimo.

Hactenus de Laudunensis sancti Ioannis Monasterij Abbatissis: quippe illo in incendio vrbis (quod Guibertus libr. 3. de vita sua prolixiùs exhibet) omnia antiquitatis monumenta periêre.

Haudquaquam tamen est obmittendum quod consignauit Auctor anonymus, sed Canonicus Laudunensis in Chronico nondum excuso: *Anno*, inquit, *Domini M. XCV. Elinandus Episcopus* (Laudunens.) *Ecclesiam sancti Ioannis in Burgo, quondam Abbatiam Monialium, ad vnius Sacerdotis administrationem reductam, præbendis duodecim insigniuit.* Hæc nos superiùs pag. 641. retulimus.

MONIALIBVS AMANDATIS E MONASTERIO sancti Ioannis, Monachi surrogantur.

QVID causæ Bartholomæum Laudunensem Episcopum quatenus Nonnas expelleret, Monachósque sufficeret, induxerit, animaduertes tam ex Hermanno Monacho lib. 3. cap. 22. & 23. tum etiam ex subiectis Chartis tabularij sancti Ioannis Laudunensis. Etenim in Comitiis Prouinciæ Remensis Attrebati VI. Idus Maij. anno M. C. XXVIII. habitis, ab vniuersis Præsulibus, Rege volente, decretum est, vt Monachi Cœnobium sanct Ioannis, priùs eiectis Monialibus, occuparent. Quo statuto, ab Mathæo Albanensi Episcopo Cardinali, Sedis Apostolicæ in Gallia Legato, tum, hoc est eodem anno in Conuentu Remensi, ac paulò pòst à Summo Ecclesiæ Hierarcha Innocentio 2. confirmato, Nonnæ an. M. C. XXVIII. apud Crandelani-villam vitæ residuum transacturæ ablegantur.

LVDOVICI VI. FRANCORVM REGIS DIPLOMA.

IN NOMINE *sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Ego* LVDOVICVS *Dei misericordia in Regem Francorum sublimatus. Notum fieri volo cunctis fidelibus, tam futuris quàm*

inſtantibus, quòd in Conuentu quem fidelis noſter RAINALDVS *ſecundus Venerabilis Remorum Archiepiſcopus, Attrebati cum vniuerſis ſuffraganeis ſuis Epiſcopis, & Abbatibus VI. Idus Maij tenuit, vbi & nos præſentes aderamus; ipſe &* BARTHOLOMÆVS *Venerandus Laudunenſis Epiſcopus humiliter nos conuenerunt, cum multa precum inſtantia poſtulantes, vt Laudunenſem Beatæ* MARIÆ, *& Beati* Ioannis *Eccleſiam, quæ Regalis Abbatia eſt, quia* Sanctimoniales, *quæ ibi ab antiquo fuerant, nimis indignè & enormiter ſe habebant, ad meliorem religionis ſtatum duci, & Monachos ibidem ſubſtitui concederemus; quam profectò petitionem rationabilem & vtilem cognoſcentes, voluntati eorum, & conſilio aſſenſum dedimus, & in prædicta Eccleſia Abbatem & Monachos ſubſtitui & haberi in perpetuum, ſaluo ibi in omnibus iure Regio, & Adelaidis Reginæ vxoris noſtræ dotalitio, benignè quidem conceſſimus, ita ſi quidem quod ſubiectionem illam, quam cæteræ Abbatiæ noſtræ, quæ in Epiſcopatu Laudunenſi ſunt, Laudunenſi* Epiſcopo *debent & exhibent, Abbatia illa eidem* Epiſcopo *ſine aliquo iuris Regij detrimento debeat & exhibeat: quod ne valeat obliuione deleri ſcripto commendauimus, & ne poſſit à poſteris infirmari, ſigilli noſtri authoritate & nominis charactere ſubterfirmauimus. Actum Attrebati publicè anno Incarnati Verbi M.C. XXVIII. Regni noſtri XX. Aſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſubſtituta ſunt & Signa.*

Signum LVDOVICI Buticularij. S. HVGONIS Conſtabularij. S. ALBERICI *Camerarij, Dapifero nullo, data per manum Simonis Cancellarij. Siguum* RAINALDI *Remenſium Archiepiſcopi.* S. IOSLENI *Sueſſionenſis Epiſcopi.* S. BARTHOLOMEI *Laudunenſis Epiſcopi.* S. SIMONIS *Nouiomenſis & Tornacenſis Epiſcopi.* S. IOANNIS *Morinenſis Epiſcopi.* S. GARINI *Ambianenſis Epiſcopi* S. ROBERTI *Attrebatenſis Epiſcopi.* S. CLAREMBALDI *Syluanectenſis Epiſcopi.* S. PETRI *Beluacenſis Epiſcopi.*

DECRETVM MATTHÆI ALBANENSIS EPISCOPI, & S. A. Legati.

MATTHÆVS *Dei gratià Albanenſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, Vniuerſis fidelibus ſalutem. Quod in Conuentu Attrebatenſi, ſancto Spiritu cooperante, à venerabilibus fratribus* RAINAVDO *Remenſi Archiepiſcopo,* BARTHOLOMÆO *Laudunenſi,* GOSLENO *Sueſſionenſi, cæteriſque illius Diœceſis Epiſcopis, & Abbatibus, alijſque Religioſis perſonis de expulſione Monialium in Eccleſia ſanctæ* MARIÆ *ſanctique* IOANNIS *Laudunenſis minus honeſtè viuentium, & de ſubſtitutione Abbatis & Monachorum, ibidem Deo religioſè ſeruientium, conſtitutum eſt, Ludouico Rege Francorum præſente annuente, & ſuo præcepto firmante: Nos in Remenſi Conuentu, conſilio & petitione Venerabilium fratrum Remenſis, Senonenſis Archiepiſcoporum, Laudunenſis, Sueſſionenſis, Pariſienſis, Meldenſis, Trecenſis, Epiſcoporum, atque Abbatum plurimorum, aliarúmque religioſarum perſonarum, comprobauimus, & ſedis* Apoſtolicæ *authoritate & munimine in perpetuum confirmauimus.*

INNOCENTII SECVNDI PAPÆ Litteræ Bullatæ.

I*NNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio* DROGONI Abb*ati Monaſterij Sanctæ* MARIÆ *ſanctique Ioannis Baptiſtæ in Laudunenſi Ciuitate, eiuſque fratribus, ſalutem &* A*poſtolicam benedictionem. Ad hoc nobis à Domino Paſtoralis Officij cura commiſſa eſt, vt & beneplacentem Deo Religionem laboremus ſtatuere, & ſtabilitatem exactâ diligentia conſeruare: venerabiles ſiquidem fratres noſtri* RAINALDVS *Remorum* A*rchiepiſcopus, &* BARTHOLOMÆVS *Laudunenſis Epiſcopus conſilio fratrum noſtrorum* GOSLENI *Sueſſionenſis,* SIMONIS *Nouiomenſis,* PETRI *Beluacenſis,* ROBERTI *Attrebatenſis Epiſcoporum, interuentu etiam clariſſimi filij noſtri* LVDOVICI *Regis Francorum, in prænominato beatæ* MARIÆ *ſanctique Ioannis Monaſterio, vbi quædam mulieres ſub Monialium nomine prauam & inhoneſtam vitam ducebant, Monachos religioſos vtique viros ſubſtituerunt, & te, dilecte in Domino fili* DROGO, A*bbatem eidem Conuentui præfecerunt. Quod ergo ab eis pro ſtatuenda & reformanda Religione de præfato Monaſterio factum eſt, nos authoritate* A*poſtolica confirmamus, & firmum volumus futuris perpetuò temporibus permanere. Decernimus igitur, vt quæcunque præfatum Monaſterium inpræſentiarum iuſtè & legitimè poſſidet, vel in futurum, præſtante Domino, rationabiliter poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis, & illibata permaneant.* Si *quis autem huic noſtræ confirmationi ſciens temerario auſu contraire tentauerit, indignationem beatorum Petri & Pauli, & noſtram ſe nouerit incurſurum. Datum apud Rohannam* II. *non. Nouemb.*

Anno proximè subsequenti Venerabilis Bartholomæus Laudunensis Episcopus, quam ex Monachorum subrogatione in sancti Ioannis Asceterio lætitiam conceperit, non potuit scriptis non consignare. Assertas autem vult iis ipsis Cœnobitis possessiones eiusdem Monasterij hac forma.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Bartholomæus Dei gratiâ sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Minister indignus. Quia largiente Domino in ouilis Dominici cura, licet indigni, laboremus, dum ex iniuncti nobis officij occasione ad secularium hominum negotia rapiamur, si pedes nostros terreni actus puluere attactos, & in sæculi lubrico titubantes ad plenum firmare & emundare mimimè præualemus, deuotæ charitatis obsequijs eorum suffragia promereri satagamus, qui in beata sponsæ ipsius sorte censentur, qui lotis pedibus, & tunicâ expoliatâ, in lectulo quietis internæ cum sponso cœlesti ineffabili iocunditate perfruuntur. Quanto enim maiore labantium rerum contemptu curam corporis abiecerunt, & deplorata pristinarum enormitate culparum, compressisque ingruentium tumultibus cogitationum, defecatâ & purâ conscientiâ ad sola superna se surrigunt, eo gratius in eis diuinæ Maiestati exhiberi credimus obsequium, si ab iis qui cùm ad Rachelis desiderabile consortium necdum pertingere possunt, laboriosam cum Lya tolerantur seruitutem ad vsum vitæ labilis, eorum profectus augeatur, quominus terreni stipendij defectu tentati sanctæ contemplationis otium interrumpere compellantur.

Notum igitur esse volumus, tam præsentibus quàm futuris, quia cum diuinæ misericordiæ respectus Laudunensem Abbatiam B. MARIÆ, *sanctique Ioannis Baptistæ, visitasset, ita vt eliminato irreligiosarum fœminarum grege, quæ vitæ suæ incorrigibili enormitate, & locum infamauerant, & plurimis aut periculosæ offensionis, aut perditionis causa fuerant, religiosus inibi Monachorum Ordo institueretur: de loci illius emendatione diuinæ dispositioni congratulantes, quanto potuimus fauore beneuolum assensum præbuimus, atque religiosorum virorum interuentibus aliquod & in vita imperfectioni nostræ patrocinium comparare quærentes, & post mortem, perpetuam animæ nostræ memoriam ibi firmare cupientes, quæ à nobis petierunt gratanter annuimus; & quæ ex antiquo Prædecessorum nostrorum dono locus ille vetustissimâ iam olim possessione tenuerat, nostrâ quoque manu eis firmauimus; ne quis fortè, quia hæc in Monasterio illo Ordinis mutatio facta est, possessionibus eorum aliquid calumniæ inferre moliatur. Hanc autem nostræ sanctionis schedulam testium subscriptione, & sigilli nostri impressione roborari præcepimus; & ne quis eam in posterum aliquatenus infirmare, vel aliquam ei calumniam inferre præsumat, sub anathemate interdiximus.*

S. BARTHOLOMÆI *Episcopi qui hoc priuilegium fieri iussit. S.* WIDONIS *Decani. S.* LETOVDI *Archidiaconi. S.* BLIHARDI *Cantoris. S.* HVBERTI *Sacerdotis. S.* ALBERICI *Sacerdotis. S.* BENEDICTI *Sacerdotis. S.* ROBERTI *Sacerdotis. S.* IOANNIS *Diaconi. S.* PETRI *Diaconi. S.* IOSCELINI *Diaconi. S.* ROGERI *Diaconi. S.* ARNVLPHI *Subdiaconi. S.* MILONIS *Subdiaconi. S.* EBALI *Subdiaconi.* S. ROBERTI *Subdiaconi.*

Actum Laudun. anno Dominicæ Incarnat. M. C. XXIX. *Indict.* VIII. *Epacta* IX. *Conc.* I. *anno Regni Domini* LVDOVICI XXI. *filiique eius Philippi anno* I. *Episcopatus autem Domini Bartholomæi anno* XVII.

Ego RADVLPHVS *sanctæ* MARIÆ *Cancellarius relegi.*

ABBATVM MONASTERII SANCTI IOANNIS Laudunensis, Tabula Chronologica.

I. DROGO ex Priore Cœnobij sancti Nicasij Remensis primus Abbas sancti Ioannis à Bartholomæo Laudunensi Præsule constituitur, anno Domini 1128. 17. Kalend. Iunij. Rexit Abbatiam vsque ad annum 1136. quo Romam ab Innocentio II. Summo Pontifice euocatus, Episcopus Cardinalis Ostiensis creatus est. Porrò esse hallucinatos Ciaconium lib. de vitis Pontificum; & Ferdinandum Vghellum in Italia sacra, priorem anno reparatæ Salutis 1133. Drogonem ea dignitate donatum Romæ; posteriorem verò 1134. asserentem. Planum quippe fit ex tabulario sancti Ioannis Drogonem Abbatis titulo literis subscripsisse an. 1136.

Gesta Drogonis percurrit Hermannus vbi supra cap. 22. Auctor Append. editæ ad Sigibertum anno 1128. & 1138. *Obijt Drogo bonæ memoriæ Ostiensis Episcopus vir religione ac sapientia clarus.*

Scripsit Sermonem de Passione Domini; extat in Bibliotheca Patrum.

Soliloquia quoque edidisse notatur in Bibliotheca Belgica MS.

II. BALDVINVS ex Præposito Abbas eligitur: de quo Hermannus loco citato cap 23. literas anno M. C. XLVII. obsignasse indicant antiquæ membranæ.

III. ROGERVS antea ſancti Medardi Sueſſionenſis Prior M.C.LIII.
IV. BRVNO ad annum M.C.LX.
V. INGELRANNVS ex Abbate B. Mariæ de Nouingento. M.C.LX. & M.C.LXIV.
VI. SIMON vix anno euoluto ceſſit è vita.
VII. RADVLPHVS M.C.LXIV. M.C.LXV.
VIII. INGELRANNVS II. an. M.C.LXV. M.C.LXXXII.
IX. BALDVINVS II. primùm ſancti ſepulchri Cameracenſis, pòſt ſancti Ioannis Laudun. anno M.C.LXXXIX: & M.C.LXXXXIII. ac tandem Abbas B. MARIÆ Signiaci Ordinis Ciſterctienſis in Diœceſi Remenſi.
X. NICOLAVS M.C.LXCVI. M.C.LXCVIII.
XI. EBALVS priùs ſancti Theodorici Aſceta M.CC. M.CC.I.
XII. HVGO Monachus S. Remigij Remenſis in patrem eum aſſumunt S. Ioannis Cœnobitæ.
XIII. RENERVS ex Præpoſito ſancti Ioannis præficitur. M.CC.X. M.CC.XIV.
XIV. ROBERTVS Præpoſitus antea S. Theodorici prope Remos M.CC.XV. M.CC.XXXV.
XV. PETRVS M.CC.XL. Hoc Abbate anno M.CC.XLVII. in vigilia ſancti Ioannis Baptiſtæ tranſlatum eſt corpus B. Anſtrudis virginis, ſecundæ huiuſce Monaſterii Abbatiſſæ, à Garnero Laudun. Epiſcopo, è capſula lignea in elegantiorem, in qua hactenus aſſeruatur.
XVI. HVGO II. M.CC.L. M.CC.LXXVII.
XVII. STEPHANVS. M.CC.LXXXVI.
XVIII. PETRVS II. M.CC.IC.
XIX. GARNERVS.
XX. ÆGIDIVS *de Dyſiaco.*
XXI. PETRVS III. de Courpalayo, *de Courpalais*, ex Monacho ſancti Martini Pariſienſis Abbas ſancti Ioannis Laudunenſis, poſtmodum ſancti Germani Pratenſis M.CCC.III. Obiit M.CCC.XXXIV. Petrum laude proſequitur noſter Iacobus du Breüil in Chronico nondum edito ſancti Germani à Pratis: *Petrus de Corpoleyo*, inquit, *Abbas huius Monaſterij locum ſepulturæ in Choro Templi prope Morardum Abbatem habuit: qui vario lapide obtectus plurimas eius laudes recenſet, ſcilicet, quòd fuerit conſilio certus, omni bonitate refertus, pauperibus largus circumſpectus velut Argus: quem Clerus charum, Rex, plebs, habuit, Monachique: in vultu clarum, ſobrium, corpore mundum. Cætera vetuſtate attritùque pedum deleta legi nequeunt. In fine tamen præſcriptio temporis præclarè apparet, ſic: Traxit Aprilis eum ter Nonas M. C. ter, X. ter, I. quater.* Nunc verò lapis ille ſepulchralis viſitur ante maius Altare ſub cancellis.
XXII. PETRVS IV. *de Moy.* His temporibus Stephanus de Suiſyaco, *Saiſy*, villa in agro Laudunenſi (quæ Monaſterij ſancti Ioannis iuri ſubiacet) Archidiaconus Burgenſis, ſiue vt alij Brugenſis (non Bituricenſis vt habet Ciaconius) deinde Franciæ Cancellarius, ac demum S. R. E. Cardinalis Tituli ſancti Cyriaci in Thermis; anno circiter M.CCC.X. ſacellum Beatæ Virginis & ſancti Stephani Protomartyris, elargitis quibuſdam reditibus, excitauit. Fundauit & inibi anniuerſarium ſui Obitus diem. Denaſcitur Viennæ (Ciaconius Auenione) M.CCC.XI. menſe Decembri in Eccleſia ſancti Ioannis marmoreo tumulo ſepultus; cui ſculptum eſt eiuſcemodi Epitaphium.

De Suiſi natus Stephanus iacet hùc tumulatus:
Qui ſe geßit ita viuendo, quòd Archileuita
Burgenſis pridem, mox Cancellarius idem
Aulæ regalis fuit; exhinc Cárquedinalis
M. Semel & C. ter. V. bis, Semel I. nece teter
Factus deceßit Decembri; cui requies ſit.

XXIII. ÆGIDIVS *de Platea.* M.CCC.XXXIII. M.CCC.LII. hic anno M.CCC.XLII. reditus nonnullos gratiâ feſtiuitatis S. Flocelli pueri Martyris Auguſtodun. die 17. Septembris celebrandæ attribuit.
XXIV. GERARDVS per abdicationem Ægidij M.CCC.LIII.
XXV. IOANNES. In charta Hugo proximè ſubſequens Abbas, Ioannis & Gerardi deceſſorum ſuorum meminit: obteſtatur videlicet fideles quatenus ad Deum preces pro animabus eorum emittant.
XXVI. HVGO III. *de Caſtillione.* M.CCC.LXXXV. anno M.CCCC.III. Abbas cooptatur Belliloci. Andreas du Cheſne Hiſt. eiuſdem familiæ, pag. 559.
XXVII. CHATARDVS M.CCCC.VII.
XXXVIII. IOANNES *Iacquinot*, vulgò *La Codaſſe* vocitatus, M.CCCC.XXXVI. M.CCCC.LVI.
XXIX. IACOBVS *Botin*, M.CCCC.LXI. M.CCCC.LXIII. Eum abdicatâ Abbatiâ Pius II. Pontifex maximus Epiſcopum Hierapolitanum inaugurat.

XXX. Antonivs *Crespin* primùm Episcopus Laudunensis, tum Archiepiscopus Narbonensis M. CCCC. LX. ex traditione Iacobi ab eodem summo Pontifice Abbatiam obtinet in Commendam anno M. CCCC. LXIV.

XXXI. Ioannes *Aubinet* ex gremio Monachorum eligitur in Abbatem. Primus Abbatum sancti Ioannis, insignia Pontificalia à Sixto Papa IV. est adeptus anno M. CCCC. LXXXII. Desiit mense Septembri M. CCCC. LXXXXI.

XXXII. Carolvs *de Luxemburgo*. Hunc postremum sortitò ex Episcopis Laudunensibus Capitulum accipit anno M. CCCC. LXXII. post Ioannis Aubinet funera fit Abbas Commendatarius. Moritur M. D. IX.

XXXIII. Ioannes *Moynet*, M. D. X. vltimus Abbas Monasticen Professus defungitur M. D. XX.

ABBATES COMMENDATARII.

XXXIV. *Matthæus l'Euesque* dictus *de Marconnay*, natione Pictauensis, Episcopus Troiæ magnæ; possessionem iniit M. D. XX. Abbas simul S. Nicolai Ribodimontensis, & S. Michaëlis in Therascea.

XXXV. Ioannes à Lotharingia Renati Lotharingiæ Ducis, & Philippæ Gueldriæ filius, possessionem per Valerannum de la Haye Canonicum ac Thesaurarium Laudun. hac in re illius Procuratorem, adeptus est anno M. D. XXXIII. ad M. D. XXXV.

XXXVI. Petrvs *Cauchon* seu *de Maupas* M. D. XXXV. & anno M. D. LXVI. Abbatiam Claudio germano tradit.

XXXVII. Clavdivs *Cauchon*, Petri frater, simul Abbas S. Dionysij Remensis M. D. LXVI. *Claudio* è viuis sublato, Matthæus Brice œconomus instituitur.

XXXVIII. Stephanvs *Penet* Presbyter Religiosus M. D. CI. Matthæus tamen œconomus non destitit curam gerere Monasterij.

XXXIX. Ioannes *Aubert* Doctor Theologus M. DC. VIII. defunctus Parisiis anno M. DC. XXVI. in Ecclesia sancti Landerici funeratur.

XL. Gabriel *Albaspinæus* Aurelianorum Episcopus, qui generis claritudinem infulis sublimauit, exornauit infularum dignitatem sacrorum canonum, & antiquioris Theologiæ studiis, scriptisque illustrauit. Abbatiam S. Ioannis consecutus est circiter M. DC. XXVII. & anno M. DC. XXIX. exuitur mortalitate.

XLI. Carolvs *Albaspinæus* Gabrielis frater, Marchio de Chasteauneuf, Regiis sigillis Præfectus &c. Abbas pariter S. Eligij Nouiomensis, de Pratellis, & Nigri-lacus: Vir est multis integræ ac strenuæ vitæ, rerùmque præclarè gestarum laudibus insignis. Egregiam nauauit operam vt collapsam in præfatis Monasteriis S. Eligij, Pratellensis, Regulæ Benedictinæ obseruantiam, prout in Congregatione S. Mauri vigere dignoscitur, restitueret, propagaretque: cuius rei gratiâ ad S. Ioannis Laudunense Cœnobium euocatos ab eo Patres Benedictinos illius Congregationis illustrissimus Philibertus de Brichanteau Laudun. Antistes, celebratis Pontificali ritu Missarum solemniis, excepit Calendis Ianuarij An. reparatæ salutis M. DC. XLVIII.

DE MONASTERIO S. MARTINI LAVDVNENSIS, ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

TAbulæ donationis Ecclesiæ S. Martini Laudunensis Ordini Præmonstratensi à Bartholomæo Episcopo actæ, mihi nequaquam sunt prætermittendæ: siquidem Hermanus libros tres de Miraculis beatæ MARIÆ, Laudun. de composito edidit, quatenus præclaram virtute, & sanctitate Præsulis illius vitam consignaret posteritati: iisdem ego pariter ipse rationibus allectus, quicquid præfato Pontifici splendorem afferret, si nostris Obseruationibus insererem ratus fore non iniucundum.

Sed verò quòd seriùs Tabulas illas acceperim, putà extremam manum Typographi cùm imponerent Additamentis, eas in calce compellor exhibere. Subsequetur Syllabus Abbatum, illustriumque virorum Indiculus. Atque hæc omnia scriptis indicauit & ad me transmisit Iacobus Bourgeois non exiguæ eruditionis Bacchalaureus Theologus, & Prior eiusdem Monasterij.

PRIVILEGIVM BARTHOLOMÆI EPISCOPI Laudunensis, de Ordinatione domus S. Martini.

IN NOMINE sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego BARTHOLOMÆVS *Dei gratia sanctæ Laudunensis Ecclesiæ minister indignus. Quia ex iniuncti Officij necessitudine, cui authore Deo deseruimus, Ecclesiæ, quam gubernandam suscepimus, debito curæ pastoralis obligamur, ne qua membrorum suorum parte laboret solerter inuigilare, bene cœpta in melius prouehere: & si qua fortè inconsultiùs acta fuerint, Domino opitulante, pro facultatis & peritiæ nostræ modulo, corrigere debemus. Notum igitur esse volumus tam præsentibus quàm futuris, quia cùm in Ecclesia sancti* MARTINI *de suburbio Laudunensi, quæ prius secularium Clericorum, quidam fratres nostris temporibus ad regulariter viuendum se transtulissent, atque, aliquandiu inibi commorantes de die in diem, peccatis exigentibus, imperitià ac negligentià exteriores possessiones magis, magisque descrerent: neque interius, vel numero, vel religione proficerent, nouissimè anxij, & de loci illius deiectione solliciti, ex consilij nostri Decreto in hanc sententiam declinauimus, vt fratris* NORBERTI, *qui in Vosagij sylua apud Præmonstratum locum, cum magna famulorum Dei manu, sub canonica professione Eremiticam vitam constituerat, curæ & dispositioni Ecclesiam illam committeremus: qui cum precibus nostris acquieuisset, sancitum est, vt sicut ille locus ab antiquo in manu prædecessorum nostrorum extiterat, ita & nunc in nostra successorúmque nostrorum remaneat, fratrésque qui ad eum pro salute animarum pia deuotione conuenient, ordinato sibi Abbate secundum Regulam beati Augustini ad tenorem Præmonstrati loci Canonicè viuant. Quòd si fortè Abbas beati Martini, instigante Diabolo, à Regulæ suæ tramite deuiauerit, Conuentúsque ab Episcopo Laudunensi atque Præmonstrati loci Abbate, in præsentia Laudunensis Ecclesiæ, in pertinacia & auersione sua permanserit, conuocatis eiusdem Religionis Coabbatibus apud Præmonstratum de Regulæ suæ executione sub eorum testificatione discutiatur, atque corripiatur. Si verò in malo suo obstinatus, & sicut confutatus incorrigibilis apparuerit, absque vlla retractione ab eisdem Abbatibus secundum Religionis suæ institutionem deponatur, aliúsque idoneus, eorum communi consilio & electione, in locum eius e vestigio subrogetur, & ab Episcopo Laudunensi ordinetur.*

Signum BARTHOLOMÆI *Laudunensis Episcopi.* S. WIDONIS *Decani & Archidiaconi. S.* RADVLFI *Archidiaconi. S.* SEIFRIDI *Abbatis sancti Vincentij.* S. SIMONIS *Abbatis sancti Nicolai de sylua. S.* BERNARDI *Abbatis Clareuallis. S.* RAINALDI *Abbatis Fusniacensis.* S. BLEHARDI *Cantoris.* S. DROGONIS *Presbyteri.* S. EBALI *Subdiaconi.* S. VVIDONIS *Subdiaconi.* S. ROBERTI *Acolyti.* S. ROBERTI *Decani sancti Ioannis.* S. GAVFRIDI Cantoris. S. HAIMONIS Thesaurarij. S. HENRICI. S. GVNTRANNI. S. HVGONIS. S. CLAREMBALDI *de foro.* S. NICOLAI *Castellani.*

Anno Incarnat. Dominicæ M. C. XXIV. Indict. XII. Epact. XX.

SYLLABVS ABBATVM S. MARTINI Laudunensis.

I. GALTERVS primus Abbas in Episcopum Laudunensem est assumptus. Obiit M. C. LIII. atque in Præmonstratensi Ecclesia sepelitur.
II. GARINVS Britto ab anno M. C. XLIX. ad M. C. LXX.
III. BARTHOLOMÆVS de Mons. M. C. LXX. M. C. LXXIX.
IV. GALTERVS Testart. M. C. LXXX. M. C. LXXXII. M. C. LXXXV.
V. TICELINVS, vel Thiscilinus nepos primi Galteri M. C. LXXXVI. M. C. LXXXIX.
VI. Vvido, vel Guido de Spernaco. M. C. LXXXIX. M. C. XC. M. C. XCI.
VII. ÆGIDIVS de Marsi M. C. XCV.
VIII. OILARDVS de Domno-Martino. M. C. XCV. M. CC. IV.
IX. VVILBERTVS Branensis. M. CC. IV. M. CC. VII.
X. RENALDVS de Ribemonte. M. CC. IX. M. CC. X.
XI. Vvalterus de Regia valle. M. CC. XII. M. CC. XXVIII.
XII. HVGO.
XIII. IOANNES de Saisinqurte. M. CC. XLIII.
XIV. GALTERVS de Duaco. M. CC. XLIII.
XV. IOANNES quondam Abbas Clarifontis.
XVI. IOANNES de Betunia.
XVII. GERARDVS de Festieux. M. CC. XLVIII. M. CC. LIV.
XVIII. IOANNES de Reneuille.
XIX. IOANNES de Burceïo. M. CC. LXI.
XX. PETRVS de Petrigny M. CC. LXI. M. CC. LXVII.
XXI. VVILLELMVS de Marla.
XXII. IOANNES Destrés M. CC. LXIX. M. CC. LXXXVI.
XXIII. MILO de Curigni M. CCC. M. CCC. XI.
XXIV. IOANNES de Castellione. Hic anno M. CCC. XXXIII. electus Abbas Præmonstratensis; hoc munere decennio præclarè functus obiit annò M. CCC. XLIII. 17. Kal. Maij. ibidem sepultus ante maius Altare. Necrologium S. Martini.
XXV. IOANNES de Brueriis M. CCC. XL.
XXVI. IOANNES de Malbodio. M. CCC. XLVII. M. CCC. XLVIII.
XXVII. BERTRANDVS de Roseto M. CCC. LXVIII.
XXVIII. IOANNES Benedictus. M. CCC. XCII. M. CCCCIV.
XXIX. IOANNES Vairetus M. CCCC. XV. M. CCCC. XXX.
XXX. BALDVINVS Branensis.
XXXI. PETRVS de Ponte M. CCCC. XLVII. M. CCCC. LXI.
XXXII. IACOBVS le Noir. M. CCCC. LXXX.
XXXIII. IOANNES Poulallier.
XXIV. IOANNES Buquet M. D. XXIV. M. D. XXVI.
XXXV. ADRIANVS Pelletier M. D. XXVII. M. D. XXIX.
XXXVI. AMATVS de Fonte M. D. XXX. M. D. XLV.
XXXVII. CAROLVS Cardinalis à Lotharingia. M. D. XLVIII.
XXXVIII. ANTHONIVS Viscontinus. M. D. LXV. M. D. LXXXVIII.
XXXIX. CLAVDIVS Basin.
XL. NICOLAVS le Saige M. DC. XV. obijt M. DC. XLV. 13. April.
XLI. IVLIVS Mazarini Cardinalis M. DC. XLV.

Cæterum numericas annorum notas, prout in chartis, Mortuologiis perhibetur, apposuimus,

ILLVSTRIVM QVORVNDAM S. MARTINI Laudunens. Canonicorum

INDICVLVS.

GALTERVM de Mauritania ex Decano Episcopum Laudunensem, pòst Canonicum sancti Martini extitisse subinferre videtur Necrologium ipsius Ecclesiæ: *II. Idus Iulij obiit Dominus Galterus de Mauritania huius Ecclesiæ Canonicus quondam Episcopus Laudunensis &c.* In eadem san-Martiniana Ecclesia hoc Epitaphio donatur:

Hic tego Galterum, quod detego, mutâque petra
Præſulis acta loquor, pro lingua ſunt mihi metra.
Conſilio, monitis, virtutibus, hoc modo vitæ
Rexit, correxit, erexit oues & ouile.
Inſuit huic pietas, ſale ſed condita rigoris,
Torpida ne fieret virtus & egena ſaporis.
Abſtulit hunc mundo diuiſio Diſcipulorum.
Viuat in æternum meritis adiutus eorum.

GODESCALCVS. Canonicus ſancti Martini Laudunenſis, tum Montis ſancti Martini Abbas, ac tandem Epiſcopus Attrebatenſis. Necrologium: *VII. Id. Aug. Godeſcalci Attrebatenſis Epiſcopi huius Eccleſiæ Canonici; qui inter cætera beneficia Epiſcopalia veſtimenta, Calicem aureum, pelues argenteas, vrceolos, candelabra nobis dedit, ſub anathemate prohibens ne quis ea ab Eccleſia alienaret.* Baronius Annal. tom. 12. ad annum M. C. XLVIII. locuples habet de Godeſcalco teſtimonium.

CONCORDATVS fit Epiſcopus Eduenſis. Necrolog. ad XI. Kal. Aprilis.

ARNOLDVS. Epiſcopus Caurenſis in Philippinis. Necrolog. VIII. Id. Februarij.

GREGORIVS VIII. Pontifex Max. ex Canonico San-Martiniano: ita Necrologium: *Commemoratio venerandæ memoriæ Gregorij Papæ huius Eccleſiæ Canonici.*

IOANNES *Comnenus* Imperator Conſtantinopolitanus. Cuius ad hunc modum meminit Necrologium: XV. *Kal. Maij Commemoratio Ioannis Imperatoris huius Eccleſiæ fratris ad ſuccurrendum.* Sacrum Dominicæ Crucis Lignum, quod viſitur hodiéque Imperatorum Grecorum iconibus ſuper operculum efformatis inſigne, contuliſſe fama eſt.

GVIDO Abbas ſancti Vincentij Laudun. *Frater fuit ad ſuccurrendum huius Eccleſiæ.* Necrolog. ad III. Kal. Septembr.

De Fratribus ad ſuccurrendum egimus ſupra in obſeruationibus pag. 634.

ROBERTVS Regulam Præmonſtratenſium profeſſus in Clauſtro San-Martiniano, primus Abbas eligitur Inſulæ beatæ MARIÆ in Geldria. Ferunt Robertum Henrici I. Regis Anglorum cognatum.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM.

B

C

D

E

Guillelmus

H.

FFff

I

P.

Religio

V.

Corrigenda, & Addenda.

PAgina 24 columna 2. linea 5. lege quamdiu. p. 26. col. 2. l. 5. l. exercitatis. p. 27. l. 47. l. facie. p. 28. col. 2. l. 41. l. pecualiter p. 31. col. 2. l. 33. l. contecta. p. 43. col 2. l. 15. l. quæ. p. 72. col. 2. l. 9. l. saluationi. p. 74. l. 46. l. carnalium. p. 84. col. 2. l. 13. l. increuerit. p. 98. l. vltima. l. timorem. p. 108 col. 2. l. 14. l perdet. p. 109. col. 2. l. 9. l. seruiant. ibid. l. 4. l. exteriùs. p. 111. l. 3. l. odit. ibid. l. 32. l. dominaberis p. 117. l 3. l. Simeon p. 130. col. 2. l. vlt. l. primitus. p. 151. l. mœroris. p. 157. l. 49. l. Iacob. p. 175. l. 7. l. vno. p. 182. l. 11. l. liberalissime p. 217. l. celare p. 261. 36. l. pecuali. pag. 261. l. 262. & consequenter. p. 262.* l. 13. l. literam. 267. l. 12. post scribitur, ponere; p. 272. l. 27. in marg. l. appropinquauit. p. 280. l. 47. l. tuarum. p. 285. l. 31. l. apparet. p. 295. in marg. l. exampliatur. p. 303. l. 39. l. referunt 315 l 4. in marg. l. Paulus dextrum, Petrus sinist. p. 331. l. 5. l. acholytus & in marg. l. acholytus. p. 362. col. 2. l. 5. post *intrinsecus* dele virgulam, & pone post *inuisibilis*. p 364. l. 25. in marg. l. fletus. p. 369. l. 23. post *Lector* dele *; Ibid. in tit. l. Historiæ Ierosol. Ibid. l. 35. l. præterita. p. 370. l. 30. l. excanduit. p. 376 col. 2. l. 6. l. viæ p. 380. l. 12. l. elaborare. p. 390. col. 2. l. 23. l. optimus. p. 399. l. 18. l. ruentē. p. 400. l. 10. l. tonitrus. p. 405. l. 11 l. hominiū. p. 416. col. 2. l. 9. l. liberius. p. 459. l. 2. in marg. l. Aboriscor. p. 464. in marg. l. 12. l. Turones. p. 473. col. 2. l. 5. in marg l. maximè. p 492. l. vlt. in marg. post *vel*, adde, *Cantuariæ*. p. 493. l. 35. in marg. post ad, adde, fidem. p. 504. col. 2. in marg. l. 37. Thomæ. l. Gerardo. Ibid. l. 59. post Thomam pone virgulam. p. 518. col. 2. l. 28. in marg. dele *Supple*. p. 529. in marg. dele *Remensem* p. 563. l. 11. post *illius*, adde, *nobiliter editam ipse suâ prudentiâ pro amore illius*. p. 569. col. 2. l. 37. l. subscriptiones. p. 574. l. 14. post *cap*. adde, 3. p. 579. l. vlt l meruerint. p. 583. l. 6. l. aduertere. p. 583. l. 14. l. facili. p. 587. l. 11. l. Ita. p. 588. l. 2. post *Altare*, adde, Apostolorum. p. 593. l. 1. l. 1320. p. 603. l. 31. post eodem, adde, postea. p. 607. l. 56. l. Saxo p. 613. col. 2. l. 18. l. Gudilæ. p. 619. l. 8. l. ablata. p. 621. col. 2. l 58. l Paruille. p. 622. col. 2. l. 19. dele anno. Ibid. l. 25. dele, successit anno. p. 630. col. 2. l. 16. l. Manart. ibid. l. 38. l Brenieu. p. 635. col. 2. l. 31. l. Podio ibid. l. 56. l. solicitudine. p. 642. l. 18. l Hadrianum. p. 643. col. 2. l. penult. conscendit, adde, vno pede. p. 645. col. 2. l. 5. post 1095. adde, Schedis nihilominus in antiquis constanter legitur Ribodimons. p. 648. col. 2. l. 25. l. Brunichildis. p 653. l. 33. Salabergæ. p. 662. col. 2. l. 25. l. Summa. p. 680. col. 2. l. 49. l. incolumis. p. 681. l. 1. dele, multorum, de liberorum successione cogitantes. p. 683. col. 2. l. 48. post superiùs, adde * p. 688. l. 32. post Tholosæ, pone virgulam. p. 690. l. 19. l Hæreticos. p. 691. l. 29. post quidē dele punctum. p. 694. col. 2. l. 44. in marg. l. sibi. p. 699 col. 2. l. 38. in marg. dele in. p. 700. col. 2. l. 47. l. egisse de. p. 705. l. 4. post posuit, adde, per. p. 707. col. 2. l vlt. l. Plasmatori. p. 708. col. 2. l. 13. l. Sacramenta. p. 714. col. 2. l. 26. in marg. l. scala. p. 715. l. 13. post desiit, adde, Robertus. p. 716. l. 17 II. l. I. p. 717. col. 2. l. 24. post capta, adde, est. ibid. l. Sed. p. 768. l. 42. l. mortua. p. 790. l. 7. l. Exoniens. p. 793. l. 55. Raderus, l. Radulphus: & sic corrigito vbicumque *Raderum* repereris, Librarii vitio id euenit. p. 796. in marg. l. minutioribus. p. 797. l. 31. l. Archiepiscopus. p. 798. l. 3. l. honestus. Ibid. l. 33. l. Radulphus. p. 799. l. 13. xxv. l. xxiv. p. 820. l. 48. l. xxiii. p. 833. l. 47. l. perhibentur.